52000/B/1
15/-
L. XXIX.
B/-
WELLCOME
HIST. MED. MUSEUM

John Knott.

41285

DISPENSATORIVM PHARMACEVTICVM VNIVERSALE SIVE THESAVRVS MEDICAMENTORVM

TAM SIMPLICIVM QVAM COMPOSITORVM
LOCVPLETISSIMVS
EX
OMNIBVS DISPENSATORIIS,
QVOTQVOT HABERI POTVERVNT
PERMVLTISQVE ALIIS LIBRIS DE MATERIA MEDICA
AC REMEDIORVM FORMVLIS
ET
CELEBERRIMORVM DENIQVE MEDICORVM
TVM VETERVM TVM RECENTIORVM
OPERIBVS
CONGESTVS, DIGESTVS, ET VARIIS
OBSERVATIONIBVS PRACTICIS
SELECTIORIBVS
INSTRVCTVS

CVRANTE
DANIELE WILHELMO TRILLERO,
PHIL. ET MED. D. CONSIL. AVL. REG. POL. ET ELECT. SAXON. MED.
PROF. PRIMAR. WITTEBERG. ET ILL. ACAD. SCIENTIAR. BONON. SODALI.

TOMVS PRIMVS
MATERIAM MEDICAM SEV SIMPLICIA
EXHIBENS.

FRANCOFVRTI AD MOENVM,
APVD FRANCISCVM VARRENTRAPP.
M DCC LXIV.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

DANIELIS WILHELMI TRILLERI

PROLEGOMENA,

AD

LECTORES BENEVOLOS.

I.

Quantum hodie incrementi, immo & ornamenti, *Res* ceperit *pharmacevtica*, ex tot tantisque Diſpenſatoriis ſic dictis pharmaceuticis, in publica commoda, huc uſque evulgatis, luculenter admodum patet. Nulla enim fere alicuius nominis ac dignitatis Urbs, hac noſtra quidem aetate, invenitur, quae non ſingulare ſuum habeat diſpenſatorium, publicis uſibus conceſſum: adeo, ut in hac certe eruditionis parte, ſcriptorum copia potius abundemus, quam eorundem inopia laboremus.

II.

Praeſertim, ſi iſtis quidem adhuc adiiciantur varii forma, lingua, uſuque Libri ac Libelli, de Materia Medica, Conſcribendis Remediorum formulis, plantis officinalibus, chemiatricis, & id genus aliis argumentis, huc potiſſimum ſpectantibus, hucuſque divulgati; quorum profecto tantus eſt numerus, ut ad hunc novum, ut ita dicam, morbum

animorum, circa unum idemque Mat. Med. argumentum, acerrima contentione occupatorum, curandum, aut temperandum, nova quaſi Materia Medica opus eſſe videatur.

III.

Quibus ex cauſis, quivis, qui nos noſtraque varia ſtudia aliquanto propius novit, facile nunc, ſpero, coniicere atque colligere poterit, nos non eodem quoque ſaeculi more, morboque correptos, ingenti ſcriptorum iſtorum catervae, ſponte quidem noſtra, acceſſiſſe; ſed alieno potius conſilio, quam noſtro, invitos profecto, & diu reluctantes, tandem inductos fuiſſe, ut elaborandum ſuſciperemus *opus hoc pharmaceuticum univerſale*, plus ſane laboris, taedii ac moleſtiae, quam quidem privati lucri, quod nempe a moribus noſtris ſemper alieniſſimum, aut publicae gloriae, habiturum; licet illud ſua ſingulari utilitate haud plane cariturum, probe perſpiceremus. Vere enim & candide hic cum Scribonio Largo, pronunciare poſſumus: *Non medius fidius! tam ducti pecuniae, aut gloriae cupiditate, quam ipſius Artis ſcientia*, & ex ea, ſperanda aliquando in humanum genus, utilitate, hoc opus qualecunque adgreſſi ſumus. Sed iuvabit forſan, rem omnem atque ipſam huius operis ardui occaſionem paucis nunc exponere.

IV.

Nimirum, quum ejusmodi ſcripta pharmaceutica indies immenſum fere multiplicarentur, & ex omnibus paene Mundi plagis angulisque catervatim quaſi evolarent, ut iam dictum, hincque ad cuncta iſta Volumina, plerumque ſpatioſa, comparanda, & multum utique aeris requireretur, & ad eadem perlegenda, & inter ſeſe componenda, plurimum temporis: Inde multi Rei pharmaceuticae ſtudioſi cultores, a longo jam tempore, ſerio optarant, ut ad taedia levanda, ſumtus minuendos, & temporis denique iacturam vitandam, omnia iſta membra quaſi, ac corpuſcula, hinc inde late diſperſa, in unum veluti corpus maius, cum delectu ac iudicio, redigerentur, atque ſic, ex tot ſingularibus diſpenſatoriis, *diſpenſatorium* quoddam *univerſale*, ſeu *Theſaurus pharmaceuticus Generalis*, conficeretur, quo uno veluti conſpectu, omnes formulae ac compoſitiones medicamentariae, ſcitu potiſſimum dignae & jucundae, uſuque ipſo tempeſtivo profuturae, juſto ordine, ſimul exhiberentur. *Oportet enim*, optime ſic monente Scribonio Largo, *quemvis Medicorum peritiorum copiam Medicamentorum ſelectam habere*. Unde, eodem refe-

rente, *contendebat olim ipſe Aſclepiades, ultimae ſortis eſſe Medicum, qui non ad ſingula quaeque vitia, binas ternasve compoſitiones, & expertas protinus paratas habeat.*

V.

Licet enim iam olim, ſimile quid, ad externam quidem ſpeciem, tentatum eſſet a WECKERO, QUERCETANO, CORDO, WEICKARDO, SCWENCKFELTIO, BRASAVOLO, DORNCREILIO, potiſſimum autem ab HORSTIO, in *Diſpenſatorio Medico-chymico univerſali*, ſeu *Pharmacopoeia Galeno-chymica Catholica*, Francofurti ad Moen. 1651. & deinde maiore apparatu, a JUNGKENIO, in *corpore pharmacevtico-chymico univerſali*, ibidem 1734 noviſſime vero ab *Editoribus Norimbergenſibus Pharmacopoeiae univerſalis Schroederianae*, 1746. poſt duplicem COSCHWIZII Editionem, 1709. & 1718. denuo per quam multis acceſſionibus, ex variis Diſpenſatoriis praeſtantioribus, & aliis celebriorum Medicorum ſcriptis, auctae plurimum ac locupletatae; attamen vetera illa Diſpenſatoria, propter nimium immutatam hodie rei medicae faciem, & emendatam plurimum auctamque ipſam rem pharmacevticam, dignitatem ſuam priſtinam, magna ex parte, dudum amiſerunt, & fere extra uſum poſita ſunt: Haec vero bina recentiora, licet promerita ſua laude haud quaquam defraudanda ſint; tamen nimia ſua mole, ut alios ipſorum naevos jam ſtudio taceam, ne alienas merces maligne deprimere, noſtras autem tanto ambitioſius extollere videar, lectores potius territare, quam irritare, ad legendum videntur, ut ſic cum SENECA loqui liceat. Accedit, Theſaurum illum Schroederianum pharmaceuticum univerſalem lingua tantum vernacula eſſe conſcriptum, atque ſic Pharmacopoeorum potius uſibus inſervire, quam quidem eruditiorum Medicorum commodis.

VI.

Illorum ergo rei pharmaceuticae ſtudioſorum juſtas querelas honeſtaque deſideria quum intelligeret nob. Bibliopola, iisdem promte ſatisfacturus, protinus conſilium cepit, eiusmodi opus diu anxie deſideratum, in publicos uſus, ſuis quidem ſumtibus, excudendi. Circumſpiciens autem, cuinam potiſſimum committeret provinciam illam arduam, oneroſam, & faſtidioſa rerum variarum & prope infinitarum, copia, pleniſſimam, me tandem adiit veteri familiaritate iam dudum ſibi iunctum atque cognitum, enixeque rogavit nihil tale prorſus cogitantem aut expe-

ſtantem, ut tam ſalutare Medicis iuxta ac Pharmacopoeis, aegrisque demum ipſis, opus univerſale moliri haud detrectarem.

VII.

Ego vero primum multum tergiverſari, varias moras nectere, nihil promittere, nihil negare, ingraveſcentis iam aetatis incommoda, dubiam valetudinis ambiguae fidem obtentui ſumere, alias neceſſarias occupationes, ab officio mihi iniunctas, publicas denique funeſti belli, interea eheu! exorti, calamitates, allegare, & varias praeterea excuſationes alias ſatis ſpecioſas afferre, quo ſic quantum pote, ſubterfugerem laborem illum longe moleſtiſſimum, ingratiſſimumque, & infirmis unius hominis ſolius viribus paene inſuperabilem.

VIII.

Sed ille contra, acrius inſtare, vehementius flagitare, amicitiam privatam, utilitatem publicam, juſta Medicorum deſideria, & neſcio quas perſuaſiones alias blande ſubinde inſinuare. Quid plura? iteratis toties precibus effuſiſſimis tandem fractus atque victus, dextram fidemque dedi, me iſtud quidem graviſſimum elaborandi eiusdem operis pharmaceutici univerſalis onus ſuſcepturum, potiſſimum ideo, ne iſto denegato, immemor eſſe viderer bonorum officiorum, tam mihi, quam beatae meae coniugi, apud ipſum denatae & elatae, nunc eheu! deſideratiſſimae, quondam ab ipſo amice candideque praeſtitorum.

IX.

Sed admota vix ipſi operi manu, mox me promiſſi mei poenitere fere coepit: ſtatim enim intellexi, me temere tenuem meam fragilemque quaſi ratem immenſo pelago commiſiſſe, ex quo optatum portum, ad quem tandem ſecure placideque appellerem, proſpicere vix valerem: Tot enim tantosque difficultatum dubiorumque ſcopulos ubique deprehendebam mihi obiectos, ut, quo me tandem verterem, quodque litus proximum peterem, ſaepius plane ignorarem.

X.

Verum vicit tandem duriſſimum hoc iter laboremque graviſſimum inconcuſſa erectae mentis conſtantia, juſta fidei datae inviolabilis aeſtimatio, ſperata futurae utilitatis publicae voluptas, & benigna denique gratae forſan poſteritatis, de hoc noſtro labore, memoria. Intrepido igitur alacrique animo opus iſtud adgreſſus ſum, ingenti ſua mole perquam ter-

ribile & immenſa fere rerum innumerabilium varietate inexplicabile, atque ex tot tantisque Diſpenſatoriis, incredibili paene labore inter ſeſe collatis, milleque aliis Libris Medicinalibus, & auctoribus medicis praeſtantioribus, ſingulari cum cura, & patientia paene ferrea, perlectis & exploratis, tandem divina favente gratia, *corpus hoc pharmaceuticum univerſale* concinnavi ac compoſui. Ab aliis ergo tradita operoſe congeſſi, congeſta, diligenter digeſſi, digeſta ſollicite examinavi, examinata vel candide probavi, vel ingenue improbavi, probata commendavi, ut in uſum adhiberentur, improbata vero damnavi, ut ab uſu prohiberentur. Nec dubitamus tamen, quin etiam ingenue confitemur, multa adhuc eſſe, quae nos hic praeterierint; homines enim ſumus, & quidem ſenilis iam aetatis, & *occupati officiis, ſubciſivisque temporibus, iſta tantum curavimus*, & raptim coagmentavimus, ut ſic nos cum PLINIO, excuſare, nobis hic iuſtius liceat.

XI.

Ligna igitur, ut ſic dicam, tigna, lapides, caementa, verbo, omnem aedificandi materiam, aliis debemus, quod candide, more noſtro, hic profitemur, nihilque nobis aliud vindicamus, quam ipſam tantum aedificii ſtructuram admodum mediocrem, & exiguam praeterea diligentiae, patientiae, conſtantiae, candoris, bonae mentis, forte & iudicii, ac, ſi forſan non de praeſenti (quis enim tetram livoris mordacis malignitatem neſcit?) de futuro tamen ſaeculo, bene merendi voluntatis laudem, vel certe veniam, aut excuſationem. *Quando ita decretum eſt*, ut cum PLINIO loquamur, *minorem gratiae, quam utilitatum vitae, reſpectum habere.*

XII.

Quum vero inter omnia ſic dicta Diſpenſatoria Pharmaceutica, omnium & Medicorum & Pharmacopoeorum unanimi conſenſu, ob concinnum ordinem & ſingularem compoſitionum praeſtantiſſimarum delectum, ſuo utique merito, potiſſimum emineant *Viennenſe*, *Brandenburgicum*, *Argentoratenſe*, & praecipue *Wirtenbergicum*, cui profecto in hiſce palma prima, & veluti lemniſcata, debetur; opera praeſertim in hoc maiore opere noſtro, data fuit, ne quid facile ex iisdem, inprimis autem poſteriore, praetermitteretur, quod alicuius momenti commodique eſſet, & in aliis deſideraretur,

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant;
Omnia nos itidem depaſcimur optima dicta.

XIII.

Hinc haud facile inducor, ut credam, quenquam aequitatis praeſertim & utilitatis publicae amantiorem, aegre laturum, aut acrius reprehenſurum hanc ipſam noſtram novam veterum novorumque Diſpenſatoriorum Syllogen: quoniam iſta omnia publici quaſi ſunt fontes, in communem omnium uſum & ſalutem libere manantes, quibus nemo prohibendus, publica iſta munera petiturus. Inde ergo tanto confidentius ſperamus; nos gratiam potius, aut certe veniam, & indulgentiam, merituros a multis, ſi non ab omnibus; quod hos ipſos ſalutares fontes longe lateque diſperſos, & ſaepe etiam rarius inveniendos, in hoc ipſum opus, veluti in unum alveum capacem, ingenti molimine, conduximus, & tot diſſociata corpora pharmaceutica nunc in unum corpus grandius conſociavimus; idque ad luculentum ſcilicet exemplum Pharmacopoeiae illius Schroederianae univerſalis Norimbergenſium, 1746. de qua ſupra iam dictum, quae pariter optimas quasque compoſitiones ex melioribus & recentioribus Diſpenſatoriis, nimirum *Auguſtano*, *Brandenburgico*, *Norimbergenſi*, *Pragenſi*, *Ratisbonenſi*, *Argentoratenſi*, *Viennenſi*, *Wirtenbergico* & *Bateano*, aliisque, excerptas & congeſtas coniunctim exhibet, adiectis quoque paſſim egregiis & probatis Medicamentis, e celeberrimorum Medicorum operibus diligenter collectis.

XIV.

Quare clariſſimi experientiſſimique Editores *Diſpenſatorii Ratisbonenſis*, qui pari modo ex multis aliis Diſpenſatoriis, v. g. *Brandenburgico*, *Auguſtano*, *Argentoratenſi*, *Londinenſi*, *Hamburgico*, *Jungkenii corpore Pharmacevtico*, aliisque, opus ſuum utiliſſimum concinnarunt, ſic optime prudentiſſimeque pronunciaſſe mihi videntur; *At, at nihil ex nobis profectum, omnia ex aliis compilata, & ex novem Pharmaciis decimam confectam eſſe, quiritaris Cenſor! ſed, bona verba, quaeſumus, & ne negligentiae, vel deſidiae prorſus, tribuas, quae praemeditato conſilio facta ſunt, ſerio te monemus. Non enim in laudis aucupium, & doctrinae oſtentationem, apparata ſunt, quae vides; ſed in ſalutem publicam unice deſtinata; quae rectius conſervari non poterat, niſi ea retinerentur, quae exercitatiſſimorum in Arte noſtra Virorum auctoritas ſubminiſtravit, experientia confirmavit, uſus nobilitavit.*

XV.

Praeter modo laudata autem Diſpenſatoria iſta potiora, in conſilium etiam uſumque vocata fuerunt Diſpenſatoria alia maiora, ſcilicet *Auguſtanum*, cum *Animadverſionibus* ZWELFERI, *Pragenſe*, *Ratisbonenſe*, *Norimbergenſe*, *Florentinum*, *Meſſanum*, *Venetum*, *Hamburgicum*, *Pariſienſia*, una cum *Pharmacopoea Regia* CHARAS, & tribus illis *Diſpenſatoriis univerſalibus*, HORSTII, atque SCHROEDERI *Norimbergenſ.* ſuperius iam allegatis, nec non paullo minora, *Amſtelodamenſia*, *Londinenſia*, *Perſicum*, *Ceylonicum*, *Cracovienſe*, *Romanum*, *Colonienſe*, *Mantuanum*, *Gandavenſe*, *Lillienſe*, *Tholoſanum*, *Leidenſe*, *Lugdunenſe*, *Edinburgenſe*, *Ultraiectinum*, *Leodienſe*, *Groeningenſe*, *Hagienſe*, *Roterodamenſe*, *Holmienſe*, *Hafnienſe*, *Antverpienſe*, *Bruxellenſe*, *Bononienſe*, *Renodaeanum*, *Bauderonianum*, *cum obſervat. du Boys*, *Schroederianum*, *Weickhardianum*, *Cordianum*, *Bateanum*, & nonnulla alia, verbo, quotquot haberi & reperiri potuerunt: ex quibus nempe omnibus, ea diligentiſſime collecta & adnotata fuerunt, quae ibi ſingularia eſſent, atque in aliis paſſim deficerent: adſcriptis quoque a nobis, ingenti ſane & moleſto labore, ubique ſingulorum Diſpenſatoriorum paginis, quae tamen poſtea, neſcio, cuius culpa, aut praecoci ſapientia, in ipſo opere excudendo, contra votum ac voluntatem meam, dum ſcilicet longiſſime ab ipſo prelo remotus eſſem, prætermiſſae plane fuerunt.

XVI.

Praeterea quoque ſelectiores & concinniores *Remediorum Formulae*, uſu diuturno comprobatae, ex Medicis praeſtantiſſimis, tam ſuperiorum ſaeculorum, quam noſtri praeſentis, RIVERIO, SENNERTO, FERNELIO, FORESTO, HILDANO, PROSPERO ALPINO, MYNSICHTO, ROLFINCIO, REINESIO, MEIBOMIIS, WECKERO, CRATONE, BALLONIO, HOLLERIO, MICHAELE, LANGIIS, DOLAEO, SYLVIO, WILLISIO, MORTONO, SYDENHAMO, VERZASCHA, BARTHOLINIS, HOFFMANNIS, WEDELIO, LENTILIO, BARBETTE, PLATERO, BENEDICTO, ZWINGERO, MERCKLINO, BONETO, BRUNNERO, POTERIO, KAEMPFERO, FULLERO, TIMAEO, STAHLIO, JUNCKERO, BIERLINGIO, ETTMÜLLERO, JUNGKENIO, FREINDIO, MEADO, BOERHAAVIO, SWIETENIO, GAUBIO, GORTERO, SCHULZIO, RIEDLINO, aliisque multis, & paene innumeris, impro-

ſo labore collectae, in hoc quidem *univerſale Diſpenſatorium* ſedulo translatae, ſuisque locis commodis, ubique apte inſertæ fuerunt, adeo, ut nunc, uno veluti conſpectu, in hoc opere, omne fere ſimul exhibeatur, quicquid in quamplurimis Medicorum celebriorum operibus, interdum ſat ſpatioſis & diffuſis, hinc inde diſperſum ac disiectum, ſicque paucis admodum cognitum, huc usque latuerat. *Oportebat enim*, bene monente hic CELSO, *neque recentiores viros, in his fraudare, quae vel repererunt, vel recte ſecuti ſunt; & tamen ea, quae apud antiquiores aliquos poſita ſunt, Auctoribus ſuis reddere.* Hinc ubique Auctorum nomina praetexui, ex quibus petitae eſſent compoſitiones, quoniam iuſte ſic iudicante PLINIO, *obnoxii profecto eſt animi, & infelicis ingenii, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, quum praeſertim ſors fiat ex uſura.*

XVII.

Quibus omnibus quasdam quoque compoſitiones a nobis olim inventas, paſſim interſeruimus, paucas quidem illas; ſed fidas profecto, tutas, & longo ſalutari praxeos annoſae uſu, centies, immo pluries, comprobatas. Hic vero haud credat, quaeſo, Lector aequus & humanus, hoc vanae praeſertim oſtentationis cauſſa, a me ipſo factum eſſe, ut ſcilicet, *veluti paſſerculis & columbulis noſtris, inter tot altivolas aquilas, pennas quoque darem*, ſicut facete iocatur PLINIUS junior, ſive, ſicuti gravius pronunciat CICERO, *ut me in tam ſplendidam ſocietatem, tanquam in equum Trojanum, cum principibus, audacter nimis includerem:* quin potius certiora edoctus, ſciat idem, imperioſas quaſi amicorum, & ipſius Bibliopolae preces me eo tandem adegiſſe, ut publico, hac quidem occaſione commoda, candide impertirem, quae ſibimet ipſis quondam, in variis morbis egregie profuiſſent, Medicamenta, alias forſan poſt obitum meum, inter disiectas neglectasque Schedas, non ſine aliquo damno, etſi exiguo, mea certe opinione, aliquando peritura. Non operoſae autem, pretioſae, aut in vanam tantum oſtentationem paratae ſunt iſtae noſtrae compoſitiones; ſed plerumque ſimplices, mites, naturales & ſecurae, indeque plus opere ipſo praeſtant, quam prima quidem fronte promittunt. *Si quis igitur in ſene, & quantulaecunque ſcientiae Medico, hanc ſimplicem curationis viam, illaboratamque miratur; noverit, me in utroque genere, facere, quam dicere, potius elegiſſe*, ut ſic cum THEODORO PRISCIANO loqui liceat.

XVIII.

XVIII.

Singulis vero Formulis ac Compoſitionibus plerumque ſubiuncta fuit iuſta candidaque Epicriſis noſtra, partim iocoſa & faceta; Ridentem enim dicere verum, quid vetat? ad exemplum nempe AMMANNI, RIVINI, LENTILII, HARVEJI, ROLFINCII, FREYTAGII, COHAUSENII, & aliorum clariſſimorum Medicorum; partim quoque, ubi opus, ſeria ac ſevera, interdum vero etiam in utrumque modum; quae & uſum cuiusvis Remedii opportunum fideliter docet, & neceſſarias ſimul cautiones adiicit, quando nempe, & ubi, cum fructu, illud ſit adhibendum, & quando rurſus iuſto periculi imminentis metu, merito omittendum: praeeuntibus mihi in hoc laudatiſſimoque inſtituto, ZWELFERO, LUDOVICI, RIVINO, BOERHAAVIO, GORTERO, GAUBIO, GEOFFROY, HOFFMANNO, BÜCHNERO, SCHULZIO, CARTHEUSERO, & aliis clariſſimis Viris, qui nobis praeclaris ſuis exemplis, monitisque ſaluberrimis, paſſim in hoc opere, egregie profuerunt, quod grate fateri par eſt. *Eſt enim benignum*, ut merito arbitror cum PLINIO, *& plenum ingenui pudoris, fateri aperte, per quos profeceris.*

XIX.

In plerisque enim Diſpenſatoriis illud obſervo, quod tamen haud ſatis placet, potiorem ſcilicet Pharmacopoeorum rationem habitam fuiſſe; quam quidem ipſorum Medicorum: dum nempe illorum cauſa, Medicamentorum praeparatio operoſe & accurate docetur; horum vero in in gratiam, eorundem cautus & opportunus uſus iuſto parcius, & tantum veluti in tranſitu, indicatur, immo ſaepius plane reticetur. Quum tamen, me quidem iudice, eiusmodi Diſpenſatoria Pharmaceutica duplicem praeſertim in finem, publicantur, ſcilicet, ut Pharmacopoei exinde Medicamenta bene praeparare diſcant; Medici vero, praecipue juniores, iſtis ſic bene praeparatis, bene quoque ac tempeſtive uti intelligant. Quare ut huic communi defectui, quantum quidem poſſem, mederer; ubique ſedulo operam dedi, ut nullum fere Remedium ſine merita laude, aut iuſta cenſura, prout res ferebat, facile dimitterem, eiusque uſum, aut abuſum, pro candore noſtro, & modica experientia Medica, fideliter non indicarem.

XX.

Quamobrem, nemo velim exiſtimet, me omnes Medicamentorum Formulas in hoc quidem opere noſtro obvias, generatim approbaſſe;

quin potius certiſſime ſibi perſuadeat, nos multas ex illis, ideo data opera admiſiſſe, ut ſic commodam nanciſceremur occaſionem, illarum tantum vanitatem, ſuperſtitionem, dubiam fidem, inefficacem medelam, quin & damna & pericula, liquido oſtendendi, Medicosque inde candide admonendi, ut ab ambiguo ac nocivo earum uſu caute prudenterque abſtinerent, nec ſe ſplendidis magnorum ſaepe auctorum nominibus, quibus iſta medicamenta ſuperbiunt, in fraudem fallaciamque induci paterentur, ut ipſi periculum facerent Remediorum, cum ipſo humanae vitae periculo ſaepius coniunctorum. Quorſum inprimis ſpectant Remedia valentiora, immo violentiora, ex HARTMANNO, HELMONTIO, FABRO, TACHENIO, CROLLIO, BEGUINO, RENEALMO, WIMPENAEO, DAVISONIO, RULANDO, POTERIO, TENZELIO, FREYTAGIO, BATEI *pharmacopoea*, aliisque id genus Chemicis philoparabolis & humanae vitae nimium prodigis, producta: in quibus nempe maximam ſane partem, oſtentatio artis, & portentoſa ſcientiae venditatio manifeſta eſt. Contra quorum tamen ſubleſtam fidem, ſuſpectam opem, & atrocem plerumque effectum, jam dudum graviſſime ſolidiſſimeque diſputarunt Viri ob ingentia in rem Medicam & Chemicam, merita, ſingulari ſemper cura & religione dicendi, BOHNIUS inquam, praeceptor olim noſter, in cineribus adhuc nobis merito venerandus, in doctiſſima diſſert. *de praepollentia dubia Medicamentorum Chemicorum*, item de *experientia fallaci*, & in utiliſſimo Libro, *de Officio Medici*, atque BOERHAAVIUS, tam in oratione lectu digniſſima, *de Chemia ſuos errores expurgante*, quam potiſſimum in *Elementis Chemiae*, opere aeternum perennaturo.

XXI.

Sed & alia praeterea, fuerunt Medicamenta, quibus libenter locum in hoc noſtro opere denegaſſemus; niſi eundem iam pridem, in plerisque, ſaepius quoque in omnibus, Diſpenſatoriis, fatali quadam indulgentia & ſocordia, obtinuiſſent, ita ut ſedem ſuam ſemel occupatam longa quadam annorum quaſi praeſcriptione, tuerentur. Quorum tamen poſſeſſionem juſto diutius quietam, tandem turbare, dominiique illius uſurpationem impugnare, nobili, opinor, fiducia & generoſo impetu, paſſim auſi ſumus, ut ex illis manifeſtius apparebit, quae vere ac ſevere animoſeque pronunciavimus contra *Aurum Fulminans*, *Antihecticum* POTERII, *Antimonium Diaphoreticum*, *Confectionem Alkermes*, *Electuarium de Ovo*,

Pulverem CORNACHINI, *Saccharum Saturni*, *Tincturam Antiphthiſicam* GRAMANNI, *Mercurium Vitae*, *dulcem*, *ſublimatum*, *aviculas & pilulas Aethiopicas*, *Panaceam* HARTMANNI, *pilulas caſtitatis*, WILDEGANSII *anodynas*, *pulverem Antatrophicum*, *Antepilepticum* CASP. BARTHOLINI, & *Arcanum antepilepticum* filii ipſius THOMAE, *Eſſentiam Aegagropilarum Cephalicam*, *Caſtitatis*, *Cephalicam balſamicam*, *Catholicam purgantem*, *Liquorem Cardiacum* RIVERII, *Corvum epilepticum Bateanum*, *Theriacam Metallorum* POTERII, *Pulverem Saxonicum*, *Pilulas*, *ſine quibus eſſe nolo*, *Emplaſtrum domus miſericordiae*, aliaque plura ejusmodi Medicamenta, praeſertim Chemica vehementiora fortioraque, quae, ceu minus tuta, fida atque ſalutaria, ſed humano generi exitium potius allatura, quam auxilium; palam, cum ratione, improbavimus, & ex ſelecto ſalubrium utiliumque Remediorum Catologo iure meritoque expunximus. Ceu vero remedia deſint, ut ſcelera quoque contrectent Medici illi audaciores: *ſed iſta praetexunt noxio inſtrumento*, *tantumque impudentiae eſt*, *ut venenum quoque artis eſſe perſuadeant*, ſic PLINIO ſevere increpante.

XXII.

Neque tamen Medicamenta recens inventa, & noſtra quidem aetate officinis invecta, ob blandam vero ſubitae novitatis gratiam, avide arrepta, & immenſis paene laudibus praeter meritum, cumulata, hic intacta plane, aut inobſervata, praetermiſſimus, ut ex iſtis clarius patebit, quae ad *Aethiopem Mineralem*, *Magneſiam albam*, *Eſſentiam dulcem*, *Pulverem Antiſpasmodicum rubrum*, *Pilulas Saturninas & ſtypticas* FULLERI, *Eſſentiam Pareirae Bravae*, *Emplaſtrum de herba Thea*, *Vitrum Antimonii ceratum*, cerea nempe probitatis & innocentiae larva fallax, & famoſum illud fumoſumque *Picis liquidæ Infuſum*, ut alia nonnulla iam taceam, vere quidem ac libere, modeſte tamen ſimul ac circumſpecte, paſſim a me monita fuerunt.

XXIII.

Utinam vero fauſtiſſimus ille atque dudum deſideratiſſimus dies candido lumine, in publica commoda, tandem aliquando affulgeret, quo, graviſſima ſummarum poteſtatum auctoritate & unanimi conſenſu, per univerſam Europam, aut certe noſtram Germaniam, omnes officinae medicamentariae, ſolenni quaſi quadam luſtratione, cum judicio & delectu, ſolicite repurgarentur, atque ab oneroſa illa & odioſa tot futilium

B 2

& inutilium ſimplicium ac compoſitorum ſarcina liberarentur: quae fruſtra quidem praeparantur, incaſſumque aſſervantur, &, dum ipſa inemta uſibusque humanis exemta, dolentibus Venditoribus relinquitur, cano interea ſitu obducta, & foedo ſqualore corrupta, reliquorum vendibilium & frequentiore in commercio a Medicis in uſum praeſcribentibus, poſitorum pretium tanto magis augent, quoniam nempe ſumtus in iſta quidem fatua, obſoleta & aeternis veluti tenebris damnata, fruſtra impenſi, aliter reſarciri haud poſſunt, niſi duplicato quaſi aut triplicato pretio, ipſis vendibilibus & uſitatioribus impoſito, unde vero haud mediocre incommodum atque damnum ad ipſos emtores redundat.

XXIV.

Quorſum enim obſecro, tot *Aquae deſtillatae*, *Axungiae*, *Pinguedines*, etiam *humanae*, una cum *Cranio*, uſnea ſic dicta, atque ipſo *Cerebro*, item *ſecundae* potiſſimum primiparae, ne quid nempe nauſeae, abominationi immo & ſceleri deſit, *Confectiones*, *Electuaria*, *Extracta*, *Elixiria*, *Eſſentiae*, *Tincturae*, *Olea cocta*, *Balſama*, *Maſſae Pilularum*, *Emplaſtra*, *Syrupi*, *Conſervae*, *Trochiſci*, *Rotulae*, *Tabellae*, *Trageae*, *Pulveres*, *Magiſteria*, *Unguenta*, *Species*, *Animalium corda*, *hepata*, *fella*, *pulmones*, *ventriculi*, *ungulae*, *oſſa*, *tali*, *cornua*, *lapides*, *ſanguis*, *dentes*, *pili*, *plumae*, immo, pudet ſane pigetque effari, *teſticuli*, *priapi* & ipſa *ſtercora*, aliaque id genus plura foeda potius purgamenta, quam fida veraque medicamenta, ne exceptis quidem ipſo auro & pretioſis gemmis, de quibus attonitae quorundam ſunt perſuaſiones, qui prodeſſe, niſi pretioſa, non putant; quae ſane maximam quidem partem, ingenuo elegantique Medico prorſus indigna ſunt; ſolis vero ventoſis circulatoribus, vanis ſortilegis, & aniculis denique fatidicis convenientiora? Quorſum, inquam, cuncta iſta ſordida, abiecta, frivola, inutilia, turpia & abominanda? niſi ut ſimul correpta, & in unam ſtruem congeſta, una cum toto paene iſto Regno animali, modo per partes enumerato, pauciſſimis tantum exceptis, vel flammae, vel undae abolenda tradantur, aut alio quocunque modo, in aeternum exilium eiiciantur, nunquam in emendatiores officinas in poſterum inauſpicato reditura. Qua in re luculentiſſimam nobis facem iam dudum praetulerunt Medici celeberrimi, ZWELFERUS, LUDOVICI, STAHLIUS, ETTMÜLLERUS, LENTILIUS, BOHNIUS, NENTERUS, HOFFMANNUS uterque, item HELMONTIUS, LEONHARD FUCH-

ſIUS, & praeſertim elegantiſſimus RIVINUS, in egregia Diſſertatione de *Cenſura Medicamentorum Officinalium*, quo inſigni ſane Viro, noſtro olim in tenera iuventute, præceptore candidiſſimo doctiſſimoque, nunc quoque, poſt longum quinquaginta annorum decurſum, in ipſo effoeto ſenio, adhuc iuveniliter & quaſi exultantius gloriamur, & impenſe laetamur.

XXV.

Non igitur erat, quod SENECA olim, nimium ſui temporis luxum pharmacevticum, ut ſic dicam, ita graviter perſtringeret, loco quidem notiſſimo, *Epiſt.* XCV. *Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paulatim: deinde in hanc pervenit multiplicem varietatem. Olim nihil opus erat tam magna Medicorum ſupellectile, nec tot ferramentis, atque pyxidibus. Simplex erat ex ſimplici cauſa, valetudo: multos morbos multa fercula fecerunt;* & quae ibi in hunc ſenſum plura ſequuntur, lectu profecto digniſſima & iucundiſſima. Et PLINIUM forſan hinc puderet, eandem, poſt SENECAM, querelam ingeminaſſe, Lib. XXIV, cap. I. *Haec ſola Naturae placuerat eſſe remedia, parata vulgo, inventu facilia, ac ſine impendio, ex quibus vivimus. Poſtea fraudes hominum & ingeniorum capturae Officinas invenere iſtas, in quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita: ſtatim Compoſitiones & miſturae inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio aeſtimantur, ulcerique parvo medicina a rubro mari imputatur; quum remedia vera quotidie pauperrimus quisque coenet.* Qui & iam in antecedentibus, Lib. XXII, cap. 24. indignabundus, ſic exclamaverat: *Iſta Medicamenta miſta, ingeniis conſtant: non fecit cerata, malagmata, emplaſtra, collyria, antidota, parens illa ac divina rerum Artifex: Officinarum haec, immo* verius, *avaritiae commenta ſunt. Scrupulatim quidem colligere ac miſcere vires; non coniecturae humanae opus; ſed impudentiae eſt.* Haec ille, non minus profecto vere, quam ornate ac ſignificanter.

XXVI.

Quodſi enim ſummi illi philoſophi benigna fatorum indulgentia, forſan in noſtrum hoc aevum rurſus delati, intrarent, in amplioribus praeſertim & ornatioribus urbibus, ſpatioſas illas ac magnificas officinas medicamentarias, variis floridis coloribus, intermicante ſaepius ipſo quoque auro, pictas & ſplendide ubique illuſtratas, viderentque ſuperne, de la-

quearibus fulgentibus ſuſpenſa varia monſtra peregrina, ex alio orbe allata, veluti Serpentes Libycos, Crocodilos & Ichneumonas Nilæticos, ingentes balaenarum coſtas, feles piſcesque alatos, aves paradiſiacas, teſtudines ſcutatas, Gammaros denticulatis forcipibus minaces, Cercopithecos barbatos, torta Ammonis cornua, Xiphiarum roſtra mucronata, ſtupidorum Struthionum pulcre caelata ova, Monocerotum Groenlandicorum acuta cornua, tot praeterea Concharum genera, in quibus magna ludentis Naturae varietas, tot colorum differentiae, totque figurae, & id genus alia plura oſtenta: Circa ipſos autem pictos parietes, tactico paene inſtructae phalangis ordine, ſcite diſpoſita in numera fere vaſa variae formae ac materiae, nempe ventroſa, oblonga, acuminata & angularia; item vitrea, terrea, ſtannea, plumbea, immo & ſaepius argentea atque murrhina, tot quoque urceolos, pelves, ſartagines, patellas, menſuras, mortaria & porphyritas, pyxides denique, ciſtellas, ſcatulas capſulasque, ex vario ligno affabre tornatas, variisque picturis ac figuris belle ornatas, quibus omnibus continerentur ex utroque orbe, mari, aëre, terra, imis telluris perfoſſae viſceribus petita innumerabilia paene remedia, ſimplicia ac compoſita, in ſalutem, aut perniciem generis humani, illuc operoſe congeſta: quid inquam, tum dicturi illi eſſent, ubi diffuſum hunc, immo forte rectius, confuſum tot medicamentorum cognitorum, incognitorum, utilium, inutilium, deleteriorum & alexeteriorum, apparatum, quem ortus & occaſus, ſeptentrio mittit & auſter, illa morbi & ſalutis promtuaria, iſta vitae necisque armamentaria quaſi, cum ſtupore, immo & cum indignatione, aut, ut mitiſſime dicam, cum ſanna certe ac riſu, paullo attentius contemplarentur?

XXVII.

Sicut ergo ſapienter acuteque a quopiam olim dictum: Mundum hunc univerſum exigua quidem ſapientia regi: ita & ipſam humanam valetudinem exiguo admodum Medicamentorum ſimplicium apparatu, ſed prudenter & opportune adhibito, regi ac reſtitui poſſe, nullum plane eſt dubium; adeo, ut hinc vere ſciteque, hac certe in parte, mihi pronunciaſſe videatur HELMONTIUS: *Pauca ſunt, quae Medicum nobilitant ſi nempe paucis illis recte uti ſciat.* Id quod dudum poſt ERASISTRATUM, apud PLUTARCHUM, Lib. IV. Sympoſ. Quaeſt. I. PLINIUM, THEODORUM PRISCIANUM, iam ſupra laudatos, item LANGIUM,

Epiſt. med. 76. Lib. I. HOFFMANNUM, BOHNIUM, SYDENHAMUM aliosque Medicos praeſtantiſſimos, pulcherrime inprimis luculentiſſimeque oſtendit ille redivivus quaſi Hippocrates Batavus, HERMANNUS inquam BOERHAAVE, in elegantiſſima illa doctiſſimaque Oratione, *de Commendando ſtudio Hippocratico*, nec non in alia Exercitatione, *de Simplicitate & certa ratione Medicinae*, item in divinis illis *Aphoriſmis* gravitate rerum & granditate verborum, paene Hippocraticis, paſſim.

XXVIII.

Inde, quoties ipſum HIPPOCRATEM noſtrum evoluo, evolvo autem ſaepiſſime, ceu notum eſſe arbitror; toties profecto tacite mecum vehementer admiror, illum primum praecipuumque Medicinae conditorem pauciſſimis tantum remediis, iisque ſimplicibus, facile parabilibus, & plerumque ante pedes natis, quae admodum diligenter ex ipſius operibus collegit eximius DAN. CLERICUS, ut & graviſſimus BOHNIUS, omnes morbos ſanabiles, etiamſi difficillimos, feliciſſime expugnare potuiſſe. Quum nos contra, in tanta ſimplicium & compoſitorum Medicamentorum, tam peregrinorum, quam domeſticorum, copia, ſaepius, ne levibus quidem & quotidie obviis morbis, cito, tuto ac jucunde mederi poſſimus. Scilicet nimia copia nos inopes fecit, & ſitientis quaſi Tantali ad inſtar, vel in mediis uberrimis poſiti undis, aquarum tamen ſaluberrimarum hauſtu adhuc miſere caremus. Hinc recte vereque iam olim pronunciavit CORNELIUS CELSUS, Lib. V, cap. 26. *Licet ſine peregrinis, & conquiſitis & compoſitis Medicamentis, vulnus curare;* & diſertius adhuc atque ornatius THEODORUS PRISCIANUS, in procemio operis: *Neque, quum aegrotus adficitur, adeundus eſt mox Pontus, aut interiora Arabiæ ſolicitanda ſunt, ob ſtoracem, vel Caſtoreum, vel reliquas fruges, quas Orbis longinquus peculiares habet. Ideo Medicinam etiam in vilibus herbis parens Natura diſpoſuit, ut nullo vel loco, vel tempore, medendi deſit officium, quum tutum poſſit eſſe remedium: Abundamus euporiſtis, ſucco tritici, farina hordei, herbis variis, vel metallis, & ſimilibus ceteris, in quibus manifeſta remedia Natura ſignavit.* Omitto iam lubens prudensque, ſimiles PLINII locos egregios, partim iam ſupra laudatos, item PLINIUM ſic dictum VALERIANUM, aliosque plures, immo ipſum noſtrum HIPPOCRATEM, Lib. de Victu in Morbis acutis, & aliis locis paene innumeris. Forte tamen hic haud iniucundum erit, audire adhuc,

in eundem ſenſum, magnum quondam THOM. BARTHOLINUM, Hiſt. anat. rar. 95. Cent. VI. *Nunquam tam iniqua fuit Natura, ut cuique regioni ſua Remedia denegarentur, quibus morbos in colarum profligarent. Domeſtica certe nobis ſunt Medicamenta, quae ſola ſine externorum commercio, morbis noſtris inquilinis medeantur. Sed ſemper maiore fuco ſeſe exornant, & nota patriae bona inferiora iudicantur.* Quod perquam nobile & ſcitu dignum argumentum pertractavit uberius idem Vir laudatiſſimus, juſto opere eximio plane, *de Medicina Danorum domeſtica*, Ducem praeeuntem impigre ſequutus, JOANN. BEVEROVICIUM, Medicum eleganter doctum, in *Introductione ad Medicinam Batavorum indigenam*, libro lectu digno & iucundo, ut iam de aliis eiusdem argumenti operibus ac diſſertationibus, paſſim obviis, ſtudio ſileamus.

Sed haec omnia ut hic data quidem occaſione commoda, interponeremus, ſolus effecit ardens purae ſanctaeque Veritatis amor, & iuſta ipſius noſtrae profeſſionis reputatio, cuius nempe miniſterio, omne illud candide aperiendum eſſet, quod utilitatis publicae cauſſa, poſteris traderetur. Jam igitur ex hoc diverticulo, rurſus in viam, & ad ipſum noſtrum Inſtitutum, revertamur.

XXIX.

Ipſa nempe *Diſpenſatoriorum & Auctorum diverſorum verba* plerumque in hoc opere, retinuimus, niſi ſumma urgeret neceſſitas, ut quidquam hinc inde mutaretur, quod tamen rarius a nobis factum: unde quaedam ipſius ſtili diverſitas & inaequalitas paſſim forte obſervabitur a nonnullis talium minutiarum curioſis nimium ſectatoribus. Sed iſtam ſcilicet ardui laboris moleſtiam cum ipſo fructu, ex illa forſan naſcituro, iuſte comparantes, protinus intelleximus, hunc certe tanto minorem fore; quanto maior illa e contrario eſſet futura: quare merito ab iſta quidem opera ingrata atque inutili manum retraximus, probe perpendentes, nos Theſaurum potius Pharmaceuticum, quam Latinae Linguae, aut Forum Romanum, publicare hic voluiſſe, neque Inſtitutionem traditam a nobis fuiſſe, eleganter probatae Latinitatis Formulas, nobis quidem alias haud faſtiditas, ſcite conſcribendi; ſed potius probatae viriutis Remediorum Formulas perite praeſcribendi: unde ſcilicet arma quaſi peterent Medentes, quibus fortiter, quantum certe poſſent, obluctarentur irruentibus morbis & feſtinantibus fatis; quam ut inde teretes humanitatis ſtudioſorum aures feſtive oblectarentur. Apparatum enim Medicamentorum ſcripſi-

ſcripſimus, non eloquentiae, aut elegantiae; *neque in hoc Volumine ſtudium tenemus gloriae, quoniam non eloquentiae hic opus eſt, ſed laboris,* ut cum THEODORO PRISCIANO loquamur, *ipſique morbi*, bene monente CELSO, *non eloquentia; ſed remediis, curantur:* Ornari res ipſa negat, contenta doceri. Eiusmodi enim Libri pharmaceutici ſeveriores ac ſteriliores ſua quidem indole, *nec ingenii ſunt capaces, nec admittunt exceſſus, aut orationes, ſermonesve, aut caſus mirabiles, vel eventus varios, non alia iucunda dictu, aut legentibus blanda,* ut maioris PLINII verba ſic noſtra facere nobis liceat. Quare merito cum eodem graviſſimo Auctore, *utilitatem iuvandi praetulimus gratiae placendi, & maluimus pompam ac fucum materiae deeſſe; quam ipſi operi fidem & utilitatem.*

XXX.

Illud quoque adhuc paucis hic monendum: *Doſes, menſuras, ponderaque Medicamentorum* maioris ſecuritatis, perſpicuitatis & utilitatis gratia, *non conſuetis alias ſignis, numeris, characteribusque; ſed literis potius, & ipſis vocibus,* expreſſa fuiſſe ubique: quem laudabilem oppido morem ſervant quoque *Diſpenſatoria Leidenſe, Viennenſe, Argentoratenſe, Ratisbonenſe, Brandenburgicum, Pariſinum, Amſtelodamenſe, Leodienſe, Wirtenbergicum,* & nonnulla alia, praeſertim recentiora, & noſtro praecipue tempore, publicata.

XXXI.

Ordinem porro *alphabeticum* per totum hoc opus, accurate ſervavimus, ſequuti rurſus *Diſpenſatoria, Hamburgenſe, Ratisbonenſe, Brandenburgicum, Pragenſe,* & inprimis *Wirtenbergicum,* quod nempe ubique, ceu ducem & anteſignanum, ſtudioſe elegimus, ut ſupra iam opportune monitum. Licet enim operoſior illa in *certas Claſſes,* diviſio, quam praeferunt potiſſimum *Argentinenſe, Pariſinum, Amſtelodamenſe, Leodienſe, Leidenſe, Norimbergenſe, Lugdunenſe,* aliaque Diſpenſatoria complura, accuratiori quidem Methodo magis reſpondeat, quod ultro certe largimur: Ordo tamen iſte alphabeticus facilior haud dubie & expeditior eſt inquirentibus, morae praeſertim impatientioribus, & res cito properanterque ſciendi & legendi cupidis.

XXXII.

Sic igitur poſt tot labores longos, difficiles, immenſos, & paene inenarrabiles, auſpice divina gratia, finis tandem exoptatus impoſitus fuit

Parti huius Diſpenſatorii Univerſalis, Secundae, quae Medicamenta compoſita complectitur, mihique praeſertim propter difficultatem, amplitudinem, copiam & utilitatem potiorem, prius omnino diligentiſſime elaboranda videbatur. Tranſituro autem mihi deinde, ad ipſam *Partem Primam,* ſeu *Materiam Medicam,* ad quam ingentem obſervationum variarum apparatum dudum collectum habebam, derepente, maximo meo moerore & incommodo, oculi mei longo nimis labore ſenioque feſſi & hebetati, officium eheu! amplius recuſarunt, adeo, ut invitus ſane coactus fuerim, manus oculosque, promtas quidem illas, hos vero obſtinate reluctantes, lugens dolensque, ab iſto quidem opere abſtinere. Miſi ergo omnes meas obſervationes & additiones ad Bibliopolam, ipſiusque arbitrio omnia reliqui: qui etiam neceſſitate impulſus, alii docto Viro illud quidem negotium committendum cenſuit; ita tamen, ut omnia mea obſervata & additamenta ubique diligenter insererentur. Quam bene igitur iſte Sparta illa ipſi demandata perfunctus ſit, judicabunt ipſi Lectores. Quantum ego quidem perſpicio, omnia, aut pleraque ſaltim, ex HERMANNO, BOECLERO, VALENTINI, PISONE, POMETO, HOFMANNO, GEOFFROY, BÜCHNERO, CARTHEUSERO, & *Diſpenſatorio* praeſertim *Wirtenbergico,* aliisque id genus Libris Pharmaceuticis, concinnata eſſe videntur: Quum ſcilicet, de his Naturae operibus productis, ſive ſimplicibus, ut vulgo quidem dicuntur, nihil fere amplius dici poſſit, quod non dictum ſit prius, nec quidquam obſervare liceat, quod non obſervatum iam ſit ab aliis ſedulis Naturae indagatoribus, praeſertim in hac ſplendida omnis eruditionis luce, & rerum naturalium uberiori cognitione.

XXXIII.

Tandem univerſo huic operi *adiecti ſunt Indices,* ab alio Viro docto confecti, *Morborum* ſcilicet, ac *Remediorum* contra eosdem, tam *ſimplicium,* quam *compoſitorum:* magno profecto Eruditorum Medicorum commodo & emolumento. Quare neſcio ſane, qui factum ſit, ut, ſola fere illa Schroederi Pharmacopoeia excepta, in omnibus in univerſum Diſpenſatoriis, deſideretur prior ille, nempe Morborum, Index, qui tamen tam neceſſarius, immo profecto magis adhuc, quam alter ille Remediorum, quo nullum tamen Diſpenſatorium vulgo caret. Igitur & hanc praeſertim ob curam ac diligentiam, Viro illi docto gratias meritas debebunt Lectores & Medici praecipue, qui ob hanc ſingularem commodita-

tem, maiore nunc cum fructu, hoc ipſo opere pharmaceutico uti fruiquo poterunt.

XXXIV.

Nunc vero nihil amplius ſupereſt, niſi id unum, ut humaniſſime meos rogem Lectores, ne veniam denegent & meis erroribus, hinc inde forſan commiſſis, & gravioribus praeſertim mendis ſupinae Typographi & Correctoris inprimis, negligentiae merito imputandis, quae nempe, memetipſo per ſpatioſa intervalla, ab ipſo impreſſionis loco longius remoto, paſſim largiore quidem, ac vellem, ſegete, irrepſerunt, adeo, ut mihi nunc, poſt centum fere annos, idem ſiniſtrum fatum obtigerit, quod pariter expertus olim eſt ſummo ſuo taedio & indignatione, Vir eiusdem mecum praenominis, Jo. Daniel Horstius, ſimili ſuo nobiscum, Inſtituto, & quidem in eadem urbe, dum nempe, ut ſupra iam monitum, 1651. Francofurti ad Moen. *Diſpenſatorium Medico-Chymicum univerſale*, ederet, ſed ſimili plane modo, permultis quoque mendis typographicis ubique turpiter inquinatum. Sed meas tamen aberrationes facile, ſpero, coram aequo iudice, excuſabunt ingraveſcens heu! nimis aetas, acies oculorum longis per vitam, laboribus, hebetata, mentis corporisque aegritudo, variae aliae occupationes ſubinde intercurrentes, rerum tractatarum incredibilis multitudo ac varietas, taedium ſcribendi & legendi, impetus feſtinandi, deſiderium finiendi, & plures aliae humanae fragilitatis cauſae, aut patrocinia ac velamenta. Ut enim ingenue fatear, inter calamitates publicas ac privatas, belli fremitus, moerores, metus, pericula, fugas, ruinas, incendia, circumſtrepentes hoſpitum armatorum vociferationes, & tumultuoſos per aedes, diſcurſus, horriſona machinarum igni vomarum tonitrua, milleque alia impedimenta ac taedia, laborioſum hoc & ingratum opus raptim potius hinc inde properatum, aut temere effuſum ac veluti illa protogenis tabula, ſub gladio quondam picta; ſic quoque ſub gladio fere conſcriptum fuit; quam ſecuro quidem in otio, animo ſereno, cum cura ſolerti ſcite elaboratum, ut ſcilicet ita quaedam dolorum ac querimoniarum haberem avocamenta, quibus animus depreſſus & arctatus aliquantiſper diffunderetur, & aliorſum abductus ac diſtractus, laxamenti quid acciperet. Quapropter liceat hic mihi, pace quidem Lectorum, iuſtam illam magni quondam Casauboni querelam ad me ipſum aptare, ex *dedicatione* ſcilicet Straboni ſuo praemiſſa, mihi haec ipſa ſcribenti, ſingulari quodam fato, oblatam ocu-

liſque meis, paene invitis, ſubito ingeſtam: *Quod niſi multa nobis poſt ſuſceptum hoc negotium, contigiſſent, quae alacritatem & impetum noſtrum paene frangerent; magna in ſpe eramus, poſſe nos ſtudio & diligentia noſtra non prorſus male de publico mereri. Nunc vero coacti ſumus, opus hoc affectum potius, quam effectum, in vulgus emittere. Et tamen ne ſic quidem plane diffidimus, doctos viros conatus noſtros aequi bonique eſſe conſulturos: praeſertim, ſi hæc a nobis eo tempore ſcripta meminerint, quo praeter publicam calamitatem, in hoc concuſſi Orbis motu, omnibus bonis communem, multa nobis privatim contigere, quae animum a ſtudiis perſaepe avocarent.* Haec quidem ille, & nos cum illo.

XXXV.

Sicque per Dei gratiam, finem tandem laeti vidimus laborioſiſſimi & ambitioſiſſimi huius operis: ipſum tamen funeſti belli finem eheu! contra ſpem votumque noſtrum, interea, nondum videre licuit; quo de luctuoſo fato, vel in ipſo hoc opere, paſſim gemitus, querelae, vota ac lamenta, in perpetuam diri noſtri durique temporis memoriam, interiecta leguntur. Deum ergo ſupplices hic ſub finem, imploramus, velit patriae noſtrae, diuturni huius belli morbo quaſi chronico, ceu lenta tabe, usque ad nervos oſſaque, paene conſumtae, tandem aliquando clementiſſime largiri unicum illud praeſentiſſimumque pacis ſalutiferae Medicamentum. *Tale enim eſt Bonum Pacis,* vere pulcreque cenſente AUGUSTINO, *ut in rebus creatis, nihil gratioſius ſoleat audiri, vel delectabilius concupiſci, & nihil utilius poſſideri.* Scribebam *Wittebergae*, d. X. Februar. ipſo Die meo natali ſexageſimo ſeptimo, ingreſſus per Dei gratiam, nunc annum ſexageſimum octavum, Anno recuperatae ſalutis, clɔ Iɔcc. LXII.

BIBLIOPOLA AD LECTOREM.

Poſt varios caſus per tot diſcrimina rerum, poſt tot aerumnas mihi obvias, poſt longas moras mihi oblatas & mille impedimenta oppoſita, quo & bellum, cujus recordatione perhorreſco, nunc pace mutatum, referendum eſt, tandem opus hoc laude noſtra majus & in ſuo genere hucusque unicum, cujus egregia commoda per ſe patent, publici juris facere mihi contigit.

Ad hoc rite exſequendum de diligentia, pro more, nihil remiſi, ſumtui non parſi, ſed triplum conſueto impendi, duobusque, huius loci, viris litteratis curam correctionis commiſi, cujus alter rudem litterarum impreſſarum correctionem, alter vero limam litteris correctis adhibere debuit. Nilominus omnia votis haud reſponderunt, ſed multa in elegantiſſimum hoc opus irrepſerunt errata, id quod me maxime ſolicitum habet, & non injuſtæ ſunt illuſtriſſimi Autoris de hoc fato acerbiores querelæ.

Ignoſcet vero & cum illo benevolus Lector *verrucis noſtris, vel ſi mavult, delicti gratiam faciet, expenſis ad libram veritatis momentis, quæ ultra culpæ excuſationem dant: Typotheta Terminorum technicorum ignarus, litteras accepit non ſatis diſtincte ſcriptas, errata ſunt pleraque orthographica & ejus naturæ, ut Lectori niſi inexpertiſſimo, magis tædio quam detrimento fuerint, & maxima eorum pars in extremo libri notata ſunt, unde facili labore in textu emendari poſſunt.*

BENEVOLUS LECTOR *eo facilius erratis veniam dabit, ſi Diſpenſatorium hoc* Indice morborum & remediorum *locupletatum inveniet & fructum perſpiciet ampliſſimum, quem præcipue Tyronibus ſyſtemate rationali inſtructis, præſtabit hic Index, cujus ope, magnum apparatum autoritate & longo uſu comprobatorum remediorum, morbis præpoſitis opponendorum & numerum Pharmacorum minus tutorum uno quaſi intuitu videre poſſunt. Ejusmodi vero Repertorium compendioſum ex tam ingenti copia rerum, acri judicio enucleandi non cujusvis facultatis eſt.*

Nervos hinc & induſtriam attuli, quo invenirem virum huic negotio parem. Tandem D. KÆMPF *M. D.* Archiater & Conſiliarius Haſſo-Homburgenſis *utilitate publica inductus non recuſavit, quo minus laborem hunc ſatis moleſtum ſuſciperet. Multa quidem dubia movit de eo, quod in Parte prima virtutes ſimplicium, docte quidem & fuſius & melius quam in reliquis Diſpenſatoriis, ſed generaliter nimis expoſitæ, vel quod vires ſic dictæ ſpecificæ, ex votis majoribus optimorum autorum definiendæ, non ubique deſcriptæ, ſed quandoque, horum loco, ſcripta autorum citata ſint, quorum elogia collata, quodlibet fere remedium ſimplex ceu pancheſtum extollunt, & quod inde D. D.* KÆMPF *ſententiam præclariſſimi noſtri Autoris ſtricte ſequuturus & nihil ſine eo determinaturus coactus fuerit Indicem ſimplicium compendiario nimis componere & non optato elaborare.*

Ne volumen Partis ſecundæ per ſe majus mole nimis increſcat, indicem Morborum & Remediorum tam ſimplicium quam compoſitorum, minus ſeparandum Parti primæ apponere curavi. Vale. Francofurti A. M. Menſe Octobr. MDCCLXIII.

ISAGOGE.

Divinam medendi artem, ditiſſimam rerum, eius præcipue partem pharmacevticam, præ cunctis aliis ſcientiis, decet gaudere Notis, & terminis, quibus quantitates & qualitates, generaliter & ſpecialiter, diſtincte ac certiſſime exprimantur, quique ab omnibus artem exercentibus, communi & indubio agnoſcantur conſenſu. De his, quantum Pharmacopoeam ſpectant, quædam hic erunt præmittenda.

Quoad PONDERA & MENSURAS;

Menſura, quæ nunquam non civilis, ut plurimum Libras æquat IV. civiles.

Libra civilis autem, uncias XVI.

Libra medica ſeu in formulis uſitata eſt unciarum XII.

Uncia —— eſt drachmarum VIII.

Drachma —— Scrupulorum III.

Scrupulus —— Granorum XX.

Granum eſt circiter ponderis ſeminis hordei, & raro ulterius niſi in duas æquales partes dividitur.

Gutta Grano inter pondera ſubſtituitur, quamvis pro varia liquoris natura, multum differat pondere & volumine.

Manipulus, cuius moles eſt, quam tota manu complecti poſſumus, dicitur conſtare pugillis III.

Pugillus capit, quantum pollice, duobusque digitis primoribus unius manus adductis tolli poteſt.

Cochleare pro Semuncia habetur.

Omnia pondera & menſuræ, gutta excepta, biſecari ſolent; eorumque dimidia pars, vocabulo *Semis* vel *Semiſſis* ſive Charactere ß deſignari.

SIMPLICIA & COMPOSITA, quorum plura uno comprehenduntur titulo, e ſequentibus intelligenda.

RADICES *quinque aperientes majores.*

Apii
Aſparagi
Fœniculi
Petroſelini &
Ruſci.

RADICES *quinque aperientes minores.*

Capparis
Eryngii
Graminis
Ononidis
Rubiæ tinctorum.

HERBÆ *quinque emollientes.*

Althææ *vel* Malvæ
Malvæ *vel* Brancæ urſinæ
Mercurialis *vel* Betæ
Parietariæ *vel* Parietariæ
Violariæ *vel* Mercurialis.

HERBÆ *quinque capillares.*

Adianti aurei
Capilli Veneris
Ceterach
Rutæ murariæ
Scolopendrii.

FLORES *quatuor cordiales.*

Borraginis
Buglosſæ
Roſarum
Violarum.

SEMINA *quatuor calida majora.*

Aniſi
Carvi
Cumini
Fœniculi.

SEMINA *quatuor calida minora.*

Ammeos
Amomi
Apii
Dauci.

SEMINA *quatuor frigida majora.*

Citrulli
Cucumeris
Cucurbitæ
Melonum.

SEMINA

Semina *quatuor frigida minora.*
Cichorii
Endiviæ ſive Scariolæ
Lactucæ
Portulacæ.

Genera *quinque Myrobalanorum.*
Belliricæ
Chebulæ
Citrinæ
Emblicæ
Indæ.

Lapidum *Fragmenta quinque pretioſorum.*
Granati
Hyacinthi
Sapphiri
Sardæ ſive Carneoli
Smaragdi.

Aquæ *quatuor cordiales.*
Bugloſſæ
Borraginis
Roſarum
Violarum.

Aquæ *quatuor pleuriticæ.*
Cardui benedicti
Cardui Mariæ
Scabioſæ
Taraxaci.

Aquæ *quatuor catarrhales.*
Farfaræ
Scabioſæ
Taraxaci
Veronicæ.

Unguenta *quatuor calida.*
Agrippæ
Altheæ
Martiatum
Nervinum.

Unguenta *quatuor frigida.*
Album camphoratum
Infrigidans Galeni
Populeum
Roſatum Meſues.

Olea *tria Stomachica*
Abſinthii
Cydoniorum
Maſtiches.

Præparationibus chemicis pharmacevticis generatim exponendis, hic tandem locum debemus.

Aquæ deſtillatæ, ſunt vapores aquoſi aut ſemivinoſi, imbuti partibus volatilibus, medicaminis vel ſimplicis vel compoſiti e quo vi ignis in vaſe deſtillatorio elevantur; & ope refrigerii in guttas collecti, ad vas recipiens deſcendere coguntur. Inſerviunt Potionibus, Julapiis, Emulſionibus, Elixiriis &c.

*D

Spiritus, vapores ſunt maxime volatiles & utplurimum leviſſimi, plus minus particulis ſulphureis, phlogiſticis, nec non ſalinis gravidi, eodem modo quo Aquæ deſtillatæ expulſi & collecti. Dantur Spiritus vel ſimplices vel compoſiti, alcalini, acidi, toti volatiles, graviores &c. E vegetabilibus præprimis, nonniſi prægreſſa fermentatione eliciuntur. Repetita deſtillatio qua ſubtiliſantur & purificantur Aquæ & Spiritus præcipue, *Cohobatio* ſeu *Rectificatio* audit; Spiritus vero bis vel pluries deſtillati, *Rectificati* vel *Rectificatiſſimi* appellantur.

Olea deſtillata ſive *Eſſentialia* liquida ſunt pinguia, inflammabilia, ſapore & penetrante odore ſimplicis ex quo parata ſunt prædita; in ſpiritu ſolubilia, aquæ non miſcibilia: ſeu partes vegetabilium maxime æthereæ, volatiles, ex iisdem ope deſtillationis, vel cum aqua, vel adjectis ſpiritibus, aut ſalinis menſtruis erutæ, hinc cum aquis deſtillatis ſponte in vas recipiens transſcendentes. Ex noſtratibus evocata hæc olea, aquæ ſupernatant; plurima contra exoticorum, ut ligni Rhodii, Cinnamoni &c. fundum petunt.

Olea Empyrevmatica, fœtida, ſubnigra, amaricantia inflammabilia, ducuntur e vegetabilibus, mineralibus, & quibusvis animalibus ſubſtantiis, vi ſiccæ deſtillationis & vehementioris ignis.

Olea expreſſa unguinoſa, per ſe blanda ſubdulcia fere inodora, alcahole neutiquam ſolubilia, prelo e nucleis vel ſeminibus extorquentur. Hæc olea, quibusvis ſubſtantiis medicamentoſis, ut earum virtutibus imbuantur, infuſa, aut cum iisdem cocta, *Olea infuſa* aut *cocta* audiunt.

Reſinæ ſunt ſucci condenſati, inflammabiles ſpiritu vini toti quanti -- Aqua vero plane non ſolubiles. E plantis vel ſponte urgente calore ſolis effluunt, ut Terebinthina; vel Alcohole ex iisdem extrahuntur.

Gummata ſunt alii vegetabiles ſucci, viſcoſi, mucilaginoſi, quos aqua perfecte diſſolvit, minime vero ſpirituoſum menſtruum. E plantis pariter vel ſponte exſtillantes, vel aqua eloti colliguntur.

Gummi-Reſina, eſt ſubſtantia, ex reſina & Gummate varia proportione intime commixta.

Mucilago eſt materia vegetabilis, fluida viſcoſa, gummatoſa, aqua ſolubilis; e Gummatibus & ſeminibus coctione vel infuſione aquoſa obtinenda.

Sapo, ſubſtantia eſt lubrica, aqua æque ac ſpiritu ſolubilis, agitata cum ipſis ſpumeſcens, ſordes oleoſas & mucidas ſolvens, e ſale quocunque alcalino & quovis oleo intime mixtis conflata.

Salia, ſunt corpora ſolida, pellucida, ex toto ſapida & aqua ſolubilia.

Cineres, pulveres ſunt gryſei terreo alcalini, in quos rediguntur igne, quævis combuſtibilia præprimis ex vegetabili genere.

Calces chemicæ, denſiores, albidi, alcalini, Calci vivæ ſimiles pulveres, e corporibus naturalibus vel fortiori quam cineres ignis actualis gradu, vel menſtruis coroſivis parandi.

Croci, ſunt Calces metallorum rubri aut ferruginei coloris.

Flores chemici, partes ſunt magis volatiles quæ ex corporibus quibusdam ſiccis igne elevantur, & ſummis vaſis adglutinantur. Ea operatio dicitur *Sublimatio; Supplimata* vero flores audiunt ſi quæ rariorem & pulverulentam quaſi texturam habent.

Lixivium, aqua eſt, infuſione in cineres, eorum ſale alcalino impregnata; quod ſal ab aqua denuo liberatum & artis lege calcinatum *Cinis clavellatus* vocatur.

Liquores, ſalia ſunt præ primis alcalina, humido, quod ex aere attraxerunt ſoluta.

Vitra, ſunt ſubſtantiæ, intus & extus ſplendentes, fragiles, plus minus pellucidæ, in quas quodlibet corpus, ſat forti fuſione, prægreſſa plerumque calcinatione, mutatur; ita ut eandem qualitatem igni ulterius expoſitum conſtanter retineat.

Regulus, pars eſt metallica corporum mineralium, ex iis fuſione elicita, in fundo coni fuſorii pondere ſuo collecta.

Magiſteria, pulveres ſunt ſubtiliſſimi, qui obtinentur ſolutione per idonea menſtrua, dein ſeparatione pulveris a menſtruo vel per affuſionem alius materiæ præcipitantis, vel per vario modo inſtituendam liquidi a pulvere abſtractionem. His accenſendæ *Fæculæ* quæ ex radicibus recentibus contuſis aqua eluuntur, ſponte poſtea fundum petentes, ſiccantur.

Tincturæ, ſunt menſtrua aquoſa vel ſpirituoſa, quæ ex quodam medicamine una cum viribus, pellucidum & gratum colorem ſuſceperunt.

Eſſentiæ, differunt a *Tincturis* nonniſi minus diluto & perſpicuo colore.

Elixiria, ſaturatiora quam *Eſſentiæ* & *Tincturæ*, hinc minime pellucida; opaca quævis & craſſiora vel extrahendo vel ſolvendo in ſinum recipiunt.

Mixturæ contractæ, ſeu concentratæ, ſive *Guttæ* conflatæ ſunt ex mere ſpirituoſis, ejusmodi præcipue, quorum virtus exiguo continetur volumine; doſes per guttas plerumque determinandæ.

Mixturæ ſeu *Potiones*, admittunt vehicula præprimis aquoſa, cæterum pulverulenta, ſpiritus, ſyrupos, ſicca & liquida grata & injucunda quælibet, doſes vero majores.

Extracta, ſunt vel decocta vel Eſſentiæ, Tincturæ, vel ſucci expreſſi vegetabilium, coctione aut Evaporatione ad ſpiſſam, fere ſolidam conſiſtentiam redacti.

Rob, *Roob*, ſeu *Robob*, eſt ſuccus plantarum, plerumque absque addito ſaccharo, ad mellis conſiſtentiam inſpiſatus.

Omphacium ſeu *Agreſta*, ſuccus eſt ex uvis immaturis preſſus, cum ſaccharo in ſyrupum vertendus.

Defrutum, Muſtum eſt ad dimidias *Sapa* vero idem ad tertias partes ſeu mellis conſiſtentiam coctum. Eadem conſiſtentia *Mulſa* i. e. fructuum arboreorum ſuccus, aliique vegetabiles ſucci ſolent conſervari.

Gelatinæ, dicuntur mucidi animalium vel & improprie vegetabilium ſucci, coctione ex vino aut aqua eliciti & ad conſiſtentiam inſpiſſati, ut refrigerati in transparentem ſolidam tremulam maſſam coeant.

Conditum eſt Medicamentum vel ſimplex vel compoſitum, ſyrupo ſive ſaccharo in electuarii ut & ſicciorem formam redactum. Fere idem eſt:

Confectio humida. Parum differt *Electuarium*, & *Opiatum. Solida vel Arida Confectio* ſub ſe comprehendit *Tabellas*, *Trochiſcos* &c. de quibus infra.

Conſerva, eſt vegetabile quodlibet, recens minutim conciſum aut contuſum, ſaccharo per ſe mixtum.

Syrupus, eſt medicamentum compoſitum vel ex ſuccis vel decoctis vel infuſionibus cum addito ſaccharo aut melle, ad debitam viſcoſam conſiſtentiam coctis.

Looch ſive *Eclegma*, *Linctus*, mediæ inter ſyrupum & electuarium conſiſtentiæ, eadem vero ratione componendæ. *Miva Gelatina* potius quam Looch eſt, e pulpa aut ſucco quovis cum ſaccharo.

Trochiſcus, *Paſtillus* maſticatorius, *Orbiculus*, *Rotula*, *Manus Chriſti*, compoſita ſunt ſicca e pulveribus, qui ſaccharo, ſyrupis vel gummatibus conglutinantur, & variæ figuræ inde formatis maſſulis exſiccantur. His quoque accenſendæ, *Candelæ reſinoſæ*, *Paſtæ* ſeu *Paſtilli* odorati nec non *Bacilli ad fornacem*: *Aviculæ Cypriæ* vel *Candelæ*, *Tædæ Aromaticæ* &c.

Morſuli ſeu *Tabellæ*, ſunt maſſulæ ſiccæ fragiles e pulverulentis, qui ſaccharo coctione excepti, ſuper tabulam effunduntur ut in tabellas ſciſſæ conſolidentur.

Trageæ. Pulveres ſunt groſſi ſaccharo pulveris, ſato largiori copia addito concinnati.

Tragemata vocantur ſi aromata ſaccharo habent commixta.

Apozema, decoctum nominatur ſaturatum,

Nodulus, Sacculus eſt Linteus congruis repletus, vino, cereviſiæ aut fervidæ, ad extractionem per infuſionem, fermentionem vel coctionem immergendus.

Julapium, *Julebus*, ſunt vel Aquæ deſtillatæ vel decocta medicamentoſa, ſyrupis guſtui acceptis edulcorata additis frequenter ſpiritibus acidulis.

Emulſio, eſt lac factitium ex ſeminibus aut nucleis oleoſis cum aqua ſimplici aut deſtillata contundendis, cujus colaturæ, ſaccharum vel ſyrupi pallidi coloris, aliave quævis lactis naturæ non adverſæ adjiciuntur.

Gargarisma, eſt decoctum, ſyrupis, melle ut & ſalinis conditum,, faucibus colluendis & ſine deglutione gargarizandis dicatum.

Injectiones, ſunt liquida medicamentoſa, in ulcera, vulnera, vel naturales cavitates, ope Siphonis infundenda.

Clyſter, *Enema*, eſt Brodium oleoſum vel aquoſum idoneis virtutibus impraegnatum, Syringa aut alio commodo inſtrumento per anum inteſtinis injiciendum.

Epithema, generaliter ſignificat medicamentum externo corpori in qualibet parte imponendum. Sunt autem Epithemata vel Liquida vel Sicca. Liquidis adnu-

merantur, *Fomenta Cataplaſmata* & ſimilia; ſiccis *Cucuphæ*, *Scuta ſicca*, *Sacculi* &c.

Fomentationes ſeu *Fotus*, Decocta ſunt quæ ſpongiis vel linteis excepta, calido vapore alluunt externas quibus apponuntur partes.

Cataplaſmata, Fomenta ſunt pultis conſiſtentia coctione aut ſine ea parata quæ vel per ſe, vel & Linteis indita admoventur.

Cucuphæ, ſacculi ſunt capiti adaptati, panno ſerico utplurimum obducti, pulveribus cephalicis odoratis repleti.

Suffitus vel *Suffimigia*, pulveres ſunt craſſiusſculi qui carbonibus inſperſi jucundum vel ſalutiferum fumum emittunt.

Collyria, remedia ſunt vel ſicca vel liquida oculis deſtinata & illis idoneo modo applicanda.

Suppoſitorium, vel *Glans*, item *Globulus moſchatus*, eſt maſſula plus minus ſicca ex congruis cohærentibus conflata, figuræ rotundæ, oblongæ; vario ſcopo, præprimis laxante ano inſerenda.

Peſſi ſeu *Peſſaria*, ſunt annuli e ligno aut ſubere confecti, variæ pro re nata figuræ & magnitudinis, cera vel aliis medicatis obducti, vulvæ intrudendi vario ſcopo præprimis ad uteri ut & vaginæ prolapſus.

Bolus, medicamentum eſt internum melle ſpiſſius, cohærens, mole non majus, quam quæ bucca commode excipi

cipi poteſt, quidquid conſiſtentiæ & interno uſui aptum eſt admittens.

Pilulæ ſeu *Catapotia*, ſunt medicamenta interna ſicca, e maſſa cohærente preſſu ſequaci, idonea varia recipiente, in globulos coacta; quæ vel auri vel argenti foliis obducuntur vel pulveribus coſperguntur.

Balſama, Unguentis plerumque ſpiſſiora, compoſita ſunt ex oleis deſtillatis reſinoſis pinguibus &c. variis; odorifera, inunctioni ſervientia. Oleum nuciſtæ expreſſum utplurimum Baſin ſeu Corpus balſamis ſuppeditat.

Unguenta, Medicamenta externæ inunctioni dicata mellis fere ſpiſſitatis, e pinguibus, adjectis nonnunquam ſiccis pulverulentis &c. componuntur.

Linimentum, unguentum eſt fluidius, olei fere conſiſtentia.

Emplaſtrum, eſt medicamentum topicum, tenax, glutinoſum in frigore ſolidum, e pinguibus maxime conſtans, ſuper linteo vel pelle extenſum externis partibus imponendum.

Ceratum, emplaſtrum eſt mollius, inter unguentum & emplaſtrum fere medium.

Dropax, ſeu *Picatio.* Picem pro baſi recipiens emplaſtrum, ideo tenaciſſime adhærens.

Scutum, eſt emplaſtrum vel ceratum, balſamis, oleis, Eſſentialibus &c. &c. imbutum, Alutæ orbiculari ſeu ſcuti formi inductum. *Scutum Siccum*, Epithema ſeu Sacculus appellatur ſcutiformis, aromaticis odoriferis factus.

Veſicatoria, emplaſtra ſunt, cantharitibus condita, cuticulam in veſicas elevantia.

Quæ enucleandæ ſupereſſent pharmaceuticæ denominationes ut Pulvis, Decoctum, Infuſum, Succus expreſſus, Species varii generis. Aceta compoſita, Vina medicata, Cereviſiæ medicatæ, Sacchara varia &c. partim per ſe communi Vocabulorum ſignificatione patent, partim ex formulis infra patebunt.

INDEX

INDEX
MORBORUM
ET
REMEDIORUM SELECTORUM
TAM SIMPLICIUM QUAM COMPOSITORUM.

			pag.
ABORTUM *præcavent.*			
	Pars II.	Emplaſtrum	210
		. . . . .	236
		Julapium	361
		Pulvis	503
		. . . . .	544
		Rotulæ	589
		Saccharum	596
		Syrupus	729
ABSCESSUS vide *Maturantia & Vulneraria*			
ABSORBENTIA			
	Pars I.	Terræ Sigillatae	5 & 6
		Teſtæ Ovorum	292
		Mater Perlarum	40
	Pars II.	Conchae. præparatæ.	126
		Corallia ppt.	140
		Cornu Cervi ppt.	140
		Cryſtallus mont. ppt.	149
		Mangneſia alb. ppt.	391
		Margaritæ ppt.	393
		Oculi Cancri ppt.	422
		Pulvis	503
		. . . . . .	508
		. . . . . .	509
		. . . . . .	512
		. . . . . .	519
		. . . . . .	549
		. . . . . .	559
	Pars II.	Pulvis	577
ACRIMONIA *acida*			
	Pars II.	Liquor	379
		Mixtura	408
		Morſuli	414
		Salia	597
		Sapo	617
		Tinctura	787
		Trochiſci	792
		vid. *Abſorbentia Cathartica*	
ACRIMONIA *alkalina*			
	Pars II.	Emulſio	263
ADSTRINGENTIA, *Styptica*			
	Pars I.	Terra ſigillata rubra	6
		Hæmatites	16
		Rad. Biſtortæ	51
		. . Conſolidæ major	56
		. . Tormentillæ	87
		Hrb. Alchymillæ	93
		Burſæ Paſtoris	101
		Plantaginis	130
		Flor. Balauſtriorum	148
		Sem. Sumach	183
		Cortex Fraxini	219
		Sandalum rubrum	229
		Sanguis Draconis	247
		Succus Acaciæ	256

pag.

Pars I. Terra Japonica 266
Pars II. Aqua 77
Cornu Cervi 141
Electuarium 160
. . . . 163
Vitriolum 853
vid. *Chalybeata*
Vulneraria & Opiata

ALEXIPHARMACA, *Sudorifera Diaphoretica Bezoardica*
Pars I. Rad. Acori Veri 43
Allii 44
Angelicæ 45
Aquilegiæ 46
Ari 46
Cardopatii 52
Cepæ 53
Contrayervæ 56
Cyperi 58
Dictamni 59
Enulæ 62
Hirundinariæ 66
Leviſtici 69
Oſtrutii 75
Petaſitidis 77
Valerianæ Hortenſ. 78
. . Palluſtris 88
Pimpinellæ alb. 79
Serpent. Virginianæ 86
Hrb. Cardui Benedicti 102
Centaur. Min. 103
Dictamni Cretici 108
Rutæ 134
Scordii 137
Flor. Sambuci 156
Sem. Ameos 160
Aquilegiæ 162
Bardanæ 164
Cardui Benedicti 165
Baccæ Sambuci 200
Zedoaria 212
Camphora 234
Opium 261
Moſchus 290
Pars II. Acetum 1
. . . . 2
Aqua 19
. . . . 20
. . . . 21

pag.

Pars II. Aqua 77
Balſamum 97
. . . . 101
Electuar. 160
. . . . 182
Emulſio 263
Eſſentia 270
. . . . 302
. . . . 305
. . . . 307
Extractum 319
. . . . 320
. . . . 321
Liquor 373
. . . . 377
Mixtura 407
. . . . 413
Oleum 429
Pulvis 504
. . . . 505
. . . . 506
. . . . 507
. . . . 513
. . . . 514
. . . . 515
. . . . 527
. . . . 533
Roob 584
. . . . 585
Sal 614
Species 621
. . . . 622
Spiritus 677
. . . . 686
. . . . 706
Syrupus 722
. . . . 748
. . . . 749
Tinctura 770
. . . . 771

ALVI OBSTRUCTIO
Pars II. Electuarium 167
Globuli 350
Mel 396
Suppoſitorium 712
. . . . 713
Unguentum 813
. . . . 842
vid. *Cathartica Emollientia*

pag.

ALVI PROFLUVIA
Pars I. Bolus Armena 3
Rad. Hypecacuanhae 66
Rhabarbari 80
Hrb. Plantaginis 130
Nux Moſchata 210
Balſam. de Copaiba 250
Indicum 251
Terra Japonica 266
Rad. Codaga-Pala 309
Cortex Simarubæ 316
Pars II. Aqua 84
Cryſtallus 149
Electuarium 160
Elixir 191
Emplaſtrum 259
. 260
Eſſentia 310
Oleum 448
. 451
Opiata 463
Roob 584
Species 622
Syrupus 729
. 742
. 743
. 751
vide *Adſtringentia Anodyna*
AMAUROSIS vid. *Oculorum morbi*
AMBUSTA
Pars II. Aqua 31
. 84
Emplaſtrum 241
Unguentum 805
. 806
. 807
ANALEPTICA vide *Nervina*
ANGINA
Pars II. Lapis 368
Mel 397
. 399
Nitrum 421
Species 634
. 635
. 658
Syrupus 741
vid. *Catbartica Febres*
ANIMI DELIQUIUM
Pars II. Acetum 3

pag.

Pars II. Acetum 5
Aqua 54
. 70
. 71
Pilulæ 499
Pulvis 503
. 518
vide *Cardiaca*
ANODYNA, ANTISPASMODICA
Pars I. Rad. Cynogloſſæ 58
Pœoniæ 76
Valerianæ Hortenſ. 78
Valerianæ Paluſt. 88
Hrb. Hyoſciami 115
Meliloti 123
Verbaſci 145
Flor. Meliloti 154
Chamomillæ 150
Liliorum Alb. 153
Papaveris Errat. 154
Sambuci 156
Tiliæ 157
Verbaſci 158
Sem. Anethi 161
Fœnugræci 172
Papav. Albi 178
Capita Papaveris 187
Crocus 208
Camphora 234
Opium 261
Caſtoreum 279
Zibethum 301
Pars II. Aqua 23
Balſamum 99
. 111
Emplaſtrum 211
. 238
Emulſio 264
Eſſentia 273
. 274
. 291
Extractum 318
. 324
. 334
Laudanum 370
. 372
Liquor 373
. 374
Lumbrici [illegible]

pag.
Pars II. Oleum 426
. 444
. 447
. 453
. 457
Pilulæ 482
Pulvis 507
. 508
. 512
. 518
Sal 607
Species 622
. 639
Spiritus 706
Syrupus 728
. 730
. 744
Tinctura 774
Unguentum 807
. 808
. 819
. 834
. 839

ANTHELMINTICA
Pars I. Argentum Vivum 24
Muſcus Corallinus 36
Rad. Allii 44
Cepæ 53
Dictamni 59
Filicis 64
Gentian. Maj. 65
Petaſitidis 77
Hrb. Abrotani 90
Abſinthii 90
Cardui Benedicti 102
Centaur. Min. 103
Rutæ 134
Scordii 137
Tanaceti 141
Flor. Perſicariæ 155
Sem. Cinæ 167
Tanaceti 183
Pars II. Aqua 80
Electuarium 175
Eſſentia 267
. 268
. 271
. 305
. 306
Morſuli 418

pag.
Pars II. Paſſulæ 471
Pilulæ 501
Pulvis 575
. 576
Rotulæ 591
. 592
Saccharum 596
Decoctum 637
Syrupus 713
. 753
Tinctura 782
Trochiſci 792
Unguentum 805
. 809

ANTISCORBUTICA
Pars I. Rad. Graminis 65
Lapathi Acuti 69
Raphani Ruſticani 80
Hrb. Acetoſæ 91
Acetoſellæ 91
Beccabungæ 97
Cochleariæ 106
Naſturtii Aquatici 125
Scrophulariæ Min. 137
Sedi 137
Trifollii Fibrin 144
Mala Aurantiorum 214
Citri 217
Cort. Winterani 222
Pars II. Apozema 17
Aqua 26
. 27
. 63
Electuarium 157
Elixir 188
. 200
Eſſentia 276
. 277
. 290
. 303
Extractum 317
Infuſum 357
Mixtura 411
Oleum 428
. 444
. 455
Species 631
. 632
. 643

			pag.
Pars II.	Spiritus		669
	. . . .		670
	. . . .		671
	. . . .		672
	. . . .		681
	Syrupus		716
	Vinum		852
ANTISPASMODICA vid. ANODYNA.			
ANTIMONIALIA			
Pars I.	Antimonium Crudum		24
Pars II.	Antimonium Diaphor.		14
	Morſuli		414
	Regulus		580
	. . . .		581
	Sulphur		711
	Tinctura		743
	. . . .		744
APERIENTIA, ATTENUANTIA.			
Pars I.	Borax		7
	Rad.	Acori Veri	43
		Apii Hortenſis	45
		Aquilegiæ	46
		Ari	46
		Aſparagi	49
		Bruſci	51
		Bryoniæ	51
		Capparis	52
		Cichorii	55
		Curcumæ	57
		Enulæ	62
		Fœniculi	64
		Gentian. Maj.	65
		Graminis	65
		Hirundinariæ	66
		Iridis Florentinæ	68
		Ononidis	75
		Petroſelini	78
		Pimpinellæ Alb.	79
		Polypodii	79
		Rubiæ Tinctorum	82
		Saponariæ	83
		Taraxaci	87
		Urticæ	89
	Hrb.	Arnicæ	95
		Beccabungae	97
		Betonicæ	98
		Ceterach	104
		Cochleariæ	106
		Cuſcutæ	108
Pars I.	Hrb.	Fumariæ	112
		Hyſſopi	116
		Marubii Albi	122
		Naſturtii Aquatici	125
		Saponariæ	135
		Trifolii Fibrin	144
	Flor.	Arnicæ	148
		Cheiri	151
		Sambuci	156
	Baccæ Juniperi		196
	Gummi Ammoniacum		231
		Hederæ	240
		Myrrhæ	243
		Sagapenum	246
	Mel		260
	Tartarus		265
	Aſelli		273
Pars II.	Aqua		69
	Arcanum		90
	. . . .		91
	. . . .		92
	Conſerva		137
	. . . .		139
	Cremor		143
	Elixirium		190
	. . . .		191
	. . . .		202
	Emplaſtrum		223
	. . . .		238
	. . . .		256
	. . . .		258
	Eſſentia		277
	. . . .		295
	Extract.		326
	. . . .		328
	Infuſum		354
	Liquor		380
	. . . .		381
	Lumbrici		388
	Mixtura		411
	Pilulæ		475
	. . . .		477
	. . . .		483
	. . . .		487
	. . . .		492
	. . . .		494
	. . . .		499
	. . . .		501
	Pulvis		543

		pag.
Pars II.	Pulvis	579
	Salia	597
	. . . . . .	600
	. . . . . .	605
	. . . . . .	606
	. . . . . .	610
	. . . . . .	611
	Sapo	617
	Spiritus	672
	. . . . . .	705
	Syrupus	715
	. . . . . .	746
	. . . . . .	749
	Tartarus	757
	. . . . . .	758
	Tinctura	763
	. . . . . .	787
	Unguentum	840
	. . . . . .	841
	vid. *Diuretica*	
	& Mercurialia	
APHTHAE		
Pars II.	Species	658
	Syrupus	720
	. . . . . .	741
	. . . . . .	754
	Trochiſci	798
	vid. *Febres*	
APHRODISIACA		
Pars I.	Rad. Eringii	62
	Satyrii	84
	Hrb. Saturejæ	135
	Sem. Abelmoſch	159
	Nigellæ	178
	Cubebæ	208
	Canthariдes	278
	Scinci marini	296
Pars II.	Aqua	65
	Electuarium	160
	Morſuli	417
	Oleum	459
	Rotulae	590
	Unguentum	846
	vid. *Nervina*	
APOPLEXIA.		
Pars II.	Aqua	27
	. . . . . .	28
	. . . . . .	74
	Balſamum	100

		pag.
Pars II.	Mixtura	409
	Oleum	427
	Trochiſci	793
	vid. *Capitis Morbi Seroſi*	
ARTICULORUM MORBI		
Pars I.	Succinum	41
	Rad. Ariſtologiae	46
	Bardanae	50
	Chinae	54
	Gentianae Maj.	65
	Graminis	65
	Valerianae	78
	Polypodii	79
	Saſſaparillae	83
	Hrb. Beccabungae	97
	Chamaedryos	104
	Chamaepityos	104
	Trifolii Fibrin	144
	Fructus Alkekengi	184
	Cortex Peruvianus	215
	Lign. Saſſafras	229
Pars II.	Apozema	17
	Aqua	63
	. . . . . .	69
	Emplaſtrum	214
	. . . . . .	239
	. . . . . .	256
	Eſſentia	274
	. . . . . .	279
	. . . . . .	280
	Lumbrici Terreſtres	388
	Pulvis	508
	. . . . . .	550
	Species	632
	Spiritus	674
	. . . . . .	675
	. . . . . .	685
	. . . . . .	691
	Unguentum	836
	Vinum	844
	vid. *Sanguinem purificantia.*	
ASTMA		
Pars I.	Rad. Cepae	53
	Pimpinellae Alb.	79
	Scillae	84
	Hrb. Marrubii	122
	Gum. Ammoniacum	231
	Balſam. Orientale Ver.	252
	Aſelli	273

Pars II.

pag.

Pars II. Acetum 6
Aqua 29
. 69
Conſerva 137
Elixir 196
Emulſio 266
Eſſentia 280
Infuſum 354
Kermes 363
Lac 364
Looch 383
. 384
Mel 399
Mixtura 408
Oxymel 467
Pilulae 475
. 498
Pulvis 563
Species 623
Spiritus 676
Sulphur 711
Syrupus 715
. 719
. 749
vid. *Pectoralia & Veſicantia.*

ATONIA VISCERUM ET INDE ORIUNDI MORBI vide *Roborantia & Nervina.*

ATROPHIA
Pars I. Hrb. Hederae arbor. 114
Pars II. Pulvis 509
vid. *Stomachica Aperientia & Roborantia.*

ATROPHIA MEMBRORUM
Pars II. Unguentum 821
. 822
. 825
. 826
. 843
vid. *Nervina*

AUDITUS LAESUS
Pars II. Aqua 19
Eſſentia 268
Oleum 423
. 424
. 452
Pilulæ 498
vid. *Capitis Morbi Seroſi*

BEZOARDICA vid. *Alexipharmaca.*

pag.

CACHEXIA, CHLOROSIS.
Pars I. Rad. Gentian. Maj. 65
Saponariae 83
Hrb. Marrubii Alb. 122
Trifolii Fibrin. 144
Roriſmarin. 133
Zingiber 213
Pars II. Elixir 200
Eſſentia 271
. 275
Opiata 462
Pilulae 475
. 476
Pulvis 516
Syrupus 717
. 723
vid. *Sanguinem Purificantia & Roborantia.*

CALCULUS vid. *Nephritica*

CANCER
Pars II. Aqua 29
Emplaſtrum 229
Opiata 461
vid. *Notam ad Venenata*

CAPITIS MORBI SEROSI, vel PITUITOSI, vid. *Cathartica Veſicantia, Cephalica, Alexipharmaca & Errhina.*

CARDIACA, vid. *Nervina.*

CARDIALGIA, vid. *Acrimonia & Colica.*

CARMINATIVA, STOMACHICA
Pars I. Rad. Acori Veri 43
Angelicae 45
Cyperi 58
Enulae 62
Gentian. Maj. 65
Oſtrutii 75
Hrb. Abrotani 90
Abſinthii 90
Cardui Benedicti 102
Centaur. Minor. 103
Meliſſae 124
Menthae 124
Sem. Anethi 161
Aniſi 161
Carvi 166
Coriandri 168
Dauci 170
Fœniculi 172
Nigellæ 178

pag.

Pars I. Sem. Tanaceti 183
Baccae Juniperi 196
Cardamomum 205
Caryophylli 205
Cinnamomum 207
Galanga 209
Macis 210
Nuces Moſchatae 210
Zedoaria 212
Zingiber 213
Cortex Aurantiorum 214
Citri 217
Winterani 222

Pars II. Aqua 18
. 34
. 35
. 36
. 46
. 67
. 69
. 76
. 84
Balſamum 111
. 113
Electuarium 153
. 169
. 177
. 182
Elixir 191
. 200
. 206
. 207
. 210
Emplaſtrum 223
. 224
. 255
. 259
. 260
Eſſentia 267
. 268
. 271
. 283
. 284
. 290
. 291
. 295
Extract 317
Morſuli 416
. 417

pag.

Pars II. Oleum 431
. 433
. 434
. 445
. 448
. 457
Panis 470
Pilulae 475
. 492
. 496
. 497
Pulvis 519
. 520
. 542
. 570
Rotulae 591
Sal 614
Species 622
. 625
. 626
. 657
Vinum 661
Spiritus 668
. 678
. 683
. 688
. 690
. 699
Syrupus 722
. 726
. 727
. 740
. 755
Tinctura 784
. 785
. 786
Tragea 788
Unguentum 812
. 842
Vinum 849
. 850
vid. *Nervina.*

CATARRHUS

Pars II. Aqua 36
. 37
Bacilli 97
Emplaſtrum 220
. 241
Eſſentia 296

		pag.
Pars II.	Eſſentia	310
	. . . .	311
	Infuſum	355
	Julapium	358
	Pilulae	498
	Pulvis	543
	. . . .	545
	Trochiſci	794
	. . . .	795
	vid. *Pectoralia Veſicantia Cathartica & Alexipharmaca*	

CATARRHUS SUFFOCATIVUS.

Pars II.	Mel	399
	Pilulae	498
	Pulvis	563
	Sulphur	711
	vid. *Aſtma*	

CATHARTICA, LAXANTIA,

Pars I.	Sal Anglicanum: Lax.	9
	Sedlizenſe	10
	Egranum	10
	Rad. Hermodactyli	65
	Ellebori nigri	61
	Jalappae	68
	Iridis Florentinae	68
	Iridis Noſtratis	69
	Rhabarbari Veri	80
	Monachor.	80
	Rhapontici	81
	Fol. Sennae	138
	Flor. Acaciae	147
	Perſicariae	155
	Sem. Carthami	165
	Paſſulae	199
	Tamarindi	202
	Aloë Succotrina	257
	Manna Calabrina	258
	Agaricum Album	267
Pars II.	Confectio	131
	. . . .	132
	Cremor	143
	Electuarium	158
	. . . .	168
	. . . .	177
	Elixir	197
	. . . .	204
	Eſſentia	306
	Extract	337
	Infuſum	357
Pars II.	Kermes	363
	Mercurius	400
	Morſuli	416
	. . . . . .	417
	Paſſulae	471
	Pilulae	477
	. . . . . .	492
	. . . . . .	493
	. . . . . .	499
	Pulpa	502
	. . . . . .	503
	Pulvis	529
	. . . . . .	550
	Reſina	581
	. . . . . .	582
	Roob	583
	. . . . . .	585
	. . . . . .	586
	Sal	605
	. . . . . .	606
	Species	647
	. . . . . .	651
	. . . . . .	662
	Specificum	667
	Syrupus	713
	. . . . . .	724
	. . . . . .	725
	. . . . . .	739
	. . . . . .	745
	. . . . . .	746
	. . . . . .	747
	. . . . . .	749
	. . . . . .	754
	Tartarus	757
	Unguentum	805

CEPHALALGIA,

Pars II.	Aqua	38
	Ceratum	119
	Emplaſtrum	216
	. . . . . .	241
	Unguentum	817
	vid. *Capitis Morbi Seroſi & Stomachica.*	

CEPHALICA, vid. *Nervina.*

CHALYBEATA.

Pars I.	Limatura Chalybis	28
Pars II.	Acetum	3
	Antimonium Martiale	14
	Chalybs	121

		pag.
Pars II.	Chalybs	122
	Crocus	143
	. . . .	144
	. . . .	145
	. . . .	146
	. . . .	147
	Electuarium	159
	Eſſentia	315
	Extractum	330
	Magiſterium	390
	Saccharum	593
	Pulvis	525
	. . . .	526
	. . . .	550
	Sal	598
	Tartarus	756
	Tinctura	777
	. . . .	778
	. . . .	779
	. . . .	780
	Vinum	849
	. . . .	850
	. . . .	852
	Vitriolum	853

CHLOROSIS vid. CACHEXIA

CHOREA ST. VITI vid. *Cephalica Epilepſia.*

COLICA FLATULENTA.

Pars I.	Rad. Oſtrutii	75
	Hrb. Cerefolii	104
	Flor. Chamomillæ	150
	Sem. Carvi	166
	Nigellæ	178
	Crocus	208
	Balſam. Montis Bennæ	250
	Oleum Cajeput	307
Pars II.	Balſamum	111
	Eſſentia	271
	Mixtura	410
	Oleum	428
	. . . .	434
	. . . .	445
	. . . .	478
	Pulvis	526
	. . . .	527
	Species	622
	Spiritus	669
	. . . .	681
	. . . .	682
	. . . .	692

		pag.
Pars II.	Spiritus	693
	Syrupus	724
	Unguentum	814
	. . . .	825

vid. *Carminativa & Cathartica Lenia.*

COLICA EX ACRIMONIA BILIOSA ACIDA.

Pars II.	Pulvis	509
	. . . .	572

vid. *Acrimonia & Cathartica Lenia.*

COLICA SPASMODICA.

Pars II.	Oleum	425

vid. *Anodyna.*

CONTUSIONES

Pars II.	Aqua	60
	. . . .	84
	Balſamum	105
	Emplaſtrum	223
	Oleum	431
	. . . .	440
	. . . .	455
	. . . .	460

CONVULSIONES vid. *Epilepſia*

CORDIS PALPITATIO.

Pars II.	Aqua	54

vid. *Anodyna, Nervina, & Refrigerantia.*

COSMETICA

Pars II.	Aqua	76
	Balſamum	102
	Eſſentia	281
	Pulvis	530
	. . . .	531
	Sapo	617
	Unguentum	832
	. . . .	833

CUTANEI AFFECTUS vid. *Scabies*

DEBILITAS CAPITIS MEMORIAE

Pars II.	Pulvis	548

vid. *Capitis Morbi Seroſi*

DEMULCENTIA vid. *Emollientia.*

DENTIUM, GINGIVARUM MORBI

Pars II.	Balſamum	103
	Electuarium	159
	. . . .	165
	Pulvis	531
	. . . .	532

pag.
Pars II. Spiritus 693
Tinctura 774
. . . . 776
DIABETES
Pars I. Rad. Rhabarbari 80
Pars II. Unguentum 813
vid. *Emetica*, *Cathartica Lenia*, *& Roborantia*.
DIAPHORETICA, vid. *Alexipharmaca*.
DIARRHOEA, vid. *Alvi Profluvia*.
DIGESTIO LAESA, vid. *Cathartica & Stomachica*.
DIGESTIVA
Pars II. Morſuli 418
Pulvis 533
. . . . 548
Tartarus 758
DISCUTIENTIA.
Pars I. Rad. Enulæ 62
Hirundinariæ 66
Flor. Arnicæ 148
Sambuci 156
Pars II. Emplaſtrum 218
. . . . 223
. . . . 228
. . . . 230
. . . . 235
. . . . 238
. . . . 243
. . . . 244
Oleum 430
. . . . 455
Spiritus 703
. . . . 708
Unguentum 808
. . . . 811
. . . . 816
. . . . 821
DIURETICA.
Pars I. Nitrum 8
Succinum 41
Rad. Allii 44
Aquilegiæ 46
Ari 46
Aſparagi 49
Bruſci 51
Cepæ 53
Eringii 62
Graminis 65

pag.
Pars I. Rad. Hirundinariæ 66
Iridis Florentinæ 68
Leviſtici 69
Ononidis 75
Oſtrutii 75
Pareiræ Bravæ 76
Petroſelini 78
Phu Pontici 78
Pimpinellæ alb. 79
Scillæ 84
Taraxaci 87
Valerianæ Paluſtr. 88
Urticæ 89
Hrb. Adianti Albi & Nigri 92
Cerefolii 104
Cochleariæ 106
Veronicæ 146
Sem. Bardanæ 164
Erucæ 171
Petroſelini Vulg. 179
Sinapi 182
Cynosbati 192
Baccæ Juniperi 196
Baccæ Sambuci 200
Aſelli 213
Terebinthina Veneta 253
Pars II. Aqua 63
. . . . 74
Eſſentia 292
. . . . 296
Julapium 359
Liquor 377
Lumbrici Terreſtr. 388
Mixtura 411
Oleum 458
Pilulæ 500
Rotulæ 588
Salia 597
. . . . 600
. . . . 605
. . . . 606
. . . . 610
Spiritus 686
. . . . 705
Tinctura 787
Vinum 850
vid. *Antimonialia*.
DOLOR, vid. *Anodyna*
DOLOR A PARTU

pag.
Pars II. Mixtura 407
Oleum 425
Rotulæ 588
Species 612
DRASTICA
Pars I. Rad. Aſari 48
Bryon 51
Cucumeris ſylveſtr. 57
Cyclaminis 58
Ebuli 60
Ellebori Albi 60
Eſulæ 63
Turbith 88
Herb. Digitalis Purp. 108
Eupatorii 110
Gratiolæ 113
Soldanellæ 141
Sem. Atriplicis 163
Cataputiæ 166
Cocognidii 168
Staphidis Agriæ 182
Colocynthis 190
Grana Tiglia 194
Cortex Cocognidii 218
Euphorbium 237
Gummi Gutta 239
Scammonium 264
Pars II. Antimonium Diaphoreticum Vetus 14
Pulvis Cornachin. diutius Servatus 529
Sapa 616
Tartarus 758
Trochiſci 791
Turpethum 803
Vitrum 845
Mel 396
Mercurius 405
Aurum fulminans 93
Crocus 147
Diagrydium 150
Elaterium 151
DYSENTERIA
Pars I. Rad. Contrayervæ 56
Hypecacuanhæ 66
Rhabarbari 80
Cortex Simarubæ 316
Pars II. Aqua 49
Cera 119

pag.
Pars II. Julapium 358
Pulvis 533
. . . . 534
. . . . 562
. . . . 571
Tragea 789
vid. *Alvi Profluvia.*
DYSURIA vid. *Urinæ Difficultas.*
EMETICA
Pars I. Rad. Hypecacuanhæ 66
Scillæ 84
Pars II. Syrupus 732
Tartarus 756
EMMENAGOGA.
Pars I. Borax 7
Rad. Ariſtologiæ 47
Bruſci 51
Ellebori Nigri 61
Hrb. Origani 128
Sabinæ 134
Flor. Chamomillæ 150
Sem. Nigellæ 178
Baccæ Lauri 196
Galanga 209
Zedoaria 212
Gum. Sagapenum 246
Aloë Succotrina 257
Crocus 208
Pars II. Aqua 30
. . . . 69
Eſſentia 300
Extractum 327
Oleum 455
. . . . 458
Pilulæ 475
. . . . 476
Species 649
. . . . 654
Spiritus 684
Syrupus 717
Tinctura 774
. . . . 786
Tragea 788
Trochiſci 797
. . . . 798
vid. *Uterina, Aperientia, Martialia.*
EMOLLIENTIA, DEMULCENTIA

		pag.
Pars I.	Rad. Altheæ	44
	Liquiritiæ	70
	Hrb. Altheæ	94
	Brancæ Urſinæ	100
	Malvæ	122
	Meliloti	123
	Mercurialis	124
	Parietariæ	128
	Verbaſci	145
	Flor. Liliorum alb.	153
	Malvæ	154
	Meliloti	154
	Sambuci	156
	Verbaſci	158
	Sem. Fœnugræci	172
	Hordei	173
	Lini	176
	Pſyllii	180
	Amygdalæ	185
	Caricæ	187
	Dactyli	192
	Jujubæ	195
	Sebeſtenæ	200
	Siliqua dulcis	201
	Gum. Arabicum	232
	Ceraſſorum	236
	Galbanum	238
	Senegal	248
	Tragacantha	249
	Sperma Ceti	281
	Axungiæ	302
	. . . .	303
	. . . .	304
	Sagu	314
Pars II.	Looch	385
	Mucilago	419
	Oleum	425
	. . . .	438
	. . . .	446
	Paſta	472
	Pulvis	548
	Saccharum	593
	Species	655
	Syrupus	730
	. . . .	744
	Unguentum	806
	. . . .	819

EPILEPSIA

Pars I.	Ambra	35

		pag.
Pars I.	Rad. Filipendulæ	64
	Pœoniæ	76
	Valerianæ Hortenſ.	78
	Valerian. Paluſtris	88
	Hrb. Anagallidis	94
	Botryos	99
	Galegæ	112
	Rutæ	134
	Flor. Tiliæ	157
	Camphora	234
	Moſchus	290
	Viſcus Quernus	230
Pars II.	Aqua	53
	. . . .	54
	. . . .	74
	Balſamum	100
	Emplaſtrum	222
	Eſſentia	314
	Juſculum	362
	Mixtura	411
	. . . .	412
	Oleum	425
	. . . .	436
	Pulvis	535
	. . . .	536
	. . . .	537
	. . . .	538
	. . . .	539
	. . . .	540
	. . . .	541
	Sal	608
	Spiritus	679
	. . . .	685
	Syrupus	715
	. . . .	744
	Vinum	850
	vid. *Capitis Morbi Seroſi & Anodyna.*	

ERRHINA

Pars I.	Rad. Betæ Rubræ	50
	Ellebori Albi	60
	Hrb. Majoranæ	121
	Nicotianæ	126
	Ptarmicæ Vulgaris	132
	Hippocaſtanum	195
	Sem. Nigellæ	173
Pars II.	Pulvis	564
	. . . .	565
	. . . .	566

		pag.
Pars II.	Pulvis	567
	. . . .	568
	. . . .	569
ERYSIPELAS		
Pars II.	Pulvis	542
EXPECTORANTIA, vid. *Pectoralia.*		
FEBRIS CONTINUA, MALIGNA, PESTILENTIALIS		
Pars I.	Nitrum	8
	Rad. Acetoſæ	43
	Contrayervæ	56
	Mungos	72
	Serpentariæ Virg.	86
	Hrb. Acetoſæ	91
	Scordii	137
	Flor. Sambuci	156
	Sem. Aquilegiæ	162
	Mala Citri	217
	Cort. Peruvianus	215
	Camphora	234
Pars II.	Acetum	1
	. . . .	2
	Clyſſus	13
	Antimonium Diaphor.	14
	Electuarium	156
	Emplaſtrum	260
	Emulſio	263
	. . . .	264
	Infuſum	354
	Julapium	360
	Mixtura	407
	Oxymel	467
	Pulpa	503
	Pulvis	511
	Solutio	620
	. . . .	621
	Species	630
	Syrupus	714
	. . . .	716
	. . . .	719
	. . . .	723
	. . . .	725
	. . . .	726
	. . . .	748
	vid. *Refrigerantia, Alexipharmaca, Veſicantia, Emetica, & Cathartica.*	
FEBRIS INTERMITTENS		
Pars I.	Sal Ammoniacum	9
	Rad. Gentianæ Maj.	65
	Imperatoriæ	75
	Gentianæ Indicæ	310
	Hrb. Cardui Benedicti	102
	Centauri Minoris	103
	Flor. Chamomillæ	150
	Cortex Caſcarillæ	214
	Chinæ	215
Pars II.	Aqua	19
	Electuarium	154
	. . . .	155
	. . . .	156
	Elixirium	186
	. . . .	187
	Eſſentia	279
	. . . .	288
	. . . .	290
	. . . .	295
	Extractum	317
	. . . .	328
	Julapium	358
	Kermes	363
	Mixtura	413
	Oleum	425
	. . . .	434
	Opiata	462
	. . . .	463
	Pilulæ	484
	. . . .	498
	Pulvis	510
	. . . .	511
	Sal	603
	. . . .	604
	Species	633
	Syrupus	722
	. . . .	724
	. . . .	738
	Tinctura	786
	vid. *Digeſtiva, Emetica & Cathartica.*	
FLATUS vid. *Carminativa.*		
FLUOR ALBUS		
Pars I.	Rad. Filipendulæ	64
	Hrb. Roriſmarini	133
	Urticæ mortuæ cum Floribus	147
	Sem. Ameos	160
	Lignum Saſſafras	229
Pars II.	Aqua	58

pag.
Pars II. Eſſentia 271
. . . . 300
Infuſum 355
Pilulæ 500
Pulvis 543
Syrupus 723
Vinum 852
vid. *Sanguinem Purificantia Lues Venerea & Roborantia.*

GANGRAENA, vid. *Sphacelum*

GONORRHAEA
Pars I. Hrb. Hepaticæ nobilis 115
Sem. Rutæ 180
Balſ. de Copaiba 250
Indicum Alb. & Nigr. 251
Terebinthina Veneta 253
Pars II. Aqua 29
. 58
Mixtura 410
Oleum 459
Pilulae 485
. . . . 486
. . . . 500
Pulvis 543
Spiritus 676
. . . . 706
Syrupus 734
vid. *Sanguinem Purificantia, Lues Venerea & Roborantia.*

GUTTA SERENA, vid. *Oculorum Morbi.*

HAEMOPTOE
Pars I. Rad. Urticæ 89
Hrb. Hederæ terreſtris 114
Hepaticæ nobilis 115
Pulmonariæ 133
Pars II. Mixtura 406
Pulvis 545
Rotulæ 589
Decoctum 637
Syrupus 720
Trochiſci 801

HAEMORRHAGIAE
Pars I. Bolus Armena 3
Hrb. Burſæ Paſtoris 101
Millefolii 124
Urticæ Urentis 147
Terra Japonica 266

pag.
Pars I. Boviſta 268
Pars II. Aqua 86
. . . . 87
Eſſentia 310
Mixtura 413
Pulvis 563
Syrupus 751
Trochiſci 794
. . . . 795
vid. *Anodyna, Refrigerantia & Adſtringentia.*

HAEMORRHOIDALIA
Pars I. Rad. Chelidonii Min. 54
Millefolii 124
Hirudines 286
Pars II. Eſſentia 299
Oleum 438
. . . . 449
. . . . 452
. . . . 459
Unguentum 818
. . . . 819
. . . . 834
. . . . 844

HEPATIS OBSTRUCTIO
Pars I. Rad. Rhabarbari 80
Rhapontici 81
Hrb. Agrimoniæ 92
Centauri Minoris 103
Chelidonii 105
Taraxaci 141
Pars II. Apozema 17
Aqua 52
Eſſentia 271
Pilulæ 483
Species 636
Syrupus 746
. . . . 749
Unguentum 814
. . . . 840
. . . . 841
vid. *Aperientia, Roborantia, & Lienis Obſtructio.*

HERNIA
Pars I. Hrb. Craſſulæ 107
Cruciatæ 107
Herniariæ 115
Pars II. Apozema 17
Emplaſtrum 237

pag.

Pars II. Species 637
. . . . 658
vid. *Mercurialia & Antimonialia.*

LUMBAGO, vid. *Articulorum Morbi*

LUXATIONES

Pars II. Emplaſtrum 228
. . . . 235
. . . . 250
. . . . 254
. . . . 255

MAMMARUM AFFECTUS

Pars I. Hrb. Alceæ 93
Geranii Robertiani 113
Pars II. Emplaſtrum 241
. . . . 257
Oleum 433
. . . . 449
. . . . 452
Unguentum 806
. . . . 808
. . . . 820
. . . . 834
. . . . 844

MANIA, MELANCHOLIA,

Pars I. Rad. Ellebori Nigri 61
Polypodii 79
Hrb. Anagallidis 94
Borraginis 99
Camphora 234
Pars II. Apozema 17
vid. *Hypochondriacus Morbus, & Capitis Morbi Seroſi.*

MARTIALIA, vid. *Chalybeata.*

MATURANTIA, SUPPURATIONEM PROMOVENTIA.

Pars II. Emplaſtrum 211
. . . . 226
. . . . 242
. . . . 246
Unguentum 810
. . . . 811
. . . . 815
. . . . 822
. . . . 842

MENSIUM OBSTRUCTIO vid. *Emenagoga.*

MERCURIALIA.

Pars I. Argentum Vivum 24
Pars II. Mercurius 399

pag.

Pars II. Mercurius 400
. . . . 402
Panacea 470
Pilulæ 490
Pulvis 561
Unguentum 824
. . . . 825

MICTUS CRUENTUS

Pars I. Hrb. Hederæ Terreſtr. 114
Hepaticæ Nobil. 115
Urticæ Urentis 147
Equiſeti 110
Pars II. Emplaſtrum 244
vid. *Hæmorrhagia.*

MORBILLI, vid. *Febres*

NAUSEA, vid. *Vomitus*

NEPHRITICA

Pars I. Rad. Filipendulæ 64
Ononidis 75
Pareiræ Bravæ 76
Polypodii 79
Hrb. Ceterach 104
Parietariæ 128
Saxifragiæ 136
Sem. Alkekengi, cum Fructu 159
Apii 162
Amygdalæ Amaræ 185
Balſamum Orientale 252
Succus Liquiritiæ 258
Aſelli 273
Pars II. Apozema 17
Aqua 23
. . . . 24
. . . . 31
. . . . 63
. . . . 65
. . . . 75
Balſamum 109
Conſerva 137
Eſſentia 296
. . . . 302
Extractum 322
. . . . 332
Looch 387
Mixtura 410
Oleum 425
. . . . 438
. . . . 446
Pulvis 516

pag.
Pars II. Pulvis 517
. 552
. 553
Roob 584
Sapo 617
Species 631
. 632
Syrupus 715
. 736
Unguentum 806
. 834
vid. *Diuretica Emollientia Anodyna.*

NERVINA, ANALEPTICA, CEPHALICA, CORDIALIA
Pars I. Ambra 35
Succinum 41
Rad. Contrayervæ 56
Hrb. Baſilici 96
Majoranæ 121
Mari Veri 122
Meliſſæ 124
Menthæ Criſpæ 124
Rorismarini 133
Rutæ 134
Salviæ 135
Serpilli 139
Flor. Anthos 148
Aurantiorum 148
Calendulæ 150
Chamomillæ 150
Lavendulæ 153
Liliorum Convall. 153
Primulæ Veris 155
Roſarum 155
Tiliæ 157
Tunicæ 158
Violarum 158
Vainiglia 203
Cardamomum 205
Caryophylli 205
Cinnamomum 207
Crocus 208
Cubebæ 208
Pars II. Acetum 1
. 2
Aqua 33
. 37
. 38

pag.
Pars II. Aqua 39
. 40
. 41
. 43
. 44
. 45
. 64
. 67
. 68
. 69
. 70
Balſamum 101
. 102
. 103
. 107
. 108
. 113
Confectio 130
. 131
. 133
Elæoſaccharum 152
Electuarium 168
Elixir 192
Emplaſtrum 221
. 247
Emulſio 264
Eſſentia 272
. 283
. 298
. 310
Extractum 324
Julapium 358
Mel 395
Oleum 428
. 430
. 445
. 450
Pilulæ 480
. 498
Pomum 502
Pulvis 517
. 518
. 519
. 521
. 522
. 523
. 524
. 528
Rotulæ 587

		pag.
Pars II.	Rotulæ	588
	Saccharum	592
	Sal	608
	. . . . . .	610
	. . . . . .	614
	Species	624
	. . . . . .	626
	. . . . . .	627
	. . . . . .	628
	. . . . . .	629
	. . . . . .	630
	. . . . . .	638
	. . . . . .	655
	. . . . . .	656
	. . . . . .	657
	Spiritus	668
	. . . . . .	673
	. . . . . .	680
	. . . . . .	690
	. . . . . .	692
	. . . . . .	700
	Syrupus	716
	. . . . . .	725
	. . . . . .	736
	. . . . . .	748
	. . . . . .	753
	Unguentum	814
	. . . . . .	825
	. . . . . .	826
	Vinum	851

OBSTRUCTIO GLANDULARUM, vid. *Aperientia*, *Diſcutientia*, & *Mercurialia.*

OCULORUM MORBI

		pag.
Pars I.	Rad. Valerian. Hortenſ.	78
	. . Paluſtris	88
	Hrb. Dipſaci	108
	Euphraſiæ	110
	Flor. Calcatrippæ	149
	Calendulæ	150
	Cyani	151
	Roſarum	155
	Sambuci	156
	Sem. Fœniculi	172
	Fungus Sambuci	268
	Aſelli	273
Pars II.	Aqua	71
	. . . . . .	72
	. . . . . .	73
Pars II.	Collyrium	125
	. . . . . .	126
	Emplaſtrum	241
	Flores	348
	Pilulæ	498
	Pulvis	542
	. . . . . .	553
	Sief	620
	Spiritus	685
	Syrupus	743
	Tragea	789
	Unguentum	827
	. . . . . .	828
	vid. *Capitis Morbi Seroſi.*	

ODONTALGIA

		pag.
Pars I.	Rad. Pyrethri	80
	Hrb. Anſerinæ	94
	Alkekengi	184
Pars II.	Balſamum	108
	Emplaſtrum	230
	. . . . . .	241
	Oleum	430
	. . . . . .	436
	Spiritus	694
	Tinctura	781
	vid. *Capitis Morbi Seroſi.*	

OPIATA vid. *Anodyna.*

OPHTHALMIA vid. *Oculorum Morbi.*

ORIS FOETOR

		pag.
Pars II.	Electuarium	159
	Trochiſci	796
	. . . . . .	800

OTALGIA

		pag.
Pars II.	Balſamum	108
	Oleum	452
	Spiritus	694

OZOENA

		pag.
Pars II.	Species	639
	vid. *Lues Venerea.*	

PARALYSIS

		pag.
Pars II.	Aqua	25
	. . . . . .	74
	Balſamum	100
	. . . . . .	108
	Liquor	375
	Oleum	432
	. . . . . .	437
	. . . . . .	450

			pag.
Pars II.	Oleum		458
	Spiritus		675
	. . .		683
	. . .		684
	. . .		685. 686
	. . .		695
	. . .		705
	Unguentum		821
	. . .		822
	. . .		825
	. . .		826
	. . .		837
	vid. *Capitis Morbi Seroſi.*		
PARTUM PROMOVENTIA			
Pars I.	Borax		7
	Rad.	Oſtrutii	75
	Hrb.	Dictamni Cret. Ver.	108
	Sem.	Lavendulæ	175
Pars II.	Aqua		76
	Pilulae		492
	. . .		493
	Pulvis		534
	. . .		554
	. . .		555
PECTORALIA			
Pars I.	Rad.	Altheæ	44
		Enulæ	61
		Liquiritiæ	70
		Polypodii	79
	Herb.	Adianti Albi	
		. . . Nigri	92
		Bellidis Minor.	98
		Botryos	99
		Farfaræ	111
		Hederæ Terreſtr.	114
		Malvæ	122
		Scabioſæ	136
		Scordii	137
		Taraxaci	141
		Verbaſci	145
		Veronicæ	146
	Flor.	Bellidis	149
		Farfaræ	152
		Papaveris Erratici	154
		Sambuci	156
		Verbaſci	158
	Sem.	Lini	176
		Nigellæ	178
	Caricæ		187

			pag.
Pars I.	Jujubæ		195
	Balſamum Indicum		251
	Suc. Liquiritiæ		258
	Mel		260
	Sperma Ceti		281
Pars II.	Aqua		65
	. . .		69
	. . .		80
	Balſamum		109
	Elixir		194
	. . .		195
	. . .		196
	Emplaſtrum		251
	Extractum		335
	Flores		347
	Looch		383
	. . .		385
	Mel		397
	. . .		398
	. . .		399
	Oleum		425
	. . .		438
	. . .		446
	Oxymel		467
	Pulvis		562
	Rotulæ		588
	Species		625
	. . .		633
	. . .		640
	. . .		664
	Syrupus		721
	. . .		732
	. . .		733
	. . .		735
	. . .		736
	. . .		737
	. . .		754
	Unguentum		828
	. . .		829
PHTHISIS			
Pars I.	Rad.	Cichorii	55
		Graminis	65
	Hrb.	Bellidis Min.	98
		Braſſicæ	100
		Farfaræ	111
		Marrubii Alb.	121
		Millefolii	124
		Pulmonariæ	133
		Scabioſæ	136

		pag.
Pars I.	Flor. Bellidis Min.	149
	Cort. Peruvianus	215
	Sagu	314
Pars II.	Aqua	29
	. . . .	69
	. . . .	82
	Balſamum	109
	. . . .	111
	Confectio	137
	Electuarium	174
	. . . .	176
	Extractum	330
	Infuſum	357
	Liquor	378
	Looch	384
	Pilulae	478
	Rotulae	591
	Species	623
	Syrupus	736
	. . . .	751
	vid. *Pectoralia.*	
PLEURITIS. PERIPNEUMONIA		
Pars I.	Hrb. Verbaſci	145
	Flor. Sambuci	156
	Sem. Cardui Benedicti	
	. . Mariæ	165
	Lini	176
	Rad. Seneka	313
Pars II.	Emulſio	264
	. . . .	265
	Mixtura	408
	. . . .	409
	Oleum	425
	. . . .	438
	. . . .	446
	Oxymel	467
	Pulvis	557
	Species	623
	. . . . . .	640
	. . . . . .	641
	Syrupus	744
	Unguentum	806
	. . . .	829
	. . . .	830
	. . . .	831
	vid. *Febres*	
PLICA POLONICA.		
Pars I.	Muſcus Terreſtr.	270
POLYCHRESTA.		
Pars I.	Rad. Enulæ	62
	Rhabarbari	80
	Hrb. Betonicæ	98
	Cardui Benedict.	102
	Centaur. Minor.	103
	Hederæ Terreſtris	114
	Veronicæ	146
	Flor. Chamomillæ	150
	Cortex Chinæ	215
	Balſamum Orientale Verum	252
PRIMARUM VIARUM SORDES, vid. *Cathartica.*		
PROLAPSUS		
Pars II.	Emplaſtrum	244
PURGANTIA vid. *Cathartica.*		
RABIES CANINA, vid. *Hydrophobia.*		
RACHITIS		
Pars I.	Rad. Rhabarbari	80
	Rubiæ Tinctor.	82
	Saſſaparillæ	83
	Hrb. Adianti Albi	92
Pars II.	Species	642
	. . . .	643
	vid. *Atrophia.*	
RANULA LINGUAE		
Pars II.	Unguentum	834
RAUCEDO		
Pars II.	Infuſum	334
	Syrupus	732
	. . . .	747
	Trochiſci	795
REFRIGERANTIA		
Pars I.	Nitrum	8
	Rad. Acetoſæ	43
	Hrb. Acetoſæ & Acetoſellæ	91
	Bellidis Min.	98
	Borraginis	99
	Endiviæ	109
	Flor. Bellidis Min.	149
	Sem. Avenæ	163
	Citrulli	167
	Cucumeris	169
	Cucurbitæ	169
	Cydoniorum	169
	Hordei	173
	Lactucæ	175
	Melonum	177
	Portulacæ	180

		pag.
Pars I.	Amygdalæ	185
	Berberes Exſiccatæ	186
	Ceraſa Acida	189
	Cydonia	191
	Baccæ Groſſulariæ	195
	Paſſulae Minores	199
	Tamarindi	202
Pars II.	Clyſſus	13
	Cremor	143
	Emulſio	264
	. . . . . .	267
	Julapium	357
	Nitrum	420
	. . . . . .	421
	Pulvis	512
	. . . . . .	546
	. . . . . .	558
	. . . . . 571.	572
	Roob	583
	Sal	607
	Spiritus	704
	. . . . . .	710
	Syrupus	716
	. . . . . .	747
	Tinctura	768
	Trochiſci	796

RHEUMATISMUS, vid. *Articulorum Morbi.*

ROBORANTIA.

Pars I.	Rad. Gentian. Maj.	65
	Rhabarbari Veri & Monachorum	80
	Rhapontici	81
	Rubiæ Tinctor	82
	Hrb. Millefolii	124
	Veronicæ	146
	Cydonia	191
	Grana Kermes	193
	Nuces Moſchatæ	210
	Cortex Aurantiorum	214
	Caſcarillæ	214
	Chinæ	215
	Gum. Maſtichis	242
	Olibanum	243
Pars II.	Balſamum	113
	Conditum	128
	Emplaſtrum	255
	Eſſentia	288
	. . . . . .	290
	. . . . . .	291
Pars II.	Eſſentia	295
	. . . . . .	298
	Extractum	327
	Mixtura	414
	Oleum	449
	. . . . . .	451
	Pulvis	515
	. . . . . .	525
	. . . . . .	526
	Syrupus	729
	. . . . . .	736
	. . . . . .	740
	Unguentum	813
	vid. *Nervina & Chalybeata.*	

SANGUINEM PURIFICANTIA.

Pars I.	Succinum	41
	Rad. Bardanæ	50
	Chinæ	54
	Liquiritiæ	70
	Saponariæ	83
	Saſſaparillæ	83
	Urticæ	89
	Hrb. Fumariæ	112
	Juniperi	117
	Naſturtii Aquatici	125
	Cort. Guajaci	220
	Saſſafras	221
	Lign. Guajaci	225
	Juniperi	226
	Sanctum	228
	Saſſafras	229
Pars II.	Eſſentia	296
	. . . . . .	297
	. . . . . .	302
	Extractum	329
	Kermes	363
	Pulvis	561
	Sulphur	711
	Tinctura	786
	vid. *Antiſcorbutica Antimonialia & Mercurialia.*	

SCABIES LEPRA

Pars I.	Antimonium Crudum	24
	Rad. Lapathi Acuti	69
	Hrb. Centaur. Min.	103
	Fumariæ	112
	Lign. Saſſafras	229
	Terebinthina	254

pag.
Pars II. Aqua 59
. 68
Eſſentia 296
. 297
Flores 347
Pulvis 561
Sapo 619
Species 637
Sulphur 711
Syrupus 734
Unguentum 808
. 809
. 811
. 816
. 826
. 830
. 832
. 833
. 838
vid. *Sanguinem Purificantia.*
SCORBUTUS, vid. *Antiſcorbutica.*
SERI, LYMPHAE VITIA, vide *Sanguinem Purificantia.*
SICCANTIA
Pars I. Ceruſſa 27 & 28
Nihilum Album 31
Pars II. Emplaſtrum 211
. 227
. 229
. 237
Tutia 804
Unguentum 804
. 805
. 815
. 823
. 833
SINGULTUS
Pars I. Sem. Rutæ 180
Pars II. Aqua 66
. 68
Balſamum 111
Eſſentia 283
vid. *Carminativa, Anodyna, & Veſicantia.*
SITIS FEBRILIS
Pars II. Julapium 357
. 360
Morſuli 418
Rotulæ 587

pag.
Pars II. Rotulæ 591
Trochiſci 796
. 799
SODA
Pars II. Morſuli 415
Trochiſci 792
vid. *Acrimonia.*
SOPOROSI AFFECTUS
Pars II. Aqua 74
Suppoſitorium 712
vid. *Apoplexia.*
SPHACELUS
Pars I. Sal Ammoniacum 9
Rad. Serpentariæ Virg. 86
Hrb. Alliariæ 97
Scordii 137
Flor. Chamomillæ 150
Cort. Chinæ 215
Gum. Myrrhæ 243
Pars II. Aqua 84
. 87
Liquor 377
. 378
Sal 597
Species 634
. 638
Unguentum 804
vid. *Febris Maligna.*
STANGNATIO SANGUINIS EX LAPSU
Pars I. Rad. Arnicæ 47
Filipendulæ 64
Hrb. Arnicæ 95
Flor. Arnicæ 148
Pars II. Pulvis 521
Syrupus 719
Unguentum 836
. 845
STOMACACE, vid. *Antiſcorbutica Dentium, Gingivarum Vitia.*
STOMACHICA, vid. *Carminativa.*
STRANGURIA, vid. *Urinæ Difficultas.*
STRUMAE
Pars I. Spongiarum Lapis 19
Spongia Marina 38
Hrb. Urticæ Urentis 147
Pars II. Aqua 29
. 69
Emplaſtrum 229
Pulvis 570

pag.
Pars II. Sal 608
Unguentum 827
SUDORIFERA, vid. *Alexipharmaca.*
SYNCOPE, vid. *Animi Deliquium.*
TENESMUS
Pars II. Unguentum 844
TINEA, vid. *Scabies.*
TRAUMATICA. vid. *Vulneraria.*
TUMORES, vid. *Diſcutientia, Emollientia & Maturantia*
TUSSIS HUMIDA
Pars II. Acetum 6
Aqua 29
Species 625
Syrupus 715
. 743
vid. *Pectoralia, Incidentia.*
TUSSIS ACRIS SICCA
Pars II. Electuarium 176
Pilulæ 482
. 498
Pulvis 573
Roob 584
Rotulæ 590
Species 653
Syrupus 715
. 719
. 730
. 744
Trochiſci 793
. 794

pag.
Pars II. Unguentum 839
vid. *Pectoralia, Demulcentia.*
TUSSIS FERINA, CONVULSIVA, CLANGOSA.
Pars I. Muſcus Arboreus 269
Pyxidatus 270
Pars II. Aqua 65
Conſerva 137
Eſſentia 298
Liquor 378
Species 623
Syrupus 741
VARIOLAE, vid. *Febres.*
VENENATA
Pars I. Arſenicum 25
Auripigmentum 26
Cadmia Nativa 27
Pars I. Rad. Colchici Venenat. 55
Mandragoræ 70
Fol. Lauro Ceraſi 118
Sem. Daturæ 170
Hyoſcyami 173
Faba S. Ignatii 192
Nuces Vomicæ 198
Baccæ Paridis 199
Hrb. Belladonnæ 97
Solani 140
Hyoſcyami 115
(*) Cicutæ 510
VERMES, vid. *Anthelmintica.*

(*) *Recenſita in numerum* Venenorum, *referenda eſſe, in ſubſtantia ſaltim & largiori manu propinata, vim veneni exſerere permulti teſtes non leves teſtantur. Quorundam vero ſucci inſpiſſati potius ad pocula ſalutis quam ad pocula mortis noſtro ævo adhibentur. immo inter ſaluberrima eaque efficaciſſima remedia militant, quæ innumeris ægrotis, deſperatiſſimis inveteratis, & ad quævis rebellibus morbis: cancro, ulceribus, ſcirrhis, tumoribus fere lapideis, amauroſi, cataracta, obſtructione viſcerum, epilepſia, mania, arthritide &c. miſerrime decumbentibus, & cruciatu dolorum confectis ſolatio fuerunt, eosque ex orci faucibus eripuerunt. Evolvant increduli Celeberr. & Excell. D. Archiatri* Stœrck, *Libellos de Cicuta, de Hyoſciamo, de Stramonio & de Aconito, ejus veſtigia premant & mecum læte convicti Heroi noſtro, tanta inventione non ſatis laudando, grato animo, aras conſecrabunt.*

Miror equidem quod illi, qui Mercurium ſublimatum, ceu acerrimum toxicorum, audacter in auxilium vocant, ab innocenti & miti Cicutæ Extracto abhorreant idque nigro carbone notent. KAEMPF.

pag.

VERTIGO

Pars I. Hrb. Chamæpytios 104

Flor. Tiliæ 157

Cubebæ 208

Galanga 209

Pars II. Aqua 80

Balſamum 113

Ceratum 119

Pulvis 577

vid. *Capitis Morbi Seroſi*

VESICANTIA, RUBEFACIENTIA

Pars II. Emplaſtrum 233

. . . . 241

. . . . 253

. . . . 260

. . . . 263

VISCERUM OPILATIO, vide *Aperientia.*

ULCERA

Pars I. Rad. Petaſitidis 77

Hrb. Cardui Benedicti 102

Centaur. Minor. 103

Boni Henrici 99

Sabinæ 134

Balſ. de Copaiba 250

Indicum Album

Nigrum 251

Terebinthina Veneta 253

Mel 260

Pars II. Acetum 5

Aqua 31

. . . . 75

. . . . 81

Balſamum 98

. . . . 111

Emplaſtrum 237

. . . . 248

. . . . 257

. . . . 258

Eſſentia 295

. . . . 300

Lapis 367

Mel 398

Oleum 444

. . . . 449

Pulvis 525

. . . . 561

. . . . 573

Sparadrapum 621

Syrupus 718

pag.

Pars II. Trochiſci 797

Unguentum 804

. . . . 809

. . . . 812

. . . . 823

. . . . 824

. . . . 833

. . . . 844

vid. *Sang. Purificantia Siccantia & Vulneraria.*

VOMITORIA, vid. *Emetica*

VOMITUS, NAUSEA,

Pars I. Hrb. Menthae Criſp. 124

Cort. Winteran. 222

Pars II. Aqua 18

. . . . 68

. . . . 77

Balſamum 111

Conditum 128

Electuarium 169

Emplaſtrum 259

. . . . 260

Eſſentia 274

. . . . 283

Julapium 358

Mel 396

Oleum 448

. . . . 451

Syrupus 729

. . . . 740

. . . . 743

Trochiſci 799

Unguentum 814

. . . . 842

. . . . 847

vid. *Emetica, Anodyna & Stomachica.*

URINAE DIFFICULTAS, DISURIA, ISCHURIA, STRANGURIA.

Pars I. Borax 7

Rad. Altheæ 44

Pareiræ Bravæ 76

Hrb. Braſſicae 100

Malvae 122

Caricae 187

Pars II. Aqua 65

. . . . 74

Emulſio 267

Infuſum 354

		pag.
Pars II.	Laudanum	369
	Pilulæ	482
	Pulvis	534
	Syrupus	734
	. . . .	754
	vid. *Diuretica*, *Demulcentia* & *Nephritica*.	
UTERINA,		
Pars I.	Succinum	40
	Rad. Angelicae	45
	Ariſtologiae	46 & 47
	Caryophyllatae	53
	Leviſtici	69
	Phu Pontici	78
	Pimpinellæ Alb.	79
	Valerianæ Palluſtr.	88
	Hrb. Artemiſiae	95
	Baſilici	96
	Botryos	99
	Dictamni Cretici	108
	Majoranae	121
	Marrubii Alb.	122
	Matricariae	123
	Meliſſae	124
	Menthae Criſpae	124
	Rorismarini	133
	Rutae	134
	Salviae	135
	Serpilli	139
	Flor. Calendulae	150
	Chamomillæ	150
	Cheiri	151
	Sem. Ameos	160
	Gum. Galbanum	238
	Myrrhae	243
	Caſtoreum	279
Pars II.	Aqua	18
	. . . .	39
	. . . .	68
	. . . .	82
	. . . .	83
	Balſamum	98
	. . . .	102
	Elixirium	193
	. . . .	208
	Emplaſtrum	242
	Eſſentia	307
	. . . .	309
	. . . .	314

		pag.
Pars II.	Extractum	324
	. . . .	328
	Oleum	445
	. . . .	459
	Pilulæ	488
	Pulvis	552
	Sal	613
	Spiritus	707
	. . . .	708
VULNERARIA, TRAUMATICA		
Pars I.	Rad. Conſolidae Majoris	56
	Filipendulae	64
	Rubiae Tinctorum	82
	Tormentillae	87
	Hrb. Agrimoniae	92
	Anſerinae	94
	Bellidis Minoris	98
	Boni Henrici	99
	Conſolidae	106
	Hyperici	116
	Geranii Robertiani	113
	Millefolii	124
	Elatine	109
	Nummulariae	127
	Plantaginis	130
	Saniculae	135
	Scabioſae	136
	Verbenæ	145
	Veronicæ	146
	Balſ. de Copaiba	250
	Indicum Alb.	
	Nigrum	251
Pars II.	Apozema	18
	Aqua	84
	. . . .	85
	. . . .	86
	. . . .	87
	Balſamum	98
	. . . .	100
	. . . .	105
	. . . .	107
	. . . .	110
	. . . .	114
	Emplaſtrum	258
	Eſſentia	300
	. . . .	310
	. . . .	311
	. . . .	312
	. . . .	313

		pag.
Pars II.	Globuli	351
	Liquor	382
	Oleum	431
	. . . .	444
	. . . .	458
	. . . .	461
	Pulvis	579
	Species	643
	. . . .	644
	Syrupus	718
Pars II.	Syrupus	719
	. . . .	736
	Unguentum	810
	. . . .	820
	. . . .	847
	. . . .	848
UVULAE LAXITAS		
Pars I.	Hrb. Uvulariae	147
	Flor. Balauſtiorum	148
Pars II.	Pulvis	574

DISPEN-

DISPENSATORII
PHARMACEVTICI UNIVERSALIS
PARTIS PRIORIS
CLASSIS PRIMA.

REGNUM MINERALE.

REGNI MINERALIS

CAPUT I.

DE TERRIS.

BOLUS alba, *Bol blanc*, weiſſer Bolus. Terræ argilloſæ faciem repræſentat. *Vim adſtringentem ſecum fert, atque ſiccantem. Sæpe uti chirurgis præſertim notiſſimum eſt, exterius in uſum adhibetur, ſed interius nunquam.*

BOLUS Armena, Armeniaca, *Bol d'Armenie*, Armeniſcher Bolus. Quæ promtius linguæ adhæret, optima ducitur. Colore pallide rubro adparet, neutiquam arenoſa eſt, ſed lubrica, atque impalpabilis. Ex orientalibus plagis ad nos olim adportata fuit, ſed hodie etiam Galliæ & Germaniæ regiones nonnullæ eam nobis ſuppeditant. *Bezoardicam, atque ut & vulgo notum eſt, adſtringentem exerit virtutem.* Vid. inf. Part. II. ſub Boli Armeni præparatione. Præterea autem hæc Bolus Armena vera egregium quoque uſum præſtat, quod ſæpius ipſi experti fuimus, in Lienteria, Diarrhœa acri & bilioſa, præſertim vero ipſa diuturna Dyſenteria, ſi nempe opportuno tempore, juſta & modica doſi, cum juſculo pingui, aut lacte, ægrotis, per intervalla temporis, iteratis vicibus, data fuerit. *Conf.* ZWELFERI *Appendix ad Animadverſ. ſuas in Pharmacop. Auguſt.* p. 5. imprimis autem *Caſpar.* HOFMANN. *Paralip.*

Officin. Sect. I. cap. 46. p. 530. ubi ad ipſam ſuam Experientiam provocat in atrociſſima dyſenteria epidemica Ann. 1607. cum hac Bolo Armena ſalutari effectu frequentiſſime inſtitutam. In Hæmoptyſi quoque, item Hæmorrhagiis uterinis, aliisque, & Hæmorrhoidibus denique nimium & diutius fluentibus, haud ſpernendum præbet uſum, ſi nempe ſub iisdem cautionibus & conditionibus, & præmiſſis præmittendis, cum aliis convenientibus remediis adpoſite permixta, parce & modice, ſenſim adhibita fuerit. *Conf. Jo.* RENODAEI *Diſpenſat. Med.* Lib. II. Part. I. cap. 2. pag. 515. & BOERHAAVE, *de Mat. Med.* pag. 142. item *Cel.* BUCHNERI *Fund. Mat. Med.* p. 60. Sed rarius ad nos ex Armenia Bolus iſta vera adfertur, obſervantibus LANGIO *Epiſt. Med.* 18. Lib. I. pag. 78. LUDOVICO, *Pharmac.* Diſſ. I. pag. 254. & RIVINO Diſſ. *de Cenſura Medicament. Officinal.* cap. IV. pag. 89. ac GEOFFROY. Tom. I. *de Mat. Med.* pag. 73. item SALMASIUS de *Homonym. Hyl. Jatric.* cap. 119. pag. 219.

BOLUS rubra vulgaris, *Bol rouge vulgaire,* gemeiner rother Bolus. Ex Bohoemia, Archi-Epiſcopatu Salisburgenſi, aliisque pariter locis quibusdam advehitur. Medici in ſalutaribus ſuis præſcriptionibus rarius iis utuntur. *Maximum uſum veterinariis, & deſtillationi Spirituum Nitri & Salis præſtat.* Vid. GEOFFROY. *loc. cit.* p. 73.

CRETA alba, *Craye blanche,* weiſſe Kreide. Eſt terra vel potius marga. Colonienſis, quæ non arenoſa ſit, & levitate ſe commendet, celebratur. *Abſorbet acrimoniam, & requiritur ad diacretæ ſpecies.* Vid. GEOFFROY *loc. cit.* p. 75. Nimium vero uſum cretæ lethalem pylori conſtrictionem induxiſſe præpingui Mulieri, macreſcere cupienti, adnotavit BALLONIUS. *Paradigmat.* 16. p. 302.

LAC Lunæ, Marga ſaxatilis, Agaricus mineralis, *Lait de lune, ou Agaric mineral,* Mond-Milch. Eſt terra, vel marga levis, ſubtiliſſima & friabiliſſima, quam pluviatilis aqua, poroſitatem Saxorum penetrans, diſſolvit, & in montium fiſſuras atque ſpelæa deponit. In cavernis montium Helveticorum, præſertim pileati vel fracti & cui nomen eſt *Wallenſtock,* magna copia deliteſcit. Celeberrima illa Wirtembergenſis Ducatus ſpelunca, cui nomen Nebelloch, impoſitum eſt, quoque materiæ hujus gravem fert pondere ventrem. *Vis ei tribuitur abſorbens, & ad lac augendum, nutricibus vulgo præſcribi ſolet,* ſed ſine ſperato effectu. Ova enim, pultes, pinguia juſcula, oriza lacti incocta, & generatim victus lautus & alibilis, in lacte augendo & generando plus certe præſtant, ac aridum hoc & leve lac Lunæ, una cum ipſo Galactite, fruſtra quoque in hunc uſum galactophorum, laudato ac commendato. *Conf.* huc *Dan.* LUDOVICI *Pharmacia hodierno ſæculo applicanda.* Diſſ. I. p. 255. & BÜCHNERI *Fund. Mat. Med.* p. 66. item CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. II. cap. 8. pag. 152. & STAHL. *Mat. Med.* Part. I. Nota ceterum eſt *Jo. Dan.* MAJORIS Diſſert. *de Lacte Lunæ,* ſolis forte Lunæ incolis, ſi qui ſint, utili & ſalutari, ut id per jocum adjicere hic liceat.

LITHOMARGA, Medulla Saxorum, *Moëlle de pierre,* Stein-Marck. Eſt ſolida ſubſtantia, pinguedine quadam atque lubricitate donata. Colore plerumque griſeo ſe prodit. *Et ſaporem & vim adſtringentem abſolvit.*

OCHRA, *Ochre, Ocre,* Ochergelb. Eſt terra martialis ſub flavo colore. *Arti Pictoriæ inſervit.* Vid. PLIN. Lib. XXXV. cap. 6.

RUBRICA fabrilis, Sinopis veterum vid. Plin. Lib. XXXV. cap. 6. *Craye rouge,* Röthelſtein. Eſt ſpecies margæ martialis, durior Bolo, & valde adſtringens. Quæ cum carbonibus colliquata, ex parte, naturam ac formam ferri completi induit, obſervante Cl. CARTHEUSERO, *in Rudim. Mat. Med. Rat.* Sect. XVI. cap. 3. pag. 486. & *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XVI. cap. 6. p. 603. In regione Archi-Epiſcopatus Salisburgenſis copioſiſſime gignitur. *In uſus medicos rarius accedit; mixtam cum melle roſato, ad Aphtas nonnulli commendant.*

TERRA Ceylonica. Hanc omnibus Terris ſigillatis longiſſime præfert. *Herm. Nic.* GRIMM, *in Laboratorio Ceylonico,* p. 137. ſqq. Eamque hinc in pulveribus, & potionibus Bezoardicis ibidem paſſim præſcribit. Vid. p. 32. 38. 39. 83. *& alibi ſæpe.*

TERRA Japonica. Vide *Succi Condenſati.*

TERRA Lemnia, *Terre Lemnienne,* Lemmiſche Erde, Erde aus der Inſul Lemnus. Colore differt, quædam pallida, quædam flavo fuſca, quædam rufeſcens oculis adparet. Turcia eam nobis ſubminiſtrat. Vid. huc *Caſp.* HOFMANNI *Paralip. Offic.* Sect. I. cap. 44. p. 528. ſqq. & inprimis FRANCKENAU, *Sat. Med.* XIV. p. 235. ſeqq. Deligatur, quæ ſmegmatis inſtar, pinguedinem aliquam prodat, parce adſtringat, nec colore ſuo digitos contrectando conſpurcet. *Virtutem Bezoardicam & adſtringentem exerit.*

De hac terra, & ſequentibus poſt terris, aliisque pluribus *conf. Cl.* LUDWIGII magnum & ſplendidum Opus *de Terris Muſei Regii Dreſdenſis.* Lipſ. 1749. ubi vid. inprimis cap. VI. *de terris medice conſideratis,* p. 293. ſeqq. Add. ipſius Diſſ. *de Terris medicis.* Confer. & TRALLES *virium terreis remediis hactenus adſcriptarum Examen rigoroſum,* & ante ipſum WEDELII Diſſert. *de Terreorum Natura, uſu & abuſu.* Poſt ipſum vero *Car. Aug. a* BERGEN. Diſſert. *de Abuſu & Inefficacia Terreorum.* Item RIVINI Diſſertat. *de Terris medicinalibus,* præſertim autem magni quondam CONRINGII Diſſert. *de Terris, earumque vario uſu,* item *Cl.* HEBENSTREITII Diſſert. *de Terris,* & SCHENCKII Diſſ. *de Terra ſigillata,* conf. *Cl.* BUCHNERI *Fund. Mat. Med.* pag 61. ſeqq. & GEOFFROY *Mat. Med.* Tom. I. cap. 1. Art. I. II. III. pag. 66. ſeqq. item CARTHEUSERI *Rud. Mat. Med.* pag. 486. ſeqq. præſertim autem ejusdem *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. II. cap. 1. ſeqq. pag. 105. ſqq. & cap. 8. pag. 153. item Part. II. Sect. XVI. cap. 6. p. 603. ſeqq. & STAHL. *Mat. Med.* Part. I. pag. 243. De *Terra* autem *Lemnia,* ſpeciatim, vide VESLINGII Epiſt. 24. p. 113.

TERRA ſigillata alba Turcia, *Terre ſigillée blanche,* weiſſe türckiſche Siegel-Erde. *Ejusdem fere uſus.*

TERRA ſigillata alba Goldbergenſis, *Terre ſigillée de Sileſie blanche*, weiſſe Schleſiſche Siegel-Erde. Inveteratum ventriculi dolorem hac ipſa Terra Sileſ. tandem feliciter fuiſſe ſopitum ac ſublatum, retulit RIEDLINUS, *Curat. Med.* 868. Cent. IX. pag. 603.

TERRA ſigillata Melitenſis, ſive de Malta, *Terre ſigillée de Malthe*, Maltheſiſche Siegel-Erde. Alba eſt, & frequentius ſimulacro St. Pauli notata. Reliquarum terrarum ſigillatarum inſtar, pinguis eſto atque inpalpabilis. *Omnibus terris ſigillatis albis eadem atque communis vis tribuitur. Nam abſorbentis, Bezoardicæ, & ſudoriferæ virtutis exiſtimantur, nec in eum modum, ut rubræ, adſtringunt.*

Huic Terræ ſigillatæ, & reliquis id genus terris peregrinis, hic commemoratis, etiamſi Divorum imagine, veluti palladia quadam ægide munitis ac ſignatis, ob juſtam ſæpius impoſturæ ſuſpicionem, parum fidei virtutisque medicæ haud ſine omni ratione, tribuit: *Dan.* LUDOVICI, *in Pharmacia hodierno ſæculo applicanda*, Diſſert. I. pag. 254. ſqq. Conf. RIVINI *Cenſura Medicamentorum officinalium*, cap. IV. p. 98. &c. item BUCHNER. *l. c.* p. 62. & GEOFFROY, *loc. cit.* p. 67.

TERRA ſigillata rubra Turcica, *Terre ſigillée rouge*, rothe türckiſche Siegel-Erde. Hæc, & ceteræ rubri coloris, cum Bolo Armena coincidunt, & *vi adſtringente potiſſimum pollent*, non vero alexipharmaca, monente *Stahlio*.

TERRA ſigillata Sileſiaca griſea, vel lutea Strigonienſis. *Terre ſigillée de Sileſie griſe*, graue Schleſiſche geſiegelte Erde. Hæc nonnunquam Axungia ſolis nuncupatur. Nec friabilis ſit, nec ſabuloſa, ſed pinguedine inſignis, quam eligas. *Eandem, cum Terra Lemnia, virtutem obtinet.*

TERRA Tripolitana, Tripolis offic. *Tripoli*, Trippel-Erde. Eſt ſpecies margæ, conflata ex portiunculis pulvereis. Quæ levis eſt, ac impalpabilis, eligatur. *Siccat, & idcirco ad intertrigines exſiccandas adhiberi ſolet. Artibus mechanicis, plus utilitatis confert, quam Medicis.* Conf. BUCHNER. *loc. cit.* p. 67.

TERRA Viridis, Viride montanum, Chryſocolla veterum, de qua, vid. SALMASII *Exercitat. Plinian.* p. 244. & p. 811. *Terre verte, Verd de montagne*, grüne Erde, Berggrün. Eſt ochra venerea. Ex Armenia olim advehebatur, vid. DIOSCORID. PLIN. & SALMAS. *loc. cit.* Hodie ex Hungaria adfertur. Quæ expleta viriditate claret, eligenda eſt. *Arti Pictoriæ maxime conducit. Chirurgis quoque optime inſervire poſſet, ſi eam expurgandis & exſiccandis vulneribus malignis rite adhiberent.*

CAPUT II.

DE SALIBUS NATIVIS ET ARTE FACTIS.

ALUMEN crudum vulgare, album, glaciale, *Alun blanc*, gemeiner, weiſſer Alaun. Eſt ſal minerale plurimum adſtringens. Hoc in Angliæ, Sueciæ, Germaniæque regionibus ex propria & nativa ſua minera elicitur. Acidum Aluminis propemodum par eſt Acido Vitrioli; & terra, quâ extrahitnr, indolem terræ calcareæ & Vitrioli ferme exprimit. *Confer.* huc KHUON & FÜRSTENAU Diſſert. *de Alumine.* add. *Cl.* BUCHNERI *Fund. Mat. Med.* pag. 100. ſeqq. item *Cl.* CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VI. cap. 7. pag. 374. ſeqq. præcipue GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. cap. 4. p. 133. ſqq. Intus quoque ſumtum Fœminæ phthiſicæ non nocuiſſe, obſervavit RIEDLINUS, *Curat. Med.* 932. Cent. X. p. 654. Quin & a nonnullis pro potentiſſimo remedio febrifugo haberi, idem ibi monet, & aliunde notum eſt, præſertim ex dicta FÜRSTENAU. Diſſert. quod tamen recte negat LOESEKE, *Mat. Med.* p. 480. conf. infra dicta ad Lac Aluminis. Nolim tamen illius facere periculum. Sicut nec in Hœmorhagiis cohibendis, uſum ejus tutum eſſe cenſeo, licet nonnulli medicorum, juſto forſan audaciorum, illum haud reformident, de quo vid. GEOFFROY, *loc. cit.* p. 140. præſertim POTER. *Pharm. Spag.* Lib. II. cap. 9. pag. 373. ibique HOFFMANN. p. 374. quibus magnis viris prorſus non diſplicet internus aluminis uſus, tam in febribus, quam in ſanguinis profluviis ſiſtendis, licet circumſpectione tum opus eſſe, prudenter ſimul moneant. De uſu autem ejuſdem externo, Chirurgis potiſſimum familiari, contrarium potius ſtatuendum eſſe, frequentior experientia ſucceſſu haud deſtituta, dudum edocuit, & quotidie docet.

ALUMEN Romanum, rupeum, rubrum, *Alun Romain, Alun de roche*, rother römiſcher Alaun. In Italia prope Tulfam ſcita atque ſtudioſa dexteritate ex ſaxis calcinatis educitur. Cryſtallinum ſit, & colore pallide roſeo oculos ſubeat. *Eandem vim, cum præcedente, exequitur.* De hoc Alumine rupeo, vid. LABAT. *Itiner. Hiſpan. & Ital.* Part. V. cap. 1. Conf. MYLII *Delic. Phyſ.* Vol. II. Part. 20. p. 699. ſeqq. & GEOFFROY, *loc. cit.* pag. 136.

ALUMEN ſacharinum, *Alun de ſucre*, adpræparata pertinet, & in parte poſteriore quærendum eſt.

BORAX, Borax Veneta, Chryſocolla, *Borax de Veniſe*, Borras. Male vero Boracem vocari Chryſocollam, ex male intellecta voce Arabica *Baurac*, oſtendit SAL-

MASIUS, in *Homonym. Hyl. Jatric.* cap. 121. pag. 220. ſqq. Conf. GEOFFROY, *l. c.* p. 151. ſq. Eſt ſal, ex peculiare minera extractum. Hanc mineram India orientalis ſuppeditat, & Veneti cum Belgis præparant. Eligatur quæ alba ſit, quæ cryſtallina, quæ levis, quæ in igne facile colliqueſcat, & vitreſcere non recuſet. *Incidentem, attenuantem, abſtergentem & ſtimulantem vim exerit. Partum promovet; menſtrua producit; urinas propellit. Idcirco medicaminibus calidis, ſanguinem incitantibus longe præferenda.* De quo vid. inprimis Cl. CARTHEUSERI *Rudim. Mat. Med. Rational.* Sect. VI. cap. 2. p. 219. & Fundam. Mat. Med. Part. I. Sect. V. cap. 8. p. 333. ſeqq. *Doſis ſit: Scrupulus unus, vel drachma ſemis. Aurifices hac Borace aſperitatem auri mitigant, & quod fragile eſt, ductile atque tractabile reddunt.* Vid. huc inprimis MELZERI Diſſertatio ſingularis *de Borace*, quales & ſcripſerunt *Alberti* atque *Model.* conf. BÜCHNER. loc. cit. p. 103. & GEOFFROY, Tom. I. Mat. Med. p. 153. ſqq. præſertim vero POTT, atque NEUMANN. Exercit. *de Borace*, laudat. hic a Cl. LOESEKE, Mat. Med. p. 98.

CINERES clavellati, Sal alkali vulgare, *Potaſſe, Vedaſſe, Cendre gravelée.* Potaſche. Sal vixum lixivioſum conſtituunt; ex cineribus lignorum duriorum, querni ſcilicet & fagini extractum & calcinatum. Ex Moſcovia, Curlandia, & Haſſia copioſe advehitur. Sal alkali purum non abſolvunt, ſed neutrum vel medium aliquod, cum Tartaro Vitriolato congruum in ſe continent, aſt ſolutione & cryſtalliſatione modico negotio ſeparari poteſt. *Cineres clavellati varios uſus præſtant; ſed arti vitriariæ & tinctoribus maximos. Si a terra & ſale neutro rite & probe depurentur, Medicis vicem ſalis tartari gerere poſſunt.* De quo vid. BOERHAAVEN, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. I. Proceſſ. XIV. pag. 58.

NITRUM, Sal petræ, *Nitre ou Salpetre,* Saliter, Salpeter. Originem ſumit ex regno animali, vegetabili, & minerali. Effoditur apud noſtrates in hypocauſtis & ſtabulis; & opitulante aquâ, ex terra, quæ per longiuſculum temporis ſpacium urinâ humana, aliiſque jumentorum excretionibus perfuſa, & ſic nitroſitate donata & impræregnata fuit, educitur. Conf. TOURNEFORT. *Itinerar.* Tom. III. Epiſt. 19. p. 248. Prima ſolutio & extractio, ob pinguedinem nunquam concreſcit in cryſtallos, hinc per lixivium ex cineribus vegetabilium, & calce viva paratum, purificatur, & latice abundante evaporato, reponitur ad cryſtalliſandum. Eligatur album, purum, & quod longiores cryſtallos ſexangulares priſmaticos emittat, aquæ immiſſum facile diſſolvatur, & prunis candentibus adſperſum ſine ſtrepitu, velociter deflagret. *Eſt medicamentum polychreſtum, refrigerans, acrimoniam bilis modificans, diureticum, item & lithonthripticum*, ſi fides *Wilh. ten.* RHYNE, Medit. *in Hypocrat.* pag. 221. quod confirmat ipſe HOFFMANNUS noſter, *Med. Rat. Syſt.* Tom. IV. Parte II. Sect. II. cap. 6. p. 369. & alibi, item Cl. CARTHEUSER. Fund. Mat. Med. loc. cit. pag. 300. ſeqq. *Datur à granis quinque ad ſcrupulum unum & alterum.* De Nitri natura & uſibus medicis variis, vid. *Clarke, Penotus, Mayow, Schelhammer, Camerarius, Hermann, Cartheuſer, Bœcler, Boerhaaven, Hoffmann, Waller, Zwinger, Brandmüller, Rettel, Fiſcherus, Klettenberg, Pietſch, Stahl, Neumann* & alii plures, ut notum: Conf. Cl. BÜCHNERI *Fundam. Mat. Med.* p. 108. ſqq.

ſqq. & *Vit.* RIEDLINI *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Octob. Obſerv. 22. pag. 345. imprimis autem GEOFFROY, Mat. Med. Tom. I. p. 112. ſeqq. copioſe & exacte, cui noviſſime accedit *Joh. Gottſchalck* WALLERI Diſſert. *de Origine & uſu Nitri*, Upſaliæ. 1749. item & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. V. cap. 3. pag. 286. ſeqq. præſertim WAHLIUS omnem pæne ſalutem in Nitro poſuit, ceu notum, adeo ut ſcribere nihil veritus ſit, *Mat. Med.* Part. I. pag. 176. Quantæ virtutes inſint Nitro, Camphoræ & Hirudinibus, ſera tandem poſteritas grata agnoſcet, & maximopere admirabitur. Quod nec falſum omni ex parte, nec verum; judicium ergo hic adhibendum, non præjudicium admittendum. De Nitro vero veterum & recentiorum, ejusque differentia, multa docte diſſerit SALMAS. de *Homonym. Hyl. Jatric.* cap. 121. pag. 220. ſeqq.

SAL Anglicanum laxativum, Ebshamenſe, *Sel d'Epſon*, ou *Sel purgatif amer*, Engliſches Laxier-Salz. Olim duntaxat ex fonte medicato Ebshamienſi in Anglia, evaporando latices, parabatur; ſed hodie ex lixivio communis ſalis, acido Vitrioli adhibito, ſcita manu ac methodo conficitur, monſtratore inprimis *Hanckewizio*, Medico Anglo, ſed natione Germano. Ex Anglia ad nos tranſportatur, ubi juxta urbem *Lemmington*, quæ comitatui Saut-hamton vel Hant-shier ſubeſt, magna copia ex reſiduo lixivio depurationis marini ſalis elaboratur. Eligendum eſt album, purum, & quod aqua ſuperfuſa facile diſſolvatur. *Eſt medela incomparabilis ad alvum ſolicitandam. Etiam febricitantibus ab uncia ad unam ſemis in aqua ſolutum ſecure propinari poteſt.*

De ſale hoc cathartico, nemini non notiſſimo, diſſertationes ſcripſere *Wedelius* junior, *Juchius* & alii, inprimis vero *Nehem.* GREW, *Tract. de Salis cathartici amari, in aquis Ebshamienſibus, & hujuſmodi aliis, contenti, Natura & uſu*, Lond. 1695. vid. & HOFFMANNI *obſ. phyſ. chym* 6. Lib. II. pag. 137. ſqq. & BÜCHNERI *Fund. Mat. Med.* p. 53. item CARTHEUSERI *Rudim. Mat. Med.* pag. 202. ſeqq. & *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. V. cap. 5. pag. 321. ſqq. Ceterum præter alias multas virtutes, partim veras, partim autem adhuc dubias, & nondum ſatis probatas, adſcribitur quoque huic ſali virtus præſertim antipodagrica, *in Satyris Med. Sileſ.* Specim. V. obſ. 9. pag. 51. ſqq. Sed vereor utique, ſi dicere libere liceat, ne ibi fallacia non cauſſæ ut cauſſæ, uti vulgo dicitur, commiſſa & admiſſa fuerit, prout ex integra medendi methodo ibi propoſita cuivis lectori, illico, credo, patebit.

SAL armonicum, ammoniacum, *Sel ammoniac*, Salmiac. Eſt ſal, ex urina fuligine, & ſale communi, arte elaboratum, & in placentas ſublimatum. Aliud tamen apud veteres fuiſſe, probare contendit SALMASIUS, de *Homonym. Hyles Jatr.* Cap. CXI. p. 190. ſeqq. Advehitur ex Ægypto, ubi in pagis *Damire*, provinciæ Deltæ, prope urbem Menſoura, magna ubertate paratur, de quo noviſſime accurate egit *Frid. Haſſelquiſt*, Suecus, αὐτόπτης, vid. MYLII *Delic. Phyſ.* Vol. II. Part. XII. pag. 101. ſqq. conf. huc maxime Cl. CARTHEUSERI *Rudim. Mat. Med.* pag. 197. ſeqq. & *Fundam. Mat. Med.* Part. I. Sect. V. cap. 9. p. 338. ſqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 93. ſqq. Eligatur candidum, purum, & quod admixto ſale alcalino, volatilis ſalis odorem conſe-

ſtim diſpergit. Datur & nativum, ſed illud inter rariora numerandum eſt, de quo nuperrime exactiſſime egit *Jo. Georg.* MODEL Imperat. Ruſſ. Protopharmacopœus, peculiari *Schediaſmate*, lectu digniſſimo, Lipſ. 1758. *Uſus ſalis armoniaci medicus & mechanicus eſt; illud nonnulli pro ſpecifico antifebrili profitentur, & a ſcrupulo uno ad duos porrigere ſolent; inprimis externe adhibitum plurimum valet contra Gangranam.* Vid. BOERHAAVE, in *Element. Chem.* Tom. II. Part. II. proc. 102. ſeqq. ut & in *Praxi Med.* Part. II. pag. 166. ſqq. item *Mat. Med.* pag. 81. & *Ill. van* SWIETEN, Comment. *in Boerhaave*, Tom. I. p. 781. & p. 550. conf. LOESEKE *Mat. Med.* p. 95. Ceterum de *Sale Armoniaco* ſcripſerunt olim *Penotus*, *Rolfincius*, *Wedelius*, & alii plures, ut notum: Quo & pertinet recentior SALCHLINI Diſſert. de *Sale Ammoniaco*, & LOESCHERI quondam noſtratis, ut & JUCHII, de eodem argumento, Diſputatio ſingularis, potiſſimum vero LEGELL *Hiſtoria Salis Ammoniaci*, de qua vid. copioſe MYLII *Deliciar. Phyſ.* Vol. II. Part. XVII. p. 493. ſqq. item *Melter* atque *Muys*, *de Salis Ammoniaci uſu* præclaro contra febres præſertim intermittentes, conf. BÜCHNER. *Fund. Mat. Med.* pag. 121. & RIEDLINI *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Jul. Obſ. 16. pag. 208. præcipue HOFFMANN. *Obſ. Chym.* 191. L. II. p. 202. & Obſ. 26. p. 235. item BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. II. Proceſ. 107. p. 293. & LOESEKE, loc. cit. p. 95. ubi ad ipſam ſuam experientiam provocat. Sed primas tamen hic ſemper tenebit cortex ipſe Peruv. ſi experientiæ quidem experientiam opponere liceat, ut ſperamus.

SAL Egranum, *Sel purgatif d'Eger*, Eger-Sauerbronnen-Salz. Ex acidulis evaporatis adquiritur. Quod album atque cryſtallinum eſt, ſeligito. *Alvum benignius movet, & nulla concitat tormina. Aquas minerales bibentibus præſcribitur.* Datur a drachmis duabus ad ſex. Vid. GERHARDI *Tract. de Salibus Catharticis fontium medicatorum.*

SAL gemmae, *Sel gemme*, Stein-Salz. Eſt ſal nativus ſeu foſſilis, & ex Polonia advehitur. Pellucidum & album eligito. *Coquis & Medicis in uſum cedit.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. Sect. IV. cap. I. Art. I. p. 99. ſeq. item *Bern.* GOMESII Mild. *Halographia*, UNZERI *Phyſiologia Salis*, & GLAUBERI *de Natura Salium*, item SNELLEN *de Sale communi.*

SAL marinus, *Sel marin*, Meer-Salz. Elige purum, cryſtalliſatum, cubicamque figuram exprimentem. *Sal culinaris, gemmæ, & marinus ejuſdem ſunt naturæ, & ſola puritate differunt; hinc alter alteri ſubſtitui poteſt. Sal eſt univerſale condimentum ciborum, & habet vim incidentem, diſcutientem, diureticam, & antiſepticam, hinc in arcenda gangrana eximii eſt uſus.* Teſtibus BOERHAAVIO, SWIETENIO & aliis, Chirurgis præſertim Gallis & Anglis. Vid. copioſe BOERHAAVE, in laudatis *Element. Chem.* de hoc ſale, item POTT & NEUMANN de ſale communi.

SAL Sedlizenſe, *Sel purgatif de Sedliz*, Sedlizer Salz. Ex aquis mineralibus amaris Sedlizenſibus in Bohœmia producitur. Elige album & cryſtalliſatum. *Par eſt virtute ſali anglicano, ſed doſi minore exhiberi ſolet.*

De hujus Salis præparatione & uſu, vid. HOFFMANNI ſingularis Diſſert. cujus Inſcriptio eſt: *Examen Chymico-Medicum fontis Sedlizenſis in Bohœmia*, qui & alibi ſæpius in ſuis ſcriptis, de Termis ac Fontibus medicatis, de hujus ſalis cathartici blandis virtutibus, egregie tractavit, ceu doctis Medicis non ignotum. Conf. Cel. BÜCHNERI *Fundam. Mat. Med.* pag. 54. & Cel. CARTHEUSERI *Fund Mat. Med.* Part. I. Sect. V. Cap. 7. pag. 329. ſqq. item LOESEKE *Mat. Med.* p. 89.

SODA Hiſpanica, *Soude*, *Soude en pierre*, Spaniſches Aſchen-Salz. Ex planta *Kali geniculato*, vel *Salicornia* per incinerationem & calcinationem præparatur. Plantæ hujus probe exſiccatæ faſciculi in ferrea crate ſuper foveam poſita, cremantur, cineres in fovea collecti conteguntur, donec temporis ſucceſſu in maſſam coaleſcant, & lapidem ſimulent. Hæc maſſa, maturitate accepta, diffringitur, & in glebis diverſæ magnitudinis ex Hiſpania ubicunque locorum tranſvehitur. Ex origine colorem cinereum retinet. Soda optima habetur, quæ *Sode d'Alicante* nuncupatur, & ex portu Valentiæ Alicanta adportatur. Cœruleo cinerea, pariter ſpongiæ inſtar tota, extrinſecus & intrinſecus, poroſa comparet. Sicca eſt atque tinniens, nec madefacta odorem paludoſum prodit. *Arti Vitriariæ, & tinctoribus multum utilitatis confert; ſed Medicis nil quidquam prodeſſe poteſt, niſi ad ſal Seignette*; de quo infra, Part. II. ſuo loco.

VITRIOLUM album, *Vitriol blanc*, weiſſer Vitriol, Galizen-Stein, Augenſtein. Hoc Goslarienſes ex minera blumbi argentiferæ montis Rammelsberg extrahere ſolent. Modum conficiendi, SCHLÜTERUS in elegantiſſimo opere de arte fuſoria Schmelz- und Hüttenwerck dilucide deſcripſit. Sacchari inſtar album ac duriuſculum eſt. *Collyriis admiſcetur; mundificat, ſiccat, adſtringit. Propter particulas cupreas, vomitum excitat, ſi interne ſumatur; idcirco prudenter & circumſpecte iſthoc utendum, atque agendum eſt.* De Vitrioli elogiis, & medicamentis ex Vitriolo parandis ſcripſere *Stahlii*, *Hartmannus*, & *Eyſelius*, item olim *Mindererus* & *Horlacher*, præſertim ſola in Anatomia Vitrioli, *Trumphius*, *Kernerus*, *Müllerus*, & alii plures, laudati MERKLINO & aliis. Omnium optime autem BOERHAAVE, *in Elem. Chem.* & HOFFMANNUS *Obſ. Phyſ. Chym.* 7. Lib. III. item GEOFFROY, de *Mat. Med.* Tom. I. Part. I. cap. 3. p. 123. ſqq. & in *Obſervat. Chym.* de Vitriolo, & ferro, ibidem operi præmiſſis, pag. 61. ſqq. Conf. BÜCHNERI *Fund. Mat. Med.* p. 112. ſqq. & Cl. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VI. cap. 6. p. 386. ſqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 482. ſqq.

VITRIOLUM coeruleum, de Cypro dictum, *Vitriol de Chypre*, blauer Vitriol, blauer Galizen-Stein. Hoc vitriolum artificiale, venereæ ſeu cupreæ indolis eſſe deprehenditur. Elige cryſtalliſatum, & Sapphiri inſtar coeruleum. *Septicam & adſtringentem vim exercet. Rariſſime in uſus medicos admittitur, niſi externe, & ad pulverem ſympatheticum*, de quo multa quidem mira, pæne dixiſſem, mora, & fidem omnem excedentia, tradiderunt olim *Kenelm*, *Digbæus*, *Moby*, *Strauſſius*, *Papinius* & alii, magna copia allegati a KUNDMANNO, *in Rarior. Naturæ & Artis*, Sect. II. Artic. XXI. p. 945. in Not. quos tamen data opera, acerrime & validiſſime confutavit *Anton.* DEUSINGIUS,

in Examine Pulveris ſympathetici; & præter alios plures, lepido & evidenti experimento, ipſe noſter HOFFMANNUS, *in opuſculis Med. Pract.* Dec.I. Diſſer. V. p. 137. ſqq. conf. BUCHNERI *Fund. Mat. Med.* p. 118. ſeq. Sed ſingularia tamen aliquot exempla de miro ac præſenti pulveris hujus ſympathetici effectu, in ſiſtendis præſertim hœmorrhagiis pertinacioribus & omni remedio ſuperioribus, a ſemet ipſo viſa, retulit BURGHART, *in Satyris Medic. Sileſ.* Spec. II. Obſ. 8. p. 43. ſeqq. ubi & ad *Ettmüllerum*, *Stahlium* ipſum, & alios provocat, & multus præterea eſt in laudato hoc pulvere ſympathetico, adeo ut hinc pæne adhuc ſub judice lis ſit. conf. BEVEROVICII *Epiſt. Quæſtion.* p. 240. ſqq. & MONCONYS, *Itinerar.* p. 45. 103. & p. 107. item RIEDLINI *Obſ. med.* 39. p. 87. de Ann. 1682. & Eur. med. 20. Cent. I. ut & MÜLLER. *de Effractura cranii*, Membr. III. pag 114. in Not. ubi plures alios auctores ſimul hanc in rem diligenter laudavit. Vid. & ipſum STAHLIUM, ad ſuam experientiam confidenter provocantem, *Mat. Med.* Part. II. p. 33. præſertim *Benjam.* EWALDT. *Diatrib. de pulvere ſympathetico*, *ejusque prudenti uſu*, de qua vid. *commerc. litt. med. Nor.* Anno 1737. pag. 292.

VITRIOLUM viride, Romanum, Hungaricum, Anglicum, *Vitriol verd, Romain, d'Hongrie, d'Angleterre,* Ungariſcher grüner Vitriol. Ferreæ indolis eſt. Cryſtalliſatum, & herbaceo colore ſe manifeſtet. Ex Anglia, Hungaria & Archi-Epiſcopatu Salisburgenſi advehitur, ubi partim ex minera propria, partim ex pyritis calcinatis elaboratur. Vid. de his & aliis Vitrioli ſpeciebus, copioſe VALENTINI *Hiſt. ſimplic. Ref.* Lib. I. cap. 7. p. 16. ſqq. ut & GEOFFROY, Tom. I. *Mat. Med.* pag. 124. ſeqq. Datur quoque nativum, quod paſſim in naturæ curioſorum metallothecis ſollicite cuſtoditur. *Mechanicum & medicum uſum præſtat. Hoc Vitriolum conficiendo Tartaro Vitriolato Tacheniano aptiſſimum eſt.* De quo vid. infra Part. II. ſuo loco.

VITRIOLUM vulgare, *Vitriol d'Allemagne,* gemeiner Vitriol, Kupferwaſſer. Simul ferri & veneris indolem prodit, & a Goslarienſibus copioſe paratur. Dilute vireſcens, ſiccum, & cryſtalliſatum compareat, neceſſe eſt. *Tinctoribus plurimum prodeſt. Gallis contuſis admixtum, & aquæ ſuperfuſum, atramentum ſcriptorium conſtituit. Etiam ad decoctum nigrum accedit.* Vid. VALENTINI loc. cit.

CAPUT III.

DE LAPIDIBUS VULGARIBUS ET MINUS PRAETIOSIS.

AETITES, Aquilæ lapis, *Pierre d'Aigle*, Adlerſtein. Lapis quaſi alio impræ-gnatus, crepitaculi inſtar, in mediculio ſonat ſtrepitque, ſi moveatur. Diſcrepat â Geode, qui neutiquam crepat, ſed intus marga repletus eſt. Vid. GEOFFROY, loc. cit. & VALENTINI, loc. cit. p. 48. & BOECLER. d. l. pag. 873. Præferri aliis ſolet Orientalis, qui frequentius gallinacei ovi formam & magnitudinem imitatur. *Partum promovere creditur. Qualitatem adſtringentem cuicunque patefacit, cum martialis ſit.* Ideo hanc de feliciter educendo partu virtutem, iſti Aquilæ lapidi vulgo tributam, pro anili fabella merito habet RIVINUS, *in Cenſura Medic. Officinal.* Cap. V. p. 109. & dudum ante ipſum *Dan.* LUDOVICI *in Pharmacia hodier.* Diſſert. I. p. 634. conf. & BÜCHNERI *Fund. Mat. Med.* p. 70. & GEOFFROY, Tom. I. *Mat. Med.* Part. I. Cap. 3. p. 80. ſq. item *Amman. Vater. Bajer. Geſner.* & *Primeroſ.* Scripſit nihilominus integrum tractatum *de Lapide Aëtite, ejusque virtutibus*, *Jo. Laur.* BAUSCHIUS, & ante ipſum, juſtum etiam librum, de eodem, *Guil.* LAUREMBERGIUS, vide & RIEDLINI *Lin. Med.* Ann. 1698. Menſ. Mart. Obſ. 28. p. 246. ſeqq. ubi preſſe nimis & ſecure ipſum ſequitur *Bauſchium*. add. ROLFINC. *Ord. & Meth. Med. Spec.* Lib. IX. Sect. 6. cap. 14. p. 849. ſq. VALLERIOLA quoque, ſcriptor alias egregius & eleganter doctus, *Obſ. Med.* X. Lib. I. p. 113. potentiſſimas tamen huic lapidi coxæ ſaltim puerperæ applicato, tribuit virtutes, in educendo partu difficillimo, imo, quod fidem omnem ſuperat, & uſum ipſi pæne Heraclito movet, ſe ſe ait, vidiſſe, lapidem iſtum cruri parientis alligatum, & edito jam partu, per muliercularum incuriam, ibi relictum, tanto quidem cum impetu & violentia, uterum commoviſſe & exagitaſſe, ut paulo poſt miſellæ puerperæ excideret, & cum illo ipſa vita. Credat qui volet. Vid. contra has nænias diſſerrentes, VALENTINUM *Hiſtor. Simpl. ref.* Lib. I. cap. 23. p. 48. DALE *in Pharmac.* Lib. I. p. 89. ſeqq. GEOFFROY, loc. cit. pag. 81. BOECLER. *Cynoſ. Mat. Med. Herm. Continuat. I.* p. 873. ſqq. & ipſum BAUSCHIUM, in Lib. cit. inprimis KUNDMANN. *Rar. Nat. & Art.* Sect. I. Art. 12. p. 127.

ALABASTRUM, Alabaſtrites, *Albâtre*, Alabaſter. Eſt ſpecies mollioris marmoris; frequentiſſime albo colore adparet. *Ei tribuitur vis refrigerans*, quod tamen â nonnullis negatur. Interim *ad unguendum alabaſtrinum adhibetur*. De quo infra Part. II. ſuo loco.

ALUMEN plumoſum, plumeum, Schiſtus, ſeu Trichites, *Alun de Plume*, Feder-Weiß. Vid. SALMAS. *Exer. Plin.* p. 530. & p. 82. Asbeſti ſpecies creditur, & ex inſulis Rhodo, Milo & Creta ad nos advehitur. Id vero negat TOURNEFOR-

TIUS *Itiner.* Tom. I. Epiſt. 4. p. 197. qui ipſe naſcentis Aluminis plumoſi incunabula jucundiſſimo vidit ſpectaculo, indeque liquidiſſime oſtendit, illud merum verumque eſſe ſalem potius, quam Amiantum, aut Asbeſtum, ut vulgo quidem perperam traditur. conf. GEOFFROY, Tom. I. *Mat. Med.* p. 134. *Acutos atque lancinantes fibras habet, & adfrictione cutem rubentem efficit, hinc nonnulli hoc immiſcent unguentis ad partes corporis humani tabeſcentes.*

ALUMEN ſciſſile, lapis ſpecularis, *Pierre ſpeculaire, Miroir d'Ane,* Frauen-Glaß, Frauen-Eis. Optimum & pellucidiſſimum Moſcovia ſuppeditat, & â patria quaſi Moſcowitiſches Frauen-Glaß nuncupatur. *Maximus uſus mechanicus eſt. Quoque adhibetur ad pulverem Viennenſem,* quem infra ſuo loco exhibebimus. Vid. TOURNEFORT. ibid. p. 196. & p. 186.

AMIANTUS, *vide* Glacies Mariae vulgaris.

ARMENIUS lapis, *Pierre Armenienne,* Armenierſtein, Bergblau. Eſt minera veneris, hinc & vim purgantem exercet. Opacus, cœruleus, maculisque interdum argenteis, viridantibus & nigris notatus adparet. Vid. imprimis SALMASIUS de *Homonym. Hyles. Jatr.* Cap. 119. p. 217. ſeqq. Explete cœruleus exoptandus eſt. *Interim majore affinitate pictoribus adjungitur, quam medicis,* bene monente ETTMÜLLERO, *comment. in Schrœder.* pag. 797. conf. *Val.* VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Ref.* Lib. I. cap. 21. p. 42. Magnam tamen & ſingularem virtutem in curanda inprimis Melancholia, huic lapidi tribuit *Alexander* TRALLIANUS, ipſa frequenti fidaque experientia inductus. Lib. I. cap. 16. p. 112. ſqq. conf. *Jo.* FREIND, *Hiſt. Med.* pag. 404. qui ipſe ibi Tralliani ſententiam experientia ſuffultam, non prorſus improbat. Sed me quidem judice, in re dubia præſtat, in hunc lapidem non impingere; quum tot hodie proſtent remedia ſecuriora & mitiora, ut iſto quidem lapide haud indigeamus.

ASBESTUS, *Amiante,* Stein-Flachs. Eſt lapis filatim ſciſſilis, qui quemque Vulcani furorem deludens, ignibus & flammis reſiſtit. Veteres probe perdocti erant, fila, textilia, pannos, induſia, & multifaria veſtimentorum genera ex hoc lapide conficere, quæ, ſi ſqualore tumeſcerent, non mediante lixivio, ſed per ignem purgabantur. De quo vid. STRABO, Lib. X. DIOSCORID. Lib. V. cap. 156. PLUTARCH. de *Oracul. defectu, Steph.* BYZANT. & ibi BERKEL. pag. 454. & *Luc.* HOLSTEN. pag. 163. PLIN. Lib. XIX. cap. 1. SOLIN. cap. 17. & ibi SALMAS. *in Exercit.* p. 125. APOLLON. *Hiſt. Comment.* cap. 36. & ibi copioſe MEURS. *in Comment.* p. 135. ſqq. ut alios plures jam taceam. Res enim antiquariis jam dudum ſatis nota. Fibræ ejus remiſſiores & tractabiliores ſunt, quam Aluminis plumoſi. Optimam nobis China & Japonia ſuppeditant. Vid. plura de hoc mirabili lapide, apud VALENT. *Hiſt. Simp. Ref.* Lib. I. cap. 18. pag. 37.

BEZOARDICUS foſſilis, *Joannis de Laet;* Lapis Belzoar mineralis foſſilis, *Boconis;* Bezoard minerale, BESLERI, quod & *Geodes,* ALDROVANDI. Eſt lapis ſquam-

moſus, plenus, colore albo, vel cinereo, craſſitie diverſa, figura irregulari ſubrotunda. Bezoar dicitur, tum ab ejus convenientia cum Bezoar animali, tum etiam â virtute alexeteria. *Bezahar* enim vox eſt Arabica, ut notum, qua Medicamentum alexeterium quodcumque venenorum expugnandorum virtute præditum, denotant. Multis in locis reperitur; in Gallia, prope Monſpelium; in Sicilia, circa montem Madonium; in Italia, in agro tiburtino; in nova Hiſpania, in fluvio Detzhuathlan, unde maximi adferuntur. Apud Italos & Siculos, hujus lapidis virtutes, contra venena, febres putridas, variolas, morbillos, ad acidam humorum diatheſin immutandam, ad ſanguinis efferveſcentiam compeſcendam, multum prædicantur. *Sudores & diaphoreſin promovet. Exhibetur ejus pulvis, a granis duodecim, ad drachmam unam, in vehiculo convenienti.* Hactenus GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. p. 81. ſeq.

BUFONITES, Bufonius lapis, Batrachites, Brontias, Chelonites, *Crapaudine*, **Krötenſtein**. Formam lentis vitreæ ſimulans, alteram partem concavam, alteram convexam oſtendit, reperiuntur verſicolores, interdum fuſco pallentes, interdum fuſci, nonnunquam virides & nigri. Sunt qui Bufoniten â Bufone originem trahere autument; & Batrachiten in numerum mineralium atque foſſilium reponant. Sed multum dubitatur, utrum Bufonites, qua talis, exiſtat, vel unquam extiterit. Batrachites vero, qui vulgo pro Bufonita venditatur, experientia teſte, accedit quam proxime ad petrefacta, & lapides, quos figuratos adpellant, & habetur pro dente molari petrefacto Lupi marini. Vid. MERRET. *in Tranſact. Anglic.* Vol. I. p. 301. & ex eo, *Sam.* DALE, *in Zoologia*, p. 513. item VALENTINI *Hiſt. Simplic. Ref.* Lib. I. cap. 23. p. 48. & BOECLERI *Cynoſur. Mat. Med.* Continuat. I. Part. III. p. 868. ſeqq. In regno Daniæ ſæpius occurrit, *illique adſcribitur vis & potentia Lithontriptica; Antepileptica; Alexipharmaca.* Vid. PAULLIN. *de Bufone*, & alios. Sed plures tamen ſunt, qui ne unicam quidem harum virtutum huic lapidi ineſſe credunt. Vid. RIVIN. & LUDOVICI, p. 243. ſeq.

CALAMINARIS lapis, *Pierre Calaminaire*, **Gallmey**. Vocatur quoque *Cadmia foſſilis*. Vid. de hac *Cadmia* inprimis copioſiſſime tractantem SALMASIUM, *de Homonym. Hyles Jatricæ*, cap. 122. p. 223. ſqq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. pag. 205. ſqq. Colore ſubflavo rufeſcente, interdum quoque griſeo, viſui comparet. Ex propriis & metallicis fodinis, præſertim iis, quæ propius Aquiſgranum attingunt, magna copia effoditur. *Hæc Cadmia foſſilis metallicam vim & indolem habet. Si cupro proportionate admiſceatur, & fundendo in unum corpus cum eo coaleſcat, non modo rufum cupri colorem in aureum transformat, ſed etiam illud ponderoſius efficit. Medicis quoque ad Collyria, cataplaſmata, & unguenta exſiccantia ſuam opem officioſa præſtat.*

CALX, lapis Calcarius, *Pierre a chaux*, **Kalchſtein**. Si hic lapis calcarius calcinatus fuerit, calx viva dicitur, & eſt ſpecies marmoris; ex quovis enim marmore igne fortiore calcinato calx viva protrahitur. *Multiplicem medicis uſum porrigit. Admixta cineribus clavellatis, vel etiam communibus, mediante aqua ſuperfuſa, lixivium fortius, ad lapidem cauſticum, vel cauterium potentiale adquirendum, exhibet; inſuper ſmegmati conficiendo, & aquæ calcis vivæ præparandæ conducit. Aqua pura aliquoties probe diluta & edulcorata pa-*

riter emplaſtro defenſivo adjungitur. Vid. Fickii Diſſertat. *de Calce viva, ejusque uſibus,* item Junckeri Diſſ. *de Calce viva*, ut & Cartheuseri Diſſ. *de uſu aquæ calcis vivæ interno*, quem & imprimis vid. *in Fundam. Mat. Med.* Part. I. Sect. II. cap. 9. ubi perquam accurate tractat & de ipſa calce viva, & de ejus infuſo ſalutari. & *Jo. Gotzch.* Trauaus, *de Calce viva*, conf. & de uſu ejus medico, Boerhaave, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. II. Proceſ. 97. pag. 275. Sed vid. quæ contra monet & Büchnerus *Fund. Mat. Med.* pag. 74. verum plura de hac controverſia, infra, Part. II. *ad Aquam Calcis vivæ.*

Crystallus montana, *Criſtal,* Cryſtall, Berg-Cryſtall. Vitri inſtar pellucida, dura atque ſexangularis eſto, nam hoc à fluoribus, qui ſæpe in metalli fondinis aparent, diſcriminatur. In variis locis, Sueciæ, Norwagiæ, Islandiæ, Germaniæ, Bohœmiæ & Hungariæ reperitur, præſertim ex Helvetia nobis advehitur. *Abſorbet. Sed vim ſpecificam ad Diarrhœas bilioſas infantum, quæ à lacte coagulato oritur, nonnulli in dubium vocant.* A Stahlio vero affirmatur, *Mat. Med.* Part. I. p. 240. ubi ex plura de hujus Cryſtalli laudibus, præſertim in Acido temperando & abſorbendo; quas tamen negat Loeseke, *Mat. Med.* pag. 527. Sed validus affirmat & multorum auctorum fide confirmat Franckenau, *Sat. Med.* III. p. 71. ſqq. Conf. Büchner. l. cit. p. 75. & Riedlini *Cur. med.* 115. Cent. II. p. 67. & inprimis Cartheuser. *Fund. Mat. Med.* Parte I. Sect. II. cap. 8. pag. 150.

Glacies Mariæ vulgaris, Amianti ſpecies, *Amiante,* Frauen-Eis, gemein Feder-weiß. Glacies Mariæ, Lapis ſpecularis, Amiantus & Selenites ſic inter ſe conveniunt, ut vix diſcrimen aliquod adpareat. Hunc lapidem nonnulli *Alumen plumoſum* nominant. Fibras plumorum inſtar, ſed tamen molliores habet, quam verum Alumen plumoſum, nec ſapore adſtringit & afficit linguam. *Veterinarii hanc calcinatam pecoribus exhibent, ad temperandam ardorem febrilem.* Sed & ipſis hominibus, præſertim in famoſo illo pulvere virgineo albo Viennenſi, cujus deſcriptionem infra Part. II. ſuo loco dabimus. *Epithema vero ex Aceto & Glacie Mariæ compoſitum, vehementiſſimos capitis dolores, in fœmina quadam nobili, illito mitigaſſe,* obſervavit Riedlinus, *Curat. med.* 791. Cent. VIII. pag. 491. Sed forte hic Acetum plus præſtiterit ipſa illa fatua glacie Mariæ. Judicent artis periti, qui idem forte mecum ſentient. *Argentifices ea quoque utuntur ad vaſa argentea polienda.* Conf. Büchner. p. 85.

Haematites *Hematite,* Blutſtein. Eſt minera Martis, & ferrum quaſi incompletum, recte ſic cenſente Cl. Cartheusero *in Rudiment. Mat. Med.* pag. 486. & *Fund. Mat. Med.* Part. II. p. 602. Colore obſcure rubunte adparet, & adſtringentem ſaporem prodit. Effoditur frequentius in Hiſpania, Suecia, Norwegia, Bohœmia, Haſſia & alibi. Suis inventoribus triformis aparuit. Prima ſpecies *fibris longioribus* in uſus medicos adhiberi ſolet; ſecunda ſpecies *fibris brevioribus*, in formam cranii humani convexa eſt, & à metallariis germanis Glaß-Kopf nuncupatur; & tertia ſpecies *Schiſtus* eſt, & loco fibrarum, inſtar Aluminis ſciſſilis, lamellas oſtendit. *Quævis harum virtutem adſtringentem & martialem patefacit.* Vid. Bauschii *Tract. de Hæmatite,* & inpri-

inprimis RIEDLINI *Lin. Med.* 1696. Menſ. Decemb. Obſ. 22. p. 626. & WEDEL. *Amœn. Mat. Med.* Lib. II. cap. 19. p. 502.

JUDAICUS lapis, *Pierre judaique*, Judenſtein. Nomen citra dubium ſortitus eſt in Judæa, ubi forſan primum repertus fuit; hodie etiam in aliis provinciis occurrit. Formam variat, ſed plerumque olivarum figuram, mox cum pediculo, mox ſine pediculo adoptat, colore cinereo gaudet, & duritie ſilicem ferme adæquat. Petrefactis adnumeratur, & ex ſententia hodiernorum, pro rodiolo Echini marini petrefacto habetur. *Huic eadem vis, quæ ceteris petrefactis, adſcribitur, diuretica ſcilicet & abſorbens.* Sed jure hoc negat *Dan.* LUDOVICI, *in Pharmacia hodierno ſæculo applic.* Diſſ. I. p. 356. item RIVIN. Ceterum vid. ſingularis COSCHWITZII Diſſertatio *de Lapidibus Judaicis.*

LAZULI lapis, *Pierre d'Azur*, Laſurſtein. Sapphiri & Cyani florum inſtar cœruleus eſt, punctulisque & ſtrigis auratis diſtinctus. Lapidem armenium duritie ſuperat, ſed cum illo eandem, ex minera cuprea, proſapiam agnoſcit, quod pluribus docte oſtendit PECHLINUS, Lib. *de Purg.* pag. 286 ſq. Orientalis, & qui in igne colorem non mutat, optimus habetur, & in uſus medicos trahi ſolet, vid TOURNEFORT. Tom. III. *Itinerar.* Epiſt. 18. p. 131. & SALMAS *de Homonym. Hyles Jatric.* cap 119. pag. 217. ſeqq. In vitrum nigerrimum tranſcendit, ſi cum duplo vel triplo ſalis alcali conſociatus, ad colliqueſcendum, vi fortioris ignis cogatur. Hinc late patet, quod hic lapis lazuli majorem quantitatem ferri, quam cupri in ſe contineat. Vagabundi metallarii non nunquam circumferunt lapides colore complete violaceo claros, auratisque lineolis notatos, quos pro vero & genuino lapide lazuli vendere non verentur. Sed cum iſti arſenicalem & martialem vim atque indolem exerceant, habent utique Pharmacopolæ cur caveant, ne hos vero lapidi lazuli ſubſtituant. Interim negandum non eſt, quod myropolia noſtra & genuino lapide lazuli commode carere poſſint. Confer. SCHULZ. *Prælect. in Diſpenſ. Brand.* p. 181. *Confectioni Alkermes intermiſcetur; exhauriendis humoribus melancholicis quoque conducibilis commendatur*, præſertim â WEDELIO, *de Med. Facult.* Lib. II. p. 142. *& Amœnit. Mat. Med.* Lib. II. p. 242. ubi ad ſuam experientiam ipſe provocat. *Colorem amœniſſime cœruleum Pictoribus præbet*, *qui* Ultramarinum *dicitur.*

Inſignes plane virtutes huic Lapidi adſpectu quidem jucundiſſimo, tribuerunt *Zacut.* Luſitanus *Jul. Cæſ.* SCALIGER, *Jo.* LANGIUS, & inprimis SEBIZIUS, ſingulari Diſſ. item *Schrœderus*, & ad eum *Hoffmannus*, *Dolæus*, *Mayerne*, aliique, præſertim vero ipſe *Wedelius*, quod mirum, item quod magis mirum, *Hoffmannus* quoque laudati illius filius, *in Not. ad Poter. Pharmac. Spag.* Lib. II. cap. 26. (qui tamen poſtea ſenior jam factus, ſententiam illam melius mutavit) & *Poterius* ipſe, ut & RIEDLINUS, *Lin. Med* Ann. 1698. Menſ. April. Obſ. 13. p. 294. ſqq. quos cupidiſſime ſequitur, ut ſolet, ille venenorum defenſor FRICCIUS, Tract. *de Virtute Venenorum medica*, Cap. XII. Creditur enim hic lapis pulcherrimus, cœruleo-aureus, Animum hilarem facere, Triſtitiam abigere, corpus floridum conſervare, & Thoracem cum pulmonibus denique à craſſis humoribus repurgare. Sed Ohe! jam ſatis eſt, immo nimium. Nam

ne unum quidem ex his verum eſſe, oſtendunt rectius, *Matthiolus*, *Ludovici*, *Dodonæus*, *Pechlinus*, Geoffroy, Tom. I. *Mat. Med.* Part. I. cap. 7. Art. I. pag. 88. *Rivinus*, *Meade*, *Büchnerus* aliique clariſſimi Medici, qui potius e contrario ſtatuunt, ſuſpectum omnino atque noxium eſſe hujus lapidis Lazuli uſum internum, propter cupreas nempe illas, quibus abundat, particulas, ſanitati, immo ipſi vitæ, ut notum quidem, inimicas. Quare pictoribus potius relinquendus hic lapis, quam pectoribus humanis ingerendus. Licet enim externam ſpeciem, amœniſſimum cœlum Sapphirinum referat, aureis ſtellulis jucundiſſime diſtinctum & ornatum; placido tamen illi ac ſereno cœlo haud temere fidendum; fulgura enim fulmina quaſi minatur, & ſub illis ipſis aureis ſtellis, diri veluti cometæ latere videntur. Quare quum longe ſecuriora remedia, in magna quidem copia, adſint, experientia ipſe edoctus, hujus quidem Lapidis uſum internum penitus diſſuadeo. Conf. infra dicta *ad Confect. Alkerm.*

Lyncis lapis, Belemnites, Ceraunius, Dactylus Idæus, *Pierre de Linx, ou Belemnite*, Katzenſtein, Luchsſtein, Donnerſtein, Druytenfinger. Hic lapis diverſa figura & magnitudine occurrit. Evidentiâ, & colore flaveſcente electrum ferme ſimulat. Figurâ teres eſt, & corporibus duris attritus urinam redolet. Qui conicam vel pyramidalem figuram rectius exprimit, coloreque griſeo-nigricante adparet, ſtricte Belemnites dicitur. Uterque conchiarum & petrefactorum familiæ adnumerari ſolet. Ceterum de hoc lapide integram doctam *Epiſtolam* ſcripſit *Balthaſ.* Lydius, ad Beverovicium, in hujus Epiſtol. Quæſt. p. 161. ſqq. *Parem, cum lapide judaico, virtutem exerit. Stulta plebecula eum quoque ad Ephialten vel Incubum profligandum, & contra febres intermittentes multis nominibus commendat.* Vid. Geoffroy, Tom. I. *Mat. Med.* Cap. V. pag. 83. Qualem virtutem, abigendi nempe formidabilem Incubanem, Jaſpidi quoque tribuit Psellius, *de Lapidum virtutibus*, p. 16. Edit. Cel. *Bernardi*, amici noſtri conjunctiſſimi, ubi & p. 18. deploratum hactenus. Aureliani locum haud infeliciter, ipſo fatente Bernardo, reſtituimus. Sed hæc obiter.

Magnes lapis, *Pierre d'Aymant*, Magnetſtein. Hic lapis colore ferreo exſurgit. Virtutibus ſuis polos mundi fortiter inhiat, ferrumque & limaturam ferri adtrahit, & quo fortius id agat, eo melior cenſetur. *Uſus in medicina paucus eſt; ad emplaſtra exſiccantia nonnunquam adhiberi ſolet.* De hoc mirabili Lapide ſcripſere *Kircherus*, *Balilius*, *Wenck*, *Cabeus*, *Sweigkardus*, *Theophraſtus Paracelſus*, & alii, ex antiquioribus; recentiore vero ævo *Diſſertationes de eodem*, ediderunt Scheidius, Spenerus, & Quellmaltzius.

Nephriticus lapis, *Pierre Nephritique*, Grießſtein. Obſcure viridis, variisque aliis coloribus interſperſus, Jaſpidis ſpeciem deſignat, ſemperque oleo quaſi oblitus niteſcit. Ex Hiſpania & Bohœmia ad nos transfertur, *Ipſum nomen, indolem atque virtutem patefacit. Interne à drachma dimidia ad integram præſcribi ſolet; externe palmæ vel renum regioni firmo nexu adſtringi cupiunt.* De hoc *Lapide Nephritico*, ejus multis, niſi forſan nimiis *virtutibus*, ſingularibus libris, accurate egerunt *Caſp.* Bartholinus, & ante ipſum, *Augerius* Clutius.

Osteocolla, Oſteocollum, Lapis oſſifragus, Marochius, Oſteites, Aſius Dioſcoridis, &c. *Oſteocole*, Steinbruch, Beuchſtein. Sic dicitur ob ſimilitudinem, & formam fiſtuloſam, quam cum oſſibus communem habet. Albicante colore coralliæ inſtar, retegitur, & in terra arenoſa ſe ipſam patefacit. Copioſe reperitur in Palatinatu, Polonia, Pomerania, Haſſia, Franconia, Marchia Brandenburgica, & Sileſia, &c. Coalitum oſſium fractorum promovere & maturare creditur, & quidem potentiſſime, ut monet *Sennertus* noſter, & ex eo, *Wilhelm* TEN RHYNE, *Medit. ad Hippocr.* p. 147. negantibus licet recentioribus, & inprimis Cl. CARTHEUSERO, *in Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. II. cap. 8. p 158. ubi & in antecedentibus plura de mira natura, & origine Oſteocollæ. Sed vid. inprimis ZORNII *Botanolog.* p.488. & quos ibi laudat auctores plures. *Emplaſtris catagmaticis atque ſiccantibus immiſcetur.*

Pumex, *Pierre ponce*, Bimſenſtein. Eligatur levis, albicans & facilis tritu. Ex montibus, qui ignes evomant, Ætna ſcilicet & Veſuvio projicitur. Circa Thermas Emſenſes quoque reperitur. *Vim ſiccantem, adſtringentem, & mundificantem exercet. Ad nitelam vel dentifricium adhibetur.* Vid. infra, Part. II. varias pulverum dentifriciorum formulas, quas pumex præcipue ingreditur.

Selenites, nonnullis etiam Glacies Mariae, *Pierre ſpeculaire*, Frauen-Eis, Frauen-Glaß. Eſt lapis pellucidus & ſciſſilis, vario colore ſed plerumque albicante apparens, figuramque ferme rhomboidalem exprimens. Gignitur in territorio Wirtembergico; & compluribus aliis regionibus. Clarior & pellucidior præferendus eſt. *Virtutem cum Glacie Mariæ & Amianto communem habet.*

Silex, *Caillou*, Kieſelſtein. Omnibus notus atque perſpectus eſt, ſed fluviatilis optimus cenſetur, *& ad liquorem ſilicum adhibetur.*

Smiris, Smyris, *Emery*, Schmirgel. Eſt lapis ponderoſus, ferrugineo & nigricante colore ſe patefaciens. In Hiſpania, Anglia atque Suecia ex ferrifodinis eruitur, & huc aliorſumque transfertur. *Mechanici neutiquam eo carere poſſunt; ſed medicis rarius vel nunquam juvamen ſuppeditare poteſt, niſi nonnunquam ad dentifricia.* Vid. VALENTINI *Hiſt. Simpl. ref.* Lib. I. cap. 17. p. 36. Sed dentes nimis erodit, ac ſenſim deterit, monente GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. p. 202.

Spongiarum lapis, *Pierre d'Eponge*, Schwammenſtein. In ſpongiis marinis naſcitur vel ſaltim reperitur, & eſt concretio tophina ſalſa atque friabilis, cui color griſeo-alba inheret. *Pollet virtute diuretica & abſorbente; ſtrumisque arctandis ac propellendis vim ſuam infert.*

Talcum, Sella terræ, *Talc*, Talch, Talck. Haud multum diſſimile eſt lapidi ſpeculari, niſi quod ex puriore & pinguiore materia conflatum ſit. Verum de differentia inter *Talcum* veterum & recentiorum, vid. accurate tractantem SALMASIUM

in Exercit. *de Homonym. Hyles Jatr.* cap. 120. pag. 219. ſqq. Illud, quod Veneti nobis ſuppeditant, ob pinguedinem & viridеſcentem colorem adoptandum eſt. *Uſui coſmeti dicatur.* Inde famoſum illud *Oleum Talci*, ſummum, ut creditur coſmeticum, a multis quidem quæſitum; ſed a paucis, aut forte rectius, a nullis hucuſque repertum; licet facilem ſimplicemque illius præparandi modum propoſuerit MONCONYUS, *in Appendice ad Itinerar.* p. 977. ne de aliis vanis chemicorum promiſſionibus & præparationibus, jam multa commemorem. Res enim nota ſatis vid. interea *Commerc. Litt. Med. Nor.* Ann. 1731. p. 21. 84. ſqq. & p. 273. ſqq. item Ann. 1732. p. 370. ſeqq. Nuperrime quoque novum oleum Talci præparandi Methodum publice propoſuit Cl. JUSTI, *in Obſerv. Gœtting.* conf. *Leonard.* FIORAVANTI, *dei Secreti rationali*, Lib. IV. cap. 48. p. 142. POMET, *Hiſt. des Drog.* Lib. IV. cap. 13. pag. 105. & *Olav.* RUDBECK, fil. *Ichtyol. Bibl.* Part. II. de Borith Fullon. p. 38. ſeqq. & quos ibi laudat auctores. *Non patitur teri in pulverem, niſi priuſquam mortarium, in quo conteratur, probe calefactum ſit.* Conf. BÜCHNER. loc. cit. p. 87. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. Part. I. cap. 2. p. 79. ſeq.

CAPUT IV.

DE LAPIDIBUS PRETIOSIS.

ADAMAS, hunc gemmarum principem omnibus notum, vel ſola ſub lingua aliquantiſper detentum, quaſvis hæmorrhagias feliciter ſiſtere, obſervavit RIEDLINUS, *Curt. Med.* 686. Cent. VII. p. 425. De interno vero ipſius uſu, acrior eſt controverſia inter Medicos. Sunt enim, inprimis ex veteribus, qui pro atrociſſimo veneno habent ipſius pulverem; ſunt vero etiam, præſertim ex recentioribus, qui non ſolum eundem, ceu plane innoxium, ſed & inſuper, ut præſtantiſſimum remedium, præcipue Antidyſentericum commendant. Qua de re plura vid. in BOETII Lib. II. *de gemmis.* cap. 4. p. 124. *Olai* WORMII *Muſ.* p. 103. *Mich.* ETTMÜLLERI *Colleg. Pharmac. in Schrœd.* p. 11. Tom. II. opp. *Mich. Bernh.* VALENTINI *Muſ. Muſcor.* Lib. I. cap. 15. p. 32. *Hier.* CARDANI *Controv. Med.* 10. Lib. II. Tr. S. CAMERAR. *Hor. Subciſ.* Cent. I. cap. 7. pag. 62. *Sallaſ.* MALASPINAE Lib. I. *Rerum Sicul.* apud Cargium, in Gloſſar. Med. & inf. Latinit. Tomo II. p. 1704. Præſertim autem legi hic meretur, elegantiſſima & adamantis ſplendidiſſimi prætio & præmio quaſi digna Diſſertatio B. amici, celeberrimi SCHULZII, *de Adamante*, Halæ 1737. ubi exemplis noviſſimis luculenter docet, innoxium plane eſſe Adamantis pulverem, etiam magna copia aſſumtum. Sed de hoc ipſo argumento, nos proxime, alio loco plura. Ceterum alias virtutes minus quidem credibiles, Adamanti tribuit PLINIUS, Lib. 37. cap. 4. & ex eo SOLINUS, cap. 65. uti plura vid.

in *Exercit. Plinian.* SALMAS. pag. 763. ſeqq. Add. PSELL. *de Lapid.* pag. 6. ibi Cl. BERNARD.

AMETHYSTUS, *Ametiſte*, Amethiſt. Eſt gemma pellucida, violaceo colore conſpicua. Diſpeſcitur in Orientalem & Occidentalem; *utrique una eademque vis tribuitur. Secum geſtanti ebrietatem impedire ac propellere cenſetur;* ſed ex impoſito potius nomine, quam re ipſa. Vid. PLIN. Lib. 37. cap. 9. & PSELL. *de Lapidum virt.* p. 6. ibique Clariſſ. BERNARD.

CARNEOLUS, Sarda, Sardius lapis, *Sardoine*, Carneol. Eſt gemma ſemipellucida, & a colore carni ſanguinolentae ſimili, nomen adeptus eſt. In Bohœmia, Sileſia, aliisque compluribus locis reperitur; ſed optimus eſt, quem inſula Sardinia nobiscum communicat. *Creditur, quod interne ſumtus, vel externe geſtatus, omnia ſanguinis profluvia, vel plane impediat, vel ſaltim ſiſtat.* Credat, qui volet. vid. *Rivin.*

CHRYSOLITHUS, Topaſius, Chryſopaſius, *Topaze*, Chryſolith. Eſt Gemma pellucida, luteo-virideſcente colore illuſtris. Si rite lævigatus fuerit, fulgore vere aureo reſplendeſcit. Etiam in Bohœmia reperitur; ſed qui ex India adportatur, ſpecioſiſſimus adparet. *Epilepſiæ & Phrenitidi opponitur*, heu fruſtra. Iterum *Rivin.*

GRANATUS, *Grenat*, Granat. Eſt Gemma pellucida, colore puniceo celebris. Reperitur in Hiſpania, Bohœmia, Sileſia, aliisque locis; ſed qui ex oriente advehitur, pulcherrimus eſt: *Hæmoptyſi, cordis palpitationi, & Melancholiæ objicitur*, ſed inutiliter. Conf. rurſus *Rivin.*

HYACINTHUS, *Hyacinthe*, Hyacinth. Eſt gemma pellucida colore croceo-rubente perſpicua. Datur orientalis occidentalis, ſed præferri meretur orientalis. Facile ex inertia & pondere intelligitur, ſi vitro Saturni adulterata ſit. *Vires roborantes* & *antiſpaſmodicæ illi adſcribuntur*, ſed non probantur.

RUBINUS, Carbunculus, *Rubis*, Rubin. Eſt gemma pellucida, mirum in modum dura, amœniſſimaque rubedine ſuperbiens. Optimus eſt, quem inſula Ceyloni porrigit. *Interne hauſtus, & externe geſtatus, Toxico cuivis & Peſtilentiæ obſtare adſeritur*, ſed non oſtenditur.

SAPPHIRUS, *Saphir*, Sapphyr. Eſt gemma pellucida, duritie & colore cœruleo nota, atque notata. *Alexipharmaca, Ophthalmica & Cordialis prædicatur*, at non conceditur. Conf. BÜCHNER. loc. cit. pag. 95.

SMARAGDUS, *Emeraude*, Smaragd. Pertinet ad pellucidas gemmas, & colore viridi memorabilis eſt, ſed gemmarum omnium fragiliſſima exiſtit. Datur Orientalis, & Occidentalis; Occidentalis ex Peru advehitur. *Sanguinis & alvi profluvium ſiſte-*

re; peſtilentialibusque febribus obeſſe creditur. Sed nullo exemplo confirmatur. BÜCHNER. loc. cit. p. 97. & LUDOVICI, *Pharm. Diſſ.* I. p. 259. item RIVIN. in *cenſura Med. officin.* pag. 104. & dudum ante hos omnes, FRACASTORIUS, *de Morb. Contag.* p. 140. Conf. DIETERICI *Jatreum Hippocr.* p. 949. ſqq. Licet ipſi potentiſſimam virtutem epilepticam cum aliis multis, tribuat, JACUT. Luſitan. *Med. Princ. Hiſt.* L. I. pag. 147. ſqq.

Medicorum hodiernorum plurimi optimique hanc ſententiam fovent, quod gemmæ corporibus humanis vix alium & meliorem uſum atque effectum præſtent, ac præſtare valeant, quam ſilices. Ruminare rem, quiſquis es, & proſcriptis præjudiciis, ægre invenies, quod te offendat, & in contrarium rapiat. Nam ſi horum nobilium lapillorum materiem ſpectes, vitrea eſt, & indiſſolubilis, quæ vix & ne vix ſtygiis undis & flammis obtemperet; unde & hoſpes in Medicina facile & modico labore cognoſcere, intelligere, & colligere poteſt, quod officinæ noſtræ pharmacevticæ, ſine ullo ægrotantium diſpendio carere poſſint. Interim cum noſtra Reſpublica Medica jam jam ab omni vetuſtate quaſi, gemmulas adoptare, ſuo albo inſcribere & civitate donare dignas reputaverit, oculis clauſis agere videremur, ſi nunc demum, illis, modo tumultuario, dicam & emigrationem imponeremus. Utantur idcirco jure antiquitus ſibi conceſſo, & placide ſua obtineant ſubſellia, ibique protectoribus ſuis blande arrideant, â quibus totis viribus tutantur, & immenſis laudibus extolluntur, ut fecerunt cum aliis *Wedelius*, *Schrœderus*, & quod mireris, ipſe STAHLIUS *Mat. Med.* Part. II. pag. 9. Verum enim vero Pharmacopœi amantiſſimis verbis rogati atque moniti ſunto, ut ſibi caute proſpiciant, ne a falſariis ludantur, & pro genuinarum gemmarum fragmentis, vitra, fluores, & gemmas factitias ſaturno conflatas, coëmant. Operam dent, ut genuinas ſuâ duritie probe diſcernant â ſpuriis, quæ longe molliores exiſtunt. Capiant inſuper ſibi hoc: ut gemmularum fragmenta non in æneo, ſed ferreo mortario, in ſubtiliſſimum pollinem conterant, priusquam in porphyrite lævigentur; & ſi gemmæ leviter calcinentur, & ignitæ in frigidam aquam injiciantur, melius eſt, quam ſi crudæ, ſine hac calcinatione, terantur. Ad hanc veriſſimam Epicriſin de uſu gemmarum interno, imaginario potius, quam vero, aut experientia comprobato, conf. RIVINI Diſſ. *de Medicamentor. Officinal. Cenſura.* Cap. V. p. 104. ſeqq. & LUDOVICI, *Pharmac.* Diſſ. I. p. 29. & p. 257. ſeqq. item BÜCHNER. loc. cit. p. 90. & LOESECKE, *Mat. Med.* pag. 528. & dudum GESNER. *Epiſtol. Med.* Lib. I. pag. 11.

CAPUT V.

DE METALLIS, MINERALIBUS ET PIGMENTIS.

ANTIMONII minera, *Mine d'Antimoine*, Spießglaß-Erz. Ponderoſa, ſtriata, & quæ obſcure ceruleum & plumbeum colorem prodit, eligenda eſt. Reperitur in Gallia & Germania; ſed quæ ex Hungaria adfertur, præferenda eſt. *Ad Antimonii diaphoretici præparationem adhibetur, ut niveore colore adpareat, ſed prius ab adhærente ſilice vel ſpato purganda eſt.*

Ex Mineralium penu ac promtuario, inquit HOFFMANNUS, *Obſ. Chym.*6. Lib.III. ubi plura de Antimonio, *nullum datur, quod tam magnificis laudibus in Medicina extollitur, quod chymicorum laboribus ita exercetur, & ex quo tanta Remediorum copia educitur, quam Antimonium.* Inde non mirum, tantam hucuſque auctorum chemicorum fuiſſe turbam, qui ſingulares variasque Antimonii vires ſolicite explorarent, & exploratas deſcriberent, deſcriptasque demum enixe commendarent, ut eorum numerus vix iniri poſſit; Interea tamen jam ſufficiat nominaſſe ceu præſtantiores, *Salam, Fabrum, Penotum, Codronchium, Suchlenium, Kernerum, Rolfincium, Hartmannum, Poppium, Poterum* imprimis autem notiſſimum illum *Baſil. Valentinum*, qui Antimonium ſplendido quaſi curru triumphali, per orbem circumduxit, ne jam alios veteres laudem. E recentioribus autem commendari eum in finem, potiſſimum merentur, præter ſummos iſtos *Boerhaavium, Hoffmannum, Stahlium, Lemery, Charas,* & *Neumannum, Alex. Camerarius, Eyſelius, Helwigius, Lamy, Ingwerſen, Meuderus, Steinerus, Kapfer, Hilſcherus, Teichmeyerus,* præſertim GEOFFROY, loc. cit. & noviſſime HUPHENUS *in Tranſact. Angl.* Vol.48. & alii plures, qui ſingulares cum his, Diſſertationes, de Antimonii Natura & uſu, diverſis locis ediderunt, e quibus tamen laudatus modo STAHLIUS parcior eſt in laudando Antimonio, *Mat. Med.* Part. I. Sect. 8. p. 99. ſqq. conf. *Commerc. Nor.* l. c. p. 180. Ceterum, ut id obiter, data occaſione, hic adjiciam, quam calida, ſed inanis rixa, ſuperiori ſæculo inter Medicos præſertim Gallos, atque Chemicos inprimis Batavos, circa ambiguam Antimonii virtutem medicam exarſerit, affatim adhuc patet ex multis ſcriptis, eo quidem tempore, in utramque partem, publicatis, hodie vix ſine faſtidio atque ſtomacho, legendis, quorſum inprimis pertinet lepidiſſimum iſtud poëma gallicum, rariſſime obvium, *ſtimmimachia* inſcriptum, adeo ut ipſa fere Eccleſia per hæreticos illos, *Nomomachos* vulgo dictos, vix vehementius turbata fuerit, quam quidem Medicorum ſcholæ eo infelici tempore, per iſtos *Antimoniomachos*, ut ita dicam, concuſſæ fuerunt. Sed

Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.

Conf. *Caſp.* HOFFMAN. *Paralip. Officin.* Sect. VI. cap. 90. p. 550.

ANTIMONIUM Crudum, Stibium, *Antimoine*, Spießglaß. Ex Hungaria adfertur, & quod longioribus micantibus ſtriis præditum eſt, præfertur. *Antiquitus pro veneno habitum fuit, ſed* KUNKELIUS *illud ab hac ſuſpicione liberavit, & uſui medico dicavit in Laboratorio Chym.* Cap. XXXII. p. 432. ſqq. conf. infra Part. II. dicta ad Morſulos Antimoniales reſtaurantes KUNCKELII, *Commendatur ad morſulos, ad ſcabiem & pertinaces rheumaticos dolores. Veterinarii in morbis pecudum, frequentiſſime eo utuntur. Variisque laboribus chimicis quoque inſervit.* Huc ſpectant inprimis Diſſertationes *de Antimonii Crudi uſu*, quas poſt *Kunckelium* ediderunt, REISEISSEN, FÜRSTENAU, atque JUNCKERUS, quo & pertinet *Ivon.* JOAN. STAHLII Diſſert. *de Salutari & noxio Antimonii crudi uſu.* Commendat quoque uſum crudi Antimonii internum, magnus noſter HOFFMANNUS, *in Obſer. Chym.* 3. Libr III. p. 274. ubi & plura de Antimonio lectu digna & Obſ. 6. p. 288. item *Schulzius*, *Wedelius*, & alii plures. conf. BÜCHNERI *Fund. Mat. Med.* p. 153. & GEOFFROY, de *Mat. Med.* Tom. I. pag. 220. ſqq. inprimis Cl. CARTHEUSERI *Rudim. Mat. Med. Rat.* Sect. XVI. cap. 2. p. 483. & *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XVI. cap. 5. p. 599. ſqq. item *Diſpenſat. Brand.* p. 106. ibique Not. & rurſus HOFFMANN. *Not. ad Poteri Pharmac. Spag.* Lib. II. cap. 12. p. 387. & alii, *in commerc. litt. med. Norimb.* 1732. pag. 179. ſeq. add. LOESECKE, *Mat. Med.* pag. 230. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. pag. 220.

ARGENTUM foliatum, *Argent fin en feuilles*, geſchlagen Silber, Silberblättlein. Argentum ſæpius calefaciendo, ſingulari methodo, inter membranas interiores inteſtini recti bubuli, mediante malleo in lamellas ſubtiliſſimas extenditur. *Ad pilulas obducendas, adhibetur; pulveribusque medicatis ſplendoris cauſſa immiſcetur*, non vero ſanitatis, roboris aut virtutis. Aurum enim & Argentum, item Gemmæ & Margaritæ, corpus quidem ornant externum; non curant vero internum; aliquam Vitæ præſtant commoditatem, non autem ſanitatem, ut modo monitum. Conf. RIVIN. loc. cit. Cap. V. pag. 103. & inprimis aureum de auro judicium ill. HOFFMANNI, *Obſ. Phyſ. Chym.* 21. Lib. III. p. 370. ſqq. & STAHLII *Mat. Med.* Pr. I. cap. 3. pag. 29. ſeqq. *In Sancto quid facit aurum?* quærit Satyricus Perſius, Sat. II. *At in corpore quid facit aurum?* Ego merito quæro cum omnibus rectioris & ſanioris judicii Medicis. Sed hæc obiter. Vid. infra â nobis dicenda, *ad Aurum diaphoreticum.* Conf. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. p. 316. & *Caſp.* HOFFMANN. *Paralip. Off.* Sect. V. p. 545.

ARGENTUM vivum, Mercurius vivus, *Argent vif. ou Mercure* Queckſilber. Eſt liquida ſubſtantia metallica, & baſis quaſi ac fulcimentum omnium metallorum. Datur nativum & dicitur Mercurius virgineus; datur & artificiale, quod ex ſua minera deſtillando elicitur. Et Mercurius virgineus, & minera mercurialis, in Iſtria, largiſſima ubertate effoditur. Reperitur quoque in Hungaria, Traſylvania, & Germania. Qui virgineus dicitur, nec plumbo, nec alio quovis metallo inquinatus eſt, optimus cenſetur. Defraudatio Mercurii facillimo modo atque labore detegitur; nam ſi drachmæ nonnullæ prunis candentibus in ferreo cochleari ſuper inponantur, Mercurius ſtatim avolat, & metallum, quo inquinatus fuerat, relinquit. *Mechanicis, Chymicis pariter ac Medicis, officia ſua præſtat.* Ipſum tamen Argentum vivum cum Cortice Peru-

viano

viano permixtum, ceu efficaciſſimum contra omnis generis febres intermittentes, & malignas quoque Remedium, mire noſtra quidem ætate, commendarunt *Bertini* & *Velambrini*, noviſſime vero *Joſephus* BENEVENUTO in Diſſert. Epiſtolari *de Febribus epidemicis Luccenſibus*, ad Jac. Barth. Beccarium, Luccæ 1753. In ipſa quoque dira peſtilentia debellanda idem plurimum valere, obſervavit *Schreiberus*. Conf. Cl. HEBENSTREITII Diſſert. de *Hydrargyri uſu interno ad mentem recentiorum*. Lipſ. An. 1735. Cui quæſo, hic non dictus Hylas? immo vero Mercurius? Ab omni ſane ævo, ex quo chemia floruit, Mercurius ſemper fuit chemicorum amor, ſtudium, labor, cura ac deſiderium; unde innumeri fere prodierunt Auctores, qui de Mercurio, ejuſque uſu & abuſu, item Medicamentis variis, ex eo productis, & producendis, tam integros libros, quam ſchediaſmata & diſſertationes conſcripſerunt; ex quorum ingenti caterva jam allegaſſe ſufficiat, *Unzerum*, *Salam*, *Billichium*, *Weckerum*, *Giſelium*, *Capum*, *Dapperum*, *Majorem*, *Stahlium*, *Chr. Vaterum*, *Veſti*, *Henningerum*, *Bajerum*, *Rauchium*, *Schulzium*, *Scheffelium*, *Hebenſtreitium*, *Ludolphum*, *Thomſonium*, *Camerarium*, *Wedelium*, *Neumannum*, & ut tandem finiam, nam longe plures adhuc ſuperſunt, magnum BOERHAAVIUM, tam in *Elem. Chem.* quam *ſingulari Tractatu*, & ipſi comparem HOFFMANNUM noſtrum, *Med. Rat. Syſt.* Tom. II. Part. II. cap. 6. & alibi. Conf. Cl BÜCHNER. *Mat. Med.* p. 168. & quos ibi laudat auctores nonnullos, item LOESECKE, *Mat. Med.* p. 293. ſeqq. Noviſſime quoque Viennæ Tentamen Phyſico-Medicum *de Hydrargyro* edidit: *Chriſt. Xaver.* WABST, Med. Cæſar. Caſtrenſ. de quo vid. diaria litt. Gœtting. Ceterum vero ipſum Mercurium vivum ſingularem ac præcipuam vim exſerere, in necandis & expellendis vermibus, multorum clariſſ. Medicorum fide & auctoritate, oſtenditur, in *Th.* BARTHOLINI *Ciſt. Med. Hafn.* Loc. LII. p. 549. ſqq. Conf. infra Part. II. dicenda ad Aquam contra vermes, & Electuarium purificans. Negante licet C. CARTHEUSERO, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XVI. cap. 3. p. 585. rectius tamen affirmante LOESECKE, *Mat. Med.* p. 308.

ARSENICUM album, *Arſenic blanc*, weiſſer Arſenic, Mauß oder Rattengift. Eſt minerale concretum, quod conſtat ex terra metallica & ſale. Partim ex minera arſenicali, (Giftkieſe dictam); partim ex minera ſtanni & Cobalto ſubcæruleo elicitur. Hæ mineræ, ſi uſtulentur, fumum album, allium redolentem, emittunt, & ſi hic fumus camino peculiari, quem Giftfang nominant, excipiatur, ſubſtantiam pulverulentam, albi & cinerei coloris, lateribus camini adhærentem relinquit, quam metallarii Hüttenrauch, & Giftmehl nuncupare ſolent; porro ſi collecta hæc pulverulenta materies, cum portione ſalis alkali proportionata, ſublimetur, ſurgit exinde Arſenicum, *ceu præſentiſſimum venenum*, *cum quo caute agendum eſt*. Prunis candentibus inſperſum, allii odorem ex ſe diffundit. Vid. WEDEL. Diſſert. *de Arſenico*, & alii plures ſcriptores, de venenis, mox laudandi.

Nihilominus tamen nonnulli, etiam ex Medicis ipſis, & quidem, quod tanto magis mirum, haud obſcuri nominis, aut infimæ dignitatis, ut latius patet ex ipſo *Friccio*, mox citando, eo nefandæ temeritatis impune proceſſerunt, ut contra febres præſertim

intermittentes, tertianas nempe atque quartanas, aliosque morbos chronicos, & deſperatos, veluti luem veneream, lepram, maniam, epilepſiam, aliosque inaudita fere audacia, ceu ultimum Medicorum & ægrotorum refugium (niſi rectius effugium ex hac vita, verum enim hic illud eſt tritum vulgo proverbium: ubi virus, ibi virtus, ſcil. ad mortem,) commendarent hunc truculentiſſimum vitæ ac ſalutis humanæ inſidiatorem, nimirum id ipſum Arſenicum album, vid. inter alios FRICCII Tract. *de virtute venenorum medica*, Cap. II. p. 32. ſeqq. per totum hoc caput perquam longum ac diffuſum. Quo & pertinet poſt KOENIGIUM, *Regn. Vegetab.* p. 83. SLEVOGTIUS, quod mirum, qui *modeſtam*, ut vocat quidem, *Arſenici excuſationem* ſcripſit, quam tamen ob immodicas immeritasque plane laudes, veneno illi truculentiſſimo tributas, pace ipſius, rectius immodeſtam dicere decet. Sed vid. contra *Frid.* HOFFMANN. *Pharmac. Schrœder.* Lib. III. cap. 27. *Jo. Jac.* WEPFER. *de Cicut. aquat.* Cap. XXI. hiſt. 13. in Schol. 3. HELMONT. *Pharmac.* & *Diſpenſat. hodierno.* Tract. 52. p. 375. & inprimis WEDEL. Diſſert. ſingulari, *de Arſenico*, jam laudato, item SPERLING. in ſimili Diſſ. nec non *Brandan.* MEIBOMII Diſſ. *de Arſenico.* Conf. BÜCHNER. *Mat. Med.* p. 165. ſqq. & RIEDLINI *Lin. Med.* Ann. 1699. Menſ. Nov. Obſ. 4. p. 1174. ſqq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. p. 195. item STAHLIUM *Mat. Med.* Part. II. p. 20. & alibi, ut taceam *Hoffmannum* fil. *Boerhaavium*, *Sydenhamium*, *Cratonem*, *Verzaſcham*, *Diemerbroekium* & alios, quos laudat magnus *Richard* MEAD, in eximio plane libro, *of Poiſons*, *ſeu de venenis.* Eſſay IV. of Poiſonous minerals, p. 220. 221. ubi juſtiſſime ipſe damnat, poſt *Ant.* DEUSINGIUM, Tractat. *de Peſte.* Part. IV. Sect. III. cap. 3. vid. nos infra ad *Emplaſtrum magneticum*, vel externum Arſenici in Amuletis & Emplaſtris uſum, fruſtra & male commendatum ab HARTMANNO, *in Prax. Chym.* p. 130. & Medicis Hafnienſibus, apud *Thom.* BARTHOLIN. *in Ciſt. Med. Hafn.* p. 232. ne quid de perniciosiſſimo uſu interno, ſeu rectius abuſu jam dicam. Conf. RIVINI Diſſ. de *Med. officin. Cenſura*, p. 76. Sed de his nunc ſatis.

ARSENICUM citrinum, ſive flavum, *Arſenic jeaune*, gelber Arſenic. Eſt concretum artificiale, quod oritur, ſi Arſenicum album cum decima parte ſulphuris permixtum, ſublimetur. *Venenum cauſticum eſt, ſed ob ſulphur admixtum, paululum mitius, quam album exiſtimatur.*

ARSENICUM rubrum, *Arſenic rouge*, rother Arſenic, Rauſchgelb. Quoque ex Arſenico albo, cum pyrite ſulphureo permixto & ſublimato adſurgit. *Dicatum eſto pictoribus*, haud pectoribus, ut ille ſceleſtus Pharmacopœus creditur, qui Arſenico hoc rubro Confectione Alkermes condito, maligne peremit, apud AMMANN. *Med. Crit.* p. 483. ſqq.

AURIPIGMENTUM, Sandaracha Græcorum, de qua vid. SALMAS. *Exercit. Plin.* p. 811. ſqq. *Orpin, ou Orpiment*, Operment, Auripigment, Goldgelb. Eſt minerale nativum & foſſile: Quod ex Turcia venit, punctulisque quaſi aureis notatum eſt, ac colore citrino comparet, optimum habetur. *Venenum eſt, nam ex arſenicalibus*

particulis, cum ſulphureis intermixtis conſtare vulgo traditur. Arti Pictoriæ, & iis, qui cuticulam deplilandam curant, ſuam opem confert. Cum calce viva intermixtum, conſtituit illum liquorem, quo vinum Lithargyrio infectum probatur. Requiriturque ad atramentum ſympatheticum. Vid. ALBERTI Diſſ. *de Auripigmento,* & HOFFMANNI *Obſ. Chym.* I. Lib. III. ubi per ſe venenatum eſſe auripigmentum inficiatur, quod & alibi fecit, *Med. Conſult.* Tom. I. Dec. V. Caſ. 6. & Diſſ. *de Venenis & Philtris,* p. 28. Conf. Cl. BÜCHNER. *Mat. Med.* p. 146. Interim tamen nolim illud temere commendare in Phthiſi, aut Empyemate, cum *Dioſcoride, Avicenna,* & quod mirum, WILLISIO, *Pharm. Rat.* Part. II. Sect. I. cap. 6. p. 70. & aliis, aut in dira lue venerea, cum *Fallopio,* obſervante HOFFMANNO, loco Obſ. Chym. cit. p. 266. Neque inde approbaverim illud ſic dictum Petum phthiſicum, deſcriptnm & commendatum â FULLERO, *Pharm. Extemp.* p. 275. quod unciam nempe dimidiam Auripigmenti continet. Vehementer enim vereor, ne ipſius fumus intra pulmones hauſtus, Phthiſin potius excitet, quam extinguat. Conf. infra Part. II. dicta Extractum Peticum; & præſertim GEOFFROY *Mat. Med.* Tom. I. pag. 186.

AURUM foliatum, *Or fin en feuille,* geſchlagen Gold, Goldblättlein. Eâdem methodo, quâ argentum foliatum, paratur, uſibusque iisdem dicatur. Vid. MARCHII, MICHAELIS, MORHOFI, TEICHMEYERI, WALDSCHMIDII, & aliorum Diſſert. *de Auro.* Sed merito damnat hunc auri foliati abuſum STAHLIUS *Mat. Med.* Part. I. pag. 43.

CADMIA nativa, foſſilis, metallica, Cobaltum, *Cadmie, Calamine, Cobalt,* Kobalt, Mücken- oder Fliegengift. Eſt minera arſenicalis, quam metallarii Gift-kieſe nominant. Eruitur copioſe in Miſnia; ſed differt a Cobalto illo, ex quo, admixtis ſillicibus & ſale alkali, Smaltum elaboratur, & cui hinc nomen impoſitum eſt: Farben-kobalt. Hoc quoque in argentifodinis Wirtembergicis reperitur. *Utrumque in venenorum cenſum venit. Cobaltum vim ſepticam exſequitur. Aqua ſuperfuſum muſcis enecandis præponi ſolet.* Vid. GESNERI *Hiſtoria Cadmiæ faſſilis metallicæ.* Conf. *Satyr. Med. Sileſ. Mantiſſ.* ad Spec. V. N. II. p. 98. ſqq. & noviſſime *Franc. Rudolph.* â SCHWATHHEIM, Diſſ. *de Cobalto.* Hal. 1757.

CERUSSA alba Norica, *Ceruſſe blanche,* weiß Bleyweiß. Eſt factitium quid, & per calcinationem vaporoſam, ex plumbo, ſcita manu ac methodo elaboratur. Alba, ponderoſa, & quæ nec creta, nec bolo albo, adulterata ſit, eligatur. *Siccantem, adſtringentem & refrigerantem vim exerit. Emplaſtris atque unguentis intermiſcetur; pictoribus quoque ſuum officium prolixe confert.* Vid. huc SLEVOGTII Diſſert. *de Ceruſſa.*

CERUSSA citrina, *Ceruſe jaune,* Bleygelb. Oritur ſi calx plumbi in flavedinem calcinetur. Colore citrino adpareat, quam eligas. *Pictoribus ſubſidio venit.*

CERUSSA Veneta, *Ceruſe de Veniſſe*, Venediſches Bleyweiß. Sic dicitur, quia olim Venetiis parata fuit. In minutulis conulis divenditur. Alba, & quæ guſtu dulcis ſit, ſeligatur. *Pictoribus arridet, quia colorem album conſtantiorem præſtat, quam illa Norica vulgaris. Sed omnibus ceruſſæ ſpeciebus, longe præfertur, illa, quæ ex lamellis plumbeiis, juvante ſale communi & aceto, elicitur.* Hanc nonnulli Schifferweiß, nominare ſolent. *Adſtringentem, reprimentem & ſiccantem vim habet, ut reliqua producta ex plumbo. Emplaſtris, unguentis & Collyriis intermiſcetur.*

CHALYBIS limatura, *Limoille de Mars, ou de fer*, Stahlfeil, gefeilter Stahl. Eligatur limatura ferri puri, quod cupro non inquinatum ſit. Si limaturam cupri puri, cum limatura ferri puri commiſceas, tamen ope magnetis, plane & explicate limaturam ferri â limaturâ cupri iterum ſeparari poteſt. Sed oleum & operam perdis, ſi in limatura ferri cupro inquinati, ope magnetis venerem â marte ſegregare deſideres; nam particulæ, quæ â ferro venere inquinato, limâ abraduntur, ex altero latere ferreæ, ex altero vero cupreæ exiſtunt, quas magnes eâ parte arripit, quâ ferreæ ſunt, licet ex adverſo cumprum adhæreat. Obſervante *Henkelio* & duplum Veneris cum ferro fuſum, magnetem ſequitur. *Variis uſibus & Chymicis, & Medicis accommodatur.* De quibus vid. infr. Part. II. ſuo loco, *de varia Chalybis præparatione*, & diverſis ſalutaribus Medicamentis, ex eo paratis. De multis magnisque chalybis uſibus medicis multi ut notum egerunt, inprimis autem accurate *Clandinus*, *Monardes*, *Penotus*, & nuperrime *R.* BEARD. ſingulari Diſſ. *de uſu & operatione Chalybis*, item HARTMANNUS, HOMBERGK, VATERUS, DEHN, BÜCHNERUS, WALTHERUS, ZANICHELLI, NEUMANNUS, ALBERTI, in Diſſert. *de Ferro*, & dudum ante ipſos MICHAELIS. Lipſ. in ſimili Diſſ. *de Ferro. Rud. Wilh.* KRAUSSIUS Diſſert. vulgavit ſub ſplendido, & nimis forte magnifico hoc Titulo: *Mars ſalutifer omnigenum morborum debellator.* De Remediorum autem Martialium præparatione & uſu medico interno, multi ſcripſerunt, ut *Henningerus*, *Veſti*, *Jo. Maus*, *Hoffmannus*, *Weberus*, *Janus*, *Nebelius*, *Teutſch*, & modo laudatus *Hombergkius*, aliique qui ſingulares *de Martialibus Remediis* ediderunt Diſſertationes. Conf. BÜCHNERI, *Mat. Med.* p. 184. ſqq. GEOFFROY. *Mat. Med.* Tom.I. p. 286. ſeqq. item in obſervat. *de Marte & Vitriolo*, præmiſſis iſti Tomo I. p. 61. ſeqq. ut & RIEDLINI *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Auguſt. Obſ. 27. p. 262. & Ann. 1696. Menſ. Mart. Obſ. 21. p. 135. ſqq. item Ann. 1697. Menſ. Jun. Obſ. 22. p. 402. ſeqq. & Cur. Med. 12. Cent. I. & Cur. 160. Cent. II. p. 93. & Cur. 248. Cent. III. p. 145. & Cur. 698. Cent. VII. p. 433. it. Curat. 966. Cent. X. p. 681. ſqq. Noviſſime autem *de Ferri Hiſtoria naturali, præparatis & uſu medico*, ſingulari docta Diſſertatione egit *Edward* WRIGTH. Edinburg. 1753.

CHRYSOCOLLA, Viride montanum, Berggrün. Vide TERRA viridis.

CHRYSOCOLLA cryſtalliſata, factitia eſt Borrax. Vide SALIA nativa.

CINNABARIS factitia, *Cinnabre artificiel*, Zinnober. Componitur ex Mercurio & Sulphure. Videatur Pars poſterior, ubi & Cinnabaris Antimonii mentio fit.

CINNABARIS nativa, *Cinnabre mineral*, Berg-Zinnober. Eſt minera Mercurii, interdum particeps auri, de cinnabari veterum longe diverſa, Vid. SALM. *Hylyatr.* cap. 105. p. 175. ſeqq. Optima adportatur ex Tranſylvania, Hungaria, & Japonia, de qua poſteriore vid. *Kampfer* & *Halde*. Pura eſto ab adhærentibus lapillis, & liberata de ſabulo & ſpato, nec inquinata ſit Riſigallo. *Uſui medico frequentius admittitur. Sed antequam interne exhibeatur, prius ſublimanda eſt.* Vid. *Hoffmann.* FULLER. *Med. Extemp* p.69. SCHULZ. *Prælect. ad Diſpenſator Brandenb.* p.62. *Hartman. Febure*, & alios.

Uſus quidem Cinnabaris in Medicina ſatis eſt frequens, ſed non ſatis certus, & exploratus, quin potius vanus ſæpe & inanis, prout id liquido ſolideque nuper oſtendit Cl. CARTHEUSERUS in Diſſertatione ſingulari *de Cinnabaris inertia medica*, item poſtea in *Pharmacologia Theoretico-Practica*, Sect. VII. pag. 457. & in *Rudim. Mat. Med.* Sect. XVI. cap. 2. p. 480 ſqq. item *Fundam. Mat. Med.* Part. II. Sect. XVI. cap. 4. p. 591. ſqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 309. ſqq. & GMELIN in Diſſert. *de Botanica & Chemica ad praxin med. applicata*, & noviſſime poſt ipſum Cl. HUNDERTMARK in erudita Diſſert. *de Mercurii vivi cum ſalibus mixti ſumma in corpus humanum vi, ejuſque cum ſulphure laxius, vel arctius conjuncti virtute in idem nulla* Lipſ. 1754. p. 83. conf. poſt magnum BOERHAVIUM *Elem. Chem.* Tom. II. Part. III. Proc. CCII. pag. 432. ipſe Cl. BUCHNERUS in *Fundam. Mat Med.* p. 163. ſeq. & nos infra Part. II. *ad Aurum Horizontale*. Licet Cel. SCHULZIUS Cinnabari plurimum, imo forte rectius nimium virtutis tribuerit, in morbis præſertim infantum curandis, *in Prælect. ad Diſpenſat. Brand.* pag. 61. vid. & RIEDLINI *Lin. Med.* An. 1695. Menſ. Decemb. Obſ. X. p. 428. ſeqq. & Menſ. Sept. Obſ. 6. pag. 277. Ceterum *de Cinnabaris Natura & uſu*, vid. *Gothofred.* SCHULZII, ut & *Matth.* TILINGII *Scrutinium Cinnabarinum*, item CLAUDERI, & HAFSTETERI Diſſ. *de Cinnabaris Natura*, ut & FULLERI *Med. Extemp.* pag. 69. & *Sam.* DELE *Pharmacolog.* p. 69. ſqq. item STAHL *Mat. Med.* Part. I. p. 147. ſqq. & 157

COBALTUM, vid. Cadmia foſſilis metallica.

FELL VITRI, Recrementum vitri, Sal vitri, Anatron, *Sel de verre*, Glaß-Gall. Eſt ſpumoſum ejectamentum, quod in officinis vitreariis, materiæ illi calliquatæ, ex qua vaſa vitrea funduntur, ſupernatat. Alkalicæ indolis eſt, & in eandem cum ſalibus neutris lancem imponitur. Album, leve & ſpongioſum adparet; *diureticam vim exerit, & dentifriciis immiſcetur.*

INDIGO, Indicus color, *Inde*, Indig. Singulari opera & artificio ex planta *Anil* in utrâque India & Orientali & Occidentali elaboratur. De variis *Indici* ſpeciebus, optimisque earum & peſſimis, ipſiusque præparatione copioſe tractat VALENTINI, in *Hiſt. Simp. Reformata*, Lib. I. cap. 3. p. 8. ſqq. præſertim *in Ind. Literat.* p. 481. ſqq. ut & *Phil.* BALDAEUS, in *deſcript. Malabar & Coromandel*, cap. 24. p. 163. ſqq. item BOECLERUS in *Mat. Med. Hermann.* continuat. II. Part. I. cap. 8. pag. 502. ſeqq. & WEDEL. Exercit. *Med phil.* 9. Dec. IV. p. 42. ſqq. ut plures alios jam taceamus. Qui undis intruſus non ſubmergitur, ſed quaſi ſolertia natandi præditus, iterum iterumque

emergit, & coeruleum colorem modice dilutum præ ſe fert, optima habetur, & obſcuriori præferri ſolet. *Pictoribus atque tinctoribus mancipatus eſto; nam illo medici rarius utuntur*, monente inprimis *Langio*. *Vehementer adſtringit, & nimios alvi & lochiorum fluxus ſiſtere dicitur*. Docente inprimis MURALTO, in *Ephemerid. Nat. Curioſ. Martinum* tamen *Liſterum*, memorante *Rajo*, in Ictericis affectibus, pilulas ex Indigo, ad drachmam, quotidie ſumendas, aliquoties præſcripſiſſe, tam ſalutari cum effectu, ut ægri copioſius urinam redderent, retulit BOECLERUS, loc. cit. pag. 504. qui ipſe ab hac ſententia haud alienus eſſe videtur. Sed quum ſecuriora & exploratiora medicamenta uragoga præſtent, ut notum, nemini proinde auctor ſuaſorque fuero, ut periculum illius faciat, forſan cum periculo.

FERRI flores, *Fleurs de Mars*, Eiſen-Blüthe. Ad Stalactitas pertinent, & ex concretione alba, ſtriata, corolliorumque inſtar ramoſa conſtant, quæ cuniculorum & fodinarum martialium parietes exſudare ſolent. Adferuntur ex Styria; interdum etiam reperiuntur in ferrifodina illa Wirtembergica, quæ civitati *Aalen* proxima eſt. *Adſtringunt; ſed paulum martialis virtutis poſſident*.

LACCA florentina, *Lacque fine de Florence*, Florentiner Lacc. Eſt pigmentum purpureo rubrum, & extrahitur ex Coccinilla; Quam ſæpiſſime etiam ex Braſilienſi ligno, lixivio cocto, & Alumine præcipitato elicitur. Vid. CARTHEUSER. *Elem. Chym.* pag. 152. ſeqq. Quæ venuſta rubedine & levitate ſe commendat, eligatur. *Adſtringit, & tingendis trochiſcis Alkermes, pulveribusque dentifriciis, nec non electuariis gingivalibus ſuum fucum communicat. Sed præſertim utili ſua atque amœna benevolentia pictores ſibi obſtrictos reddit*. Vid. infra Parte II. ſuo loco.

LACCA in globulis, *Lacque Columbine*, Kugel-Lacc. Ex ligno Braſilienſi, lixivio, alumine & creta adquiritur, & dilute purpurea adparet. *Adſtringit; pictoribus ſervit; & dentifricia tingit*, de quibus infra Part. II. ſuo loco, de dentifriciis pulveribus.

LACCA coerulea, *Turneſol en pâte, Orſeille*, Lacc-Blau. Paratur ex ſucco Heliotropii Tricocci, ſive Ricinoidis *Tournifortii*, calce, urina, & ſubcinerea terra *perelle* vocata, quod hic addit *Valentini*. In glebis ſiccis figuræ cubicæ adfertur ex Gallia & Batavia, quæ tamen illi præfertur. Maximam laudem meretur, quæ ſpecioſe coerulea eſt, & levitate ſe commendat. *Tinctoribus, & illis, qui tragemata perficiunt, officia grata confert*. Hæc BOECLERUS, in *Cynoſur. Mat. Med. Hermann.* Contin. II. Part. I. cap. 8. pag. 504. ſqq. add. VALENTINI *Hiſtor. Simpl. Reform.* Lib. II. Sect. III. cap. 9. pag. 152. ſq. POMET Hiſtoire de Drogues. pag. 157. & alios ab ipſo *Valentino* atque *Boeclero* laudatos.

LITHARGYRUM auri, Lithargyrus, *Litharge d'or*, Goldglette. Ex plumbo producitur, & in purgatione argenti per plumbum exſurgit. Rubicundiore colore adparet, quam Litargyrum argenti; nam quia magis coquitur & calcinatur, hinc color evaſit ſaturatior.

LITARGYRUM argenti, Litargyrus, *Litharge d'Argent*, Silberglette. Hoc cum præcedente paris paſſibus ambulat, ſed colore pallidius eſt. Plumbum ex ambobus modico labore poteſt reſtitui. In cappellatione, im Abtreiben, plumbum abſorbet cuprum, quo argentum inquinatum eſt, & ſimul cum illo in ſemivitream materiem tranſcendit. Hinc Saccharum Saturni ex lithargyro, particulis venereis infecto, non probatur ad uſus medicos internos. Quod ex puro plumbo in ſeparatione argenti acquiritur, optimum eſt. Solutio lithargyri venere infecti virideſcit; ſed hoc non evenit ſi lithargyrum ex puro plumbo conſiſtat. *Utrumque horum ſiccat, refrigerat, & emplaſtris ac unguentis intermiſcetur.* Vide infra Part. II. de unguentis.

MARCASITA, Biſmuthum, *Biſmut*, *Etain de glace*, Wiſmuth. Eſt metallica ſubſtantia, quæ ex propria ſua minera expromitur. Inprimis in Miſnia, ſed etiam in Ducatu Wirtembergico circa venas argenti reperitur. Quæ alba eſt, & colorem argenteum evidentius exprimit, exoptanda eſt. *Maximus uſus eſt Coſmeticus & Mechanicus.* Internus uſus valde ſuſpectus, nam Biſmuthum arſenicalem indolem patefacit, & plerumque cum cobalto pro-coeruleo commiſtum adparet.

De *Biſmuthi* noxis & diris effectibus in corpore humano, vid. *Wepfer. Fernelius*, *Harſtius*, *Palmarius*, & qui hos laudat, *Melch.* FRICCIUS, Tract. de *Virtute Venenorum medica.* Cap. XIV. pag. 266. ſqq. Add. FRIEDLIB, RIBENTROST, & KEILINGII Collectanea *de Biſmutho*, & JACOBI, Diſſ. *de eodem*, item ill. *Rich.* MEAD. *Account of poiſons*, Eſſay IV. of poiſonous Minerals pag. 215. ſqq. & STAHL. *Mat. Med.* Part. I. Sect. 8. pag. 97. ut & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. p. 240. Internum ipſius uſum emeticum merito damnat & rejicit B. SCHULZIUS *Prælect. ad Diſpenſat. Brand.* p. 182.

MINERA Martis ſolaris, *Mine Martial d'Heſſe*, Heſſiſcher Eiſen-Vitriol-Kieß. Eſt minera martialis, ab omni inquinamento venereo immunis, & claſſi pyritarum, quas metallarii Waſſer-Kieſe nominant, adnumeratur. Obſcure glauca eſt, & Antimonii mineræ inſtar fruſtulis nitentibus, reſplendeſcit; vitriolaceum ſaporem habet. Fragmina ejuſdem figuram ovalem exprimentia, plerumque in argillaceo ſolo deliteſcunt. In compluribus Haſſiæ locis, præprimis circa pagum *Almerod* reperitur. Vid. HENKELII *Pyrotolog.* & STAHL. *Obſ. Chym. & Phyſ.* 64. pag. 84. *Vitriolum Martis verum exinde poteſt educi. Ubi alia martialia adhiberi ſolent, ſubſtituendo quoque in ſubſtantia datur à granis decem ad viginti.*

MINIUM rubrum, *Minium*, Mennig, Rother Meng, Mini. Eſt calx plumbi, reverberata ad hunc rubentem colorem. Vid. de hac Minii præparatione præter alios, STAHL. *Obſ. Chym. & Phyſ.* 102. p. 149. ſqq. Minium autem veteres cum cinnabari propter cinabarinum fere colorem, confudiſſe, atque etiam cinabarim vocaſſe, multis oſtendit SALMASIUS *Exercit. Plin.* p. 140. & p. 814. ſqq. conf. ſi tanti, *Emendat. Heſych.* ſpecimen noſtrum, pag. 27. Turcicum præſtantius eſt, Norico, quo noſtrates utuntur. *Pictoribus prodeſt; ſiccat, refrigerat, & emplaſtris ac unguentis additur.*

NIHILUM album Pampholyx, *Calamine blanche*, weiſſes Nichts. Ceu flos

plumbi inter fuſionem minerarum & reductionem Lithargyri & cineritiorum ad latera camini adpellitur vel ſublimatur. Album, leve & impalpabile ſit, nec acrimoniam quampiam ſapiat. *Refrigerantem & ſiccantem virtutem tenet.* Vid. LOWSON Diſſert. de *Nihil albo*, & LOESECKE *Mat. Med.* pag. 486. ſqq. *Emplaſtris, unguentis & collyriis additur.* Vid. infra Part. II. ſuo loco.

OLEUM Petræ album, Petroleum album, *Petrole blanche*, weiß Stein-Oel. De his *Petroleis* ſcripſit olim *Libavius*, melius autem noſtra ætate WEDELIUS ſingulari Diſſ. *de Petroleo*, & poſt ipſum, noviſſime, Argent. 1734. pariter de hoc *Petroleo*, diſſeruit HAESSELIUS. Conf. BÜCHNERI *Mat. Med.* pag. 135. & inprimis *Franciſ.* ARIOSTI Tract. *de oleo Montis Zibini*, ſeu *Petrolei* agri Mutinenſis, quem primus ex Mnſct. edidit *Oliger Jacobæus*, Hafniæ 1690. Accurate quoque de *his Petroleis* tractat GEOFFROY. Tom. I. de *Mat. Med.* pag. 156. ſqq. Ceterum Petroleum naturale, non artificiale, externe ſupra renes unctum, ceu optimum Remedium ad comminuendum, frangendum & pellendum calculum, ſummopere laudat & Medicis eximie commendat Domin. *Panarolus*, *Obſ. Med. II.* Pentecoſt. II. pag. 63.

OLEUM Petræ nigrum, Petroleum nigrum, *Huile de Gabian, Petrole noire*, ſchwarz Stein-Oel.

OLEUM Petræ rubrum, Petroleum rubrum, *Petrole rouge*, roth Stein-Oel. Hæc olea ad regnum minerale referuntur. Petroleum enim eſt Naphta ſive Bitumen liquidum, quod ex terræ & rupium fiſſuris exſtillat, & in fontibus colligitur, ubi undis innatat.

I. Album, ex Sumatra inſula, Perſia, & Ducatu Italiæ Modenenſi, venit. De Naphta alba Perſica, vid. KAEMFER. *Amoenit. Exot.* Faſcic. II. Relat. II. pag. 274. ſqq.

II. Nigrum ex Languedocia advehitur, ubi prope pagum Gabian ſe patefacit. Vid. KAEMPFER. loc. cit. pag. 277. ſqq.

III. Rubrum, quod ex Italia & Sicilia adportatur optimum & utiliſſimum eſt. Ex carbonibus foſſilibus quoque oleum aliquod deſtillando elicitur, quod petroleo ſimillimum eſt. Primum album adparet, poſtea rubrum, & ultimo gradu ignis cogente, nigrum empyrevmaticum fœtidum evadit. Hæc olea vix & ne vix â nativo Petroleo diſcerni poſſunt, viresque cum illo communes abſolvunt. Eligatur liquidum, ſpirituoſum, & quod moleſte non odoret. *Petroleum album, cum rubro, calefacit, digerit, reſolvit, & nervos conſolidat. Interne nunquam vel rarius adhibeatur, quia ſanguinem nimium perturbat. Petroleum nigrum nativum, â nonnullis tanquam probatiſſimum & præſentiſſimum anthelminticum celebratur, & interne ad guttas tres vel ſex ſumendum præſcribitur.* Cum Petroleo congruit.

OLEUM Terræ, *Huile de terre*, ante paucos annos ex India Orientali, ſed non ſine magno labore, imo & periculo ſæpius, cœpit advehi. Colore pellucide rubro adparet, & eundem cum petroleo odorem diſpergit. Datur & nigrum, quod *Piſſelceon*, vocatur, & ex India Occidentali tranſmittitur. *In affectibus nervorum externe adhiberi mos eſt.* Vid. de hoc Terræ oleo pretioſiſſimo, BONTII Not. *ad Garciam ab Orta*, p. 22. & ex eo HOFFMANN. *Not. ad Schroeder.* p. 388. DALE *Mineralog.* p. 55. & qui hos laudat, VALENTINI *Hiſtor. Simplic. Reform.* Lib. I. Cap. XI. p. 25.

ORLEANA, Orlean, *Achiotte*, *Rocou*, *Roucou*, Orlean. Ex granis Bixæ, ſive Mitellæ Americanæ maximæ tinctoriæ TOURNEFORTII in maſſam coagmentatur, & ex America adfertur. *Refrigerantem & adſtringentem virtutem poſſidet. Rarius tamen apud nos, frequentius autem apud Americanos*, teſte HERNANDEZIO, Lib. III. *Rer. med. Nov. Hiſpan.* p. 74. ſqq. *in uſus medicos adhibetur. Maximam utilitatem, tinctoribus, ad textilia colore aurantio inficienda, confert.* Neque nimium madida, neque nimium & tota exſiccata ſit, ſed tamen levis, quam exoptes. Ceterum plura vid. apud VALENTINI, *Hiſt. Simplic. Reform.* Lib. I. pag. 7. ſqq. & BOECLER. *Cynoſur. Mat. Med. Hermann.* Contin. II. Parte I. cap. 5. pag. 129. ſqq.

SANDARACHA Græcorum, *Riſigallum*, Rauſchgelb. Vide Arſenicum rubrum.

SULPHUR Caballinum, *Soufre groſſier*, Roß-Schwefel. Conſtat ex fecibus, quæ remanent, in ſulphuris citrini rectificatione & purificatione. Pulveri immiſcetur, quem veterinarii morbidis equis ingerunt.

SULPHUR Citrinum, *Soufre jaune*, gelber Schwefel. Ex pyritis, vi ignis fortioris depellitur. In Suecia, & Germaniæ nonnullis provinciis copioſe datur, nec Ducatus Wirtembergicus eo caret. Purum & citrinum eligito. *Mechanici & Medici varie & prolixe eo utuntur. Adſcribitur illi interne ſumto, vis aperiens balſamica, & alexipharmaca; externe adhibito, ſiccans atque repellens.*

De ſulphuris uſu & præſtantia, multi multa, & olim, & hodie: Sic ſuperiore ætate, de eo Penotus, Sala, Billichius, Rolfincius, & alii plures apud Mercklin. Noſtra autem memoria, præter Chemicos ſummos, Stahlium (in Anatomia Sulphuris communis.) Boerhaven. Hoffmannum, & alios, præſertim Neumannum, ſingulares Diſſertationes de eodem ediderunt, Slevogtius, Hambergerus & Wedelius, aliique. *De medicamentis* vero *ex ſulphure paratis* Diſſert. ſcripſit FÜRSTENAU, aliam autem *de Sulphure*, ceu præſtantiſſimo Bezoardico, DETHARDINGIUS. Conf. Cl. BÜCHNERI *Mat. Med.* p. 148. & Cl. CARTHEUSERI *Rudiment. Mat. Med.* p. 476. ſeq. & *Fundam. Mat. Med.* Parte II. Sect. XVI. cap. 1. pag. 571. ſqq. item LOESEKE *Mat. Med.* p. 233. ſqq.

SULPHUR vivum griſeum, veteribus, ἄπυρον, *Soufre vif*, lebendiger grauer Schwefel. In Islandia, & Italia, inter Neapolim & Puteolos deprehenditur. Elige, quod purum, & ſabulo non permixtum & contaminatum ſit. *Antecedenti viribus par eſt.*

TUTIA, Thutia, Nihil griſeum, Cadmia, Botrytis, Tutia Alexandrina, *Tutie*, Tutian. Eſt productum metallicæ propaginis, & aſſequitur in fornacibus, ubi æs caldarium funditur. Vid. VALENTINI *Hiſt. Simplic. Reform.* Lib. I. cap. 27. p. 55. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. pag. 210. Quæ fracte cinerea eſt, quæ denſa & modice gravis, eligatur. *Cuprum colore aureo obvelat. Siccantem & detergentem vim exerit; Collyriis ungentis ophtalmicis, & emplaſtris ſiccantibus admiſcetur.* De quibus infra Part. II. ſuo loco.

TORNA Solis rubra, Bezetta, *Torneſol en drapeau*, Farb- oder Schminck-Flecklein, Spaniſcher Flor. Sunt linteola cochinillæ fuco imbuta. Quæ amoene rubra, & ſaturate tincta ſunt, ſeligito. Turcia, optima nobiſcum communicat. *Coquis atque coquabus, iisque, qui tragemata tractant, ad galatinas tingendas, liquoresque ſpecioſa rubedine inficiendos ſerviunt. Hiſce quoque coloratis panniculis abuti potius, quam uti ſolent, vetularum puellarum nonnullæ*, & quibus difficilis formam natura negavit. Vid. SCHROEDERI *Theſaur. Pharmacevt.* Lib. III. cap. 18. pag. 447. & cap. 8. pag. 351. item MARPERGERI *Promtuar. Mercat.* pag. 291. & pag. 154. ubi de utroque illo fuco, quo abutuntur fœminæ cultus ſui juſto ſtudioſiores, tractatum fuit, ut & RIVINI Diſſert. *de Cenſura Medicament. Officinal.* cap. I. pag. 77. & VALENTINI, *Hiſt. Simplic. Reform.* Lib. III. cap. 44. pag. 366. item Lib. II. cap. 9. p. 153. & *Simon* PAULLI, *Quadripart. Bot.* pag. 329. Add. ſi tanti, *Poemat. noſtror.* Tom. IV. pag. 638. *in Notis.*

TORNA Solis coerulea, Bezetta coerulea, *Torneſol bleu*, blaue Farb-Flecklein. Sunt panniculi lintei, materiâ illâ, ex qua Lacca coerulea elaboratur, tincti. *Conditoribus, coquis atque coquabus utilitatem ſuam dant, dicant, conſecrant.* Vid. ſupra: Lacca coerulea.

VIRIDE æris, Ærugo, Æs viride, *Verd de gris*, Grünſpan, Spangrün. Eſt factitium quit. Oritur ex cupro vinaceis corroſo. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. pag. 303. Paratur in Gallia & Hiſpania. Eligatur, quod cretâ non adulteratum ſit, & colorem coeruleum ſimulet. *Pictoribus & mechanicis ſervit. Septicam vim exerit, & ad unguentum ægyptiacum, & alia, adhibetur.* Vid. BOERHAAVE *Elem. Chem.* Tom. II. Part. III. Proc. 188. pag. 415. Intus, vel perquam exigua doſi ſumtum, vehementiſſimum & atrociſſimum eſt Emeticum, cum vitæ ſæpe periculo conjunctum; ideo ceu venenum vitandum. Conf. STAHL. *Mat. Med.* Part. I. pag. 167. GEOFFROY, loc. cit. pag. 304. *Wedel. Zwelfer. Charas.* & alii plures res enim nota.

Veneris tamen, ſive cupri limaturam, ceu novum arcanum, contra diram Hydrophobiam, communicavit cum Cl. LOESEKE, Excell. *Cothenius*, Archiater Regius, ut ille commemorat in *Mat. Med.* pag. 389. Utinam vero, longior dies hanc ipſam experientiam, in commune humani generis commodum ac ſolatium aliquando uberius confirmaret & certius ſtabiliret.

VITRUM Venetum, *Verre de Veniſe*, Venediſches Glaß. Eſt artificiale

quid. Ex ſilicibus vel arenâ & ſale quodam alkalino regni vegetabilis elaboratur, & omnibus ferme notum eſt. *Cum melle mixtum & umbilico ſuperimpoſitum, virtutem anthelminticam abſolvere creditur.* Sed vix ſperatum effectum præſtat. Quod ſi tamen forſan nonnunquam contingat, virtus anthelmintica Melli tum potius adſcribenda videtur, quam fragili illi & inerti Vitro.

CAPUT VI.

DE MARINIS.

AMBRA griſea, Ambrum, *Ambre gris*, Ambra, Amber, graue Amber. Eſt ſpecies bituminis, quæ ex alveis & venis terræ in mare deponitur. Ut cenſet quidem cum nonnullis auctoribus, HOFFMANNUS *Obſ. Phyſ. Med.* 18. Lib I. pag. 68. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. pag. 162. cum aliis mox laudandis, inprimis KAEMPFER, *Amœnit. Exot.* Faſc. III. Obſ. 14. pag. 632. ſeqq. Sed vid. in contrarium, BORCHEVIZII *Itiner. Orient* pag. 496. & MONCONYS, *Itiner.* pag. 547. Fruſta interdum prodigioſâ & incredibili ferme magnitudine in Indiis comprehenduntur. KAEMPFERUS, loc. cit. pag. 634. ut & in *deſcript. Japon.* Part. I. cap. 8. pag. 125. meminit Ambræ maſſæ, in litore Japonico repertæ, quæ centum & triginta libras Belgicas adæquabat. Vid. VALENTINI *Muſ. Muſeor.* Lib. III. cap. 28. & 29. p. 338. TAVERNER. *Itinerar. Oriental.* Part. III. Lib. I. cap. 15. p. 123. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. Part. I. pag. 162. & inprimis BARCHEVIZ. *Itiner. Orient.* Lib. II. cap. 30. pag. 496. Edit. III. item NEUMANN. Lect. *de Ambra*, & CARTHEUSER. *Fundam. Mat. Med.* Part. II. cap. 50. pag. 388. ut & BALDAEI *Deſcript. Zeylon.* pag. 427. Veteribus plane incognita fuit, & a Sabæis demum retecta, in uſum vocata & celebrata eſt. Eligatur, levis, & parum fragrans, ſed quæ bene cohæreat, facile colliqueſcat, laminæque candenti impoſita gratum diſpergat odorem, & vel nihil vel modicum relinquat. Adulterari ſolet glumis orizæ, in pulverem ſubtiliſſimum confectis, maſtiche & ladano; ſed maſticatione, ſolutione, & combuſtione ſuper candente lamella fraus modico labore detegi poteſt. *Illi adſcribitur vis calefaciens, reſolvens, cordialis, cephalica, atque analeptica. Variisque compoſitis medicaminibus adſociari ſolet.*

De *Ambra* multi multa ſcripſerunt, ut *Libavius*, *Fallopius*, & inprimis KLOBIUS in *Hiſtoria Ambræ*. Legi tamen præſertim hic meretur WEDELLII Diſſert. de *Ambra*, item alia BOSWELLII, nec non CLODII, de eadem; denique NEUMANNI Diſquiſitio *de Ambra griſea*. quæ inprimis, ob ſingularia & curioſa experimenta, cum Ambra hac griſea inſtituta, ob explorandam penitus ipſius intimam naturam & indolem, pauciſſimis hucusque cognitam ac perſpectam, lectu digna eſt & jucunda. Quo & potiſſimum pertinet *Georg. Balt.* MEZGERI *Ambralogia*, ab ipſius genero *Roſin.*

LENTILIO, edita, item VALENTINI *Hiſtor. Simpl. Ref.* Lib. III. cap. 29. pag. 336. ſqq. Ceterum quod notari utique meretur, Ambram Epilepticis, & quibusdam etiam fœminis hyſtericis, nonnunquam conducere obſervavit poſt alios HOECHSTETTERUS, *Obſ. Med.* 2. Decad. IV. pag. 368. & pag. 353. Conf. Cl. BÜCHNER. *Fund. Mat. Med.* pag. 131. SALMAS. *de Homonym. Hyl. Jatr.* cap. 101. pag. 162. & RIEDLIN. *Lin. Med.* An. 1700. Menſ. Nov. Obſ. 23. pag. 1324. ſeqq. item CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 50. pag. 386. ſqq.

AMBRA liquida, ad Balſama nativa pertinet.

ASPHALTUM, Bitumen Judaicum, *Bitume de Judée*, Juden-Bech. Eſt bitumen ſolidum, furvum, fragile & reſplendeſcens, ſi accendatur ingratiſſimum emittit odorem. In mari mortuo copioſiſſime reperitur, vid. nos ſi placet *ad Hugo Grotii Chriſt. Pat.* pag. 271. ſqq. Ex hoc oritur Piſaſphaltus, ſi cum pice miſceatur. *Ulcera fœda mundificat; Emplaſtris & unguentis digeſtivis, nec non Theriacæ intermiſcetur; ad Balſama tingenda quoque adhibetur. Veteres ad cadavera condienda eo utebantur.*

CONCHAE marinæ & fluviatiles. Vid. infra in *Regno Animali.*

CORALLINA, Muſcus Corallinus, Marinus, *Coralline, ou Mouſſe marine*, Corallen-Mooß, Meer-Mooß. Eſt planta, quæ ex rupibus marinis, conchis, interdumque ex coralliis naſcitur. Colore mox albicante, mox virideſcente, mox griſeo adparet; ſubſalſe ſapit, & odorem piſculentum utique ingratum effundit. Ex mare mediterraneo colligitur; & quæ integra ſit, nec variis conchis, ſabuloque commixta, ſeligatur. *Vis anthelmintica illi adſcribitur.* Conf. infra pulveres contra vermes. *Et â dimidia ad integram drachmam præſcribitur.* Laudante inprimis GESNERO, *Epiſt. med.* Lib. III. pag. 90. vid. GEOFFROY. *Mat. Med.* Tom. II. Part. I. cap. IV. Art. II. p. 258. ſq. ubi & ſequentem Anthelminticum pulverem concinnæ compoſitionis, præſcribit: Rec. Corallinæ, Corticis Mori, ana drachmam unam, Rhe. pulv. Rad. Filius fœmin. ſummitat. Tanaceti ana drach. ſemis, Aethiopis mineral. drachmas duas. Miſceat. fiat pulvis, cujus doſis â drachma dimidia. ad drachm. duas, vel tres. Sed mallem niger hic ac teter Æthiops mineralis abeſſet, ex rationibus infra Part. II. prolatis. Interim tamen pro ſolo ſcopo vermes necandi & expellendi, ſat commode adhiberi nonnunquam poteſt, modo id fiat debita cum circumſpectione, ne præſertim infantibus mammæ adhuc admotis afferatur. Ceterum *Anton. Muſa* BRASSAVALUS in *Exam. Simpl.* recenſet, ſenem annorum octoginta duorum, in extremis, quæ lumbricos comitari ſolent, ſymptomatibus conſtitutum, quingentos tandem vermes excreviſſe, Medicamento aſſumto, & Scordio & Corallina. Vid. ROLFINC. Tract. *de Vegetab.* Lib. I. cap. I. pag. 13. ubi & ex MATTHIOLO, addit, pueros ex Corallinæ hujus uſu, centum lumbricos ejeciſſe. Qualia exempla plura paſſim alibi leguntur, ceu notum.

CORALLIUM album, Corallum album, *Corail blanc*, weiſſe Corallen. Eſt

planta marina. Quoad virtutes cum rubro Corallio, penitus & in univerſum congruit; aſt colore & raritate ab illo differt. *Corallium album officinale*, J. B. quod plerumque pro vero venditur, eſt ſpecies *Madreporæ* vel *Coralliodis*, quæ in mari mediterraneo effuſe reperitur; & eandem vim, cum vero Carallio albo, poſſidet. Vid. GEOFFROY. *Mat. Med.* Tom. II. pag. 257. ſeqq. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. cap. 7. pag. 141. ſqq. Sæpius in uſum medicum vocari ſolet, ſi antea præparatum ſit, crudum nunquam admittitur.

CORALLIUM rubrum, Corallum rubrum, *Corail rouge*, rothe Corallen, Corallen-Zincken. Eſt planta marina, rupibus marinis, & interdum conchis adhærens reperitur. Vid. *curioſam* TOURNEFORTII *obſervationem*. Tom. I. *Itiner.* pag. 17. & *Memor. Reg. Scient. Acad.* de Ann. 1700. pag. 27. plura vero apud GEOFFROY. loc. cit. p. 249. ſqq. & inprimis *Marſiglium*, & ex his CARTHEUSER. in *Fund. Mat. Med.* Part. I. cap. 7. pag. 135. ſqq. In compluribus locis naſcitur, inprimis vero in littoribus maris mediterranei, & oris Siciliæ & Cataloniæ; At non ex fundo maris, nec, ut alia plantarum genera, ſurſum, ſed ex rupium cavernis ac rimis deorſum excreſcit. Amœne rubens, & a quovis ſqualore ſolutum, eligito. *Virtutes & uſus inter præparata patebunt.*

Vid. huc inprimis *Jo. Lud.* GANSII *Coralliorum Hiſtoria*, in qua de eorum mirabili ortu, variis generibus, præparationibus chemicis multis, viribusque demum eximiis, accurate, docte, & diffuſe tractatur. Egerunt quoque de iisdem, obſervante *Mercklino*, *Penotus*, *Strabelberg*, *Imperatus* & alii, item *Vit* RIEDLINUS *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Novembr. Obſ. 24. pag. 398. ſeqq. & noviſſime MELZERUS, in ſingulari Diſſert. *de Coralliis*, ut & *Chriſt.* VATERUS noſter in Diſſ. *de Corollariorum Natura, præparatis, & uſibus.* Item KIRCHMAYERUS, & TEYCHMEYERUS, nec non ETTMÜLLERUS, FRISIUS, HARTMANNUS, & BORRICHIUS, *de Coralliis & Coralliorum Tincturis.* Omnes vero incredibili diligentia, & indagandi ſtudio, longiſſime vicit, *Illuſt. Comes* MARSIGLIUS in abſolutiſſima *Corallii Hiſtoria*, impenſe merito laudata ſæpius à GEOFFROY, Tom. II. *Mat. Med.* pag. 250. ſqq. Liquidiſſime enim in eo oſtendit alter ille Plinius, imo plus quam Plinius, Corallia re vera eſſe plantas marinas, quæ habeant ad inſtar plantarum terreſtrium, ſuccum ſuum nutritium lacteſcentem, flores, ſemina, radices, & ceteras fere omnes perfectarum plantarum proprietates; quod & dudum obſervaverat *Peireſcius*, ut oſtendit GASENDUS, *in ipſius Vita.* Lib. IV. pag. 214. conf. MONCONYS *Itiner.* pag. 115. & noviſſime *Comes Joh. Ginannus* RAVENNENS. in Oper. poſthum. de *plantis Maris Adriatici.* Præcipue vero huc facit: magnum & præclarum Opus *Jo.* ELLIS, Londinenſis, *de Coralliis*, in quo multa nova detecta inveniuntur; in quo etiam de Corallinis ſimul exacte tractatur.

CORALLIUM nigrum, *Corail noir*, ſchwarze Corallen. Eſt rariſſimum quid, & ex India ad nos tranſmigrat; reperitur in Oceano Orientali, circa Bantam. *Arti ſalutari nullum uſum confert.* Vid. GEOFFROY. loc. cit. pag. 256. ubi tamen cum pleriſque dubitat, an re vera habeatur *Corallium nigrum*, eſſe enim potius *Lythophyton ni-*

grum, quod quidem ſub corallii nigri nomine venditetur, ibidem cenſet cum TOURNEFORTIO, & aliis. Sed quid quid horum verum aut non verum ſit; interim tamen crediderim, licet in alia opinione verſari videam Cl. GARTHEUSERUM, loc. cit. p. 141. quod pace ipſius dictum ſit, & Corallium album & nigrum, iisdem virtutibus eſſe dotatum, ac quidem rubrum præditum creditur, nempe *abſorbendi, temperandi, roborandi & adſtringendi*. Virtus enim non pendet â diverſo colore, ſed ab ipſa ſubſtantia terrea ac lapidea, ut infra monui.

PILA marina, Sphæra marina, Sphæra Thalaſia Galeni, Halcyonium rotundum, *Pelote de mer*, Meer-Ballen. Satis nondum exploratum eſt, unde originem trahat. Veroſimile videtur, quod ſit concretio, ex ſpuma marina, pilis marinorum animalium, conchulis, juncis, & id genus, mediante fluxu perpetuo undarum ita compacta. Figura inter ſe differunt, aliæ plane rotundæ aparent, aliæ vero depreſſæ & oblongæ. Vid. de his *Pilis Marinis*, FABRI, Medici Wirtembergici Tractat. de *Pilæ Marinæ Anatome*, annexum quoque in *Appendice Miſcellan. Nat. Curioſ.* Dec. II. Ann. X. pag. 197. quem & ex merito laudat VALENTINI, *Hiſtor. Simpl. Refor*, Lib. I. cap. 37. pag. 74. ubi & plura de his ipſis *Pilis Marinis*. Eligendæ ſunt, leves, ſiccæ, recentes, quæ adhuc marinum odorem ſpirent. *Exſiccantem, & calefacientem virtutem poſſidere, creduntur.* Cujus deſcriptio infra extat. Part. II. ſuo loco.

SPONGIA marina, *Eponge, Fragments d'Eponge*, Bad-Schwamm. Quoque *fungus marinus* nominatur. Eſt genus molle plantæ marinæ, totum poroſum atque elaſticum. Naſcitur ex ſaxis marinis, conchiis, & aliis condenſatis corporibus. Eligenda eſt alba, levis, & quæ maxime poroſa ſit, nec foraminibus adeo patulis dehiſcat. Si deſtillando maceretur amplam quantitatem ſpiritus urinoſi & ſalis volatilis emittit; hinc nonnulli argumentantur, quod ſpongiæ marinæ, nihil aliud ſint, quam Zoophita. Mare mediterraneum illas copioſiſſime profert. *Oeconomicum & chirurgicum uſum præſtant. Medicis quoque inſerviunt nam toſtæ, adhibentur ad pulverem contra ſtrumas*, quem infra Part. II. ſuo loco deſcriptum invenies. Ad arcendam vero diram Luem veneream, mirum & ſecurum præſidium præſtare ſpongiam mundam, locis immundis muliebribus, poſt fœdam libidinem, peractumque coitum, inditam, nimio ſane candore, ſcriptum reliquit Domin. PANAROLUS, *Obſ. Med.* I. Pentecoſt. III. pag. 118. ſq.

Nonnulli quoque adnumerare ſolent marinis, quæ re vera tamen ad regnum animale pertinet, exemp. cauſ.

BLATTA Byzantina, lenguis odoratus, *Blatte Bizantine*, Indianiſche wohlriechende Muſchel-Schaalen. Eſt operculum muricis ramoſi. *Ad ſuffimenta, præſertim hyſtericis conducibilia, adhibetur; interne ſumta, alvum movet, vitiaque lienis pellere, creditur.*

DENTALIA, Syringites, Zahn, Purpur-Schnecken. Sunt canaliculi ſtriati, modice incurvi, & utrobique retuſi; longitudinem duplicati vel triplicati pollicis adæ-

quant, & colore pallide griſeo ſe patefaciunt. Antiquitus pro dentibus piſcium habiti fuerunt, & hinc dentaliorum nomen illis impoſitum eſt. Hodierni vero, inter conchylia rectius illos numerant. Vid. KEYSLERI *Itinerar.* Part. II. Epiſt. 65. pag. 540. ſeq. A RUMPHIO *Solenes univalves*, & ab aliis *Buccinæ* nuncupantur.

ENTALIA, *Entalies*, Præcedentibus, minutiora & acuminatiora eſſe, & ſola ab illis magnitudine differre, nonnulli adſeverant. ALDROVANTUS commemorat, quod ſint fragmina concharum marinarum, quæ *Tellinæ* cum *Entalibus* nominantur. Alii ſubſtituunt conchas Veneris parvas, quæ Porcellanæ appellantur. *Entalia cum Dentaliis non niſi ad unguentum Baſilicum, ſive citrinum, adhibentur. Sed hoc unguentum jam pridem obſoletum eſt.* Plura de his *Dentaliis* & *Entaliis*, ſic dictis, vid. in *Act. Anglic.* No. 197. laudante VALENTINO, *in Hiſt. Simpl. Reform.* Lib. III. cap. 37. p. 354. conf. & HERMANNI *Cynoſur. Mat. Med.* Part. II. pag. 37. ſeqq. & KEYSLER. loco modo laudato. Ceterum Entalia iſta *contra Anginam inprimis commendari*, obſervat STAHLIUS, *Mat. Med.* Part. II. pag 61.

MARGARITAE, Uniones, Perlæ officinis, *Perles*, Perlen. Sunt lapilli globoſi in conchis, quas Rumphius *Oſtra* vocat. Ex eâdem materia cum teſtis ſuis producuntur, & interdum quoque in illis ipſis animalculis, quæ chonchas incolunt, reperiuntur. Rumphius modo laudatus recenſet varias oſtrearum ſpecies, in quibus margaritæ quandoque deprehenduntur: *Oſtreum eratium*, *oſtreum ſaxatile*, *oſtreum placentiforme*, ſive *Ephippium*. Margaritæ ex Oriente partim; partim ex Occidentalibus plagis ad nos transferuntur. Orientales ſplendidiores aparent, & idcirco cæteris omnibus præferuntur. Maximæ ſunt, & optimæ habentur, quæ circa inſulam Ceylon naſcuntur, & ex Sinu Perſico piſcando quaſi extrahuntur. Vid. KAEMFERI *Amœnit. Exot.* Faſc. IV. p. 764. TAVERNER. *Itiner.* Lib. II. Part. II. cap. 20. pag. 132. ſeqq. THEVENOT. *Itiner.* Part. II. Lib. III. cap. XI. pag. 235. ſqq. Occidentales, quæ ex America adportantur, minus ſplendent, & lacteo propemodum colore oculis ſe ſiſtunt. In multis Europæ regionibus & locis, Scotia ſcilicet, Sileſia, Bohœmia, & Saxonia, tales quoque interdum generantur, & patefiunt. *Sapiſſime ad uſus medicos accerſuntur; & ferme ad omnes pulveres pretioſiores adhiberi ſolent. Virtutesque cordiales, acida abſorbentes, & præcipitantes poſſidere cenſentur* quidem, ſed re ipſa eximias illas virtutes haud poſſident, quæ de ipſis fruſtra prædicantur; majore enim efficacia & medendi virtute haud gaudent, quam, quâ Mater perlarum, Corallia, Conchæ, oſtrea, & id genus alia pollent. Vid. RIVINI Diſſ. de *Medicamentor. Officinal. Cenſura.* pag. 104. ſqq. & inprimis *Dan.* LUDOVICI *Pharmacia hodierno ſæculo applic.* Diſſ. pag. 580. ſq. item BÜCHNERUS, *Mat. Med.* pag. 722. & JUNGKEN, *Chym. Exper.* Part. I. p. 241. item CARTHEUSER *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. II. cap. 6. pag. 133. ſeqq. Imo ſi verum eſt, quod haud ita pridem a nonnullis ſagacibus Naturæ rerum indagatoribus; inprimis *Phil.* BONANNO, conf. *Hiſt. Acad. Reg. Scient. Pariſ.* Ann. 1717. pag. 22. & KUNDMANN. *Rar. Nat. & Art.* Sect II. Art. 6. pag. 430. tradi & affirmari cœpit, illas ipſas nempe tantopere laudatas Margari-

tas, natura ſua, nihil eſſe aliud, quam morbos, aut morboſa exanthemata; ad inſtar Verrucarum, Variolarum, Morbillorum lapidum, & id genus aliorum purgamentorum vitioſorum; tum ſane merito quæritur, qui morbus, aut morboſa materia aliis morbis in corpore humano abortis, mederi commode & efficaciter poſſit? Sed hanc quidem novam opinionem in medio jam relinquimus, quoniam nec locus, nec tempus hic eſt, eam accuratius & ſolertius explorandi. Ceterum de Margaritarum Natura, pretio & virtute illa medica, vulgo quidem credita, nota ſunt ex LINDENMERCKLINO, & aliunde, ſingularia ſcripta *Rolfincii*, *Silvatici*, *Penoti*, *Septalii* & aliorum, quibus add. SALZMANNI, WAGNERI & JACOBI Diſſert. *de Margaritis*.

MATER perlarum, Nacra perlarum, ſive Margaritarum, *Nacre de Perle*, Perlen-Mutter. Eſt concha oſtrei placentiformis ſive Ephippii, quæ in mari mediterraneo & alicubi reperitur. *Pars poſterior hujus Pharmac. univerſ. ſuo loco, & virtutem, & præparationem Nacræ perlarum indicabit.* Ceterum idem in medendo præſtat Mater ac filia, nempe margarita. Vid. CARTHEUSER. loc. cit. pag. 134.

OSSA Sepiæ. Vid. infra in Regno Animali.

SUCCINUM, Electrum, Carabe, Ambarum, Gleſſum, *Ambre jaune*, *Succin*, Agtſtein, Bernſtein. De Succino Veterum ac Recentiorum, vide docte & late diſputantem SALMASIUM de *Homonym. Hyles Jatricæ*, cap. 101. pag. 160. ſeqq. Conf. BOCHART. *Hieroz.* Part. II. Libr. VI. cap. 15. pag. 868. ſeqq. ubi potiſſimum de voce Arabica aut Perſica *Carabe*, â paleis nempe attrahendis, dicta, late docteque diſſerit. Succinum hoc, quod omnibus notum eſt, quandoque, aſt parciore quantitate, quoque in Anglia, Hungaria, Polonia, Moravia, Sileſia, Bohœmia, Saxonia, Marchia Brandenburgica, Italia, Dania, Suecia, Livonia alibique reperitur; ſed nuſpiam gentium majore exuberantia gignitur, quam in Regno Boruſſiæ. Namque ibidem non ſolum in litore maris Baltici copioſe colligitur, & arte ac methodo piſcatoria ex ipſo fundo ejusdem maris, extrahitur, quod *hauſtile* nominant, ſed etiam fodiendo, ex intimis terræ, montium atque cavernarum viſceribus, litori iſti conterminis, eruitur, & *foſſile* audit. Originem & naturam hujus ſuccini nondum quidem plane pleneque exploratam habemus, atque perſpectam; interim tamen, cum in meditullio illius varia ſæpiſſime animalcula, muſcæ ſcilicet, araneæ, cicadæ, formicæ, culices, & id genus plura, involuta & ſuffocata deliteſcant, & reperiantur, facile & ſatis clare ex inde colligi poteſt, quod ſuccinum in prima ſua geneſi liquidum exiſtat. Hinc tota re & januâ quaſi aberrare non videntur, qui exiſtimant,

quod

quod ſuccinum, ex concurſu olei cujusdam bituminoſi, Petroleo haudquaquam diſſimilis ſtaminis ac fundamenti inſtar, cum ſale vitriolacio, ſive ſulphureo, terrâ ſubtiliſſimâ, & denique debita laticis portione, primam ſuam compagem nanciſcatur, & deinde pro ratione commixtorum, & moderamine ſubterranei coloris paulatim in ſolidum multiforme abeat, quod modo pellucidum; modo magis & minus opacum; nunc rubrum; nunc citrinum; mox nigrum; mox album, & cœteris omnibus præferendum, adpareat. De quibus vid. *Nathanael.* SENDELII ſplendidum & vere regium opus, de *Hiſtoria Succinorum corpora aliena involventium, ex regiis Auguſtorum Cimeliis, Dreſdæ conditis æri inſculptorum*, Lipſiæ 1742. in quo plura ejusmodi pretioſa, & plus quam regia conditoria ſuccinea variorum inſectorum, & beſtiolarum, nitidiſſimis iconibus, perquam jucundo ſpectaculo, exhibentur. Conf. & KUNDMANNI *Rariora Nat. & Art.* Sect. I. Artic. XXVII. pag. 223. ſqq,

Optimum eſt, & idcirco eligendum, quod prunis candentibus vel igni impoſitum, fumet, diffluat, ardeat, & verum genuinumque ſuccineum odorem diſpergat, nec aquâ ſola, nec Alkohole ſolo, nec denique ab alio quovis menſtruo prorſum & omni ex parte diſſolvi queat, & Electricitate ac vi attractiva præcellat. His notis diagnoſticis facile ab illo factitio & ſpurio Americano, quod, in deſtillatione nihil ſalis volatilis reddit, & vulgo Gummi Loock vocatur, diſcriminari poteſt. *Pro medicamine balſamico, nervino, roborante, reſolvente & diuretico valde celebratur, eamque ob cauſam ad multivarios, & internos & externos uſus medicos accerſitur, interne in lymphæ vitiis, catarrhis, rhevmaticis, fluxionibus, pectoris atque capitis morbis, affectibus ſoporoſis, convulſivis, nephriticis, urinariis & uterinis; externe in violationibus præſertim capitis, & nervoſarum atque tendinearum partium, denique in ſuffitibus ad ſeroſas congeſtiones diſſolvendas, innumerisque compoſitionibus adhibetur & immiſcetur.*

Succinum perquam multos ſui præcones ex merito quidem, invenit, qui ejus Naturam & uſum diligenter deſcripſerunt; quo pertinent *Wigandus, Pauli, Eurelius, Thilones, Schenckius, Kemperus, Veſti, Henr. von Sanden, Alberti, Neumannus, Hoffmannus,* & præſertim *Phil. Jac. Hartmannus,* ut & *Olaus* BORRICHIUS, in elegantiſſima Diſſertatione *de Succino*, quæ inter ipſius Diſſertationes ſeptima eſt. Tomi primi, pag. 352. ſeqq. item *Vit.* RIEDLINUS, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Jul. Obſ. 22. pag 215. ſeq. quos tamen omnes induſtria, judicio, & experientia, noviſſime vicit ſupra laudatus modo *Nathanael* SENDELIUS, ſua, quam partitis vicibus edidit, *Electrologia*, lectu ſane digna, atque jucunda. Conf. BUCHNERI *Mat. Med.* pag. 137. ſeqq. & præſertim GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. pag. 165. ſeqq. item KUNDMANN. loc. cit. pag. 219. ſeqq. & inprimis CARTHEUSER. *Fundam. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. I. pag. 381. ſeqq. præſertim vero in *Specimine Naturæ & Artis*, Sect. II. pag. 51. ſeqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 562. ſeqq.

VMBILICUS marinus, Belliculus marinus, Faba marina, *Nombril marin,* Meerbone, Nabelſtein. Eſt operculum cochleæ lunaris Rumphii. Occurrit in litoribus Adriatici maris. Dantur majores minoresque, rubri & oculum cati repræſentantes. *Umbilico impoſiti dolores colicos placare exiſtimantur. Rarum eſt, ſi interius adhibeantur; interim vim adſtringentem, & abſorbentem exercent. Datur â ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.*

CLASSIS SECUNDA.

REGNI VEGETABILIS.

CAPUT I.

DE RADICIBUS.

RAD. ACETOSAE, Oxalidis, Rumicis, Acetoſæ pratenſis, *Racine d'Ozeille*, Caſpar. Bauhini, Sauerampfer-Wurzel. Creſcunt in pratis, & colliguntur tempore veris. *Gratum acorem linguæ imprimunt, &, ſi adhibeantur ad decocta, aquam colore rubro tingunt, & æſtui febrili temperando conducunt.* Vid. ZORNII *Botanol.* pag. 16. ſeq.

ACORI veri, Calami aromatici officinarum, *Racine de Calamus aromaticus,* Calmus, rechter Ackermann. Sunt indigenæ. Plerumque in aquis ſtagnantibus naſcuntur. Colliguntur aut novo vere, aut adulto autumno. Etiam *Radix nautica* nuncupari ſolet, ob uſum eximium, quem navigantibus præbet, præſertim contra fœdum ſcorbutum, nautis perquam familiarem morbum, ut notum. Eo utuntur, ut ſibi vel nauſeam depellant, vel prævertant, ne putrefactæ aquæ ſint exitio. *Cluſius* refert: quod Tartari, qui extremam Lithuaniæ partem incolunt, Calami, ſive Acori veri radices ſoleant ſecum ferre, nec aquam ex paludibus bibant, niſi prius hâc radice alterata fuerit. Hinc *Simon* PAULI homines caſtra ſequentes hortatur, ut Tartaros imitentur, *Quadripart. Bot.* p. 188. *Virtutes alexipharmacas, ſtomachicas, carminativas, balſamicas, attenuantes, & reſolventes exerunt.* Vid. imprimis *Joh. Adolph.* WEDELII ſingularis Diſſertatio, de *Calamo aromatico.* De *Calamo aromatico* Italorum ſcripſit quoque olim *Cechin. Martinellus.* Sed de *Calamo aromatico vero* accuratiſſime tractavit GEOFFROY. Tom. II. *Mat. Med.* Sect. I. Cap. 5. p. 259. ſqq. ut & CARTHEUSERUS, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 6. p. 49. ſqq. & alii, laudati ZORNIO, *in Botanol.* p. 19. ſqq. Item SALMASIUS, *de Homonym. Hiles Jatric.* Cap. 32. p. 35. ſqq. ubi multa de Acoro Veterum & Recentiorum; de ipſo *Calamo aromatico* autem, Cap. 87. p. 125. quem & vid. *Exercit. Plin.* p. 738. ſqq.

ACORI vulgaris, Pſevdacori, Pſevdoireos, Ireos paluſtris luteæ, Gladioli lutei, *Racine de faux Acorus,* Ackermann, gelbe Schwertelwurz. Pertinent ad plantas aquaticas. *Adſtringunt, & in decoctis pro collutione oris, ſcorbuticis præſcribuntur. Ad Electuarium diacori Recentes expetuntur.* Vid. plura apud ZORN. p. 21. ſeq.

Alceae vulgaris, majoris, Malvæ ſilveſtris folio canabino, *Racine d'Alcée, ou de Mauve ſauvage*, Fellrißwurzel, Sigmarskraut, Sigmundswurzel. *Coincidunt cum radicibus Malvæ; ad morbos oculorum & commendantur, veterinariisque inſerviunt.* Conf. Zorn. p. 33.

Rad. Allii ſativi, vulgaris, *L'Ail*, Knoblauch. Coluntur in hortis, *& vires alexipharmacas, antihecticas, diureticas & anthelminticas poſſident.* Vid. Wedelii Diſſert. *Allio*, & Büchneri *Mat Med.* p. 205. item Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 62. ſq. & Riedlini *Lin. Med.* de Ann. 1695. Menſ. Novembr. Obſ. XI. pag. 378. ſqq. Copioſiſſime autem Zorn. p. 37. ſqq. Conf. & inprimis Ill. Halleri Libellus de *Allii genere naturali*, pag. 332. ſeqq. Opuſculor. Botanicor. junctim editorum, item Loeseke, *Mat. Med.* p. 383. ſqq. & Stahl *Mat. Med.* Tom. II. 135. p. 106. Duos deploratos jam Hydropicos ſolius allii frequenti uſu, perfecte ſanatos vidit & deſcripſit Forestus, *Obſ.* 27. Libr. XIX. p. 141. ſqq.

Althaeae, Biſmalvæ, Ibiſci, *Racine de Guimauve*, Eibiſchwurzel, Altheawurzel. Hæc planta etiam in hortis colitur, & floret Menſe Julio. Radices colliguntur tempore autumnali. Magnam vero differentiam eſſe inter *Altheam* veterum & recentiorum, multis oſtendit Salmasius *de Homonym. Hyles* Jatr. Cap. 42. p. 45. *Interne & externe uſurpantur. Vires anodynas & emollientes exercent; & præſertim interne, ad pectoris & viarum urinariarum adfectus, in uſum vocantur.* Externe, Cataplaſmatibus *emollientibus & maturantibus admiſcentur.* Vid. Cartheuseri *Fund. Mat. Med.* P. II. S. XV. Cap. 2. p. 554. item Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 72. ſqq. & Tournefort *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 5. ſqq. & præſertim Zorn.

Amarae dulcis, Dulc-amaræ, Solani glycy picri, Vitis Silveſtris, Solani ſcandentis, *Racine de dulc amara*, Hinſchkraut-Wurzel, Je länger je lieber. *Tuſſientibus, aſthmaticis, ictericis, ab alto lapſis*, item *ſcorbuticis, & hydropicis, in decocto commendantur.* Vid. Zorn. p. 270. & imprimis Geoffroy, *Mat. Med.* Tom III. p. 413. ſqq. item Boecler. *Contin. Mat. Med.* p. 492. Tournefort. *Libr. cit.* p. 42. & præcipue Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 506. qui multas magnasque virtutes, in variis gravibus morbis, Solano huic ſcandenti tribuit.

Anchuse, Alkannæ rubræ, Anchuſæ floribus puniceis, Bugloſſi arvenſi annui, *Racine d'Alkanna, ou Orcanette*, rothe Ochſenzungen-Wurz. Tum ex Oriente; tum ex Galliæ, Italiæque regionibus; etiamque ex Sileſiâ adferuntur. Eligantur, quæ parvæ atque fibroſæ ſunt, & per totam ferme ſubſtantiam colore purpureo nitent. Majores intrinſecus albent. *Radix hæc, eſt valde aperiens, paulo tamen adſtringens. Externe adhibetur in ulceribus inveteratis exſiccandis; uti interne, in decoctis, contra diarrhœam,* obſervente Boerhaavio, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 273. *Ad unguentum potabile rubrum, & alia colore rubro tingenda requiruntur.* Spiritui Salis armoniaci, colorem amethyſtinum conciliant. Vid. Cartheuser. *Fund. Mat. Med.* Part. II. cap. 3. pag. 406. ſqq. & Zorn. p. 66.

RAD. ANGELICAE ſativæ, *Racine d'Angelique de Boheme*, Angelick-Wurzel, Heilig Geiſt Wurzel, Engel-Wurzel, Bruſt-Wurz Coluntur in hortis. Eligito recentes, & quæ non ſint carioſæ; in loco tamen ſicco ipſas adſervato. *Virtute alexipharmaca, ſtomachica, carminativa, & uterina quod polleant, nemo non novit;* de quibus virtutibus egregiis, præſertim vero in ipſa dira peſtilentia compeſcenda, multus eſt & diffuſus *Jul.* PALMARIUS, *de Febri peſtilent.* Lib. II. cap. 18. pag 451. ſqq. Conf. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. pag. 8. qui tamen hic, in laudanda Angelica, præter morem ſuum conſuetum, juſto parcior eſt; ſed eo exactius de ipſius variis eximiis virtutibus agit Cl. CARTHEUSER *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 8. pag. 66. & ante ipſum ZORNIUS, *in Botanol.* p. 68. ubi ad varios Auctores medicos provocat, qui virtutem potiſſimum antilœmicam huic Radici vere Angelicæ, adtribuerunt.

ANGELICAE ſilveſtris, *Racine d'Angelique ſauvage*, wilde Angelick. Rarius in uſum vocantur. *His quidem eadem adſcribuntur virtutes, ac præcedentibus.* Vid. CARTHEUSER. *loc. cit.* p. 64. & imprimis TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 388.

ANTHORAE, ſive Antithoræ flore luteo, Aconiti ſalutiferi, *Racine d'Anthore*, Giftheil-Wurzel, Herz-Wurzel. Ex bulbis magnitudinem olivæ adæquantibus conſtant. Externe fuſcæ, interne albicantes adparent. Guſtui amaritudinem, & quempiam acorem produnt. Recentes ſint, & neutiquam carioſæ, quas eligas. Naſcuntur in Alpibus, aliisque Tirolis & Helvetiæ montibus. *Non ſolum contra Napelli, ſed etiam cetera quæcunque venena celebrantur. Ob vim alexipharmacam* Contrayervæ germanicæ nomine ſalutantur à quibusdam, *& in morbis malignis exanthematicis, ad vermes & dolores colicos valde commendantur.* Vid ZORN. p. 73. & GESNER. *Epiſt. Med.* Lib. III. pag. 84. imprimis in tract. *de Aconito primo Dioſcorid.* fol. 4. ſeqq. ut & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 11. ubi ſe ipſum iſta radice ſine omni periculo, in febribus malignis, ſæpius uſum fuiſſe, teſtatur. *Male audiunt e contrario apud nonnullos, ob vim venenoſam;* imprimis *Hoffmannum*, & HALLERUM *Orat. de Botan.* utilit. p. 160. *Opuſc. Bot. Hinc rariſſime, vel ſaltim caute, in uſus medicos vocandas eſſe cenſemus, præſertim, cum ſecuriora ad manum habeamus remedia.* Vid. BOECLERI *Contin. Cynoſ. Mat. Med. Herman.* pag. 55. *Inde potius ab hujus violenta & virulenta Radicis uſu ſuſpecto & damnoſo, plane abſtinendum.*

RAD. APII ſativi, *Racine de Celeri*, Garten-Eppich, Seleri. Quem imprimis feros Cancri edacis dolores ſedare, exemplo oſtendit RIDLINUS, *Lin. Med.* Ann. 1699. Menſ. Jun. Obſ. 14. p. 594. ſqq. & ante ipſum alii, apud ZORN. *Botanol.* p. 76.

APII paluſtris, Paludapii, Hydroſelini, Eleoſelini, *Racine d'Ache*, gemeiner Eppich, Waſſer-Eppich. *Inter quinque radices aperientes majores referuntur.* Alia etiam *Apii paluſtris* ſpecies, ſed quæ venenata eſt, & non niſi foliis anguſtioribus ab officinali differt, reperitur. Hæc a *Dodoneo Sium alterum; a Geſnero* vero *Cicuta aquatica* vocatur. Securius igitur Apii hortenſis radices, quæ eadem vi gaudent, in illius locum

ſufficiunt. Vid. huc CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part.II. Sect.13. cap.8. p.429. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 103. ſqq. & ZORN. pag.76. & quos ibi laudat Auctores. Item *Sim.* PAULI *Quadrip. Bot.* pag. 416. ſeqq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* pag. 391. ſqq.

AQUILEGIAE, *Racine d'Ancolie*, Ageley-Wurzel. Coluntur in hortis. Effodiendæ ſunt tempore verno. *Virtutem diureticam, alexipharmacam, & aperitivam poſſident.* Vid. CAMERAR. *in Hort.* p. 19. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom.III. pag. 110. ſeqq. & ZORN. Botanol. pag. 78. item *in Colica, optimum præbere remedium*, obſervat BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 384.

ARI, Barbæ Aronis, Serpentariæ minoris, Dracontiæ minoris, Luphæ, *Racine de pied de veau*, Aron, Aron-Wurzel, Pfaffen-Pint, Teutſcher-Jngber, Zehr-Wurz Diverſæ ſpecies Ari promiſcue in uſus medicos trahuntur, cum unam eandemque habeant virtutem: Sunt vero *Arum vulgare non maculatum; Maculatum maculis albis; Maculatum nigrum.* Hæc radix tempore verno colligatur. Valde acris eſt; aceto hanc ob cauſam, vel vino macerata, atque rurſus exſiccata, proſtat in officinis, & tum *Arum præparatum* vocatur, & pulverem ſtomachicum BIRCKMANNI ingreditur, & ad alias compoſitiones plures, laudatas a GEOFFROY, Tom. III. p. 127. *Vires Ari ſunt aperientes, incidentes, reſolventes, attenuantes, abſtergentes, diaphoreticæ, alexipharmacæ, diureticæ, & alvum laxantes*, quas data opera, uberius laudat WEDELIUS in Diſſert. ſing. *de Aro.* Conf. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VII. cap. 4. p. 404. præſertim ZORN. *Botanol.* p. 87. & quos ibi laudat Auctores plures, quibus add. imprimis STAHL. *Mat. Med.* Part. II. 294. pag. 166. ubi ipſius uſum tam internum, quam externum in variis morbis, præcipue, chronicis, impenſe laudat; ut & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 126. ſeqq. præcipue vero TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* pag. 316. ſqq. & noviſſime NAVIERIUS, *in Obſ. Hiſt. & pract. de Mollitie oſſium*, circa finem.

RAD. ARISTOLOCHIAE Clematitidis rectæ C. B. Saracenicæ, *Racine d'Ariſtoloche des vignes, ou la Saracene*, kleine Oſterluzey-Wurzel. Eſt radix tenuis, multis fibris dotata. Odorem non ingratum ſpargit; ſaporem vero amarum, acrem & ſubadſtringentem prodit. Ex Hiſpania & Italia advehitur; naſcitur quoque in vineis Alſatiæ, & nonnunquam Wirtembergiæ. *Præfertur a nonnullis, reliquis Ariſtolochiæ ſpeciebus; & eſſentia inde parata, remedium creditur eſſe antipodagricum. Diuturnum vero ejus uſum, tunicam villoſam ventriculi deſtruere, atque nocere, languore appetitus, & totius corporis illato*, B. BOERHAAVE, *monente Ill. Hallero, obſervavit, Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 358. Plures autem hujus radicis virtutes recenſet TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 176. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 17.

ARISTOLOCHIAE fabaceæ, Fumariæ radice bulboſa, rotunda, non cava, C.B. Pſevdofumariæ, *Racine d'Ariſtoloche petite ronde*, kleine runde Hohlwurzel, Oſterluzey-Wurz. *Remiſſior paululum & debilior eſt cava, majore tamen vi exſiccante &*

abſorbente pollet; a chirurgis oſſibus denudatis inſpergitur; interne vinis medicatis additur; cachecticis, hydropicis & ictericis conducit. Conf. huc potiſſimum *Guil. Eman.* FORSTERI ſingular. Diſſert. *de Ariſtolochia* ubi de his diverſis Ariſtolochiæ ſpeciebus atque virtutibus medicis, docte & accurate. Sed vid. inprimis multa, apud laudatum ZORN. p. 81. ſqq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 11. ſqq. Ceterum vix eſt dubium, quin vernaculum illud nomen *Oſterlucey*, rudi potius, quam rotundo, vilgi ore & errore, prave formatum ac detortum ſit ex ipſo græco nomine *Ariſtolochia*, ſic ut pari linguæ præcipitis & ancipitis plebejorum vitio ac lapſu, ex Auferſtehung, male natum eſt Oſtern; ex *Pentecoſte*, Pfingſten; ex *Epiſcopo*, Biſchof; ex *Tacamahaca*, Hackmanhack; ex *Conſolida media*, Gülden Günſel, & ex *Pyrethro*, Bertram. Sic rudi plebis ore, *Emplaſtrum defenſivum* ridicule dicitur *Drep Seepen* Pflaſter; *Diachylon ſimplex*, *Driackel ſempel*, *Gummi Caranna*, Krum Kram, *Gummi Anime*, *Kum Amika*, *Emplaſtr. Oxycroceum*, Ochſen Crudi, item Ochſen-Credit, *Staphis agria*, Stipſtap. *Philonium Romanum*, Violen-Rumor, & *unguentum Nutritum*, umgewendten Trittau, ut plura alia ejusmodi nomina ac vocabula, monſtroſa, luxata ac truncata, tanquam ab hoc quidem loco aliena, jam taceam. Vid. interim AMMANNI *Charact. Plant. Natural.* pag. 29. ſqq. & imprimis *Synonima Diſpenſat. Hamburg.* adjecta, ex quibus hæc ridicula petita.

RAD. ARISTOLOCHIAE longæ veræ C. B. *Racine d'Ariſtoloche longue veritable*, lange Oſterluzey-Wurz, lange Holz-Wurz. Radices craſſiores, ponderoſiores, & quæ non ſint carioſæ, eligito. Ex Hiſpania, ubi in vinetis & dumetis ſponte naſcuntur, ad nos tranſvehuntur. *Odore, ſapore amaro, virtuteque cum reliquis Ariſtolochiæ radicibus conveniunt.* Podagricorum quidem mitigaſſe, vitam vero ſimul breviorem ſæpiſſime feciſſe *Ariſtolochiam longam*, obſervat BOERHAAVE, *Conſult. Med.* p. 379.

ARISTOLOCHIAE rotundæ veræ, Ariſtolochiæ fœminæ Lugd. *Racine d'Ariſtoloche ronde, veritable*, rechte runde Oſterluzey-Wurzel. Radices quæ ponderoſæ, non carioſæ ſunt, laudantur. Ex Hiſpania & Gallia ad nos tranſmittuntur. *Viribus ac Ariſtolochia longa gaudent iisdem, & ob virtutem alexipharmacam gravarunt Theriacam. Celebrantur etiam uterinæ & vulnerariæ, imo & antharthriticæ*, teſte STRUVE, ſingulari Obſervatione *Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ.* inſerta, *de Ariſtolochiæ rotundæ vi antarthritica.* Conf. GOEZ. de ſcript. STAHL. p. 178.

ARISTOLOCHIAE rotundæ vulgaris, Fumariæ bulboſæ, radice cava majore, *Racine d'Ariſtoloche ronde commune*, Hohlwurzel, gemeine runde Hohlwurzel, Herz-Wurzel. Eſt planta indigena, & copioſe apud nos progerminat. *Virtutes cum præcedentibus Ariſtolochiæ ſpeciebus, communes habet, atque in menſibus ciendis, lochiis, & foetu mortuo pellendo, commendatur.* Vid. ZORN. p. 80.

ARNICAE, Ptarmicæ montanæ, Calthæ vel Calendulæ alpinæ, Nardi celticæ alterius, Doronici Plantaginis folio, *Racine de Betoine de montagne*, Arnick, Mutter-Wurz, Wohlverley, Lucians-Kraut, Engels-Tranck-Wurzel, Fall-

kraut-Wurzel. In pratis & humidioribus locis alpinis ac montanis naſcitur, & Menſe Julio & Auguſto potiſſimum floret. Creſcit in Ducatu Wirtembergico, non procul ab urbe Calwa, & aliis locis, etiam in Helvetia, Bohœmia, tractu Miſniæ montano, ac metallifero, in territorio Variſcorum Plauenſi & alibi; obſervante *Cartheuſero*. Conf. Ill. HALLERI *Obſervat. Botan.* ex Itin. in Silv. Hercyn. ſuſcepto, p. 103. ſqq. *Opuſcul. Botan. & Orat. de Botan. utilitate*, p. 160. ibid. *Ob vim & efficaciam ſanguinem grumoſum reſolvendi, merito panacea lapſorum nuncupatur. Non ſolum radix, ſed plerumque tota planta in decocto exhiberi ſolet. Quod decoctum in largiore doſi propinatum nonnunquam anxietates & vomitus excitaſſe, obſervatum fuit. Hinc* delicatioribus non, niſi caute, præſcribatur. Vid. huc egregias *Joh. Mich.* FEHRII *obſervationes, de Arnica, lapſorum Panacea, in Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ.* Ann. IX. & X. N. 2. item *Act. Medicor. Berol.* Vol. IV. Dec. II. p. 92. ſqq. & DELII *Amœnitat. Med.* Decad. I. Caſ. I. p. 20. ſeqq. ut & Cl. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VII. cap. 8. pag. 421. ſeqq. add. GOEZ *de Script. Stahl.* p. 120. & *Commerc. litt. Med. Nor.* Ann. 1735. p. 431. Conf. ALBERTI Diſſertatio ſinglaris, *de Arnica vera uſu*, item BÜCHNERI Diſſert. *de eadem planta, ac Radice*, quem & vid. *in Elem. Mat. Med.* p. 408. nec non MEISNERI Diſput. *de eodem argumento.*

Confectum quoque integrum, *de Arnica*, ejusque miris virtutibus, Tractatum, variis curioſis obſervationibus practicis inſtructum, ſecum habuit *Joh.* FRANCUS, qui vero, quantum equidem ſciam, in publica commoda, nondum editus eſt, quod merito dolendum.

RAD. ARTEMISIAE, Parthenii, *Racine d'Armoiſe*, Beyfuß, St. Johannes-Gürtel-Wurz. *Radix in uſus medicos rarius trahitur. Carbonibus vero Artemiſiæ*, qui nihil aliud ſunt, quam radices annoſæ & demortuæ, *a multis etiam celeberrimis practicis*, ut FERNELIO, ETTMÜLLERO, HELWIGIO, MIZALDO, JOELE, WELSCHIO, MAYERNE & aliis, quos laudat ZORN, *Botanol.* p. 85. qui & inde *Tragum*, *Jo. Bauhinum* & alios reprehendit, qui hos ipſos carbones ſtultorum lapides vocaverunt. Conf. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 123. *adſcribuntur vires antepilepticæ. Hos carbones circa feſtum Johannis Baptiſtæ colligendos eſſe, nonnulli perhibent.* Vid. *Joh.* BOD. A STAPEL *ad Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib. IX. p. 1152. & *Simon* PAULI *Quadripart. Botan.* p. 208. ubi & plura de artemiſia.

ASARI, Nardi ruſticæ ſive ſilveſtris, Vulgaginis, *Racine de cabaret, ou oreille d'homme*, Haſelwurz, wilder Nardus. Eſt planta indigena, in ſilvis, & dumetis naſcitur; plerumque ſub corylis reperitur, unde nomen germanicum ſortita eſt. Corylus enim Haſelſtaude audit. *Vomitum excitare ſolent, ſi in ſubſtantia exhibeantur; ſed eandem vim rarius exercent, ſi in infuſo propinentur. Symptomata cauſantur; menſes protrudunt; fortiter purgant; urinam propellunt; ſuſpectis igitur inconſulto non ſunt exhibendæ. Nonnulli ad quartanam ſanandam conducere autumant, ſi ante paroxiſmum porrigantur. Si fortiter decoquantur, vim emeticam atque purgantem plane deponunt, ſed diureticam ac*

uterinam

uterinam adipiſcuntur. Hydropicis & phlegmaticis potiſſimum conducunt; Melancholicis vero, peſſima ſymptomata excitaſſe, HERMANNUS *tradit in Cynoſur. Mat. Med.* Part.I. cap. I. p. 109. Conf. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom.II. pag. 559. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom.III. p. 131. ſqq. ubi plura. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 318. ſeq. & SCHEFFLERI, item SCHULZII Diſſert. *de Aſaro*, & alios plures, laudat ZORNIO, *in Botanolog.* p. 96. ſq. add. infra *Part. II.* dicta, *ad Extractum Nicotianæ compoſitum*; & hac ipſa *Part. I.* ad *Aſari Herb.* ſeu *folia*, monita.

RAD. ASPARAGI ſativi, hortenſis, Aſparagi altilis, *Racine d'Aſperge*, Spargel-Wurzel. Coluntur in hortis, & adnumerantur radicibus quinque aperientibus majoribus. Vere primo colligantur, & quæ carnoſæ ſunt, eligantur. Vid. huc imprimis *Anton a* CLERICIS *Diſſertatio ſingularis, de Aſparago.* Sed plura apud citatum ZORN. p. 98. Ceterum Aſparagus, lautiorum menſarum ſuaviſſimum delicium, *potentiſſimum eſt diureticum & ammagogum item lithagogum remedium* ut notum, licet id unus forte, negare auſus fuerit *Helmontius*, homo ſemper aliis omnibus contrarius, ſibique ſoli ſapiens, conf. HEUCHERI *Diſſert. de Calculo.* pag. 270. Tom. I. Oper. & potiſſimum GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 138. ſqq. Habet tamen ſimul acre quid, rodens & quaſi malignum, in ſe reconditum, quod potiſſimum officinis mictualibus, Renibus inquam, ac veſicæ, eſt inimicum & infeſtum, quod non ſolum ex deteſtabili illo fœtore urinæ eorum, qui aſparago veſcuntur, clariſſime patet; ſed & inſuper, liquidiſſime colligitur, ex acrimoniæ ardore & vehementi renum ac partium genitalium dolore, qui ſæpiſſime ſequitur poſt nimium ac continuatum per aliquod tempus Aſparagi eſum & uſum; poſt quem etiam adeo *ipſam urinam cruentam, imo purulentam redditam fuiſſe* aliquoties, cum admiratione, obſervavimus, unde ſimul intelleximus, vera omnino eſſe, quæ ſcripſerat olim PLINIUS, Libr. XX. cap. 10. *Aſparagi urinam cient utiliſſime, præterquam, quod veſicam exulcerant. Diabetem quoque ex juſto frequentiore Aſparagorum uſu obortam fuiſſe*, ex *Schmidio*, obſervavit PAULINI, Cent. III. *Obſ. Med. Phyſ.* 58. p. 351. & ex eo SCHULZIUS, in *Diſſ. de inexpectato Medicamentorum effectu*, p. 29. item *fœminarum ſterilitatem*, apud eundem *Paulin.* vid. & *Commerc. litt. Med. Nor.* Ann. 1736. pag. 394. ex Faſciculo V. op. Botan. Weinmanniani. Sed de his quidem hactenus, data nempe occaſione.

ASPHODELI, Haſtulæ regis, *Racine d'Aſphodele*, Gold-Wurzel, Affodill-Wurz. Aſphodelus naſcitur in ſilvis montoſis, & eſt planta indigena. Radices Aſphodeli, quæ in officinis aſſervantur, non ſunt veri Aſphodeli, ſed bulbi ſive radices *Lilii floribus reflexis*, aliis *Martagon* dicti. *Urinam & menſtrua propellunt, ſi interne ſumantur; externe maturant, atque* emolliunt. Vid. BOERHAAVE *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 584. BOECLER. *Mat. Med. Contin.* p. 46. ſqq. & maxime ZORN. p. 99.

RAD. BARBAE caprinæ, Barbulæ caprinæ, Ulmariæ, Reginæ pratorum, *Racine de barbe des chévres, ou de Reine des Prés*, Geißbart-Wurz. *Adſtringunt, &*

ad emplaſtrum contra rupturas adhibentur; Illis quoque vis alexipharmaca, antidyſenterica, antemetica, & vulneraria tribuitur; ipſarum decoctum ulceribus fiſtuloſis injiciendum, commendatur. Vid. *Pater. Würz. Sim. Paulli.* & alios laudatas ZORNIO, pag. 112. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 374. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 312. ubi in febribus malignis ipſi Scorzoneræ multum præfert.

BARDANAE, Lappæ majoris, Perſonatæ, *Racine de Bardane, ou de Glouteron*, groſſe Klettenwurzel, Buzen-Klettenwurzel. Ubique locorum naſcuntur. Radices, quæ juniores ſunt, & non lignoſæ, eligito. *Virtus alexipharmaca & ſudorifera illis adſcribitur; atque in affectibus ſeroſis commendari ſolent.* Inde varias compoſitiones ingrediuntur, deſcriptas â GEOFFROY, p. 59. *S. Pauli, decoctum radicis Bardanæ, decocto lignorum præfert, præſertim in emaciatis, & raræ texturæ ægris.* Vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 5. p. 413. ſqq. & plura apud ZORN. *loc. cit.* p. 114. ſqq. & GEOFFROY, *de Mat. Med.* Tom. III. p. 156. ſqq. imprimis TOURNEFORT, *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 207. ſqq. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 205. ſeqq.

BEEN albi, ſive Behen, *Racine de Been blanc*, weiſſer Behen, Widerſtoß, Glidweich-Wurz. Secundum *Rajum*, radices ſunt *Jaceæ* orientalis carthami facie, flore luteo magno. De hac controverſia nondum plane deciſa vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 19. ſq. & dudum ante ipſum, SALMAS. *de Homonym. Hyl. Jatric.* cap. 116. p. 209. ſqq. admodum copioſe. Optimæ cenſentur radices, quæ majores, nec carioſæ ſunt, & amarorem quempiam haud ingratum linguæ imprimunt. *His adſcribitur virtus cordialis, & alexipharmaca.* Sed videatur juſta RIVINI cenſura de hac utraque Radice exotica rariore, in laudata ſæpius Diſſert. *de Medicamentor. officinal. Cenſura*, Cap. IV. p. 95. Vid. & alios laudatos a ZORNIO, *loc. cit.* p. 121.

BEEN rubri, *Racine de Been rouge*, rothe Behen-Wurzel. Sunt *Limonii maritimi majoris* C. B. Hæ exoticæ radices, optimæ cenſentur, ſi ſint recentes, & colore ſaturato rubro adpareant, nec non linguæ ſaporem adſtringentem & ſubaromaticum imprimant. *Eaſdem cum præcedentibus vires exerunt.*

BETAE rubræ, Rapi rubri, *Racine de Betterave*, rothe Rüben. Coluntur in hortis, & ſiccatæ rarius in uſum accerſuntur; etiam recentium uſus magis eſt culinaris, quam medicus. *Succus errhinum præbet egregium; mucum prolicit abſque ſternutatione:* hinc illis, qui *obſtructione narium vel coryza ſicca laborant, etiam ubi metus eſt Ozænæ, eſt proficuus. Radix in ſuppoſitorium conficta & ano immiſſa, alvum ſtimulat.*

RAD. BETONICAE, hujus laudatiſſimæ herbæ radicem *rariſſime in uſum venire, quod multum ori ſtomachoque ingrata, nauſeam, ructus, vomitumque provocet,* commemorat quidem GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 187. poſt *Sim.* PAULLI, & alios nonnullos. At *Jul.* PALMARIUS, *de Febre Peſt.* cap. 18. pag. 453. contra obſervat, illam ipſam radicem, præſtantiſſimas vires ſortitam fuiſſe, *adverſus venena*, nec ulla qualitate

noxiam eſſe, etiam ſi majore doſi ſumatur, adeo, ut inde commode miſceatur ſic dictis *Antidotis*. Dijudicent experti.

BISMALVAE, vide ALTHEAE.

BISTORTAE, Serpentariæ vulgaris rubræ, Colubrinæ, *Racine de Biſtorte*, Schlangen- oder Natter-Wurz, Wurm-Wurzel. Sunt indigenæ, & naſcuntur in locis humidis. *Manifeſte adſtringunt; alexipharmacis & vulnerariis adnumerantur*, item *antifebrilibus*, vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. 6. cap. 3. pag. 361. An vero parem cum ipſo divino *cortice Peruviano*, virtutem habeat, ad penitus ſupprimendas febres intermittentes, ut quidam tradunt, de eo quidem merito dubitatur; imprimis quum illam, ſpem nimis benignam de ipſa conceptam, ſæpius deluſiſſe, nobis ipſis aliquot exemplis, compertum ſit. Nihil quoque ipſam profuiſſe in levi Gonorrhœa ſenſim ſiſtenda, ingenue confitetur Clar. LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 455. Alias tamen virtutes ipſi tribuit BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom II. pag. 542. & ZORN. p. 130. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 195. ſqq.

BORAGINIS, Bugloſſi latifolii, Bugloſſi veri, Bugloſſi urbani, *Racine de Bourrache*, Borragen, Borretſch-Wurzel. Coluntur in hortis, *ſed rarò in uſum vocantur; tamen vis antimelancholica illis tribuitur*. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 204.

BRUSCI, Ruſci myrtifolii aculeati, Myrtacanthæ, *Racine de petit Houx, de Ruſc, ou Frélon*, Beuſchwurz, Mansdorn-Wurzel. Sunt albicantes; ſaporem ab initio ſubdulcem, poſteâ amarum produnt; copioſe in Italia naſcuntur. Olim vero in Methone, inde Seneca Troad. *frequens ruſcis levibus Methone*, ubi vid. Interp. & *Opitium*. *Diuretica, hydragoga, emmenagoga & anticterica ſunt, & radicibus quinque aperientibus majoribus adnumerantur*. Veteres dixerunt, eſſe Medicamentum aperientiſſimum, inquit BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 500. ut quoque expertus ſum, habet omnes virtutes, quæ prædicantur de Lapide Colubrino vel Pedro del Porco. Conf. ZORN. *Botanol.* pag. 587. & quos ibi laudat Auctores plures, item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 529.

BRYONIAE, Vitis albæ, vitis ſilveſtris, Uvæ anginæ, *Racine de Bryone, de Coulevrée, ou de vigne blanche*, Zaun-Rüben, Zaunreben-Wurzel, Stick-Wurz, Hundskürbſen-Wurzel. A nonnullis quoque vocatur: weiſſer Enzian. Radix prægrandis, rapæ inſtar, omnibus ferme nota. Saporem acrem, amarum atque nauſeoſum prodit. *Interne ſi ſumatur, valide purgat, & ſerum educit. Anthelminticis & emmenagogis adnumeratur. Datur in infuſo ad ſcrupulos quatuor, vel drachmas duas; in ſubſtantia ad ſcrupulum unum. Externe diſcutit & reſolvit.* Hinc Arcanum antarthriticum & WALDSCHMIDIO, *Epiſt. Amœb. ad Dolæum*, p. 98. item dudum ante ipſum, *Zacuto Luſitano*, *Tachenio* & aliis, a quibus & pro præſtantiſſimo Remedio & *hydragogico* & *anthydro-*

pico habetur. Vid. GEOFFROY, de *Mat. Méd.* Tom. III. pag. 223. ſqq. Sed non ſine ratione, diſſentiente Cl. CARTHEUSERO, in *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. X. cap. 6. p. 536. a cujus partibus & nos ſtamus, quoad uſum nempe Bryoniæ, violentiſſimi ſcilicet remedii Cathartici & Emetici, internum. Summa ergo cautione heic opus eſt, & natura ægrotorum prius quam diligentiſſime exploranda. De *Radicis Bryaniæ* autem ſingulari virtute, tumores inveteratos, & pertinaces glandularum ſcirrhos diſcutiendi vid. PLATERI *Obſervat. Med.* Libr. III. p. 655. ſqq. Sed plura de utraque virtute, collecta lege apud ZORN. *Botanol.* p. 144. ſqq. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* pag. 250. & præſertim BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 497. ubi totus quaſi in laudes Bryaniæ effunditur, atque ita copia virtutum ipſius veluti obrutus, præfatur: *Vires Rad. Bryaniæ quod attinet, non poſſum omnes explicare; nam quidem quatuor prælectionibus opus haberem &c.* ubi vid. in ſequentibus plura; add. *Simon* PAULI *Quadrip. Botan.* pag. 33. hanc in hyſterica paſſione Maldh. pag. 1284, in mania *Sydenham* commendaverunt, vid. VOGEL. *Hiſt. Mat. Med.*

RAD. BUGLOSSI, Linguæ bovis, Bugloſſi anguſtifolii, *Racine de Bugloſſe,* Ochſenzungen-Wurz. *Cum radicibus Boraginis coincidunt, ideoque raro etiam in uſum vocantur. In decoctis tamen pectoralibus, cum fructu adhiberi* obſervavit BOERHAAVE *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 272.

CALAMI aromatici, Calmus, vid. ACORUS.

CAPPARIS, vel Capparidis ſpinæ fructu rotundo minori, *Racine de Caprier,* Cappern-Wurzel. Copioſe naſcuntur in Apulia. Albæ ſint, & non carioſæ, quas eligas. *In officinis ad cortices referuntur, & inter radices quinque aperientes minores numerantur. Spleneticis, hypochondriacis & arthryticis commendantur. Uſus eſt in infuſis.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 513. & imprimis ZORN. p. 162. ibique laudatos Auctores, item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 252.

CARDOPATII, Cardopatiæ, Carlinæ humilis, Chamæleonis albi, Karlinæ, Cardui panis & pacis, Cardui Angelici, *Racine de Carline, ou Chardonerette,* Eberwurz. Carlina, quaſi Carolina, dicitur a *Carolo Magno*, cui per quietem, alexipharmaci & antidoti loco, monſtrata divinitus traditur, quum ejus exercitus, eo quidem tempore, dira peſtilentia affligeretur, obſervante, poſt alios, BOERHAAVIO, *loc. cit.* & HERMANNO, *Cynoſ. Mat. Med.* pag. 54. ubi & plura de hac laudatiſſima Rad. Conſ. VALENTINI, *Hiſt. Simp. Ref.* Lib. II. cap. 15. p. 113. LANGII *Epiſt. Med.* 21. Libr. II. pag. 587. In locis montoſis & apricis naſcuntur, & in Ducatu Wirtembergico copioſe occurrunt. Tractus Bohemiæ, Helvetiæ, Moraviæ, Thuringiæ & Hercyniæ his quoque abundant. Saporem & odorem aromaticum linguæ & naribus imprimunt haud ingratum. *Virtutes alexipharmacas, anthiſtericas, hidroticas,* carminativas, & ſtomachicas poſſident. Vid. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 9. pag. 70. ſeqq. præcipue BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 154. & laudat. ZORN. p. 169.

Rad. Cardui benedictæ, Cardui ſancti, *Racine de Chardon benit*, Chardobenedicten-Wurzel, Spinnen-Diſtel-Wurz. Eſt planta hortenſis. *Radices rarius in uſum vocantur; ſed herba frequentiſſime.*

Caryophyllatae vulgaris, Sanamundæ, Lagophthalmi, *Racine de Benoite*, Benedicten-Wurzel, Wein-Wurzel, Nägelein-Benedict-Wurz Naſcuntur in locis incultis, ad ſepes & dumeta. *Odorem & ſaporem caryophyllaceum referunt. Colorem interius carmeſinum ſectio oſtendit; cereviſiam ab acore præſervant; ceterum vim roborantem, Aphrodiſiacam, vulnerariam, præſertim anthypochondriacam, pectoralem & uterinam exercere dicuntur.* Vid. Cartheuser. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap 4. p. 410. ſqq. & Zorn. *Botanol.* p. 172. item Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 264. & præſertim Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 64. ſqq. ubi plura de virtute hujus benedictæ radicis, ut & apud Tournefort. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 254.

Cavae, vide Ariſtolochiæ rotundæ cavæ.

Cepae, *Oignon*, Zwiebel. Diverſæ ſunt ceparum ſpecies, ratione coloris, magnitudinis, formæ & uſus, qui & culinaris eſt, pro ſanis, & medicus pro ægrotis, tam internus quam externus; tam varius & multiplex utrinque, ut una cum *Allio*, pro Ruſticorum Theriaca non immerito habeatur cepa. Virtutibus enim raris pollere traditur, nimirum *diuretica, diaphoretica, alexipharmaca, aſthmatica, nephritica, anthydropica, anthelmintica, emmenagoga, & prophylactica*, item *& anodyna in hæmorrhoidibus cœcis dolentibus, antitoxica contra morſus canis rabidi, & aliarum beſtiarum venenatarum;* immo *in peſtilentia ipſa*, ut alia plura magna præſidia ab olidarum ceparum uſu utroque expectanda, jam prætercam, de quibus vid. Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 281. ſeqq. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 617. ſq. *Sim.* Paulli, *Quadrip. Botan.* p. 250. ſeqq. Boecler. *Cynoſ. Mat. Med. Contin.* p. 16. ſeqq. & potiſſimum Zorn. *Botanol.* p. 183. ſqq. quosque ibi laudat Auctores plures, iſtorum Deorum Ægyptiorum in hortis naſcentium laudatores. *Ex cepis quoque paratur Mercurius Veneris vegetabilis*, ſed improprie ſic dictus, cujus infra *Part. II.* deſcriptionem dabimus *ex Collectaneis Leydenſibus.*

Chelidonii vulgaris majoris, Chelidoniæ majoris, *Racine de grande Chelidoine*, groß Schellkraut-Wurzel. Tota planta ſucco acri & luteo turget. Chelidonia dicitur, quia nonnullis perſuaſum eſt, quod hirundines hâc oculis medeantur. *Ictericis & hydropicis commendantur.* Vid. Ettmülleri *Med. Hipp. Chym.* p. 108. Koenig. *Reg. Veget.* pag. 44. Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 311. ſqq. qui tamen mox p. 312. ex eodem *Kœnigio* obſervat, majorem Rad. Chelidoniæ doſin horrenda inducere ſymptomata, hinc & *Rajum* atque *Lobelium* liberaliorem ipſius uſum merito interdixiſſe. Contrarium tamen ſenſerunt *Keglerus, Hoffmann. Palmarius*, & alii, vid. Zorn. *Botanol.* p. 196. & Tournefort. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 15. ſqq.

RAD. CHELIDONII, ſive Chelidoniæ minoris, Ficariæ minoris, Scrophulariæ minoris, Chelidonii rotundi folii, Ranunculi præcocis rotundi folii, *Racine de petite Chelidoine*, Feigwarzen-Wurzel, klein Schellkraut-Wurzel, Scharbockskraut-Wurzel. Vere novo colligantur. *Splenetica & antiſcorbutica vis illis tribuitur. Recentes contuſæ, & croco pulpâque pomorum intermixtæ, ad tumores & dolores hæmorrhoidum ſedandos, commendantur.* Vid. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p.33. ſq.

CHINAE, Chinnæ, Cinæ, Sin. *Fou ling, Racine deſquine*, China-Wurzel, Pocken-Wurzel. Hæc planta, quæ demum circa annum 1535. noſtro orbi innotuit, a plerisque pro *Smilacis* ſpecie habetur. KAEMPFERUS ſub nomine *Smilacis minus ſpinoſæ, bacca ſive fructu rubicundo*, Japonenſibus *Sankira*, officinis China dictæ, deſcribit, atque in incultis locis, inter filices & vepres, luxuriari perhibet, in *Amœnit. Exot.* Faſcic. V. Claſſ. I. p.781. ſqq. ad VALENTINI *Hiſt. Simpl. Refor.* Lib. II. Sect. II. cap.13. p.112. & præſertim *Ind. litt.* Epiſt. III. pag. 393. ſeqq. BOERHAAVIUS *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 174. *Dillenius, & van Rogen, Rajum* ſecuti, pro radice *Senecionis* Aſiatici, *ſcapo nudo, Rapi folio, floribus maximis*, quæ Malabaris *Paringchecka* nominatur, eam habent. His quoque *Commelinus* & *Swalbe* accedunt. *Nierembergius* vero, etiam *Chinæ Mexicanæ* mentionem habet, *atque plantam repentem* deſcribit. Cum vero Characteres *Smilacis* & *Senecionis* multum inter ſe differant, opinamur, radices, quæ nobis pro *Chinâ* venduntur, e duabus plantis eſſe deproṁptas, a *China* proprie ſic dicta diverſis; aliæ enim lignoſæ, minores, rubicundiores, & ponderoſiores ſunt; aliæ majores, farinaceæ, & leviores deprehenduntur, & has *Senecionis*, priores vero *Smilacis* radices eſſe putamus, de qua controverſia vid. plura apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. p.31. ſqq. item BOERHAAE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 174. & *Ind. Hort.* Leid. Tom. I. p. 117. In utraque India progerminant. Orientalis in Malabara, Cuncan, China, aliisque regionibus; Occidentalis in nova Hiſpania, & Peru naſcitur. Coloris ſunt externè fuſci, interne ex albo rubeſcentis. Elige recentes, non carioſas, ponderoſas, aiunt præjudiciis occæcati, quid enim refert utrum his dotibus gaudeant meæ? Vermes nil niſi perenchyme farinaceum conſumunt; manet reſina, pars præcipua, quoad pondus, minor quantitas chinæ compactioris quam levioris modò adhibenda, ea punctum idem dicimus de jalappâ. *Radices chinæ in morbis ſeroſis, lue venerea, podagra, & ceteris, præſcribi ſolent. Uſus eſt in decoctis.* Vid. huc imprimis magni VESALII Epiſtola lectu digniſſima, *de Radice Chinæ*, Tom. II. opp. per H. BOERHAAVE editorum. Item *Auger.* FERRERII, & BRASSAVOLI, *de eadem Radice, ejusque uſu*, Libri ſingulares. Vid. & maxime GEOFFROY, *loc. cit.* pag. 33. ſeqq. ubi plura de miris variisque *Chinæ* virtutibus, ut & apud VALENTIN. in Epiſt. III. *Ind. litt.* p.394. ſqq. item apud NEUHOF. *in Deſcriptione Regn. Sin.* cap. XV. pag. 343. ſqq. & *Baptiſt. du* HALDE, in præſtantiſſimo & ampliſſimo opere noviſſimo, de magni illius *Regni Sin. deſcriptione.* Part. I. cap. 1. pag. 31. Ad innumeros quoque morbos curandos, Radice Chinæ uti Ægyptios, adnotavit *Proſper* ALPINUS, *de Med. Ægypt.* Lib. IV. cap. 1. p. 253. Vid. plura apud ZORN. p. 199. ſeqq. Sed hujus ſalutaris Rad. laudes limitare voluit *ſingulari Diſſ.* JUCHIUS; item Cl. CARTHEUSERUS, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. 13. cap.7. p.425.

RAD. CICHORII hortenſis, ſativi, Seris ſativæ, *Racine de Chicorée*, Weg-warten, Garten-Wegwarten, Hindläufften-Wurzel. Educantur in hortis, & effodiuntur vel novo vere, vel autumno adulto. Carnoſæ ſunt eligendæ; rejiciantur lignoſæ. *Ad vitia hepatis & bilis ſolent præſcribi; Etiamque rei culinariæ inſerviunt.* Inſignes præſertim *virtutes antimelancholicas juſculis Cichoraceis tribuit*, & ſingulari exemplo probat, *Joh.* RHODIUS, Cent. I. *Obſ. Med.* 44. referente ex eodem, VERZASCHA, *Obſ. Med.* 69. pag. 147. *De uſu* vero *Decocti Radicis Cichorii in phthiſi, polychreſto, poſt Cratonem, ſingularis Joh. Georg* FUCHSII *extat obſervatio*, in *Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ.* Cent. VI. 81. p. 338. ſqq. Conf. GOEZ. *de Script. Stahl* pag. 146. & imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 322. Item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 138. & TOURNEFORT, *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 327. ſeqq. nec non *Commerc. litt. Med. Norimb.* Anno 1733. p. 207. Vid. plura apud ZORN. *Botanol.* p. 204. ſqq.

CICHORII, Cichoriæ agreſtis ſive ſilveſtris, Intybi erratici, Intybi ruſtici, Ambubejæ, Roſtri porcini &c. *Racine de Chicorée ſauvage*, wilde Wegwarten, Wegweiß, Hindläuf-Wurzel. Sponte naſcuntur in locis incultis circa calles. *Sivario ignis gradu decoquantur, laticem vel flavum, vel ſmaragdinum tingunt, &, ipſi quem poſſident, ſaporem amarum communicant, viribus pares ſunt, præcedentibus.* Plurimas tamen virtutes eximias, præſertim *in variis morbis chronicis, & affectibus rhevmaticis & ſcorbuticis* ipſi tribuit Cl. CARTHEUSERUS, *Fund. Mat. Med.* Part. Sect IX. cap. 3. pag. 484. de quibus plura vid. apud ZORN. pag. 205. ſeq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 321. ſqq.

COLCHICI albi, non venenati. Vide Hermodactyli.

De ipſo vero Colchico altero venenato, floribus dilutius cœruleis, aut nonnihil interdum purpuraſcentibus, Celeb. quondam WEDELIUS, longa experientia inductus, & tandem convictus, magna fiducia tradidit, *præſentiſſimum & præſtantiſſimum, eſſe Amuletum prophylacticum contra quosvis morbos contagioſos, & ipſam quoque peſtilentiam truculentiſſimam*, edita in vulgus *ſingulari Diſſert.* ſub titulo: Experimentum curioſum *de Colchico veneno, & alexipharmaco ſimplici & compoſito*, Jenæ 1718. quam impenſe laudat, adductis diligenter ex ea, rationibus & exemplis Wedelianis, GEOFFROY, de *Mat. Med.* Tom. III. p. 351. ſeqq ubi plura de hoc ipſo Colchico. Quam tamen virtutem alexeteriam venenatiſſimæ huic plantæ vulgo tributam, jam olim in dubium vocavit *Monagetta*, & poſt ipſum B. RIVINUS, *Diſſert. de Peſte Lipſienſi*, p. 63. ne de aliis dicam, perquam exiguam, aut pæne nullam id genus Amuletis fidem habentibus. Interea plura de hac controverſia, ex diverſa Colchici hujus efficacia vid. apud ZORN. *Botanol.* p. 220. add. BOECLER. *Cynoſur. Mat. Med. Cent.* pag. 71. & *Bod.* a STAPEL *ad Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib. IX. p. 1143. ſeqq. Sic ergo *Colchicum intus aſſumtum, deleterium eſt certiſſimum; extra vero appenſum, alexeterium, ſed forte adhuc incertum, niſi forſan incertiſſimum.* Jure enim vereor, ne in ejusmodi experimentis, ab Amuletis & prophylacteriis deſumtis, fallacia non cauſſæ, ut cauſſæ, quam ſæpiſſime committatur. Interea tamen reverentia ductus, nolim temerario auſu, peccare in ipſos cineres Wedelia-

nos, quos ſingulari quidem ſtudio ac pietate, adhuc veneror. Sed ſatis jam de his, data hic commoda occaſione.

RAD. COLUBRINAE. Vide Biſtortæ.

CONSOLIDAE majoris, Symphyti majoris, *Racine de grande Conſaude, Oreille d'Ane*, Wahlwurzel, Schwazwurzel, Schmeerwurzel. De ſingulari ſymphyto Conſtantinopolitano, Boraginis folio & facie, flore albo, vid. iconem & deſcriptionem, apud TOURNEFORT. *Itiner.* Epiſt. XII. Tom. II. p. 243. ſeqq. In locis humidis ſponte naſcuntur; etiamque coluntur in hortis. *Mucilagine abundant, & multum adſtringunt;* Inde ruſtico cuidam per hanc radicem, ex joco, vino Malvatico infuſam, fauces ita conſtrictas fuiſſe, ut pene ſtrangularetur, & fœminam, jam matrem, ex eadem radice, petulantis & laſcivæ ancillæ dolo, balneo injecta, anguſtiorem intactæ virginis naturam pæne recepiſſe, jucunde narrat *Hœchſtetterus, Obſervat. Med.* 5. Decad. III. p. 234. ſqq. & ex eo B. HEUCHER. *de Plant. Hort. Med. Wittemb.* p 997. ſq. Tom. II. Opp. Eadem quoque virtus amiſſæ virginitatis damna irreparabilia alias, utcunque reparandi, ab *Hoffmanno* & aliis, tribuitur *Alchimillæ* majori, ut infra, ad ipſam Alchimillam ex GEOFFROY, *Mat Med.* Tom. III. p. 54. notabimus. *Decoctis vulnerariis, & emplaſtris catagmaticis immiſcentur. Cataplaſma ex radicibus ſcilicet conſolidæ majoris, ad contuſiones & ſuffuſiones multum celebratur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 356. ubi plura de inſigni hujus radicis uſu tam interno, quam externo, late commemorantur. Uſum tamen internum vix admittit CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XV. cap. 3. pag. 557. licet plures eum commendaverint, quos vid. apud ZORN. pag. 654. ſeqq.

CONTRAYERVAE, Drackenæ, Cyperi odori Peruviani, Radicis Bezoardicæ, & alexipharmacæ, *Racine de Contrayerve*, peruvianiſche Gift-Wurzel. Nodoſæ ſunt atque fibroſæ; colore rufo exterius, ſed pallido interius adparent. Multum diuque inter auctores vitilitigatum fuit, quænam planta ex his radicibus proprie progerminaret? *Hermannus* eam nominat: *Clematitidem paſſionalem Peruvianam, folio bifido. Muntingius*, ob ſimilitudinem foliorum, *Ferrum equinum volubile* vocat. PLUMIER in opere, *de novis plantarum Americanarum generibus*, plantam iſtam appellat: *Dorſteniam, Sphondilii folio, radice dentata.* Vid. Cl. LUDWIG. *Definit. Gener. Plant.* 940. *Linnæum* & alios rei herbariæ Scriptores, item GEOFFROY, *loc. cit.* Ex provincia Peruviana, quæ *Charcas* audit, ad nos tranſmittuntur. *Drackenæ* appellantur a Cluſio, in honorem *F. Drake*, qui primus has radices in Europam tranſportaſſe creditur, obſervantibus, *Geoffroy, Boerhavio* & aliis. Optimæ cenſentur radices recentes, ponderoſæ, & quæ ſubadſtringentem & aromaticum ſaporem linguæ imprimunt. Extracta tam pluviali aqua, quam ſpiritu vini, colorem rubrum exhibent. *Contrayerva* eſt vocabulum Hiſpanicum, quod ſignificat: *contra venena. Sunt alexipharmacæ, roborantes, ſudorem moventes; & ſpecifice ad dyſenteriam malignam commendantur.* Plura de his eximiis virtutibus præſtantiſſimæ hujus in medendo Radicis, vid. in ſingulari WEDELII *Diſſertat. de Contrayer-*

Contrayerva, nec non in GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. Art. X. p. 36. ſeqq. & CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 4. p. 408. ſeqq. præſertim ZORN. *Botanol.* p. 225. & CHARAS, *Pharm. Reg.* Tom. I. p. 231.

RAD. COSTI amari, officinalis, Comageni, iridem redolentis, *Racine de Coſtus amer*, bittere Coſtus-Wurz. *Coſtus Indicus*, *Viola martia odore. Muſ. Zeil. Tſiana-Kua.* H. M. Part. II. Tab. 8. *Chianfou*, Sinenſium. Radices ſunt ſolidæ, craſſæ, oblongæ, interdum per medium diſſectæ; exterius cinereum vel pallidum colorem, interius albicantem oſtendunt; ſaporem aromaticum & ſubamarum linguæ imprimunt, & iridem Florentinam redolent. Coſtus, olim ex Arabia & Syria advectus eſt, & idcirco Arabicus & Syriacus nuncupabatur. In nemoribus vero Malabariæ, Braſiliæ & Surinamæ etiam creſcit. Vid. SALMAS. *de Homonym. Hyl. Jatr.* cap. 88. pag. 128. ſeqq. Planta eſt graminifolia, quæ florem in caulis folioſi vertice, profert. Terminatur vero hic caulis capitulo piriformi imbricato, ſquamis ovatis, obtuſis, concavis, è quibus protuberant flores candidi, ſinguli. Perianthium parvum tridentatum germini inſidet. Petala ſunt tria lanceolata, concava, erecta, æqualia. Nectarium monophyllum, magnum, oblongum, tubuloſo inflatum, ore ringens, bifidum in duo labia, e medio reflexum. Antheræ duæ parallelæ. Capſula ſeminalis ſubrotunda, trilocularis; ſemina plane triangularia. De his diverſis Coſtis, eorumque *virtutibus medicis bechicis cephalicis, hyſtericis, diaphoreticis, diureticis, & antitoxicis*, vid. late tractantem GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. cap. I. Artic. XI. p. 40. ſqq. ZORN. *loc. cit.* p. 243. DALE *Pharmacol.* p. 329. ſqq. & CHARAS, *Pharm. Reg.* Tom. I. p. 232.

COSTI dulcis, *Racine de Coſtus doux*, ſüſſe Coſtus-Wurzel. *Bontius*, *Acoſta*, Garcias ab Horto, Cluſius & alii plures perhibent, quod ex hac radice illa planta progerminet, cujus deſcriptionem ex *Horto Cliffortiano* LINNAEI. p. 2. modo dedimus. Hæ Coſti dulcis radices, a radicibus coſti amari, non, niſi loco natali & vetuſtate radicum differunt. Vetuſtate enim colorem obſcuriorem induunt, & amaritudinem quampiam contrahunt. Hinc veteres radices, ſub nomine Coſti amari veniunt; Radices vero recentes & albicantes Coſtum dulcem conſtituunt. *Utriusque vires ſunt ſtomachicæ, uterinæ, carminativæ, & alexipharmacæ. Ad compoſitionem Theriacæ adhibentur. Urinam odore violaceo imbuunt.*

RAD. CUCUMERIS ſilveſtris, Cucumeris aſinini, Elaterii, *Racine de Concombre ſauvage*, Eſelskürbis-Wurzel, Springkürbis-Wurzel. Sunt radices majores, rapi inſtar. Eſt planta annua, & educatur in hortis. *Ex fructu Elaterium paratur. Alvum violenter movent; raro ad uſum internum præſcribuntur, niſi hydropicis. Recentes ad unguentum de Arthanita adhibentur.* Conf. huc *Jo. Wilhelm.* EBERHARDI *Diſſert. ſingularis, de Elaterio*, & plura apud ZORN. p. 243. ſqq.

CURCUMAE, *Racine de Curcuma, Safran des Indes*, Gilbwurz, Gelbſucht-Wurz, gelber Ingwer. *Mangella-Kua. H. M.* Arabibus *Curcum*, aliis *Terra merita.*

Radix, Zingiberi ſimilis eſt, & intrinſecus ſaturâ flavedine conſpicua. *Celeb.* BOERHAAVIO *ſunt Cannacori radice crocea. Hiſtor. Plant.* Tom. II. p. 597. & *Indic. Plant. Hort. Leid.* Part. II. Ex India Orientali advehuntur. Recentes, ponderoſæ, quæ cariei ſunt expertes, guſtuique ſaporem aromaticum imprimunt, eligantur. *Incidentem & reſolventem vim exerunt; Hydropicis atque ictericis commendantur; & præter uſum, quem arti ſalutari præſtant, tinctoribus quoque inſerviunt. Indis*, ad cibos tingendos, vicem croci gerunt. Vid. *Cl.* BÜCHNERI Diſſert. ſingularis *de Curcuma officinar. ejusque genuinis virtutibus*, item ejusdem *Fund. Mat. Med.* p. 234. conf. & Cl. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 3. p. 33. ſqq. item ZORN. p. 249.

CYCLAMINIS, Arthanitae, Cyclaminis orbiculato folio interne purpuraſcente, *Racine de pain de pourceau*, Schweinsbrod, Erd-Aepfel, Wald-Rüben, Erdſcheib-Wurz. Radices autumno colligendæ ſunt. Guſtui primum mucilaginoſum, & brevi poſt acrem ac fervidum ſaporem patefaciunt. *Vehementer reſolvunt, ideoque ob vim, quâ menſes & fœtum pellunt, caute, prudenter & religioſe in uſum vocandæ ſunt. Recentes ad unguentum de Arthanitâ adhibentur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 391. ſeqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 621. & maxime ZORN. pag. 251. ſqq.

CYNOGLOSSAE majoris vulgaris, Cynogloſſi ſive Linguae caninae, *Racine de cynogloſſe, de langue de chien*, Hundszungen-Wurz. Sponte ubivis naſcuntur, præſertim verò in locis aridis & circa ſæpes. *Refrigerantem & adſtringentem vim poſſident; vulnerariis adnumerantur; & pilulas de Cynogloſſo, in officinis ingrediuntur.* De quibus infra, ſuo loco. *Præterea anodinæ ſunt; humorum acrimoniam obtundunt, & ad fluxum alvi, hœmoptyſin & alia commendantur.* Vid. huc SCHRECKII Diſſert. recentiſſima, *de Cynogloſſo.* Altorffi 1753. Sed plura apud ZORN. p. 256. Add. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 275. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 570. ſeq. imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 394. ſeqq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 74.

RAD. CYPERI longi odorati, Cyperi odorati, Panicula ſparſâ ſpecioſâ *Racine de ſouchet long*, lange Cyper-Wurz. *Vires, cum ſequentibus, easdem, poſſident.* Judice BOERHAAVIO, *loco mox laudando, Cyperus longus præſtantior eſt, rotundo*, licet *Simon* PAULLI in contraria opinione verſetur, *loco ſtatim citando.*

CYPERI rotundi, Orientalis majoris, C. B. Cyperi Syriaci & Cretici, *Racine de ſouchet rond*, runde Cyper-Wurz. Cyperus longus in Gallia, præſertim in Provincia & Italia occurrit; rotundus vero ex Ægypto & Orientalibus plagis adfertur. Ab Ægyptiis *Hodweg*, vocatur, & in lacubus aliisque locis paludoſis naſcitur. *Alpin.* Radices odoræ, ponderoſæ, & cariei expertes, eligendæ ſunt. *Ad odoramenta Cyperi Rad. ut plurimum adhibentur; vim ſtomachicam, diſcutientem, & urinam moventem, exercent, ſi interne ſumantur; imprimis autem alexipharmacam & antilœmicam, adeo, ut illa radix pulve-*

rata, ad Drachmam unam, cum vino albo, aut aqua cardiaca, aſſumta, multos peſte corruptos ſtrenue vindicaverit, obſervante PALMARIO, *de Febre Peſt.* cap. 18. p. 458. ubi & addit idem, *ſolam externam illius fragrantiam, peſtilentis, aut aliter corrupti, aëris inquinamenta diſcuſſiſſe.* De aliis vero ipſius virtutibus, vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom.II. p.50. & *Sim.* PAULLI, *Quadripart. Bot.* pag. 283. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom.II. pag. 631. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part.II. Sect. XII. cap. 4. pag. 36. ſeqq. Pauciſſima vero, quod mirum, præter morem ſuum, habet ZORN. p. 259.

DENTARIAE majoris, Squamatae, Squamariae, Anblati, Heptaphylli, Coralloidis, *Racine de grande Dentaire*, Schuppen-Wurzel, Streubelwurz, Creuz-Wurz. Naſcuntur in locis opacis; & vere primo ſunt colligendæ. Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom.II. p. 438. *Rarius in medicos uſus vocantur; Aqua, ex illis deſtillata, antepileptica creditur*, quam Noribergenſibus potiſſimum frequentiore in uſu eſſe, obſervat *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Bot.* p. 59. qui tamen ipſe alia remedia experientia magis probata ipſi potius præfert.

DENTARIAE minoris, Dentariae pentaphyllae, Violae dentariae, Saniculae albae, Symphyti dentarii, *Racine de petite Dentaire*, Zahn-Wurzel, weiſſe Steinbrechwurzel. Ex Helvetiâ adferuntur. *Adſtringunt, & ſiccant; Hernioſis & vulneratis conducunt.*

DENTIS Leonis, vide Taraxaci.

DICTAMNI albi, Diptamni offinalis, Fraxinellæ, Fraxini pumilæ, *Racine de Fraxinelle, de dictame blanc*, weiſſer Diptam, gemeiner Diptam, Aſch-Wurzel. In montoſis locis Galliæ, Italiæ, Germaniæque naſcuntur. Cariei expertes & parte lignoſa interiore privatæ, albicante colore ſe commendent, quas eligas, radices. *Vis alexipharmaca potiſſimum, & anthelmintica illis adſeritur; ad Epilepſiam profligandam, menſtrua & lochia propellenda quoque commendantur.* Vid. huc *Cel.* BÜCHNERI *Diſſert. de Fraxinella, & Fund. Mat. Med.* p. 239. add. imprimis ZORN. *Botanol.* p. 265. ubi plura, & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 174.

RAD. DORONICI, Doronigi latifolii, Scorpii radice, Romani, *Racine de Doronic*, Gemſen-Wurzel, Schwindelwurz. Vid. huc præcipue SALMAS. *Exercit. de Homonym. Hyl. Jatric.* caput 54. pag. 64. & WELSCH. *Diſſert. de Ægagropilis*, p. 20. ſqq. ubi & paucis interjectis, p. 24. ſeqq. operoſe & copioſe contra *Matthiolum*, *Hofmannum*, & alios, oſtendere voluit, Doronicum haud eſſe venenatum, nixus potiſſimum dubia *Geſneri* auctoritate, de qua mox plura. Creſcunt in montibus Helvetiæ, Tirolis, Stiriæ, & Auſtriæ. Elige, quæ non carioſæ ſunt, ſed albicantes adparent, & guſtui ſub dulcem, aromaticum, acrem ſaporem imprimunt. Conf. RENOD. *Mat. Med.* Lib.I. cap. 62. p. 397. & imprimis TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 433. ſqq. ubi exa-

aptiſſima deſcriptio. *Doronicum pro ſpecifico contra vertiginem habetur, & ad nonnullas compoſitiones pharmaceuticas adhibetur, ut ad ſpecies Diambræ, ſpecies Cordiales, ſpecies Diamargaritæ calidas, & Electuarium de Gemmis, ut & ſpecies lætificantes Rhoſis.* Vid. imprimis *Vit.* RIEDLINI *Lin. Mat. Med.* A. 1696. Menſ. Jan. Obſ. IX. p. 13. ſqq. ubi de mira Doronici virtute contra vertiginem uberius tractatur, allatis quoque exemplis & hiſtoriis, ab ipſo Auctore obſervatis, vid. & ibidem, *Menſ. Febr.* Obſ. 16. pag. 78. conf. ZORN. *Botanol.* p. 267. ſq. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 175. ſeq. item Ill. HALLERI Orat. *de Botan. utilit.* pag 160. Opuſc. Botan. ubi *Geſnerum* ſuum potiſſimum laudat, quod cum ipſo ſuæ vitæ periculo, primus, hujus ambiguæ radicis periculum fecerit, auſu ingenti, & ſucceſſu felici, vid. *Epiſt.* 20. Lib. II. p. 74. item pag. 78. & tractatum *de Aconito Dioſcor.* Epiſt. adjectum. p. 12. ſqq. quod tamen negat, poſt *Coſtaum*, & HOFMANNUM, Lib. II. *de Med. Off.* p. 89. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 66. & p. 151. qui hanc ipſam Rad. *Geſnero* mortiferam fuiſſe potius afferit, ſed reclamantibus aliis, præſertim *Welſchio*, qui eum peſtilentia potius extinctum fuiſſe, tradunt. Ipſe interim *Boerhaave Doronicum merito inter plantas venenatas* refert, cum aliis multis, laudatis a ZORN. *loc. cit.* p. 267. & *Sim.* PAULLI, pag. 14. & 16. licet non deſint, qui contrarium tueantur, ut ibidem videre eſt. Sed præſtat, tutiora & mitiora ſequi.

EBULI, Sambuci humilis, Sambuci agreſtis, Chameactes, *Racine d'ieble*, Attich, Acker-Holunderwurz. Cortices radicis ſolum modo in uſus medicos vocantur, parte lignoſa penitus abjecta. *Vehementer purgant, & inter hydragoga numerantur.* Vid. Diſſ. Cl. JUCHII *de Ebulo, ejusque uſu medico*, qui tamen perquam caute & circumſpecte inſtituendus, imo plane omittendus, ob vim nempe ipſius Ebuli, catharticam & emeticam atrociſſimam & violentiſſimam, ut ſapienter poſt alios multos, monet *Cl.* GEOFFROY, Tom. III. *Mat. Med.* p. 417. ſqq. Conf. ZORN. pag. 272. ubi plura, & GESNER. *in Epiſt.* item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.*

RAD. ELLEBORI albi, Veratri flore ſub viridi, *Racine d'Ellebore blanc*, weiſſe Nieſswurzel, Schampanierwurzel. Creſcunt in locis aſperis & montoſis Helvetiæ, Sileſiæ, Auſtriæ, aliisque Germaniæ provinciis. *Tournefortius* diſtinguit, inter *Elleborum & Veratrum*. Album potius Veratrum nuncupari debere cenſet, quod & *Rajus* monet, item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 375. cum SALMASIO, *Hyl. Jatr.* p. 57. ſeqq. Differt enim ab *Helleboro*, quod corniculis careat, & marginatum ſemen ferat, hinc & diverſis etiam nominibus hæc duo genera eſſe diſtinguenda, perhibent. *Et ſi in minutiore doſi exhibeantur, acriter tamen per ſuperiora, & inferiora purgant, & nonnunquam convulſiones excitare ſolent. Hinc in ſubſtantia nemini dari fas eſt, niſi ſit robuſtiſſimus, maniacus vel melancholicus. Sufficiat grana ſex, ut plurimum octo, pro una doſi præſcripſiſſe. Securius eſt, ſi prius vino macerentur, & ſic ferocitate ſua, aliqua ex parte, priventur, ubi ad ſcrupulum unum dari poſſunt. Frequentiſſimus uſus Ellebori in eo conſiſtit, ut pulveribus ſternutatoriis intermiſceatur.* Caute tamen adhibendus, & in exigua doſi. Vid. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. 7. cap. 6. p. 414. & BOERHAAVE, *loc. cit.* p. 375. *Etiam egregium medicamen eſt porcis. Succus Ellebori albi, vulneribus inditus, lethalis eſt. Tela & alia armorum genera huic ſucco intincta, ſi non lethalia,*

inſanabilia ſaltim vulnera efficiunt. Hippocratem quidem ipſum, ceteroſque ipſum ſequutos Medicos veteres omnes Helleboro albo, maxima tamen cum circumſpectione, frequentius olim uſos fuiſſe, id profecto mirum non eſt, in tanta nempe, eo tempore Remediorum tutiorum & mitiorum penuria; id vero contra magis mirum, imo ſevera potius caſtigatione dignum eſt, vel noſtro ævo, repertos eſſe tam protervæ audaciæ Medicos nonnullos, qui in tanta meliorum & benigniorum catharticorum abundantia, nihilominus tamen in uſum internum ancipitem, imo præcipitem rectius revocarent & impenſe commendarent terribile illud Medicamentum, ut *Plinius* recte vocat, Elleborum nempe album, quorum quidem, quod jure quis miretur, ingentem catervam producit, cui ſe ipſe, more ſolito, lubentiſſime immiſcet, FRICCIUS ille, toties jam notatus, *de virtute Venenorum Med.* cap.XI. quibus add. *Paracelſus*, *Caſtellus*, *Bauſchius*, *Rulandus*, *Hermannus*, imo quod merito mireris, ipſe GESNERUS, Lib. I. *Epiſt. Med.* p. 12. b. & p. 13. b. & paſſim in ſqq. aliique, præſertim vero *Pet. Salius*, diverſus, merito hinc reprehenſus a *Simon* PAULLI, *in Quadripart. Bot.* Claſſ. I. pag. 6. quem ut proinde, in damnando penitus interno Ellebori albi uſu, aut abuſu, omnes hodie merito ſequuntur ſanioris judicii & ſanctioris conſcientiæ Medici, ut poſt *Ludovicum*, *Ettmüllerus*, *Lentilius*, *Wedelius*, *Muraltus*, *Rivinus*, *Hoffmannus*, *Boerhaavius*, *Pechlinus*, *Heucherus*, *Büchnerus*, BENIVEN. *Obſ. Med.* 52. p. 210. ſeq. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 76. ZORN. p. 272. & innumeri alii. Caput ergo, ſit venia dictæ & juſtæ indignationi, Caput inquam, habet haud dubie, nec duobus Elleboris, imo ne tribus quidem Anticyris ſanabile, quisquis poſt tot graviſſima præſtantiſſimorum Medicorum teſtimonia, poſt tot inſuper luctuoſiſſima exempla, nihilo minus tamen adhuc in uſum internum advocare proterve auſus fuerit teterrimum illud & abominandum Remedium, Elleborum nempe album, ob horribiles effectus, non albo, ſed nigro, imo nigerrimo potius lapillo ſemper notandum. *Eſt enim Elleborus albus planta, Equis magis, quam Hominibus idonea*, recte ſic judicante *Summo* BOERHAAVIO, Tom. I. *Hiſt. Plant.* p. 376. Reddenda igitur Equis, quæ Equorum ſunt, & Hominibus, quæ Hominum. Quæ enim Remedia ſolum juvant jumenta, ea eſſe profecto non poſſunt humanæ ſalutis adjumenta, ſed potius nocumenta. *Pertinet igitur Elleborus albus magis ad Hippiatros, quam ad Andriatros*, ut ſic loqui liceat.

RAD. ELLEBORI nigri, Hellebori nigri anguſtioribus foliis, flore Roſeo, Melampodii, Veratri, *Racine d'Ellebore noir*, ſchwartze Nieſswurtzel, Criſtwurtzel. Conf. huc *Diſſert. noſtra de Moly Homerico*, Lipſ. 1716. Elleborus niger optimus in Stiria naſcitur. Radices nigræ, longæ, fibroſæ, atque carnoſæ eligendæ ſunt. Pharmacopœis, ne helleboratrum, qui hellebori albi ſpecies eſt, pro vero nigro emant, ſumma cautela & attentione opus eſt. Folia Hellebori nigri veri, ſunt glabra, atque ſervata, & ſi ſeparatim ſpectes, lauri foliis non multum diſſimilia. *Flos roſeus*, *Bauhini. Rariſſime ſolus, niſi ſine febre delirantibus, in ſubſtantia praſcribi, & propinari ſolet. Plerumque in infuſis, & vinis medicatis, ad humores melancholicos educendos commendatur. Robuſtiſſimis hominibus à granis quindecim, ad drachmam dimidiam, in ſubſtantia porrigitur; in in-*

fuſis vero ad drachmam integram, imo unam ſemis. Conf. SCHULZII Diſſert. *de Helleboriſmis veterum*, & BACHOVII *Diſſert. de Helleboro nigro*, item MEZGERI, & BÜCHNERI *de eadem* Radice *cathartica*, *Diſſertationes*. Olim quoque *Agathinum* integrum *de Helleboro*, conſcripſiſſe Librum, meminit *Cal.* AURRELIAN. Libr. III. *Acut. Morb.* cap. 16. Interim licet aliquanto mitior ſit Elleborus hic niger, illo altero albo; tamen & æque circumſpecte eſt adhibendus, & non promiſcue cuivis ægroto præſcribendus, conf. BORRICHII *Diſſert. de Venenis*, p. 218. Diſſert Acad. Tom. I. & VERZASCHA. *Obſ. Med.* 73. p. 157. imprimis TOURNEFORT. *Itinerar.* Tom. III. Epiſt. 21. p. 348. ubi exempla de diris Ellebori nigri effectibus leguntur; quæ & de juvene divite perquam funeſtum, retulit SALMASIUS, *in Exercit. de Homonym. Hyl. Jatric.* cap. 50. p. 55. ubi in ſequentibus plura de utroque Elleboro. Item de aliis, *Tim. a* GÜLDENKLEE, *Caſ. Med.* 6. Lib. VII. p. 312. & ex eo WEDEL. *Amœnit. Mat. Med.* pag. 251. vid. & SEIDEL. *de morbis incurabil.* p. 138. Add. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. X. cap. p. 537. ſeqq. præſertim ZORN. *Botanol.* p. 276. ſqq. ubi innumeros pæne in utramque ſententiam, allegat Auctores, maxima diligentia collectos, quibus ad. LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 122. *Habet enim etiam vim ſuam Araſticam & non nihil cauſticam, & ſæva ſæpius tormina, cum acri teneſmo, item fluxum alvi frequentem, nonnunquam etiam cruentum, concitat*, de quo nobis exempla conſtant, & obſervavit quoque ipſe *Hoffmannus*, cum aliis. Igitur *Hic Niger eſt, hunc tu, Romane caveto!*

RAD. ENULAE campanæ, Helènii, Elenii, *Racine d'Aunée*, Alant-Wurzel. A nonnullis quoque *Panax Chironium* vocatur. *Linnæo*, *Aſter foliis ovatis, rugoſis, ſubtus tomentoſis amplexicaulibus, dicitur.* *Rajo vero & Tournefortio*, *Aſter omnium maximus.* Sæpe educantur in hortis, & effodiendæ ſunt vere primo. *Virtutem incidentem, reſolventem, alexipharmacam, ſtomachicam & pectoralem habent.* Si cum aqua per alembicum deſtillentur, oleum butyraceum, & ſpermatis ceti inſtar foliaceum, præbent. Vid. huc imprimis *Joh. Adolph.* WEDELII Diſſertatio ſingularis, *de Helenio*. Recte inde Enulam, ob multiplicem uſum, *polychreſtam* vocat, LUDOVICI, *Pharmac.* Diſſ. I. pag. 193. imo rectius vocari illa poteſt *Panacea pauperum & Nepenthes egenorum.* Vid. multa magnaque & merita quoque ipſius elogia apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. Sect. II. p. 430. ſqq. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 6. p. 55. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 176. ſqq. & præſertim TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 396. aliosque plures, laudatos ZORNIO, p. 281. ſqq.

ERINGII, Lyringii, Acus veneris, Capituli Martis, Aſteris inguinalis, Cardui volutantis aculeati, *Racine de Panicault, ou de Chardon Roland*, Manns-Treu, Raden-Diſtel, Bracken-Diſtel. Sponte & copioſiſſime ſolo alias ſterili & inculto excreſcunt, circa colles. Radices Eryngii vulgaris, campeſtris, in uſum vocantur. Quæ carnoſæ ſunt, eligantur. Vid. LANGII *Epiſt. Med.* 21. Lib. II. p. 586. *Adnumerantur radicibus quinque aperientibus minoribus. Urinam propellere, & veneris languorem exſtimulare cenſentur, aliasque plures virtutes poſſidere dicuntur*, quas vid. ex variis Auctoribus petitas, apud ZORNIUM, p. 287. & GEOFFROY, Tom. III. p. 442. ſqq.

Esulae minoris, Tithymali Cypariſſæ, cupreſſini officinalis Linariæ admodum ſimilis, *Racine de Tithymale*, Wolfsmilch-Wurzel. Excreſcunt in locis aridis, ſterilibus, & incultis, circa calles. Scatent ſucco lacteſcente, acri, & cauſtico. Cortices radicum eligantur. *Adnumerari ſolent hydragogis. Violenter purgant, hinc per acida corrigendæ & mitigandæ ſunt. In ſubſtantia, a ſcrupulo uno ad duos, rariſſime ad drachmam præſcribuntur; in infuſo vero, ad drachmam unam, hac tamen lege & cautela, ut acido, velut aceto, vel ſucco citri, prius emendentur.* Eſula nomine quidem, mentitur fere Enulam, modo merito laudatam, unde gravis ille pharmacopœi Tironis error ortus, de quo vid. Thoneri, *Epiſt. Med.* 20. Lib. VI. p. 339. Sed Enulæ tamen contrarias prorſus vires habet, nempe *draſticas, violentas imo virulentas,* licet id negare auſi fuerint *Rulandus, Fernelius, Mynſichtus, Mayerne,* & nonnulli alii, quos laudat, & pro more, in paradoxis & ambiguis defendendis, ſemel recepto, ſequitur ipſe Friccius, Tract. *de virtute Venenorum medica* Cap. VIII. Ut & olim Borichius, Diſſert. *de Venenis,* quæ eſt quinta inter ejus Diſſert. Acad. Tom. I. p. 218. Sed fruſtra omnino, & inani opera. Contrarium rectius ſtatuentibus, *Pechlino, Wedelio, Williſio, Büchnero, Sim. Pauli, Ludovici, Hoffmanno,* aliisque præſtantiſſimis Medicis. Vid. huc imprimis, Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. Sect. II. p. 450. & Zorn. *Botanol.* p. 289. ubi multa in utramque partem; item *Angel.* Salae, *Anat. Eſſent. Vegetabil.* Sect. IV. cap. 2. pag. 29. & Düttel. de *virulent. purgant. Indole,* Cap. I. Loeseke, *Mat. Med.* pag. 141. Licet enim inertes Hydropicorum aquas potenter pellere illa dicatur, tamen cum illis ipſis aquis, animas quoque ipſas eandem ſimul eduxiſſe, triſti experientia teſte, haud ſemel obſervatum fuit. *Exulet igitur in poſterum maligna illa ac nociva Eſula ab officinis pharmaceuticis, in perpetuum nec ad eſum uſumque revocetur.* Conf. Fulleri, *Pharmacop. extemp.* p. 90. ubi in atram Remediorum proſcribendorum & fugiendorum claſſem recte quoque refert deteſtabilem illam Eſulam. Vid. & Riedlini, *Lin. Med.* An. 1698. Menſ. Jun. Obſ. 16. p. 495. ſqq. *ubi & externum ſucci Eſulæ uſum perquam noxium fuiſſe, ſingulari exemplo oſtendit.* Hinc Elixirium illud purgans Herbipolenſium Equis potius præſcribendum, quam hominibus, imo rectius, ne equis quidem, quippe quod ex utroque Helleboro, Aſaro, & deteſtabili inſuper Eſula compoſitum eſt, ut tanto magis nempe noceat, & tanto minus proſit. Conf. inferius dicta ad *Elixir purgans.* Illius autem deſcriptionem, ſi tanti, in Bierlingii *Append. Medicament.* Cap. XIII. p. 75. alias vero compoſitiones, quas dira illa Eſula ingreditur, vid. apud Tournefort. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 154.

Rad. Farfarae, Tuſſilaginis, Bechii, Ungulae caballinae, *Racine, de Pas d'Ane*, Brand-Lattich, Huflattich-Wurzel. Naſcuntur in locis udis, & circa rivulos. Vere novo, ubi floreſcere incipiunt, evellantur & congerantur. *Pectori conducunt, & Phthiſicis commendari ſolent. Ex his radicibus recentibus Looch de Farfara paratur.* Vid. Cartheuser. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. 13. cap. 5. p. 416. præſertim Zorn. pag. 688.

Rad. Filicis, *Racine de Fougere femelle*, Farrnkraut-Wurzel. Illa ſpecies in uſum accerſiri ſolet, quæ *Filix major ramoſa* ſive *femina*, *radice repente*, *nuncupatur*. Ubivis ferme ſilvarum occurrunt, & in locis incultis ſponte & uberius naſcuntur. In Wirtembergia, ſilva martia copiam maximam earum ſuppeditat. Colligantur tempore autumnali. *Hæ radices, tænias latas & lumbricos expellunt, ſi vel ſola, vel cum Aethiope minerali, & laxante alio quovis commixtæ, ad ſcrupulum unum vel drachmam dimidiam porrigantur. Lienoſis, calculoſis, atque podagricis in decocto quoque commendari ſolent.* Vid. plura apud Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 472. ſeqq. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 43. & Zorn. p. 304. ſqq.

Rad. Filipendulae, Oenanthes, Saxifragae rubrae, Filicis floridae, Oſmundae, *Racine de Filipendule, ou de Fougere aquatique*, rothe Steinbrechwurzel, vocatur etiam planta, *filix florida, oſmunda*, Waſſerfarrn. In pratis & paſcuis montoſis exurgunt; præter dotes aliarum filicis ſpecierum, huic potiſſimum *Virtus vulneraria, & vis, ſanguinem coagulatum diſſolvendi, adſcribitur; Hinc ruptis, læſis, & ex alto delapſis, commendari ſolet.* Boecler. *Continuat. Mat. Med. Herm.* p. 40 *Ad fluorem album, & a* Silvatico *ad epilepſiam magnifice celebratur*, item a Boerhaavio, ſic enim ille *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 66. *In Epilepſia curanda ſummum & remedium, ſi nempe folia Filipendulæ ſcilicet, in umbra ſiccata, ſumantur quotidiano uſu, ut & in potu, hoc curat Epilepſiam, ſi â debilitate & laxitate oriatur; dein commendatur contra minorem renum & Veſicæ calculum.* Omnes in eo concordant, quod *ſi tres, vel quatuor drachmæ mane, jejuno ſtomacho hauriantur, renes depurgent, ab arenoſa & mucoſa materia.* Hactenus ille, qui etiam ſqq. plures alias Filipendulæ virtutes recenſet. Rajus *pro ſpecifico ad rachitidem prædicat, ſive in forma pulveris, ſive in decocto exhibeatur. Hiſt. Plant.* Vid. plura apud Zornium, p. 303. ſqq. & Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 470. ſqq. item Tournefort. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 441. ſqq.

Foeniculi, Fœniculi vulgaris, *Racine de Fenouil*, Fenchelwurz. Seminantur in hortis, & altero anno, poſt ſeminationem effodiuntur, corticesque radicum modo in uſum adhibentur. *Radicibus quinque aperientibus majoribus adnumerantur.* Vid. Boecleri *Diſſert. de Fœniculo*. Plura apud Zornium ex variis Auctoribus, pag. 307. ſeq.

Rad. Fragariae, Fragulae, Fragariae vulgaris, *Racine de Fraiſier*, Erdbeerkraut-Wurzel. Sponte in ſilvis exſurgunt, & tempore autumnali effodiendæ ſunt. *Poſſident virtutem ſub adſtringentem, & decoctis vulnerariis immiſcentur.* Vid. Zorn. p. 309. ſq. & Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 493. ſqq.

Fraxinellae, vide Dictamni albi.

Galangae, ad Aromata referuntur.

Gentianae

GENTIANAE cruciatæ, Gentianæ minoris, *Racine de Gentiane Croiſette*, Madelgeer, Creuzwurz. Sunt indigenæ. *Vim incidentem*, *abſtergentem vulnerariam & aperientem exerunt; menſes propellunt; febres profligant; & lumbricos enecant.*

GENTIANAE majoris, luteæ, Gentianæ veterum, *Racine de Gentiane*, Enzian, Genzian, Bitterwurzel. In Helvetia, Gallia, Italia, Silva nigra, Ducatu Wirtembergico hujusque alpibus copioſe naſcuntur, Ponderoſæ, carnoſæ, & quæ carie carent radices, eligendæ ſunt. *Alexipharmaca*, *roborantes*, *diuretica*, *anthydropica*, *emmenagoga*, *anthelmintica*, *antiſeptica*, *antipodagrica*, *& ſtomachica ſunt*, *imo contra diram hydrophobiam valere dicuntur.* Vid. huc SLEVOGTII *ſingularis Diſſertatio de Gentiana.* Add. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. IX. cap. 3. pag. 480. ſqq. item LOESEKE *Mat. Med.* pag. 179. ſeqq. & STAHL. *Mat. Med.* Part. II. p. 87. Copioſiſſime vero & doctiſſime de ea tractat ZORNIUS. *Botanol. Med* p. 323. ſqq. ubi & ingentem Auctorum & laudatorum catervam ſimul in medium producit; quibus add. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 287. ſeq. ubi ſimul obſervat, Cortice peruviano nondum invento, ſola Gentiana febres quartanas expugnatas eſſe; ubi & plura de meritis ipſius laudibus, ceterum ſingulare exemplum pertinaciſſimæ quartanæ in Juvene 19 annorum, poſt alia omnia incaſſum adhibita, exigua tantum ſucci Gentianæ doſi, feliciter curatæ, candide retulit GESNERUS *Epiſt. Medicinal* XX. Lib. II. fol. 74. b. & Lib. III. fol. 97.

GRAMINIS, Graminis arvenſis, loliacei, radice repente; Graminis canini, *Racine de Chiendent*, Graswurzel, Queckenwurzel, Hunds-Gras. *Radicibus quinque aperientibus minoribus adſociantur. Virtus diuretica*, *anthelmintica*, *antipodagrica*, *antiicterica*, *anthypochondriaca*, *& antiſcorbutica*, *illis quoque adſcribitur.* Plura ejus elogia vid. collecta a JO. PFAUTIO, *in Deſcriptione Graminis medici pleniore.* Ulm. 1656. Add. laudat. ZORN. p. 331. & Cl. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 265. ubi ad ipſam ſuam experientiam ſimul provocat, cui & noſtram merito adjungimus, imprimis & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 529. ſqq.

HELLEBORI albi & nigri videantur Ellebori.

HERMODACTYLI, Colchici alba radice, C. B. J. B. *Racine d'Hermodattes*, Hermodattel, oder fremde Zeitloſen-Wurzel. Radices ſunt oblongæ rotundæ, latæ & quaſi compreſſæ, & formam cordis ſimulant; extrinſecus albicantes, intrinſecus vero prorſum albæ ſunt; nullum odorem ſpargunt, ſed ſaporem dulceſcentem ſimulque acrem guſtui exhibent. Ex Syria, Smirna & Aleppo advehuntur. Vid. SALMAS. *de Homonym. Hyl. Jatric.* cap. 116. pag. 209. ſqq. Solidæ & albæ ſeligantur. *Leniter laxant; antarthriticis*, *& antivenereis decoctis adſociantur*, ac a WEDELIO, *in Amœnitat. Mat. Med.* Lib. II. Sect. I. cap. 5. *inter leniora & mitiora purgantia recenſentur; ſpecifice ad guttam ſerenam in collyriis commendantur.* Vid. BOERHAAVE *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 595. & BÜCHNER. *Mat. Med.* p. 256. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 78. ſqq.

ZORN. p. 220. *Ceterum plurimis compoſitionibus recipiuntur Hermodactyli ad pituitam & ſerum educendum, ut in pulvere arthritico Paracelſi, pulvere panchymagogo Quercetani, ſyrupo hydragogo Charas, Benedicta laxativa, Electuario Caryocoſtino, pilulis fœtidis, & pilulis Hermodactylis Meſuæ,* obſervante laudato modo *Geoffroy*, de quib. infra, ſuis locis. Abeſſe tamen ſine ulla jactura, ab his omnibus compoſitionibus poſſent iſti quidem Hermetis, ſeu Mercurii digiti ſic dicti, quoniam nullam ſalutis viam oſtendunt.

RAD. HIRUNDINARIAE, Aſclepiadis, multis floribus albicantibus, Vincetoxici, *Racine de Dompte-venin, ou d'Aſclepias,* Schwalben-Wurzel. Naſcuntur in locis montoſis. *Vires illis adtribuuntur, alexipharmacæ, incidentes, reſolventes, & urinam propellentes; præcipue hydropicis commendantur. Sunt tamen, quibus hac planta, ob ſimilitudinem & affinitatem, quam cum Apocynis habet, valde ſuſpecta eſt, & idcirco eam ad uſus medicos admittere nolunt. Manifeſtum eſt, quod hæ radices recentes vomitum excitent, ſed levem tantum,* ut obſervat laudatus BOERHAAVIUS, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 394. qui præterea, ibidem, multus eſt in laudibus & virtutibus Vincetoxici, recenſendis & celebrandis. Conf. hic omnino ſingularis WEDELII, *Filii. Jo.* ADOLPHI *Diſſertatio de Vincetoxico*, item CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect XIII. cap. 6. p. 417. ſqq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 135. ſqq. nec non TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* pag. 55. ſeqq. ZORN. *Botanol. Med.* p. 702. & quos ibi laudat Auctores plures, quibus add. *Commerc. litter. Med. Norimberg.* Ann. 1735. pag. 37.

HYDROLAPATHI, Lapathi aquatici, magni J. B. longifolii, nigri, paluſtris, ſive Britannicæ antiquorum, Munt, *Racine de Hydrolapathum,* Waſſer-Mengel-Wurz, groſſe Mengel-Wurzel. *Reſolventes, leniter adſtringentes, & antiſcorbuticæ ſalutantur. Succus & decoctum ſpecifice ad ſtomacacem, aliaque ulcera putreſcentia commendari ſolet.*

HYPECACUANHAE, Ipecacuanhæ, Hypoacannæ, dyſentericæ radices, *Racine d'Ipecacuanna,* Indianiſche Ruhrſpey-Wurz. Tres ſpecies apud auctores enumerantur, nigra, alba, & flava. Prima harum, ſcilicet nigra apud noſtrates in uſum acceſitur. Alba, quæ a Portugallis blanca nuncupatur, rarius occurrit; ſed flava, quæ omnium optima cenſetur, rariſſime. Ex America, & potiſſimum ex Braſilia advehitur. Planta â LINNAEO *Gen. Plant.* 934. N. 69. *Ouragoga vocatur; â Pluckenetio, Periclimenum parvum Braſilianum, alexipharmacum; â Rajo, Herba Paris Braſiliana polycoccos.* Naſcitur in ſilvis udis Braſiliæ. Radix longiſſima eſt, ſed caulis rariſſime ramoſus, decumbens, & interne nudus. Folia, quæ latitudinem duorum, & longitudinem trium tranſverſarum pollicum adæquant, verſus apicem oppoſita, obverſe ovata, utrinque acuta, ſcabra, & infera parte pallidiora. Caulis internodiis, erumpentia vix longitudine pollicis diſtant. Perianthium eſt quinque partitum, laciniis lanceolato linearibus æqualibus. Coralla quinqui fida. Bacca ſubrotunda unilocularis, calyci inſidens. Semina ſunt tria oſſea, hinc gibba, inde angulata. Prolixiorem hanc deſcriptionem hujus plan-

tæ *ex Linnæi Horto Cliff.* dedimus; ſi plura deſideres, conf. & MARGGRAV. *Hiſt. Nat. Braſil.* p. 17. Quæ â fibris purgatæ, aſperæ, annuilis compluribus notatæ, quaſi nodoſæ; tenaces, compactæ, pulpoſæ, reſinoſæ & craſſiore cortice cinctæ ſunt, eligito. *Ipecacuanha, lene & ſecurum præbet emeticum, quod etiam infantibus exhiberi licet; non raro quoque per inferiora purgat. Præſcribitur plerumque in ſubſtantia, adultis â ſcrupulo uno ad drachmam ſemis; infantibus, pro ratione ætatis, a granis duobus vel tribus ad decem, addito ſtimulo ſalino. Etiam alexipharmacam & anti dyſentericam vim exercet, ſed tamen in dyſenteria caute adhibendam eſſe, exiſtimamus. Quantitas hujus radicis ſufficiens ex tempore modo teratur, nam aër, qui pulverulentas particulas ſubit, emeticam vim auffert; hinc non plus conterendum eſt, quam uſus præſens poſtulat.* Vid. *de hac utiliſſima & valentiſſima Radice, Diſſertatio ſingularis Adriani* HELVETII, quo de recto & opportuno illius uſu diligenter tractat, Methodumque ſecuram ac ſalutarem præſcribit, quam approbat & uberius illuſtrat magnus in omni ſcientiarum genere LEIBNITIUS, *in Relatione de Novo Antidyſenterico Americano*, magnis ſucceſſibus comprobato. Hannov. 1696. digna utique, quæ non ſemel, ſed ſæpius legatur; ſed rariſſime illa hodie occurrit. Verum dudum ante hos, aliosque, & forte primus, ſalutiferam hanc Radicem accurate deſcripſit *Guil.* PISO ὁ αὐτόπτης, *in Hiſtoria Natural. & Med. Indiæ Occidental.* Lib. IV. cap. 53. p. 231. quod & obſervavit laudatus modo LEIBNITIUS *in dicta relatione* pag. ſq. Conf. imprimis WEDELII *Diſſert. de Ipecacuanha*, item Abr. VATERI noſtri *Diſſert. de Ipecacuanhæ virtute febrifuga, & antidyſenterica*, & *Mich. Bernh.* VALENTINI *Diſſert. de Ipecacuanha, novo Gallorum antidyſenterico*; quæ eſt ſecunda, inter ipſius *Polychreſta Exotica*, p. 15. ſqq. add. EJUSDEM *Hiſt.* Simpl. Reform. Lib. II. Sect. II. cap. 1. p. 99. ſqq. & quos ibi laudat Auctores plures; item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 89. ſqq. & CARTHEUSER. *Rudim. Mat. Med.* p. 257. & *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. X. cap. 4. p. 522. ſqq. item ZORN. p. 365. & LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 71. ſqq. ut & SCHULZII atque BÜCHNERI *de eadem Radice Diſſertationes.* Sed vid. contra HOFFMANNI *de Vera Medicam. virtute rite dignoſcend.* 130. *Opuſc. Med.* tract.

RAD. HYOSCYAMI, juſquiami, Fabæ ſuillæ vel porcinæ, Hyoſcyami albi majoris, *Racine de Juſquiame blanche*, Bilſenkraut-Wurzel, Toll- oder Schlafkraut-Wurzel. Hæc planta, ratione florum & ſeminis alba dicitur, & nigra. Hyoſcyamus albus longe præferri ſolet nigro qui virulentior habetur, etiamſi neuter adoptandus ſit. Radices rarius in uſum veniunt, niſi interdum ad conciliandum ſomnum, pediluviis accedant. Vid. Joh. HESSI, *Epiſt. de Hyoſcyamo*, & WEDELII *de eadem ſuſpecta Radice*, Diſſertatio, imprimis autem *Simon* PAULI *Quadripart. Botan.* Claſſ. III. pag. 347. ubi perquam triſtia occurrunt exempla, ut & apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. Sect. II. p. 596. ſqq. item ZORN. *Botanol.* pag. 553. ſqq. Copioſiſſime, add. WALTHERI *Obſ. Med. Chirurg.* 49. p. 159. ſeqq. item noviſſime *Petri* BARRERE *Obſerv. Anat. ex Sectione Cadaver. deſumpt.* Scripſit tamen SLEVOGT, proluſionem, *de Virtute Hyoſcyami* cathartica, ſed rectius, putem, ſcripſiſſet catharetica, ſeu cacurgica, ut infra, ad Herbam & præcipue Semen Hyoſcyami, pluribus demonſtrabimus.

JALAPPAE, Gialappæ, Chelapæ, Mechoacannæ, nigræ Gelapii, Rhabarbari nigri, Bryonia Indica, Jalappa officinarum fructu rugoſo Tournefortii, & Convolvulus Americanus, Jalapium dictus, *Racine de Jalap*, Jalappen‐Wurzel, Gallen‐Pulver. B. BOERHAAVE, pro Jalappa habet, *Mirabilem Peruvianam*, ſed hac tamen diſtinctione, quod ſub Nr. 5. Jalappam fructu rugoſo officinarum ponit. *Ind. Plant.* Tom. I. pag. 78. & *Hiſtor. Plant.* Tom. I. pag. 122. obſtare tamen videtur HEUCHER. de *Plant. Hort. Witteberg.* Tom. I. p. 950. Radices raparum inſtar craſſæ & oblongæ ſunt; orbiculatim diſſectæ ad nos tranſmittuntur. Sponte & copioſiſſime naſcuntur in Americana inſula, cui nomen eſt: *Madera*. Nigricantes, ponderoſæ, reſinoſæ, & quæ, igni admotæ, ſtraminis inſtar, facile flammam concipiunt, eligantur. Quæ à nobis in medium allata ſunt de Caria chinæ, & hic eodem jure dictum volumus & confidenter affirmamus. Ratione jalappæ tamen monemus, carioſam eſſe draſticoteſam non carioſa; ideoque iſtam anteponendam eſſe cum in ſubſtantia præſcribitur; priorem verò, cum inde Reſina eſt extrahenda. *Virtutem purgantem exercent, ut omnibus ferme notum eſt; ſed adhuc in dubio verſamur, utrum etiam vim anodinam & ſoporiferam poſſideant.* Hæ radices reſinoſæ, in ſubſtantia â ſcrupulo uno, ad drachmam dimidiam, propinari ſolent. Vid. præter alios multos, hic imprimis, PAULLINI, Tract. *de Jalappa*, ut & SITON, *Miſc. Med. Curioſ.* Tract. 38. pag. 230. ſqq. & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. X. cap. 5. p. 527. ſqq. præcipue ZORN. *Botanol.* p. 362. & rurſus, p. 427. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 134. ſqq. WEDELII Diſſert. *de Gialappa.* Item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 83. ſqq. *ubi de virtutibus atque vitiis, ut & juſta doſi, plura.* Add. *Thom.* BARTHOLINI, *Hiſt.* anat. 69. Cent. V. p. 140. ſqq. & *Epiſt. Med.* 35. Cent. III. p. 130. & *Epiſt.* 36. p. 133. ſqq. *Egregium Anthelminticum eſſe, oſtendit poſt alios,* RIEDLINUS, in *Lin. Med.* An. 1695. Menſ. Jan. Obſ. 1. p. 9. & Curat. Med. 182. Cent. II. p. 106.

RAD. IMPERATORIAE, vide Oſtrutii.

IPECACUANHAE, vide Hypecacuanhæ.

IRIDIS Florentinæ, Iridis albæ Florentinæ C. B. *Racine d'Iris de Florence*, Florentiniſche Veil‐ oder Violen‐Wurzel. Advehuntur ex Italia, inſula Rhodo, Cypro, Dalmatia, Lybia & Macedonia. Radices albæ longiores, craſſæ, & quæ violarum martiarum odorem imitantur, eligendæ ſunt. *Non ſolum arti ſalutari, ſed etiam odoramentis officia præſtant. Reſolvunt, nec non alvum & urinam movent, hinc bono ſucceſſu hac mente infantibus præſcribuntur; doſis a granis tribus, ad ſcrupulum unum. Pulverata oſſibus denudatis, vel, ad præcavandam, vel, ſi jam adſit, ad depellendam cariem, inſpergi ſolent.* Conf. huc imprimis Cl. SCHULZII docta Diſſertatio *de Radice Iridis Florentinæ*, lectu digna. Cujus virtutes in morbis variis eximias prædicat quoque Cl. CARTHEUSERUS, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 5. pag. 47. ſeqq. aliique apud ZORNIUM, pag. 367. quibus add. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 594. & HERMANN. *Cynoſur. Mat. Med.* pag. 48.

IRIDIS noſtratis, Iridis vulgaris, Germanicæ, ſive ſilveſtris C. B. *Racine d'Iris bleu, de flambe ou de Glayeul,* gemeine Veilwurz, blaue Schwertel, blaue Lilienwurzel. Coluntur in hortis, & quandoque ſponte naſcuntur. Radices effodiantur & colligantur tempore autumnali, *Hydropicis, & œdematoſis commendantur; alvum laxant, & ſerum educunt. In ſero lactis decoctæ, ad unciam dimidiam, porriguntur.* Vid. *ſingularis* HEERINGII *Diſſertatio de Iride*; nec non ETTMÜLLERI *Diſſert. de Radice Ireos noſtratis.* Sed plura apud ZORNIUM, p. 366. & HEUCHER. *Nov. Prov. Horti Med. Witteberg.* pag. 967. ſqq. Tom. II. oppr.

RAD. LAPATHI acuti, folio acuto, C. B. Oxylapathi, J. B. Ramicis ſilveſtris, *Racine de Patence ſauvage,* Grundwurz, wilder Ampfer, Mangelwurz, Lendenwurz. Ubivis locorum ultro naſcuntur. *Vim adſtringentem, & vulnerariam poſſidere, creduntur; hinc ad ſcabiem & morbos cuticulares exterius adhibentur. Sed & interius eximium plane, & nunquam ferme fallacem, uſum præſtant, in fœdiſſimo & pertinaciſſimo ſcorbuto oppugnando & perdomando,* ceu teſtatur Vir omni exceptione major, *Hermann.* BOERHAAVE, *in Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 539. item PAULLI, *in Quadripart. Botan.* p. 361. & ZORN. *in Botanol.* p. 377. ſeq. Conf. *infra dicenda,* Part. II. *ad Eſſentiam Antiſcorbuticam Michaëlis.* Ceterum de variis Lapathi ſpeciebus, earumque virtutibus medicis quam plurimis, tam internis, quam externis, vid. accuratiſſime & copioſiſſime tractantem GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 663. ſeqq. item BOECLER. *Cont. Mat. Med.* pag. 493. ſqq.

LEPIDII latifolii, Piperitis, *Racine de Paſſerage,* Pfefferkraut-Wurzel. Docente ex aliis, *Sebizio, ſingulare dicitur eſſe Remedium mulieribus partu difficili laborantibus; laudatur quoque hæc radix cum foliis, butyro, vel axungia veteri mixta, contra dolorem iſchiadicum, pro ſinapiſmo.* Vid. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 344. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 711. BOECLER. *Contin. Mat. Med. Herman.* pag. 416. & alios. Conf. infra *Lepidium latifolium,* ſub Herbis & Foliis.

LEVISTICI, Lybiſtici, Liguſtici, Laſerpitii Germanici, *Racine de Livêche,* Liebſtöckel, Baadkraut, Saukraut-Wurzel. Coluntur in hortis. Effodiantur tempore verno. Virtutes alexipharmacas, carminativas, uterinas, & diureticas exerunt, vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 8. p. 68. & plura apud ZORN. p. 392. ſqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 185. ſeq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 81. ſq. & imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 392. ſeqq. *item & catharticas,* teſte RIEDLINO, *in Lin. Med.* Ann. 1697. Menſ. Octobr. Obſ. 7. p. 674. ſqq. *& orecticas,* monente eodem, Ann. 1699. Menſ. Mart. Obſ. 17. p. 270. ſqq.

LILIORUM alborum, Liliorum candidorum, *Oignons de Lis blancs,* weiſſe Lilien-Wurzel. Coluntur in hortis. Radices, quæ compluribus bulbis & carnoſis ſquamis præditæ ſunt, effodiantur tempore autumnali. *Uſus internus ferme nullus eſt;*

ſed clyſteribus & cataplaſmatibus emollientibus maxime conducunt. Vid. TILINGII accurata *Lilii albi deſcriptio.* GEOFFROY, Tom. III. p. 724. & ZORN. p. 397.

LIQUIRITIAE, Glycyrrhizæ, *Racine de Régliſſe*, Süßholz, Süßholzwurz. Copioſe creſcit in Inſulis canarienſibus, deſertis Tartariæ ſeptentrionalis, Hiſpania, Anglia, Gallia Narbonenſi, obſervante *Cartheuſero*; ſed quæ in Germania naſcitur, & præſertim in agro Bambergenſi luxuriat, præfertur; nam exotica, vel jam ſitu corrupta, vel non ſatis recens advehi ſolet. Amareſcit, vel potius nauſeabundam acredinem contrahit, ſi diutius in aqua coquatur; hinc contuſa decoctis ſub finem addi debet ut ſolummodo infundatur, cortice exteriore fuſco abraſo. *Acrimoniam humorum demulcet, dolores nephritigos mitigat, & expectorationem promovet.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 477. & RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1697. Menſ. Jun. Obſ. 7. p. 366. ſqq. item BRUNNERI *Conſil. Med.* 64. p. 361. *In pulvere, & in decoctis porrigitur.* Vid. Jo. HESSI, Epiſt. *de Glycyrrhiza*, inprimis autem Jo. Chriſt. GOEZII *Diſſertatio* ſingularis perquam docta, de hac dulci Radice *Glycyrrhiza*; qualem & poſtea de eodem argumento, edidit WEDELIUS, item & Joh. Chriſt. GOTTSCHED; add. Cl. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. 8. cap. 3. p. 452. ſeqq. aliosque plures, quos laudat, laudatus ſæpe ZORNIUS, p. 328. ſq. Sed vid. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 64. ſeqq. ubi & de differentia Glycyrrhizæ veterum, ac recentiorum; de qua etiam conf. SALMASII *Exercit. Plin.* pag. 123. potiſſimum autem *Joh. Bod. a* STAPEL, *ad Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib. IX. pag. 1104. ſqq.

RAD. LUPULI, *Racine d'Houblon*, Hopfen-Wurzel. *Radicibus Lupuli vis aperiens & ſudorifera tribuitur. Carol.* CLUSIUS auctor eſt, Lib. I. *Rarior. Plant. Hiſt.* cap. ultimo, p. 126. Vulgum & vetulas Salmanticenſes medicinam empiricam factitare ſolitas, ad curandam Alopeciam, a lue venerea ortam, hac ratione, Lupuli Radicibus in aqua prius maceratis, & poſt ea lento igne decoctis, cum ſucceſſu, uti hæc GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 760. ubi & ipſe conficiendi hujus remedii modus in ſequentibus, docetur. Conf. *Sim.* PAULLI, *Quadripart. Botan.* pag. 381. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 285. unde ſua hauſit GEOFFROY.

MALVAE, Malvæ vulgaris, flore minore, folio rotundo, *Racine de Mauve*, Papelwurz. *Conveniunt cum radicibus Althea. Dentibus circumfricandis & abſtergendis, potiſſimum inſerviunt; alium vix ſalutari arti uſum, vel ſaltim rariſſime præſtant.*

MANDRAGORAE, Mandragoræ fructu rotundo, vel Maris, *Racine de Man-*

dragore, Alraun-Wurzel. In regionibus calidis, Italia nempe & Hiſpania creſcunt; apud noſtrates nonnunquam in hortis educantur. *Referri merentur, inter infida medicamenta, quia vim ſtupefacientem exercent, & idcirco rariſſime ad uſus medicos accerſuntur. Contra capitis dolorem, & ad conciliandum ſomnum in pediluviis interdum adhibentur.* Varios tamen Mandragoræ uſus Medicos, præſertim externos, retulit MYLLERUS, *in Itiner. Orient.* Lib. I. cap. 31. pag. 214. Sed vid. DEUSINGII & *Jac.* THOMASII Diſſert. de *Mandragora*. Fuerunt tamen etiam nonnulli audaciores Medici, qui uſum quoque Mandragoræ internum impenſe commendare haud verentur, quos laudat, & ut ſemper ſolet, audacter ſequitur FRICCIUS *de Virtut. Venenor. Med.* Cap. XIX. vid. & ZORN. *loc. cit.* Sed his non obſtantibus, ſemper tamen inter venena narcotica & letalem tandem ſtuporem inducentia, rectiſſime numerabitur Mandragora; ſi nempe interne adhibeatur; de externo enim ipſius uſu, de quo jam ſupra aliquid dictum, nullum eſt dubium; de quo plura vid. apud ipſum FRICCIUM *loc. cit.* p. 347. item *Boerhaave*, *Schrœder*, *Wecker*, *Paulli*, & alios. Præſertim vero de his cunctis conferendus eſt: HOFFMANNUS, in *Hiſtoria Mandragoræ*; præcipue ZORNIUS, *in Botanol.* pag. 420. ſqq. ut & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 808. ſqq. & HERMANN. *Cynoſ. Mat. Med.* p. 181. ſqq. ibique in notis, ut alios taceam.

RAD. MECHOACANNAE albæ, Brioniæ Mechoacannæ albæ C. B. *Racine de Mechoacan*, weiſſe Jalappen, weiſſe Rhabarbara. Ad convolvulorum claſſem pertinet, & â *Rajo*, *Convolvulus*, *Americanus*, *Mechoacanna* dictus, nuncupatur. A patria, regione ſcilicet Mexicana, quæ *Mechoacanna* dicitur, nomen ſortita eſt. Americani iſtam nobis cum communicant. Omnis ferme & ſaporis & odoris, expers deprehenditur. Radices, albæ, inſipidæ, ponderoſæ, & quæ nec carie corruptæ, nec *Mandragoræ radicibus* permixtæ & adulteratæ ſunt, eligantur. *Cum inſipidæ ſint, ad infantes laxandos commode adhiberi poſſunt, doſis â granis quinque ad drachmam ſemis. Nonnulli referunt quod uſus Mechoacannæ funeſta varia ſymptomata cauſſatus ſit. Sed hæc ſymptomata non â Mechoacanna originem ſuam trahunt, ſed potius, a radicibus Mandragoræ, quæ, quoad externam faciem, Mechoacannæ ſimiles ſunt, & â falſariis Mechoacannæ radicibus intermiſcentur, vel ſubſtituuntur.* Vid. huc *Ægid.* EVERHARDI compendioſa narratio, *de uſu & praxi Radicis Mechoacannæ*, item *Marcell.* DONATI *Tract.* de Radice purgante, quam *Mechoacannam*, vocant. Conf. & *Joh.* OBERNDORFFERI *Apologia contra Ruland.* pag. 58. ſq. item *Joh.* WITTICHII *Methodus ſimplic. & compoſit. Medicament.* pag. 113. quos & laudat WEDELIUS, *in Amœnitat. Mat. Med.* Lib. II. Sect. I. cap. 6. p. 260. qui ipſe & ibi, & *de Medicament. Facult.* Lib. II. Sect. I. cap. 5. p. 147. multus, niſi forſan nimius eſt, in commendanda hac Radice exotica, præſertim in uſu pro tenellis Infantibus, quem & poſtea plures alii, ut fit, ſecuti. Conf. Cl. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. X. cap. 6. p. 535. & imprimis ZORN. *Botanol.* pag. 426. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 120. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 103. ſqq. Sed LUDOVICI, *in Pharmac. Diſſ.* I. p. 112. parum virtutis ipſi tribuit, imprimis ob diffuſam pulveris ipſius cum nauſea ſumendi molem. Quum igitur per fraudulentos mangones, Veræ & per ſe innoxiæ, huic Radici Mechoacannæ ſubſtitui ſæpius doloſe

ſoleant pernicioſæ Mandragoræ radices, ceu bene monitum, præſtat ſane ab ipſius ancipiti uſu, præſertim in infantibus, abſtinere, imprimis, quum meliora mitiora ac tutiora remedia eundem, alvum blande ducendi, effectum præſtitura, præſto ſint nobis in Manna, Caſſia, Tamarindis, Rhabarbara & aliis nonnullis.

RAD. MECHOACANNAE nigræ. Vide JALAPPAE.

METALISTAE, *Racine de Metaliſte.* Cenſente quoque *Wedelio* inter ſpecies Mechoacannæ ſunt referendæ; illas nonnulli pro radice *Mirabilis Peruvianæ* habent, quia cum illâ conveniunt. *Leniter alvum movent, & ſerum educunt; dantur â drachma una.* Primus hujus exoticæ Radicis meminit BAUHINUS, Lib. 15. *Hiſt. Plant.* cap. 26. alias rara eſt ejus mentio, in Diſpenſatoriis pharmac. latius tamen de eadem egit WEDELIUS in *Diſſert. de Gialappa*, quem & vid. in *Amœnitat. Mat. Med.* Lib. II. Sect. I. cap. 5. pag. 248.

MEI, Mei Athamantici, Anethi urſini, Fœniculi urſini, Athamantæ, *Racine de Meum*, Bärwurz, Mutterwurz, Bärenfenchel, Herzwurzel. Radices ſunt oblongæ, digiti vel pollicis craſſitiem æquantes, exterius fuſcæ, ſed interius albicantes. In Silva Hercynia, & aliis locis montoſis Galliæ, Italiæ, Germaniæque protuberant. Eligantur recentes, & quæ non carioſæ ſunt. *Vires alexipharmacas, & carminativas poſſident, Theriacæque intermiſcentur.* Vid. plura apud GEOFFROY, *Mat. Med* Tom. II. p. 104. ſqq. & ZORN. p. 439. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 77.

MORSUS diaboli, ſuccifæ hirtuſæ C. B. Præmorſæ, Jaceæ nigræ, *Racine de Succiſa*, Teufels-Abbiß-Wurzel. Indigenæ ſunt, & in pratis naſcuntur. Colligantur vere primo. *Vim alexipharmacam, vulnerariam & anthydropicam, poſſidere creduntur, a Rolfincio, Unzero*, & aliis, apud ZORN. pag. 444. & *Sim.* PAULLI, *Quadripart. Bot.* p. 402. item. *Contin. Mat. Med.* GEOFFROY. Tom. II. p. 404. ſqq.

MUNGOS, bittere Indianiſche Giftwurz. Tota planta ob amaritudinem expletam, *Fel terræ*, & Malaice, *Hampaddu Tanah*, dicitur. Radices præſertim intenſiſſimam bilis amaritiem guſtui imprimunt. Luſitanis, *Mungo*; & Batavis *Muncus*, adpellantur, & id nominis, derivari amant, â quadam *Muſtela* ſive Viverra, quæ prima, has radices inveniſſe, & earundem uſum alexipharmacum, mortalibus prodidiſſe, creditur. Harum muſtelarum genius eſt, ut odio naturali ſerpentes conſectentur; & ſi forte contingat, ut ab hoſtibus iſtis venenoſis vulnerentur, extemplo, uti fabula eſt, has radices quærunt, quarum eſu uſuque alexipharmaco, ſic reſtituuntur ut certamen redintegrare valeant. Conf. LOCHNERI *Schediaſma* mox laudandum, p. 16. ſqq. & VINCK, *Amœnitat. Philoſ. Med.* Cap. II. p. 48. Indi, præſertim qui *Sumatram* & *Javam* incolunt, has radices, pro præſentiſſimo antidoto habent; & in uſum vocant, quoties venenum vel exterius vulneri illatum, vel interius aſſumtum fuerit. Maximum his radicibus encomium, ab inſigni illa virtute, quam contra exitiale illud, & vix dum remedio alio vincibile

cibile toxicum macaſſarienſe præſtant, enatum eſt, perhibente KAEMPFERO, in *Amœnitat. Exotic.* Faſciculo III. Obſ. X. pag. 574. ſqq. *Javam*, *Cylonam*, *&* *Sumatram*, patriam agnoſcunt. Planta, ſi eminus conſpiciatur, faciem Centaurii minoris ferme exprimit, altitudinem pedis mechanici plerumque æquat, interdum etiam pauli per ſuperat, & una, ac ſimplici, longitudine dodrantali, & craſſitie digitali, excreſcit radice, quæ crebro vagoque deflexu intorta, cortice firmo cincta, fungoſa, rufo albeſcens, rugoſa, lignoſa, dura, fibrarum expers, & inde fragilis, & amariſſima eſt gentianæ ad inſtar; eo tamen diſcrimine quod ſubtiliore & paulo minus ingrato ſapore ſit prædita. Caule recto, tenui, atque æquali adſurgit; ramuli ſunt rari, ſed alterne oppoſiti qui foliis pari ordine diſpoſitis, rarioribus, anguſtis, lanceatis, & longitudinem uncialem æquantibus ornati conſpiciuntur; ſtylis ſingulis, tenuibus & deciduis, qui ex ſurculorum axillis in digitorum duorum vel trium tranſverſorum longitudinem exſurgunt, floſculi circiter quinquaginta, parvuli, in plures faſcicolos digeſti, & in umbellam tantillam, quam ungue obtegas, conglobati, pulchreque rubentes, inſiſtunt, quos, ſi per microſcopium contempleris, nudi, tubulati, & in partibus extremis in quinas vel ſenas lacinias diſtincti, adparent; floſculis areſcentibus, ex eorundem umbilico, ſemen pediculo minutiſſimo protruditur, interdum geminum, vel ex duobus ſeminibus ad baſin concretum, divaricatis faſtigiis, interdum ſimplex & unum, inæquali rotunditate, & ex quadam compreſſione, utrinque turbinatum, oſſeum, magnitudinem ſeminis coriandri æquans, cute carnoſa adnata veſtitum, quæ ſiccitate rugeſcit, & colore, mox nigricante, mox viridi pallente oculis adſpicienda occurrit. *Hæc radix interne a drachma dimidia, ad drachmam integram cum hauſtu aquæ porrigitur. Externe, eadem, ſalivâ, vel aquâ in pultem contrita, venenatis vulneribus applicari ſolet. Non ſolum autem contra qualibet venena, ſed etiam contra febres malignas ac putridas, nec non rabidorum canum morſus infallibilem exercere virtutem, Kampferus, quem jam jam laudavimus, perhibet.* Imprimis autem legi & conferri meretur elegantiſſima & doctiſſima *de hac generoſa & alexipharmaca Radice Mungos*, Commendatio, Celeberrimi quondam Medici, Polyhiſtoris, *Mich. Frid.* LOCHNERI, Norimbergæ 1715. quæ & merito ſuo, recuſa extat in VALENTINI *India literata*, p. 534. ſqq. ipſius ſic dicti *Muſei Muſeorum*, conf. & p. 404. ibid. ubi præſertim pag. 28. ſqq. varia adfert exempla de mirabili hujus peregrinæ Radicis virtute, in profligandis Morbis potiſſimum malignis, contagioſis & putridis, a ſemet ipſo diligenter obſervatis. *Radix Mungi*, inquit *Illuſtr.* BOERHAAVE, *Conſultat. Med.* p. 361. *eſt remedium nobile revera; ſed rariſſimum. Naſcitur in Ceylon. Venenatos morſus Animalium curat ad miraculum uſque; vi ſua penetrante valida.*

RAD. NINZIN, Niſii, Nindſin, Dſin, Gin-ſem, Genſing, *Racine de Ninzin, ou Gin-ſeng*, Indianiſch, Japaniſche Kraftwurz; Hæc planta à KAEPFERO, *Siſarum montanum Corvenſe*, radice non tuberoſa, vocatur in *Amœnitat. Exotic.* Faſciculo V. Claſſ. III. p. 818. ſqq. Pro ſpecie *Analiaſtri* habetur, *Ephem. Nat. Cur.* Cent. VIII. Radices oblongæ ſunt, vix digiti auricularis craſſitiem æquantes, plerumque bividæ, albicantes, & interdum flaveſcentes adparent; ac ſaporem ſuavem, aromaticum, ſubdul-

cem, ſimulque amaricantem produnt. Naſcuntur in Japania, China, & regno Siam. Nonnulli quoque perhibent, quod hæ radices in America quoque creſcant. *R. J. Laſiteau, Aurelianum Canadenſem* vocat; & Iraquæi *Garantogen* nominare ſolent. Colliguntur primo hyeme; &, ut ad uſum idoneæ fiant, recens effoſæ per triduum aqua dulci, ſed frigida, vel Orizæ, macerantur, & maceratæ in aheno operculato, ad ſiccandum ignis vapori imponuntur; cum ſatis ſiccatæ ſunt, ab imâ, uſque ad mediam partem, duræ, ruſæ, reſinoſæ, & pellucidæ quaſi adparent. Bifidæ, flaveſcentes, & quæ pelluciditate quadam ſe commendant, eligendæ ſunt. *His radicibus, Japonenſes & Sinenſes varias, imo rectius innumerabiles, adſcribunt virtutes,* omnes enim fere compoſitiones medicamentorum Sinenſium, hanc quidem radicem ingredi, copioſiſſime oſtendit, laudandus mox Haldeus, *Deſcript. Sinæ,* Part. III. pag. 498. ſeqq. *ex quibus præcipua ſunt, quod corroborent, pinguefaciant, renibus conducant, nec non vim analepticam atque aphrodiſiacam exſerant. Indiani illis veluti Theâ utuntur. Vel ex infuſo ferventis aquæ, vel etiam in pulvere, a ſcrupulo uno ad duos, propinantur. Apud Indos in magno pratio ſunt; uncia enim unica olim quinquaginta florenis Hollandicis & ultra vendita fuit, quæ nunc temporis decem modo conſtat.* Ceterum de hac prætioſa juxta ac ſalutifera radice uberius & diligentius tractat *Guil.* Piso, in *Mantiſſa Aromatica,* Cap. XV. p. 194. præſertim autem omnium exactiſſime, *Jo. Baptiſta du* Halde, in *Deſcript. Regni Sinici,* Parte II. Sect. I. pag. 178. ſqq. & potiſſimum, Parte III. Sect. III. cap. 4. pag. 495. ſqq. & jam ante ipſum, Neuhof. *Deſcript. Regni Sinæ,* Cap. XV. p. 343. ſed parcius; luculentius autem atque uberius, præſtantiſſimus *Rumphius, Cleyerus,* aliique laudati Zornio, in *Botanolog. Med.* p. 327. item Dekkerus in *Diſſert.* de *Radice Gin-ſem ſ. Niſii,* & Spiesius de *uſu & effectu Rad. Niſi.* & Geoffroy, de *Mat. Med.* Tom. II. Artic. 28. p. 112. ſqq. item Valentini, *Muſeum Muſeorum,* pag. 108. & Grew, *Muſ. Reg. Societ.* Part. II. Sect. 3. cap. I. pag. 227. Nimias tamen iſtas virtutes ac laudes huic charæ nimis Radici abjudicat Hoffmannus, ipſique virtute analeptica, Cinnamomum, Cardamomum, & Caryophyllas; alexipharmaca autem, Radices Vincetoxici, Angelicæ & Imperatoriæ, longiſſime præfert, in *Diſſert.* de *vera Medicamentorum in morbis virtute & efficacia rite dignoſcenda.* Rectiſſime profecto & ſapientiſſime. Quod & dudum antea ſic judicaverat notiſſimus ille *Athanſ. Kircherus,* qui Gentianæ noſtræ parabili, longe nobiliores dotes & præſtantiores virtutes juſtius tribuit, quam quidem peregrinæ illi & auro contra charæ Radici Niſii, obſervante ſummo viro *Thom.* Bartholino, Vol. V. *Actor. Med. Hafn.* Obſ. X. ubi plura de hujus radicis Natura, figura, & notitia tum primum in Oris illis borealibus facta. Idem quoque de hac Radice, nimiis præter meritum, laudibus onerata, ſentit magnus Boerhaavius, *Conſultat. Med.* p. 360. conf. & Otmanni *Iren.* p. 267. ſqq.

Rad. Nymphaeae albæ majoris, C. B. Nenupharis, Nenufaris, *Racine de Nenufar,* weiſſe Seeblumen, Waſſer-Lilienwurzel. Creſcunt in aquis ſtagnantibus, & fluviis curſu lento prolabentibus. *Adſtringunt, & â quibusdam ad album fluorem commendari ſolent.* Vid. Cartheuser. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 2. p. 401. ſqq. & præſertim Zorn. *Botanol.* p. 476.

Olsnitii, Apii lacteo ſucco turgentis, Apii ſylveſtris, Thyſſelini Plinii, Mei paluſtris Sileſiaci, *Racine d'Olſnitium*, Elſenich, Oelniz. Vid. Boerhaave *Ind. Hort. Acad. Leidenſ.* Tom. I. p. 67. Radices digiti auricularis ſpiſſitudinem æquant, candidæ adparent, & ſaporem amarum & acrem guſtui patefaciunt. *Incidunt, reſolvunt & calefaciunt; urinam & menſes movent; nec non virtutem alexipharmacam poſſident.* Aſthmaticis & ictericis bonam præſtant opem. Audiamus hic, ſi placet, laudatum modo Boerhaavium, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 109. Eſt hæc planta acerrima, ita, ut, cum primum in foſſis hic inveni, & guſtavi, habuerim os & fauces inflammatas. Sunt igitur inter plantas acerrimas referendæ; & poteſt quidem uſum habere; ſed caute procedendum. *Radices ſunt aperientes, & penetrantes; urinam & menſtrua provocant.* Vis lactis ad Scammonium accedit, & poteſt ejus loco ſubſtitui. Hæc ille, teſtis ipſe graviſſimus. Conf. Boecleri *Cynoſ. Mat. Med. Herman.* Continuat. II. p. 16. Geoffroy, *Continuat. Mat. Med.* Tom. III. p. 195. & præſertim Zorn. p. 76.

Ononidis, ſeu Anonidis, Reſtæ bovis, Remoræ aratri, *Racine d'Arrête Bœuf, de Bougrande*, Hauhechel, Stahlkraut, Eſelskraut, Ochſenbrech-Wurzel. Etiam, ab effectu, urinaria vocari ſolet. Hæ radices, adnumerantur, radicibus quinque aperientibus minoribus. Ubique locorum circa colles crebro occurrunt. Vere incipiente colliguntur. *Vim diureticam, abſtergentem, & attenuantem exſerunt. Specifice* a Tournefortio, *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 54. *ad Sarcocelen, a drachma una, exhibitæ, commendantur. Præeuntibus nempe Matthiolo, Hornungo, Sculteto, Bartholino, Kœnigio, Ettmüllero*, & aliis, laudatis Zornio, p. 483. Sed rectius negantibus contra & de fallacia experientiæ ſæpius fruſtra tentatæ, jure conquerentibus, *Borrichio, Sennerto, Foreſto*, & præſertim *Alex.* Pfistero, Med Scaphuſ. in Diſſert. de *Hydroſarcocele*, laudata a Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 99. ſqq. qui ipſe â negantium partibus ſtare non dubitat, neque nos cum ipſo. Reliquas tamen virtutes Ononidi tributas, præſertim diureticam & nephriticam cum *Sim. Paulli, Wedelio, Schrœtero, Hoffmanno*, & aliis multis, lubens admittit, ut & Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 465. aliique plures, laudati jam a *Zornio*, ſupra laudato. Tollendum igitur hic inveteratum præjudicium de inſigni Ononidis virtute in Sarcocele tollenda. Ceterum autem ipſum Rad. Ononidis Corticem, ceu præſtantiſſimum Lapidis Remedium, dilaudat *Euſtach. Rhudius*, adnotante Heuchero, *Opp. Med.* Tom. I. p. 269.

Rad. Ostrutii, Imperatoriæ, Magiſtrantiæ, Aſtrantiæ, Smyrnii hortenſis, Laſerpitii Germanici, *Racine d'Imperatoire, ou d'Otruche*, Meiſter-Wurz, Kayſers-Wurz. Hic intelligitur *Imperatoria major* C. B. Occurrunt in locis montoſis, Stiriæ, Auſtriæ, Helvetiæ, Comitatus Tyrolenſis, & præſertim montibus Tridentinis. *Alexipharmacæ, diureticæ, nervinæ, & carminativæ habentur. Hæ radices recentes, ſi diſſerentur, & pollicibus manuum ſimul, ac pedum alligentur, epilepſiam infantum pellere cenſentur. Præferuntur a* C. Hoffmanno *de Medic. Officin.* Lib. II. cap. 116. pag. 266. *Angelicæ & Zedoariæ, præſertim in colicis doloribus; nec parem ſibi habere, & eſſe divinum remedium perhibet in quartana, hydrope & febribus diuturnis.* Conf. huc maxime

Cl. Cartheuseri *Fundam. Mat. Med.* Part II. Sect. XII. cap. 8. p. 63. ubi plures adhuc virtutes commemoratis jam, adjicit, quod & alii Auctores fecerunt, laudati Zornio, p. 364. quibus add. Loesecke, *Mat. Med.* p. 184. ſq. Ceterum perquam curioſa eſt magni Boerhaavii *Obſervatio*, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. I. Proc. 20. p. 80. de oleo ſincero ac nativo aurei coloris, quod ope Microſcopii, ex hac ipſa Radice ſenſim emergere, jucundiſſimo ſpectaculo, deprehendit. *Ad urinam pellendam, vermes necandos, & depellendos infuſum theiforme, & in decoctum Clyſtere, ad facilitandum partum, commendantur.* De hujus radicis abuſu ſuperſtitioſo vid. Riedlini, *Lin. Med.* Ann. 1698. *Menſ. Jul.* Obſer. 12. p. 572.

Oxylapathi. Vide Lapathi acuti.

Paeoniae, Roſæ benedictæ, regiæ, *Racine de Pivoine*, Peonien Wurzel, Pfingſt-Roſen, Gichtroſen-Wurz. Species illa, quæ mas dicitur, & folio ſplendide nigricante adparet, præfertur. Aluntur in hortis. Vere primo, & luna creſcente effodiendæ ſunt. *Anodynæ ſunt & antiſpaſmodicæ, adeo ut potiſſimum antepilepticæ cenſeantur; ideoque plerisque pulveribus antepilepticis intermiſceantur;* Id quod multis docet, poſt *Bergerum*, Hünerwolffius, *in Anatomia Paeoniæ.* Cap. VII. p. 26. ſqq. & ante ipſum, Friderici, Agnatus meus Diſſert. *de Paeonia.* Vid. & Riedlini *Lin. Med.* Ann. 1698. Menſ. Jul. Obſ. 10. p. 565. ſeqq. præſertim multis Zorn. *Botanol.* p. 532. & Langii *Epiſt. Med.* 74. Lib. I. pag. 406. item Zacut. *Luſitan. Med. punc. Hiſt.* Lib. I. p. 145. ſqq. Sed de laudata illa Rad. Paeoniæ virtute antepileptica dubitat quidem Cl. Büchnerus, *in Fund. Mat. Med.* pag. 285. Sed mitius de eadem ſentit Cl. Cartheuserus, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. 13. cap. 2. pag. 400. ſeq. item Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 373. qui ſequentia adnotavit lectu hic digna: *Si epileptico detur ſingulo mane, drachma una hujus radicis; tum paroxiſmum non accipiet; ſed, ut in pueris expertus ſum, quam primum iterum ab eſu hujus deſiſtunt, tum redit, nam vim radicandi Epilepſiam non habet. Hæc ille.*

Palmae Chriſti, Orchidis palmatæ, Satyrii Baſilici, *Racine de Palme de Chriſt*, Creuzblumen-Wurzel. In pratis udis protuberant. Conveniunt cum Satyrio vel Orchide rotunda. Vid. infra *Rad. Satyrii. Nonnulli has radices ad maniam ad febrem quartanam commendant;* de quibus virtutibus vid. plura apud Zornium, p. 611. ſq. & *Continuat. Mat. Med* Geoffr. Tom. I. p. 265.

Rad. Pareirae bravæ, Ambutua, Butua, *Racine de Pareira brava*, Americaniſche Grieſwurzel. A Braſilianis *Caapeba* vocatur; ſed a Luſitanis *Pareira brava*, & ſignificat ſuo idiomate vitem ſylveſtrem. Nondum hujus plantæ character liquido conſtat. Naſcitur in America, & præſertim in Braſilia. Adhuc ætate junior, ſarmentoſa & tortuoſa exiſtit, & arbores vicinas adſcendit, vel ſuper humum repit; annoſa vero ſpiſſitudine navium rudentes æquat. Juniores radices & minores externe colore cinereo nigricante conſpiciuntur; annoſiores & majores, quæ ſæpius craſſitiem bra-

chii acquirunt, extrinſecus plane nigræ adparent, intrinſecus vero colore fuſco-luteo gaudent, & ſaporem dulcamarum produnt. Ita *Caapeba* deſcripſit *Guil.* PISO, *Hiſt. Nat. Ind.* Lib. IV. cap. 66. p. 261. & Lib. V. cap. 19. pag. 312. Radices ſpiſſiores, non carioſas, eligito. *Vim diureticam & demulcentem habent, hinc in doloribus ſpaſticis, pulmonum, renum, & articulorum, affectibus; Hydrope, & ictero, opem bonam conferunt. Tam in decoctis, quam in forma pulveris propinantur. Nonnulli mediante ſpiritu vini eſſentiam inde extrahunt. Braſiliani unciam unam hujus radicis, cum una drachma ſalis armoniaci, in menſura aquæ coquunt, & de hoc decocto ſingulis quatuor horis ægrotis hauſtum unum porrigunt. In ſubſtantia a ſcrupulo ad drachmam ſemis*, ſed in infuſo ad duas drachmas datur. Si quis vero plura & exactiora ſcire aveat, de hujus præſtantiſſimæ & generoſiſſimæ Radicis mirandis virtutibus, ut plerumque creditur, is quæſo ante omnia, legat & ſæpe relegat doctiſſimum & erudítiſſimum Cel. & Ornatiſſimi Viri Mich. Frid. LOCHNERI Schediaſma de *Pareira Brava*, Norimb. 1719. Edit. ſecunda. Quod etiam ſuo merito inſertum legitur in VALENTINI *India Literata*, p. 509. ſqq. Muſei ſic dicti Muſeorum, ubi imprimis lectu dignæ juxta ac jucundæ ſunt obſervationes practicæ XIII. in fine adjectæ, p. 67. ſeqq. ex propria Excell. Autoris experientia fidiſſima depromptæ, ex quibus potiſſimum patet, quanta interdum virtus inſit Radici huic pœne panchreſtæ, in variis morbis atrocioribus & nocentioribus feliciter debellandis ac ſubigendis. Conf. & Cl. BUCHNERI *Diſſ.* de *Pareira Brava*, & ejusd. *Mat. Med.* p. 278. ſqq. nec non BOECLERI *Cynoſura, Mat. Med. Herman. Continuat.* I. p. 57. ſq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 21. ſeqq. ubi & ipſe exempla producit a ſe viſa, quantum præſtiterit hæc radix in dolore nephritico, renibus exulceratis, ſuppreſſione urinæ, ictero, gonorrhæa, & aliis atrocioribus morbis. Negat tamen hæc omnia *Magnus* BOERHAAVE, in *Conſultat. Med.* pag. 361. Medicosque illos nugaces vocat, qui multum tribuant virtutis huic *Pareira brava*. Conf. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. 13. cap. 6. p. 420. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 269. & infra, a *nobis dicenda*, ad Balſamum, etiam ad Eſſentiam *Pareira Brava*.

RAD. PENTAPHYLLI, Quinque folii majoris repentis, C. B. *Racine de Quintefeville, de Pempedula*, Fünffingerkraut-Wurz. Creſcunt in locis arenoſis. Colligantur tempore veris. *Virtutem alexipharmacam, adſtringentem, & vulnerariam poſſident, etiam contra febres intermittentes impenſe laudantur, ut & contra diarrhœas, dyſenterias, & nimium Hæmorrhoidum fluxum. A Taberna montano radicibus chinæ æquiparantur. Theriacæ quoque intermiſcentur.* Plura vid. apud TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 31. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 58. ſq. CHOMEL. *Hiſt. Plant. uſitat. Mat. Med. Continuat.* GEOFFROY, Tom. II. p. 161. ſeqq. ZORN. pag. 556. ſq.

PETASITIDIS majoris, vulgaris rubentis, rotundiori folio, *Racine de Petaſite*, Peſtilenz-Wurzel, Schweiß-Wurz, neue Kraft-Wurz. Hæ radices in locis humidioribus & pratis ſubriguis aluntur. Flores Petaſitidis, ſicut & Farfaræ, ante

folia progignuntur, unde Farfara-filius ante patrem, a nonnullis vocari ſolet. Colligendæ ſunt tempore primi veris. *Virtus, alexipharmaca; cardiaca, anthelmintica & diuretica illis adſcribitur; externe ad maligna ulcera atque bubones commendantur.* Conf. *Hieron.* HEROLDI *Epiſt. de hac radice*, cum aliis, quos magna copia laudat ZORNIUS, p. 511. quibus ad STAHL. *Mat. Med.* Part. II. pag. 129. & præſertim BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 177. ubi multas præclaras hujus radicis virtutes longe lateque recenſet; item *Contin. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. I. p. 376. ſqq.

PETROSELINI vulgaris, *Racine de Perſil*, Peterſilien-Wurzel. Seminantur in hortis. *Habent vim, diureticam, & quinque radicibus aperientibus majoribus adſociantur. Petroſelini uſus, gravidis, puerperis atque lactantibus a Tabernæmontano ſerio interdicitur, ne illarum infantes convulſivis motibus, aut ipſa epilepſia infeſtentur.* Sed quam fabellam ille ex PLINIO hauſit. Lib. XX. cap. 20. *Galenus* contra rectius Petroſelinum morbo comitiali mederi aſſerit, ibi ad Plinium, monente *Dalecampio*.

PEUCEDANI, Fœniculi porcini, Pinaſtellæ, *Racine de Queve de Pourceau*, Haarſtrang, Saufenchel, Schwefelwurz. Sponte naſcuntur in Alpibus Svevicis & alibi. *Reſolvunt, attenuant, prætereaque diureticæ, carminativæ & alexipharmacæ virtutis divites eſſe cenſentur. Decoctæ ad ſordita & inveterata ulcera curanda, quoque commendantur.*

PHU Pontici Valerianæ hortenſis, Phu folio Oluſatri Dioſcorid. C. B. Phu magni, veri, *Racine de grande valeriane*, groſſer Baldrian, Garten-Baldrian. Radices ſunt oblongæ, rugoſæ, extus geniculatæ, multis fibris dotatæ, digitumque tranſverſum craſſæ; extrinſecus cinereum, & intrinſecus albicantem colorem referunt; *ſaporem vero acrem, & Odorem aromaticum produnt.* Educantur in hortis, etiam interdum in ſilvis ſponte naſcuntur. Effodiantur tempore verno. *Alexiteriam virtutem poſſident, & Theriacam ingrediuntur. Imprimis præſtantiſſimum eſſe remedium antepilepticum teſtatur Fabius Columna,* eum feliciter ſequutus, *Dominicus* PANAROLUS, *Obſ. Med.* 33. Pentecoſt. I. p. 39. vid. laudat. ZORNIUS, p. 690. & imprimis BOERHAAVE *Hiſt. Plant.* p. 118. ſqq. Tom. I. ubi multus eſt in laudanda hac Valeriana valentiſſima. Conf. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 236. ſeq. & ill. HALLERI Oratio *de Botan. utilit.* p. 161. Opuſcul. Botan. & infra dicta ad Radic. Valerianæ.

RAD. PIMPINELLAE ſanguiſorbæ, *Racine de Pimprenelle*, Pimpernellwurzel, Blutkraut, Klöbleinkraut-Wurzel. Creſcunt & occurrunt in locis aridioribus circa limites agrorum non adeo fœcundorum, in aprici & petroſis. *Adſtringente & vulneraria virtute pollent; etiamque contra Hydrophobiam a* PALMARIO *commendantur*, Cap. III. Lib. *de Morſu Canis rabidi*, pag. 345. ſeqq. *Tabernæmontano teſte, equis præbent anthelminticum.* Sed fruſtra in Hydrophobia auxilium expectatur a *Pimpinella ſanguiſorba;* ſæpius enim, quod novimus, tentatum illud remedium nunquam reſpondit opimæ illi ſpei & præconceptæ elatiori opinioni. Plura vid. apud ZORN. pag. 517.

& TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* pag. 516. item *Contin. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. I. pag 415. ſqq.

PIMPINELLAE albæ, umbelliferæ, hircinæ, Saxifragæ, Tragoſelini, *Racine de Pimprenelle blanche, de Boucage,* Bibernell, Stein-Peterlein, Pfeffer-Wurz. Loca inculta & arenoſa amant. Perinde eſt, utrum verno vel autumnali tempore effodiantur. Acres ſunt, & hircinum quaſi odorem ſpargunt. *Alexipharmacam, uterinam, lithonthrypticam, vulnerariam, anticatarrhali, item ſecundum Penam & Lobetium diureticam virtutem poſſident.* Vid. huc ſingularis HEIMREICHII Diſſert. *de Pimpinella alba,* ut & HERTII Diſſert. *de Pimpinella ſaxifraga.* Conf. Cl. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. 7. cap. 5. p. 405. ſeqq. præſertim laudat. ZORN. p. 515. & LOESECKE, *Mat. Med.* p. 267. ſqq. ut & TOURNEFORT. *libr. cit.* pag. 539. item GEOFFROY, *Continuat. Mat. Med.* Tom. II. p. 395. ſqq.

PLANTAGINIS latifolæ, Plantaginis majoris; *Racine de Plantain,* Breitwegerich-Wurzel. Ubique locorum creſcunt, tempore auctumnali colligantur. *Decoctæ in febribus intermittentibus commendari ſolent;* potionibus vulnerariis & gargariſmis quoque admiſcentur.

RAD. POLYGONATI majoris, latifolii, vulgaris, Sigilli Salomonis, Geniculatæ, Genicellæ, *Racine de ſceau de Salomon,* Weißwurz, Schminkwurzel. De veterum diſſenſu circa hanc radicem, vid. SALMAS. *de Hyl. Jat.* cap. 45. pag. 48. ſeq. Creſcunt in ſilvis & locis opacis, & ſunt effodiendæ tempore verno. *Ad ſugillationes in forma cataplaſmatis adplicatæ, habentur pro ſpecifico; inſerviuntque uſui coſmetico;* quod multi quidem auctores tradunt, apud ZORN. p. 535. ſq. ſed contradicente BOERHAAVIO, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 501. affirmante tamen etiam TOURNEFORTIO, *Hiſt. Plant. Pariſ.* pag. 127.

POLYPODII vulgaris, Filiculæ dulcis, *Racine de Polypode,* Engelſüß, Baumfarn, Eichfarrn, Kropf-Wurz, Corallen-Wurz. Ad cautices & radices fagorum, Quercuum & Corylorum in ſilvis naſcuntur. Quæ ad cautices & radices Quercuum reperiuntur eligendæ & ceteris præferendæ ſunt. Sapore dulces, & intus colore virideſcentes ſunto. *Incidentem, & aperientem vim habent; decocta ad renum & pectoris vitia, laborantibus febre quartana, & melancholicis commendantur; a veteribus etiam melanagogis adſcribebantur.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 40. *Palmarius quoque contra hydrophobiam mire commendavit polypodium,* obſervante STAHLIO, *Mat. Med.* Part. II. p. 86. ſed neſcio, quam bene. *Uſus eſt in infuſis; amaritudinem contrahunt, ſi nimium coquantur.* Plura vid. apud WEDELIUM, in Diſſert. ſingulari, de *Polypodio;* item SLEVOGT. in *proluſione de Polypodio.* Add. Cl. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VIII. cap. 3. p. 450. ſqq. & præcipue ZORN. pag. 536. ut & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 519. & GEOFFROY, *Continuat. Mat. Med.* Tom. II. pag. 45. ſqq.

PSEUDACORI. Vide Acori vulgaris.

PULSATILLAE cœruleæ, Herbæ Venti, *Racine de Coquelourde, d'herbe au vent*, Kuchenſchell, Oſterblumen-Wurzel. Sunt longæ, craſſæ, & in modum Cardopatii exeſæ; ſaporem ſubdulcem primum, & paulo poſt, acrem, produnt. *Virtute alexipharmaca pollent, & cum vinopota, contra peſtilentiam contagioſam & venenoſorum animalium ictus morſusque commendari ſolent a variis Auctoribus, laudatis* ZORNIO, p. 548. *Sed nonnulli internum uſum harum radicum ſuſpectum habent*, imprimis BOERHAAVIUS, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 57. & GEOFFROY, *Continuat. Mat. Med.* Tom. II. p. 114. ſqq.

RAD. PYRETHRI officinalis, Salivalis, Dentariæ, *Racine de Pyretre*, Bertram, Zahnwurz, Speichelwurz, St. Johanneswurz. Radices ſunt Pyrethri, flore Bellidis, quæ ex regionibus calidioribus adferuntur. *Vim habent incidentem & attenuantem; interne rarius adhiberi ſolent. In modum piperis acres ſunt; hinc ad Paralyſin linguæ, & dentium cruciamenta, maſticata, inprimis commendantur. Ettmüllerus, & Schrœderum, & alibi his inſignem ſtimulandi potentiam imponit, ſi externe, cum pinguedine coturnicis, membro genitali admoveantur.* Vid. huc SLEVOGTII, Diſſert. de *Pyrethro*, & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VII. cap. 5. p. 408. ſeqq. imprimis ZORN. *Botanol.* p. 594. & HEUCHER. de *Plant. Hort. Acad. Witteb.* p. 1013. ſq. Tom. II. opp.

QUINQUEFOLII. Vide Pentaphylli.

RAPHANI ruſticani, Raphani marini, Armoraciæ, Raphani ruſtici, Cochleariæ folio cubitali, *Tournefort. Racine de grand Raifort, ou Raifort Sauvage*, Meerrettich. *Plantantur in hortis, & adnumerari ſolent plantis antiſcorbuticis. Commendantur Calculoſis, hydropicis, verminoſis, & quæ ſuppreſſione, vel alio menſium vitio laborant.* Vid. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. 7. cap. 6. p. 411. ſeqq. & imprimis BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 421. & ZORN. p. 560.

RHABARBARI Monachorum, Lapathi latifolii hortenſis, Rumicis ſativi, *Racine de Rhubarbe des Moines*, Münchs-Rhabarbara. Foventur in hortis. *Cum Rhabarbaro vero multum congruunt, ſed fortius adſtringunt.* Vid. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. p. 521. & ZORN. p. 568. item HEUCHER. *in Novo proventu Hort. Med. Witteb.* p. 881. ſqq. Tom. II. opp.

RHABARBARI veri, Rhabarbari lanuginoſi, ſive Lapathi Chinenſis longifolii, *Racine de Rhubarbe*, Sinic. *Tai hoang.* Edle Rhabarbara, wahre Rhabarbara. Lapathum præſtantiſſimum, Rhabarbarum officinale *Munting.* Ob florem monopetalon, campaniformem, multifidum, proprium genus conſtituit. BOERHAAVE, *Indic. Plant.* Part. II. p. 84. & *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 535. & *Tournefortio* refertur ad plantas flore monopetalo, campaniformi, multifido. Creſcit in arvis Chinenſibus, unde per reliquas Aſiæ regiones ad nos affertur. Vid. NEUHOF *Deſcript. Regni Sin.* Cap. XV. pag. 343. præſertim autem *du* HALDE, exactiſſima *Deſcript. Regni Sinenſ.* Part. III.

Part. III. Sect. III. cap. 4. p. 520. ſqq. Ceterum vero, an iſtud Rhabarbarum hodie cognitum, priſci quoque ævi Medicis jam fuerit exploratum, multis doctiſſime diſputat SALMASIUS, *Exercit. Plin.* p. 560. ſqq. ad quem jure provocat *Joh. Bod.* a STAPEL, ad *Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib. VII. pag. 802. Conf. FREIND. *Hiſt. Med.* p. 407. ſq. & inprimis *Petri* PETITI, *Comment. in Aretæum*, p. 251. ſq. Rhabarbarum, quod rarum eſt, & parciorem ſtipticitatem poſſidet; quod cum leviori adſtrictione, maſticando glutinoſum fit, & ſalivam colore croceo tingit; quod denique variegatum, & ex carneo dilute rubens adparet, eligendum eſt. Fruſta minora, & quæ nodoſa ſunt, præferantur majoribus, nam ſæpiſſime in meditullio putreſcunt atque nigreſcunt. Hodierno tempore etiam in taleolos diſſectum advehitur, & ceteris præferri meretur, ſi modo mediocriter ponderoſum ſit, & cariei expers. *Virtutes re vera polychreſtas abſolvit, quas enumerare longius eſſet. Hepatis præſertim anima dicitur.* Vid. ROLFINC. de *Plant.* p. 13. TILINGIUS integrum tractatum ſcripſit, cui nomen eſt: *Rhabarbaralogia. Rhabarbarum aſſumtum, lotium colore flavo tingit, & hoc unicum eſt, quod in favorem juniorum practicorum, monendum eſſe cenſemus, ne examinando & perpendendo urinam decipiantur, neve errore inducti decipiant.* Præter laudatum *Tilingium*, vid. & HOLLSTENII *Hiſtoria Rhabarbari*, item JUCHII, Diſſert. de *analyſi, vera indole & egregia Virtute Rhabarbari veri*, & GMELINI, Diſſert. de *Rhabarbaro officinarum*, ut & WEDELII, Diſſert. de *Rhabarbari origine*, & Cl. BÜCHNERI, *Mat. Med.* p. 289. item Cl. CARTHEUSERI, *Rudiment. Mat. Med.* p. 268. & *Fundam. Mat. Med.* Part. I. Sect. X. cap. 3. p. 513. ſqq. & potiſſimum ZORNII *Botan.* p. 565. ſqq. add. LOESECKE, *Mat. Med.* p. 124. ſqq. & STAHL. *Mat. Med.* Part. II. 209. p. 136 imprimis vero BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* l. c. p. 536. ſqq. maxime vero GEOFFROY, *Mat. Med* Tom. II. Sect. II. cap. I. Art. pag. 122. ſqq. ubi longe plura occurrunt legi digna, de ipſius Rhabarbari generatione & natura, ſolo natali, variis præparandi modis, multisque eximiis in medendo uſibus; additis tamen ſimul neceſſariis monitis ac cautionibus, p. 128. quibus naturis atque temperamentis minus conducat laudatiſſima illa alias Radix; conf. & HALDE, *loc. cit.* p. 521. Prægnantibus tamen caute dandum eſſe Rhabarbarum, ob ſanguinis uterini fluxum inde aliquando metuendum, ſingulari exemplo edoctus, monet RIEDLINUS, *Lin. Med.* Ann. 1700. Menſ. Januar. Obſ. 26. p. 94. ſqq. qui tamen contra ejusdem virtutem antidyſentericam egregiam merito laudibus extollit, ibidem, Menſ. Decemb. Obſ. 9. p. 1390. ſqq.

RAD. RHAPONTICI officinalis, Lapathi Alpini folio ſubrotundo, J. C. Lapathi hortenſis rotundifolii, B. C. *Racine de grande Patience.* Unius vel duorum pollicum ſpiſſitudinem æquant; extrinſecus flavæ, intrinſecus Rhabarbari veri inſtar, variegatæ adparent; & ſaporem amaricantem adſtringentemque palato imprimunt. Occurrunt nonnunquam, quæ proxime ad formam & magnitudinem Rhabarbari veri accedunt; diſtinguuntur tamen a vero Rhabarbaro, partim odore, qui non adeo gravis eſt; partim ſapore, qui magis glutinoſus eſt, ac fortius adſtringit; nec maſticando ſalivam tam intenſe flavam reddunt, ac verum Rhabarbarum. Educantur in hortis, ſed etiam in Styriæ Auſtriæque Alpibus ſponte naſcuntur. *Ad alvum la-*

xandam, a drachma una ad duas, porriguntur. Vulneratis, ictericis, & ab alto delapſis quoque commendantur. Vid. HEUCHER. *Opp. Med.* Tom. II. p. 882. ſq. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 670. ſqq.

RHAPONTICI veri, *Racine de Rapontic*, Wahrhafte Rhapontic. Radices ſunt oblongæ, pollicis craſſitiem æquantes, externe fuſcæ, interne croceæ, quoad ſubſtantiam raræ & laxæ, ſapore amaricantes ac ſubadſtringentes, non multum glutinoſæ, nec olfactu ingratæ. Planta a nonnullis inter Lapatha ponitur, nempe a *Rajo*, *Moriſone*, & ipſo BOERHAAVIO, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 535. præſertim *Proſp.* ALPIN. Diſſert. *cit.* cap V. p. 21. ſqq. & *Caſp. Hofmanno*, *loc. cit. Tournefortius* vero, ob florem monopetalum, campaniformem, multifidum, proprium inde genus conſtituit; hinc multi autumant, quod hæc planta, eadem ſit cum Rhabarbaro vero, & ab illo, non niſi ſolo natali, & radicum minori volumine, differat, nempe olim *Menardus*, *Maranta*, *Ruellius*, *Anguillara*, & alii plures, apud *Proſp. Alpin. Hofmann.* & *Zornium.* Raro in officinis proſtant, ſed illarum loco plerumque radices *Centaurii* majoris, ſubſtituuntur, quas *Rha capitatum*, ſive *Rhaponticum Helenii folio* appellant. Vid. SALMAS. *loc. cit.* p. 560. & imprimis *Proſp.* ALPINI, Diſſert. *de Rhapontico*, cap. III. p. 13. ſqq. & cap. IV. p. 20. præeunte ipſo DIOSCORIDE, Lib. III. cap. 2. & ipſum ſequente HOFMANNO, *de Med. Off.* Lib. I. cap. 29. conf. & ZORN. pag. 181. item LANGII *Epiſt. cit.* p. 754. nonnunquam accidit ut pharmacopæi, Rhabarbaro vero orientali præſcripto, in locum ipſius Rhaponticum fœde ſufficiant: Non idem eſt vice verſa: Rhapontico vero præſcripto, Rhabarbarum, quod viribus convenit, fit optima ſubſtitutio. Vid. imprimis huc laudata jam eximia Diſſert. magni quondam *Proſp.* ALPINI, *de Rhapontico vero*, ob ſummam præſtantiam, denuo recuſa, Lugd. Bat. 1718. 4to. in qua non ſolum magnum verumque diſcrimen inter Rhabarbarum verum, & Rhaponticum verum, diligentiſſime & accuratiſſime oſtendit. Sed & poſterioris, nempe Rhapontici, varias medendi virtutes ſolertiſſime indicat, quem & prudenter ſequutus in utroque, tanto doctore digniſſimus diſcipulus, *Caſpar* HOFMANNUS, modo laudatus, Lib. I. de *Medicam. Officin.* cap. 29. p. 52. ſqq. & p. 55. ſqq. De quo argumento eruditiſſime quoque tractat *Jo.* LANGIUS, Epiſt. Med. 56. Lib. II. pag. 753. ſqq.

RAD. RHODIAE, Roſariæ, *Racine de Rhodus*, Roſen-Wurz. *Tournefortius* hanc plantam, ſub nomine *Anacampſeros*, *majoris*, *radice roſam ſpirante*, deſcribit. BOERHAAVIUS illam vocat *Thelephium majus*, *radice roſam ſpirante*, *foliis cæſis*, *minus ſerratis*, *in Indice majori plantarum Horti Acad. Leid.* Part. I. p. 289. Sponte naſcuntur in Alpibus. *Vim ſubadſtringentem exerunt*, *& tam interne ſumta*, *quam externe fronti cum aceto adplicata*, *ad Cephalalgiam commendantur*, præſertim a *Petro a Caſtro*, & aliis laudatis a ZORNIO, *Botanolog.* p. 570.

RUBIAE tinctorum, Sativæ majoris, Erythrodani Raji, *Racine de Garance*, Färber-Röthe Wurzel. Plantantur uberius in Sileſia prope Vratiſlaviam. *Sunt vulneraria*, *& adſociantur radicibus quinque aperientibus minoribus.* *A Turcis per*

excellentiam Baja i. e. Balſamum, *vocantur, propter vires travmaticas, quas poſſident. Maximam operam tinctoriæ arti præſtant.* Vide plura in WURFFBAINII Diſſert. de *Rubia Tinctorum*, Baſil. 1707. & *B.* BOEHMERI, Diſſert. *de eodem Argumento*; conf. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 3. p. 404. ſqq. & maxime ZORN. p. 585. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 210. & *Auctor Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. p. 277. ſqq. quorum judicio, multæ magnæque virtutes huic radici tribuuntur, negatæ licet a CARTHEUSERO, *loc. cit.* p. 406. Sed vid. Diſſert. nuperrime Pariſ. 1758. ſub præſidio *C. Jo. B. Coſnierii*, ab Auctore *Marino Jacobo Claro* ROBERTO, publice habita, ſub Titulo: *Ergo Rachitidi Rubia Tinctorum*, ubi præter alias multas medendi virtutes, ſingularis quoque efficacia in curanda pertinaci Rachitide, huic radici confidenter adſignatur. Contra Icterum quoque plurimum eandem valere, ſunt, qui tradant, ad ipſam fidam experientiam intrepide provocantes.

RUSCI, *vide* Bruſci.

SANICULAE, Saniculæ officinarum, vulgaris, Diapenſiæ, *Racine de Sanicle*, Sanickel-Wurzel, Bruch-Kraut-Wurzel. Indigenæ ſunt, & ubique in ſilvis naſcuntur. *Folia & radices leniter adſtringunt*, atque hinc cum Symphyto, eandem ferme effectum habent. *Decoctis vulnerariis immiſceri, herniosſisque commendari ſolent*; de quibus vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 116. & ZORN. p. 603. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 531. & præſertim *Contin. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. p. 365. ſqq.

SAPONARIAE majoris lævis, C. B. Lychnidis Saponariæ dictæ, *Racine de Saponaire, ou Savoniere*, Seiffen-Kraut-Wurzel. Naſcuntur ad margines foſſarum, & prope rivulos. Radices effodiendæ ſunt vere novo. Virtutes *ſudoriferas, attenuantes, aperientes, & diureticas poſſident; hinc in morbis, ſeroſis, pectoralibus, lue venerea, & menſibus ciendis merito commendantur*, Conf. ZORN. p. 606. *Stablius radices Saponariæ, radicibus Sarſaparillæ longe eſſe præferendas, opinatur.* Quod & experientia verum eſſe docuit atque probavit.

RAD. SARSAPARILLAE, Salſaparillæ, Zarzaparillæ, *Racine de Sarcepareille*, Sarſaparill. Sic dicta Hiſpanice, a *Sarza*, quod ſpinam ſignificat, & a Parillo, Medico Hiſpano, qui primus fuit inventor uſus illius, & hanc Radicem ad nos adſportavit. Ita ſcite *Joh.* SCALIGER, in *Scaligeranis primis*, p. 132. ubi & pariter obſervat, illam veram eſſe *Smilacem aſperam*, atque inde Monſpelienſes Medicos jam non alia Sarza-Parilla uti, quam quidem radicibus Smilacis; quod & feciſſe conſtat *Matthiolum, Dodonæum, Fallopium*, & alios, laudatos, laudato ZORNIO, p. 643. quibus graviſſima ſua auctoritate ipſe accedit BOERHAAVIUS, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 495. Sunt *Smilacis Peruvianæ. viticulis aſperis, folio hederaceo lævi. Smilax caule angulato aculeato, foliis ovatis, acutis, inermibus*; vel *Smilax viticulis aſperis* Virginiana,

folio hederaceo lævi. *Zorza nobiliſſima. Hort. Lugd.* Royen. Ex plerisque Americanis provinciis, Peru, Mexico, Virginia & Braſilia advehuntur. Radices, quas eligas, colore exterius obſcuriore, interius vero albicantes adpareant; nec adeo fragiles, nec carioſæ, ſed recentes ſunto. Quæ ſpiſſitudinem calami ſcriptorii æquant, craſſioribus, ſubtilioribusque præferendæ ſunt. *Hæ radices temperatiſſimæ ſunt, & in morbis lymphæ præſtant dulce levamen, ſed longam macerationem & coctionem expoſcunt.* Vid. plura de natura, figura & variis virtutibus egregiis hujus radicis, apud Zorn. *Botanol.* p. 607. ſq. et Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 132. ſqq. quas tamen maximam partem in dubium vocat Cl. Cartheuserus, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 7. p. 427. adeo, ut proinde cenſeat: Officinas & Sarſaparilla, & ipſa radice Chinæ ſine jactura, commode carere poſſe. De quo liberum cuique eſto judicium.

Satyrii, Cynoſorchidis latifoliæ C. B. *Racine de Satyrion*, Stendel-Wurz, Knaben-Kraut-Wurz. Radices *Orchidis*, & *Satyrii*, confunduntur hodie, & altera alteri ſæpiſſime ſubſtitui ſolet. Sed, quæ geminam radicem bulboſam habent, veteres *Orchidem*, nominaverunt; quæ vero ſimplici tantum præditæ ſunt, *Satyrion*, appellaverunt. Differunt quoque a ſpecie illa, quæ *Palma Chriſti* nuncupatur, & multifidas habet radices, de qua vid. ſupra. Creſcunt in humidis pratis. Effodiantur vere novo. Degnerus in Diſſert. *de Dyſenteria contagioſa bilioſa*, perhibet, quod *radices Satyrii*, multum virtute conveniant, cum illa Perſica radice, quæ *Salab*, dicitur; confirmante quoque *Illuſt. Hallero.* Vid. infra *Salab*, ſub exoticis. *Muntingius radices Satyrii ad Spaſmos* & nervorum convulſiones; ad fluorem album, & hæmorrhagias uteri ſtudioſe commendat. Plerumque pro aphrodiſiacis habentur & Electuarium Diaſatyrium ingrediuntur. Conf. Handtwigii Diſſert. *de Orchide*, & imprimis *citat.* Zorn. p. 611. & quos ibi laudat, quibus add. *Contin. Mat. Med.* Geoffroy, Tom. I. p. 260. ſqq. ubi plura de Satyrii atque Orchidis differentia, & ſimul de utriuſque virtute aphrodiſiaca, adhuc dubia, docte diſſeruntur, præſertim p. 266. ſqq.

Rad. Saxifragiae albæ, Saxifragiæ rotundifoliæ C. B. radice tuberoſa, *Racine de Saxifrage*, Weiſſe Steinbrech-Wurz. Naſcuntur in pratis & collibus humidioribus. Modo ordinario ſub nomine ſeminum ſaxifragiæ in officinis veniunt, magnitudinem ſeminis Coriandri æquantes. *Vim reſolventem & viſcidos humores attenuantem poſſident, id circo ad defectus & vitia pectoris, renum atque veſicæ adhibentur.* Vid. Gruling. Tract. *de Calculo.* Cur. V. & Zorn. p. 613. item Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 300. Tournefort. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 229. & *Contin. Mat. Med.* Geoffroy, Tom. II. p. 382. ſqq.

Scillae, Squillæ, Scillæ rubræ, ſive Pancratii veri, *Racine de Scille, Oignon marin*, Meer-Zwibel, Mauß-Zwibel. De diſſenſu veterum circa Scillam, vid. Salmas. de *Hyl. Jatr.* cap. 41. p. 44. Harum radicum planta, eſt ſpecies *Ornithogali maritimi*, radice rubra *Tournefort.* Radices ipſæ, in modum ceparum Squamis compluribus, lamellatim ſibi invicem incumbentibus compactæ, & innumeris fer-

me inferius fibris dotatæ ſunt; magnitudine variant. Inveniuntur, quæ interdum pugnum duplicatum excedunt. Quoque colore differunt; quædam albæ, aliæ rufæ externa parte adparent. Albæ mitiores habentur, rubris, ſed rarius in uſum accerſuntur; rubræ ergo crebriori & ordinario uſui ſunt dicatæ atque expoſitæ. Utræque odore carent, ſed eundem ſaporem, ſcilicet amarum & acrem linguæ imprimunt. Creſcunt in arenoſis locis maritimis Luſitaniæ, Hiſpaniæ, Siciliæ, & alibi maritimorum regionum. Flores, qui hyacyntho ſtellari ſimiles ſunt, protuberantes in ſpica, emergunt, antequam folia exoriuntur. Crudæ rariſſime ad uſus adhibentur; ſed præparatæ eo ſæpius. Vide infra *Parte II. Scilla præparata.* Conf. huc *Cl.* ALBERTI Diſſert. ſingularis, *de Squilla*. item CORVINI, Diſput. *de Scilla.* Noviſſime quoque & de *Scillæ examine*, & de ipſius in Aſtmate, præſertim, uſu; binas doctas Diſſertationes edidit *Cl.* SCHULZIUS, longiore vita dignus. Conf. & *Wagneri*, ſive rectius *Cl.* WERLHOFII, Obſer. de admirandis *Scillæ virtutibus*, in pulvere exhibitæ; imprimis celeb. HOFFMANNI, *Med. Rat. Syſtemat.* Tom. IV. Part III. Sect. II. cap. 2. Obſ. 8. ubi Scillæ radicem merito inter remedia plane heroica refert, cui ſtupendam ferme efficaciam, in allevando Aſthmatis immani paroxiſmo, tribuit, experientia ipſa convictus & confirmatus, quod & ex eodem retulit in ſuum Libellum *de concinnandis Formulis*, *Cl.* NICOLAI, p. 176. conf. & *Cl.* CARTHEUSER. *Rudiment. Mat. Med.* Sect. VII. cap. 2. p. 242. & *Fundam. Mat. Med.* Part. I. Sect. VII. cap. 2. p. 391. & cap. 3. p. 399. ſqq. præſertim autem ZORNII *Botanol.* p. 618. & LOESECKE, *Mat. Med.* p. 271. ſqq. & noviſſime NOVIERII, *Obſer. Syſt. Pract. de Mollitie Oſſium*, fine. Vid. & Nova *Act. curioſ. Nat.* Tom. I. ubi SCHUSTERI Obſ. *de hydrope.*

RAD. SCORZONERAE, Latifoliæ, Sinuatæ, Serpentariæ, *Racine de Scorzonaire*, Scorzonera-Wurzel, Schlangen-Wurzel. Hæ radices a voce Catalonica *Eſcorzo*, quæ viperam ſignificat, nomen ſortitæ ſunt; nam morſui viperino mederi creduntur, ſi vel comedantur, vel externe vulneri adplicentur. Seruntur in hortis. Vid. TOURNEFORT. *Itiner.* Tom. I. Epiſt. 5. p. 266. de Scorzonera exotica Græca, Saxatili & maritima, foliis varie laciniatis, ubi & bella ipſius icon ſimul exhibetur. *Non ſolum utile nutrimentum, ſed etiam ſalubre medicamen diaphoreticum, & alexipharmacum ſuppeditant.* Uberius de *Scorzoneræ* laudibus ac virtutibus, juſto libro, tractavit *Joh. Mich.* FEHR, *de Anchora ſacra*, vel *Scorzonera*, & ante ipſum, *Nicol. Monardes*, Hiſpanus, ſed leviore opera. Plura vero vid. apud ZORNIUM, p. 622. & in *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. Sect. II. p. 431. ſqq. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 135. & CARTHEUSER. *Fundam. Mat. Med.* Part. II Sect. XV. cap. 4. p. 558. ſqq.

SCROPHULARIAE, nodoſæ foetidæ, vulgaris & majoris, Ficariæ, Ferrariæ, Caſtrangulæ, *Racine de Scrophulaire*, Braun-Wurz, Sau-Kraut-Wurz, Feig-Warz-Wurz. Ad margines foſſarum & rivulorum, aliisque locis udis excreſcunt. Colligantur vere novo. *Ingratum odorem atque ſaporem habent, ſed vulnerariam & inciſivam abſolvunt virtutem. Folia corrigunt ſaporem ſennæ nauſeoſum.* Vid.

BOERHAAVE,, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 316. & Tom. II. p. 490. & MARCHAND, *in Memor. Acad. Scient. Pariſ.* Ann. 1701. p. 209. conf. infra dicenda ad *Sennæ folia.* Vide *Yquetaga*, infra ſub Herb. *Scrophulariæ Aquat.* ceterum de hac *Scrophularia* ſingulari Diſſertatione diligenter egit SLEVOGTIUS, & ZORN. p. 624. item *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. pag. 438. ſqq. præſertim autem diligentiſſime TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 144. ſqq. De rariore vero ſcrophularia exotica, vid. iconem & deſcriptionem, apud eundem TOURNEFORT. *Itiner.* Tom. I. Epiſt. 5. p. 164. ſqq. quod obiter natare hic liceat.

SERPENTARIAE Virginianæ, Viperinæ, Colubrinæ, Contrayervæ Virginianæ, *Serpentaire, ou Viperine de Virginie*, Virginiſche Schlangen-Wurzel. Harum radicum planta, ad claſſem ariſtolochiarum refertur, & a CLAYTON, *in Flora Virginica*, *Serpentaria vocatur*, ſive *Piſtolochia flore atro purpureo, in terræ ſuperficiem procumbente, foliis cordiformibus. A Gronovio vero Ariſtolochia, caulibus infirmis, anguloſis, flexuoſis, foliis cordato oblongis, planis, floribus recurvis, ſolitariis,* nuncupatur. Tota planta, radices ſcilicet cum herbis in faſciculos conſtrictæ, plerumque ad nos transferuntur. Radices ſunt fibroſæ & graciles; odorem camphoratum, vel *Valerianæ* ad inſtar in auram ſpargunt, tamen paululum gratiorem; ſaporem vero aromaticum imprimunt. *Virtutes alexipharmacæ, balſamicæ, anticatharrhales, carminativæ, diureticæ, & uterinæ illis adſcribuntur.* De quibus omnibus, diſtinctius & uberius agit WEDELIUS, ſingulari docta Diſſertatione, de *Serpentaria Virginiana*; præſertim vero *Chriſt. Lud.* GOECKELIUS, in doctiſſima *de eodem Argumento*, Diſſertatione, quæ merito recuſa eſt, in *Mantiſſa Exoticorum*, ad VALENTINI, *Muſeum Muſeorum*, p. 597. conf. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 7. pag. 57. ut & imprimis ZORNIUM pag. 635. & LOESECKE, *Mat. Med.* p. 198. inter palmaria antiſeptica refertur ab illuſtriſſ. anglo Dno Pringle. Vide ipſius obſervationes de morbis externibus, cum annexis ad calcem Diſſert. e philoſoph. tranſact. exceptis, ex anglico idiomate in gallicum & germanicum verſum opus prodiit, ſane auro cœlandum.

RAD. SIGILLI Salomonis, vide Polygonati.

SPICAE Celticæ, Nardi Celticæ, Alpinæ, Valerianæ Celticæ TOURNEFORT. *Racine de Nard. Celtique*, Celtiſcher Nardus, Magdalenen-Kraut, Magdalenen-Blumen. Hæ radices, in plagis montoſis Liguriæ, Tirolis, ex Styriæ, ſponte naſcuntur, & inde, una cum floribus ad nos tranſportantur. More in officinis recepto, ad flores referri ſolent. Eligendæ ſunt, quæ ſuavem aromaticum ſpargunt odorem; numeroſis radiculis cohærentibus præditæ, plenæ & non fragiles ſunt. Vid. plura apud SALMAS. *de Homonym. Hyl. Jatr.* Cap. 89. p. 129. ſqq. CELSIUM, *Hierobot.* Tom. II. p. 1. ſqq. HILLER. *Hieroph.* Part. II. cap. 15. p. 64. ſqq. URSIN. *Hort. Aromat.* Lib. III. cap. 8. pag. 246. ſqq. præſertim vero *Jo. Bod.* a STAPEL, ad *Theophraſt. Hiſt. Plant.* Lib. IX. p. 1018. ſqq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 107. ſqq. item ZORNIUS, p. 461. *Alexipharmacam, uterinam, & diureticam indo-*

lem produnt. Confectioni Theriacæ, quoque intermiſcentur. Vid. CHARAS, *Hiſt. Nat. Theriaca Andromach.* cap. 46. p. 139. ſq.

SPICAE Indicæ, Nardi Indicæ, Graminis Cyperoidis aromatici Indici, *Racine de Spica Nard*, Indianiſche Spicanard. Radices fungoſæ ſunt, & ex filamentis quaſi nervoſis conglomeratæ atque contortulæ; longitudinem & ſpiſſitudinem digiti æquant; colore fuſco ruféſcente adparent, & ſaporem amarum aromaticum maſticanti patefaciunt. India orientalis illas nobiſcum communicat. Vid. laudatos modo Auctores, imprimis *Samlmaſium*, *Celſium*, & *Bod. a Stapel*, ubi plura de differentia *Nardi Celticæ*, *& Indicæ*; quod argumentum etiam diligenter tractavit citatus modo GEOFFROY, *loc. cit.* p. 109. ſqq. item ZORN. *loc. cit.* p. 461. Elige recentes, leves, quæ coma longa dotatæ ſunt, cyperumque redolent. *Virtus carminativa, ſtomachica & nephritica illis adſcribitur; confectioni Theriacæ intermiſcentur, & ad menſes ciendas, vermeſque necandos, adhiberi ſolent.*

SQUAMARIAE, vide Dentariæ.

SUCCISAE, vide Morſus Diaboli.

TARAXACI, Dentis Leonis, *Racine de Piſſe en Lit*, *Piſſenlit*, *ou dent de Lion*, Pfaffenröhrlein, Löwenzahn, Löwenkraut-Wurz. Ubique locorum occurrunt ſponte. Colligantur vere novo. *Coincidunt cum radicibus cichoriæ; virtutem vulnerariam, diureticam, aperitivam*, & ſanguinem purificantem, poſſident. Vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* P. II. Sect. XIII. cap. 5. p. 414. ſqq. & ZORNIUM, p. 261. ſqq. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 398. ſqq. plura de laudibus & virtutibus *Taraxaci*, vid. apud BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 132. ſq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 192. ſq.

TORMENTILLAE, Heptaphylli, Tormentillæ ſilveſtris, *Racine de Tormentille*, Tormentill, Rothwurz, Blut- und Ruhrwurz. Naſcuntur in locis arenoſis. *Vim adſtringentem, vulnerariam, atque* alexeteriam ſecum ferunt. *Decocta, odorem quaſi roſeum ſpargunt, & tonum ventriculi, ac inteſtinorum roborare, reſtituere dicuntur. Cum vero fortius adſtringant, decoctum non adeo ſaturatum, ſed dilutum exhibendum eſt. Contra dolores & vacillationem dentium etiam gargariſmatibus & collutionibus intermiſcentur. Vi antidyſenterica imprimis pollere*, oſtendit *Vit.* RIEDLINUS, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Octob. Obſ. 26. p. 351. aliique plures apud ZORN. p. 680. Magna tamen cum circumſpectione, illis, in dyſenteria aliisque morbis utendum eſſe prudenter monet: Cl. CARTHEUSER, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VI. cap. 3. p. 361. ſq.

RAD. TRIFOLII fibrini, aquatici, antiſcorbutici, *Racine de Trefle de Caſtor*, Bieber-Klee, Waſſer- und Schaarbocks-Klee-Wurzel. Creſcunt in locis paluſtribus, & raro in uſum vocantur. *Radicibus & foliis, una eademque vis ad-*

ſcribitur; ſunt tamen, qui folia radicibus præferant, quatenus efficaciora. Vid. Zornium, *Botanol.* p. 684. *Lappones his exſiccatis, varie utuntur. Partim, & modo ordinario, his pecudes pabulantur; partim ipſimet, præſertim, quum gravi annona premuntur, has quoque farinæ intermiſcent, & panes cogunt, in propirium uſum,* Panes vero exinde parati, monente Linn. *Flor. Lappon*, valde amari & deteſtabilis ſunt Saporis.

Turbith, Turpethi, *Racine de Turbit*, Turbith-Wurzel. Sunt radices *Convalvuli Indici alati maximi, Ibiſci foliis non nihil ſimilibus, angulosis.* Naſcuntur in locis ſilveſtribus, humidis, atque opacis Malabariæ & Inſulæ Ceylon, ad margines foſſarum. Eligendæ ſunt reſinoſæ, albicantes, & cariei expertes. *Conducunt hydropicis; ſed cum tormina excitare ſoleant; gravidis non temere exhibeantur. A ſcrupulo uno, ad duos, vel drachmam unam, porriguntur.* Vid. hic *Gisberti* Horstii Libellus, de *Turpetho* & *Thapſia*, item Rivini Diſſert. *de Medicament. Officinal. Cenſura*, cap. IV. p. 96. & imprimis *Bod.* a Stapel *in Comment. ad Theophraſt. Hiſt. Plant.* p. 1054. nec non Geoffroy, Tom. II *Mat. Med.* Sect. I. cap. I. Artic. 34. p. 145. ubi accuratiſſime de *Turpetho*, ejusque virtutibus ac vitiis egit; & ante ipſum Salmasius, in Exercit. *de Homonym. Hyles Jatric.* cap. 112. p. 193. ſqq. qui & cap. 51 p 59 *de Thapſia*, tractaveret. Conf. Zorn. *Botanolog.* p. 54. Præſertim vero Turpethum ceu eximium Anthelminticum, laudat Heerius, in *Obſervat.* p. 293. Conf. Wedelii *Amœnit. Mat. Med.* Lib. II. Sect. I. cap. 5. p. 247.

Sed quoniam vehementiſſimum & venenis ipſis cauſticis proximum medicamentum, quod ſtomachum & inteſtina inflammat atque erodit, item ſæviſſima tormina, nec non diros ſpaſmos, quin & ipſam dyſenteriam, aliaque deterrima ſymptomata ſæpe concitat, obſervante quoque *Cluſio*, & ex eo, Boerhaavio, *Hiſt. Plant.* T. I. p. 101. ideo ipſius uſus ſuſpectus, ambiguus, & periculoſi eventus plenus, in tanta præſertim meliorum & molliorum remediorum abundantia, tutius hodie ac prudentius plane negligatur, & turpiſſimum hoc Turpethum ex officinis medicinalibus merito proſcribatur. *Nolo damnoſum Turbith*, dixit aliquis facete, *ne mea viſcera turbet.* Conf. Schulz. *Prælect. ad Diſpenſ. Brand.* p. 257.

Rad. Tussilaginis, vide Farfaræ.

Valerianae paluſtris, ſilveſtris, Valerianæ pratenſis, *Racine de Valeriane*, kleine Baldrian, Katzen-Wurzel, Augen-Wurzel. Sunt indigenæ, colligantur tempore veris. *Vim alexipharmacam, emmenagogam, uterinam, antarthriticam, & diureticam poſſident. Ad Epilepſiam, & Ophthalmiam ſpecifice commendantur.*

Virtutem Valeriana antepilepticam olim in ſe ipſo epileptico, expertus eſt *Fabius* Columna, magnus ille Botanicus, ceu ipſe fatetur & publice laudat in *Hiſt. Plant.* Cap. de *Phu Dioſcoridis.* De quo vid. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 118. & Loesecke, *Mat. Med.* p. 203. item *Ill.* Haller. Orat. de *Botn. util.* p. 161. Opuſcul. Botanicor. & Tournefort. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 237. & Rolfinc. de *Vegetab.* Lib. I. cap. I. p. 13. conf. ſupra dicta ad *Phu Pont.* Ceterum vid. Spies, in ſingulari Diſſert. de *Valeriana*, & imprimis Alberti, in Diſſert. de

de *Valerianis officinalibus*, & la SUITE de la *Mat. Med.* de Monſ. GEOFFROY, T. III. Sect. II. p. 267. item *Memoir de l'Academ. Royal. des Sciences.* Ann. 1706. Vid. Cl. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 7. p. 60. & maxime ZORN. p. 690. ſq. item *Ill.* HALLERI *Iter. Helvet.* Ann. 1739. p. 180. ſqq. Opuſcul. Botanic. ubi exactiſſime, pro more, de Valeriana tractat.

RAD. VICTORIALIS longæ, Victorialis maris, Allii Alpini, Allii montani latifolii maculati, *Racine de Victoriale longue*, Lange Siegwurzel, Allermanns-Harniſch-Wurzel, Schlangen-Wurzel, Knoblauch-Wurzel. In Alpibus Tirolenſibus creſcunt. *Rarius accerſuntur in medicos uſus. Mulierculæ, has radices, ceu Palladis ægidem, magicis carminibus, & arti veneficæ opponere ſolent.* Vid. ZORNIUM, p. 700. & GESNER. *Epiſtol. Med.* Lib. III. p. 139.

VICTORIALIS rotundæ fœminæ, Gladioli foliis enſiformibus, floribus uno verſu diſpoſitis, purpureo rubentibus C. B. *Racine de Victoriale ronde*, Runde Siegwurz, Siegwurz-Weiblein, Acker-Schwertel. Foventur apud nos in hortis, ſed in calidioribus plagis, inter ſegetes, ſponte naſcuntur. Utriuſque Victorialis radix, cortice fibroſo, lamellato, & quaſi reticulato, prædita eſt; allium redolet, alliique ſaporem nonnihil refert. *Vix & ne vix uſum ullum arti ſalutari præſtare poteſt*, niſi interdum externe ad emolliendos tumores adhibeatur, laudantibus *Laurenbergio*, *Rondeletio*, & aliis, apud ZORNIUM, loc. cit.

RAD. VINCETOXICI, vide Hirundinariæ.

ULMARIAE, vide Barbæ Caprinæ.

URTICAE, Urticæ majoris urentis, vulgaris, *Racine d'Ortie*, Neſſel-Wurz, Brenneſſel-Wurz. *Virtutem diureticam, & ſanguinem depurantem poſſident; commendantur ſpecifice ad mictum cruentum, aſthma, icterum, lippitudines oculorum, Lienis, Hepatis & Meſenterii obſtructiones, aliaque inveterata corporis vitia.* Vid. ZORN. *Botanol.* p. 731. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 578. item *Contin. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. III. p. 409. ſqq.

ZEDOARIAE, vide Aromata.

ZINZIBERIS, vid. Aromata.

CAPUT II.

DE HERBIS ET FOLIIS.

HERBA ABROTANI maris anguſtifolii, *l'Auronne male*, Stab-Wurz, Gartheil, Ebreiß. Fovetur in hortis. Colligatur Menſe Auguſto. *Cum Abſinthio Pontico coincidit, & in illius locum ſubſtitui poteſt. Indolem Balſamicam, uterinam atque anticterícam poſſidere, animaliumque venenoſorum morſibus mederi cenſetur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 4. ſqq. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 15. p. 111. & maxime ZORNIUS, p. 3. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 188. *& ipſi peſtilentiæ valide reſiſtere*, obſervavit PALMARIUS, *de Febre Peſtilentiali*, cap. 18. p. 456.

ABSINTHII Pontici, nobilis, tenuifolii, incani, hortenſis, *la petite Abſinthe*, Welſcher Römiſcher Wermuth. Educatur apud nos in hortis, ſed in terra Pontica ſponte naſcitur, & mitius eſt abſinthio vulgari. Hujus Abſinthii Pontici accuratam nobis dedit deſcriptionem magnus TOURNEFORTIUS, ὁ πολύπλαγκτος, Tom. III. *Itinerarii ſui*, Epiſt. 17. p. 51. ſqq. qui uberrimum ejus proventum ipſe vidit. Conf. ZORN. p. 10. *Vim ſtomachicam, anticachecticam, & anthelminticam* huic ineſſe, omnibus notum; *illique diuretica ſpeciatim adſcribitur* ab HERMANNO, *Cynoſur. Mat. Med.* Part. I. cap. 6. p. 495. add. GESNER. *Epiſt. Med.* Lib. III. p. 90. b.

ABSINTHII vulgaris, Artemiſia foliis compoſitis, multifidis, floribus ſubgloboſis pendulis, receptaculo papoſo, *Linn l'Abſinthe*, Gemeiner Wermuth. Colitur in hortis, interdum apud nos, ſponte quoque naſcitur. *Virtutes, cum præcedente, easdem exerit, inſuperque anodina cenſetur. Succus vel decoctum externe commendatur, ad ulcera inveterata, putrida, nec non ad Scabiem. Suffitus vero, per infundibulum auribus exceptus, ad otalgiam celebrari ſolet.* Vid. hic potiſſimum *Jo. Mich.* FEHRII, *Hiera picra*, vel de *Abſinthio Analecta*, ubi plura de ſuavibus hujus amaræ herbæ virtutibus obſervata leguntur; de quibus & copioſiſſime agit, multis allatis præſtantiſſimorum Medicorum teſtimoniis & exemplis, ZORNIUS, *Botanol.* p. 6. ſqq. quibus adde LOESECKE, *Mat. Med.* p. 155. ſqq. Vim quoque contra peſtilentiam, ſingularem ipſi tribuit PALMARIUS, *de Febr. Peſt.* cap. 18. p. 456. & alias plures virtutes GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 186. Oculis tamen nimium Abſinthii uſum nocere, obſervat idem in *Conſult. Med.* p. 379. & GEOFFROY, ex aliis, p. 12. Multis quoque ob vim narcoticam ac graveolentem qualitatem, plus nocere, quam prodeſſe, monet *Cl.* CARTHEUSERUS, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. IX. cap. 4. p. 487. Ipſe olim vidi, quibus poſt exiguam Eſſentiæ Abſinthii doſin, ſemper gravis capitis dolor ſubito oriretur. Igitur non omnibus naturis convenit, præſertim cholericis & calidioribus.

Herba Acetosae, Oxalidis, Acetoſæ pratenſis, *l'Ozeille, ou l'Oſeille*, Sauerampfer. *Vim antiſcorbuticam habet, & bilem temperat: ſub forma ſucci, decocti juſculorumque medicatorum exhibetur.* Plures vero virtutes herbæ hujus laudatiſſimæ, late enarrat Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 540. & alii apud Zorn. p. 16. ſqq. add. Heucher. *Opp.* Tom. II. p. 983. imprimis Geoffroy, *Mat. Med.* T. III. p. 24. ſqq.

Acetosellae, Allelujæ, Lujulæ, Trifolii acetoſi, *Oxytriphyli, l'Alleluja*, Sauer-Klee, Buch-Ampfer, Herz-Klee. Creſcit in ſilvis, ad fagorum radices & Menſe Majo colligenda eſt. Conf. huc imprimis, *Jo.* Franci Tract. de vera herba antiquorum *Acetoſa*, item *Alleluja*, ut & Zorn. p. 18. & *Em* Koenig, *Regn. Vegetab. Quadripart.* p. 1058. præſertim autem Geoffroy, *Mat. Med.* T. III. p. 749. ſqq. *Gratum ſaporem acidum poſſidet. Ex hujus plantæ ſucco, Syrupus paratur, & ſal eſſentiale.* Vid. Cartheuseri *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. III. cap. 4. p. 219. ſqq.

Acmellae, Attmellæ, Admellæ, Acemellæ, Achmellæ, *Acmelle*, Indianiſch Harn-Kraut. *Sunt folia Bidentis, urticæ folio, Ceylonicæ*, vel *Cryſanthemi Zeylanici flore luteo, Lamii folio.* Creſcit in Inſula Ceylon. *Virtute lithontriptica, diaphoretica, anodyna, & humores viſcidos attenuante, prædita habetur.* Vel *apozematis, forma, vel in ſubſtantia ſumitur, fluorem album tollere creditur. Infuſum, propter acrimoniam foliorum, nunquam ſine Liquiritia, ſyrupo de Althæa, vel ſimili quovis corrigenti, propinetur. Pretioſiſſimum medicamen eſt, nam uncia unica, grandi pecunia, quatuor nempe imperialibus, a Batavis, divendi ſolet. Hinc cum clariſſimo Nebelio arbitramur, noſtram Bidentem, Lamii vel urticæ folio, quæ eandem ferme indolem poſſidet, huic nimis caræ, congrue poſſe ſubſtitui.* Conf. *Ill.* Halleri Orat. *de Botanic. utilit.* p. 162. Opuſc. Botan. Legi hic omnino meretur docta & elegans *Cl.* Brenynii Diſſertatio Botanico-Medica de *Radice Ginſem* & *Acmella*, ubi de hac planta exotica, pretioſa non minus emtoribus, quam ſalutari ægrotis, poſt *Croonenburgium*, Celeb. Pharmacopœum Amſtelodamenſem, accurate & diligenter tractat: Conf. & Lochneri Schediaſma doctiſſimum de *Pareira Brava*, p. 55. ſqq. & Slevogtii Diſſert. de *Acmella Ceylonica*; imprimis autem Valentini *Hiſt. Simpl. refor.* Lib. II. Sect. III. cap. 1. p. 131. & *Speneri* ad ipſum, Epiſtola, de *Muribus Marinis*, *in Append. ipſius Valentini polychreſtorum exoticorum*, p. 282. ubi & ſimul ad *Theodorum* Holam, *Deckeri* Diſcipulum provocat, qui in ſingulari Diſſert. inaugural. de *Nephritide* fuſius: oſtenderit, & exemplis comprobaverit, peculiares prorſus virtutes *Acmellæ* foliis ineſſe, dirum malum nephriticum mitigandi, urinam pellendi, lapidemque frangendi. Conf. Zorn. p. 79. & *Commerc. litt. Med. Norimb.* Ann. 1735. p. 7. & Ann. 1733. p. 376. præſertim vero, Ann. 1737. p. 279. ſq. item *Act. Erudit.* 1702. p. 138. *Ephem. Nat. Curioſ.* Dec. III. Ann. 5. & 8. Obſ. 210. & *Notit. litt. Dreſden.* Part. 25. p. 411.

HERBA ADIANTI, Adianti albi, Rutæ murariæ, Paronychiæ *Matth. l'Adiante blanc, le Capillaire blanc,* Mauer-Rauten, Stein-Rauten. E fiſſuris & juncturis vetuſtiorum murorum umbroſorum erumpit. *Virtutem diureticam habet, & ad rachitidem, pectoris morbos ſanandos, puerorumque enterocelas, ſpeciatim commendatur,* quod multi teſtantur apud ZORN. p. 23. add. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 42. ſq. ubi & obſervat Hyſſopum Salomonis fuiſſe hanc Rutam murariam, vid. & pag. 229. licet in alia ſit opinione *Cl.* CELSIUS, in *Hierobot.* Tom. I. p. 437. ſed hæc obiter. Ceterum autem illam haud recte & ſcite vocari Adiantum album, opinatur HEUCHER. de *Plant. Hort. Med. Witteberg.* Tom. II. Opp. p. 1031.

ADIANTI aurei, Polytrichi aurei, Muſci capillacei majoris, TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 497. *le Percemouſſe,* Golden-Widerthon. Pertinet ad muſcos, & creſcit in ſilvis. *Rarius ad medicum uſum accedit.* Stupendos tamen in pleuritide curanda, effectus præſtare, tradidit *Celeb. Med. Rongeard,* apud laudatum *Tournefort. Adnumeratur herbis antimagicis.* Vid. ZORN. p. 23.

ADIANTI nigri, foliis Coriandri, Capilli Veneris, *l'Adiante noir, le Capillaire commun.* Frauen-Haar, Venus-Haar. Circa montem Peſſulanum, in Languedocia, copioſiſſime naſcitur. *Virtutem incidentem, attenuantem, pulmonicam ac diureticam poſſidet. Ex hac plantula paratur celeber ille Syrupus cui nomen vulgo* Sirop Capillaire. Vid. ZORN. p. 22. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 34. ubi & plura de reliquis Adianti ſpeciebus hic commemoratis.

AGRIFOLII, Acrifolii, Aquifolii Ilicis oculeatæ bacciferæ, *le Houx,* Stech-Palmen, Stech-Baum, Stech-Apfel, Wald-Diſtel. *Radicis & corticis decoctum emollit & reſolvit, teſte Matthiolo. Baccas ad Colicos dolores mitigandos, & alvum blande ducendam, commendat Dodonæus. Folia in morbis tartareis prædicantur præcipue a Theophraſto Paracelſo. Dicitur & ſuccus ipſius arboris luteus & amarus, ex cereviſia ſumtus, icterum cito & perfecte ſanare. Ex cortice denique viſcum aucuparium præparari in Anglia, notum eſt.* De his cunctis vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 107. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 197. BOECLER. *Mat. Med. Continuat.* p. 517. ZORN. *Botanolog.* p. 30. ſq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 392.

AGRIMONIAE, Lappulæ hepaticæ, Eupatorii veterum, Hepatorii, *l'Aigremoine,* Odermenig, Leber-Kletten, Steinwurz. Circa calles, & margines agrorum ſponte creſcit, & Menſibus Majo & Junio, colligenda eſt. *Vires vulnerarias & hepaticas exerit; lienoſis præcipue dicata eſt, & ad ulcera renum, incontinentiamque urinæ multis encomiis commendatur.* Sed plures alias virtutes ipſi tribuit BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 124. ſq. & imprimis ZORN. p. 31. ſqq. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 48. ſqq.

HERBA ALCEAE, *l'Alcee*, *ou la Mauve ſauvage*, Sigmars- Simeons- Kraut. Differt a Malva foliis diviſis & profundius inciſis. Vid. HEUCHER. de *Plant. Hort. Med. Wittemb.* p. 975. Tom. II. opp. Terra inculta hanc ſponte profert. *Vires cum Malva communes habet. Præprimis ad nodos & ſcirrhoſos tumores mammarum, de cancro ſuſpectos in cataplaſmate*, celebratur. *Item in alvi torminibus, & epidemicis dyſenteriis, laudari ſolet.* Vid. ZORNII, *Botanol.* p. 33. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 351. & GEOFFROY, Tom. III. p. 50. & alios.

ALCHIMILLAE majoris, Pedis Leonis, Leontopodii, *le Pied de Lion*, Sinnau, Löwenfuß, Frauen- Mantel, groſſer Sanicul. Naſcitur in paſcuis & pratis udis. *Adſtringentem & vulnerariam habet virtutem.* Vid. hic *Cl.* CARTHEUSERI Diſſert. Chym. Med. *de Marrubio & Alchimilla*, Francof. ad Viad. 1753. Sect. II. imprimis *Car. Aug.* a BERGEN, Diſſert. II. *de Alchimilla.* Conf. ZORN. p. 34. & maxime GEOFFROY, Tom. III. de *Mat. Med.* p. 53. ſqq. qui & hæc ex Frid. HOFFMANNO refert: Nonnullæ, quibus libata virginitas, ſolerter norunt decocto Alchimillæ, in forma inſeſſus, ſibi reparare doloſam γενοχωρίαν, & illibatum mentiri virginitatis florem. Eædem ejus decocto mammas laxas & flaccidas nimis, linteo, decocto ejus intincto & impoſito firmas ac turgidas efficere tentant. Conf. HEUCHER. *Opp. Med.* Tom. II. p. 998. Hæc autem an vera ſint, neſcio, neque ſcire laboro. Ceterum idem puellarum incuſtoditi pudoris ſtratagema, in celando amiſſo virginitatis flore, inſtrui poſſe ex uſu, ſive rectius abuſu Radicis Conſolidæ majoris, ſive Symphyti maj. jam ſupra ad iſtam Radicem, ex HOECHSTETTERO, obiter adnotatum fuit.

ALLIARIAE, Alliaſtri, *l'Alliaire*, Knoblauch-Kraut, Läuchel- Kraut. In dumetis & juxta ſepes ſat frequenter occurrit, & ſponte naſcitur; colligatur Menſe Majo. De ejus natura, figura, variis nominibus, virtutibusque medicis variis vid. accuratiſſime tractantem *Caſp.* BACCHINUM, *in Epiſt. ad Hildan.* in ipſius Obſ. 94. Cent. II. p. 385. ſqq. *Folia recentia, ſi conterantur, Allium redolent, & vires cum Scordio communes habent.* BOERHAAVIUS in *Praxi Med.* Tom. II. p. 167. & in *Mat. Med.* p. 82. item *Ill. van* SWIETEN in *Comment.* Tom. I. p. 782. *commendant hanc herbam ad gangrænam & ulcera cancroſa.* Poſt HILDANUM, *Sim.* PAULLI, WILLIUM, de *Morb. Caſtrenſ.* & alios ZORNIO laudatos, p. 37. Ipſum vero HILDANUM imprimis vid. *Obſ.* 94. Cent. II. p. 383. & Tractatum de Gangræna & Sphacelo. Add. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 59. & BOECLERI, *Mat. Med. Contin.* p. 367.

ALSINES mediæ, Morſus gallinæ, Alſines foliis, Triſſaginis, *la Morgeline*, & a nonnullis, *le Mouron*, ſolummodo, ut plurimum *le Mouron des petits oiſeaux*, Hüner- Scherben, Vogel- Kraut. Ubique ſponte naſcitur, & hyeme quoque viret. *Exterius ad ulcera & Scabiem adhibetur; interius ſumta refrigerat, & laborantibus atrophia præſcribitur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 67. ſq. BOECLER. *Mat. Med. Contin.* p. 474. & ZORN. p. ſq. præſertim vero TOUR-

NEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 3. ſqq. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 292. qui Botanicorum principes, longe plures Alſines virtutes diligenter enarrant.

HERBA ALTHAEAE, Bismalvæ, Ibiſci, *la Guimauve*, Eybiſch-Kraut, Heyl-Kraut. In hortis colitur. Herbis quinque emollientibus adſociatur. Multas magnasque habet virtutes, quas ex variis Auctoribus late recenſet ZORNIUS, p. 51. ſqq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 6. ſqq. ex qua etiam paratur nobile illud remedium bechicum & aſthmaticum, quod dicitur *Paſta Althææ*, de quo infra Part. II. ſuo loco; aliaque plura, diligenter recenſita a GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 73. ſqq. Vid. ſupr. *Althææ Radix.*

ANAGALLIDIS maris, flore puniceo, *le Mouron, mâle*, Gauchheyl, Collmar-Kraut, Vogel-Kraut, Hünerdarm. In vinetis, hortis & agris, ceu lolium ſponte naſcitur. *Virtus peculiaris illi adſcribitur contra melancholiam, epilepſiam, maniam, & morſum rabidi canis;* unde & vulgo, Salus Faſcinatorum, a cane rabido admorſorum & Fatuorum dicitur. Vid. infra, Part. II. *Eſſentia Anagallidis*, ubi plura de ipſius virtute antimaniaca & antimelancholica, & HOFFMANN. ad *Poter. Pharm. Spag.* Lib. I. Sect. V. p. 319. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 286. aliosque plures, laudatos eam in rem, a ZORNIO, *Botanol.* p. 64. ſqq. qui ipſe pro more, diligentiſſime ibi egit de Anagallide. Add. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 90. & nuper BRUCHII, Diſſert. de *Angallide.* Argent. 1758.

ANETHI hortenſis, *l'Anet*, Dillkraut, Dill, Garten-Dill. Seminatur in hortis. *Hæc herba ſiccata, rarius in uſum medicum adhibetur, niſi forte in clyſteribus & pediluviis.* Vid. huc *Jo Bapt.* KARCHERI, Diſſert. de *Anetho*, & plura apud ZORN. p. 67. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 92. ſqq.

ANSERINAE, Argentinæ, Argentariæ, Pentaphylloidis, Potentillæ, *l'Argentine*, Genſerich, Gänßkraut, Silberkraut. Circa ſepes & calles ſponte creſcit. Menſe Junio colligatur. *Virtute vulneraria, refrigerante & adſtringente prædita eſt.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 114. ſqq. & imprimis ZORN. p. 72. ſq. & quos ibi laudat Auctores plures, item TOURNEFORT. Lib. cit. pag. 30. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 60. ubi præter alias multas virtutes, ſecundam etiam palmam, poſt ipſum corticem peruvianum, in febribus intermittentibus feliciter curandis, huic ſalutiferæ plantæ tribuit. Sed ſententiam Viri maximi ingenue confirment, qui ipſo ſecundo uſu experimentum fecerint. *Etiam dentium dolores ſedat*, teſte RIEDLINO, *Cur. Med.* 642. Cent. VII. p. 399.

APII. Nonſolum *contra araneas, ſed & adverſus ipſam peſtem Apii folia ſaluberrimum eſſe antidotum*, obſervat PALMARIUS, *de Febr. peſtil.* cap. 18. p. 458. quibus *& virtutes antifebriles*, cum aliis, tribuit, GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 105.

& alias BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 97. & alii plures apud ZORNIUM, p. 76. de *Radice* autem *Apii*, vid. ſupra, ſuo loco, ſub Radicibus.

HERBA ANTIRRHINI, majoris folio longiore, C. B. *le Muffle de Veau*, Löwenmaul, Starck Kraut, Dorant. In hortis colitur. *Virtutem diureticam poſſidet, & antimagicis herbis adſcribitur*, præeunte PLINIO, Lib. XXV. cap. 10. Vid. *Hieronymi* HEROLDI, Epiſt. de *Antirrhinis*, & aliis quibusdam plantis. Ceterum de Virtute antimagica Antirrhinis, eorumque potiſſimum ſeminibus falſo quidem tributa, vid. B. MENZII, *Diſſert. de Plantis magicis*, ZORNII, *Botan.* p. 74. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 315. item HEUCHER. *Vegetabilia magica*, & quos ibi allegat Auctores plures, qui de herbis magicis ſcripſerunt. Conf. infra, Part. II. *Emplaſtrum fœtidum Mynſichti.*

HERBA ARNICAE, Ptarmicæ montanæ, Doronici Plantaginis folio, *le Plantain des Montagnes*, *la betoine des montagnes*, Fall-Kraut, Lucians-Kraut. Vide *Radices Arnicæ.*

ARISTOLOCHIAE, Piſtolochiæ C. B. dictæ, Ariſtolochiæ polyrhizos. J. B. *l'Ariſtoloche menue*, Oſterlung-Kraut. Colitur in hortis, interdum etiam in vinetis ſponte creſcit. *Virtutem vulnerariam habet, & præſertim a veterinariis, ad vulnera equorum adhibetur.* Vid. Hippiatros Græcos & Latinos, item *Plinium.*

ARTEMISIAE vulgaris, caule & flore purpuraſcentibus, Artemiſia rubra, *l'Armoiſe rouge*, rother Beyfuß, rother Buck. Vid. huc *Jo. Jac.* BAJERI Diſſertatio ſingularis, de *Artemiſia.* *Artemiſiæ rubræ vino infuſæ potu continuo, Hydropicum optime curatum vidit*, SPINDLERUS, ſeu ejus *Scholiaſtes*, *Obſ. Med.* 57. p. 95. plura vid. apud ZORN. p. 84. ſqq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 120. ſqq. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 177. & *Simon* PAULLI, *Quadripart. Botanic.* p. 206. ſqq.

ARTEMISIAE albæ vulgaris, caule ex viridi albicante, *l'Armoiſe blanche*, Weiſſer Beyfuß, weiſſer Buck. Ubique & ſponte naſcitur. *Eandem, cum rubra, virtutem poſſidet, & inter plantas vulnerarias & uterinas pari modo numeratur*, item *alexipharmacas*, *antilœmicas*, vid. PALMAR. *loc. cit.* p. 470. ſq. de quibus tamen virtutibus ipſi vulgo tributis, multum adhuc dubitat *Cl.* CARTHEUSERUS, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 13. p. 456. *Lanugo illa, quæ Moxa dicitur, ex Artemiſia Chinenſi paratur*, & apud orientales gentes, in curatione podagræ per uſtionem, celeberrimum eſt remedium. Vid. *Cl.* CARTHEUSERI, *Fund. Mat.* loc. cit. p. 457. ſqq. *Cleyer*, apud VALENTIN. in *Ind. Literat.* p. 432. & ZORN. *Botanol.* p. 446. ſq.

ASARI, Nardi ſilveſtris, ruſticæ, *le Cabaret*, *l'Oreille d'homme*, Haſſel-Wurz-Kraut. Perpetuo viret, & in dumetis, nec non ad caudices corylorum

creſcit, unde a Germanis adpellationem ſortita eſt. Majo & Junio colligatur. *Folia eandem, cum ſuis radicibus, vim habent, in paulo remiſſiori gradu tamen. In parva doſi exhibita, virtutem diureticam, atque emmenagogam inſignem produnt. Rariſſime tamen in uſum internum trahuntur*, quia vomitus excitare ſolent, & *nauſeam creant. Ad pediluvia & pulveres errhinos adhibentur*, de quibus potiſſimum vid. COLBATCH, in *Tentam. Phyſ. Med.* de *Alcal.* & *Acidis.* &c. apud GEOFFROY, *loc. cit.* p. 132.

De *Aſaro*, ejusque virtutibus ſingulari docta Diſſertatione egit *Cl.* SCHULZIUS, & ante ipſum, SCHEFFLERUS, *ſimili Diſſert.* Omnium optime autem LINDANIUS, obſervante magno BOERHAAVIO, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 559. qui ipſe ſimul videri debet. Ceterum autem ipſa Aſari folia, Radice ipſius eſſe violentiora, e contrario, exiſtimat, imo exemplo funeſto probat WEDELIUS, in *Amœnit. Mat. Med.* Lib. II. Sect. II. cap. 4. p. 240. & de *Medicam. Facult.* Lib. II Sect. I cap. 8. p. 158. Sed in alia rurſus opinione verſatur *Sim.* PAULLI, *Quadripart. Bot.* Claſſ. II. p. 23. conf. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 319. Quare quum mala ſint folia, & radix non bona, optimum ſane eſt, ſecuritatis gratia, ab illis abſtinere, & hanc non adhibere, niſi ſumma cum cautione. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III, p. 131. ſqq. item LOESECKE, *Mat. Med.* p. 69. & ZORN. *Botanol.* p. 95. ſq. Conf. infra dicta ad *Extractum Nicotianæ compoſitum.*

HERBA ASPLENII, vide Ceterach.

AURICULAE muris, vide Piloſellæ.

AZEDARACH. Sunt folia Azedarach Dod. fraxi fere ſerrata, cubito longiora, ex foliolis multis ſibi mutuo reſpondentibus, ad coſtam unam ramoſam, adherentibus, conſtantia, ſature viridea & nigricantia. *Folia hac interficiunt animalia. Aqua horum foliorum pediculos necare dicitur; capillos tamen longiores reddit, ſi cum vino caput abluatur; modo dicta aqua, cum ſapa, difficultati urinæ & menſtruorum, confert, fœtum extrahit, & ſanguinem congelatum in veſica.* Sed melius eſt, iisdem non uti ita BOECLERUS in *Contin. Cynoſur. Mat. Med. Herman.* p. 321. ſq. add. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 670.

BASILICI, Ocymi vulgatioris, medii, magni, *le Baſilic*, Baſilgen, Baſilien-Kraut. Colitur in hortis. *Virtutem cephalicam & uterinam habet.* Voiez la ſuite de la *Mat. Med.* de *Mſr.* GEOFFROY, Tom. I. Sect. II. p. 212. ſqq. præſertim ZORN. p. 116. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 242. ſq. *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 411. & imprimis CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II, Sect. XII. cap. 10. p. 77. item HEUCHER, *Opp.* Tom. II. p. 995. ſqq.

BECCA-

HERBA BECCBUNGAE, Anagallidis æquaticæ, folio ſubrotundo C. B. Veronicæ aquaticæ, *Becabunge*, Bachbungen, Waſſerbungen. In locis paluſtribus, foſſis & rivulis copioſe naſci ſolet, & colligenda eſt ineunte vere. *Siccata rariſſime adhibetur; recens vero antiſcorbuticis adſociatur.* BOERHAAVIUS, *Hiſt. Plant.* T. I. p. 304. *longiorem hujus plantæ uſum, Scirrhis viſcerum reſolvendis; ipſi quoque podagræ, oppoſuit.* add. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 162. ſq. ubi plura, de his miris Baccabungæ virtutibus, ut & *Sim.* PAULLI, *Quadrip Botan.* p. 216. ſqq. HEUCHER, *Opp. Med.* Tom. I. p. 88. imprimis ZORN. p. 67. ſq. item FOREST. *Obſer.* XI. Lib. XX. p. 383. ſqq. *Succus ad plenos calices, vel ſolus, vel mixtus cum ſero lactis propinari poteſt.*

BEIDELZAR, Beid-el-aſſar, Arbor lanigera, Lapathum Aegyptiac. lacteſcens, Eſula Indica. Sunt folia Apocyni Aegypt. lacteſcentis, Sitiqua Aſclepiadas, Caſp. Bacchin. ſatis magna, oblonga, lata, craſſa, cutacea, ex viridi palleſcentia, incana, præſertim tenella, extremis ramis adnaſcentia, odoris gravis, lac album, acre amarum, ut tota planta, fundentia. *Foliis, Alpino dicente, contuſis, tum crudis, tum in aqua coctis, utuntur Aegyptii, emplaſtri modo in frigidis tumoribus & doloribus. Lac eſt præſtantiſſimum remedium ad impetigenem curandam, unguenti loco, exterius adhibitum; Sed interius nunquam debet dari, eſt enim ferventiſſimum, acerrimum, atque hinc deleterium*, vide de his BOECLER. *Contin. Mat. Med. Herman.* p. 322. ſq. TOURNEFORT. & HEUCHER. de *Plant. Witteb.* Tom. II. Opp. p. 859. & p. 953. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 394. & *Ind. Hort. Leid.* Tom. I. p. 313.

BELLADONNA, ſeu Bellonaria, Solanum furioſum, Solanum maniacum, Solanum letale, Solanum melano ceraſos, *la belladone, la Belle dame,* Tollkraut, Tollkirſchen, Schlafkirſchen, Schönefrau. *Introrſum turpis, Speciosa pelle decora;* eſt enim venenatiſſima planta, cujus imprimis Baccæ protinus dirum fatum accelerant, ut ex multis Auctoribus, docent ZORNIUS *Botan.* p. 644. ſq. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 165. *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 488. *Bod.* a STAPPL. *ad Theophraſt.* p. 586. & p. 1078. HEUCHER. Tom. II. *Opp.* p. 977. TOURNEFORT. *de Plant. Pariſ.* p. 397. præſertim FABER, in *Strychnomania*, BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 510. aliique plures laudati nobis infra ad *Solanum*. GESNERUS tamen, *Epiſt.* Lib. I. fol. 34. b. auſus eſt, harum letiferarum baccarum ſuccum expreſſum & in Syrupum redactum, ceu conveniens & efficax medicamentum, adhibere ad quaſcunque fluxiones ſiſtendas, dolores tollendos, dyſenteriam curandam, & blandum ſomnum inducendum, ſed forte æternum; quam magni viri audaciam vix ulli probandam, nollem laudaſſet vir magnus, HALLERUS, *Orat.* de *Botan. Util.* p. 161. Nam de Friccio non miror. Nuperrime tamen *Balla donna* uſum internum & externum in perſanando carcinomate exulcerato, denuo mirum in modum commendavit Cl. *Tiberius* LAMBERGERUS, *in Lectione inaugurali*, ſiſtente Ephemeridem perſanati Carcinomatis, Groningæ, 1754. Sed expectanda utique plura adhuc Experimenta videntur, donec certi ac ſecuri quid hic ſtatuatur. Res enim magni eſt momenti. Hinc varia quoque cum *Bella donna*, experimenta inſtituit nuper *Thomas* GATAKE-

RUS, & ipſius uſum circumſpectum internum in carcinomatis & aliis id genus deſperatis morbis, impenſe laudavit in Obſervat. *de uſu interno Solani*. Londin. 1757. quæ omnia tamen damnat prorſus, & abominatur *William* BROMFIELD, multis funeſtis exemplis in contrarium adductis, in *Obſervat. Pract. de Solano ac Belladonna*. Londin. eodem Anno 1757. vide etiam Michaeli alberti Diſſert. Halæ 1739. & imprimis obſervata quæ preſtant in Diario Medicæ Pariſienſi.

HERBA BELLIDIS minoris, pratenſis, *la Paquerette*, Maßlieben-Kraut, Margarethen-Kraut, Gänßblumen-Kraut. Copioſiſſime ubique locorum naſcitur. *Virtutem Vulnerariam, pectoralem, refrigerantem, abſtergentem, & denique roborantem, poſſidet*. Vid. EYSELLI *Bellicographia*, infra rurſus laudanda, & imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 171. ſqq. ubi ex *Ettmullero*, *Kœnigio*, *Wepfero*, & aliis, memorabilia aliquot Aſthmaticorum & Phthiſicorum producit exempla, per ſuum tenellorum foliorum Bellidis feliciter ſanatorum. Vid. & RIEDLINI, *Lin. Med.* An. 1995. Menſ. Jul. Obſ. 9. p. 200. & Ann. 1697. Menſ. Mart. Obſ. 26. p. 195. item Ann. 1699. Menſ. Jul. Obſ. 20. p. 738. ſqq. & *Curat. Med.* 423. Cent. V. p. 252. & *Curat.* 458. p. 275. imprimis ZORN. p. 122. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* pag. 57.

BETAE albæ, Betæ comminis viridis, *la Poirée*, Mangold. Colitur in hortis. *Maximus uſus culinaris eſt*. *Nonnulli hanc quoque herbis quinque emollientibus, adſociatam cupiunt*. Vid. *Sim* PAULLI *Quadrip. Botan.* p. 218. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 181. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 556. & *Proſp.* ALPINUS, de *Med. Aegypt.* Lib. IV. cap. 15. p. 316. *ubi Beta ſucco calido, cum ſaccharo aſſumto, ſingularem virtutem antiſebrilem tribuit*. Plura vid. apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 180. ſqq. & ZORN. p. 125.

BETONICAE, Vetonicæ vulgaris purpureæ, *la Betoine*, Betonien, braune Betonien, Zehr-Kraut. In pratis, ſilvis & montibus herboſis naſcitur, & colligenda eſt Menſe Junio. *Vim polychreſtam habet, atque contra multos morbos commendatur. Folia integra, ſi naribus intrudas, & ibi per aliquot horæ quadrantes detineas, inſigne quidpiam praſtant, in Epiphora, ſive Ophthalmia ſeroſa; quod Act. Phyſ. Med.* Volum. IV. *teſtant*.

Betonicæ laudes eximias integro libello complexus dicitur Celebris olim Auguſti Imper. Medicus, *Antonius* MUSA, quem commentario illuſtratum edidit *Gabr. Humelbergius*, & ſine commentario, *Sim.* PAULLI, *in Quadrip. Bot.* Claſſ. III. p. 220. ſqq. Sed recentioris lonoge Auctoris haud dubie ille eſt fœtus hypobolimæus, recte ſic cenſentibus *Barthio*, *Reineſio*, *Fabricio* & aliis. De eadem vero egregiæ virtutis herba egit quoque HEROLDUS, in allegata jam ſæpius *Epiſtola botanica*; præcipue vero *Claud.* SALMASIUS, Exercit. de *Homonym. Hyl. Jat.* cap. 43. p. 46. ſqq. Et ſingulari Diſſertatione, EYSELIUS. Vid. & PALMAR. de *Febre peſtilent.* C. 18.

p. 453. & imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* T. III. p. 185. ſqq. item CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 9. p. 432. ſqq. & potiſſimum ZORN. *Botanol.* p. 126. ſqq. ut & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 320. ſq.

HERBA BETULAE, de hujus notiſſimæ & ſuaviſſimæ arboris, variis in medicina uſibus inſignioribus, vid. *Eliæ* CAMERARII, *Diſcurſus Med. Botanicus de Betula.* Tubing. 1727. & imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* T. III. p. 191. ſqq. item *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 27. nec non RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. April. Obſ. 21. p. 114. & BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. I. p. 148. & ZORN. p. 128. ſqq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 58. ſq. *Helmontius* dicit, quod Betula Dæmones pellat, quod videtur congruere veritati, nam carnifices inde Virgulta legunt, & his maleficos puniunt & verberant, hacque ratione dæmonem pellunt. Ita acute BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 651.

BONI Henrici, Lapathi unctuoſi, Tota-bonæ, Chenopodii folio triangulari TOURNEFORT. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 547. *le Bon Henri,* Guter Henrich, Stolzer Henrich, Schmerbel, Smerbel. Ubique naſcitur in locis incultis, præſertim circa muros & ſepes hortorum. *Præclaram virtutem exerit, in recentibus ſanandis vulneribus, antiquiſque expurgandis ulceribus. Frixa cum butyro, ad dolores hæmorrhoidum mitigandos, ſpecifice commendatur.* Conf. huc EYSELII, ſingularis Diſſertatio, de *Bono Henrico, Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 226. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 200. ſq BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 547. ubi multas bonas virtutes huic *Bono Henrico* adſcribit. Conf. ZORN. *Botanol.* p. 135.

BORRAGINIS, *la Bourrache,* Borragen-Kraut, Borretſch. Alitur in hortis. *Virtutem Antimelancholicam, cordialem & alexipharmacam poſſidere creditur,* & multis probatur a GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 203. & *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 34. ſqq. item BOERHAAVIO, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 271. qui ſimul adjicit: Borraginem poſt crocum, *Herbam Magnanimitatis,* merito ſuo, eſſe omnino vocandam. Add. ZORN. *Botanol.* p. 136. Herba ſicca vero, raro in uſum venit, ajunt domini Wirtenbergenſes: nihil rabile tamen, nihil aromaticum, Solam modo vegetationis aquam deſſiccatio abſtulit, ſi rite fuerit inſtituta, id eſt, ſi planta ardenti Soli expoſita, vel in hypocauſto recondita, rapide humiditate ſua ſpolietur. Omnia tunc ſua elementa continet: tunc potiſſimum Solis eſſentialis nitroſi exiſtentiam aperit extemporaneo proceſſu, nempe ſi carboni ignito imponatur. Eſto tamen quod omnes generatim plantæ recentes ſiccis anteponantur; Sed noli abſtinere a borragine ſicca, cum defecerit recens.

BATRYOS, Botryos Mexicanæ, Ambroſioidis, Chenopodii, Atriplicis odoratæ Americanæ, Ambroſioidis Mexicanæ TOURNEFORT. *le Thé du mexique,* Trauben-Kraut, Motten-Kraut, Lungen-Kraut. Hæc planta in hor-

tis colitur, & paucis ab hinc annis, ſub nomine *Thea Sileſiaca*, ſive *Romana* clara fuit. *Commendari ſolet ad pectoris adfectus, tuſſim ferinam, menſes ciendos, fœtumque jam mortuum ejiciendum. Adhibetur in decoctis & infuſis. Recens ſiccata, ſi in uſum trahatur, vim inebriantem exercet. Veſtibus involuta, ad tineas arcendas laudatur a Rajo.* Vid. huc imprimis, *celeberrimi* quondam LOCHNERI Diſſert. Epiſtolica, ad *Cl. Behrens*, de novis & exoticis Theæ & Caffeæ ſuccedaneis, *Botry Mexicana*, *Ambroſoide*, *Artemiſia foliis Malabar.* &c. conf. Cl. BUCHNERI, *Mat. Med.* p. 329. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 209. imprimis autem BOERHAAVE, in *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 54? ubi hujus *Botryos Ambroſoidis* inſignes plane virtutes præcipue commendat *contra Epilepſiam*, *Convulſiones*, *Vertiginem*, *aliosque capitis morbos*, *paſſionem Hyſtericam*, & alia mala atrociora. Conf. ZORN. p. 137. & *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 227.

HERBA BRANCAE urſinæ, Acanthi mollis, Sphondylii, *l'Acanthe, ou le Branche urſine*, Bären-Klauen, Bären-Tatzen. Naſcitur in humidioribus pratis ac locis. *Hujus herba viridis color, nec non & amœnus, durabilior eſt, quam ullius alterius herba, cum Spiritum vini tingit. Nonnulli hanc quoque, & quidem loco Betæ, adnumerant herbis quinque emollientibus, & plicam polonicam curare, & quaſi extricare, credunt.* Sed recte id negat SCHULZIUS, in *Deſcriptione morborum apud Polonos frequentiorum.* Sed alias ejus virtutes certiores vid. apud BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 108. & ZORN. p. 15. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 22. ſqq.

BRASSICAE, *Chou*, Kohl, Kohl-Kraut. Tam alba, quam rubra, ceteræque ejus ſpecies diligenter recenſitæ a *Geoffroy*, *Bœclero*, atque imprimis *Zornio*, notæ ſatis ſunt olidis cocis, & gratæ convivis ſanis, neque minus utiles & ſalutares ipſis ægrotis. Inde jam olim, referente PLINIO, Lib. XX. cap 9. *Chryſippus*, *Pythagoras*, *Dieuches* atque Cato de Braſſicæ laudibus atque virtutibus fere innumerabilibus, certatim quaſi, ſpatioſa volumina exararunt. Præcipua vero mira & potentiſſima veluti virtus in ſanandis morbis pectoris tabificis, & ipſo adeo ſordido & inſanabili alias thoracis empyemate, adſcribitur Braſſicæ rubræ a magni nominis Medicis, & a maximo inter eos, BOERHAAVIO nempe, & quidem, quod tanto magis notari meretur, teſte *αυτόπτη*; ſic enim ille rem geſtam candide & ſine omni fuco, enarrat, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 423. Vide Hiſtoriam mirabilem in Duce militum, cujus pectus erat perfoſſum ab utroque latere; unde ingentem puris copiam continuo emittebat, ita, ut plus puris ex hoc vulnere effluxiſſet, quam ipſe gravis erat; qui æger ſola Braſſica fuit curatus. Hac ratione curavi aliquem, qui putrido pulmone laboravit, ſuadendo, ut nihil, niſi decoctum Braſſicæ rubræ ſumeret, cum pauco ſale & ſucco Aurantiorum. Sic etiam Tachenius, qui occupatus, inquirendo univerſale Remedium in Arſenico, inde a vapore, pulmones infectos accepit, & quum in tota Chemia inter omnia ſua arcani, nihil inveniebat, unde curari poſſet, ſumſit decoctum Braſſicæ rubræ, cum pauculo ſale & ſucco Aurantiorum, & ſic ſanatus eſt. Hactenus quidem magnus ille *Boerhaavius*, cujus memorabilis oppido locus dignus omni-

no nobis viſus, qui huc totus adducatur. Eaſdem vero pluresque alias Braſſicæ virtutes, in diverſis morbis pertinacioribus, productis, ubique ſingularibus exemplis, affatim laudant GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag 216. ſqq. *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 229. ſqq. BOECLER. *Cynoſ. Mat. Med. Contin.* p. 485. ſqq. & præſertim ZORN. in *Botan.* p. 140. ſqq. ubi pro more ſolito laudabili, ad plures provocat Auctores graviſſimos. In pertinaciſſima quoque ſtranguria, cum acerbiſſimo urinæ ardore conjuncta, ſolum Braſſicæ rubræ, cum jure vervecis, decoctum, multis præſidiis aliis antea incaſſum tentatis, præſentiſſimum tuliſſe auxilium, teſtatur FORESTUS, *Obſerv.* 3. Lib. XXV. p. 268.

HERBA BUGLOSSAE, Bugloſſi anguſtifolii, Linguæ bovis, *la Bugloſe*, Ochſen-Zungen. In hortis colitur, & in campis ſponte naſcitur. *Cordialis atque antimelancholica vis, illi adſeritur. Sicca tamen rarius adhibetur.* Ut dictum eſt a pari de borragine, qua de re animadverte tamen quod hujus reſpectu expendimus, præterea vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 228.

BURSAE paſtoris, Herba cancri, Sanguinaria, Burſæ paſtoris majoris, folio ſinuato, *le Tabouret, ou la Bourſe a Berger*, Täſchel-Kraut, Hirten-Täſchlein, Seckel-Kraut. Naſcitur in locis incultis. *Vim refrigerantem & adſtringentem habet, & ſpecifice in ſanguinis fluxionibus, ſive externe, ſive interne adhibeatur, commendari ſolet tamquam ſpecificum.* Vid. GESNERI, *Epiſt. Med.* Lib. II. p. 73. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 416. ſq. & plura apud ZORN. pag. 148. ſq. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 233. ſqq.

CALAMINTHAE montanæ, flore magno C. B. *le Calament*, Wohlriechende Berg-Münz. Advehitur ex regionibus calidioribus, & nonnunquam etiam apud nos in hortis colitur. *Huic attribuitur virtus Alexeterica, nervina, uterina, cardiaca, antimelancholica, ſtomachica, carminativa, Hyſterica, anthydropica, antinephritica, hepatica;* Leporibus vero gratiſſimam eſſe, ita ut per eam facillime capi poſſint, poſt *Paulinum*, obſervat RIEDLINUS, *Lin. Med.* Ann. 1697. Menſ. Decemb. Obſ. 20. p. 874. *Etiam diuretica virtute pollet, & Theriacæ intermiſcetur.* Vid. de utriuſque Calaminthæ variis in Medicina, uſibus eximiis, GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 240 BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 249. 250. *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 233. & ZORN. *Botanol.* p. 153.

CALAMINTHAE vulgaris, Calaminthæ agreſtis, Calaminthæ Pulegii odore, ſeu Nepetæ, *l'Herbe au Chat*, Korn-Münz, Feld-Münz, Wilder Poley. In locis apricis & arenoſis excreſcit, & colligenda eſt Menſe Auguſto. *Vim diureticam ac uterinam poſſidet.*

CALCITRAPA, Carduus ſtellatus, Spinatella, Hippophæſtum, *le Chardon étoillé, ou la Chauſſetrappe*, Stachel-Kopf. De ejus natura & figura, item

& *virtute diuretica*, *travmatica*, *& febrifuga*, vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* T. III. p. 241. ſqq. & BOECLER. *Cynoſ. Mat. Med. Con in.* p. 371. ſqq. præcipue TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 13. ſq. & HEUCHER, Tom. II. *Opp.* p. 928.

HERBA CAMPHORATA, hirſuta, Camphorata Monſpel. *la Camphrée*, **Kampfer-Kraut.** Ab odore Camphoræ ſimili ſic denominata. *Virtute gaudet cephalica, aperitiva*, *reſolutiva*, *atque deterſiva*, *venenis reſiſtit*, *menſes ciet*, *vermes necat*, *conducit in paſſionibus hyſtericis.* Convenit eum Abrotano. Ita BOECLER. *loc. cit.* p. 343. plura vid. apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 245. ſq.

CAPILLI Veneris, vide Adiantum nigrum.

CAPRIFOLII, Periclymeni non perfoliati German. *le Chevre-feuille*, **Geiß-Blat, Geiß-Liebgen.** *Radix*, *Flores*, *Folia & Baccæ rarius in uſu ſunt*; *omnibus tamen tribuitur vis diuretica*, *nephritica*, *vulneraria*, *& abſtergens.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 255. & ZORN. p. 163. ſq.

CARDIACAE, Marubii paluſtris Glabri, Cardiaca dicti, Brancæ ſeu Patæ lupinæ, Lycopis, *l'Agripaume*, **Wild Mutter-Kraut, Hertzgeſpann-Kraut, Hertzgeſperr-Kraut.** Creſcit in locis aſperioribus, ac incultis circa ſepimenta & vinetorum muros, & colligenda eſt, Menſe Junio. *Menſtrua & urinam propellit*, *vermes extinguit*, *morbis pituitoſis pectoris*, *item Cardialgiæ*, *Gangrana & febribus intermittentibus conducit*, *nec non ad infartum & inflationem hypochondriorum infantibus commendatur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 257. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 259. ZORN. p. 165. & *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 237. qui tamen de virtutibus Cardiacæ, adhuc dubius, non audet cuiquam commendare ipſius uſum; quam circumſpectionem laudo potius, quam reprehendo. Sic enim in omnium medicamentorum uſu, procedere decet, ne præpropere ea ægrotis offeramus, priusquam per iterata experimenta, liquidius conſtiterit, quid de eorum viribus, aut ſperandum, aut metuendum. Sed hæc obiter.

CARDUI benedicti, Cardui ſancti, Cnici ſilveſtris, *le Chardon benit*, **Cardobenedicten Kraut, Geſeegnete-Diſtel, Spinnen-Diſtel.** Vid. plura apud SALMASIUM de *Hyle Jatric.* Cap. 76. p. 102. ſqq. in hortis colitur. *Hæc herba polychreſta & plane pleneque benedicta eſt*, *eſt enim ſimul cathartica*, *emetica*, *diaphoretica*, *alexipharmaca*, *diuretica*, *antiicterica*, *antipyrectica & anthelmintica*, *adeo ut omnium fere ſalutarium plantarum vires medicæ in unum ſolum Carduum Benedictum confluxiſſe videantur*, *& integrum veluti pharmacopolium in illo comprehendatur. Præſertim omnibus morbis*, *qui ex ventriculi vitiis originem trahunt*, *medetur. Succus ad ulcera cancroſa*, *putrida*, *quin etiam venerea commendatur.* Vid. hic imprimis *Georg. Chriſtoph.* PETRI, *Aſylum Languentium*, *ſeu Carduus ſanctus*, *vulgo Benedictus*, *Medicina patrum familias polychreſta*, *veruſque pauperum Theſaurus*, Jenæ 1669. Ex profecto

ſplendidus hicce titulus haud plura vane pollicetur, ac hæc ipſa herba benedicta, ſemperque benedicenda, vere præſtat. Singulari quoque Diſſert. 1738. de *Carduo* hoc *benedicto*, egit *Georg. Chr.* OTTO, Argentorat. 1738. Vid. & PALMARII, Lib. II. de *Febre Peſtil.* cap. 18. p. 451. MINDERERI, *Aloedar. Marocoſt.* cap. XI. p. 145. ut & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 259. ſqq. & præſertim BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom I. p. 200. ſq. ubi hujus panaceæ & Nepenthis ampliſſimas laudes ore ſuaviſono celebrat. Plura vero ex variis Auctoribus collecta, vid. apud ZORNIUM, *Botanol.* p. 166. ſqq.

HERBA CARDUI Mariæ, Lactei, Spinæ albæ, *le Chardon Marie, le Chardon de notre Dame,* Veche-Diſtel, Marien-Diſtel. Colitur in hortis. *Morbis hepaticis, & pleuritidi opponi ſolet.* Nihil vero valere contra Pleuritidem, nimis benigne laudata iſta Cardui Mariæ ſemina, dudum experti monuimus, Libro noſtro *de Pleuritide.* Vid. infra Notata ad Caput IV. De ipſa vero planta ejusque virtute agit GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 262. & ZORN. p. 168. ſq.

CENTAURII minoris, Febrifugæ, Fellis terræ, *la Petite Centaurée,* Klein Tauſend Gulden Kraut, Fieber-Kraut, Erd-Galle. Naſcitur ſponte in ſilvis & paſcuis. Refertur ab *Ill. Hallero,* ad Gentianas, & dicitur, Gentianæ quadrifoliis trineriis, ovatis, floribus umbellatis, tubo ſtrictiſſimo. *Omnibus morbis, qui ex bile originem traxerunt, opponitur, & ſic dicata eſt, ut vix vinum medicatum invenias, cui herba centaurii minoris non intermixta ſit. Decoctum centaurii ex piſorum brodio, contra furfures & cruſtoſam ſcabiem capitis, ceu omnium decoctorum præſtantiſſimum, commendat* RAJUS. *Hoc decocto, ſi caput ſcabioſum laves, confeſtim ab omni porriginoſa ſcabritie liberatur, & totus inſuper pediculorum grex, qui ibidem moratus eſt, cum ovis penitus extinguitur. Ad alphos, varos, ceteraſque cuticulares affectiones conducit, ſecundum* MATTHIOLUM. *Decoctum per clyſterem immiſſum, educendo humores, & mitigando dolores, iſchiaticis mirandas ſuppetias præſtat, auctore* FERNELIO. Hæc & plura alia encomia de hac laudatiſſima herba, quæ ob ſummas ſuas variasque virtutes medicas, *Hiera* quaſi *picra vegetabilis* & nativa, omni jure vocari poteſt, cum fructu legenda ſunt apud LEDEDELIUM, in juſto Tractatu, *de Centaurio minore, auro tamen majore,* &c. item *Schrammium,* WEDELIUM, in ſingulari Diſſert. *de Centaurio minore,* item SLEVOGTIUM, in Proluſ. *de Centaurii minoris commendatione per exempla.* Conf. BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Part. I. Proc. 30. p. 112. Tom. II. & *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 302. ubi præcipue virtutem ejus antifebrilem ex Actis Pariſienſibus, laudat. Add. imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 275. ſqq. & maxime ZORN. *Botanol.* p. 182. ſq. ut & GARMANN. *Epiſt.* 97. p. 415. ſqq.

CENTUMNODIAE, Centinodii minoris, Polygoni, Sanguinariæ, item Sanguinalis, interdum & Biſtortæ, *la Renouée, la Centinode, ou la Trainaſſe,* Wegtritt, Weg-Graß, Tauſend-Knoten, Blut-Kraut. Ubique locorum circa calles ſponte excreſcit. *Vim refrigerantem habet, ac adſtringentem. Id-*

circo in fluxionibus ſanguinis & alvi commendari ſolet. Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 544. & *Sim.* PAULLI, *Quadrip Botan.* p. 438. ſqq.

HERBA CEREFOLII, Chærefolii, Chærophylli ſativi, *le Cerfeuil*, Körffel-Kraut. Colitur in hortis, & tempore veris colligenda eſt. *Huic herbæ vis Diuretica, anticolica, emmenagoga, & lithontriptica tribuitur.* De utiliſſima hac herba docte lateque egit HELWGIUS, in ſingulari Diſſert. de *Chærophyllo*, ut & ZORN. *Botan.* p. 189. ſq. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III pag. 295. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 113. *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 257. ubi præcipue binis notatu dignis exemplis oſtendit, quantum olim valuerit *Chærefolium*, vel exterius, ſub Cataplaſmatis forma, adhibitum, in pellenda urina, diutiſſime, cum vitæ periculo, ſuppreſſa, & in ſedanda etiam ſæviſſima Colica, quæ jam jam ad tetram paſſionem iliacam proxime inclinabat.

CETERACH, Scolopendrii veri, Aſplenii, *le Ceterac*, Milz-Kraut, Milz-Farrn. Hæc herba in aſperrimis Helvetiæ montibus opacis naſcitur. *Ictericis, calculoſis, atque ſpleneticis valde utilis eſt*, & quinque herbis capillaribus adnumerari ſolet. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 292. ſqq. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 40. maxime ZORN. p. 619. ſqq. & HEUCHER. de *Plant. Hort. Med. Witteb.* p. 1028. ſqq. copioſe, item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 395. & LANGII, *Epiſt.* 74. Lib. I. p. 407.

CHAMAEDRYOS, Chamædrios repentis minoris, Quærculæ minoris, *la Germandrée, le petit Chêne*, Gemanderlen, klein Bath Engel, Edel-Gemanderlein. Creſcit in locis montoſis, & colligenda eſt, tempore æſtatis. *Scorbuticis, hydropicis, atque arthriticis conducit. Infuſum loco Theæ bibitur.* Plures ipſius virtutes eximias fuſe laudat BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 261. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 298. item *Proſp.* ALPINUS, de *Med. Aegypt.* Lib. IV. cap. 15. pag. 316. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 11. p. 437. ſqq. ut & ZORN. p. 190. ſq. & TOURNEFORT. *Lib. cit.* p. 414. ſqq.

CHAMAEPITYOS, luteæ vulgaris, folio trifido, Ivæ artheticæ, Ajugæ, *L'ivette*, Erd-Kieffer, Feld-Cypreß, Schlag-Kräutlein, je länger je lieber. Terebinthinum ſpargit odorem. *Hac planta balſamicam, nervinam, cephalicam, emmenagogam aut arthriticam, antipodagricam, travmaticam, & anodynam indolem poſſidet. Apoplecticis, Epilepticis, vertiginoſis* atque pareticis *imprimis commendatur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 308. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 263. & CARTHEUSER. *loc. cit.* p. 440. ſqq. item ZORN. pag. 192. ſq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 326.

HERBA

HERBA CHELIDONII majoris, Chelidonii vulgaris, *la Chelidoine*, *la grande éclaire*, Groß Schöll-Kraut, Schwalben-Kraut. Sponte naſcitur in locis ſterilibus atque incultis circa muros & ſepimenta. Succum groceum & acrem continet. *In obſtructionibus hepatis laudari, ictericisque commendari ſolet. Egregiam vim vulnerariam, detergentem & mundificantem habet, ſi exterius ulceribus admoveatur. Tota hæc planta, ad plantas pedum, hydropicis alligatur.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 386. præſertim GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 311. ſqq. item *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 46. ſqq. & exactiſſime ZORN. p. 196. ſqq.

CICHORII hortenſis, *la Chicorée*, Weegwart-Kraut, Sonnenwend-Kraut. Colitur in hortis. *Herba & radix virtutem eandem habent. Sed utriusque uſus rarus eſt. De Cichorio,* binas doctas Diſſertationes conſcripſit *El. Rud.* CAMERARIUS. Vid. & PANAROLI *Obſer. Med.* 47. Pentecoſt. III. p. 205. plura vero apud ZORN. p. 204. ſqq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 321. ſqq.

CICUTAE majoris, *la grande Ciguë*, Schierling, Wüterich. Circa ſepimenta & in dumetis ſponte progerminat. *Hæc planta; qua & hominibus & pleriſque animalibus exitialis eſt, nunquam in uſum medicum internum accerſitur; exterius ad emplaſtra reſolventia interdum adhiberi ſolet.* Tamen fuere, (quis credere, imo facere auſit?) qui poſt Andromachum atque Galenum, imo Hippocratem ipſum, ut nonnullis male quidem videtur, qui vel noſtra ætate, & diræ cicutæ ſuccum & ſemina ceu medicamentum efficaciſſimum & tutiſſimum, contra varios graviſſimos morbos, intus quoque adhibendum, enixe & intrepide commendaret, quos diligenter recenſet, & pro more ſolito, pæne dixiſſem ſtolido, ſit venia dicto! alacriter ſequitur toties jam citatus ac notatus FRICCIUS, Tract. de *Virtute Venenorum Med.* Cap. XVIII. Interim tamen his ſophiſticis verique prorſus inanibus apologiis non obſtantibus, tota cicuta, quanta eſt, inter atrociſſima ocyſſima Venena, quod ad uſum nempe internum, non externum, ſpectat, locum quaſi primarium jure occupat, quod multis funeſtis exemplis manifeſtiſſime docet probatque WEPFERUS, in doctiſſimo juxta utiliſſimo Tractatu, de *Cicuta aquatica.* item *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* Claſſ. III. p. 263. & in Digreſſ. de *Febribus malignis,* ſtatim ab initio. & §. 81. ſqq. ut & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 93. ubi ſimul, quod notari utique meretur, de ſe ipſo refert, quod a ſolis cicutæ foliis nonnihil contritis, & naribus, experimenti cauſſa admotis, ſtatim quaſi ebrius ſtupidusque factus fuerit; ne alios jam teſtes plures huc advocem, immanem illam Cicutæ nocendi & occidendi vim multis exemplis confirmantes, quos inter potiſſimum referendi *Kircherus, Schenkius, Ettmüllerus,* & alii, allegati jam ipſi FRICCIO, *loc. cit.* p. 323. & potiſſimum ZORNIO, p. 207. ubi plura, item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 325. ſqq. quibus add. *Ill. Rich-Mead,* mox merito laudandus, præſertim autem *Stalpart. van der* WIEL, *Obſ. rar. med.* 43. *Cent.* I. & ibi præcipue, Not. p. 185. ubi plura exempla ex variis Auctoribus aliis, adducit, lectu ſane digniſſima; add. *Tim.* a GÜLDENKLEE, *Caſ. Med.* 4. Lib. 7. p. 310. licet obſtet, quod mireris, *Ol.* BORRICHIUS, in Diſſert. de *Venenis,* quæ eſt Quinta,

inter Diſſertationes Academicas ipſius, Tom. I. p. 214. ſqq. Verum ergo eſt illud Plinii, Lib. XXV. cap. 13. *Cicuta venenum eſt, publica Athenienſium pœna, inviſa;* licet illa Veterum Cicuta, vel a noſtra, diverſa, vel ſingulari & arcano modo præparata; ob placidum ſomnoque ſimilem, quem præſtabat pota, vitæ exitum, fuiſſe videatur; Super qua controverſia, de qua plura dicendi hic locus non eſt commodus, vid. interim, *Bod.* a Stapel, in Comment. *ad Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib. IX. cap. 17. p. 1145. ſqq. ut & Salmas. in *Exercit. Plin.* p. 742. & *Petr.* Petit. *Miſcell. Obſ.* Lib. I. cap. 17. p. 48. item *Bauhin. Matthiolum*, Boerhaavium, *loc. cit.* Zorn. *loc. cit.* & alios, præſeetim vero *Ill. Rich.* Mead. Eſſay IV. *of poiſonnous plants*, p. 228. ſqq. denique etiam, ut finiam hæc, conf. ſi placet, *Poemata noſtra*, Tom. IV. p. 43. in Not. Impune igitur, quo uſque libet, Cicuta veſcuntur ſturni capræque, & inde pingueſcant, *homini quæ Macre Venenum*, ut canit Lucretius, Lib. V. *Relinquamus ergo Cicutam Athenienſibus, vel ſturnis!* ut lepide ait Ludovici, in *Pharmacia* Diſſert. I. p. 539. conf. Scaliger, *Cont. Cardan.* Exercit. 152. p. 482. ſqq.

Herba Cochleariae folio ſubrotundo, *l'Herbe aux Cuillers*, Löffel-Kraut. In hortis colitur, & colligenda eſt tempore verno. In Anglia, Grœnlandia, Norwegia, Nova Zembla, aliiſque regionibus borealibus, ubi potiſſimum fœdus Scorbutus ſæva quaſi exercet imperia, circa littora maris, ſponte, & quidem maxima copia, ceu Antidotum divinitus conceſſum, progerminat. Vid. præter alios, Dodonei *Hiſt. Stirp. pempt.* 4. Lib. V. & *Obſ. Med.* 33. p. 81. ſqq. Nomen ab externa forma foliorum, ſortita eſt. *Vim aperitivam, diureticam, & antiſcorbuticam exerit. Recens meretur præferri ſiccæ:* De promeritis laudibus herbæ hujus antiſcorbuticæ valentiſſimæ vid. *Val. And.* Moellenbroccii, *Cochlearia Curioſa.* Lipſiæ 1674. Conf. Koenig. *Regn. Veget.* p. 44. & *Vit.* Riedlini, *Lin. Med.* Ann. 1697. Menſ. Auguſt. Obſ. 10. p. 527. ſqq. item Cartheuseri, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VII. cap. 7. p. 415. ſqq. & Zorn. p. 218. ſq. ut & Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 345. ſqq.

Consolidae majoris, Symphiti majoris, *la Grande Conſoude*, Wahl-Wurz-Kraut. In locis udis, & circa foſſas ac rivulos pratorum ſponte creſcit. *Decoctis vulnerariis intermiſcetur.*

Consolidae mediæ, Bugulæ, Sophia *Theophraſti, la Bugle*, Gülden Günſel, Gülden Wund-Kraut. In pratis & paſcuis humidioribus ſponte creſcit. *Vulnerariam virtutem poſſidere cenſetur, paululumque adſtringit atque refrigerat.* Vid. Gesner. *Epiſt. Med.* Lib. III. pag. 118. & p. 119. b. imprimis Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 229. ſqq. & Zorn. p. 543.

Consolidae Saracenicæ, Solidaginis, Virgæ aureæ anguſtifoliæ, minus ſerratæ, *la Verge d'or*, Heydniſches-Wund-Kraut. Ultro naſcitur in ſilvis. *Eximiam vim, & Vulnerariam, & lithontripticam poſſidet. Gargariſma ex hujus herbæ*

decocto in faucium & columellæ morbis juvat gingivarum putredinem tollit, ac dentium vacillationi medetur. Vid. huc potiſſimum LISCHWIZII Diſſert. de *Virgis aureis*, præſertim circa finem; & alios Auctores plures, laudatos ZORNIO, p. 645. quibus add. *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. III. p. 336. ſqq. & potiſſimum BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 147. ubi & ſingulare ex Barclajo, curati nephritici exemplum producit, & ad ſuam quoque experientiam provocat.

HERBA CONYZAE cœruleæ, Aſteris conyzoidis, Senecionis cœrulei, Erigeri vulgaris, *la Coniſe*, Blau Dürr-Wurz, Beruff- oder Beſchrey-Kraut. In locis ſiccioribus creſcit. *Vim ſiccantem, digerentem & diſcutientem exerit. Nonnulli huic quoque potentiam antimagicam adſcribunt.*

CONYZAE publicariæ, mediæ, Aſteris conyzoidis luteo flore, antidyſentericæ HOFFMANNI, *la Coniſe jaune*, Gelbe Münze, Ruhr-Kraut. Naſcitur in locis udis. *Commendatur ad dyſenteriam & icterum. Si hæc herba in ſuffimentum adhibeatur, venenata animantia iſtam fugare, pulicesque enecare tradidit* DIASCORIDES, Lib. III. cap. 136. cujus tamen Conyzam hodie ignatam eſſe monet BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 173. ceterum de ea vid. ZORN. p. 226.

CRASSULAE, Craſſulæ majoris, Fabariæ, Telephii vulgaris, Illecebræ majoris, Anacampſeros, *l'Orpin*, *la Repriſe*, Fette Henne, Knaben-Kraut, Bruch-Kraut, Wund-Kraut. Naſcitur in arenoſis & ſterilibus locis, *Refrigerat, adſtringit, vulnerariamque virtutem poſſidere creditur. Sed & mire laudatur in Herniis, hæmorrhoidibus, podagra, & aliis affectibus gravioribus.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 370. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 87. ſqq. & alii Auctores plures, laudati ZORNIO, p. 670. ſq.

CRUCIATA, Crutiata hirſuta, Cruciata herniaria, Crucialis, Gallium latifolium, vulgo *la Croiſette velue*, Rauch-Meger-Kraut, Gelb Creutz-Kraut, Kruſette. Hæc planta, inquit BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 211. *licet non laudetur in medicina, tamen dicitur eſſe vulneraria & adſtringens, & optime conducere in herniis, ſi folia ejus decocta externe, forma cataplaſmatis, adhibeantur.* Quidam Auctores *hanc in cephalalgia commendant.* Sed plura & certiora de uſu cruciatæ medico, vid. apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 372. BOECLER, *Cynoſ. Mat. Med. Contin.* p. 530. & maxime ZORN. *Botanol.* p. 240.

CUPRESSI, Chamæcypariſſi, Santolinæ, Abrotani fœminæ, Herbæ immortalis, *la Santoline*, *la Garderobe*, Garten-Cypreſſen, Stab-Wurz-Weiblein. Colitur in hortis. *A Gallis Garderobe, dicitur, quia e veſtibus tineas arcet. Coincidit cum Abſinthio pontico, & vim anthelminticam, & diureticam poſſidet.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 181. & ZORN. p. 5. præſertim autem GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 6. ſqq.

Herba Cuscutae majoris, Caſſuthæ, Caſſythæ, Cadytæ, Linodeſmi, *l'Epithim*, *la Cuſcute*, Flachs-Seyden, Filz-Kraut, Flachs-Dotter. Creſcit inter linum & urticas. *Vim aperitivam*, *abſtergentem*, *ſpleneticam ac hepaticam habet*. Vid. Wedelii, Diſſert. *de Cuſcuta*, ubi plura de virtutibus hujus ſalutaris herbæ; imprimis vero *Joh.* Franci, Tract. *de Cuſcuta*. Conf. & Tournefort. *Itinerar.* Tom. III. Epiſt. XIX. p. 209. & imprimis Zorn. p. 249. ut & Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 386. ſqq.

Dictamni Cretici veri, Origanum foliis tomentoſis, Spicis nutantibus *Linn.* *le Dictame de Crete, ou de candie*, Cretiſcher Diptam. In Creta naſcitur, unde & nomen habet, & ad nos tranſvehitur. Vid. *Jo.* Meursii, *Creta*, Lib. II. cap. X. p. 109. ſqq. & maxime Salmas. *de Homonym. Hyl. Jatr.* cap. 38. p. 42. item Welsch, Diſſert. II. *de Aegagropil.* p. 42. Folia, quæ tomentoſa, recentia, & odora ſunt, eligito. *Virtutem alexipharmacam & uterinam habet.* Vid. Palmar. *loc. cit.* p. 471. *Theriacæ & Diaſcordio intermiſcetur. Vulneraria quoque cenſetur, & ad partum difficiliorem, fœtum extinctum, & ſecundinas propellendas mirum in modum celebratur, ad grana decem exhibita in pulvere. Cretenſes, hanc herbam, per infuſum loco Theæ ſumptam, ad febrem tertianam, cachexiam, & proliciendum ſudorem impenſe laudant.* Vid. *Jo. Daniel.* Gejeri *Dictamnographia*, ſeu *brevis Dictamni Deſcriptio.* Francof. & Lipſ. 1687. & imprimis Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. II. p. 272. ſqq. item Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 254. & Charas, *Hiſt. Nat. Theriacæ Andromach.* cap. 31. p. 114. multis vero Zorn. p. 462. ſqq. & Loesecke, *Mat. Med.* pag. 174. item Labat, *Itin. Hiſpan.* & *Ital.* Tom. V. Cap. XI. vid. Mylii, *Delic. Phyſ.* Vol. II. Sect. 20. p. 731.

Digitalis purpureæ, folio aſpero C. B. *la Digitale*, Finger-Hut. Rarius proſtat in officinis; valde tamen, ceu medicamen efficax contra morbum comitialem, cum Polypodii radicibus, in decocto commendare ſolet Parkinsonius. Vid. Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 403. ſq. ubi plura de virtutibus *Digitalis*, ut & apud Boecler. *Continuat. Mat. Med.* p. 467. ſqq. uſus tamen ipſius haud videtur tutus & ſalutaris, ob vim acerrimam emeticam & catharticam; licet Itali proverbio dicant: *Aralda tutte le piaghe ſalda, Digitalis* [*omnes plagas ſanat*, immo & Mors per ipſam, omnia ſanat vulnera. Vid. Tournefort. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 432. Conf. infra, *unguentum digitalis. Vehementem vomitum concitat, vehementerque alvum movet, ita, ut ſæpius dyſenterias vix curabiles cauſetur*, teſte Boerhaavio, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 308.

Dipsaci, Cardui Fullonum, Onocardii, Labri aut Lavacri Veneris, *le Chardon à Bonnetier, ou à Foulon*, Karten-Diſtel, Carten-Kraut, Hirten-Stab, Venus-Bad, Buben-Streel. Fullonibus quidem notior & uſitatior, quam medicis; interim tamen nec uſibus medicis carere traditur, quas diligenter poſt *Dioſcorid.* & *Plin.* enarrant Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 406.

BOECLER, *Continuat. Mat. Med. Herrmann.* pag. 53. & præſertim ZORN. *Botan.* p. 266. ſq. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 193. qui hæc imprimis notat de aqua illa in concavo foliorum Dipſaci ſemper collecta: Commendatur hæc aqua maxime his, qui oculos crudos & lippos habent. In hoc caſu, viro cuidam commendavi, qui hinc maximum emolumentum cepit; nam videtur habere aliquid de virtute plantæ, quæ ad Scabioſæ vires accedit. Quam virtutem ophthalmicam ſingularem iſti aquæ etiam unanimi conſenſu, attribuunt Auctores ſupra laudati, aliique plures; quin & ipſi in nobis, & aliis, veritatem hujus experimenti experti aliquoties ſumus.

HERBA EBULI, Sambuci humilis, arvenſis, *l'Ieble*, Attich-Kraut. In Agris & campis progerminat ſponte. *Serum educit, hinc hydropicis & profituus.* Conf. JUCHII, Diſſert. ſingularis, *de Ebulo*, ejusque uſu medico; item GABELCHOVERI, *Obſerv. Med.* 46. Cent. III. pag. 81. & PLATERI *Obſ. Med.* Lib. III. pag. 594. ſqq. & p. 599. ut & FORESTI *Obſ.* 44. XIX. p. 266. præſertim GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 415. ſqq. & ZORN. *Bot.* pag. 272. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 530.

ELATINE, Veronicæ fœminæ, Linariæ ſegetum, Nummularia III. folio villoſo, verbaſculi, *la Velvote, ou la Veronique femelle*, Ehren-Preiß-Weiblein. *Summe vulneraria eſt*, temperans & detergens, *aperit & reſolvit. Laudatur in cancro, podagra*, impetigine, lepra hydrope, ſcrophulis &c. *Pena & Lobelius* narrant, quemdam miſellum Barbitonſorem, quum perdocti Medici complures Naſum cujusdam ægrotantis abſcindere decreviſſent, hoc remedium a quopiam ſuo hero edoctum, amputationem diſſuaſiſſe, & hujus plantæ ſucci litu & potu, ſic effeciſſe, ut naſus non abſcinderetur, & ut reliquo corpori in lepram prono, medela ſimul offerretur. De qua lepida hiſtoria vid GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 421. ut & BOECLER. *Contin. Mat. Med. Herm.* p. 271. eſt vero illa prius a *Pena & Lobelio commemorata*, referente TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcentium*, p. 3. ubi plura de Elatine, legenda.

ENDIVIAE majoris, latifoliæ, Intybi hortenſis, *l'Endive, ou la Chicorée douce*, Andivien, Endivien. Colitur in hortis. *Refrigerat, hepati conducit, aliisque virtutibus pollet*, late enarratis a GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 425. ſqq. & ZORN. *Botanol.* p. 280.

EPATICAE, vide Hepaticæ.

EPITHYMI, Epithymi Cretici, Caſſuthæ minoris, Cuſcutæ Thymi, *l'Epithim de crete*, Cretiſche Thym-Seyde. Creſcit in Inſula Creta; progerminat quoque in aliquibus regionibus Italiæ. Epithymum eſt ſpecies *Cuſcutæ*, & planta paraſitica, & ſic dicitur quia *Thymo*, ſicut Cuſcuta lino & urticis, adhæret. *Me-*

lancholicos humores purgat, ac urinam & menſes propellit; quod tamen experientia duce, negat TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* pag. 427. & eum ſequutus GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 388. ubi plura; ut & ZORN. p. 283.

HERBA EQUISETI, arvenſis longioribus ſetis, Hippuridis, de quo vid. SALMAS. *de Hyl. Jatr.* Cap. 45. p. 48. *la Prele, la Queve de Cheval,* Kazen-Wedel, Schafft-Heu. *Decoctum pariter ac infuſum hujus equiſeti, ad hæmorrhagias ſiſtendas, & exulcerationes renum atque veſicæ, commendatur.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 581. & *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Bot.* p. 60. ubi ſingulari exemplo docet, *eximiam plane virtutem travmaticam* equiſeto ineſſe, de quo plura ZORN. p. 284. & GEOFFROY, Tom. III. p. 435. ſq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 276.

ERICAE, Ericæ vulgaris humilis J. B. *la Bruyere,* Heyde, Heyde-Kraut. Hæc planta, nemini ignota, copioſiſſime creſcit ubique, præſertim in locis & regionibus montoſis. Dum floret, colligenda eſt. *Matthiolus hanc herbam vel in Decocto, vel in infuſo, ad nephritidem, & calculum veſicæ ſpecifice commendat. Aqua deſtillata, Ophthalmiæ conducit. Inſeſſus & balnea ex decocto, arthriticis & paralyticis præſcribuntur.* Conf. BOERHAAVE, *loc. cit.* p. 658. & ZORN. p. 285.

ERYSIMI, Verbenæ fœminæ, Irionis, *la Velar, la Tortelle,* Wilder Weeg-Senff. Circa calles ſponte naſcitur. *Vim attenuantem & reſolventem habet, & morbis, qui a viſcidis humoribus oriuntur, conducit. Ad Syrupum de Eryſimo Lobelii adhibetur;* quem laudat BOERHAAVE, *loc. cit.* pag. 428. & alii apud ZORNIUM, p. 288. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag 446. ſq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 19.

EUPATORII cannabini AVICENNAE, Trifolii cervini, Origani aquatici, *l'Eupatoire,* Waſſer-Doſten, Kunigunden-Kraut, Hirſch-Klee. Ad ripas fluminum & rivulorum creſcit. *Antiſcorbutica & vulneraria cenſetur, ſed ut plurimum ad uſum externum requiritur. Turfi foſſores, hoc & nullo alio remedio, putrida ulcera & pedes tumentes ſanare & ſibi mederi* BOERHAAVIUS refert, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 175. ſq. Vid. imprimis RIEDLINI, *Cur. Med.* 334. Cent. IV. p. 197. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 453. ſqq. *Radices ſurſum ac deorſum acriter purgant, & ſerum extrahunt; hinc ictericis & hydropicis in infuſo commendari ſolent.* Vid. ZORN. *Botanol.* p. 291. GESNERI *Epiſt.* Lib. III. pag. 121. & *Ill.* HALLERI Orat. *de Botan. utilit.* p. 161. Opuſc. Bot. Eſt tamen Emeticum draſticum, ipſo fatente *Geſnero* experto.

EUPHRASIAE flore albo, Euphragiæ, Herba ophthalmica, *l'Euphraiſe,* Augentroſt. Creſcit in pratis, & colligenda eſt autumno novo. *Ictericis conducit, & ad confortandam memoriam, nec non & Ophthalmiam commendatur.* De hac laudatiſſima herba vid. imprimis *Jo.* FRANCI, Spicilegium, *de Euphragia,*

Herba, Medicina Polychreſta, veroque oculorum ſolamine. Conf. & præcipue poſt ZORNIUM, p. 290. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 456. ſqq. ubi *Hildanum, Fuchſium, Lobelium, Hoffmannum,* alioſque hanc in rem, laudat; quibus add. imprimis GABELCHOVERI, *Obſ. Med.* 100. Cent. III. p. 171. in Annot. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 194.

HERBA FARFARAE, Tuſſilaginis, Ungulæ caballinæ, Filius ante patrem, Bechii, Farfugii, Farfarellæ, Farfaraginis, Chamæleuces, Aphyllantis, *le Pas d'Ane,* Huſſlattig, Roßhub, Brandlattich. Naſcitur in locis uvidis. *Tota planta pectori dicata eſt. Folia quoque externe vulneribus ſuper imponi ſolent.* Vid. huc imprimis *Jo. Phil.* EYSELII, Diſſert. *de Filio ante patrem, Phthyſicorum Aſylo,* ubi plura de meritis Tuſſilaginis virtutibus bechicis, antihecticis & antiphthiſicis, collecta leguntur. Adde *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Bot.* p. 161. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 152. ſqq. imprimis ZORN. p. 688. & HEUCHER, *de Plant. Hort. Med. Witteb.* pag. 1014. ſq. Tom. II. opp. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 235. ſq. Dictam vero antiquitus *Farfaram* fuiſſe ab amne Sabinorum *Farfaro,* circa quem benigna ubertate, potiſſimum proveniſſe Tuſſilaginem, traditum eſt, docte, pro more, oſtendit SALMASIUS, *de Homonym. Hyl. Jatrica,* Cap. 48. p. 53.

FOENICULI, Marathri, *le Fenouil,* Fenchel-Kraut. In hortis colitur. *Hujus herba vires, ſemine debiliores ſunt. Hinc ſemen & radices fœniculi, ob vim generoſiorem, frequentius in uſum medicum trahuntur, quam herba.* Vid. huc *Jo. Chr.* EHRMANNI, Diſſert. *de Fœniculo,* & ante ipſum, *Jo. Theod.* SCHENCKII, Μαραθρολογία, ſeu *de Fœniculo,* Diſſertatio; item BOECLERI, alioſque plures laudat ZORNIUS, pag. 306. ſqq. quibus imprimis add. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 479. ſqq.

FOLIA Inda, Malabathri, Tamalapatri, Canellæ ſilveſtres Malabaricæ, *le Malabathrum,* Indianiſch Blatt. *Folia ſunt oblonga, acuminata, denſa, glabra, & a pediculo uſque apicem tribus nervis excurrentibus, notata; odorem gratum naribus, & ſaporem aromaticum linguæ communicant.* Malabathrum veterum plane incognitum eſt. Sed vid. copioſe & erudite SALMAS. *de Homonym. Hyl. Jatric.* Cap. 87. p. 126. ſqq. item LANG. *Epiſt. Med.* 67. Lib. I. p. 343. Noſtrum & hodiernum Malabathrum, ſunt folia arboris Canellæ Malabaricæ in H. M. *Katou-Karva,* nominatæ. Vid. huc GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. pag. 265. & ZORN. p. 412. imprimis, VALENTIN. *in Hiſt. Simpl. ref.* Lib. II. Sect. 3. Cap. 3. p. 143. ſq. & *Jo. Georg.* DEXBACHII, Diſſert. *de Malabathro,* merito recuſa, in ejusdem *Mantiſſa Exoticor.* p. 597. ſqq. Recentia, odora & viridiuſcula eligenda ſunt. *Confectioni Theriacæ & Antidoti Mithridatici intermiſcentur, & virtutem alexetericam, balſamicam, & uterinam exerunt, nec non urinam valide movent.*

Herba Fragariae, Trifolii fragiferi, *le Fraiſier*, **Erdbeer-Kraut.** Uberius in ſilvis ſponte naſcitur. *Virtute vulneraria, pollet, & leniter adſtringente; nec non hepati conducere rumor eſt.* Conf. Frenzelii, Diſſert. *de Fragaria, ejusque ſuaviſſimo fructu;* aliique laudati Zornio, p. 309. ſqq. quo & præſertim pertinet Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 489. ſqq.

Fumariae, Fumi terræ, *la Fumeterre*, **Tauben-Kropff, Erdrauch, Kraz-Heyl.** In vinetis, & inter olera ſponte naſcitur. Menſe Junio & Julio, dum floret, colligenda eſt. Multum ſalis eſſentialis continet. In ſucco hujus herbæ condenſato, cryſtallos, nitri ſimiles, obſervavit, Boerhaavius, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 389 & *Elem. Chem.* Tom. II. Part. I. Proceſſ. VII. p. 34. ubi & idem de aliis pluribus plantis ſucculentis, adnotavit. *Impenſe amara eſt; ſpleneticam atque hepatiam virtutem habet, ſerum purificat,* & in morbis Chronicis ac cutaneis quoque commendari ſolet. Conf. huc *Rud. Jac.* Camerarii Diſſert. docta, *de Fumaria;* ut & Roussy, Diſſert. *de Fumaria vulgari;* plúresque alii apud laudatum Zornium, p. 315. quibus add. Loesecke, *Mat. Med.* p. 178. præſertim vero Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 501. ſqq. Tournefort. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 82. ſq.

Galegae, Rutæ capraríæ, *le Galega*, **Geiß-Rauten.** Colitur in hortis. *Vim alexipharmacam & ſudoriferam poſſidet.* Vid. Heucher. *Nov. Prov. Hort. Med. Witteb.* pag. 922. Tom. II. opp. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 475. laudatus Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 510. *Sim.* Paulli, *Quadrip. Bot.* p. 312. & maxime Zorn. p. 320. Succus Galegæ expreſſus & cum melle permixtus, matutinoque tempore, pueris epilepticis datus, præſentiſſimum remedium contra atrox illud malum, eſſe dicitur a Gesnero, *in Epiſt.* obſervante quoque Boerhaavio, *loc. cit.*

Gallii, Gallii lutei, *le Caille lait jaune*, **Meger-Kraut, Wald-Stroh, Bett-Stroh.** Sponte & copioſiſſime naſcitur ad margines agrorum, circa calles, & in collibus apricis. *Aciditatem quampiam poſſidet, qua lac coagulat; vim quoque vulnerariam & detergentem exerit.* Vid. Geoffroy, Tom. III. p. 515. ſqq. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 211. Zorn. p. 321. & Tournefort. *Hiſt. Plant. Pariſ.* 197.

Gallitrichi, Hormini Sclarea dicti, ſativi ſive hortenſis, *l'Orvale, le toute bonne*, **Scharlöch-Kraut.** Colitur in hortis. *Rarius accerſitur in uſum.* Contrarium tamen docentibus *Geoffroy, Ettmüllero; Zornio*, aliisque mox laudandis. *Herbis vulnerariis adſociatur, & vim ſiccantem, atque abſtergentem abſolvit. Nonnulli perfidi caupones, vinum, hoc hormino, & floribus ſambuci, mangoniſare ſolent, ut illi ſapor ſcilicet, & odor moſchatellinus impertiatur; ſed hoc contaminatum vinum velocius inebriat, & atrociores capitis dolores excitare ſolet.* Vid. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 232. ſqq. potiſſimum vero Zorn. *Botanol.* p. 351. ſqq. *Sim.* Paul-

li,

11, *Quadrip. Bot.* pag. 312. ſqq. ut & exacte GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 590. ſqq.

HERBA GERANII Robertiani, Gratiæ Dei, Herba Ruperti, *Bec de Grue, Herbe a Robert, l'Herbe a l'Eſquirancie*, Storchen-Schnabel, Ruperts-Kraut, Gottes-Gnad, Rothlauffen-Kraut. Hæc Geranii ſpecies ſponte naſcitur in rudetis, & circa muros. Colligatur Menſe Majo. Vid. HEUCHER. *Nov. Prov. Hort. Med. Witteb.* p. 1009. Tom. II. opp. ubi & plura de variis Geranii ſpeciebus, accurate & diligenter collecta. Præſertim GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p 519. ſqq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 84. ſqq. *Præſtantiſſima virtute vulneraria pollet. Si mammis externe admoveatur, lac diſcutit; inflammationi medetur.* De quibus aliisque virtutibus vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 346. ſq. GEOFFROR, *loc. cit.* p. 522. ſqq. & maxime ZORN. p. 326. ſq.

GNAPHALII montani, Elichryſi montani, flore rotundiore TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 446. & *Juſt.* R. H Hiſpidulæ RIVINI, *le Pied de Chat*, Feld-Kaze, Ruhr-Kraut, Haaſen-Pfötlein. Creſcit in locis montoſis & apricis. *Virtutem vulnerariam & ſubadſtringentem habet;* uſurpatur in decoctis & Gargariſmis; commendatur ad tuſſim ferinam puerorum. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 525 ſqq. & præcipue ZORN. p. 349. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 179. & BOECKLER. *Cynoſ. Mat. Med. continuat.* p. 541. ſqq.

GRATIALAE Limneſii, Digitalis minimæ, Centauroidis C. B. *Gratiale, l'Herbe a pauvre homme*, Gottes Gnaden-Kraut, Wild-Aurin. Naſcitur in locis & pratis uvidis. *Hydropicis, cachecticis, f bre quartana, & obſtructione menſium laborantibus commendari ſolet*, a PENA, LOBELIO, CAMERARIO, & aliis. *Valide per ſuperiora & inferiora purgat. Virtute emmenagoga & anthelmintica gaudet. In ſubſtantia, a ſcrupulo uno, ad tres, datur. In decocto, aut infuſo, a drachma una, ad duas porrigere licitum eſt; ſed, cum hæc herba facile hypercatharſin excitare valeat, prudenter cum iſthac agendum eſſe, monemus. Melius eſt, ſi hoc infuſum, cum lacte, vel ſero dulci, quam cum vino paretur. Hæc herba quoque, Speciebus ad Clyſteres emollientes, adſociatur*, a TOURNEFORTIO, quem vid. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 266. Conf. vero huc *Jo. Jac.* BÜRCKELII, Differt. *de Gratiola;* & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* T. I. p. 308. ubi multas virtutes Gratiolæ gratiſſimas recenſet, poſt plures alios, laudatos ZORNIO, p. 335. Mihi vero, ſalvo ſecus ſentientium judicio, parum omnino gratiæ & ſecuri uſus huic quidem Gratiolæ ineſſe videtur; eſt enim violentiſſimum remedium, per ſuperiora & inferiora, ſimul vehementiſſime purgans, quod in aliis eo incautius uſis, aliquoties ipſe obſervavi, & in ſe ipſo olim expertus eſt GESNERUS, *Epiſt. Med.* Lib. III. p. 94. b. conf. huc maxime GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 531. ſq. ubi plura.

HERBA HEDERAE arboreæ, Hederæ communis majoris, *le Lierre,* Eppheu, Baumwinde, Mauer Eppheu Blätter. Partim reperitur in ſilvis, ubi arbores amplexu tenet; nunc etiam vetuſta ædificia prorependo tranſcendit. *Nonnulli uſum internum foliorum hederæ arboreæ diſſuadent, & obſervatum fuiſſe referunt: quod horum foliorum uſus internus mentis turbationem induxerit. Verum* in Actis Phyſic. Medic. Vol. V. *pro ſpecifico ad Atrophiam infantum laudantur. Externe hæc folia, ſi fonticulis ſuperimponantur, affluxum majorem laticis peccantis derivant; & ſi in decocto uſurpentur, vulnera mundificant,* de quibus omnibus vide copioſiſſime tractantem ZORNIUM, in *Botanolog.* p. 340 ſqq. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 667.

HEDERAE terreſtris, Chamæclema BOERHAAVII, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 244. & *Indic. Hort. Leid.* Tom. I. p. 172. Chlegoma LINNAEI, Calaminthæ humilioris, rotundiore folio TOURNEFORTII, *Inſt. Rei Herb.* & *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 181. *le Lierre terreſtre, la Terrette,* Gundelreben, Gundermann. Ubique copioſiſſime circa ſepes & parietes hortorum progerminat, & Menſe Majo vel Junio colligenda eſt. *Tota, ceu medicamen polychreſtum & balſamicum, pectori conſecrata eſt; & in hæmoptyſi præſertim, ac mictu cruento, mirandum ſolamen præſtat,* teſtibus *Williſio, Ettmüllero, Reuſnero Lindano, & Boyleo* alisque *ſuccum expreſſum, naribus adtractum cephalalgiam, licet vehementiſſimam ac inveteratam, non tantum confeſtim mitigare, ſed prorſum expellere refert* RAJUS. *De Hedera terreſtri,* ſingularem conſcripſit Diſſertationem *Chr. Aug.* HEDER, nominis forſan convenientia & ὁμοφωνία, ad ſcribendum incitatus. Vid. & de laudibus ac virtutibus hujus utiliſſimæ herbæ *Cl.* CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. Cap. 10. pag. 434. ſqq. præſertim autem laudati ZORNII, *Botanol.* p. 343. ſqq. ubi ingens Auctorum numerus producitur, qui de variis Hederæ hujus Virtutibus diſerte & accurate egerunt; quibus ſuo merito adjungendus laudatus jam ſæpius GEOFFROY, *Mat. Med.* T. III. p. 543. ut & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 245.

HELIANTHEMI, Chamæciſti vulgaris, Helianthos, Hyſopi campeſtris, Conſolidæ aureæ Chirurgorum, *Helianthème, Herbe d'Or, Hyſope de Garriguer.* Sonnen-Gunzel, Heyden-Yſop. *Vires ſunt vulnerariæ, agunt vi aromatica, balſamica; ad demulcendum optime adhibetur hæc planta,* forma decocti, imprimis in Diarrhœis, Hæmorrhagiis & morbis faucium. Ita BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 355. plura vid. apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 547. & BOECLER. *Contin. Cynoſur. Mat. Med.* p. 540. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 465.

HEPATICAE fontanæ, Lichenis pætræi latifolii, *l'Hepatique d'eau,* Stein-Leber-Kraut, Brunnen-Leber-Kraut. Naſcitur in puteis, & locis, circa fontes, quos radii ſolis, vel rarius, vel nunquam attingunt. *Siccante adſtringente & abſtergente vi, prædita eſt.* Vid. ZORN. *Botanol.* p. 347. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 552. ſqq.

HERBA HEPATICAE nobilis, Epaticæ, Trifolii aurei, Trifolii hepatici, C. B. *l'Hepatique noble*, Leber-Kraut, Gülden-Klee. Progerminat in dumetis & ſilvis. *Continet in ſe virtutem vulnerariam atque ſubadſtringentem. Ad mictum cruentum hæmoptyſin, & Gonorrhœam inveteratam commendatur*, affirmante BOERHAAVIO, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 50. add. ZORN. *loc. cit.* p. 346. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 554. ſqq.

HEPATICAE ſtellatæ, vide Matriſylvæ.

HERNIARIAE, Millegranæ, Empetri, *la Turquette*, *l'Harniole*, Harn-Kraut, Bruch-Kraut. Naſcitur in locis aridis & arenoſis. *Subſalſam, acrem & ſtipticam vim patefacit. Ad renum & veſicæ adfectus, ac urinam movendam commendari ſolet. Pulvis, quem* HOLLERUS, *ex hac herba præparavit*, ac in Tractatu *de Morbis internis*, Cap. II. deſcripſit, ab inventore HOLLERIANA dicitur, magno encomio, quia Hernioſis profuit, tradente, poſt alios *Ill. Hallero*. Conf. huc GRUHLMANNI Specimen Med. de Hernia &c. Potentiſſimam autem calculum frangendi & expellendi virtutem, huic herbæ ineſſe ex *du Clou*, Cell. Med. Gall. Obſervavit, BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 562. & ex aliis, ZORN. *Bot.* p. 348. vid. & GESNER. *Epiſt. Med.* Lib. II. p. 74. ut & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 561. ſqq.

HISPIDULAE, vide Gnaphalii montani.

HORMINI, vide Gallitrichi.

HYOSCYAMI, Juſquiami, Fabæ ſuillæ, *la Juſquiame*, *la Hannebanne*, Bilſen-Kraut, Schlaaf-Kraut. Creſcit circa ſepimenta & muros hortorum. *Rariſſime ad uſum medicum admittitur. Vim anodynam & emollientem habet. Cataplaſma cum croco & lacte, ad ſuppreſſionem urinæ, ad diſcutiendum lac, & denique ad perniones celebratur. Uſus vero internus, ſummo jure, ſuſpectus habetur.* Non ſolum ſuſpectus, ſed plane noxius eſt, præſtantiſſimis fatentibus Medicis, magna copia productis, ab illo acerrimo venenorum patrono ac defenſore, *Melch.* FRICCIO, Tract. *de Virtute Venenorum medica*, Cap. XVI. qui tamen ibidem, haud minus celeberrimorum quoque Medicorum excitat agmen, qui uſum Hyoſcyami internum non ſolum ſecurum, ſed maxime ſalutarem eſſe cenſuerunt, quos ipſe ſecure & confidenter, ut ſolet, ſequitur *Friccius*. Latet tamen, latebitque ſemper, anguis in herba, & venenum nunquam non & ubique manebit venenum, licet & aurea, imo gemmea pyxide fuerit reconditum, & ſplendidiſſimis titulis & encomiis ornatum. Et quis obſecro, putet, illud quidem hominibus profuturum, quod vel ipſis ſordidis ſuibus præſentiſſimum eſt venenum? unde & ipſum plantæ mortiferæ nomen ut notum. Sed vid. quæ infra rurſus dicturi ſimus, ubi ad ipſum Hyoſcyami ſemen pervenerimus. Externe vero rite adhibita, tota hæc herba egregium præſtat uſum, in ſopiendis &

pacandis vel acerbiſſimis doloribus, ob miram, qua imprimis pollet, virtutem anodynam & paregoricam. Quorſum præſertim pertinet præſtantiſſimum Cataplaſma ex foliis Hyoſcyami oleo incoctis, & adjecta cera paratum, cujus jam ex parte, meminerunt *Dioſcorides*, *Aegineta*, & *Plinius*, conf. ZORN. p.355. quod paſſim eximie commendat *Dan.* LUDOVICI, *in Pharmacia* hodierno ſæculo applic. & ex eo, expertus, miris laudibus effert BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom.II. p.310. Ipſi tamen hi ambo Viri inſignes uſum Hyoſcyami internum, ceu vitæ & ſaluti peniciosiſſimum, merito damnant, & ab his letiferis fabis penitus abſtinere jubent. *Κυάμων ȣ μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑοσκυάμων μάλιςα δεῖ ἀπέχεσθαι.* ut infra rurſus monebimus. Conf. GEOFFROY, *Mat. Med.* T.III. Sect.II. p.603. ſqq. & KOENIG. *Regn. Vegetab.* p.71. item RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann.1699. Menſ. Jan. Obſ.19. p.55. ſqq. & plura apud ZORN. p.354. ſqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* p.571. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p.201. ſq.

HERBA HYPERICI, Perforatæ caule rotundo, *le Mille pertuis*, St. Johannes-Kraut. In dumetis & circa calles progerminat. Menſe Junio, cum floribus colligenda eſt. *Eximiam virtutem vulnerariam, diureticam, & anthelminticam habet.* Vid. imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom.III. Sect.II. pag.607. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt Plant.* Tom.I. pag.324. ſqq. & potiſſimum ZORN. *Botanol.* p.357. ſqq. quosque ibidem laudat Auctores. *Herbis antimagicis adnumeratur.* Plura de hac herba eximii in medicina, uſus, vid. apud WEDELIUM in Diſſert. ſingulari *de Hyperico*, & *Amœn. Mat. Med.* Lib.II. p.486. item in alia EUSELII, Diſſert. *de Hyperico*, ſeu *Fuga Dæmonum.* Sed miſer ſane atque inermis videtur omnino Dæmon, quem ſolum Hypericon in fugam conjiciat, aliis quippe, & longe valentioribus ac ſanctioribus armis fugandus & expellendus eſt, uti notum. Vide ſi placet, contra has aniles *Jo. Bapt. Portæ* & aliorum fabellas, pie, docte & acute diſſerentem *Simonem* PAULLI, *Quadripart. Botan.* Claſſ.III. pag.350. & *Thom.* BARTHOL. *Act. Med. Hafn.* Vol.I. Obſ.40. p.75. aliosque plures apud ZORNIUM, *loc. cit.*

HYSSOPI, Hyſopi officinarum, Spicatæ flore cœruleo, *l'Hiſope*, Iſop, Iſpen, Hyßop. Vid. ſi lubet, plura de Hyſſopo, in *annotat. noſtris*, ad *Hug.* GROTII *Chriſt. Patient. Tragœd.* pag 465. ſqq. item HILLERI *Hierophyt.* Part.II. cap.7. p.41. ſqq. & URSINI *Herbarium Sac.* Lib.II. cap.5. pag.126. ſqq & maxime *Olav.* CELSII *Hierobotan.* Part.I. pag.407. ſqq. ut & SALMAS. de *Homonym. Hyles Jatricæ*, Cap.XIX. p.18. ſqq. nec non *Jo. Bod.* a STAPEL, ad *Theophraſti* Lib. VI. Caput ult. p.726. ſqq. Colitur in hortis. *Vim balſamicam & inciſivam habet, multisque morbis conducit. Specifice ictericis, hydropicis, & calculoſis utilis eſt. Externe ad oculorum ſugillationes quoque commendatur.* De quibus, aliisque virtutibus, vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom III. Sect.II. p.613. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom.I. p.228. ſq. *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Bot.* p.351. ſq. ZORN. *Botanol.* p.360. & quos ibi laudat auctores plures; & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part.II. p.44. ſqq.

HERBA JACEAE tricoloris, Trinitatis, Violæ tricoloris hortenſis, *la Penſée*, Dreyfaltigkeit Kraut, Freyſam-Kraut. Colitur in hortis, & interdum ſponte naſcitur. *Vim demulcentem & refrigerantem habet. Inflammationibus internis, & aphthis potiſſimum, item herniis, ſuam opem confert. Succus vel Syrupus cum ipſo paratus infantibus epilepticis præcipue conducere cenſetur.* Vid. GEOFFROY, *loc. cit.* pag. 615. ſq. BOERHAAVE, *loc. cit.* Tom. I. p. 202. ZORN. *Botanol.* p. 361. & alios.

JACOBEÆ, Floris Sancti Jacobi, Senecionis majoris, *Jacobée Herbe de S. Jacques, Fleur de S. Jacques*, St. Jacobs-Blume, St. Jacobs-Kraut, groſſe Creutz-Blume. *Folia ſunt amara, aromatica, adſtringentia. Eſt planta vulneraria, emolliens, deterſiva, reſolvens; in Eryſipelate optime conducit*, inquit BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 150. *ſi nempe decoctum ejus pro potu adhibeatur*, monente TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſc.* p. 204. *Ad anginas, & tonſillarum inflammationes, in gargariſmate, commendat Camerarius, & in dyſenteria epidemica, Sim.* PAULLI, *Quadrip. Bot.* p. 352. uti plura, ut & apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 617. ſqq. & BOECLER, *Mat. Med. Continuat.* p. 444.

IVÆ Artheticæ, vide Chamæpytis.

JUNCI odorati, vide Schœnanthi.

JUNIPERI, Summitates juniperi, *Sommités de Génévrier*, Wachholder-Lympf, Wachholder-Sproſſen. *Tota juniperus balſamica eſt, antiſcorbutica, alexipharmaca, nec non diuretica.* Juniperi laudes ac virtutes medendi varias juſto volumine complexus eſt *Benjam.* SCHARFFIUS, de Ἀρκευθολογία, ſive *Juniperi Deſcriptione curioſa*, Jenæ, 1679. Add. WILLHELMI & KLEINII, ſingulares Diſſert. *de Junipero*, inferius rurſum laudandæ, & BÜCHNER. *Mat. Med.* p. 494. præſertim autem GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. Sect. II. p. 632. ſqq. ubi de omnibus laudatiſſimæ Juniperi partibus, earumque uſibus medicis variis eximiis, exactiſſime & diligentiſſime tractavit. Conf. RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1699. Menſ. Febr. Obſ. 7. p. 127. ſqq. & ante omnes ZORN. *Botanol.* p. 369. & quos ibi laudat auctores & laudatores plures, quibus add. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 205. ſq.

LACTUCÆ, ſativæ, *la Laituë*, Lattich, Lactuke. Notiſſima & gratiſſima culinis & menſis planta, quæ tamen & variis uſibus & virtutibus medicis pollet, diligenter adnotatis a GEOFFROY, Tom. III. pag. 642. ſqq. ZORNIO p. 375. ſqq. BOECLER. *ad Hermann.* pag. 411. ſqq. *Sim.* PAULLI, p. 356. & aliis jam omiſſis, a BOERHAAVIO, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 127. ſqq. qui tamen ſimul veterem *Plinii* & aliorum opinionem, novo ſingulari exemplo, quod in Anglia accidit, confirmat; quod nimius Lactucæ uſus fœcunditati noceat, ſemenque extinguat, negante licet GEOFFROY, *loc. cit.* p. 653.

HERBA LAMII, alba linea notati, Lamii C.B Lamii *Plinii*, mortui Columnæ, Galeopſidis maculatæ J.B. Milzadellæ vulgo. *Commendatur* a C. HOFFMANNO *ad ſcirrhum lienis, & ad alia vitia;* vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* T.I. pag. 224. BOECLER. *Cynoſ. Mat. Med. Cont.* pag. 415. ſqq. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 659. ſqq. ZORN. p. 733.

LAPPAE majoris, Bardanæ, Perſonatæ, *la grande Bardane,* groſſe Kletten-Blätter. *Rarius ad uſum medicum adhibetur, niſi interdum externe ad vitia cutis in decocto.*

LAVENDULAE anguſtifoliæ, fœminæ, *la Lavande,* Lavendel. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 684. ſqq. & ZORN.

LAVANDULAE latifoliæ, maris vulgaris, Pſeudonardi, quæ vulgo Spica, *la grande Lavande, le Spic,* Spick. Coluntur in hortis hæ ambæ Species, easdem vires poſſident. Earum *herba rarius in uſum vocatur; ſed flores frequentiſſime, vim namque nervinam & uterinam poſſident.*

LAURI, *ſive* folia Lauri, *les Feuilles du Laurier franc,* Lorbeer-Blätter. *Culinæ magis, quam arti machaoniæ, inſerviunt. Pro diuretico, & carminativo in infuſis propinari poſſunt.* Vid. AGNETHLERI, Diſſert. *de Lauro,* & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 698. ſq. & imprimis ZORN. p. 384. ſqq. ubi plura de Lauri virtutibus.

LAURO-CERASI, *ſive* folia Lauro-ceraſi. J.B. Ceraſi folio laurino, *les Feuilles du Laurier Ceriſe,* Kirſch-Lorbeer-Blätter, vulgo Mand l Blätter. Arbor in hortis colitur. *Folia lacti amygdalinum ſaporem conciliant, ſi in illo coquantur. Spiritum vini, ſi cum illis deſtillentur, impregnant ſapore grato, qui guſtum ferme nucleorum perſicorum imitatur. Interim heic loci ſilentio non eſt reponendum, quod horum foliorum abuſum, nonnulla jam funeſta ſymptomata, & repentinæ mortis exempla, ſubſequuta ſint.* Ejusmodi vero luctuoſa mortis repentinæ exempla, vel a modico uſu aquæ e lauro-ceraſi foliis paratæ, oborta, in binis miſeris fœminis ante hos 27. annos, nempe Anno 1728. primum vidit & exhorruit Hibernia. Inde fama tam ſubiti, atrocis ac funeſti caſus, confeſtim in magnam Britanniam perlata, protinus ibi excitavit ſolertiores Naturæ indagatores, ut cum ipſa hac aqua, plusquam ſtygia, e lauro-ceraſi foliis confecta, in canibus, aliisque beſtiis, experimenta, imo rectius pericula, inſtituerent; ex quibus, quum ſemper horrendum in modum, cum funeſta miſellorum iſtorum animalium ſtrage, ſuccederent, ſtupentibus cunctis, tum illico patuit, blandam illam amabilemque Lauro-ceraſi arbuſculum, hucusque in hortis ſolicite cultam, adſpectu jucundam, ſapore non ingratam hinc ad cibi potusque condimenta adhibitam, & tantum inter Remedia ſalutaria & roborantia, vel ab ipſo magno BOERHAAVIO, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 683. Conf. *Commerc. litter. Med. Nor.* An. 1733.

p. 201. heu fruſtra! relatam, perniciſſimo potius pernicioſiſſimoque juxta veneno eſſe fœtam, ad perdendos homines beſtiasque unice natam, atque hinc ubivis radicitus extirpandam, quin &, ſi fieri quidem poſſet, e ſolo terrarum penitus in æternum eliminandam. Varia igitur, ut ſibi nempe caverent in poſterum incauti hucusque homines, de diriſſimis hujus abominandæ arboris effectibus, ſcripta cum in Anglia potiſſimum, tum in Gallia quoque, imo & in Germania noſtra, & alibi, eo quidem tempore, prodierunt; ex quibus tamen legi præſertim merentur, ipſæ *Tranſactiones Anglicanæ*, Vol XXXVII. No. 418. n. VII. & N. 420. not. III. quarum ampliſſima excerpta habentur in *Commerc. litt. Med. Norimb.* Anno 1733. p. 118. ſqq. digna, quæ conferantur & expendantur, nunc cum illis, p. 388. ſqq. conf. du HAMEL, *Hiſt. Acad. Reg.* & ex eo COHAUSSEN. *Helmont. Ecſtat.* Sect. II. p. 191. item Ill. *Richard.* MEAD, ſummus noſter, dum viveret, fautor & amicus, in abſolutiſſimo *de Venenis* opere, Eſſay V. An Appendix of Laurel-Water, p. 275. ſqq. & alter denique candidiſſimus quondam amicus noſter ac Collega, *Abraham* VATERUS, in Diſſertatione lectu digniſſima, Anno 1737. edita, *de Lauro-Ceraſi indole venenata, Exemplis hominum & Brutorum ipſius aqua enectorum, confirmata*, in qua non ſolum integra lacrymoſæ illius Tragœdiæ Hibernicæ Hiſtoria exacte relata legitur, ſed & præterea, nova aliquot experimenta ab ipſo *Cel. Auctore* in canibus ac columbis inſtituta, diligenter & fideliter enarrantur; qualia & ipſi in canibus ac gallis, ſtupentes, olim vidimus. Hinc ob eminens periculum mortalibus inde imminens, merito exclamandum: *Frigidus, o pueri! fugite hinc! latet anguis in herba.* Imo inquam ego, verbo, non metro, mutato: *latet anguis in lauro.*

HERBA LEPIDII, latifolii, Piperitio, *Paſſerage*, Pfer-Kraut, Ingwer-Kraut, Senff-Kraut. *Solum quidem uſum culinarum agnoſcit & laudat in hac planta*, *Sim.* PAULLI, p. 372. *virtutes tamen medicas eximias, tam internas, quam externas, nempe ſtomachicas, orecticas, antiſcorbuticas, anthelminticas, diureticas, emmenagogas, antipodagricas, & Antarthriticas*, aliasque, potius in ea extollunt BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 418. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 710. ſqq. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 344. ETTMÜLLER. *ad Schrœder.* BOECLER. *Contin. Mat. Med. Hermann.* p. 416. aliique plures.

LICHENIS arborei, videatur Pulmonaria arborea.

LICHENIS terreſtris, cinerei, RAJI. Muſco-fungus terreſtris, latifolius cinereus hepaticæ facie. *Oxon.* Lichen foliis planis, ſubrotundis, lobatis, obtuſis, calice plano ovali, lacinula propria adnato. Niveus LINNAEI *Fl. Lapp.* *Celeberrimus* HALLERUS, in ſplendidiſſ. Opere, *Enum. Plant. Helvet.* refert, quod hæc herba in agris & paſcuis macellis progerminet, & terræ tenacius adhæreat. *Pulvis cum pipere commixtus, morſibus rabidorum canum opponi ſolet.* Vid. infra, Part. II. *Pulvis* antilyſſur. De hujus Lichenis mirabili figura, & magis mirabili contra diram hydrophobiam, virtute, vide vel maxime *Ill.* MEAD. heu noſter quondam amicus ſummus

Accout of Poiſons, Eſſay III. *of the Mad. Dog.* p. 165. ſqq. Dubitat tamen adhuc de laudata iſta hujus Muſci virtute anthydrophobica, alter noſter amicus ſummus, quem propitia fata quam diutiſſime ſervent ſuperſtitem. *Ill.* van SWIETEN, *Comment. in Aphoriſ. Boerhaave*, Tom. III. p. 588. Conf. CHARAS, *Pharmac. Reg.* Tom. I. p. 210. & LOESEKE, *Mat. Med* p. 199. & *Celeb.* HALLERI, Orat. *de Botan. utilit.* p. 162. Opuſcul. Botan. Jam vero Ann. 1671. hujus Lichenis terreſt. virtus antilyſſus publice laudata fuit in *Tranſact. Anglic.*

HERBA LIGUSTRI, Phylirea *lè Troeſne*, Hartriegel, Beinholz, Rhein-Weiden, Mund-Weiden, Mund-Holz. Frutex eſt ſatis ubique notus, in ſilvis quippe, vepretis & ſepibus frequenter obvius, & propter lenta & flexibilia vimina, ſurculosque denſos, & folia hilare virentia, ad topiarias ſcenas ſcite formandas, ab hortulanis ſæpius in uſum deductus. *Folia tamen ipſius, flores & fructus uſibus etiam medicis inſerviunt, licet plerumque externis. Conducunt nempe, ut fertur, ad inflammationes, putredines, exulcerationes oris & faucium, ad procidentiam & tumorem uvulæ, laxitatem gingivarum ſcorbuticam, aphthas, ſtomacacem, odontalgiam, cancrum, & fœda quoque pudendorum ulcera.* De quibus virtutibus variis, neſcio an veris ſemper, plura vid. apud *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* pag 113. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 721. BOECLER. *Cynoſ. Mat. Med. Herman. contin*, p. 326. 544. & 620. ZORNII *Botanol.* p. 396. GABELCHOVER. *Obſ. Med* VII. Cent. V. ETTMULLER. *ad Schrœder.* & plures alios; quibus add. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 110. *ergo immerito virgilius*: alba liguſtra cadunt commune.

LINARIAE vulgaris flore luteo, Oſyridis, *la Linaire*, Lein-Kraut, Harn-Kraut, Stall-Kraut. *Vim diureticam habet; Unguentum ex hac herba paratum, dolores hæmorrhoidum mitigat.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 732. HARTMANNI, *Prax. Chym.* pag. 203. VERZASCHAE, *Obſ.* 31. p. 82. & inferius Part. II. dicenda, ad *unguentum delinaria.* Conf. ZORN. pag. 400. & HEUCHER. Tom. II. *Opp.* p. 911. ſqq. præſertim TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 24. ſq.

LINI cathartici, lini caule dichotomo, foliis ovatis lanceolatis, Lini pratenſis foliis exiguis C. B. *le Lin purgatif*, Purgir-Flachs, klein Lein-Kraut. Nomen *a vi Cathartica, quam poſſidet*, ſortita eſt. Creſcit in montoſis paſcuis, & floret Menſe Julio & Auguſto. *Humores ſeroſos ſat potenter, ſed absque moleſtia educit. Caulis, folia & capitula probe exſiccata, atque in pulverem contrita, vel cum cremore Tartari, vel vino ſuperfuſo, exhibentur. Doſis eſt, ſi in ſubſtantia porrigatur, drachma dimidia, ad ſcrupulos duos; ſed uncia dimidia, ſi hæc planta ſiccata in infuſo quopiam propinetur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 741. ſq.

LUNARIAE racemoſæ minoris, Rutæ lunariæ, Lunariæ Botrytis, *la Lunaire*, Mond-Rauten, Mond-Kraut. Eſt ſpecies *Oſmundæ*, & *a* TOURNEFORTIO, *Inſt. Rei Herbar.* & *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 512. exertis verbis, *Oſmunda*

-foliis

foliis lunatis, dicitur. Naſcitur in floriferis montibus, ac clivis virentibus. *Adſtringentem ſaporem prodit; vim refrigerantem & ſiccantem exerit; herbis vulnerariis adſociatur; nec non inter magicas vel hortis montibusque ridicula numina naſcuntur, ſtolide vel ſuperſtitioſe, referri ſolet.* De quibus vanis ſuperſtitionibus plura vid. apud *Wierum*, *Geſnerum*, *Kircherum*, Fallopium & alios, laudatos ZORNIO, p. 407. Etiam ſic dicti Alchymiſtæ, qui bonum ſuum aurum & argentum ſtolide dilapidant, pro malo & imaginario Lapide, neſcio, quos aureos & argenteos montes ex hac ipſa Lunaria ſibi pollicentur. Quum tamen ipſum illius nomen illos jure admonere deberet mutabilis inconſtantiæ, fraudulentæ fallaciæ & frigidi denique influxus. Igitur nec Luna, nec Lunaria quidquam conferent unquam ad conficiendum aurum, Ceterum vero nullas plane vires medicas Lunariæ tribuit BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 411. licet in contraria opinione fuerint *Geſner.*, *Solenander*, *Zobelius*, *Carrichter*, & alii, laudati ZORNIO, *loc. cit.* & BOECLER, in *Cynoſur. Mat. Med. Herm.* Continuat. II. p. 440.

HERBA LUPULI Salictarii, vide Flores Lupuli.

LYSIMACHIAE luteæ, Lyſimachiæ luteæ majoris vulgaris, *la Corneille*, Weiderich, gelber Weiderich. In ſilvis, & aliis locis uvidis, circa rivulos creſcit. *Vulneraria cenſetur, ſed rariſſime ad uſum medicum accedit.* Dioſcorides quidem multas virtutes medicas tribuit Lyſimachiæ, Lib. IV. Cap. 3. ſed quæ Lyſimachiæ noſtræ vulgari haud ſatis bene convenire videntur, recte ſic judicante BOERHAAVIO, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 284. conf. *Bod.* a STAPEL, *ad Theophraſt.* p. 698. ſqq. licet in alia opinione verſetur *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Bod.* p. 445. conf. ZORN. p. 409.

MAJORANAE, Majoranæ æſtivæ, Amaraci, Sampſuchi. De quibus nominibus vid. SALMAS. de *Hyl. Jatr.* Cap. 13. p. 10. ſqq. *la Marjolaine*, Majoran, Maſeran. Colitur in hortis. *Virtutem balſamicam, cephalicam, uterinam, errhinam, & aromaticam exerit; hinc medicis & coquis grata.* De inſignibus laudatiſſimæ hujus herbæ virtutibus, vid. *Georg.* GRAVII, *Panacea vegetabilis calida*, ſeu *Majorana noſtra*. Conf. imprimis BOERHAAVII, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 253. item in *Element. Chemic.* ubi oleum Majoranæ imprimis magnopere laudat. Conf. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 12. pag. 88. præſertim ZORN. p. 410. ſqq. vid. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 765. ubi plura de majoribus Majoranæ virtutibus. Solo vero Majoranæ ſucco, cujusdam Surdaſtri auribus inſtillato, poſt alia omnia Remedia incaſſum adhibita, amiſſum auditum reſtitutum fuiſſe, ab *Oſwaldo Grembſio*, ex eodem refert VERZASCHA, *Obſ. Med.* 91. pag. 256. Aquam vero Majoranæ vermes e naribus fœminæ acerbiſſimo capitis dolore vexatæ provocaſſe, meminit RIEDLINUS, *Lin. Med.* An. 1697. Menſ. Octob. Obſ. 19. pag. 707. Conf. *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Bot.* pag. 381. & GEOFFROY, *loc. cit.* p. 764.

Herba Malvae vulgaris, pumilæ, ſilveſtris folio rotundo, flore minore, *la Mauve*, Pappeln, Käß Pappeln, Haſen-Pappeln. Naſcitur circa ſepimenta in locis incultis. *Herbis emollientibus adſociatur, imprimis magnus ejus uſus, in pectoris ægritudinibus, & affectibus urinariis, veluti ſtranguria, dyſuria & iſchuria, teſtibus Amato* Lusitano, *Caut.* 6. Curat. 58. & Hoechstettero, *Obſ. Med.* 2. Dec. VI. Schol. p. 685. & Chomelio, *in Plantar. uſual. Hiſtoria*, referente Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 770. ubi plura in laudem Malvæ. Conf. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 348. & maxime Zorn. p. 417. ſqq. *Veteres illam in uſum culinarium adhibuerunt, uti ex* Hesiodo, Horatio, Cicerone, Martiali, Althenaeo, aliisque priſcis auctoribus, patet, quorum loca hanc in rem, olim produximus, Lib. IV. *Obſervat. Crit.* cap. 13. p. 382. 383. Conf. & Geoffroy, *loc. cit.* p. 769.

Marrubii albi, Praſſii, *le Marrube blanc*, Weiſſer Andorn. Colitur in hortis, & nonnunquam etiam circa collapſorum murorum rudera ſponte naſcitur. Colligatur Menſe Junio. *Virtutem calefacientem, ſiccantem, uterinam & pectoralem, exerit, nec non hydropicis atque nephriticis conducere creditur.* Vid. de hoc *Marrubio albo*, ejusque Natura & effectibus, ſingularis Cl. Cartheuseri Diſſertatio, habita Francof. ad Viadr. 1753. Sect. I. Altera enim Sectio de Alchimilla, tractat, ut ſupra obſervatum, ad hanc plantam. Ceterum miras Marrubii virtutes, contra Hepatis obſtructiones, quin & Scirrhos ipſos, icterum, cachexiam, hydropem, chloroſin, aſtma, phthiſin ipſam, febrem quartanam, item hecticam, partum difficilem, menſes ſuppreſſos, ſcorbutum, aliaque mala pertinaciora & curatu alias difficiliora, ex *Borello, Paulli, Foreſto, Zacut Luſitano, Freitagio, Hartmanno, Chomelio*, aliisque auctoribus, enarrat fuſe Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 816. ſqq. item Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 223. imprimis Zorn. p. 422. & Loeseke, *Mat. Med.* p. 400. ſq. nec non Tournefort. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 116.

Marrubii nigri, Ballote dicti, nigri fœtidi, *le Marrube noir*, Schwarzer Andorn. Naſcitur ſponte circa hortorum ſepimenta. *Hypochondriacis, arthriticis, & hyſtericis affectibus commendari ſolet* a Rajo, Tournefortio, *loc. cit.* p. 248. e aliis, teſte Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 820.

Mari veri Syriaci, Maſtichinæ, *le Marum*, Amber-Kraut, Maſtich-Kraut. Eſt ſpecies *Thymbræ*, & a Tournefortio *Thymbra Hiſpanica, Majoranæ folio*, vocatur. Colitur in hortis. *Virtutem eximiam Balſamicam, cephalicam, ptarmicam, diureticam, & carminativam, poſſidet. Aſſervetur in vitris obturaculo munitis.* De hac laudatiſſima & ingentis ſpiritus virtutisque medicæ pleniſſima planta, vid. ſingularis Wedelii Diſſert. *de Maro*, add. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 262. item Mindererus, *in Aloedario Marocoſtino*, Cap. 2. Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 823. ſqq. & Cartheuser. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 14. pag. 105. ſqq. ut & Zorn. pag. 423. & Loeseke, *Mat. Med.* p. 201. &

HOFFMANNI *Obſ. Phyſic. Chymic.* 4. Lib. I. p. 19. ubi præſertim præſtantiſſimo *Mari veri* oleo tractat.

HERBA MATRICARIAE, Artemiſiæ tenuifoliæ, Parthenii minoris, *la Matricaire,* Mutter-Kraut, Metterich. Colitur in hortis. Herba & flores ſimul colligantur & ad uſum adhibeantur. *Ad morbos uteri frigidos, vermes necandas, lochia evocanda, flatulentiam atque renum calculos commendatur. Adhibetur interne, ad infuſa, & clyſteria; & externe, ad lac diſcutiendum, mammis imponi ſolet.* Vid. plura de meritis Matricariæ laudibus in GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 826. CARTHEUSERI, *Fundam. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 13. pag. 100. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 402. *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 390. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 165. ſqq. ZORN. p. 424. Præſertim autem *Matricariam* eximium plane eſſe Remedium anthydropicum, obſervavit SPINDLERUS, *Obſ. Med.* 51. p. 94. ſqq. ibidem in adjecto Scholio. Eandem quoque contuſam in ſartagine calefactam, & tum capiti admotam, ad Hemicraniam mitigandam, plurimum valere, adnotavit CHESNEAU, *in Ord. Remed. Alphabet.* p. 541. qui tamen ipſe folia potius Ranunculi contuſa & loco dolenti applicata, illi longiſſime præfert. Lib. I. *Obſervat. Med.* Cap. I. p. 11. ſqq. item p. 14. 15. & paſſim in ſequentibus. Quod tamen neſcio, an ſemper ex voto ſuccedat, propter vim nempe cauſticam & eſchareticam Ranunculi, omnibus notiſſimam. Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 52. ſqq. ZORN. *Botanol.* p. 557. ſq. & alios. Sed hæc obiter.

MATRISILVAE, Hepaticæ ſtellatæ, Aſperulæ, Aſpergulæ Stellariæ, Aparine latifolia humilior montana RAJ. ut & TOURNEFORT. *Mouget de bois,* Waldmeiſter, Sternleberkraut, Herzfreud. Creſcit in ſilvis, & colligenda eſt Menſe Majo. *Hepati dicata eſt, & vulneraria pollet virtute.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 140. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 212. & maxime ZORN. p. 425.

MELILOTI, Meliloti vulgares, Trifolii Odorati, *le Melilot,* Steinklee, Honigklee. Inter ſegetes & in marginibus agrorum naſcitur. Herba cum floribus, qui vel albi ſunt, vel lutei, colligatur. *Vim emollientem, & dolores mitigantem exerit; hinc admiſcetur emplaſtro cuidam emollienti, quod ab hac herba, Meliloti, vocatur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 833. ſqq. & ZORN. p. 428. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 118.

MELILOTI cœruleæ, odoratæ, Loti hortenſis odoreæ, *le baumier, le Melilot bleu, le Lotier odorant, le Trefle muſqué, ou le Faux Baume du Pérou,* Siebengezeit, Zahmer Blauer Steinklee. Colitur in hortis. *Virtute alexipharmaca, anodyna, diuretica & vulneraria pollet. Helvetici hanc melilotum cœruleam, caſeis intermiſcent, quos hac intermixtione virides reddunt, & ſuo idiomate* Schaabzieger, *nuncupant.* Vid. CAMERAR. *Hort. Med.* p. 91. *Hujus plantæ flores cærulei, ſi cum*

herba ruta hortenſis, in butyro coquantur, eximium exhibent unguentum ophthalmicum. Vid. GEOFFROY, *loc. cit.* p. 747. ſqq. & ZORN. p. 405.

HERBA MELISSAE hortenſis, Citratae, Citronellae, Meliſſophylli, Meliphylli, Citraginis, Cedronellae, Apiaſtri, *la Meliſſe, la Citronelle*, Meliſſen, Mutter-Kraut, Citronen-Meliſſen, Bienen-Kraut. Colitur in hortis. *Vires ſtomachicas, carminativas, nervinas atque uterinas poſſidet. De laudatiſſimae Meliſſae virtutibus uſibusque in medendo variis,* elegans doctaque *Cl.* SCHULZII extat Diſſertatio. Conf. & potiſſim BOERHAAVE, *Element. Chem.* Tom. I. Part. I. Proc. 16. p. 67. & in *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 237. ſqq. item CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 10. p. 73. ſqq. praecipue autem ZORN. p. 429. ſqq. ubi plura in meritas laudes laudatiſſimae Meliſſae.

MELISSAE Turcicae, Peregrinae folio oblongo, Citraginis Turcicae, *la Meliſſe Turque*, Türkiſche fremde Meliſſen. Colitur in hortis. *Antecedenti, viribus par eſt.* Vid. GESNERI *Epiſt. Med.* Lib. III. p. 87. & ZORN. *loc. cit.*

MELISSOPHYLLI *Fuchſii*, Lamii montani Meliſſae folio, Meliſſae humilis latifoliae, maximo flore TOURNEFORT. *la Meliſſe ſauvage*, Wald-Meliſſen. Sponte progerminat in ſilvis montoſis, & Menſe Majo & Junio colligenda eſt. *Ad renum & veſicae adfectus mirum in modum commendatur, & in retentione urinae, quae non a calculo originem ducit, fauſte adhiberi ſolet.*

MENTHAE criſpae, ſativae, rotundifoliae, criſpae, ſpicatae, cruciatae, *Menthe crepue des Jardins, Beaume*, Krauſſe-Müntz, Kreutz-Müntz. Colitur in hortis, & Menſe Junio ac Julio colligenda eſt. *Virtutem balſamicam, ſtomachicam, uterinam, & carminativam, exerit, Lac coagulatum reſolvere dicitur, mammis applicata.* De natura & viribus *Menthae*, ſeorſim data opera egit *Jo.* BEVEROVICIUS, cum aliis Viris doctis *in* iſta *Epiſtolicarum Quaeſtionum Sylloge* commemoratis. Conf. BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. I. Proceſſ. 16. p. 67. & CARTHEUSER. *Fundament. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 13. p. 97. ſqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 365. praeſertim ZORN. p. 433. & quos ingenti copia laudat Auctores.

MERCURIALIS, annuae, glabrae, vulgaris, *la Mercuriale*, Bengel-Kraut, Hunds-Kohl. Colitur in hortis, & ſponte naſcitur in vinetis & aliis locis. *Alvum ſollicitat & Herbis quinque emollientibus adnumeratur, quia vim emollientem habet.* Sed quidvi purgans iſtud in hanc claſſem referratur, cum gratiola huic etiam adſcribatur? forte & in poſterum locum luena ſibi *vindicabunt nicotiana, colocynthis, aloes, Tartarus emeticus &c. quae omnia ſub forma clyſterum praeſcribuntur.*

MILLEFOLII, Achilleae vulgaris, albi, Stratiotes, Chiliophylli, Myriophylli, Melophylli, *la Mille feuille*, Garben-Kraut, Schaaf-Garben, Tau-

ſend-Blatt. Sponte progerminat circa calles, & margines agrorum. Floret æſtate, & floreſcens colligenda eſt. *Fluxibus ſanguinis compeſcendis, ac hæmorrhoidalibus adfectibus conducit, & ſummo merito tonicis adnumeranda eſt, teſtibus* RIVERIO, BOERHAAVIO, STAHLIO, & aliis mox laudandis. *Huic quoque vis alexipharmaca, vulneraria, & lithontriptica adſeritur. Infuſum, loco Theæ, non ingratum eſt, & Phthiſicis bibendum commendatur. Millefolium, deſtillatum, oleum cæruleum, ad inſtar Chamomillæ, exhibet.* De ſalutari hac herba egit imprimis STAHLIUS, *Mat. Med.* P. II. 229. pag. 143. & Apend. *de Specif.* cap. I. pag. 318. ubi & ad *Riverium* & Arnoldum *Villanov.* ſimul provocat, item HENNINGERUS, in Diſſertatione, *de Millefolio*, item & *Georg. Jac.* LANGIUS, qui ante utroſque Diſſert. *de Millefolio*, ediderat. Conf. laudati CARTHEUSERI, *Fundam. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 16. pag. 118. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 169. HALLER. Orat. *de Botanic. utilit.* p. 163. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 434. ſqq. TOURNEFORT. *Hiſtor. Plant. Pariſ.* p. 119. & maxime ZORN. *Botanol.* p. 442. ſq.

HERBA MILLEGRANAE, vide Herniariæ.

MORSUS Diaboli, Succiſæ, *le Mors du diable*, Abbiß, Teufels-Abbiß. Naſcitur in pratis. *Cum ſcabioſa coincidit, & vim vulnerariam habet. Herba raro adhibetur; ſed radix frequentius in uſum vocatur.* In gargariſmis tamen adverſus diuturnos faucium ac tonſillarum tumores, anginam, & maligna palati ulcera venerea, ipſam herbam, mire commendant, *Dodonæus*, *Camerarius*, & ipſe uſum expertus *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan* p. 402. Conf. ZORN. p. 444.

MORSUS Gallinæ, vide Alſine.

MYRTI, folia Myrti, Bæticæ ſilveſtris, & ſativæ, communis Italicæ, *le Myrte*, Myrthen-Blätter. Myrtus apud nos in hortis colitur; ſed in calidioribus terræ plagis, ſponte naſcitur. *Folia, quæ vim adſtringentem habent, etiam ſcorbuticorum* gingivas relaxatas ſanant, ſive maſticatione, ſive in infuſo adhibeantur.

NASTURTII aquatici, ſupini, Siſymbrii aquatici, Siſymbrii Cardamines, *Creſſon d'eau, ou de fontaine*, Brunnen-Kreſſe, Weiſſe Kreſſe. Creſcit in rivulis fontanis, & aliis locis aquoſis. *Vim incidentem, aperientem, & reſolventem, poſſidet. Herba recens in juſculis medicatis, & ſuccus expreſſus, ſpeciatim in ſcorbuto præſcribuntur.* Vid. huc imprimis *Theo.* ZWINGERI *Examen Plantarum Naſturcinarum*, & de harum ſtructura, viribus & uſibus in vita humana ſalubribus. Potentiſſime autem Naſturtium urinam atque Calculum pellere, ſingulari exemplo probatur, in *Thom.* BARTHOLINI *Epiſt. Med.* 5. Cent. IV. p. 21. vires vero ipſius primarias antiſcorbuticas laudat præſertim *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 409. FORESTUS, *Obſ. XI.* Lib. XX. p. 383. ſqq. & DODONAEUS, *Obſ. Med.* 33. p. 83. Alias autem illis adhuc addit BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 415. ſqq. & STAHL. *Mat. Med.* Part. II. 141. p. 108. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 231. vid. &

maxime Riedlini, *Lin. Med.* An. 1695. Menſ. Decembr. Obſ. 23. p. 450. ſqq. Sed omnium exactiſſime Zorn. *Botanol. Med.* p. 462. ſqq. ubi & plures ejus virtutes, & plures illarum laudatores diligentiſſime enarrantur.

Herba Nepetae, Menthæ cattariæ, *l'Herbe aux Chat, la Cataire,* Kazen-Müntz. In locis incultis, & circa agrorum margines ſponte progerminat. *In infuſo, ictericis, nephriticis, aſthmaticis, & tuſſientibus ſolet præſcribi.*

Nicotianae, majoris, Peti, Tabaci, Hyoſcyami Peruviani, *le Tabac, la racotiane, l'herbe à la Reine,* Taback. A *Johanne* Nicotio, Regis Galliæ oratore, nomen ſortita eſt. Is, nempe *Nicotius*, cum Ulyſſiponæ, juſſu Regis ſui, legatum ageret, ſemen hujus herbæ, a Belga quapiam ex Inſula Florida allatum, ſibi comparavit, & primus in Galliam transmiſit, circa Annum 1558. aut 1559. Vid. *Caſp.* Hoffmanni, Lib. II. *de Med. Officin.* Cap. CXI. p. 260. ubi plura. Colitur in agris & hortis. *Vires poſſidet abſtergentes, incidentes, reſolventes, anodynas, vulnerarias, vomitorias, ſternutatorias, & necat tetros pediculos,* teſte Riedlino, *Lin. Med.* An. 1695. Menſ. April. Obſ. 8. p. 100. *In affectibus ſoporoſis, clyſteribus intermiſcetur, imo ſolus ipſius fumus, fiſtulæ ope, gutturi inferiori immiſſus, valentiſſimi Clyſmatis vicem præſtat,* ut Stisserus oſtendit, peculiari Epiſtola, *de Machinis fumiductoriis curioſis,* imprimis autem Valentini, in Polychreſtorum Exoticorum Diſſert. *de Clyſtere Tabacino,* p. 72. ſqq. Vid. imprimis Zorn. p. 662.

Nicotianæ folia, quæ lutei coloris, & probe exſiccata ſunt, ſeligantur, ut in uſus medicos adhibeantur. Tabacum vero, quod jam jam præparatum atque contortum eſt, rejiciatur, & ab omni uſu medico longiſſime avocetur.

Herba hæc ubique notiſſima, uſitatiſſima ac laudatiſſima, cui per univerſum ferme terrarum orbem, tot aræ atque altaria, ac parva quaſi thuribula fumant, ut eorum nullus plane numerus inire poſſit, planta inquam illa ſalutaris juxta ac voluptaria, ſocialis, & ſolitaria, doctorum, indoctorum, viatorum, nautarum, militum, artificum, opificum, divitum, pauperum, ſuperiorum, inferiorum, mediorum, ſenum, virorum, juvenum, verbo, omnis conditionis, dignitatis & fere ætatis hominum, unicum votum, ſolamen ac levamen, eſurientium ἄλιμον, & ſitientium ἄδιψον, egenorum & afflictorum panacea, & ægrotorum Nepenthes, hoc nimirum vulgoſis dictum Tabacum, propter inſignes plane ac multiplices virtutes & voluptates, innumeros pæne ſui præcones & laudatores digniſſime invenit, quos diligentiſſime, pro more, laudat Zornius, p. 656. ſqq. ubi & de infinitis pæne virtutibus Herbæ laudatiſſimæ, copioſiſſime agit; ut & Auctor *Contin. Mat. Med.* Geoffroy, Tom. I. p. 175. ex quibus Auctoribus potiſſimum eminet *Jo.* Neander, *in Tabacologia,* qualem & ſcripſit Altstedius, item *Aegid.* Everartus, in Comment. *de herba panacea, Tabaco,* nec non Magnenus, Mundius, Baumannus, Tappius, Ettmüllerus, Carr, Friderici, Albinus, Thebesius, Monardus, Clusius, Piso, Bontekoe, Schroederus, Zwelfferus, Paschius, Hermannus, Kerckringius, Boerhaavius, Cartheu-

SERUS, JUNCKERUS, KESTNERUS, LUDOLFF, DORSTENIUS, STAHLIUS, BÜCHNERUS, & alii, qui Diſſertationes *de Tabaci uſu & abuſu*, ediderunt, quo & pertinent *Zacut. Luſitanus*, *Laz. Riverius*, *Hannemannus*, *Dolæus*, *Waldſchmidt*, *Ludovici*, *Hoffmannus*, *Mayerne*, *Valentini*, *Screta*, imprimis THONNERUS, *Obſ. Med.* 5. Lib. II. p. 103. ſqq. *& Epiſt.* XV. Lib. VI. p. 316. ſqq. & MEIBOM. *de Cereviſ.* cap. 24. & alii plures, quos laudat &, rectius hic, quam alibi, ſequitur FRICCIUS, in Tract. *de Virtute Venenorum Med.* Cap. XIII. p. 253. ſqq. illis add. KAEMPFERI *Amœnit. Exot.* Faſcicul. III. Obſ. XV. p. 640. ſqq. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 324. ſqq. item *Contin. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. I. p. 164. ſqq. quibus denique accedant Poëtæ, *Caſtor; Duranus*, *Raph. Thorius*, & *Petr.* SCRIVERIUS, & alii, omnes *φιλόκαπνοι* potius; quam *μισόκαπνοι*, (Secus, ac notus ille Rex, qui Tabaco infenſus & feſtus, *Miſocapnon* ſcripſit, quum melius quid ſuaque perſona dignius, potuiſſet, ac debuiſſet,) quos maximam partem jam olim laudavimus, Tom III. *Poëmat. noſtr.* p. 125. ſqq. in Notis ad *Poema* noſtrum *encomiaſticum de mirandis virtutibus*, *& meritis laudibus herbæ Nicotianæ*, ſeu *Tabaci*, nunquam ſatis laudandi.

HERBA NUMULARIAE, Centummorbiæ, Lyſimachia humifuſa, folio rotundiore, flore luteo, *la Nummulaire*, *l'herbe aux écus*, Pfenning⸗Kraut, Eyl⸗Kraut, Schlangen⸗Kraut. Naſcitur in locis uvidis & herboſis, & colligenda eſt Menſe Majo. *Vulneraria*, *antiſcorbutica*, *& antiphthiſiaca virtute predita eſt*, quod poſtremum negat tamen STAHL. *Mat. Med.* Part. II. pag. 131. quin potius inde oves phthiſicas fieri, ibidem aſſerit. Multas vero præclaras virtutes ipſi tribuit BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom I. p. 285. præſertim vero laudatus ſæpe ZORN. *Botanol.* p. 475. Inde enim magnificum Centimorbiæ nomen ipſi impoſitum, quaſi centum morbos curet; quam bene ac recte, ipſi riderint Auctores. Ceterum in pratis præſertim humidis, ubique largiſſimus Nummulariæ, apud nos, eſt proventus; tanto parcior vero pro dolor! Ipſorum Nummorum, quorum quippe loco, infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ. Sed hæc ſævo, ut ita dicam, cum joco.

OCYMI, vide Baſilici.

OPHIOGLOSSI, Echiogloſſi, Linguæ ſerpentariæ, *la Langue de Serpent*, *ou l'herbe ſans couture*, Natter⸗Zünglein. Creſcit in pratis & paſcuis udis, montoſis. *Eximiam virtutem vulnerariam exerit*, *ſive interne*, *ſive externe adhibeatur*. RAJUS *hanc herbam*, *ad ramices commendat*, *aut in pulvere*, *aut in decocto uſurpandam*. *Oleum*, *ex illa*, *per infuſionem paratum*, *magnopere laudari ſolet*, *ad vulnera recentia*, *ad ulcera inveterata*, *nec non ad ramices*, *præſertim ſi cum Terebinthina miſceatur*. PARCKINSON & CAESALPIN. *Dicitur & dæmones ſagasque fugare*, *veneficia arcere*, *& alia miranda præſtare*; quas tamen aniles fabellas merito ridet BOERHAAVIUS, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 45. qui tamen certiores ipſius virtutes laudat; ut & *in Contin. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. I. p. 252. ſqq & ZORN. p. 484.

HERBA ORIGANI Cretici, *l'Origan de Crete*, Cretiſche Doſten, Cretiſcher Wohlgemuth. In Inſula Creta naſcitur, unde & nomen habet. Vid. TOURNEFORT. *Itinerar.* Tom. I. Epiſt. 6. p. 285. ſqq. & MEURS. *in Creta*, Cap. XI. ſed parcus. Eligantur recentes ſpicæ & fragrantes. *Virtute aperiente, reſolvente, nec non urinam & menſtrua propellente, eſt prædita.*

ORIGANI vulgaris, ſilveſtris, Agriorigani, Majorana ſilveſtris, Onitidis majoris, Cunilæ bubulæ PLINII de qua vid. SALMAS. *Exerc. Plin.* p. 903. ſqq. item *in Hyle Jatrica. l'Origan, la marjolaine ſauvage*, Gemeiner Wohlgemuth, Doſten, Frauen-Doſten. Naſcitur in dumetis apricis. *Vim abſtergentem & aperientem abſolvit; ad pulmonum, hepatis & uteri adfectus, nec non & ad lac augendum, commendari ſolet. Sacculus hac herba oppletus, ac cereviſia bene lupulata & calefacta* immerſus, ad propellendam *urinam, non ſine ſucceſſu, imponitur pectini.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 255. *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. I. Sect. II. pag 275. ſqq & *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* pag. 414. & ZORN. pag. 485.

PARIETARIAE, majoris, vulgaris, Helxines, Vitriariæ, Parthenii, Perdicii, Vitriolæ, Urceolaris, Plyonymi, de quibus variis nominibus vid. SALMAS. *de Homonym. Hyl. Jat.* Cap. 13. p. 10. ſq. *la Parietaire*, Tag- und Nacht-Kraut, St. Peters-Kraut, Nacht-Kraut. Colitur apud nos in hortis. *Refrigerat, abſtergit, & in numerum quinque emollientium herbarum, collocata eſt. Succus expreſſus, vel infuſum ſaturatum, nephriticis & hæmoptoicis commendari meretur.* Vid. *Contin. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. I. Sect. II. pag. 328. ſqq. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 550. ſqq. ubi perquam curioſa Hiſtoria ex *Act. Philoſ. Anglicanis* relata legitur de Canicula nephritica, quæ in remedium calculorum quibus angebatur, frequentius veſcebatur parietaria, de quo vid. & VINK, in *Amœnitat. Philolog. Med.* Cap. II. p. 47. plura vero de virtutibus parietariæ, ex variis Auctoribus diligenter collegit ZORN. p. 503. Vid. & BRUNERI, *Conſil. Med.* 64. p. 359. ubi de inſigni uſu antinephritico parietariæ, etiam exterius, cum ol. violarum & chamæmelino, lumbis & veſicæ regioni applicatæ, teſtimonium perhibetur; de uſu autem ejusdem interno, vid. ibid. p. 361.

PARTHENII, vide Matricariæ.

PENTAPHYLLI, lutei, Quinquefolii, *la Quinte-feuille*, Fünff-Finger-Kraut. Naſcitur in locis campeſtribus arenoſis. *Herbis adſtringentibus*, & vulnerariis, adſociatur.

PERFOLIATAE, Perfoliatæ vulgaris, annuæ arvenſis, *la Perce-Feville*, Durchwachs. Colitur in hortis, & interdum inter ſata ſponte progerminat. *Adſtringentem & roborantem indolem habet. Intermiſcetur vulnerariis decoctis; & hernioſis quoque præſcribitur.*

HERBA

HERBA PERFORATAE, vide Hyperici.

PERSICARIA, Pulicaria, Herba Pavonis, Pavonaria, Potomogeton, Crataeogonon, Molybdæna, Plumbago, Britannica, Sanguis Chriſti, *la Perſicaire*, Pferſig-Kraut, Flöh-Kraut, Pfauen-Spiegel, Mücken-Kraut, Blut-Kraut, Rottich-Raſſel. Multæ variæque Perſicariæ ſpecies Botanicis notæ ſunt, ex quibus undecim recenſet Botanicorum princeps *Herm.* BOERHAAVE, *in Ind. Plant. Hort. Acad. Leidenſ.* Part. II. p. 87. Conf. & ejusdem *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 543. ut alios plures Herbarios taceam, magna copia laudatos, in *comerc. litt. Med. Norimb.* Ann. 1737. pag. 396. ſqq. ubi exactiſſime de his variis perſicariæ ſpeciebus tractatur. Ex his vero cunctis, binæ potiſſimum in uſum medicum & pharmaceuticum cedere conſueverunt, nempe perſicaria *mitis*, vulgo la Perſicaire, & *acris*, ſive urens & mordax, quæ & Hydropiper, ſeu piper aquaticum, item piperitis, aut Zinziber caninum, *le Curaue*, *ou le Poivre d'eau*, Fluß-Pfeffer, Waſſer-Pfeffer, Brennend-Fluß-Kraut, Brennender Rottich, vocari vulgo ſolet; de quarum differentia & diverſis ſingularibus in medendo uſibus, vid. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* pag. 219. ſqq. & *Inſtit. Rei Herbar.* item *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. p. 354. HERMANN. *Cynoſ. Mat. Med.* p. 523. ſqq. præſertim ZORN. in *Botanol.* p. 509. ſqq. & quos ibi laudat Auctores plures, quibus adde alios, diligentiſſime allegatos, in *Commercio litt. Med. Nor.* loc. cit. p. 409. ſqq. ubi plura. His vero binis perſicariæ ſpeciebus vulgo notis, tertiam addidit *Cel.* SCHULZIUS, quaſi intermediam, intermitem & acrem, nempe *acidam Jungermannianam* plerumque dictam, quam a viribus præſertim lithonthrypticis, a magno BOYLEO, *poſt* CARRICHTERUM, mirum in modum commendatur, omnibus aliis perſicariæ ſpeciebus longiſſime prætulit in ſingulari, eleganti doctaque Diſſertat. *de Perſicaria acida Jungermanniana*, Halæ, 1735. ex merito longe lateque laudata, in citato jam aliquoties *Comerc. litt. Med. Nor.* Ann. 1737. p. 369. ſqq. item p. 378. ſqq. & uberius doctiſſime illuſtrata a *Cl.* TREW, ibid. p. 395. ſqq. p. 402. ſqq. & p. 409. ſqq. Ipſe tamen BOERHAAVIUS, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 543. Experimentum illud Boyleanum cum perſicariæ ſucco ſeu infuſo inſtitutum, ſibi non ſucceſſiſſe, ingenue fatetur. Verum, ut ex verbis ejus apparet, tentavit illud in miti potius ac vulgari perſicaria; quam quidem in acida Jungermanniana, ut & probe monetur in laudato *Commerc. litt. Med. Norimb.* p. 411. gingivas Scorbuto putridas maſticatione ſanat ſicut myrtus.

PETROSELINI vulgaris hortenſis, *le Perſil*, Peterlein, Peterſilien-Kraut. Seminatur in hortis. *Aperit, atque urinam propellit; non raro in uſum medicum vocatur, quoniam radicibus quinque aperientibus majoribus adnumeratur; ceterum tota rei culinariæ conſecrata eſt.* Conf. huc *Cl.* JUSSIEU, Pariſini, Diſſert. problematica: An *Petroſelinum*, hortenſia inter condimenta *ſaluberrimum?* Imprimis vero plura de petroſelini virtutibus atque hinc promeritis laudibus, vid. apud ZORNIUM, p. 512. ſqq.

HERBA PILOSELLAE montanæ hiſpidæ, vide Gnaphalii montani, ſive Hiſpidulæ RIVINI.

PILOSELLAE majoris, repentis hirſutæ, Auriculæ muris, Piloſellæ luteæ, *la Piloſelle*, *l'Oreille de ſouris*, Mauß-Oehrlein, gelbe Mauß-Oehrlein. Progerminat in locis aridis, arenoſis & montanis. *Plantis vulnerariis, & pectoralibus adſociatur. Commendatur quoque a* GARIDEL, LOBELIO, TRAJO, TABERNAEMONTANO, *Sim.* PAULLI, *& aliis* contra *phthiſin*, *dyſenteriam*, *Icterum*, *hydropem*, *calculum*, *& puerorum* herniam. *Decoctum, ulceribus ſinuoſis inveteratis, injicitur. Inſignem quoque præſtant opem, collutiones ex hac paratæ contra vitia oris, columellæ & faucium.* Vid. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 516. ZORN. p. 104. & *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. I. p. 408. ſqq.

PIMPINELLAE ſanguiſorbæ, *la Pimprenelle*, Welſcher Bibernell, Kälbleins-Kraut, Blut-Kraut. Creſcit in humidis pratorum locis. *Virtutem adſtringentem, diureticam & vulnerariam poſſidet.* Vid. HEIMRECH, Diſſert. de *Pimpinella*, & RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1696. Menſ. Septemb. Obſ. I. p. 415. præſertim ZORN. p. 517. & GESNERI *Epiſt. Med.* Lib. III. p. 87. b. & p. 120. item BOERHAAVE, Tom. II. p. 565. & TOURNEFORT. *loc. cit.* p. 517.

PIMPINELLAE, Saxifragæ majoris, Tragoſelini, Pimpinellæ, *la Pimprenelle blancher*, *le boucage*, *ou la bouquetine*, Bibernell, Bocks-Peterlein, Stein-Peterlein. Naſcitur in campeſtribus locis incultis. *Vim aperientem, abſtergentem, & propellentem urinam poſſidet, inſuperque vulneraria cenſetur.* De hac *Pimpinella Saxifraga*, ſingularem Diſſertationem ſcripſit HERTIUS. Sed plura de ejus virtutibus medicis, lege apud ZORNIUM, p. 515. ſqq. & GESNER. *Epiſt. Med.* loc. cit. & p. 120. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 539.

PIPERITIS, vide ſupra Lepidium latifolium.

PLANTAGINIS anguſtifolii, Quinquenerviæ minoris, *le petit Plantain*, Spitziger Wegerich. *Hac herba, ſequenti, virtutibus par eſt. Succus ad febres intermittentes celebratur.* Vid. TOURNEFORT. *loc. cit.* pag. 223. *Zorn. Boerhaave, Paulli, Boecler*, & alios.

PLANTAGINIS, majoris, latifoliæ, Arnogloſſi, Septinerviæ, *le grand Plantuin majeure*, Breiter Wegerich. Ubique circa calles ſponte proveniunt. *Pollet virtute ſiccante refrigerante & adſtringente; in decoctis vulnerariis & gargariſmis crebro uſurpari ſolet.* Plura vid. in peculiari Diſſertatione WEDELII, de *Plantagine*; ſed de his plantaginis ſpeciebus earumque variis virtutibus, ex multis Auctoribus, diligentiſſime tractat idem ZORNIUS, p. 526. ſqq. Plantagine ſola in juſculo vervecis cocta, ad diarrhœam, & lienteriam, feliciter utimur, ſcribit POTERIUS, *Pharm.*

Spag. Lib. I. Sect. I. pag. 290. quod verum eſſe, ipſi quondam experti ſumus; conf. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 222. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 566. Ceterum jam olim THEMISONEM, integrum volumen de *Laudibus Plantaginis*, conſcripſiſſe, commemorat PLINIUS, *Libro* XXV. Cap. 8. de quo vid. SALMASIUS, in prolegomenis *Hyles Jatricæ*, p. 5.

HERBA POLII Cretici, montani anguſtifolii, *le Polium*, Cretiſcher Berg-Poley. In Inſula Creta naſcitur. Vid. SALMAS. *Exercit.* Plin. p. 751. ſqq. Recens & odora ſeligatur. *Urinam & menſes pellit, & confectioni Theriacæ intermiſcetur.* Vid. CHARAS, & ZORN.

POLII montani lutei, maritimi erecti Monſpeliaci, *le Polium de montagne*, Berg-Poley, mit gelber Blüthe. Ex Gallia adfertur, ubi in Provincia, Delphinatu & Languedocia copioſe naſcitur. *Cum præcedente coincidit, & vires communes habet, hinc aliud alteri, ſubſtitui invicem poteſt.* SYLVIUS, *illi vim antepilepticam tribuit, & proximum ſtatim locum dat a Ruta, tam hortenſi, quam ſilveſtri, Prax. Med.* Lib. II. Cap. 20. p. 427. *Maniacis & noctambulis quoque a nonnullis commendari ſolet.*

POLYGALA C. B. Ambarvalis, nempe ab ambiendis agris, quia veteres hujus plantæ floribus coronare virgines ſolebant, quum arva ambirent, ad terræ fertilitatem a diis implorandam: ita BOERHAAVE, *loc. cit.* p. 319. de quo vid. LOMEIERI Syntag. *de Luſtrat. Vet. Gentil.* Cap. XXIX. p. 265. ſqq. *Dod.* item Amarella, ab amarore, vid. GESNER. *Epiſt. Med.* Lib. III. p. 121. & TOURNEFORT. *loc. cit.* p. 126. *le Polygala, le Seneka,* Creutz-Blume. Hæc planta in ſiccioribus pratorum locis & ad margines illorum naſcitur. Huc uſque in noſtris officinis uſitata non fuit; & hoc monendum eſſe, cenſemus, propter characterem & eximias virtutes, quas cum *Polygala Virginiana* communes habet. Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 319. & *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. Sect. II. p. 31. ſqq. Deſcribit hanc GRONOVIUS in *Flora Virginiana*, caule ſimplici erecto, foliis ovatolanceolatis, alternis integerrimis, racemo terminatrice erecto. *Incolæ ſilveſtres Virginiæ, hac herba, fauſto ſucceſſu, partim contra morſum caudiſonæ ſerpentis, partim ad pleuritidem, peripevmoniam, aliasque febres phlogiſticas, utuntur. Medici Pariſienſes, cum noſtra indigena Polygala tentamina quædam inierunt, & easdem, quas Virginiana poſſidet, vires, paululum tamen remiſſiores, in illa experti ſunt. Tota planta, cum floribus, herba & radice minutatim conciſa, & aqua ferventi ſuperfuſa, inſtar herbæ Theæ, uſurpatur.* Specificam virtutem, ſerum coagulatum reſolvendi poſſidere, creditur.

POTENTILLAE, vide Anſerinæ.

POLYGONI, vide Centumnodiæ.

POLYTRICHI aurei, vide Adianti aurei.

HERBA PRASII, vide Marubii albi.

PRUNELLAE, Conſolidæ minoris, Brunellæ vulgaris, Symphyti petræi *Lobelii*, *la Brunelle, ou bonette*, Prunellen-Kraut, Göttheyl, St. Anthoni-Kraut. De qua accuratiſſime tractantem vid. Ill. HEUCHER. *Nov. Provent. Hort. Acad.* Witteberg p. 996. ſqq. Tom. II. opp. ubi ſimul p. 999. operoſe oſtendit, minus accurate impoſitum Brunellæ fuiſſe nomen conſolidæ minoris; de quo tamen diſpiciant ipſi Botanici. Creſcit in locis herbidis montoſis. *Leniter adſtringit, refrigerat, & præterea vi quoque vulneraria antiſcorbutica, antidyſenterica, antinephritica, odontalgica, anthæmoptica, & anthæmuretica,* ut ſic loqui liceat, *pollet, nam valet præſertim, contra mictum cruentum*, & omnes generatim hæmorrhagias, teſte BOERHAAVIO, *loc. cit. Recens in juſculis, & ſicca in decoctis uſurpatur, ad inflammationem faucium, in gargariſmis,* vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 219. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 241. item *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* pag. 32. & ZORN. pag. 542. ſq. & rurſus BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. III. Proceſſ. 132. p. 339.

PTARMICAE vulgaris, folio ſerrato, flore albo, Dracunculi ſerrato folio pratenſis, Pyrethri germanici, *l'herbe a eternuer*, Wilder Bertram, Beruff-Kraut, Weiſſer-ſpiziger Rheinfarrn. Eſt planta indigena, & naſcitur in pratis udis, circa rivulos & foſſas. Ceterum de quadam *Ptarmica*, rariſſima exotica, incana, pinnulis criſtatis, vid. elegantem iconem, & accuratam deſcriptionem, apud TOURNEFORTIUM, Τον αὐτόπτην, *Itiner. Orient.* Tom. I. Epiſt. 6. p. 271. adde ejusdem Coroll. *Inſtit. Rei Herbar.* VII. *Immiſſa naribus, ſternutationem excitat. Nonnulli, hanc herbam recentem, acetariis ad earum frigiditatem emendandam, intermiſcere ſolent.* Vid. ZORN. p. 543. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 168. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 410. ſqq.

PULEGII hortenſis, Pulegii cervini anguſtifolii, *le Pouliot, ou la menthe d'eau*, Poley. Colitur in hortis, & colligenda eſt Menſe Junio & Julio. *Vim aperientem & attenuantem habet; inter plantas nervinas numeratur; nec non & ſpecifice ad tuſſim ferinam & raucedinem pertinacem aliasque pectoris & uteri morbos commendatur;* menſtrua enim leniter ducit. Vid. GABELCHOVERI, *Obſ. Med.* 75. Cent. I. pag. 142. Not.

PULMONARIAE arboreæ, Muſci arborei pulmonarii, vocatur quoque Lichen arboreus, *la Pulmonaire de Chêne*, Lungen-Kraut, gemein Lungen-Kraut. In ſilvis, & præſertim quercubus aliisque arboribus naſcitur. *Siccat, adſtringit, & crebro ad affectiones pulmonum expetitur. In Ephem. Nat. Cur.* Ann. III. Obſerv. 290. *ad icterum, omnium Medicorum ſolertiam eludentem efficax remedium celebratur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 717. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 35. item ZORN. p. 448.

HERBA PULMONARIAE maculoſæ latifoliæ, Symphyti maculoſi, *Echii folio, la Pulmonaire*, Flecken-Lungen-Kraut. In hortis colitur & naſcitur quoque in ſilvis, ſed foliis anguſtioribus. Colligatur Menſe Aprili. *Adfectibus pulmonum, ulceribus, phthiſi & hæmoptyſi dicata eſt.* Ut ex multis Auctoribus idem oſtendit ZORNIUS, p. 547.

PYROLAE rotundifoliæ, Limonii Cordi, *la Pyrole*, Wintergrün, Holz- oder Wald-Mangold. Creſcit in ſilvis montoſis. *Refrigerat, adſtringit, conſolidat, & vulnerariam quoque vim poſſidet.*

QUERCUS, folia Quercus, *les Fevilles de Chêne*, Eichen-Laub. Arbor notiſſima eſt, & ubique obvia. Folia tenella ſeligantur. *Vim adſtringentem poſſident; externe in decoctis etiamque in gargariſmis adhiberi ſolent. Laudantur quoque in procidentia Ani & uteri*, teſte BOERHAAVIO, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 645. & TOURNEFORT. *loc. cit.* p. 132. ſqq.

RORELLAE, Roris ſolis, folio ſubrotundo, *le Ros ſolis, ou l'Herbe de la Goutte*, Sonnen-Thau. Naſcitur inter muſcos, in locis udis & paluſtribus, & colligenda eſt Menſe Junio. *Vim abſtergentem & incidentem hæc planta ſibi vindicat; ſed uſui interno, ob acrimoniam, quam poſſidet, merito non credendum. Ovibus hæc herba*, ſic RAJO cenſente, *maximam infert noxam, cum illarum pulmones inurat, & tuſſim lethiferam concitet.* Vid. huc BRENDELII quondam noſtri Diſſertatio, de *Rorella*; item EYSELII, Diſſert. *de Rore Solis*. Plura vero ex variis Auctoribus apud ZORNIUM, p. 575. ſqq.

RORISMARINI, Libanotidis, Roſmarini lati & anguſtifolii, *le Romarin*, Roßmarin. Colitur apud nos in hortis, at in calidioribus regionibus, e. g. Hungaria, Hiſpania, Italia, Gallia, Norbonenſi, itidem in terris Eois, & remotioribus orbis aliis plagis paſſim in locis ſilveſtribus ſua ſponte, læte ſuccreſcit. *Totum illius eſt balſamicum, nervinum, cephalicum, uterinum* & obſervante WEDELIO, etiam diureticum. *Amœn. Mat. Med.* p. 387. *Tam interne, quam externe ad uſus medicos adhibetur. Herba recens, ſi cum adipe anguillæ ſuperfuſa, & ad ſolis radios digeſta fuerit, ſpecifice commendari ſolet ad gravem auditum.* Vid. plura in ALBERTI Diſſert. ſingulari *de Roremarino*; qualem & poſtea de eodem argumento edidit FICKIUS, quorſum & pertinet *Jo. Car.* SPIESS. *Roris marini coronarii Hiſtoria*, 1718. Helmſtadii edita. Imprimis vero Rorismarini coronarii ſummitates vino infuſas præſtantiſſimum præbere remedium in morbis inveteratis & fere deſperatis, ut fluore albo, Chloroſi, Menſium obſtructione, capitis imbecillitate, catharro, ventriculi dolore, hepatis refrigeratione & obſtructione, podagra, aliisque retulit, laudator forſan nimius PANAROLUS, *Obſ. Med.* 25. Pentec. III. p. 161. Ceterum Roriſmarini Eſſentiam in quadam fœmina, febrim concitaſſe, obſervavit RIEDLINUS, *Lin. Med.* Ann. 1700. Menſ. Novemb. Obſ. 29. p. 1346. ſqq. Conf. laudati PANAROLI *Obſ.* 29. Pent. III. p. 170.

ubi alius pravus ipſius effectus narratur. Sed laudes ipſius enarrat CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. 12. Cap. II. p. 80. ſqq. pleniſſime autem ZORN. p. 581. ſqq. nec non MINDERER. *Aloedar. Macrocuſt.* Cap. XI. p 146. ſqq.

HERBA RUBI vulgaris, Rubi fructu nigro, *le Feuilles de Ronce*, **Brom-Beer-Laub**. Rubus luxuriat in ſilvis & dumetis. *Folia hujus adſtringunt, & in gargariſmis uſurpantur.*

RUTAE hortenſis, vulgaris, latifoliæ, ſativæ, *la Rue*, **Garten-Rauten, Wein-Rauten.** Colitur in hortis, & dum floret, colligenda eſt. *Virtutem alexipharmacam, cephalicam, nervinam, uterinam, & diureticam habet; hujus ſuccus, vi inſigni anthelmintica, & antepileptica ſalutatur, a* SYLVIO, *Prax. Med.* Lib. II. Cap. 20. p. 427. & RIEDLINO, *Lin. Med.* Ann. 1698. Menſ. Octob. Obſ. 25. p. 875. ſqq. item ZORNIO, p. 590. *Herba mammis impoſita, lac diſcutit.* Vid. Celeb. quondam *Abr.* VATERI noſtri Diſſert. *de Ruta, ejusdemque virtutibus*, Witteberg. 1735. quod nobile argumentum etiam ante ipſum, 1715. ſingulari Diſſert. pertractaverat, SLEVOGTIUS, STENZELIUS quoque quondam noſter ſimilem Diſſert. edidit *de Ruta, Medicamento, & Veneno* Witteb. 1735. Add. imprimis BOERHAAVII, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. I. Proceſſ. 16. p. 68. & 70. item ejusdem *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 342. ſqq. & VANIERII, *Præd. Ruſt.* Lib. III. p. 63. præcipue vero copioſiſſime de eadem tractavit ZORN. p. 588. ſqq. & MINDERER. *loc. cit.* p. 105. ſqq.

RUTAE Caprariæ, vide Galegæ.

RUTAE murariæ, vide Adianti albi.

SABINAE, Savinæ vulgaris, Tamariſci folio, *la Sabine*, **Sevenbaum, Sadebaum, Mägdebaum.** Colitur in hortis. *Vim habet calefacientem, diſcutientem, incidentem, nec non urinam & menſes potenter propellentem, ſed ob hanc ipſam vim, ſuſpectis puellis, nunquam dari licitum eſt. Decoctum externe ad gangrænam & ulcera maligna commendatur.* Vid. huc ſingularis WEDELII Diſſert. *de Sabina*; add. præter alios plures, CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 15. p. 108. ſq. & imprimis ZORN. p. 592. ſq. ut & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 134. vermifuga etiam habetur.

SALICIS, folia ſalicis vulgaris albæ, *le Feuilles de ſaule*, **Weiden-Blätter, Selben-Blätter.** Ubique in locis uvidis, ad ripas omnium, & margines foſſarum occurrunt. *Indolem refrigerantem, ſiccantem, & adſtringentem habent; externe ad pediluvia & gargariſmos adhibentur.* Sed plura in Salice laudat BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 157. præſertim autem ZORN. p. 595. & TOURNEFORT. *loc. cit.* p. 356. ſq.

HERBA SALVIAE hortenſis, majoris & minoris, *la grande & la petite Sauge*, Salbey. A PAULINO, in ſingulari Schediaſmate *de Salvia*, vocatur: *Herba ſacra*. Colitur in hortis, & floreſcens, legenda eſt. *Virtute nervina, balſamica, & uterina gaudet; Tam interne, quam externe in uſus medicos adhibetur. Mulieribus, quæ ob uteri frigiditatem, infœcundæ ſunt, vinum ſalviatum præſcribit* SEBIZIUS. Vid. plura apud WEDELIUM, in Diſſert. *de Saliva*; item apud STENZELIUM quondam noſtrum, de eadem ſacra herba, imprimis autem apud diligentiſſimum PAULLINI, in Tractatu *de Saliva*, cujus & confer *Obſ. Med.* 59. Cent. IV. pag. 478. item RIEDLINI, *Curat. Med.* 549. Cent. VI. pag. 338. & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. p. 83. ſqq. uberrime autem ZORN. *Botanol.* pag. 596. ſqq. & *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. p. 333. ſqq.

SALVIAE ſilveſtris, Scorodoniæ, Salviæ agreſtis C. B. *la Sauge ſauvage*, Wilde Salbey. Vid. BOERHAAVE, in *Ind. maj. Hort. Acad. Leid.* Part. I. p. 183. Naſcitur in pratis & dumetis. *Inter plantas vulnerarias eminet; menſes atque urinam propellit*. Ob ingentem tamen fragrantiam & impetuoſam prorſus operationem intus tuto adhiberi vix poſſe, obſervat CARTHEUSER, *loc. cit.* p. 84.

SAMPSUCHI, vide Majoranæ.

SANICULAE, Saniculæ quinquefoliæ, Diapenſiæ, *la Sanicle*, Sanickel, Bruch-Kraut. Creſcit in ſilvis & locis montoſis. *Vim refrigerantem, adſtringentem & vulnerariam habet, omnibusque ferme decoctis vulnerariis idcirco intermiſceri ſolet. plura in ea laudat* BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 115. ſq. & ZORN.

SANTALINA, vide Abrotanum fœmina.

SAPONARIAE, majoris lævis, Lychnidis Saponariæ dictæ, *la Savoniare*, Seiffen-Kraut, Naſcitur in locis arenoſis juxta rivulos & torrentes. Menſe Junio, dum floret, colligatur. *Attenuat, aperit & ſudorem commovet. Externe ad ſcabiem & vitia cutis commendatur*. Vid. BOERHAAVE, & ZORN. p. 606. in lue venerea etiam laudatur, vide KLEIN. *Select. Med.* ad decoctum antivenereum.

SATUREJAE ſativæ, hortenſis, Cunilæ ſativæ, *la Sariette*, Saturey, Garten-Iſop, Bohne-Kraut. Vid. SALMAS. *Exercit. Plin.* p. 900. ſqq. Colitur in hortis, & colligenda eſt Menſe Auguſto. *Virtutem ſtomachicam, carminativam, diureticam, antiſcorbuticam, aphrodiſiacam, & uterinam poſſidet. Rei culinariæ quoque inſervit*. Vid. de his CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 14. p. 103. ſqq. & præſertim ZORN. p. 610. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 230. & *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. p. 376. ſqq.

HERBA SAXIFRAGIAE albæ, vulgaris, rotundifoliæ, radice granuloſa, *la Saxifrage*, Weiſſer Steinbrech, Steinbrech-Kraut. Naſcitur in pratis & paſcuis arenoſis udis. Colligatur cum floribus vel Aprili exeunte, vel ineunte Majo. *Uſurpatur ad ſabulam & calculos renum propellenda*, *item*, *obſervante* FUCHSIO, *ad ſuppreſſas menſes provocandas*, *&* *morbos pituitoſos pulmonum curandos*. Vid. *Georg.* MARII Epiſtol. *de Saxifragia*, in Lib. III. *Epiſtolar.* MATTHIOLI. pag. 337. ſqq. & ZORN. pag. 613. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* pag. 229. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 301. ut & *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. p. 383. ſqq.

SCABIOSAE, vulgaris majoris, pratenſis foliis laciniatis, *la Scabieuſe*, Scabioſen, Apoſtem-Kraut. Naſcitur in paſcuis, & marginibus agrorum, & colligenda eſt Menſe Junio & Julio. *Virtutem alexipharmacam*, *travmaticam*, *&* *pulmonicam poſſidet*, atque a BOERHAAVIO, *ad morbos pectoris magnopere laudatur. Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 190. ſq. ut & ab aliis multis, ante ipſum, apud. ZORN. *Botanol.* p 613. ſqq. add. TOURNEFORT. *Lib. cit.* p. 140. & imprimis *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. p. 400. ſqq.

SCARIOLAE, vide Endiviæ.

SCLAREAE, vide Gallitrichi ſive Hormini.

SCHOENANTHI, junci odorati aromatici, Gramen Orientale aromaticum panicula ampla, *le Schœnanthë*, *le jonc odorant*, Cameel-Heu, Cameel-Stroh. Eſt gramen dactylon aromaticum, multiplici panicula, ſpicis brevioribus tomento candicantibus, ex eodem pediculo binis, PLUCKENETII. Ex Arabia adfertur. Quod acrem, amaricantem & ſuavem ſaporem prodit, odorem fragrantem ſpargit, & ſpica non privatum eſt, eligito. Vid. *de vero Schœnanto fragrantiſſimo*, Epiſt. V. *Rumphii*, in VALENTINI *India literata*, p. 402. *Muſ. Muſeor.* quod ipſum de eodem vid. p. 164. ſqq. Add. POMET *Hiſtoire des Drogues* p. 173. ſqq. & præſertim SALMASII *Exercit. de Homonym Hyles Jatric.* Cap. 86. p. 120. ſqq. item ZORN. p. 616 & HERMANN. *Cynoſ. Mat. Med.* p. 482. ſq. *Vim calefacientem*, *ſub adſtringentem*, *&* *diſcutientem habet*; *capiti & ventriculo perutile & gratum eſt*; *Menſtrua & urinam propellit*; *ceu corrigens purgantibus intermiſceri ſolet*, *ſed ſæpe ſine effectu*; *&* *denique confectioni Theriacæ*, *ex mera conſuetudine obtruditur*.

SCOLOPENDRII veri, vite Ceterach.

SCOLOPENDRII vulgaris, majoris, Lonchitidis, Linguæ cervinæ, Phyllitidis, *la Scolopendre*, *ou la Langue de cer*, Hirſch-Zunge. Colitur in hortis & ſponte naſcitur in ſilvis, & præſertim rupibus Tirolenſibus Helveticis. *Accedit ad herbas quinque capillares*, *nam illis indole par eſt*. *Pulvis herbæ hujus exſiccatæ ad cordis*

dis palpitationem, uteri ſuffocationem, & convulſivos motus ſpeciatim commendatur, a RAJO. *Ceterum tota planta vulneraria & antiſcorbutica cenſetur.* Vid. de his virtutibus plura apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 734. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 38. *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botanic.* p. 76. & maxime ZORN. *Botanol.* p. 620.

HERBA SCORDII Cretici, *le Scordium de Crete*, Cretiſcher Lachen-Knoblauch. Ex Inſula Creta adfertur. Quæ recens, foliacea & odora eſt. Alliumque redolet, & amaricantem ſaporem prodit, ſeligatur. Vid. *Jo. Bod. a* STAPEL, *ad Theophraſt. Hiſt. Plant.* Lib. VII. p. 792.

SCORDII noſtratis, Chamædryos aquaticæ, allium redolentis, paluſtris, *le Chamarras, la Germandrée d'eau, ou le Scordium*, Lachen-Waſſer-Knoblauch, Waſſer-Bathenig. Progerminat in locis paluſtribus, & colligenda eſt Menſe Junio & Julio. *Eſt medicamen alexipharmacum, ſudoriferum, pectorale, & anthelminticum,* teſt. *Anton. Muſa Braſſavola*, apud ROLFINC. *de Vegetab.* Lib. I. C. I. p. 13. *& loco præcedentis Cretici, confectioni Theriacæ intermiſceri ſolet.* Plura de hac eximia & polychreſta herba vid. apud WEDELIUM in Diſſert. ſingulari *de Scordio.* Add. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. IX. Cap. 4. p. 487. & maxime ZORNII, *Botanol.* p. 621. ſq.

Miram præſertim vim contra putredinem, gangrenam & ſphacelum, Scordio ineſſe, ſingulari exemplo teſtatur GALENUS, Lib. I. de *Antidot.* Cap. 12. pag. 883. Tom. XIII. *opp. Charter.* Conf. HILDAN. *Obſ. Chir.* 93. Cent. II. p. 381. ſqq. & *Ill. van* SWIETEN, *Coment. in Boerhaave Aphoriſ.* Tom. I. pag. 781. ſq. vid. ipſum BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 264. item *Prax. Med.* Tom. II. p. 167. & 169. ſq. & *Mat. Med.* p. 83. ut & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 194. ſq. & præſert. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 415. & *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. p. 424. ſqq.

SCROPHULARIAE aquaticæ, aquaticæ majoris, *l'herbe du Siege*, vulgaris, nodoſæ fœtidæ C. B. *la grande Scrophulaire*, Braun-Wurz, Feigwarzen-Kraut. Naſcitur in locis paluſtribus & ripis fluviorum. Floret Menſe Junio, & floreſcente planta, folia colligenda ſunt. Per decem vel duodecim dierum ſpatium in umbra ſiccentur, & tandem ad plenius exſiccandum, per aliquot horas radiis ſolis exponantur. *Virtutem vulnerariam habent, & tam externe, quam interne, ad uſus medicos accerſuntur. Ad corrigendum faſtidioſum ſaporem & odorem foliorum Sennæ laudantur, & Yquetaya Braſilienſi ſubſtituuntur.* Vid. LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 131. ex *Mem. Acad. Pariſ.* & *Ill.* HALLERI, *Orat. de utilit. Bot.* p. 162. Opuſc. Botan. Vide *Folia Sennæ*, & ibi *ex Boerhaavio adnotata.*

SCROPHULARIAE minoris, Chelidonii minoris, Ranunculus vernus, rotundifolius minor, RAJI. *Petite Chelidoine, la petite Scrophulaire, la petite*

éclaire, Scharbocks-Kraut, klein Schöll-Kraut. Creſcit in locis humidis, & colligenda eſt Menſe Majo. *Adſociatur plantis antiſcorbuticis, & recens cum analogis in uſum accerſitur; ſiccata rarius adhibetur, nam ſiccando omnem ferme vim amittit.* Vid. SLEVOGTII, Diſſert. *de Scrophularia*, & ſupra ad *Radic. Scrophulariæ*, item ZORN. *Botanol.* p. 623.

HERBA SEDI, acris minoris, Vermicularis flore flavo, *le petit Sedum ou Cedon, la vermiculaire brulante*, Mauer-Pfeffer, Kazen-Träublein, kleine Hauß-Wurz. Ex parietibus, murorum antiquorum rimis & ruderibus excreſcit. *Acrem & fervidum ſaporem prodit, & antiſcorbuticum ſpecificum cenſetur.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 368. & maxime ZORN. p. 631. ubi plura de virtutibus Sedi, ut & in *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. III. p. 22. ſqq. Conf. imprimis *Ephemerid. Nat. Cur.* Dec. I. Ann. 6. & 7. p. 33. ſqq. ubi mira ipſius virtus antiſcorbutica, per plurima exempla, docetur.

SENNAE, Folia Sennæ Alexandrinæ, *le Séne, les Feuilles de Sené*, Sennet-Blätter. Arbuſcula Senna creſcit & colitur in Syria, Perſia, Arabia, Aegypto & Italia, etiam apud nos interdum ſtudio plantatur in hortis. Folia, quæ acuta ſunt, pallido vel ſub flavo virideſcente colore adparent, Saporem ſub acrem, amaricantem & nauſeoſum produnt, & ex Alexandria ad nos transferuntur, optima cenſeri ſolent; ſed tamen recentia ſunto, quas eligas, & a ſtipitibus liberata, antequam in uſum adhibeas. Folia Sennæ, quæ ex Italia advehuntur, obtuſiora & longiora ſunt, & ſaporem ſubdulciorem & glutinoſum produnt, ſed pretio & virtute viliora exiſtunt. *Pertinent ad claſſem uſitatiſſimorum purgantium; flatulentiam concitare ſolent, hinc commixtione Zinziberis, Cinnamomi & Galangæ debent emendari.* Vid. RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. April. Obſ. XI. p. 103. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. X. Cap. 8. pag. 544. & ZORN. *loc. cit.* item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 269. ſqq. MARCHANTIUS *Eph. Acad. Reg. Pariſ.* Ann. 1701. p. 209. *his ſennæ foliis, ad nauſeoſum ſaporem emendandum, cum bono ſucceſſu addidit, & addi ſuaſit, æqualem portionem ſcrophulariæ aquaticæ. Drachma una, in ſubſtantia, doſis eſto; ſed in infuſo ad quatuor, uſque ſex adſcendere licitum eſt; virtutem laxativam amittunt, ſi longiore coctione exhauriantur, idcirco melius eſt, ſi aqua fervente ſuperfundantur; & infuſum poſt digeſtionem propinetur.* Vid. imprimis *Anton.* MIZALDI, Opuſculum *de Senna, planta inter omnes, quotquot ſunt, hominibus beneficentiſſima & ſaluberrima.* Quid vero obſecro, laudis nunc reſtat aliis plantis, hac ipſa ſenna nimis laudata præſtantioribus & uſu vario longe potioribus? Scripſit & SENNER, *de Senna*, forte nominis convenientia illectus & invitatus, plura vid. apud ZORNIUM, *Botanolog.* p. 633. ſq. Ego vero tantum virtutis Sennæ haud tribuo, quantum vulgo ipſi adſcribitur. Frequenti enim experientia edoctus, didici, tormina eam plerumque excitare atque flatus ructusque, præterea vero ventriculo imprimis nocere atque ipſius appetitum infringere, nauſeamque creare, denique etiam ſitim atque ardorem inducere, & inteſtinis ipſis quandam quaſi ſiccitatem inferre, adeo, ut poſt ejus uſum, pertinax plerumque alvi obſtructio

ſubſequatur. Imo moleſtum ſæpius teneſmum ſucceſſiſſe, obſervavi. Conf. HOFFMANNI, Diſſert. *de purgat. fort. e prax. med. ejiciendis*. Quare ex his rationibus graviſſimis, me quidem judice & monitore, ab intempeſtivo Sennæ uſu omnes illi caute abſtinendi ſunt, qui affectibus colicis ac torminoſis, item & hypochondriacis obnoxii ſunt, nec non, qui hæmorrhoidibus tam cœcis, quam apertis, laborant; omnium minime vero, ſcilicet propter teneſmum atque tormina hinc metuenda, ſennæ folia conveniunt fœminis hyſtericis, præſertim autem gravidis, aut puerperis, quas dira nempe & atrocia ſymptomata exinde afflixiſſe, nobis aliquoties compertum fuit. Nec, ut ingenue fatear, hic quidem juvant adjecta laudatæ nimis ſcrophulariæ aquaticæ folia; licet enim, quod haud penitus nego, eorum adjuncto, nauſeoſus ipſius ſennæ ſapor non nihil temperetur & infringatur; ipſæ tamen illius ſuſpectæ & malignæ proprietates modo commemoratæ, ſcilicet flatus, tormina, colicam atque teneſmum, item paſſionem hyſtericam, concitandi, per eadem, nequaquam tolluntur, tametſi etiam Cinnamomum, Zingiber, Fœniculum, aliaque aromata adjecta fuerint. Ceterum de ſcrophulariæ virtute, folia ſennæ corrigendi, vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 316. & Tom. II. pag. 490. *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. p. 447. HALLER. *Orat.* p. 162. & CARTHEUSER, *Fund. Mat. Med.* Part. I. p. 544. huc etiam ſpectant:

FOLLICULI Sennæ, *l'Ecoſſe, ou les follicules de Sené*, Sennet-Bälglein. Sunt capſulæ ſive ſiliquæ ſeminales ſennæ ſulcatæ, curvæ, ſemilunares, compreſſæ, continentes ſemina nigricantia. *Nonnulli eos foliis præferunt*, *cum* FERNELIO, FALLOPIO, FUCHSIO, SYLVIO, & aliis quibusdam, quos & forſan nimis ſecure, ſequitur VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Refor.* Lib. II. Sect. 3. cap. 8. p. 151. *Experientia teſtari videtur, quod hi folliculi ipſis foliis, flatulentiores ſint, imo & vehementius alvum movere & periculoſam ſæpius hypercatharſin excitare, adeo ut eorum uſus hinc plane ſit interdicendus;* prout inde experientia edoctus, probe & prudenter monet *Vitus* RIEDLINUS, *Lin. Med.* An. 1697. Menſ. Mart. Obſ. 17. pag. 176. ſqq. & ante ipſum *Monardus*, conf. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. pag. 270. & HERMANN. *Cynoſur. Mat. Med.* Part. I. Cap. 6. pag. 265.

HERBA SENECIONIS, Erigeri vulgaris, *le Sénecon*, Creuz-Wurz, Gründ-Wurz-Kraut, noſtris Gold-Kraut. Creſcit in hortis arvis & ferme ubique inter olera, ac quovis anni tempore floret. *Efficaciſſima eſt; & ſuccus expreſſus ſcorbuticis, arthriticis, ictericis, etiam ad convulſiones infantum commendatur.* Vid. de his, & pluribus aliis virtutibus BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 174. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 301. & maxime ZORN. p. 634.

SERPILLI vulgaris, minoris, Serpilli ſilveſtris repentis, *le Serpolet*, Quendel, Feld-Poley, Kühnlein. Naſcitur ſua ſponte in locis ſiccioribus, arenoſis & monticuloſis, & colligenda eſt, dum floret, Menſe Junio vel Julio. *Tota*

planta vim cephalicam, ſtomachicam, diureticam, & uterinam poſſidet; tam interne, quam externe in uſum adhiberi poteſt. Urinam & ſudorem movet; uſus eſt in infuſo, ad modum Theæ. Externe ad cucuphas, pediluvia, gargariſmata & fomenta adhibetur. Vid. CARTHEUSER, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 12. p. 93.

HERBA SIDERITIDIS, hirſutæ, procumbentis, *la Crapaudine*, Glied-Kraut, Wund-Kraut, Feld-Andorn, Beruff- oder Beſchrey-Kraut. Naſcitur in agris ſiccioribus, ſabuloſis, ſed apricis. *Vim vulnerariam, antarthriticam, ſubadſtringentem & urinam moventem exerit. Superſtitioſæ mulierculæ, balneum quoddam ex decocto ſideritidis hujus confectum, atrophiæ infantum, quam ab incantatione ortam eſſe, ſtolide opinantur, ſtolide & incaſſum opponere ſolent,* & ab hoc uſu, huic plantæ nomen enatum ac inditum fuit: Beruf- und Beſchrey-Kraut.

SOLANI, Solatri nigri, Strychni, *la Morelle*, Nachtſchatten, oder Sau-Kraut. De cujus diverſis ſpeciebus, & inde orta olim confuſione, vid. accurate SALMAS. *de Homonym. Hyl. Jatric.* Cap. 55. p. 65. ſqq. Circa ſepimenta, & inter olera creſcit, & floreſcens colligenda eſt. *Vim anodynam & refrigerantem exercet. Interne nunquam; nonnunquam tamen externe in uſum accerſitur.* Sunt tamen ex Medicis, & quidem non infimæ claſſis, qui Solani, etiam illius venenatiſſimi, uti Belladonnæ, vulgo dicti, de quo ſupra ſuo loco, uſum internum, contra dyſenteriam, hydropem, urinæ ſuppreſſionem, quin & diram hydrophobiam, & neſcio quæ alia atrociſſima mala, intrepide, ſed nimium confidenter, ut equidem putem, commendent, quos eximie laudat, & ut ſolet, audaciſſime ſequitur ille pertinaciſſimus & conductitius quaſi venenorum defenſor, *Melch.* FRICCIUS, Tract. *de Virtute Venenorum Med.* Cap. XX. p. 358. conf. *Ol.* BORRICHII, Diſſ. *de Venenis*, p. 217. Diſſert. Acad. Tom. I. Sed nobis *Schenckii, Tragi, Wepferi, Matthioli, Wedelii, Büchneri, Gerhardi, Fuchſii, Wagneri, Valentini, Hofmanni,* & aliorum magnorum Medicorum, laudatorum a ZORNIO, pag. 644. ſq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 165. item HEUCHER, *in Nov. Provent. Hort. Med. Witteb.* p. 977. ſqq. Tom. II. Opp. potior eſt auctoritas, præſertim autem ipſius maximi BOERHAAVII, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 507. & p. 510. & HOFFMANNI, *Med. Rat. Syſt.* Tom. II. Part. II. Cap. 2. p. 191. item BARRERE, *in Obſ. Anat.* ex ſect. cadav. deſumt. quibus vel maxime add. *Jo. Matth.* FABER, in Tract. *de Strychnomania*, ubi horrenda exempla ex incauto ſolani furioſi uſu & eſu, oborta, copioſe enarrantur. Conf. GEOFFROY, *loc. cit.* pag. 165. *Bod.* a STAPEL, *ad Theophraſt.* pag. 586. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 41. & *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* Claſſ. III. p. 488. add. *Continuat. Gall. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. III. Sect. II. p. 90. & præſertim KUNDMANNI *Rariora Nat. & Art.* Sect. III. Art. XXIV. p. 994. ſqq. & RIEDLINI, *Lin. Med.* An. 1697. Menſ. Dec. Obſ. 22. p. 878. ſqq. *commerc. litt. Med. Norimb.* 1731. p. 332. & nuperrime *William* BROMFIELD, *Obſ. de Solano*, Lond. 1757. Sed hæc quidem ad Solanum illud malignum, venenatum ac furioſum, proprie pertinent; de quo vide ſupra ad *Belledonnam*, dicta. Interim tamen & illius Solani, ſeu Solatri nigri uſus

internus valde quoque ſuſpectus ac damnoſus, ut vel ruſtici dolentes ſciunt, Gallinarum ſtragem ſæpius per ipſum experti.

HERBA SOLDANELLAE, Braſſicæ marinæ, Convolvuli marini rotundifolii, *la Soldanelle, le Choumarin*, Meer-Kohl, Meer-Winde, Meer-Glöcklein. Hæc planta ſuas viticulas per terram ſpargit, quibus folia excreſcunt ſubrotunda, retuſis aliis prædita, longitudine latiora, *Chelidonii minoris* ſimilia, obſervante BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 283. Hæc folia craſſiuſcula ſunt, lacteo liquore ſcatent, & longioribus pediculis incumbunt. Flos patulus, purpureus, quadrantalis ferme, & campaniformis eſt. Naſcitur in locis maritimis Galliæ, Angliæ, Italiæ, & alibi. *Tota planta acris eſt, & ventriculo penitus inimica. Alvum acriter ſollicitat. Propter nimiam acrimoniam in pinguiore carnis juſculo coquitur. Serum vehementer educit*, laudantibus inde ceu primarium hydragogum, multis magnis Auctoribus apud ZORN. conf. & *Cont. Mat. Med.* Tom. III. p. 96. *Hin.* ALTOMARUS, celeberrimus Medicus, Soldanellæ uſum diſſuadet; & RAJUS, in *Hiſt. Plant.* noxam potius inferre, quam auxilium præſtare hydropicis, perhibet. Conf. *Sim.* PAULLI, *Quadripart. Bot.* pag. 488. & imprimis multi apud ZORNIUM, p. 143 ipſe quoque *Boerhaave*, nil plane in hac planta laudari aſſerit. *Dari ſolet in pulvere drachma una; in decocto vel infuſo uncia ſemis.* Vid. infra *pulvis hydragogus Collegii Med.* Lugdunenſis.

SQUINANTHI, vide Schoenanthi.

TAMARISCI, germanicæ, ſilveſtris, fruticoſæ, *le Tamariſc*, Tamarisken-Kraut, Porſt. Ad Rhenum & Danubium, nec non in Gallia Narbonenſi ubertim protuberat. *Adſtringentem & refrigerantem vim poſſidet; rarius in uſum vocantur folia, ſed cortex ſat frequenter, ſæpius autem ſat lixivioſum, quod probe depuratum, merum Sal alcali veluti tartari, exhibet: quod de ceteris plantarum, excepta ſoda, ſalibus, combuſtione paratis, & intelligendum eſt.*

TANACETI vulgaris, lutei, Athanaſiæ, *la Tanéſie*, Rheinfarn, Wurmfarn. Circa foveas, & ad margines agrorum, aliisque ſabuloſis locis naſcitur, & colligenda eſt Menſe Junio & Julio. *Anthelminticam, nephriticam, vulnerariam & uterinam vim exercet. Externe, ad ſcabiem & lentigenes decoctum celebratur.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 183. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 13. p. 101. ſq. præſertim TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 366. ſq. & ZORN. p. 668.

TARAXACI, Dentis Leonis, *la Dent de Lion, le Piſſenlit*, Löwenzahn, Pfaffenröhrlein. Naſcitur in hortis & paſcuis. *Alexipharmacam, pectoralem & hepaticam vim poſſidere creditur. Aqua deſtillata, antipleuriticis adſociatur.*

HERBA THEAE, The Sinenſium, Tſiæ Japonenſium, Thee Indorum, *le Thé*, Thee. Colitur in regno China & Japonia. Hæc planta nucifera, floreque roſeo ſuperbiens, adfinis eſt Evonimo. Frutex vix unquam longitudinem orgyæ ſuperat; & foliis ceraſi ſimilibus, ſed carnoſis brevioribus, quæ inordinate ex ſuis ſurculis protuberant, perpetuoque, ni decerpantur, vigent, ornatus eſt, & fructum acidum profert. Flores roſæ ſilveſtri conſimiles ſunt, remiſſe fragrant, albeſcentes, & hexapetali, cum numeroſis ſtaminibus, adparent. Fructus mox monococcus, mox bicoccus, & plerumque tricoccus occurrit, ac ex globuloſis capitulis foetis, concretus eſt, in nuculam globoſam, quæ magnitudinem pruni ſilveſtris ferme adæquat. Flores & fructus in nullum plane adhibentur uſum; de quibus omnibus vid. accuratiſſime tractantem KAEMPFERUM, in *Amœnitatibus Exot.* Faſc. III. Obſer. XIII. p. 505. ſqq. & ex ipſo VALENTINI, *loco mox laudando*, p. 135. ſqq. item *Wilhelm. ten* RHYNE, in ſingulari Tractatu, publicato *a* BREYNIO, in *Apend. Centuriæ Plant.* exot. ut & NEUHOF, *Deſcript. Regni Sin.* Cap. XV. p. 347 item HALDE, *de Regno Sinenſ.* Part. I. Cap I. p. 25. ſqq. & imprimis, Part. III. Sect. III. Cap. 4. p. 507. ſqq. Conf. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. Cap. 12. p. 442. ſqq. Ex uno eodemque hoc frutice omnes ſpecies Theæ colliguntur. In collectione priore, folia nobiliſſima ſolummodo, tenella, & quæ nondum evoluta ſunt, excerpuntur; hæc prima ſelectio, quæ rara, & in ipſa patria valde quoque cara eſt, *Thea Cæſarea*, & *Flos Theæ*, nuncupari ſolet. In collectione ſecunda, folia, quæ jam jam extenſa ſunt, cum ſemi apertis, carpuntur, & in certos ordines, quos vel bonitas, vel magnitudo, ipſis adſignat, diſpeſcuntur. Tertia collectio, quæ meſſem claudit, folia plane pleneque patula, quæ ſuperſunt, & nimia maturitate rigent, includit. Hæc modo decerpta folia Theæ, collectione peracta, ſtatim laminis ferreis, igne ſuppoſito calefactis, ſiccanda collocantur, & paululum toſta, & adhuc calida, conſertis manibus volvendo, & revolvendo, contrectantur, donec criſpa evadant; & ſic ad uſum & mercaturam præparantur. Duæ præſertim hujus exoticæ herbæ ſpecies, quæ tamen multum dotibus diſcrepant, notæ nobis, atque maxime familiares factæ ſunt. Species prior *Thee Bohe*, *Thee Bou*, *Thee rubrum*, rother Thee, nominari ſolet. Poſterior ſpecies *Thee viridis*, grüner Thee, nuncupatur, & ad hujus claſſem *Thee Imperialis*, *Thee Cæſarea*, Kaiſers-Thee, pertinet. *Omnes ſpecies Theæ, vel magis vel minus adſtringunt. Viridis ſapore adſtringente, rubrum plerumque ſuperat. Infuſum Theæ, omnibus ferme hominibus, grati medicaminis vicem abſolvit, & hinc vere polychreſtum habetur; ſed aquæ calidæ plus, quam ipſi herbæ, tribuendum eſſe, perſuaſi ſumus. Optima cenſetur, cujus folia parva, tenella, in apicibus alba, incana vel lanuginoſa adparent; leviter adſtringunt, & gratum ſaporem atque odorem patefaciunt. Thea viridis, cum aqua infuſa colorem ſuum virideſcentem communicat, illique odorem pene violaceum, vel ſaltem fœni recentis ſimilem, impertitur.* Quis vero hic ingentem eorum numerum ſatis exacte inibit, qui Theam, nunc etiam, per ſæculi corrupti mollitiem, vulgo adeo notiſſimam & uſitatiſſimam, non ſolum ut ſaluberrimarum herbarum Reginam, ſed & ut ipſam veluti Deam, laudibus effuſiſſimis celebrarunt? Splendidum Panaceæ, Nepenthis, panchreſti, macrobii, auri potabilis, & ſi quid his præſtan-

tius & exellentius excogitari potuerit, nomen ac præconium ſi non meruit, tamen cœco impetu ac præjudicio, obtinuit. Ipſe *Bontekoe*, mirus ille & ſummus Theæ laudator & aſſiduus per vitam potator, ex ſolo hujus ſanctiſſimæ ſcil. herbæ frequente uſu, longævitatem, imo vitam pene æternam promiſit aliis, qua ipſe ſcala delapſus, præmature caruit. Sed vix parciores ac modeſtiores in laudanda hac peregrina Sinenſium herba, fuerunt *Jo.* THILE, in *Theologia Medica*, item *Rhyne*, *Mundius*, *Pechlinus*, *Blankartus*, *Andr. Cleyerus*, *Georg. Emerich*, *Halde*, *Riedlinus*, *Mappus*, *Sponius*, & ex eo *Dufour*, porro *Albinus*, *Waldſchmidt*, *Sleevogtius*, *J. Jo. Stahl*, *Jo. Joach. Hahn*, aliique plures, qui vel Tractatus, vel Diſſertationes de hujus panaceæ exoticæ virtutibus plane inſignibus, conſcriberent. Conf. SCHULZII *Prælect.* ad *Diſpenſ. Brandenb.* p. 305. imprimis copioſe ZORN. *Botanol.* p. 675. ſqq. Nec defuerunt denique Poëtæ, gens alias, ut vulgo quidem creditur, vino devota, qui Heliconiam ſuam quaſi aquam in hujus medicatæ aquæ, ſæpius cum voluptate potæ, laudes largiſſime effunderent, haud quidem veriti notum illud, apud poëtam, Cratini poëtæ, *quod nulla placere diu, nec vivere Carmina poſſint, quæ ſcribantur aquæ potoribus*. Sic enim terſiſſimis ac venuſtiſſimis carminibus & odariis, Græcis ac Latinis, Theam iſtam divinam celebrarunt tres iſti clariſſimi, *Petri*, *Petit*, atque *Francius*, item HUETIUS, in *coment. ad eum pertinent*. Lib. V. p. 126. præſertim vero iſte Lipſienſium redivivus Theocritus & Anacreon, *Herrichius*, ſive Cyrillus; ut taceam jam poëtas Gallos, Italos, Anglos, imo & noſtrates, qui lyram ſuam in eaſdem laudes tentarunt; conf. *Poëmat. noſtrorum*, Tom. IV. p. 102. ſqq. in Nat. Verum his ſplendidis & ambitioſis panegyricis & calamiſtratis quaſi elogiis haud obſtantibus, ab aliquo tamen jam tempore, immenſæ pene iſtius herbæ laudes in arctius quaſi punctum contractæ fuerunt, ipſaque illa Calda tantopere adamata, expetita, nocteque dieque avidiſſime hauſta, ſenſim intepeſcere, imo tantem frigeſcere cœpit, ex quo nimirum ſolertiore & attentiore experientia compertum fuit, id quod nosmet ipſi ſæpius animadvertimus, aliquanto frequentiorem ac copioſiorem ipſius uſum ſtomacho præſertim officere, appetitum & digeſtionem infringere, ſitim ac vertiginem excitare, fibras relaxare, ructus, flatus ac tormina creare, alvum ipſam pigram reddere, maciem corpori inducere, præſertim vero ipſis officinis mictualibus, renibus nimirum atque Veſicæ, nimium relaxando, vim inferre, easque non nunquam ad fluxam fere diabetem ſolicitare. Vid. hujus noxii effectus exempla, a *Crügero*, & *Grimmio* relata, apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. Cap. IV. Art. VI. p. 279. ſq. imprimis vero a DOLAEO, in *Epiſt. Amœb.* ad *Waldſchmid.* p. 31. dicitur & vermes augere, vid. VALENTINI, *Hiſt. Simplic. Reform.* Lib. II. Sect. III. cap. 2. p. 135. ubi & plura de Thea ipſa, ejusque effectibus. Plura vero cum his, vitia Theæ a Japonenſibus, tributa, late commemorat KAEMPFERUS, *loco ſupra laudato*, p. 627. & in *Append. ad Deſcript. Regni Japonici*, Part. V. p. 482. quod vero totum tranſumtum ibi eſt ex ipſius Amœnitatibus Exot. modo allegatis. Conf. RIEDLINI, *Lin. Med.* An. 1699. Menſ. Novb. Obſ. XI. p. 1201. ſqq. & CARTHEUSER. *loc. cit.* p. 451. item *Commerc. litt. Med. Norimb.* An. 1733. p. 247. & An. 1732. p. 11. Quum ergo hic Theæ potus, ſanis ipſis ſæpius noceat; tanto ſane minus ægrotos juvabit, præcipue autem in

morbis, a fibra laxa, virium languore ac ſtomachi debilitate obortis; adeo ut inde non omnibus ægrotis, uti tamen conſueto fero more, utique receptum eſt, iſte ſit concedendus. Hinc igitur jam dudum *Jo. Francus*, & ipſe noſter magnus *Hoffmannus*, Veronicam noſtram, ob præſtantiores nempe virtutes, illi Senenſium Theæ longiſſime præferendam eſſe, ſingularibus ſcriptis, doctiſſimis, cenſuerunt rectiſſime. Sed ſuppetunt nobis & aliæ herbæ ante pedes quaſi noſtros quotidie natæ, Veronicam virtute æquantes, Theam autem ipſam latiſſime ſuperantes, noſtræ vero naturæ imprimis conventiores, vel uti Meliſſa, Salvia, Millefolium, & præſertim divina Chamomilla; de quibus *Cohauſenius*, ſingulari libro. Conf. CARTHEUSER, *loc. cit.* p. 453. ſqq. & ZORN. p. 676. item infra dicta *ad Species*, *Bechicas Hoffmanni*.

HERBA THYMI cretici, Thymi albi capitati veri, *Thym de Crete*, **Cretiſcher Thymian**. Creſcit in Inſula Creta, & aliis regionibus calidioribus. Quæ odore aromatico, & integris capitulis, prædita atque inſtructa eſt, eligatur.

THYMI vulgaris, folio tenuiore cineritio, rigidi, Serpilli hortenſis, Serpilli Italici, *le Thym*, **Thymian**. Fovetur in hortis, & colligenda eſt Menſe Junio. *Virtutes carminativas*, *anticatarrhales*, *& nervinas exerit*. *Officinis*, *pariter ac culinis officia præſtat*. *Thymus Creticus*, *huic quidem vulgari*, *ob præſtantiorem indolem*, *dummodo tamen bonam qualitatem poſſident*, *præferendus eſt*. Vid. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect XII. cap. 12. pag. 89. ſqq præſertim BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 220. & ZORN. p. 677.

TORMENTILLAE, Septifolii, *la Tormentille*, **Tormentill, Blut-Wurz-Kraut, Sieben-Finger-Kraut.** *Rarius in uſum medicum adhibetur*, *niſi interdum decoctis vulnerariis intermixta*.

TRICHOMANES, vide Adianti aurei.

TRIFOLII fibrini, aquatici, paluſtris, Menoanthes foliis ternatis, *Linn.* Limonium Cord. Acopa Dioſcord. BOERHAAVII, *Hort. Leidenſ.* Tom. I. p. 205. Menianthes paluſtre triphyllum RAJI. *le Treffle de Caſtor*, *le Menyanthe*, **Bieber-Klee, Bitter-Klee, Waſſer-Klee, Scharbocks-Klee.** Progerminat in aquis paludoſis ſtagnantibus, & Menſe Majo & Julio colligenda eſt. *Potentiam aperientem*, *incidentem*, *roborantem*, *antiſcorbuticam*, *antaſthmaticam*, *antihypochondriacam & antifebrilem exercet*. *Succus vel decoctum etiam externe ad ulcera tibiarum mundificanda conducit*. *Hæc herba denique a Rajo contra tabem ovium commendatur*. Vid. potiſſimum *Jo. Chr.* SCHROEERI Scrutinium Medicum *de Natura & viribus Trifolii fibrini.* item EYSELII, Diſſert *de Trifolio fibrino*, imprimis autem *Jo. Val.* WILLII, Exercitat. *de miris viribus Trifolii Fibrini*, *in Act. Med. Hafn.* Vol. III. Obſ. 75. p. 123. ſqq. nec non *Jo.* FRANCI, *Hiſt. Trifolii fibrini*, *Obſervat.* illuſtrata. & *Matth.* TILLINGII *Obſ. de Trifolio fibrino*, in *Ephem.* Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. II. N. 74. nec non

Sim.

Sim. PAULLI, *Quadripart. Botan.* p. 157. ſqq. ubi miras ipſius virtutes contra Scorbutum, cachexiam & Hydropem, variis ſingularibus exemplis & Hiſtoriis, liquido probat & prædicat; ſcimus & ipſi, in Arthritide inveterata ac pene deſperata, egregium plane illud præſtitiſſe uſum. Add. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. IX. cap. 4. pag. 487. præſertim autem laudatum ZORNIUM, pag. 683. ſqq. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 289.

HERBA TRIFOLII pratenſis, purpureæ, vulgaris, majoris, *le Treffle des prés*, Wieſen=Klee. Ubique in pratis naſcitur, & dum floret colligenda eſt. *Vulneraria habetur, & ob vim balſamicam & ſubadſtringentem, albo quoque fluori, non ſine ſucceſſu, poſſe opponi, creditur.*

TUSSILAGINIS, vide Farfaræ.

VERBASCI, Thapſi barbati, Verbaſci foliis incanis, ovato acutis, utrinque tomentoſis, floribus in ſpica denſiſſima ſeſſilibus HALLER. flore luteo magno, *le Bouillon blanc, la Molene*, Wull=Kraut, Himmel=Brand, Königs=Kerzen. Creſcit in Scrobibus, aggeribus, & agrorum marginibus. Folia Menſe Junio colligantur. *Interne, morbis pectoralibus, tuſſi, hæmoptyſi, & ventris torminibus opponi ſolet. Veterinarii angli hanc herbam in vaccarum & jumentorum pulmonariorum curationem adhibent, hinc* Pulmonaria Vaccarum *nuncupatur.* RAJ. *Hiſt. Plant.* *Externe, vim emollientem, & diſcutientem exerit, & dolores mitigare creditur, idcirco ad hæmorrhoidum dolores, teneſmum, & ani procidentiam commendatur.* Inde non ſolum herbam, ſed & radicem ipſam verbaſci, ſeu Phlomi, aut phlogmi, in ipſa pleuritide curanda, cum fructu, adhibuiſſe veteres Medicos, ex *Cœlio Aurel. Theodoro Priſciano*, & aliis conſtat. Qua de re vid. ſi tanti, *obſervationes noſtras ad Theodor.* PRISCIAN. in Append. ad Lib. noſtrum *de Pleuritide*, p 212. ſqq. ubi & plura de ipſo Verbaſco; conf. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 306. ſq. & *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* Claſſe III. p. 510. præſertim autem ZORN. *Botanol.* p. 693. ubi longe plura de virtutibus Verbaſci; ut & in *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. III. pag. 277. ſqq. item TOURNEFORTII, *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 163. ſqq.

VERBENAE vulgaris, maris, flore cœruleo, *la Verveine*, Eiſen=Kraut, Tauben=Kraut, Eiſenhart. Quaſi *oculis vere bona*, ſcite ita interpretante *Arnoldo Villanovano*, apud ROLFINC. *de Vegetabilib.* Lib. I. Cap. I. p. 13. Progerminat circa ſepimenta & muros in locis incultis, & colligenda eſt Menſibus æſtivis. *Adſtringente, refrigerante, vulneraria & anodyna vi prædita eſt.* Vid. WEDELII, Diſſert. *de Verbena*; & RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1698. Menſ. Auguſt. Obſ. 10. pag. 655. ubi vim antepilepticam Verbenæ tribuit; imprimis plura apud ZORNIUM, p. 695. ſqq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 309. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 270.

HERBA VERONICAE majoris, vulgaris ſerpentis, *la Veronique male*, **Ehren⸗Preyß, Heyl aller Schaden, Wund⸗Kraut.** Sponte creſcit in paſcuis & ſilvis recenter nudatis; Menſe Majo & Junio colligatur. *Plantis vulnerariis, inter quas primum locum tenet, adnumeratur, & diureticam, ſudoriferam, pectoralem, nec non roborantem virtutem exercet, item & anthydropicam,* teſte BORELLO, *Obſ. Med.* 53. Cent. II. & SPINDLERO *Obſ. Med.* 51. p. 95. in Schol. Meritiſſimas hujus laudatiſſimæ herbæ laudes cumulatas vid. in *Jo.* FRANCI *Polychreſta herba Veronica, plurimis raris obſervationibus, propriis caſibus & ſecretis remediis Veronicam concernentibus locupletata;* item in ejuſdem *Veronica Theezante*, ut & apud ZORNIUM, p. 697. ſqq. Idem argumentum tractavit, aut tractare voluit ſæpius laudatus PAULLINI. Vid. ipſius *Obſ. Med.* 16. Cent. III. p. 308. ubi & de longævitate ex Veronica, tractat. Huc & imprimis pertinet *Ill.* HOFFMANNI ſingularis Diſſertatio lectu digna & jucunda, *de Infuſi Veronicæ efficacia præferenda herbæ Theæ.* Conf. & EYSELII Diſſert. *de Veronica*, & imprimis *Vit.* RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1696. Menſ. Jan. Obſ. 26. p. 41. & Ann. 1698. Menſ. Febr. Obſ. 17. p. 137. ſqq. item Ann. 1699. Menſ. Auguſt. Obſ. 31. pag. 894. ſq. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 9. p. 431. ſqq. & p. 453. ut & ZORN. p. 676. & p. 698. Hac planta, inquit BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 305. centenos morbos curavi, ubi vid. in antecedentibus plura. De *Veronicis* quibusdam *Alpinis* ſcripſit quoque *Ill.* HALLERUS, *Specimina* II. ut notum, de aliis vero ſpeciebus multis TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 165. ſqq.

VERONICAE fœminæ, vide ſupra *Elatine.*

VINCAE per vincæ, Clematidis Daphnoidis, *la Pervenche*, **Winter⸗grün, Singrün, Ingrün.** Naſcitur in ſilvis, & colligenda eſt Menſe Majo & Junio. *Ob vim leniter adſtringentem, plantis vulnerariis adſociatur, atque in fluxionibus ſanguinis commendatur.* Vid. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 219. & maxime ZORN. p. 700. ſqq.

VIOLARIAE, *le Violier, les Violettes,* **Violen⸗Kraut, Merzen⸗Violen⸗Kraut.** In hortis circa ſepimenta, & in dumetis naſcitur. *Ad herbas quinque emollientes refertur.*

VITIS, folia vitis, *les Feuilles de Vignes, les Pampres,* **Wein⸗Laub, Wein⸗Trauben⸗Blätter.** Colligenda ſunt Menſe Auguſto. *Indolem adſtringentem, & refrigerantem exerunt, atque ad gargariſmata* adhibentur. Vid. SACHSII, *Ampelographia*, & BOECLERI, *Cynoſura Mat. Med* Continuat. I. Part. I. cap. 6. p. 600. præcipue ZORN. p. 706. ſqq. & PORTZII, *Anat. Chym. Vini Rhenani, ſeu Bacharacenſis*, Cap. I.

VIRGAE aureæ, vide Conſolidæ Saracenicæ.

Herba Urticae urentis, vulgaris, racemiferæ, *l'Ortie grieche*, Brenn⸗Eſſeln. Circa ſepimenta, & in ruderibus naſcitur. *Vim diureticam habet, & ſpecifice ad mictum cruentum, ac omnis generis hæmorrhagias commendatur. Hyoſcyamo, & cicutæ reſiſtit*, quas Urticarum virtutes & plures alias mirum in modum laudat Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 578. & *Auctor Continuat. Mat. Med.* Geoffroy, Tom. II. p. 409. ſqq. item Tournefort. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 376. Conf. Slevogtii, Diſſert. ſingul. *de Urticis*; imprimis autem *Jo.* Franci, Tract. *de Urtica urente*, Dilingæ, 1723. & alii plures, laudati Zornio, *in Botanol.* p. 731. ſqq.

Urticae mortuæ, inertis, Galeopſidis, Lamii flore albo, *l'Ortie blanche, ou morte*, Weiſſe, tode⸗Neſſel. Circa ſepimenta & copioſiſſime progerminat, & Menſibus Aprili & Majo, dum floret colligenda eſt. *Ad ſcrophulas, & album fluorem ſpeciatim commendatur.* Vid. Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. II. p. 511. ſqq. & Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 231.

Uvulariae, Hippogloſſi, Biſlinguæ, Bonifaciæ, Lauri Alexandrinæ, Ruſci latifolii fructu folio naſcente Tournefort. *Inſt. Rei* Herbar. 79. & Boerhaave, *Ind. Plant. Hort. Acad.* Leidenſ. Tom. II. p 63. *l'Uvulaire*, Zäpfflein⸗Kraut, Zungen⸗Kraut, Kehl⸗Blat. In hortis colitur, & in Gallia & Italia ſponte naſcitur in locis montoſis. *Vi travmatica & adſtringente prædita eſt. Decoctum ad gargariſmata uſurpatur, præſertim contra adfectus uvulæ, qui ex nimia laxitate & humiditate originem trahunt*, quod ex Solenandro, Matthiolo, Welschio, *Caſp.* Hoffmanno & aliis, probat. Zornius, *Botanol.* p. 385.

CAPUT III.

De Floribus.

Flores Acaciae Germanicæ, Pruni ſilveſtris, *Fleurs du prunellier ou prunier ſouvage*, Schlehe⸗Blüth. Acacia circa ſepimenta luxuriat, & Menſe Aprili ſuos aperit flores, qui ſub Jove ſereno colligendi ſunt. *Alvum ſordibus purgant, ſerum & ſabulum renum ſolvunt; inter antepileptica, nec non anthelmintica quoque referuntur.* Vid. de virtute horum florum cathartica, Riedlin. *Cur. Med.* 671. Cent. VII. pag. 417. & præſertim Zorn. pag. 13.

Anethi hortenſis, *Fleurs d'Anet*, Dill⸗Blumen, Dill⸗Blüth. In umbellam digeſti ſunt; legantur Menſe Julio. *Vim anodynam & carminativam exerunt, & in enematibus adhibentur.*

FLORES ANTHOS, Roriſmarini, Libanotidis, *Fleurs de Romarin*, Roſ⸗marin⸗Blüth. Menſe Majo & Junio colligendi ſunt. In his noſtris regionibus vix & ne vix, ea, qua deſiderantur, quantitate, obtineri poſſunt, hinc ex calidioribus plagis, ubi & fragrantiores creſcunt, adferuntur. Qui recentes ſunt, & odorem refocillantem ſpargunt, adoptandi ſunt. *Virtutem cephalicam, nervinam & uterinam exercent.*

AQUILEGIAE, *Fleurs d'Ancolie*, Ackeley, Ageley, Glocken⸗Blumen. Aquilegia in hortis colitur, ſed etiam ſponte interdum naſcitur in ſilvis. Flores colore vario adparent, ſed cœrulei ſunto, quos eligas. *Antiſcorbuticam vim poſſident, urinam & menſes movent, in numerum vulnerariorum referuntur, & denique ad gargariſmata adhibentur.* Vid. huc ſingularis EYSELII, Diſſertatio, *de Aquilegia, ſcorbuticorum aſylo.* Neſcio vero, an ſolum illa ſit aſylum tetro iſto morbo edaci infectorum? Putem equidem, ni fallor, in Cochlearia, Naſturtio, Acetoſa, Acetoſella, ſucco Limonum, Citri, & id genus aliis acidis, tutius fortiusque ſcorbuticorum aſylum inveniri, quorum antiſcorbuticorum remediorum integrum longum catalogum exhibet ſummus BOERHAAVIUS, Lib. *de Mat Med.* pag. 137. ſqq. & BARBETTE, *Prax. Med.* Lib. IV. cap. 3. p. 146 ſqq atque ibi *Deckerus*, in ſubjectis Notis, ut *Schrœderum*, *Senertum*, *Michaëlem*, *Drawizium*, *Engalenum*, *Mœllenbroccium*, aliosque jam taceam, qui data opera, de Scorbuto ſcripſere. Sed hæc obiter. Ceterum de virtute antiſcorbutica ſingulari Aquilegiæ, ejusque ſeminis, vid. & *Sim.* PAULLI, *Quadripart. Botan.* Claſſ. II. p. 20 ſqq. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom I. pag. 384. præſertim autem ZORN. p. 77 & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 110. ſqq. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 393. ſq.

ARNICAE, vide *Herba & Radices*, cum quibus & flores conveniunt, mitius tamen illis agunt. De miris florum Arnicæ virtutibus, vid. *Act. Med. Berol.* Vol. IV. p 92. ſqq.

AURANTIORUM, Naphæ, *Fleurs d'Orange*, Pomeranzen⸗Blüth. Studio & cura in hortis coluntur. *Ex floribus aurantiorum recentibus, arte & methodo chymica, aqua deſtillatur; exſiccati raro in uſum accerſuntur. Virtute alexipharmaca, & cordiali pollent.*

BALAUSTIORUM, Balauſtiæ, Mali punicæ ſilveſtris, flore pleno majore, *les Balauſtes*, Granaten⸗Blüth. Coluntur in hortis, & ex calidioribus plagis ad nos adferuntur. *Vim valide adſtringentem, & refrigerantem exerunt. In gargariſmatibus, uvulæ lapatæ conducunt; item in diarrhœa, dyſenteria, Lienteria, Hernia, Gonorrhœa, uteri fluore nimio, & ſanguine vulnerum cohibendo, utiles eſſe, judicantur, a* BOERHAAVIO *&* RIVERIO, &c. *Ex rubris petalis, ſpretis rejectiſque calycibus, pulvis ſternutatorius rubicundus paratur.* De quo infra. Vid. de his amœniſſimis floribus, GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 796. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 434. & ZORN. p. 106.

Flores Basilici, Ocymi, *Fleurs de Baſilic*, Baſilgen-Blumen. Hujus herbæ ſummitates, una cum floribus, venales in officinis, proſtant. *Virtutem balſamicam, nervinam & uterinam, cum herbis ſuis, communem habent.*

Bellidis minoris, ſilveſtris, *Fleurs de petite Marguerite, Paſquerete*, Gänß-Blumen, Anger-Blumen. Naſcuntur in pratis & aggeribus, & primo vere florent. *Flores & herba unam* eandemque virtutem, videlicet refrigerantem, exerunt, & pectori, hepati ac renibus, haud inimica officia præſtant. Vid. huc imprimis Eyselii, *Bellicographia*, ſeu Diſſert. de *Bellide;* Multas quoque inſignes laudes ipſis his bellis floribus tribuit Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 161. ſq. & Stahl. *Mat. Med.* Part. II. 86. p. 93. & plures adhuc Zorn. p. 121. ſqq. ex variis Auctoribus præſtantiſſimis; quibus omnino add. Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 170. ſqq. & Tournefort. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 58.

Bellidis hortenſis, Bellidis rubræ, *Fleurs de Marguerite rouge*, Rothe Maß-Lieben, Margaretha Blumen. *Eandem, cum præcedentibus, virtutem poſſident, & præſertim ad tincturam adhiberi ſolent.*

Betonicae, Bethonicæ purpureæ, *Fleurs de Bétoine*, Bethonien-Blüth. Colligendi ſunt Menſe Junio & Julio. Non ſemper flores excerpti, ſed frequentiſſime tantum ſpicæ floreſcentes, in uſum eccerſuntur. *Cum herba vim communem habent, & ad Conſervam requiruntur.*

Borraginis, Bugloſſi veri latifolii, *Fleurs de Bourrache*, Borragen-Blumen. Colligendi ſunt Menſe Julio & Auguſto. *Virtus cardiaca & antimelancholica illis tribuitur, & floribus quatuor cordialibus adnumerantur*, quam tamen virtutem cardiacam imaginariam tantum eſſe cenſet *Cl.* Cartheuser. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 16. pag. 477. Sed in alia plane eſt opinione Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 271. aliique apud Zornium, pag. 136. item Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 205. qui tamen acute diſtinguit inter flores recentes, & exſiccatos, illisque tum analepticam & cardiacam tribuit; his vero perquam exiguam, vel pene nullam. In quo nos habet omnino conſentientes.

Buglossi anguſtifolii, *Fleurs de Bugloſe*, Ochſen-Zungen-Blüth. Florent Menſe Junio & Julio. *Cum floribus borraginis virtute conveniunt, & pari modo floribus quatuor cordialibus adſociantur.* Vid. Tournefort. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 251.

Calcatrippæ, Conſolidæ regalis, Delphinii, *Fleurs de pied d'alouette*, Ritterſporen Blumen, Lerchen-Klauen-Blumen. Inter ſegetus ultro naſcuntur. Sed & in hortis coluntur. Campeſtres cœrulei in uſum vocandi ſunt. *Virtute diuretica, vulneraria & ophthalmica gaudent. Ob viſinitatem, quam Calcatrippa*

cum Aconito habet, merito uſus internus nonnullis ſuſpectus eſt. Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 383. *Externe flores vel in ſacculis, vel à cocto, ophthalmiæ opponi ſolet.* Vid. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect XIII. cap. 16. p. 473. ſqq. & ZORN. p. 154. Parum vero virtutis ipſis adſcribit GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 354. multum contra PAULLI, p. 234. & BOECLER. *Mat. Med Contin.* p. 604.

HERBA CALENDULÆ, Calthæ ſativæ, Verrucariæ, *Fleurs de Souci*, Ringel-Blumen, Gold-Blumen. Coluntur in hortis, & per totum æſtivum tempus florent. *Illis vis cardiaca, uterina, alexipharmaca, anticterica, anthydropica, anthelmintica, antiſpaſmodica, antiparalytica, odontalgica & denique ophthalmica tribuitur. Suffitus vaginæ parturientium exceptus, partum promovere, vel ſaltim levare, creditur.* Plures virtutes recenſet CARTHEUSERUS, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 17. p. 127. ſq. & præſertim ZORNIUS, *Botanol.* p. 155. ſq. add. LOESEKE, *Mat. Med* pag. 161. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 244. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 170. ſq. ubi plura Calendulæ virtutes egregias late recenſet. Ut & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 182. ſq.

CARTHAMI, Cnici ſativi, *Fleurs de Carthame, ou de Safran batard*, Wilder Saffran, Safflohr. Coluntur in hortis & agris, & Menſe Julio ac Auguſto floret. *Alvum emolliunt, & ictericis commendantur. Ad tingendum præcipue uſurpantur. Annotatione dignum eſt, quod floribus hiſce, ut ut luteis, lintea roſeo colore tingantur.* Sed ad ſericos pannos tantum adhibentur, quos a tenello roſeo colore ad purpuram uſque repetitis vicibus, inficiunt.

CENTAURII minoris, vide Herbæ Centaurii minoris.

CHAMOMILLÆ Romanæ, Chamæmeli Romani, Leucanthemi odorati, multiplici flore, *Fleurs de Camomille Romaine*, Römiſche Chamillen, Edle Chamillen. Coluntur apud nos in hortis. *Virtutem carminativam, ſtomachicam, anodynam, & diureticam exerunt. Infuſum Theiforme, ad dolores, qui ex partu oriuntur, commendari ſolet.* -

CHAMOMILLÆ vulgaris, Chamæmeli vulgaris ſilveſtris, Leucanthemi vulgaris, *Fleurs de Camomille des Champs, ou ordinaire*, Chamillen, gemeine Chamillen. Luxuriant in ſegetibus, & Menſe Junio, vel Julio colligendi ſunt. *Pollent virtute tonica, anodyna, carminativa, & antifebrili,* de quo vid. RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. April. Obſ. 5. pag. 95. & Obſ. 15. pag. 108. item Ann. 1697. Menſ. Nov. Obſ. 18. p. 624. ſqq. *imo & cephalica, antihyſterica, anthelmintica, nervina, antiſeptica, antarthritica, anticterica, emmenagoga, ut & antiſpaſmodica*, & pluribus aliis virtutibus, nondum profecto ſatis cognitis, nec ſatis exploratis, aut in publica commoda divulgatis. Licet enim SCHEFERUS, SCHULZIUS, aliique integras doctas Diſſertationes & Tractatus de laudibus ac virtutibus Chamomillæ, con-

ſcripſerint, quibus add. FORESTUM, ETTMÜLLERUM, *Simon* PAULLI, MORTON, RAJUM, & alios, laudatos, a GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 301. ſqq. qui ipſe omnino videri debet; ut & CARTHEUSER. *Fundam. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 16 p. 116. ſqq. præcipue vero ZORN. p. 193. ſqq & quos ibi laudat Auctores plures, ſplendidos Chamomillæ, mille omnino laudibus dignæ, laudatores; quibus add. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 256. Nemo tamen in hunc uſque diem, expertus loquor, repertus fuit, quod pace quidem iſtorum Clariſſimorum virorum dictum ſit! qui ſat digne & ore magne ſonaturo, prædicaret & extolleret inſignes plane imo innumerabiles & inexplicabiles pene virtutes illorum florum humi quidem naſcentium, ſed cœlo profecto dignorum, & polychreſtorum, imo fere panchreſtorum, ut forſan alibi ſingulari opere, cum Deo, oſtendemus, poſt laudatum jam ſupra PAULLINI, quem vid. omnino, *Quadripart. Botan.* p. 253. ſqq. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 163. ſqq. qui imprimis videri debet. Qui hinc ſane ex dignitate ſua, ac virtutibus eminentibus, potius merebantur, ut manibus blande geſtarentur, & ſtudioſe colerentur, quam ut, quod ſæpius fit, duris pedibus calcarentur, aut ad eorundem ſordida balnea, imo ad ſordidiores tetræ illius occultæ voraginis, lotiones, adhiberentur. Sed hæc de hujus, florum ſalutarium quaſi Reginæ, laudibus, hactenus dicta, licet nonnullis hoc quidem loco, nimia forſan videntur; Vix tamen milleſima pars ſunt eorum, quæ loco ſuo ſingulari & commodiore, dicenda adhuc reſtant, de præſtantiſſimis dotibus & efficaciſſimis virtutibus utriusque Chamomillæ, præſertim vero Romanæ. Sunt enim hi, & colore, & pretio magis, aurei argenteique flores re vera pauperum Panacea, & miſerorum ægrotorum Nepenthes. Verum hæc multa, imo, ut rectius dicam, hæc pauca, inquam, jam hic quidem ſufficiant.

FLORES CHEIRI, Keyri, Levcoji lutei, Cheiranthos *Lien Fleurs de Giroflée jaune,* Gelbe Violen. Coluntur in hortis, & vere primo floreſcunt. *Commendari ſolent ad icterum & vitia uteri.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 640. ſqq. & ZORN. p. 704. ſq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 436. *Ex his floribus conſerva paratur, qua apoplexiam & paralyſin arceri, auctor eſt Camerarius;* Inde tradente in Obſervationibus, *Reuſnero,* Epiſcopus quidam Tridentinus ex frequente ejusdem uſu, diu ab his diris malis immunis vixiſſe dicitur. Conf. GEOFFROY, *loc. cit.* p. 642.

CICHORII, *Fleurs de Chicorée,* Wegwarten-Blumen. Circa vias regias, calles, & in aliis locis campeſtribus ſponte naſcuntur. *Hepati conducunt. Conſerva ex floribus, non ex herba, paranda eſt.*

CONSOLIDÆ regalis, vide Calcatrippæ.

CYANI cœrulei, Baptiſeculæ, *Fleurs de Bleuët, de barbeau, de caſſe lunette, ou de petit aubifoin,* Blaue Korn-Blume. Naſcuntur inter ſegetes, &

Menſe Junio floreſcunt. Colligantur cœlo ſereno, & ne paleſcant, chartis interpoſiti, cito fornacis fervore, ſiccentur. Diuretica, & teſte CAMERARIO, etiam *anticterica vi*, inſtructi ſunt. *Aqua deſtillata, & flores ipſi, in ſacculis, ad ophthalmiam* commendantur. Vid. RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1700. Menſ. Nov. Obſ. 30. p. 1349. ſqq. & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 16. pag. 474. ſq. præſertim ZORN. p. 250. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 389. ſqq. ut & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 204. Ex his amœniſſimis floribus paratur celebris illa Aqua ophthalmica, Gallis eleganter *Eau de Caſſe lunette*, dicta, cujus deſcriptio habetur apud GEOFFROY, *loc. cit.* p. 390. conf. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 191.

FLORES FARFARAS, Tuſſilaginis, *Fleurs de Tuſſilage, ou de pas d'ane*, Hufflattich, Roßhub-Blumen. Hæc planta, vere novo, flores ſuos, ante herbam, protrudit, & hinc Filius ante patrem nuncupatur. *Virtutem pectoralem poſſident. Propinantur in decoctis. Ex his floribus ſyrupus atque conſerva parantur, & in officinis venales proſtant.*

GALEOPSIDIS, vide Urticæ.

GENISTAE, Cytiſo-geniſtæ, flore luteo, Geniſtæ ſcopariæ anguloſæ, *Fleurs de Genet*, Ginſter-Pfrimen-Kraut-Blumen, Künſchroten. Copioſe naſcuntur in locis incultis, arenoſis, montoſis atque ſilveſtribus. Menſibus Majo & Junio colligendi ſunt. *Virtutem ſpleneticam, nephriticam, antiſcorbuticam, & diureticam exerunt. In ſubſtantia ſumti, vomitus excitare ſolent, & in decocto alvum ſollicitant.* Vid. de his GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 517. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 442. & ZORN. p. 322. ſqq.

GRANATORUM, vide Balauſtiorum.

HEPATICAE nobilis, *Fleurs d' Hepatique*, Edle Leber-Kraut-Blüth. Hi flores, qui in ſilvis creſcunt, primo vere, decerpendi, ac eodem modo, quo flores Cyani, exſiccandi ſunt. *Communem cum herba virtutem habent, & ad conſervam adhibentur.* Vid. ZORN. *Botanol.* p. 347.

HYPERICI, Perforatæ, *Fleurs de Millepertuis*, Johannes-Blumen, Hartheu-Blumen. Colligantur Menſe Junio vel Julio. *Vim vulnerariam & anthelminthicam poſſident. Contriti odorem terebinthinæ ſpargunt; olea & ſpiritum vini, colore purpureo tingunt.* Virtutem hanc florum Hyperici anthelminticam præſertim laudat ac probat *Thom.* BARTHOLINUS; *in Act. Med. Hafn.* Vol. I. Obſ. 40. p. 74. aliique plures confirmant, apud ZORN. p. 358. ſq. quæ certe aliquanto certior eſt altera illa vulgo decantata antimagica & impotentiæ virili oppoſita, quam tamen poſt *Portam, Paracelſum*, & alios ſimilis farinæ, apud *Zornium* allegatos, admittit quoque,

que, quod mirum, & adprobat ipſe WEDELIUS, *Amœnit. Mat. Med.* Lib. II. Sect. II. cap. 17. p. 486. & *Exercit. Med. Philolog.* 4. Dec. III. p. 20. ſqq. conf. infra Part. II. dicta, *ad Eſſentiam Hyperici*.

FLORES LAVENDULAE fœminæ, anguſtifoliæ, *Fleurs de Lavande*, Lavendel-Blumen. In Italia, Hiſpania, Gallia Narbonenſi, & alibi in locis campeſtribus ac montanis ſua ſponte proveniunt, ſed apud nos coluntur in hortis. Floreſcunt Menſe Junio & Julio. *Virtutem cephalicam & nervinam exercent*, *ad odoramenta* adhibentur, cucuphisque inſerviunt. Vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 17. pag. 124. ſqq. præſertim ZORN. pag. 380. ſq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 683. ſqq.

LILIORUM alborum, *Fleurs des Lis blants*, Weiſſe-Lilien-Blätter. Coluntur in hortis, & flores Menſe Julio vel Auguſto, colligendi ſunt. *Vim anodynam, digerentem, humectantem & maturantem poſſident, inſuperque cuticulam curant; ſed ſicci rariſſime in uſum accerſuntur. Apices luteas liliorum alborum, quas antheres vocant, menſtrua & fœtum pellere referunt nonnulli.* Liliorum elato capite caliceque argenteo nitore refulgente, ſuperbe in hortis exſurgentium laudes & virtutes medicas juſto Libro, ex merito, celebravit *Matth.* TILINGIUS. Francof. 1683. digno, qui legatur. Sed plures illorum laudatores inveniuntur apud ZORNIUM, p. 397. quibus add. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 721. ſqq.

LILIORUM convallium, Convallariæ, LINN. *Fleurs de Muguet*, Meyen-Blumen. Menſe Majo in ſilvis floreſcunt. *Vim cephalicam habent*, *& contra capitis morbos frigidos adhiberi ſolent*. *Si in ſubſtantia ſumantur, alvum ſollicitant*. Præſtat igitur, ſcopo confortandi, aquam ex his floribus deſtillatam in uſum vocare. Hi flores denique potentiam errhinam *poſſident*, *& pulveribus ſternutatoribus intermiſcentur*. Vid. *Hieronymi* HEROLDI *Epiſt. de Lilio Convallio*, & SENCKENBERGII Diſſert. de eodem ſuaviſſimo flore, item DAEDERLINI Diſſ. *de Lilio Convallio* & Cl. denique SCHULZII Diſſ. *de Lilio Convallio*; conf. Cl. BUCHNERI, *Mat. Med.* p. 423. & Cl. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 14. p. 460. ſqq. & ZORN. p. 399. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 725. ſqq.

LINARIAE, vide Herba Linariæ.

LUPULI ſalictarii, Humili LINN. *Fleurs de Houblon*, Hopfen. Folliculi ſquamoſi, vel capſulæ foliaceæ ſunt, & in modum ſtrobilorum, molles, quæ ſemina parva includunt. Sed fructus potius, quam flores appellari merentur. Hæc planta ſcandens, copioſe colitur in hortis, ſed etiam ſponte in dumetis & aliis locis naſcitur. *Ad cereviſiam condiendam præcipue adhibetur; Arti vero ſalutari medicamen anodynum, diſcutiens, reſolvens, calculum, urinam & menſtrua propellens, ſuppeditat. Externe etiam tumoribus & contuſſionibus conducit.* Conf. huc imprimis, *Jo.* EHIN-

GERI ſingularis Diſſert. *de Lupulo* & SALMAS. Exercit. *de Homonym. Hyles Jatricæ*, cap. 63. p. 80. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 571. ſq. & ZORN. p. 408. præſertim GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 755. ſqq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 285.

FLORES MALVAE arboreæ, hortenſis, hyemalis, *Fleurs de Mauve de jardin*, Groſſe Pappeln, Herbſt-Roſen, Winter-Roſen. Coluntur in hortis. Flores Menſibus Auguſto, Septembri & Octobri colligendi ſunt. Elige, qui colore fuſco purpureo occurrunt. *Vim emollientem exerunt, & ob viſciditatem, ad inflammationes faucium, anodinum præbent. Adhibentur ad gargariſmata.* Vid. *Jo. Dan.* HORSTIUS, *de Malva arboreſcente*, ſed imprimis ZORN. pag. 419. & GEOFFROY, Tom. III p. 766. ſqq.

MELILOTI, *Fleurs de Melilot*, Stein-Klee-Blumen. *Infuſum florum Meliloti, ad partum facilius educendum, dolores poſt partum, nephritidem, & oculorum inflammationem, commendatur;* etiam ad clyſteres adhibetur. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 835. ſq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 449. *Sim.* PAULLI, p. 392. & ZORN. p. 428. ubi plura, ut & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 118.

NYMPHÆÆ albæ, *Fleurs de Neumphar, ou Lis d'eau*, Weiſſe See-Blume. De Nymphææ vero veterum & Recentiorum vid. late docteque diſſerentem SALMASIUM, *de Homonym. Hyles Jatric.* Cap. 114. p. 195. ſqq & *Jo. Bod.* a STAPEL, *ad* THEOPHRASTI *Hiſt. Plant.* Lib. IX. p. 1103. ſqq. Naſcuntur in ſtagnis, & Menſe Julio floreſcunt. *Vim refrigerantem & humectantem poſſident, & Satyriaſi maniæque opponi ſolent.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 363. & maxime ZORN. p. 476.

ORIGANI, ſunt ſummitates. Vide Herba.

PAPAVERIS erratici, Rhoeadis, ſilveſtris, *Fleurs de Coquelicoc, ou de Pouceau, ou de Pavot rouge*, Korn-Roſen, Klapper-Roſen, Schnallen-Blumen. De nomine *Rhœadis*, vid. SALMAS. *Exercit Plin.* p. 582. Creſcunt inter ſegetes. Colligantur Menſe Junio vel Julio. *Indole anodyna præditi ſunt, & in ſpecie in catarrhis, ſalſis, acribusque, nec non pleuritide, ſalutaria officia præſtant, atque propter mucilaginem mulcent ac leniunt.* Vid. FISCHERI Diſſert. *de Papavere erratico*, aliosque laudatos ZORNIO, p. 501. add. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 360. ſqq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 124. item WEDELII *Opiologia*, & qui alias de opio ſcripſerunt, infra ſuo loco laudati. Add. & LOCHNERI doctiſſimum *Meconopægninm*, licet id, maximam quidem partem, ad rem philologicam, antiquariam & nummariam pertineat, ut notum. De virtute vero imprimis antipleuritica florum papaveris Rhoeados vid. SITONI *Miſcell. Med. Curioſ.* Tract. 41g. pa. 247. MYNSICHT. SENERT. ETTMULLER. LUDOVIC. VERNA, & alios.

Flores Perſicorum, Mali perſicæ, *Fleurs de pêcher*, Pferſich-Blüth Coluntur in vineis & viridariis. Floreſcunt Menſe Aprili. *Alvum ſolicitant, vomitum commovent, ſerum educunt, & vermes enecant; ex iis fit ſyrupus & conſerva.* Vid. Gesner *Epiſt. Med.* Lib. III. p. 90. b. imprimis Geoffroy, *Mat Med.* Tom. III. p. 807. *Sim.* Paulli, p. 90. Hermann. *Cynoſ. Mat. Med.* p. 383. in Not. & maxime Zorn. p. 508.

Pæoniæ, *Fleurs de Pivoine*, Gicht-Roſen. Coluntur in hortis, & Menſe Majo colligendi ſunt. *Flores cum radicibus communem virtutem habent, & antepileptici cenſentur. Flores in ſubſtantia rarius adhibentur, ſed Syrupus ex illis paratus ſæpius in uſum accerſitur*, quem ad unciam dimidiam, ter, vel quater, de die, pueris epilepticis datum, egregium Medicamentum antepilepticum eſſe, pronunciat ſummus Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 373. ubi plura de Pæonia. Vid. Hünerwolff, *Anatomia Pæoniæ*, Cap. X. pag. 72. ſqq. item Friderici, agnati mei, Diſſert. *de Pæonia*, & Cartheuseri, *Fund. Mat. Med.* Part. II. cap. 15. pag. 467. ſqq. præſertim Zorn. p. 530.

Primulæ veris flore odorato, Paralyſeos, Verbaſculi pratenſis odorati C. B. *Fleurs de Primevere*, Schlüſſel-Blumen, Himmels-Schlüſſel, St. Peters-Schlüſſel. Ubique in campis & pratis progerminant, & tempore verno floreſcunt. *Nervinam, antepilepticam, anodinam, & pectoralem virtutem poſſidere, creduntur.* Vid. Cartheuser. *Fund. Mat. Med.* Part. II. cap. 14. pag. 467. & Zorn. pag. 542.

Rosarum albarum, Roſæ albæ vulgaris majoris, *les Roſes blanches*, Weiſſe Roſen. Coluntur in hortis, & Menſe Junio floreſcunt. *Speciatim ad inflammationem oculorum, & mulieribus ad album fluorem proſcribuntur.*

Rosarum pallidarum, *les Roſes pâles*, Bleiche Roſen, Ulmer Roſen. Coluntur etiam in hortis, & Menſe Junio flloreſcunt. *Alvum movent; bilioſis & hydropicis conducunt.*

Rosarum rubrarum, vulgarium, *les Roſes*, Zucker-Roſen, Rothe Roſen. Etiam colligendi ſunt Menſe Junio. *Quævis Roſarum ſpecies quamdam vim ſubadſtringentem habet, hæc vero paulo magis, quam præcedentes, & ſimul roborantem, analepticam, & cordialem exerit. Hi rubrarum roſarum flores quoque in numerum quatuor cordialium florum, referuntur, & varios uſus, tam internos, quam externos arti ſalutari præſtant.* Conf. huc imprimis *Jo. Carol.* Rosenbergii, *Rhodologia*, ſeu Philoſophico-Medica *generoſæ Roſæ* Deſcriptio; ubi multa de multis roſarum virtutibus medicis, in variis morbis, & Auctoribus Medicis diverſis, ſedulo collecta, conjunctim exhibentur, digna omnino, quæ legantur. Vid. imprimis Lib. II. Cap. 24. uſque ad 33. Conf. & *Nicol.* Monardes Comment. *de Roſa, ejusque partibus & uſibus;* item

CRAUS, Diſſert. *de Roſa*, *& Vit.* RIEDLINI, *Lin. Med.* de Ann. 1695. Menſ. Octob. Obſ. 23. pag. 346. ſqq. & CARTHEUSERI, *Fundam. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 15. p. 470. ſqq. præſertim ZORNII, *Botanol. Med.* p. 578. ſqq. ubi & de pluribus roſarum in medendo virtutibus & de multis earum laudatoribus, quam diligentiſſime & uberrime tractat; quibus add. STAHL. *Mat. Med.* Part. II. p. 137. ſq. & ſi placet *Poëmat. noſtr.* Tom. II. pag. 93. Tom. III. p. 38. ſqq. ibique Not. Tom. IV. p. 271. & ibi Not. denique etiam Tom. VI. qui modo prelo exiit, p. 509. ſqq. in quibus omnibus ſingulares & eximiæ plane Roſarum virtutes & amœnitates, pro viribus quidem noſtris exiguis, decantantur. Sed hæc obiter.

FLORES ROSARUM finarum, intenſe rubrarum, flore ſimplici ſericeo, *les Roſes rouges, ou de Provins*, Knopff-Roſen, feine Roſen, Eßig-Roſen. Coluntur in hortis, & antequam aperiantur, colligendi, abſciſſisque luteis ungulis, celeriter ſiccandi ſunt. *Omnes roſarum ſpecies virtute adſtringente longe ſuperant, in reliquis vero inter ſe conveniunt. Præſertim ad Tincturam & acetum adhibentur*, unde & nomen habent.

SALVIAE hortenſis, *Fleurs de Sauge*, Salbey-Blüth. Aeſtate & præſertim Menſe Julio colligendi ſunt. *Flores & herba virtute balſamica & nervina pollent, & inter ſe conveniunt.*

SAMBUCI, *Fleurs de Sureau*, Hollunder-Blüth. Sambucus ubique ferme terrarum occurrit, potiſſimum vero circa muros, rudera & ſepimenta naſci ſolet, ac Menſe Junio floribus albis incaneſcit. *Hi flores reſolvunt, emolliunt, diſcutiunt, movent ſudorem, mitigant dolores, & augent lac. Infuſum, loco Theæ, ad tuſſim pertinacem, & hæmoptiſin, præſertim ſenioribus commendatum eſto.* Inde & ceu ſummum remedium antipleuriticum, laudatur ab *Ill.* WERLHOFIO, ipſo experto, in *commerc. litt. Med. Norimb.* Ann. 1734. Hebd. 47. pag. 370. ſq. Vid. huc imprimis, *Martini* BLOCHWITII *Anatomia Sambuci*, Cap. 11. p. 25. ſqq. ut & WEDELII, Diſſert. *de Sambuco*; item *Vit.* RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann 1695. Menſ. Maj. Obſ. 13. p. 137. ubi imprimis obſervat, has Sambuci flores, Vino incoctas & externe applicatas, eximium præſertim eſſe remedium odontalgicum. Add. ZORN. p. 600. ſqq. ubi plura; imprimis autem *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* pag. 139. ſqq. & BOERHAAVII, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 208. nec non TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* pag. 357. ubi exactiſſima deſcriptio.

SAXIFRAGIAE, vide Herbæ.

SCABIOSÆ, *Fleurs de Scabieuſe*, Scabioſen-Blumen, Apoſtem-Kraut-Blüth. *Floribus & herbæ eadem vis ineſt, & ſpeciatim ad conſervam adhibentur.*

FLORES SPICAE Celticæ &

SPICAE Indicæ, vide Radices.

SPICAE hortenſis, Lavendulæ latifoliæ, Pſeudonardi, *Fleurs de Spic, ou de grande Lavande*, Spick. Foventur apud nos in hortis, ſed in Hiſpania & Gallia Narbonenſi ſponte naſcuntur, & Menſe Junio vel Julio colligendi ſunt. *Virtus cephalica, nervina & uterina his floribus adſeritur, & tam exterius, quam interius in uſum medicum poſtulantur.*

STOECHADIS Arabicæ, Stœchadis purpureæ C. B. *Fleurs de Stœchas arabique*, Stöchas-Blumen, Welſcher Lavendel. Ex Gallia, Italia & aliis plagis calidioribus adferuntur. Vid. HEUCHERI, *Nov. Provent. Hort. Acad. Witt.* p. 1000. Tom. II. opp. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 280. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 216. ſq. & ZORN. p. 649. item *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Bot* p. 492. Integræ ſpicæ, quæ recentes & fragrantes ſunt, eligito. *Virtutem nervinam, pulmonicam, diureticam, uterinam, & carminativam poſſident.*

STOECHADIS citrinæ, Germanicæ, Amaranthi lutei, *Fleurs de Stœchas citrin.* Rhein-Blumen, Winter-Blumen, Schaben-Motten-Kraut. Speciem Elichryſi conſtituunt, naſcuntur in locis ſabuloſis ſiccioribus, & copioſiſſime circa Rhenum occurrunt, ac Menſibus Junio & Julio florent. *Adfectibus pectoris, lienis & renum proſunt, vermes extingunt, & fumus, quem hi flores prunis ſuperimpoſiti emittunt, ad dolores arthriticos commendatur.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 179. ZORN. p. 650. & *Sim.* PAULLI, *loc. cit.* pag. 492. qui tamen nullum alium uſum agnoſcit, quam quod illius Stœchadis flos, lixivio prius maceratus, tingendis capillis conferat; quod tamen, quo uſque verum ſit, dicant experti.

TANACETI, *Fleurs de Tanéſie*, Rheinfarn, Wurm-Kraut-Blumen. Menſe Junio vel Julio colligantur. *His floribus cum ſua herba, vis anthelmintica & emmenagoga communis eſt.*

TILIAE, *Fleurs de Tillau, Tilleul, ou Tillot*, Linden-Blüth. Tiliæ partim ſtudio plantatæ, partim ſponte natæ occurrunt, & Menſe Julio floreſcunt. *Hi flores virtutem roborantem, diſcutientem, anodynam, & cephalicam, poſſident, inſuperque ad epilepſiam, apoplexiam & vertiginem commendari ſolent; etiamque ſpeciebus ad potiones ordinarias praſcriptis, eo fine intermiſcentur, ut potus grate rubicundulus evadat.* Vid. ILMERI, Diſſert. *de Tilia*, item *Joach.* STEIGII, *Deſcript. Tiliæ*, ut & *Cl.* CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. Cap. 14. pag. 465. ſqq. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 240. ubi plura de virtutibus ſuaviſſimæ Tiliæ, ut & apud ZORNIUM, pag. 678. ſq. & GEOFFROY, *Mat. Med. Contin.* Tom. III. pag. 196. ſqq.

FLORES TUNICAE hortenſis, rubri, Caryophylli hortenſis rubri, Caryophylli domeſtici, Floris Caryophyllorum, *Fleurs d'Oeuillets rouges*, Nägel-Blumen, Garten-Nägelein, Gras-Blumen. Coluntur in hortis, & Menſibus Julio & Auguſto amœne floreſcentes ſuperbiunt. *His floribus cephalica & cardialis virtus adſcribitur.* Hinc una cum floribus Balauſt. pulverem ſternutatorium rubrum Suaveolentem ingredi potiſſimum ſolent, ceu notum. Ceterum de his amœniſſimis floribus vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med. loc. cit.* p. 469. ſqq. & præcipue ZORN. p. 175. ſqq. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 268. ſqq. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 297.

TUSSILAGINIS, vide Farfaræ.

VERBASCI, Thapſi barbati, *Fleurs de Bouillon blanc*, Wullen-Blum. Creſcunt in locis arenoſis, circa margines agrorum, & Menſe Julio vel Auguſto colligantur. *Vim anodynam, & emollientem habent, & ſi in dulci lacte coquantur, ſacculisque rite admoveantur, vel etiam in Clyſmate, cum aliis plantis anodynis & paregoricis commode adhibeantur, teneſmo atque hamorrhoidum doloribus, qui ab hypercatharſi exordium ſumſere, conducunt,* vel ſaltim conducere habentur. *Infuſum florum Verbaſci, Itali, phthiſicis ſacrum eſſe voluerunt perhibente Ill.* HALLERO. Conf. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 307. & GEOFFROY, *Mat. Med. Contin.* Tom. III. p. 277. ſqq. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent* p. 162. ſqq. præſertim ZORN. p. 693. ſqq. item BRUNNERI, *Conſil. Med.* 51. p 310. & *Conſil.* 60. p. 346.

VIOLARUM, purpurearum odoratarum, *les Violettes de Mars*, Blaue Violen, Wohlriechende Veilgen, Merz-Violen. Circa muros, ſepimenta, dumeta, & quoque in hortis progerminant, ac Menſibus Martio & Aprili floreſcunt. *Virtute refrigerante, humectante, emolliente & laxante* potiuntur, inſuperque vis illis *cordialis tribuitur, hinc in numerum quatuor cordialium florum locati fuerunt. Exſiccati in locum calidum reponendi, & in vitris bene clauſis cuſtodiendi ſunt, ne acceſſu aëris paleſcant.* Vid. huc præſertim HENNINGERI Diſſertatio ſingularis, *de Viola Martia, purpurea*; ut & WEDELII, de eodem amoeno flore, blandi Veris nuncio, Diſputatio. Plura vero ex variis Auctoribus collecta, apud ZORNIUM, p. 703. ſqq. ut & in *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. III. p. 314. ſqq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 170. ſqq. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 328.

URTICAE mortuæ, Galeopſidis, Lamii albi, *Fleurs d'Ortie morte, ou d'ortie blanche*, Taube Neſſeln. Circa muros & ſepimenta hortorum ſponte naſcuntur, & Menſibus Martio, Aprili & Majo florent. *Speciatim ad fluorem album commendantur.*

CAPUT IV.

DE SEMINIBUS.

SEMEN ABELMOSCH, Ketmiæ Aegyptiacæ, ſemine moſchato, TOURNEFORT. Alceæ Aegyptiacæ villoſæ, Bamiæ moſchatæ, Ketmiæ Americanæ hirſutæ, flore flavo RAJI. *Graines de Muſc*, Biſam-Saamen. Sunt granula puſilla, reniformia, albicantia, & moſchi, ambræque odorem ſpirantia. Ex Aegypto adferuntur, & interdum etiam in hortis coluntur. Quæ recentia ſunt, & probe fragrant, eligito. Vid. de his VALENTINI, *Hiſt. Simplic. Ref.* Lib. II. Sect.I. cap. I. p.77. BOECLERI, *Mat. Med. Herm. Continuat.* I. Part.I. cap. 5. p. 183. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom.I. p. 351. & *Ind. Major. Plant. Hort. Leid.* Part.I. pag. 272. Item HEUCHER, de *Plant. Hort. Med.* Witt. p.975. Tom.II. Opp. & *Satyr. Med. Sileſ.* Spec.II. Obſ. 9. & LINNAEI, *Flor. Zeylon.* p. 120. *His granulis vis aphrodiſiaca adſcribitur; Ad odoramenta adhibentur, nec non quibusvis rebus, odore moſchato imbuendis inſerviunt.*

ACETOSAE, Oxalidis pratenſis, *Semence d'Ozeille*, Sauer-Ampfer-Saamen. Eſt parvum, triangulare, nigrum, puniceum, ſplendens, atque ſapore adſtringens. *Alexipharmacum cenſetur, & idcirco compoſitionibus nonnullis intermiſcetur.*

AGNI caſti, Viticis officinalis, *Semence d'Agnus caſtus*, Keuſch-Baum, Keuſchlamm-Saamen, Schaaff-Müllen-Saamen. Vid. SALMAS. *Hyl. Jatric.* cap.73. p. 96. ſqq. Arbuſcula ſine cultura ſponte progerminat in Sicilia & Italiæ regionibus. Semen conſiſtit in granis rotundis, paululum pipere minoribus, quæ colore cinereo adparent, & ſaporem ſubadſtringentem acrem patefaciunt. Male vero vocari *Agnum caſtum*, quum poſterius ſit explicatio latina prioris vocis græcæ, oſtendit AMMANN. *Irenic.* p. 37. *In hominibus calidioris conſtitutionis vim antaphrodiſiacam exercet; in iis vero, qui frigidioris complexionis ſunt, venerem excitare ſolet, ut compertum eſt.* De quibus plura vid. apud ZORNIUM, p. 30. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom.III. p.45. ubi & ex WEDELIO obſervat., Semen hoc in Gonorrhœa conducere, vid. ipſum, de *Med. Fac.* p.229. & *Sim.* PAULLI.

ALKEKENGI, Halicacabi, *d'alkekenge, ou Bajes de Coqueret*, Juden-Kirſchen-Saamen. In vinetis & ſilvis naſcuntur. Fructus & ſemina Menſibus Octobri & Novembri matureſcunt. *Antinephriticis, anthydropicis, & antodontalgicis, adſociantur.* Vid. Fructus, & ibi notata.

ALTHAEAE, Ibiſci, *Semence de Guimauve*, Eybiſch-Kraut-Saamen. Hoc ſemen, parvum, ſemicirculare vel reniforme eſt, & ſi in aqua maceretur, muci-

laginem quamdam profert. *Virtute emolliente, & leniente præditum eſt, & nephriticis præſcribitur, variisque compoſitionibus intermiſcetur.* Vid. de hoc GEOFFROY, T. III. pag. 75.

SEMEN AMEOS, Ammi veri Cretici, odore Origani, *Semence d'Ammi,* Cretiſcher Ammy-Saamen. Fœniculo ferme par eſt, & inter plantas annuas & umbelliferas refertur. Semen parvum, ſtriatum, atque colore rufo ſpadiceo adparet, & ſaporem aromaticum acrem guſtui patefacit. Ex Alexandria ægyptiaca adfertur, ubi creſcit; ſed & ſua ſponte in Italia, & regno Siciliæ naſcitur. Recens, maturum, & quod ſaporem acrem prodit, eligendum eſt. *Virtutem alexipharmacam, diureticam, & carminativam poſſidet. In numerum quatuor ſeminum calidorum minorum, locatur; confectioni Theriacæ intermiſcetur; & denique contra fluorem album, & ſterilitatem mulierum, a Matthiolo commendatur.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 96. *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 195. VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Reform.* Lib. II. Sect. I. cap. 3. p. 79. CHARAS, *Deſcript. Theriac.* cap. 62. p. 168. & *Jo. Baptiſt.* SITONI, *Miſcell. Med. Curioſ.* Tract. XXI. pag. 105. ſqq. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 42. p. 329. ſqq. & ZORN. p. 56.

AMOMI, *Semence d'Amome,* Wohlriechender Saame, oder Frucht aus Indien, Amômlein. Amomum verum & genuinum quid ſit, adhuc ſub Judice atque Auctoribus lis eſt. De hac longa & acri, ſed nondum plane deciſa lite, uberrime tractarunt, SALMASIUS, *Exercit. Plin.* p. 284. ſqq. & p. 753. præſertim vero, de *Homonym. Hyles Jatric.* cap. 91. p. 135. ſqq. item *Jo. Bod.* a STAPEL, *in Comment. ad Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib IX. cap. 7. pag. 1014. ſqq. *Proſp.* ALPINUS, *de Med. Aegypt.* Lib. IV. cap. 8. pag. 300. ſqq. *Jo.* RHODIUS, *Not. ad Scribon.* Larg. LXX. p. 130. *Joſ.* SCALIGER, *Scaligerana I.* p. 9. ZORNIUS, p. 59. cum aliis ab ipſo citatis. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 372. ſqq. DOLEUS, *in Pharmacolog.* p. 325. ſqq. HERMANNUS, *Cynoſ. Mat. Med.* Part. I. cap. 5. p. 252. 253. VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Ref.* Lib. II. Sect. I. cap. 2. p. 78. *Pometus*, & alii, quos ibi laudat; omnium autem exactiſſime & copioſiſſime *Nicol.* MARONEA, edito peculiari *de Amomo,* Tractatu, Baſil. 1608. in quo liquido oſtendere voluit, verum eſſe veterum Amomum, quod primus deſcripſerat *Cechinus* MARTINELLUS, in Diſcurſu, *de Amomo & Calamo Aromatico Italorum,* Venet. 1604. cui tamen mox anno ſequente, ſeſe oppoſuit ANONIMUS, *in Examine Diſcurſus Cechini Martinelli, de Amomo,* Mantuæ 1605. Adeo, ut in hunc uſque diem, nemo adhuc ἄμωμος, & ab omni reprehenſione liber, diſceſſerit, qui hanc æternam veluti litem de vero Veterum Amomo, placide tandem componere auſus fuit. Inde neque *Moyſ.* CHARASIUS impetrare potuit, ut ipſi plena fides haberetur, quum in Tractatu *de Theriaca ingredient,* Cap. 44. p. ſqq. magna ſui fiducia, traderet, non ſeſe ſolum, ſed omnes quoque alios præſtantiores in Galliis, pharmacopolas, bene noſſe, imo & larga copia, in officinis ſuis reconditum habere decantatum illud verum pretioſum Veterum Amomum, ſicque omnem litigandi amplius materiam penitus eſſe circumciſam. Hodie plerumque baccæ rotundæ fuſco-

nigri-

nigricantes, & pipere paululum majores, Myrti arboreæ aromaticæ, foliis laurinis, acuminatis, pro Amomo venduntur. Hæ, Myrti arboreæ aromaticæ, baccæ, etiam *Caryophylli rotundi*, & *Piper odoratum Jamaïcenſe*, nec non *Pimenta*, *nuncupari ſolent.* Colliguntur immaturæ. Saporem ac odorem aromaticum, & quaſi ex Cinnamomi, Caryophyllorum, & Nucis moſchatæ, compoſitum, poſſident. Angli his baccis ad condiendos cibos utuntur, & ex inſula Jamaïca adferunt, ubi arbor in ſilvis montoſis provenit & *All-Spice* nominatur, quia nimirum fructus hujus fruticis odorem, & ſaporem, omnium ferme aromatum, præſertim Cinnamomi, Nucis moſchatæ, & Caryophyllorum, ſimul exprimunt. RAJUS, ex SLOANE, *Hiſtoria Jamaica*, hanc arborem ſub nomine *Caryophylli aromaticæ Americanæ, lauri acuminatis foliis* modo ſequenti deſcribit: „ Arboris hujus truncus, femoris humani craſſitudinem æquat, ad „ triginta pedum altitudinem recta aſſurgit, cortice glaberrimo incano tectus, qua„ qua verſus ramos emittit. Virgularum extrema folia diverſæ ſunt magnitudinis, „ ampliſſima quatuor vel quinque uncias longa, duas vel tres lata, glabra, tenuia, „ nitentia, ſaturato virore imbuta, pediculis uncialibus inſidentia, attritu odorata, „ & laurinis per omnia ſimilia. „ Surculorum extrema, ſeu ſummitates in multos, unciam longos pediculos faceſſunt, totidem flores ſuſtinentes, quorum unus quisque e plurimis ex albicante viridibus ſtaminibus, quatuor petalis perexiguis, deorſum reflexis, concoloribus conſtat. Floribus delapſis, ſuccedunt baccæ multæ coronatæ, ſeu umbilicatæ, per maturitatem baccis juniperinis majores, nigræ, glabræ & ſplendentes, in quibus continetur pulpa humida, ſubviridis, acris & aromatica. Baccæ hæ per veſicam deſtillatæ, oleum largiuntur ſuave odoriferum, quod velut *Oleum Caryophyllorum & Cinnamomi* fundum petit. Nonnulli ſemen quoddam rugoſum, angulatum, aromaticum, nigrum, pro Amomo vero venundare ſolent. Hoc nigrum ſemen capſulis ſive ſiliquis ſubovatis, triangularibus, & in loculamenta tria diviſis, incluſum, ab aliquibus *Cardamomum majus*, ab aliis vero *Amomum racemoſum* vocatur. LINNAEUS, *in Horto Cliffortiano*, hoc ipſum ſemen ſub nomine *Amomi, ſcapo nudo ſpica ovata, & ſpica oblonga obtuſa*, deſcribit. *Vires Amomo inſunt cephalica, ſtomachica, incidentes*, & roborantes. *Propter virtutem alexipharmacam*, confectioni Theriacæ quoque intermiſcentur. Alii *hoc Amomum*, ſcapo nudo LINNAEI, arbitrantur idem eſſe ac *Cajeput*, quod ſpecies cardamomi eſt, de quo infra, in deſcript. Exoticorum.

SEMEN ANETHI hortenſis, *Semence d'Anet*, Dill-Saamen. Compreſſum membranaceum, quodammodo & tenue eſt, tribusque ſtriis, atque colore dilute fuſce, notatum adparet, nec non ſaporem aromaticum, & gratum odorem, guſtui & naribus communicat. *Digerit, diſcutit, lac auget, ſomnum conciliat*, & denique flatus & urinam *propellit*. Vid. de hujus ſeminis virtutibus, in KARCHERI Diſſertatione ſingulari, *de Anetho*, & plura apud ZORNIUM, p. 67. item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 106. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 91. ſqq.

SEMEN ANGELICAE ſativæ, *Semence d'Angelique*, Angelick-Saamen. Albicans latum & compreſſum eſt; odorem vero cum ſua radice communem habet, & ſaporem acrem prodit. *Virtutem alexipharmacam, diureticam, & carminativam habet.*

ANISI, *Semence d'Anis*, Anis-Saamen. Oblonge rotundum, parvum, ſtriatum, & colore viridiuſculum eſt, ſaporemque dulcem aromaticum habet. Ex planta annua colligitur, & copioſe in Thuringia, agro Bambergenſi & alibi ſeritur. Eligito ſemina majora, matura, & quæ a ſtipitibus, ac quisquiliis immunia ſunt. *Virtute carminativa, pnevmonica, ophthalmica & ſtomachica pollet. Inter quatuor ſemina calida majora refertur.* Conf. HENNINGERI Diſſert. *de Aniſo*, & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 38. pag. 302. ſqq. item LOESECKE, *Mat. Med.* p. 335. ſqq. præſertim ZORN. p. 70. ſq. & GEOFFROY, *loc. cit.* p. 95. ſqq.

ANISI Indici, ſtellati, Philippinarum inſularum Badiani, *Semence d'Anis de la Chine, ou d'Anis étoilé*, Indianiſcher Anis, Stern-Anis. Capſula ſeminalis, quoad exteriora, ſtellam repræſentat; nam ex uno eodemque centro, ſex vel ſeptem radios emittit, quorum quisque ſiculcus granum ſuum profert. Colore flavo fuſcum adparet, & ſaporem dulcem, ex Aniſo & Foeniculo quaſi mixtum, patefacit. Sat frequenter ſtellæ ad nos integræ perveniunt; ſed plantæ, quæ has ſtellas parit, nobis nondum ſatis cognita eſt. *Affinis* quidem cenſetur *Evonymo Philippinarum Inſularum, Aniſum ſpiranti, nuculas in capſulis ſtellatim congeſtis proferenti.* Ex India orientali, per Tartariam, in Moſcoviam tranſportatur; & hinc forſitan *Fœniculum & Aniſum Siberienſe* vocata eſt. Capſulæ & radii majores, qui dulces, & multo oleo turgent, eligantur. *Virtute par eſt aniſo vulgari; illo tamen ſuavius, præſtantius & penetrantius.* Vid. de his fuſius, GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 469. ſqq. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. cap. 38. p. 304. ſqq. item ZORN. p. 71. *Valentini*, & LOESEKE, *loc. cit.* p. 337. & alios.

APII ſativi, *Semence d'Ache*, Garten-Eppich, Selery-Saamen. Parvum, ſtriatum, & ſemine petroſelini minus eſt. *Seminibus quatuor calidis adſociatur, & ad calculum, nec non uteri vitia* commendari ſolet.

AQUILEGIAE, *Semence d'Ancolie, ou Ancholie*, Ackeley, Glocken-Blumen-Saamen. Nigrum, ſplendens & puſillum eſt. *Huic, virtus alexipharmaca, & antiſcorbutica adſcribitur. Ictericis vel in ſubſtantia, vel in emulſione exhiberi ſolet. Hæc emulſio quoque in peripnevmonia, variolis, morbillis, aliisque febribus exanthematicis, & eryſipelate cum bono ſucceſſu adminiſtratur.* Vid. STAHL. *Mat. Med.* Part. II. cap. 3. p. 66. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 384. & maxime ZORN. pag. 77. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 111. ſqq. & exacte quoque TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 393. ſq.

SEMEN ASPARAGI ſativi, *Semence d'Aſperge*, Spargel-Saamen. Loco ſeminum plerumque baccæ rubræ, in quibus ſemen verum, ſeu acini nigri latent, venales proſtant. *His acinis nigris vis diuretica tribuitur, ſed tamen rarius in uſum accerſuntur.*

ATRIPLICIS hortenſis, albæ ſativæ, *Semence d'Arroche, ou de bonne dame*, Melten-Saamen. Albicans, compreſſum & orbiculatum eſt. *Vi emetica & purgante potitur, atque ad drachmas duas cum aqua calida porrigi ſolet; præſertim ictericis præſcribitur.* Cautione tamen opus eſt, obſervantibus *Serapione, Matthiolo*, & aliis, vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 144. ZORN. pag. 100. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 546.

AVENAE, *Avoine*, Haber, Hafer. Seritur quidem, ceu notum eſt, pro gratiſſimo & præſertim corroboranti equorum, aliorumque animalium domeſticorum, pabulo; ex ea tamen etiam optimæ & variæ pultes atque ſorbitiones pro ipſis hominibus, præparantur. Non alia fere juſcula apud Anglos præcipue, in uſu ſunt, quam avenata, tam apud Nobiles, quam plebejos, quæ ſane tam ægrotis, quam ſanis, ſaluberrima ſunt. Facile coquuntur, & optimum alimentum corpori ſubminiſtrant. Omnes ferè apud Anglos, Medici in morbis acutis, non aliis fere ſorbitionibus ægrotos alunt, quam avenatis, ita bene GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 147 ſqq. granum hoc excorticatum & craſſiuſcule molitum *gruau* vocant galli. Conf. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 629. ut & *Conſultat. Med.* p. 395. & p. 397. & *Ill. van* SWIETEN, *in Comment. Bœrhaav.* paſſim, item BOECLER. *Mat. Med. Continuat.* p. 247. & maxime ZORN. *Botanol.* p. 101. item *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Bot.* p. 213. ſqq. præcipue Faſcic. V. *Operis Botan.* WEINMANNIANI, pag. 100. ſqq. laudati *in Commerc. litt. Med Norimb.* Ann. 1736. p. 394. ſq. ut alios plures taceam. Imo dudum HIPPOCRATES non ſolum vulgarem illam ptiſanam hordeaceam, ſed & avenaceam, in morbis præſertim acutis, ſæpiſſime admodum commendavit, quem deinde ſecuti ſunt GALENUS, AEGINETA, *Alex.* TRALLIANUS, ORIBASIUS, aliique plures. Vid. MINODOEUS, CLAUDINUS, & alii, qui de præparatione & uſu ptiſanæ ſcripſere. Paratur quoque ex Avena potiſſimum, celeberrimum illud Decoctum Lowerianum, cujus infra, Part. II. exacta deſcriptio habetur, ſub Tit. *Specierum pro Decocto Avenæ*, de quo vid. HOFFMANNI, *Med. Rat. Syſtem.* Tom. IV. pag. 568. & alibi ſæpius, imprimis in Diſſert. *de Cura Avenaria.* Conf. NICOLAI, *de Formul. Med.* p. 333.

AURANTIORUM, *Semence d'Orange*, Pomeranzen-Korn, Pomeranzen-Saamen. *Alexipharmaca, diaphoretica & anthelmintica virtute potitur, ac in emulſionibus propinari ſolet.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 155. & ZORN. pag. 103.

Semen Bardanae, ſeu Lappæ majoris, *Semence de Bardane*, Kletten-Saamen. Oblongum, fuſcum, & ſtriis nigris ſignatum eſt, atque ſaporem amaricantem prodit. *Inſignis vis diaphoretica, & diuretica illi tribuitur. Doſis eſt a drachma una ad duas, ſive in ſubſtantia, ſive in emulſione exhibeatur.* Vid. Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 159. & Zorn. p. 115. item Tournefort. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 208. & Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 206.

Basilici, Ocymi vulgaris, *Semence de Baſilic*, Baſilgen, Baſilien-Saamen. Parvum eſt & nigricans, ſaporemque mucilaginoſum prodit. *Commendatur contra uteri adfectus. Si aqua maceretur, mucilaginem emittit, & hac mucilago ad aphthas, rhagades, & fiſſuras labiorum atque mammillarum apte adhibetur.* Vid. Zorn. pag. 117.

Berberum, Acini fructus berberum, *Semence d'Epine vinette*, Erbſeſen-Saamen, Sauerach-Saamen. Semen berberum conſiſtit in acinis, ſive arillis oblongis, colore pallidis, & ſapore adſtringentibus. Frutex berberis ſponte naſcitur in dumetis ſilveſtribus, & locis incultis, interdum etiam in hortis colitur. Menſibus Aprili & Majo floreſcit, ac circa finem Septembris fructus matureſcit. *Semen hoc, vim adſtringentem poſſidet, ſed rarius in uſum vertitur.*

Bombacis, Goſſypii fruteſcentis ſemine albo, annui, *Semence de Coton*, Baumwollen-Saamen. Hoc ſemen nigro cinereum eſt, & majorum piſorum magnitudinem æquat; nec non nucleum album, oleoſum ac dulcem complectitur. Bombax ſive Goſſypium colitur in Cypro, Malta, Sicilia, aliisque inſulis, quas mare Aegæum circumcingit. *Hoc ſemen demulcet, & ſi recens, & non rancidum ſit, nephriticis & hecticis conducit.*

Brassicae rubræ, *Semence de Chou rouge*, Rother Kohl-Saamen. Rotundum & rufo furvum adparet, ſinapi molem exprimit, & guſtui ſaporem oleoſum ſubacrem imprimit. Braſſica in hortis & agris colitur, ſed altero demum anno, poſt plantationem ſemina ſua largitur. *Ad Gonorrhœam, vermes interficiendos, & colicam commendari ſolet.* Vid. Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 216. ſqq. & Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 423. & maxime Zorn. p. 141. ubi plura.

Buniadis, vide Napi.

Cannabis ſativæ, *Semence de Chanvre*, Hanff-Saamen. Rotundum, parvum, & cineraceum eſt, ac ſaporem oleoſum dulcem prodit. *Si interne ſumatur, ventriculum & caput ſimul gravat*, quod imprimis de Cannabis ſeminibus Perſarum & Indorum, verum eſſe oſtendit, Kaempferus, *Amœnit. Exot.* Faſcic. III. Obſ. 15. p. 645. ſqq. ubi & ipſi virtutem aphrodiſiacam tribuit, Conf. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 576. & maxime Zorn. p. 160. ſqq. item Geoffroy, *Mat. Med.*

Tom. III. p. 249. ſqq. & HERMANN. *Cynoſ. Mat. Med.* p. 367. ſqq. *Ad tuſſim & icterum, a nonnallis, præſertim a* DODONAEO *& Franciſco* SYLVIO, *commendatur, obſervante Geoffroy, & Sim. Paulli. Datur in ſubſtantia, ſcrupulus unus, ad drachmam unam. Sed melius eſt, ſi in emulſionibus exhibeatur. Hæ quoque externe doloribus capitis, nec non delendis maculis, quas acrior variolarum ſuppuratio notavit, conducere, dicuntur*; quod in ſe ipſa experta fertur maxima quondam Reginarum Angl. Eliſabetha, ut idem *Geoffroy*, poſt alios, adnotavit.

SEMEN CARDUI benedicti, *Semence de Chardon beni*, Cardobenedicten-Saamen. Oblongum, teres, & ſtriatum eſt, ſcopulam quaſi ſimulat, ac ſaporem amarum palato communicat. *Virtute alexipharmaca, & antipleuritica potitur. In morbillis & variolis adhiberi, emulſionibusque quibusdam intermiſceri ſolet.* Plura de his virtutibus, apud ZORNIUM, *Botanol.* p. 167.

CARDUI Mariæ, albis maculis notati vulgaris, *Semence de Chardon Marie*, Marien-Diſtel, Veh-Diſtel-Saamen. Oblongum, aliquantulum compreſſum, & fuſcum adparet, ſaporemque amaricantem prodit. *Non a janua aberrant, qui de ſignatura externa conjiciendo, huic ſemini aliquam vim antipleuriticam tribuunt, nam revera antipleuriticum eſt, & emulſio, quæ ex inde paratur, inflammationibus quibusvis internis conducit.* Ita quidem de his Cardui Mariæ ſeminibus nimis benigne ſentiunt Medici celeb. *Stahlius, Junkerus, Storchius* & alii v. g. AUCTORES *Syllog. rerum Med. & Phyſic.* Wratislav. Menſ. Maj. 1718. pag. 1049. & p. 1063. conf. ZORN. p. 169. Ego tamen pace horum omnium, experientia edoctus, in contrarium affirmare audeo, nihil quidquam levaminis ex ſolis his ſeminibus retuliſſe pleuriticos, niſi larga præceſſerit ſanguinis miſſio, aliaque idonea ac proficua remedia prius adhibita fuerint. Conf. Tractatum noſtr. *de Pleuritid.* Cap. III. p. 48.

CARTHAMI, flore croceo, Cnici, *Semence de Carthame, ou de Saffran batard*, Wilder Saffran-Saamen. Album, oblongum & angulare eſt, nucleumque candidum ac dulcem ſub duriore cortice recondit. Copioſe in Alſatia & campis Argentoratenſibus Carthamus colitur. Semina, quæ magna, & matura ſunt, ac nucleum oblongum, albicantem, pulpoſum & ponderoſum includunt, eligantur. *Eximium & mite catharcticum, & hydragogum eſt, atque hydropicis tuſſientibus, & quartana febre laborantibus conducit. In emulſionibus optime exhibetur, & a drachmis duabus, ad ſex dari poteſt.* Inde etiam paratur celebre illud *Electuarium Diacarthami*, item *Extractum Diacarthami*, de quo infra ſuo loco; quod præclare laudat RENODAEUS, *Diſpenſat. Med.* Lib. II. Sect. III. Cap. I. p. 742. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. p. 599. & præſertim p. 465. ubi plura de ipſo Carthamo, cujus uſus per ſe non adeo tutus, vid. ibid. pag. 464. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 200. item ZORN. pag. 218.

SEMEN CARVI, Cari, Cumini pratenſis, *Semence de Carvi*, Kümmich, Wieſen-Kümmel. Planta in pratis ſponte naſcitur, Menſe Majo floreſcit, & ſemen ſequente menſe matureſcit. *Virtute ſtomachica, carminativa, & diuretica pollet. Ad quatuor calida majora ſemina refertur.* Vid. MILHAU, Diſſert. *de Carvo*, ubi plura de hujus ſeminis virtutibus. Add. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Cap. 42. p. 326. ſqq. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 100. ubi plura de hujus ſeminis polychreſti egregiis virtutibus, ut & apud ZORN. p. 171. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 341. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 266. ſq.

CATAPUTIAE majoris, Ricini vulgaris, Palmæ Chriſti, Phaſeli Romani, Grani regii majoris, *Semence de Ricin, de Chaſſetaupe*, Purgier-Körner, Treib-Körner. Ricinus pertinet ad plantas apetalas. Colitur in hortis, & eodem, quo ſeritur, anno floreſcit. In Aegypto ſponte naſcitur atque perennat, ex obſervatione DURANTI, OLEARII, TAVERNERII, *Paulli* LUCAE, & aliorum. Semen fabæ minoris magnitudinem & figuram ovalem, ſed aliquantulum compreſſam exprimit; colore vero vario, & quaſi ex albicante, cineraceo & nigro, commixto & interſtincto, adparet, ac nucleum album & acrem ſub tenui putamine velatum tenet. *Vim purgantem & hydragogam acriter ſatis exercet. Emulſio ex duobus vel tribus, hujus cataputiæ ſeminibus, quæ pondere Medicorum, grana decem vel duodecim æquant, confecta, ſerum immenſe propellit, & hydropicis, qui nec emaciati, nec bilioſi ſunt, conducit*, de quo vid. ZORN. p. 573. *Oleum ex hoc ſemine expreſſum, externe ad membra paralytica commendari ſolet; & etiam interne ad ſerum educendum, ad drachmas duas, & ultra, dari poteſt.*

SEMEN CATAPUTIAE MINORIS, Tithymali latifolii, Lathyridis majoris, Eſulæ majoris, Eſulæ vulpinæ, *Semence d'Epurge*, Spring-Körner, Treib-Körner. Si ſemel ſeratur in hortis, ſe ipſum quotannis ſponte propagat, & niſi ſtudio eradicetur, longe lateque laſciviendo, perennat. Semen hoc rotundum eſt; piſi magnitudinem æquat, & ſub cortice fuſco, album nucleum tenet. *Surſum atque deorſum valde purgat. Sed vix ulli, niſi hydropico, exhiberi fas eſt; nimia enim acrimonia, quam poſſidet, facili negotio inteſtinorum inflammationem concitat, vel ſaltim concitare poteſt*; ut etiam probe notavit HOFFMANNUS *Med. Rat. Syſtem.* Tom. II. Part. II. C. 5. p. 248. & alibi, conf. *Act. Med. Hafn.* Vol. I. Obſ. 88. p. 172. & ZORN. p. 380. *Caveant igitur ſibi pharmacopolæ, ne hæc grana indiſcriminatim, cuivis levi homuncioni, divendant, minime vero ſuſpectis mulierculis impertiantur. Hydropicis a granis quinque; ad ſeptem dari, licitum eſt.*

CHAEREFOLII, *Semence de Cerfevil*, Körbel-Kraut-Saamen. Longulum, exile, nigricans & acuminatum eſt, ſaporemque acrem aromaticum prodit. Quotannis de novo ſeritur in hortis. *Semen & herba unam eandemque vim habent.*

Semen Cichorii hortenſis; ſativi, *Semence de Cichorée*, Weeg-Warten-Saamen. *In emulſionibus, ad hepatis inflammationem commendatur.*

Cicerum rubrorum, ſativorum, flore ex purpureo rubeſcente, *Semence des pois chiches rouges*, Kichern, Kücher-Erbſen, Zieſern. Cicera verno tempore ſeruntur. *Decoctum puerperis ad lochiorum fluxum promovendum præſcribi ſolet; nonnulli venerem excitare credunt, ut* Galenus, Lib. I. *de Aliment. Facult.* Athen. Lib. II. Aeginet. Aristoph. Acharnens. Suidas, & alii. Plura de hac virtute cicerum aphrodiſiaca, vid. apud *Jo. Bod.* a Stapel, *in Comment. ad Theophraſt. Hiſt. Plant.* Lib. VIII. p. 922. Reinesium, *ad Petr. Arbitr. Satyr.* Cap. 58. *Tanaquill* Fabrum, *in Not. ad* Aristophanis *Concionatrices*, p. 176. Lib. II. Epiſt. Crit. aliosque. De reliquis vero Cicerum, rubrorum præſertim, virtutibus, plura lege, ſi placet, apud Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 318. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 478. *Sim.* Paulli, *Quadrip. Botan.* p. 264. & potiſſimum Zorn. *Botanolog.* p. 203. & quos ibi laudat Auctores plures.

Cinae, Cynæ, Zinæ, Zedoariæ, Sanctum, Santonicum, contra vermes, Semen Lumbricorum vulgare, *la Barbatine, la Sementine, Semence contre les vers*, Wurm-Saamen, Zittwer-Saamen. Ex Perſia & Aegypto advehitur. De Planta hujus ſeminis nil certi, & indubitatæ fidei, huc uſque relatum eſt. Sunt, qui eam pro ſpecie Abſinthii, quæ *Abſinthium Santonicum Alexandrinum*, C. B. vocatur, haberi cupiunt. Alii cenſent, quod ex hoc ſemine terræ mandato, planta exurgat, quæ Tanaceti ſimilis ſit. De qua controverſia vid. *Cl.* Cartheuser. *loc. cit.* p. 311. ſqq. qui ipſe cum recentiſſimis Auctoribus *αὐτόπταις*, Cleyero, Jagero, & aliis, pro Abrotani ſpecie habet. Conf. Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. II. p. 466. ſqq. Cl. Bern. de Jussieu hoc medicamentum, hactenus ad Semina Relatum, pro meris ſummitatibus habet. Semina, quæ colore viridi flaveſcente oculis adparent; olfactui, guſtuique odorem vere Zedoariæ, & ſaporem acrem amarulentum imprimunt, nec pulvere, quiſquiliiſve inquinata ſunt, ſeligito. *Denſis vermium turmis obſiſtit, nec non ſtomachicum præbet, & emmenagogum.* Conf. huc Cl. Cartheuseri, Diſſert. *de Semine Santonico*, ejusdemque *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 40. p. 309. ſqq. ubi & p. 315. ſqq. præclaras virtutes varias ipſi tribuit. Item Zorn. p. 606. & Geoffroy, *loc. cit.* p. 468. ſq.

Citri, Mali Citri, *Semence de Citron*, Citronen-Saamen. Ex maturo fructu excerpendum eſt. *Calefacientem, & attenuantem vim exerit, lumbricosque necat.* Vid. Geoffroy, *Mat. Med* Tom. III. p. 336. & Zorn. p. 216. *Ob nimiam amaritudinem, ingratum atque moleſtum eſt, nihilominus tamen in febribus malignis, emulſionibus immiſceri ſolet.*

Citrulli, Angariæ, folio Colocynthidis ſecto, ſemine nigro, *Semence de Citrouille*, Angurien-Waſſer, Melonen-Saamen. Eligatur recens, &

non rancidum. *Vim refrigerantem & demulcentem poſſidet, ac quatuor frigidis ſeminibus adſociatur.* Vid. laudat. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIV. Cap. 4. pag. 528. ſqq. ubi & de reliquis ſeminibus refrigerantibus tractatur. Conf. ZORN. p. 217. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 341. ſqq.

COCOGNIDII, Laureolæ folio deciduo, flore purpureo, Chamæleæ, Mezeræi, *Semence de Laureole, ou de méſéréon, ou de bois gentil,* Keller-Hals, Teutſcher Pfeffer, Seidelbaſt, Purgir-Körner-Saamen. Rotundum, fuſcum, & pipere paululum majus eſt, ſaporemque urentem patefacit. Frutex eſt Laureola, quæ in ſilvis & locis eminentioribus progerminat, Menſe Martio floreſcit, & circa autumnum, ſemen ſuum maturum largitur. Vide de hoc fuſe & accurate GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 691. ſqq. qui tamen p. 695. negat, poſt alios plures, celebre illud *Hippocrati,* veterumque Medicorum aliis, granum cnidium fuiſſe Laureolæ, ſive Thymelææ fructum. De qua controverſia jam olim, poſt *Dioſcoridem, Galenum,* aliosque, ſtrenue diſputarunt MATTHIOLUS, BAUHINUS, FUCHSIUS, HOFFMANNUS, FOESIUS, MERCURIALIS, & alii; quibus addendus merito *Jo. Bod. a* STAPEL, *ad Theophraſt. Hiſt. Plant.* Lib IX. p. 1184. ſqq. *Ob vim cauſticam, acriter purgat, ut nemini, niſi robuſtiſſimus ſit, exhiberi liceat. Empirici tria integra grana hujus ſeminis, temerario auſu, hydropicis porrigunt quandoque. Sed Religioſi Medici uſum hujus ſeminis plane pleneque merito interdicunt,* & inter illos potiſſimum HOFFMANNUS, & ETTMÜLLERUS, ad SCHROEDERUM, MATTHIOLUS, SENERTUS, FERNELIUS, WEDELIUS, aliique apud ZORNIUM *Botan.* p. 191. quibus add. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 694.

COCHLEARIAE, rotundifoliæ hortenſis, *Semence de Cochlearia,* Löffel-Kraut-Saamen. Rotundum, fuſcum & papaveris inſtar parvum eſt, ac ſaporem acrem amaricantem exerit. Seritur in hortis. *Vim antiſcorbuticam, cum herba communem habet.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 419. & ZORN. pag. 219.

COLOCYNTHIDIS, *Semence de Coloquinte,* Coloquinten-Saamen. Oblongum, compreſſum & albicans eſt, & ſub cortice firmo, albam medullam continet, quæ non adeo amara deprehenditur, ut fructus. *Rarius, vel nunquam in uſum vocatur.* Vid. Fructus.

CORIANDRI vulgaris, ſativi, majoris, *Semence de Coriandre,* Coriander-Saamen. Seritur in hortis & arvis. Planta eſt annua, & umbellifera. Semen rotundum adparet, & ſaporem aromaticum prodit. *Virtutem ſtomachicam, carminativam, & antifebrilem poſſidet. Veteres coriandrum pro venenato habuerunt,* quod tamen ſtrenue & vere negat PAULLI, cum aliis, vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 100. & GEOFFROY, *loc. cit. idcirco illud aceto præparare ſolebant; hæc vero ſollicita præparatio, vana atque ſupervacanea eſt.* Vid. plura in *Jo.* BOECLERI Diſſert. ſingulari *de Coriandro,* & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. C. 39. p. 306.

p. 306. ſqq. potiſſimum vero ZORN. p. 228. ſq. & quos ibi laudat Auctores plures. add. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 356. ſq. & præcipue GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 358. ſqq.

SEMEN CUCUMERIS ſativi, *Semence de Concombre*, Gurcken-Cucumern-Saamen. Albicans, oblongum & planum eſt, dulcemque oleoſum ſaporem habet. Seminatur in hortis. Fructus, apud nos potiſſimum, in uſum culinarem vocatur, ſed etiam in medicum, præſertim apud Italos, & Gallos, obſervante RAJO, apud GEOFFROY, *loco mox citando*, & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. III. pag. 521. *Semen hoc, ſi modo recens ſit, & non rancidum, vim refrigerantem ac demulcentem poſſidet; refertur quoque in numerum quatuor majorum ſeminum frigidorum.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 375. & maxime ZORN. p. 242.

CUCURBITÆ, *Semence des Courge, ou Calebaſſe*, Kürbſen-Kern. Hoc ſemen, magnitudine & forma varium eſt, ſemper tamen album, planum, & margine cinctum. Seritur in hortis, vinetis, & arvis, & ſemen tempore autumnali matureſcit. *Refertur ob vim refrigerantem*, in numerum quatuor majorum frigidorum. *In emulſionibus uſurpatur, ſed nunquam ſine ſaccharo, hæ emulſiones propinandæ ſunt, ne mucilago & lentor ventriculum gravent.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 527. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 382. & imprimis ZORN. p. 245.

CYDONIORUM, *Semence des Coins*, Quitten-Kern, Quitten-Saamen. Hoc ſemen colore fulvo, & magnitudine ſeminum pomorum exprimit. Arbores in hortis, arboretis, & vinetis coluntur. *Mucilago, quæ mediante aqua, ex his cydoniorum ſeminibus extrahitur, vim refrigerantem habet, & tam acrimoniam, quam æſtum temperat. In fluxu alvi, ardore & excoriatione* linguæ & faucium, ob gratiorem ſaporem ceteris mucilaginoſis præferri meretur. Vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XV. cap. 5. p. 551. ſqq. & ZORN. p. 254. ubi plura, item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 370. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 557.

CYMINI, Cumini ſemine longiore, hortenſis, Romani, Fœniculi Orientalis, Cuminum dicti, TOURNEFORTII. *Semence de Cumin*, Römiſcher Kümmel, Langer Kümmel. Oblongum, ſtriatum, & flavoſpadiceum eſt. Ex regionibus calidioribus, advehitur, præſertim ex Inſula Melita, ubi copioſiſſime colendo provenit. In India, Perſia aliiſque conterminis plagis, ſua ſponte ſuccreſcit. *Ingratum odorem, & faſtidioſum ſaporem prodit, virtutem tamen carminativam, diſſolventem, & diureticam habet, ſeminibusque quatuor majoribus calidis adnumeratur.* Vid. plura in Diſſert. *Jo. Chriſt.* EHRMANNI, *de Cumino*, & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 42. p. 328. præſertim autem ZORN. *Botanol.* p. 246. ſq. ubi plura; ut & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 383. ſqq.

SEMEN CYNOSBATI, Roſarum ſilveſtrium, *Semence d'Eglantier, de Roſier ſauvage, ou de Grattecul*, Hägen-Hüfften, Hagen-Butten-Saamen. A lanugine, quæ in ano, & aliis partibus corporis denudatis pruritum & moleſtiam creat, probe ante uſum hæc ſemina liberanda ſunt. *Ob vim lithontripticam, ad præcavendum calculum, laudari ſolent.* Vid. RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1698. Menſ. Nov. Obſ. 20. pag. 960. ſqq. ROSENBERG, *Rhodolog.* & alios laudatos ZORNIO, pag. 257. ſqq.

DATURÆ, vel Dutroæ, aut Dutrii, Stramonii Indici, vel Aegyptiaci, ſemen, quod vel exigua doſi, ſumtum ſtupidos, hilares, ebrios quaſi & omnium rerum obliviosſos protinus reddit homines; quo proinde ad fœda adulteria, vel in ipſa maritorum præſentia, ſecure & impune committenda, abutuntur ſæpius laſcivæ & projecti pudoris feminæ Indiæ orientalis, item ad furta intrepide perpetranda, ſubleſtæ fidei famuli; de quo miro diroque Daturæ effectu, videndi potiſſimum *Garcias ab Orta, Chriaſt a Coſta, Bontius, Proſper Alpinus, Veslingius, Valvaſor, Linſchottanus*, & imprimis MANDELSLOH, ibique in Notis, *Adam Olearius*, p. 95. & ex eo HOFFMANNUS, de *Sacrileg. Lüneburg.* Part. III. p. 33. ſqq. ubi & ipſius plantæ icon exhibetur; de qua præter jam laudatos, etiam ſpeciatim tractant *Bauhinus, Pona, Columna, Parkinſonius, Cluſius, Hermannus, Tournefortius, Stiſſerus*, BOERHAAVIUS, *Indice Plantar. Hort. Acad. Leid.* Part. I. p. 261. ſq. ut & *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 344. ſqq. item BREYNIUS, *Plant. Exod.* Cent. I. cap. 55. p. 119 ſqq. præſertim autem *Jo. Bod.* a STAPEL, *in Comment. ad Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib. IX. p. 1079. ſqq. & ut alios jam prætercam. B. HEUCHERUS, *de Plant. Hort. Med. Witteberg.* pag. 970. ſqq. Tom. II. opp. item BOECLERUS, *in Cynoſur. Mat. Med. Continuat.* pag. 322. ſq. & *Continat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. III. p. 130. ſqq. Non obſtante vero hac virulenta & violenta Daturæ indole, & peſtifero effectu, ipſius tamen ſemen mirabiliore auſu, quam prudentia, ſuperiore ſæculo, in uſum quoque medicum deduci cœpit, parando exinde *Laudanum* quoddam ſic dictum *noviſſime repertum*, cujus ſaluberrimum & tutiſſimum ſcilicet effectum in omnis generis doloribus atrociſſimis ſapiendis & pacandis, ſummis laudibus effert, atque inde illud omnibus aliis Laudanis ex opio confectis, longiſſime præfert, utinam & veriſſime! *Jo.* POTERUS, *Pharmac. Spagyr.* Lib. III. p. 463. Cujus ipſam Deſcriptionem infra ſuo loco, ſub Laudanis, exhibebimus, cum neceſſaria tamen Epicriſi noſtra adjecta, nimirum magis ad vetandum & vitandum, quam quidem ad invitandum & imitandum. Abſit enim a nobis quam longiſſime, ut temerario prorſus auſu, vel ipſa noſtra conſcientia reclamante, cuiquam commendemus Daturam illam exoticam, certiſſimam peſtem ac perniciem omnibus ipſa utentibus daturam. Sed Laudanum illud noviſſime repertum hodie, quantum equidem ſciam, per Dei gratiam, obſoletum & illaudatum jacet, ſalutari profecto pro genere humano, jactura.

DAUCI Cretici, Candiani, Myrrhidis annuæ, ſemine ſtriato, villoſo incanæ, *Semence de Daucus, de Crete*, Möhren-Kümmel, Cretiſcher Vogelneſt-Saamen. Daucus folia tenuiſſima fœniculi habet; ſemina oblonga, incana, parte

ſuperiore acutiora profert, quæ acrem, gratum & aromaticum ſaporem guſtui impertiuntur. Sponte naſcitur in Inſula Creta, colitur etiam interdum in hortis. *Virtute alexipharmaca, diuretica, carminativa,* & uterina potitur. *Confectioni Theriacæ* & Mithridatii, etiam intermiſceri ſolet. Vid. ZORN. p. 260. GEOFFROY, Tom. III. p. 396. 398. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 103.

SEMEN DAUCI vulgaris Germanici, Paſtinacæ ſilveſtris, *Semence de faux chérius, ou de Carotte ſauvage,* Vogelneſt-Wilder Möhren-Saamen. In ſegetibus, paſcuis & pratis ſponte naſcitur, & Menſe Julio floreſcit. De medio umbellæ floris, plerumque floſculus purpureus emergit, qui, in modum Coccionellæ, ſuo purpuraſcente colore imbuit, & ad epilepſiam commendatur. Nuncupatur vulgo: Das Vögelein im Neſt. Avicula in nido. Semen, hoc quoad formam & ſaporem, cum præcedente ferme coincidit, paululum tamen minus eſt, & ipſius ſapor aromaticus eſt remiſſior. *Virtutem carminativam & diureticam exerit, atque ſeminibus calidis minoribus adſcribitur.* Vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat.* Part. II. Sect. XII. c. 41. p. 324. ſq. & ZORN. *ibidem,* ubi plura. Item GEOFFROY, *loc. cit.* p. 397. & BOERHAAVE, *loc. cit.*

EBULI, Sambuci agreſtis arilli vel acini, *Semence d'Ieble,* Attich-Saamen. *Hoc ſemen urinam propellit, & hydragogis adnumeratur. Porrigitur vel in vino, vel in ſubſtantia, vel in infuſo. Oleum ex hoc ſemine expreſſum per ſuperiora, & inferiora purgat, & contra philtra commendari ſolet, hujus olei* Doſis eſt a drachma una, ad unam ſemis.

ENDIVIÆ albæ, ſativæ, Scariolæ, Intybi ſativi, Cichorii latifolii TOURNEFORT. *Semence d'Endive,* Endivien, Winter-Endivien Saamen. Parvum, oblongum & album eſt, reperitur quoque alia ſpecies, cujus ſemen nigro cortice tectum apparet. Planta in hortis colitur, & uſui culinari conſecrata eſt. *Semen quatuor minoribus frigidis adnumeratur. Ob vim refrigerantem ictericis & hepaticis conducit, & in emulſionibus uſurpatur.* GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 426. & ZORN. pag 280.

ERUCÆ, Sinapi hortenſis, Sinapi albi, *Semence de Roquette,* Weiſſer Senff. Rotundum, puſillum, flaveſcens & acre eſt; colitur in hortis & agris; floret Menſibus Majo & Junio; ſemen vero Auguſto & Septembri maturitatem nanciſcitur. *Vim antiſcorbuticam & diureticam poſſidet. Externe ad ſinapiſmos etiam adhibetur. Ex Eruca & Sinapios ſemine, condimentum illud, quod Muſtardam vocant, cum muſto recente parari ſolet, variis aromatibus adjunctis.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 438. ſqq. & ZORN. *Botanolog.* p. 285.

FABARUM, vulgarium albarum, *les Haricats, les feves,* Bohnen. Sunt ſemina plantæ annuæ papilionaceo flore; coluntur in hortis & agris. *Uſus magis cu-*

linaris, quam medicus eſt. Farina vim coſmeticam & abſterſoriam poſſidet, hinc ad cataplaſmata emollientia, & diſcutientia adhibetur. Plura vid. apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 462. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom II. p. 473. *Sim.* PAULLI, p. 28. ſqq. & maxime ZORN. p. 294. ſqq.

SEMEN FAGOPYRI, Tritici fagini, Frumenti Saracenici, *le Blé noir, ou Sarraſin*, Buch-Weizen, Heiden-Korn, Heidel-Korn. Hoc ſemen eſt triangulare, oblongum, & ſub cortice fuſco, materiam farinaceam candidiſſimi coloris continet. Colitur in agris. *Panes non ſpernendi, & grata pulmenta atque juſcula ex farina fagopyracea & polline coquuntur; hic cibus præſertim in vulneribus, & eroſione ventriculi ac inteſtinorum commendandus eſt. In cataplaſmate ad inflammationem teſtium & mammarum adhiberi & laudari ſolet.* Vid. GEOFFROY, Tom. III. p. 468. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 545. *Sim.* PAULLI, p. 298. & ZORN. p. 314.

FOENICULI Cretici, dulcis, Romani, majore ſemine, *Semence de Fenouil doux*, Römiſcher-ſüſſer Fenchel-Saamen. Seritur in hortis, & ex Italia advehitur; oblongum, ſtriatum, & cinereo ſpadiceum eſt, ac gratum & dulcem ſaporem habet. Elige recens, oleoſum, & a ſtipitibus mundatum. *Commendatur ad calculos, flatusque propellendos, pariter ac lac augendum. Datur in infuſis & trageis.*

FOENICULI vulgaris, Germanici, *Semence de Fenouil commun*, Fenchel-Saamen. In hortis, ſeminatur & anno poſt plantationem demum floreſcit & ſemina profert. *Semen hoc virtutem carminativam, diureticam, lac augentem, & pectori amicam poſſidet; egregium quoque ophthalmicum præbet, & inter ſemina quatuor majora calida refertur.* Vid. ſuperius jam laudata EHRMANNI Diſſertatio, *de Fœniculo, ejusque uſu.* Item SCHENCKII *Marathrologia*, etiam jam ſupra citata; nec non BOECLERI, Diſſertatio *de Fœniculo*, & præſertim ZORN. p. 306. ſqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 357. ſqq. & uberrime GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 479. ſqq.

FOENI græci, Fœnugræci, *Semence de Fenugrec*, Bockshorn-Saamen. Conſtat ex granulis parvis, duris, flavis & anguloſis, quæ in longis, corniformibus & acuminatis ſiliquis creſcunt. Sapor & odor ingratus & mucilaginoſus illis ineſt. Semen hoc ſeritur in agris. Planta annua eſt, ad papilionaceas refertur, & floreſcit Menſe Junio. *Uſus hujus ſeminis mere externus eſt, & præſertim in cataplaſmatibus. Virtutem anodynam, emollientem & diſcutientem, poſſidet. Equis quoque commodum & confortans medicamen præbet.* Vid. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIV. cap. 5. p. 532. ſq. & copioſe ZORN. p. 308. ſq. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 485. ſqq.

FRAXINI, Linguæ avis, Ornithogloſſum, vel, *quod idem*, Orneogloſſum, *Semence de Frene*, Eſchen-Baum-Saamen-Vogel-Zungen. Arbor fraxinus in ſilvis adſurgit. Semen ex longis, planis, & in modum linguæ acumina-

ris lamellis, ſive foliolis, conſtat, ſub quibus ſemen flavo-fuſcum, ſubacrum amarum deliteſcit. Hoc ſemen excoriatum ſit, antequam in uſum vocetur. *Vis diuretica, lithontriptica, antipleuritica, anthydropica, & aphrodiſiaca, huic adſcribitur.* Splendida quidem elogia, utinam vera! Certe in Pleuritide mitiganda, ac calculo frangendo & pellendo, nihil quidquam valuiſſe hæc ſemina, nimis laudata, compertum nobis fuit. An vero inertes Hydropicorum aquas exhauriant, & intermiſſa diu Veneris gaudia reducant, viderint alii, qui experimenta fecerunt. Nos quidem & de his præclaris virtutibus interea valde adhuc dubitamus. Vid interim RENODÆI, *Diſpenſat. Med.* Lib. I. Sect. IV. cap. 82. pag. 411. HERMANNI, *Cynoſur. Mat. Med.* p. 212. in Not. *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* Claſſ. III. pag. 310. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. Sect. II. p. 498. & imprimis ZORN. p. 312. & quos ibi laudat plures alios Auctores.

SEMEN GENISTÆ anguloſæ, Scopariæ, *Semence de Genet*, Giniſten-Pfriemen-Künſchroten-Saamen. Hoc ſemen cordiforme, aliquantulum planum, luteum, & amarum eſt, magnitudinemque ſeminis lini exprimit. Sponte naſcitur in locis incultis, & Menſibus Majo & Junio floreſcit. *Hujus ſeminis drachma una in pulvere cum aqua exhibita, alvum & urinam movet, & hydropicis conducit; ſi vero doſis augeatur, vomitus excitare ſolet.*

GRANATORUM, ſeu Malorum Punicorum, Granat-Aepfel-Saamen, oder Kerne. Appellantur etiam Officula, Nuclei, Vinacea, Gigarta, & Arilli, quaſi ariduli. Saporem amarum adſtringentem referunt, *& commendatur in alvi profluviis, & ad ea conducunt, quibus adſtrictione opus eſt.* *Matthiolus* pulverem conficit ex eorundem oſſiculorum exſiccatorum uncia una, & drachma una Thuris, in tenuiſſimum pulverem contritorum, cujus drachmam unam aut duas, mulieribus albo uteri profluvio laborantibus quotidie exhibet. Hæc GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 795. in gonorrhœa quoque conducere hæc ſemina, obſervat BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 434. *Vim quoque diureticam & lithontrypticam*, illis ineſſe, notarunt alii apud ZORNIUM *Botanolog.* p. 334.

HORDEI, *l'Orge*, Gerſten. Colitur in arvis, & eſt vel hybernum vel vernum, prius ante hyemem, poſterius poſt hyemem & tempore verno ſeritur. *Virtute demulcente, anodyna, nutriente, & refrigerante potitur. Quod excorticatum eſt, plerumque in uſum adhibetur. Interne uſurpatur in decoctis, & ptiſanis; & externe in cataplaſmatibus.* De quibus omnibus omnium exactiſſime & copioſiſſime tractat GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 565. ſqq. uſque ad p. 588. & ZORN. *Botan.* p. 349. ſqq. add. MINODOUM, GLANDINUM, & alios, qui de Ptiſana ſcripſerunt, ſupra jam laudatos, *ad Avenam*, item BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 627.

HYOSCYAMI albi, *Semence de Juſquiame*, Weiſſer Bilſen-Saamen. Hoc ſemen parvum, planum, reniforme, & pallidum adparet, & ſaporem oleoſum

prodit. Matureſcit Menſe Septembri. *Vim ſtupefacientem exercet, hinc merito* inter medicamina infida reponitur; *nonnulli tamen ad hæmoptyſin ſpecifice commendare non dubitarunt. Immiſcetur maſſæ pilularum de Cynogloſſo, item Philonio Perſico. Exempla triſtia proſtant, quod hoc hyoſcyami ſemen, etiam in exigua doſi exhibitum, effectus valde funeſtos, deliria, maniam, ſapores, & denique lethales convulſiones ſæpiſſime cauſſatum ſit. Etiam externe ad ſuffitus & fomentationes adhibitum, deliria concitaſſe, compertum eſt. Doſis in ſubſtantia, grana octo, uſque ad ſcrupulum ſemis. Hyoſcyami antidota ſunt: ſinapi, allium, cepæ, & vomitoria,* Hæc Hyoſcyami ſemina in multis quidem remediorum internorum formulis, etiam officinalibus, contra graviſſimos & atrociſſimos morbos, veluti pleuritidem, phthiſin, hæmoptyſin, hæmorrhagiam uteri, nephritidem, paſſionem iliacam, & colicam, dyſenteriam, quin & epilepſiam, aliaque ſæviſſima mala, ex variis auctoribus a venenorum patrono illo, FRICCIO, diligenter collecta & commemorata, vulgo præſcribuntur; quorum & ingentem catalogum, accurate, pro more, exhibuit ZORNIUS, in *Botanol.* p. 354. ſqq. conf. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſc.* p. 201. ſq. Utinam vero ex omnibus iſtis compoſitionibus, propter ſummum periculum, æternum proſcribuntur, & ſolis ſuibus, luto amicis, in epulas relinquerentur, a quibus nomen ſuum merito traxerunt, ut notum. Iſta enim neſciva hyoſcyami ſemina, etiam exigua quantitate intus aſſumta, ſenſibus ſtuporem inducunt, menti amentiam ac temulentiam, nervis convulſiones, oculis caliginem ac profundiſſimum ſoporem, denique univerſæ corporis machinæ gelidam mortem; adeo, ut hinc veneficium potius præſtent, quam beneficium, & exitum magis adferant, quam auxilium, ut triſtis experientia funeſtis multis exemplis, frequentius comprobavit, & ex eadem medicorum præſtantiſſimi, veritate ipſa compulſi, affirmarunt, quos magna quidem capio, ipſe producit FRICCIUS, Tract. *de Virtute Venenorum Medica,* Cap. XVI. quibus add. HOFFMANN. *Med. Rat. Syſt.* Tom. II. Part. II. cap. 2. p. 191. & alibi, cap. nempe 7. p. 276. & *Act. Med. Hafn.* Vol. I. Obſ. 114. p. 209. imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. Sect. II. p. 596. ſqq. qui magnam præſertim vim ejusmodi luctuoſorum exemplorum, ex multis Auctoribus fide dignis, ibi diligentiſſime attulit. Conf. SALMUTHI, *Obſ. Med.* 88. Cent. II. p. 103. ſq. & SCHINDLERI, *Obſ. Med.* 13. p. 25. ibique Schol. item BIERLINGII, *Obſ. Med.* 2. pag. 14 & MATTHIOLI, *Comment.* in Lib. II. *Dioſcor.* p. 990. *commerc. litt. Med. Norimb.* An. 1736. p. 102. & imprimis ZORN. *loc. cit.* p. 353. ſq. item WALTHERI, *Obſ. Med. Chirurg.* 41. p. 135. ſqq. Qui tamen FRICCIUS, ibidem, ſtatim in ſequentibus, haud minorem eorum Medicorum exhibuit catervam, qui ſemina hyoſcyami, non pro ſeminibus morbi & mortis, ſed potius vitæ & ſalutis, habuerunt, quorum quidem ſententiam ipſe pro innata ſibi flagranti cupiditate, paradoxa & deplorata defendendi, atque infelici in dira venena amore, ambabus avidiſſime amplectitur, adeo, ut parum abſit, quin hyoſcyamum pro panacea atque Nepenthe, cœleſti munere mortalibus conceſſo, temere habeat. Add. GEOFFROY, *loc. cit.* p. 602. ubi pariter aliquot præſtantiſſimos Medicos producit, qui profuſi nimium fuerunt in laudes hyoſcyami, indignos plane, & indecoras, quibus addendus, quod equidem valde miror, ſummus vir, *Ol.* BORRICHIUS, in Diſſert. *de Venenis,* quæ eſt quarta, inter ejus Diſſert.

Acad. p. 216. Tom. I. Sed nemo prudentiorum ac ſolentiorum Medicorum huc uſque, in hoc quidem falſo & damnoſo commento, ipſi credidit, nec credet, ut credo ac ſpero, ipſi in poſterum. Virus enim ineſt hyoſciamo, non virtus, & mors, non ſalus; inde nunquam in uſum medicum internum advocanda illa mortifera ſemina, ſive ſint nigra, ſive flava, ſive denique alba, quæ quidem reliquis aliquantulum mitiora; Diabolus enim, ut ita loquar, ſemper manet Diabolus, & malus ſpiritus, ſive nigra, ſive flava, ſive denique alba ſpecie apparuerit. Conf. GEOFFROY, *loc. cit.* p. 603. nec ipſa generatim herba, aut radix interne adhibenda, ut ſupra jam monuimus ad Cap. de *Radicibus*, & imprimis ad Cap. de *Herbis*. Hinc & medicamenta ex Hyoſcyamo parata merito damnavimus, in pleuritide curanda, Cap. III. p. 45. Lib. *de Pleuritide*; meritoque damnamus in omnibus aliis morbis, tractandis, memores nimirum illius ſymboli Pythag. notiſſimi κυάμων ἀπέχεσθαι, imo ὑοσκυάμων ἀπέχεσθαι, quod & omnibus Medicis, in praxi facienda, enixiſſime commendamus.

SEMEN HYPERICI, *Semence de Millepertuis*, Johannes-Kraut-Saamen. Parvum, oblongum, cylindriforme, rufo-fuſcum, ſapore amarum & reſinoſum apparet. *Hoc ſemen, vim vulnerariam, diureticam, antinephriticam, & anthelminticam modo eximio poſſidere, creditur. Porrigi ſolet a drachma dimidia ad integram.*

LACRYMÆ Jobi, *Larme de Job*, Hiobs-Thränen. Eſt ſpecies Lithoſpermi, ſeu Millii Solis, de quo mox, eaſdemque cum iſto, *virtutes diureticas & lithonthrypticas habere, traditur*; de quo vid. GEOFFROY, Tom. III. p. 746. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 632. & BOECLER, *Contin. Mat. Med.* p. 304. Extat quoque ſingulare ſcriptum de virtutibus & laudibus harum lacrymarum.

LACTUCÆ ſativæ, non capitatæ, *Semence de Laitue*, Lattich-Saamen. Colitur in hortis. *Semina, cum tota planta, virtutem refrigerantem poſſident, & hinc bilioſis commendata ſunto. Seminibus quatuor minoribus frigidis adnumerantur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 642. ſqq. ubi de omnibus Lactucarum ſpeciebus, earumque uſibus tam culinaribus, quam medicis, exactiſſime & uberrime tractat, quod & pari diligentia præſtitit ZORN. p. 375. ſqq. add. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 126. ſqq.

LAPATHI acuti, *Semence de Patience*, Mengel- oder Grind-Wurz-Saamen. Fuſcum, triangulare, & acetoſæ conſimile adparet. *Virtute adſtringente, & alexipharmaca præditum eſt.*

LAPPÆ majoris. Vide Bardanæ.

LAVANDULÆ, *In partu difficili & laborioſo, hoc præſertim ſemen mirum citumque auxilium præſtare*; ex RANDELETIO, LOBELIO, & BACKMEISTERO, retulit *Sim* PAULLI, *Quadripart. Botan.* p. 366. & ex eo rurſus GEOFFROY, *loc cit.* pag. 688. Sit fides penes Auctores.

SEMEN LENTIS, *Petite Lentille*, Linſen. Uſus eſt culinaris, ſed & medicus, de quo vid. GEOFFROY, *loc. cit.* p. 705. & ZORN. p. 388. & alii.

LEVISTICI, Liguſtici, *Semence de Liveſche*, *ou d'ache de montagne*, Lieb-Stöckel-Saamen. Oblongum, planum, ſtriatum & membranaceum eſt; colore pallido adparet, & ſaporem aromaticum prodit. Colitur in hortis. *Huic ſemini virtus alexipharmaca, diuretica, carminativa, & anthyſterica adſcribitur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 713. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 82. & ZORN. p. 393.

LINI ſativi, *Semence de Lin*, Lein-Saamen, Flachs-Saamen. Seminatur in arvis. Oblongum, planum, læve, ſplendens, fuſcum, & oleoſum eſt. *Vim anodynam, emollientem, & maturantem poſſidet. Decoctum, vel mucilago, tuſſientibus, phthyſicis, & pleuriticis commendandum eſt. Hominem quendam, laborantem colica ſpaſmodica, quam fumo plumbi ſibi contraxerat, & quem morbum metallifuſores, noſtro idiomate,* Hütten-Katze *nuncupare ſolent, de quo diro morbo* vid. HENCKELII *Tract. ſola hujus ſeminis lini mucilagine, per aliquot ſeptimanas, jentaculi loco uſurpata, penitus iterum reſtitutum fuiſſe, refert ipſe Clar. hujus Sylloges Auctor. Externe in cataplaſmatibus dolores mitigat, emollit, diſcutit, & fœtum mortuum propellere creditur.* Vid. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIV. cap. 5. p. 531. ſq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 367. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 737. ſqq. & maxime ZORN. *Botanol.* p. 401. ſqq.

LUPINORUM ſativorum, flore albo, *Semence de Lupins*, Feig-Bohnen, Wolffs-Bohnen. Hoc ſemen fabæ magnitudinem æquat, colore album eſt, & figura rotundum, compreſſum & in medio quaſi concavum. Colitur in hortis; ſemen tempore veris terræ mandatur; planta Menſibus Junio, Julio & Auguſto floreſcit, & ſemen ſequente Menſe Septembri maturum deprehenditur. *Interne rarius vel nunquam in uſum medicum trahitur; ſed externe ad cataplaſmata diſcutientia adhiberi ſolet. Ob vim abſtergentem coſmeticum quoque præbent.* Vid. de his *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 78. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 400. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 753. ſqq. & maxime ZORN. p. 407. ſqq. uſus tamen internus ſecurus non eſt, quod memorabili exemplo teſtatur *Sim.* PAULLI, *loc. cit.*

LYCOPODII, Plicariæ, Muſci clavati, ſquamoſi, vulgaris, repentis, *Semence de Lycopodium*, Beerlappen-Gürtel-Kraut-Truttenfuß-Saamen. Sponte naſcitur in ericis & ſilvæ Martiæ, & in ſiccis arenoſis Poloniæ, Lithuaniæ, & Ukrainiæ tractibus, uberrime reperitur. Pulvis flaveſcens, qui in ſquamoſis clavis reperitur, ab aliis pro ſemine, ab aliis pro polline antherarum habetur. *Ad omnes infantum morbos, ceu panacea commendari ſolet.* De quo tamen merito ſubdubitat Cl. CARTHEUSERUS, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XVI. cap. 2. p. 581. ſqq. Interim vero WEDELIUS, vir fide digniſſimus, ſcribit, Lib. II. *de Mat. Med.* Sect. II.

cap. 10.

cap. 10. p. 387. Semen Lycopodii expertiſſimum eſt remedum, in urina reſtitante in infantibus, quod ſæpius ſumus experti. Sed plura ex variis Auctoribus, diligenter collecta, vid. apud ZORNIUM, in *Botanolog.* p. 449. ſqq. quibus add. GARMANNI, *Epiſt.* 34. p. 151. *Vim diureticam, roborantem, anodynam, antihecticam, antepilepticam, & travmaticam exerit. Doſis grana ſex, ſcrupulus ſemis, ad ſcrupulos duos in adultioribus. Externe cum tutia vel pauxillo ceruſſæ commixtum ad intertrigines adhibetur. Flammis immiſſum; pulveris pyrii vel potius Reſinæ cujusdam pulveratæ inſtar, fulgetrum protinus remittit;* hinc a nonnullis vegetabile ſulphur nuncupatur. Vid. infra, *Muſcus Clavatus.*

SEMEN MALVÆ, folio ſinuato rotundo, *Semence de Mauve*, Pappel-Saamen, Käß-Pappeln. Fuſcum, ſemilunare, & in parvos placentulos, caſeoli inſtar, congeſtum, ac mucilaginoſum eſt. Sponte naſcitur circa ſepimenta, floreſcit Menſe Majo, & in ſequentibus Menſibus Junio & Julio, ſemen matureſcit. *Decoctum in aqua, vel etiam in pulvere exhibitum, virtutem demulcentem, & antinephriticam exerit.*

MELILOTI, *Semence de Melilot, ou de Mirlirot*, Meliloten- oder Stein-Klee-Saamen. *Semina Meliloti*, inquit BOERHAAVIUS, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 449. *ſunt diſcutientia, aperientia, aromatica, & reſolventia. Si ſemina in formam farinæ, reſolvantur, fit inde Emplaſtrum emollientiſſimum, & reſolventiſſimum. Interne, Decoctum ſeminum florumque, eſt optimum, ad emundandas vias, ubi malum a frigore eſt ortum.* Hactenus ille. Conf. ZORN. *Botanolog.* p. 428.

MELONUM, *Semence de Melon*, Melonen-Saamen, Melonen-Kern. Vix diſtinguendum eſt, a ſemine cucumeris, craſſius tamen, & pulpoſius deprehenditur. Colitur in hortis, & Menſibus Julio & Auguſto ad maturitatem concoquitur. *Refertur inter ſemina quatuor majora frigida. Vim refrigerantem, demulcentem, & nephriticis officioſam poſſidet, recens, ponderoſum, & non rancidum ſit.*

MILII ſolis, Lithoſpermi majoris Cretici, *Semence de Grémil, ou d'herbe aux perlas*, Meerhirſe, Stein-Saamen, Perle-Hirſe. Rotundum, glabrum, ſplendidum, & album eſt, ac ſemine cannabis paululum minus. Procreſcit ſua ſponte in ſegetibus. *Virtute diuretica, & lithonthryptica potitur, partum promovet; & febri quotidianæ quoque obſtare creditur, ſi ante paroxiſmum ad drachmam integram aſſumatur.* Vid. plura apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 742. ſqq. HERMANN. *Cynoſ. Mat. Met.* p. 322. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom I. pag. 273. & ZORN. p. 441. ſq. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 283.

NAPI ſativi, Buniadis, *Semence de Navet*, Stechrüben-Saamen. Parvum, rotundum, rufo furvum, acre atque amaricans eſt. Seritur in arvis, & alte-

ro anno, poſt plantationem, demum floreſcit, & ſemen matureſcit. *Virtutem alexipharmacam, abſtergentem, & attenuantem abſolvit.* Propinatur in emultionibus.

SEMEN NASTURTII hortenſis, *Semence de Creſſon, alénois, ou de naſitor,* Kreßig, Garten-Kreſſen-Saamen. Parvum, oblongum, flavofuſcum & acre eſt. Seritur in hortis vere novo, & Menſe Junio vel Julio ſemen matureſcit. *Urinam propellit, & hernioſis atque ſcorbuticis mandari ſolet.* Sic enim de his Naſturtii ſeminibus laudatus BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 416. Singulari quadam proprietate conveniunt in Herniis, tam interne, quam externe; & *ad expellendos morbillos* inſerviunt; *Menſtrua obſtructa prevocant.* *Etiam contra dyſenteriam laudantur,* ab auctoribus, apud ZORNIUM, p. 464. Sed vix probabile videtur. Tanto certior vero eſt, iſta ſemina fervida & acria manducata in lethargo ac veterno, torporem & inexpugnabilem ferme dormiendi cupidinem exutere, ceu exemplo oſtendit FORESTUS, *Obſ.* 10. Lib. X. p. 90. & alii poſt ipſum, plures adfirmant.

NIGELLÆ, Melanthii, Melanoſpermi, Coriandri nigri, Cumini nigri, *Semence de Nielle,* Schwarzer Kümmich, Schwarzer Coriander. Externe nigrum, anguloſum atque rugoſum adparet, ſed interne album & acre eſt. Colitur in hortis, & Junio ac Auguſto floret; ſemen quendam aromaticum & gratum odorem ſpargit. *Hoc ſemen vim incidentem & attenuantem poſſidet, urinam propellit, menſtrua provocat, lac auget, venerem ſtimulat, flatus diſcutit, colicos dolores ſedat, vitiis pulmonum pituitoſis, item Coryzæ, & catarrhis medetur, unde & pulveribus quibusdam ſternutatoriis adjicitur,* quorum nonnulla ſpecimina infra Part. II. ſuo loco dabuntur. *Contra febres quartanas, hydrophobiam, & morſus rabidorum animalium quoque commendatur, nec non inter errhina clarum nomen tenet.* Vid. plura apud BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 365. imprimis *in Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. I. Sect. II. p. 186. ſqq. & p. 190. de variis Nigellæ virtutibus; ut & *Sim.* PAULLI, *Quadripart. Bot.* p. 391. & CARTHEUSER, *Mat. Med. Fund.* Part. II. Sect. XII. cap. 39. pag. 308. præſertim vero copioſe ZORN. pag. 465. ex multis Auctoribus Medicis præſtantiſſimis; item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 348. *Multis interim ſuſpectus eſt uſus internus, ob caracterem, quo planta adparet;* quod tamen ridiculum eſt, & ſuperſtitionem anilem ſapit; quidam enim ruſtici galli eo tamquam pipere utuntur, illæſa ſanitate.

ORNITHOGLOSSI, vel Orneogloſſi, vide ſupra, Fraxini, Linguæ Avis.

OROBI, Ervi veri, *Semence d'Orobe,* Erven-Saamen. Grana aliquantulum rotunda, & ſpadicea ſunt, ac farinaceum amaricantem ſaporem produnt; coluntur in hortis, & plantis flore papilionaceo adnumerari ſolent. *Hoc ſemen in decocto ad nephritidem, & in cataplaſmatibus ad emolliendos & maturandos abſceſſus commendatur.*

PAPAVERIS albi, hortenſis, ſativi, *Semence de Pavot blans,* Weiſſer

Mag⸗Mohnſaamen, Oehl⸗Magenſaamen. Album, valde exiguum, ſubdulce, & oleoſum eſt. Seritur in hortis; planta floret Junio, Julio, & Auguſto; recens, maturum, & ponderoſum eſto, ſemen quod in uſus ſeligas. *Virtutem anodynam, lenitivam & demulcentem, poſſidet, & in emulſionibus ſolet exhiberi.* Vid. FISCHERI, Diſſert. ſupra laudat. *de papavere erratico,* & LOCHNERI, *Meconopagnion,* ibidem cit. conf. ZORN. *Botanolog.* p. 493. ſqq. & HERMANN. *Cynoſur. Mat. Med.* p. 437. in Notis.

SEMEN PAPAVERIS nigri, hortenſis, ſemine nigro, *Semence de Pavot noir*, Schwarzer Magſaamen. *A præcedente, ſolo colore differt; magnitudine vero, & virtute cum illo coincidit.*

PERFOLIATÆ, *Semence de Percefeuille*, Durchwachs⸗Saamen. Nigro fuſcum, oblongum, ab uno latere convexum, ab altero vero aliquantulum planum & quaſi crenatum eſt, & ſubamarum & acciuſculum ſaporem linguæ imprimit. *Vim adſtringentem poſſidet, & tam interne quam externe commendatur.* De quo bina ſingularia vid. exempla, relata a *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* pag. 426. ſqq.. Conf. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. Sect. II. p. 350. BOECLER. *Continuat. Mat. Med. Hermann.* I. Part. I. cap. 5. p. 228. item ZORN. *Botanolog.* p. 506. & alios ibi laudatos. Mirum ergo eſt, magnum ſcripſiſſe BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 115. *Perfoliatam non ſcio, ullam virtutem habere.*

PETROSELNI Macedonici, Apii ſaxatilis, petræi, *Semence de Perſil de Macedoine*, Stein⸗Eppich, Stein⸗Peterlein, Macedoniſch⸗Peterſil. Hoc ſemen ſtriatum, villoſum, obſcure viride, & paululum tenuius ac longius eſt ſemine petroſelini vulgaris, atque ſaporem acrem aromaticum ac odorem fragrantem habet. *Cum Apii ſemine coincidit, & vim alexipharmacam, diureticam, & carminativam exercet, nec non Theriacæ confectioni intermiſcetur in hortis ſeritur.*

PETROSELINI vulgaris, *Semence de Perſil*, Peterſilien⸗Saamen. Oblongum, ſtriatum, parvum, & aromaticum ſubacre eſt. Seritur in hortis. *Virtute alexipharmaca, & diuretica præditum eſt.*

PLANTAGINIS, *Semence de Plantain*, Wegerich⸗Saamen. Fulvum, longiuſculum, ſed minutiſſimum eſt, & ſaporem mucilaginoſum prodit. *Potentiam adſtringentem, & refrigerantem exerit; Commendatur ad calculum, hernias, ſanguinis & alvi profluvios; item ad abortum præcavendum,* vid. BEVEROVICII *Epiſtol. Quæſtiones.* p. 224. item RIVER. *Prax. Med.* Lib. XV. c. 17. & WELSCH. *Mictomimem.* Cent. III. 66. apud ZORNIUM, p. 527. ubi plura. *A nonnullis quoque ad ſemina quatuor frigida minora refertur.*

PÆONIÆ, folio nigricante maris, *Semence de Pivoine*, Gicht⸗Roſen⸗Saamen. Continet ſub cortice ſplendente nigro, nucleum album, rotundum, qui

magnitudinem piſi æquat, & ingratum ſaporem palato patefacit. *Pro antepileptico, & anodyno celebratur. Nonnunquam vomitus excitaſſe, & alvum ſolicitaviſſe, aſſerit* Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom I. p. 373. præeunte nempe *Nehemia Grew*, ceu ibidem monetur. Vid. plura de varia ſeminum pæoniæ virtute, in jam ſupra laudata *Anatomia pæoniæ, Jac. Auguſtin* Hünerwolffii, Cap. X. p. 73. ſqq. & in Friderici, Diſſ *de Pæonia*; add. imprimis Zornii, *Botanolog.* pag. 531. & *Continuat. Mat. Med.* Geoffroy, Tom. I. p. 303. ſqq.

Semen Portulacæ, hortenſis, latifoliæ, ſativæ, *Semence de Pourpier*, Burzel, Burzel-Kraut-Saamen. Nigrum, valde mittentum, & ſapore oleoſum eſt. Seminatur in hortis, & ſemen matureſcit tempore autumni. *Virtute refrigerante gaudet, & quatuor minoribus frigidis ſeminibus adſociatur.*

Psyllii, Pulicariæ, *Semence de l'herbe aux pouces*, Pſillien-Kraut-Flöh-Kraut-Saamen. Pulicis formam refert, colore fuſco adparet, & ſaporem mucilaginoſum ſub acrem prodit. Colitur in hortis, ſed in regionibus calidioribus absque cultura laſcivit. *Virtute refrigerante, demulcente & laxante pollet, & bilioſis præſertim conducit. Mucilago extracta ad anginam, & ſiccitatem linguæ ac faucium facit.* Vid. Cartheuser. *Fund. Mat. Med* Part. II. Sect. XV. cap. 5. pag. 560. & *Continuat. Mat. Med.* Geoffroy, Tom. II. p. 102. ſqq. Zorn. pag. 545. & Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 568.

Raphani, *Semence de Raifort*, Rettig-Saamen. Rotundum, rufum, & acre eſt. Colitur in hortis; radices ad victum adhibentur. *Semen vim incidentem, & urinam propellentem exercet, hinc in calculo, & ipſa hydrope, commendatur, ſed ſolum intus aſſumtum, nauſeam excitat,* obſervante Boerhaavio, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 421. vid. plura apud Zornium, p. 559.

Raparum ſativarum, *Semence de Rave*, Rüben-Saamen, Weiſſer Rüben-Saamen. Rotundum, fuſcum, ſed ſemine raphani minus eſt, & ſaporem acrem oleoſum habet. *Cum ſemine Napi coincidit, & in emulſionibus ad variolas, & morbillos expellendos, porrigitur.*

Rusci, *Semence de Houx-frêlon*, Maus-Dorn-Saamen. Hoc ſemen nigrum & ſubdulce, continetur in baccis rotundis & fuſco rubentibus. *Diuretica & abſtergente vi præditum eſt, & cum radice coincidit. Rarius vel nunquam in uſum medicum adhibetur, niſi ad Electuarium benedictum laxativum.*

Rutæ hortenſis, *Semence de Rue*, Rauten-Saamen. Parvum, nigrum, ſemilunare, acre & amarum eſt. Ruta in hortis ſemel plantata perennat, æſtate floret, & ſemen autumno maturum largitur. *Ad gonorrhœam, menſtrua propellenda, urinam movendam, lumbricos enecandos, & ſingultum a flatibus ortum, commendari ſolet.* Vid.

BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 343. & maxime ZORN. p. 590. ſqq. & *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. p. 302. ſqq.

SEMEN SABADILLI, *Semence de Cevadille*, Mexicaniſcher Lauß-Saamen. Muſcerdæ figuram & colorem exprimit, & in oblongis, gibboſis, ac quaſi corniculatis, trilocularibus capſulis adfertur. Saporem fervidum, amarum, & ſtaphidis agriæ inſtar ingratum, prodit, ſed odorem plane nullum ſpargit. *Si maſticatum fuerit, ſalivam excitat, & accredine cauſtica fauces adfligit, nec non nauſeam creat.* Nobiliſſimum Americæ regnum Mexicanum, hoc Sabadilli ſemen nobiſcum communicat. Quantum ex capſula ſeminali, & effectu conjicere licet, hoc ſemen pro ſpecie veratri, vel aconiti non immerito haberi poteſt. Vid. huc Cel. LUDWIG. *Definit. Gener. Plant.* 740. & Cl. LOESEKE, *Mat. Med* p. 381. *Miram vim contra pediculos poſſidet, & hac, ipſo Mercurio, ex ſtaphidis agriæ ſemini præferendum eſt, nam vix admotum, eos omnes, præſentiſſimo effectu, perimit. Semen enim capſula ſeminali in pulverem teritur, & putor vel ſolus, vel cum adipe ſuillo commixtus, adhibetur. Milites, religioſi, & nautæ, ſuturas veſtimentorum,* hoc ſemine fricare ſolent, ut corpus ab his alioquin ſævis hoſtibus, immune maneat.

SAMBUCI, *Semence de Sureau*, Hollunder-Saame. Hoc ſemen conſiſtit in arillis ſive acinis, in baccis, ſambucci reperiundis. *Oleum inde expreſſum, alvum laxat, & ſerum educit, ad drachmas duas ſumptum, ſpeciatim contra philtra commendatur.* Vid. WEDELII, Diſſert. *de Sambuco;* præſertim autem BLOCHWITII, *Anatomia Sambuci*, & ZORN. *Botanolog.* p. 601. item GEOFFROY, *Contin.* Tom. II. p. 352. ſqq.

SANTONICUM, vide Cinæ.

SAXIFRAGIÆ albæ, vide Radices ejusdem.

SCARIOLÆ, vide Endiviæ.

SESAMI, Digitalis Orientalis, Seſamum dictum TOURNEFORT. quod tamen negat, contra *Tournefortium*, BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 400. *Semence de Séſame, ou Jugeoline*, Lein-Dotter, Flachs-Dotter-Saamen. Ex Aegypto, Sicilia & Italia advehitur. Semina albicantia, dulcia & oleoſa, eligenda ſunt. *Vim emollientem, reſolventem, & digerentem poſſidet*, vid. BOERHAAVE, *loc. cit.* p. 400. *Semen iſtud Aegyptii in alimentum adhibent.* Conf. ALPIN. *de Med. Ægypt.* & ZORN. p. 637.

SESELI Cretici, Tordylii minoris, *le Séſéli de Candie*, Seſel-Saame. Cretiſcher Berg-Kümmel. Oblongum, ſtriatum atque depreſſum eſt, ac cololorem obſolete viridem, & ad fuſcum inclinantem oſtendit, ſaporemque acrem aromati-

cum prodit. In Candia, Apulia & aliis calidis regionibus, ſponte, ex terra inculta, protuberat. *Vim diureticam, carminativam, & uterinam poſſidet.*

Semen Seseli Maſſilienſis, Sileris montani, *le Séſéli de Marſeille*, Seſel-Saamen, Berg-Kümmel. In Gallia Narbonenſi & Provincia, ſponte naſcitur, in locis incultis & circa calles. Floreſcit Auguſto & Septembri, & ſemen maturum Novembri colligitur. Depreſſum & oblongum eſt; & quod pallide virideſcens adparet, ſaporemque acrem aromaticum prodit, atque ſucculentum eſt, ſeligito. *Virtute carminativa, alexipharmaca, diuretica, & emmenagoga præditum eſt: Theriacæ confectioni quoque intermiſcetur.* Vid. Charas, *de Ingredientibus Theriacæ Andr.* C. 58. pag. 161. ſqq.

Sinapi, Rapi folio, ſemine rufo, *Semence de Moutarde*, Rother Senff-Saamen. Exacte rotundum & acre eſt. Seminetur in agris, floreſcit Majo & Julio, ſemen vero Menſe Auguſto & Septembre maturum evadit. *Frequentius ad muſtardam parandam, adhibetur,* qua tamen parcius utendum eſſe, ob metuenda inde gravia ſanitatis damna, exemplo ſingulari oſtendit teſtis αὐτόπτης, *Vit.* Riedlinus, *Lin. Med.* Ann. 1696. Menſ. Jul. Obſ. 9. p. 320. *Incidit, attenuat, diureſin promovet, item in omni morbo convenit, ubi inertia aquoſa phlegmatica prædominatur*, vidi, inquit Boerhaave, *loc. cit.* p. 427. hujus mirabilem effectum in puella quadam Amſtelodami, quæ convulſionibus laborans, omnibus fruſtra tentatis, tandem ex conſilio Ruyschii, uſu hujus Sinapi crudi contuſi cum vino, fuit curata, quod utique notari meretur. *Externe ad Sinapiſmos adhibetur.* Vid. Cartheuseri, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VII. cap. 9. p. 427. ſqq. ut & Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 427. præſertim Zorn. p. 641. ſqq.

Sophiæ Chirurgorum, Naſturtii ſilveſtris tenuiſſime diviſi, Siſymbrii annui. Abſinthii minoris folio, Tournefort. *Semence de thalietrum*, Sophien-Kraut-Well-Saamen, Habicht-Saamen. Minutiſſimum, oblongum, rufum & acre eſt. Sponte naſcitur in locis arenoſis atque incultis circa calles. Aeſtate floret; æſtate quoque ſemen matureſcit. *Virtute vulneraria, mundificante, anthelmintica, & diuretica potitur.* Vid. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 431. præſertim vero *Continuat. Mat. Med.* Geoffroy, Tom. III. Sect. II. p. 57. ſqq.

Staphidis agriæ, Herbæ pedicularis, Delphinii Platani folio Tournefort. Phthirion, Phthirococeon, & Phthiroctonon, ſeu Granum pedicularium, *Semence de Staphis aìgre*, Staphis-Körner, Lauſe-Körner. *Aſperum, triangulare*, & nigro gryſeum eſt, ſaporem acrem nauſeoſum prodit, & nares ingrato odore replet. Creſcit in Hiſpania, Italia, Gallia, aliiſque calidis regionibus; nonnunquam etiam in hortis colitur. *Pertinet ad purgantia acria, draſtica, & tam per ſuperiora, quam inferiora evacuat, ſed rariſſime interne adhibetur. Decoctum in ore detentum, ad dentium dolores commendatur. Frequentiſſime autem ad pediculos enecandos, vel*

in pulvere, vel in unguento, adhibetur. Vid. *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, T. III. Sect. II. p. 121. ſqq. BOERHAAVII, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 383. PAULLI, *Quadrip. Bot.* p. 558. & ZORN. p. 649.

SEMEN SUMACH, Rhois Ulmifolio, Rhus coriarii, culinariæ, Obſoniorum, *Semence de Sumach*, Gerber-Baum, Färber-Baum-Saamen. Colitur in hortis, & ſponte quoque naſcitur in calidioribus regionibus, Hiſpania nimirum & alibi. Semen hoc conſiſtit in baccis orbiculatis, parvis, viroſis & rubentibus, quæ nucleum ſeu ſemen orbiculatum continent. *Adſtringit, & ad fluxum ſanguinis & alvi commendatur, item ſtomachum languentem roborat, obſervante* RAUWOLFIO, *Itinerar. Orient.* Part. I. cap. 4. p. 61. plura vid. apud BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 227. & potiſſimum ZORN. p. 571.

TANACETI, *Semence de Tanéſie*, Rheinfarrn-Saamen. Cum ſemine Cinæ coincidit, & ſaporem aromaticum amarum habet. *Eximiam vim carminativam & anthelminticam exercet; uterina quoque, & emmenagoga illi tribuitur; item anthydropica, antinephritica, anticachectica, & antiſeptica;* vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 183. & ZORN. p. 668.

THLÆSPIOS arvenſis, *Semence de Thlaſpi*, Bauren-Senff, Beſen-Kraut-Saamen. Parvum, oblonge rotundum, & furvum eſt, ſaporemque viſcoſum acrem exerit. In locis incultis, ſaxoſis, & apricis, ſponte progerminat, & Menſe Majo & Junio floreſcit. Vid. de his notis ac caracteribus, poſt plures alios, HEUCHER. *Nov. Provent. Hort. Med. Witteberg.* p. 887. ſqq. Tom. II. opp. *Urinam & menſes acriter movet, & ad aperiendos abſceſſus internos, & ad multa alia commendatur.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 414.

VIOLARUM, purpurearum martiarum, *Semence de Violettes*, blauer Violen-Saamen. Rotundum, albeſcens, & ſplendidum eſt, ac ſapore oleoſo ſub acri præditum. Violæ Menſibus Martio & Aprili floreſcunt, & ſemen Menſe Junio maturum largiuntur quod, *virtutem diureticam, & leniter laxativam poſſidet. Interdum etiam in emulſionibus porrigitur.* Vid. RIEDLINI, *Lin. Med.* Anno 1697. Menſ. Mart. Obſ. 12. pag. 163. ſqq. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 328. ſed plura apud ZORNIUM, *Botanolog.* p. 703.

VITICIS, vide Agni caſti.

URTICAE, Romanæ, pilulíferæ, Hiſpanicæ, ſemine lini, *Semence d'Ortie Romaine, ou boulette*, Römiſcher Neſſel-Saamen. Furvum, ſplendens, ſubacre, & ſemine lini paulliſper minus eſt. Apud nos in hortis colitur, ſed in regionibus calidioribus ſponte procreſcit. *Ad affectus pulmonum, aſthma, tuſſim ferinam,*

& pleuritidem, commendatur, nephriticis prodeſt, & tum in pulvere, tum, quod & melius eſt, in emulſionibus exhibetur.

Semen Urticae, urentis, vulgaris, racemiferæ, *Semence d'Ortie grièche*, Brenn-Neſſel-Saamen. *Virtute diuretica, & ſubadſtringente potitur.*

Zedoariæ, vide Cinæ.

CAPUT V.

De FRUCTIBUS, BACCIS et NUCLEIS.

Acaciae germanicæ, noſtratis, Pruna agreſtis, *les Prunelles au prunes Sauvages*, gedörrte Schlehen. Tempore Autumnali, quo maturæ ſunt, colligantur, & exſiccentur. *Refrigerant, & adſtringunt. Ad relaxationem uvulæ, & gingivarum, in gargariſmatibus utiliter adhibentur.* Succus ex his recentibus prunis agreſtibus expreſſus, maxime in uſum accerſitur, & ſucco Acaciæ Aegyptiacæ ſubſtitui poteſt, ac ſolet.

Alkekengi, ſeu Halicacabi baccæ, Solani veſicarii, *baies d'alkekenge ou de Coqueret*, Juden-Kirſchen. In vinetis & ſilvis umbroſis progerminant, florent Junio & Julio, & autumno fructus in veſica incluſi, maturitatem demum conſequuntur. *Vim refrigerantem, & urinam moventem exerunt, conducuntque calculoſis, ictericis, hydropicis, arthriticis, & iis etiam, qui dentium doloribus, ex vermibus potiſſimum obortis, excruciantur.* Vid. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 505. & plures alios Auctores, laudatas Zornio, *Botanolog.* p. 35. ſqq. item Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 55. ſqq. qui ſimul hæc notat, pag. 57. Civis quidam Auguſtanus, narrante Rajo, morbo articulari graviſſimo laborans, ita, ut ſæpe per integrum ſemeſtre, decumberet, cœpit cujusdam ſuaſu, ſingulis lunæ mutationibus, in ipſo illarum puncto, octo fructus Alkekengi comedere, vel contuſos e vino bibere, ita expelli ſibi per urinam, materiam mire fœtidam, totumque ſe ab hoc morbo liberum affirmabat. Sed plura de miris baccarum alkekengi virtutibus, vid. apud Tournefort. in *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 242. In atrociſſimo dentium dolore, ipſi quoque quondam inſigne ex harum baccarum, ſeu ſeminum fumo, levamen perſenſimus. Sed ejecti ex dentibus cavis vermes, ipſa potius ſunt ſeminum germina, quam vermes, ut nuper quoque obſervatum. Conf. ſupra Semen Alkekengi.

Amygda-

AMYGDALAE amaræ, *les Amandes amares*, bittere Mandeln. Arbor primo vere floret, & ab Amygdalo, quæ dulces fructus profert, nullo diſcrimine internoſci poteſt. Colitur in hortis. Interdum inter alias amygdalas dulces, quas tellus Rhenana alit, deprehenditur, ſed rarius; frequentius vero occurrit in regionibus calidioribus. *Oleum ex his amygdalis amaris, in uſum maxime vocatur*, de cujus virtute med. vid. infra, Part. II. ſuo loco *Oleum amygdal. amar. Amygdalæ amaræ, Vulpibus, Pſittacis, & aliis avibus carnivoris, nec non gallinis lethales exiſtunt*. Conf. LINDER, *de Venenis*, pag. 87. Ceterum vid GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 83. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant loc. cit.* pag. 681. & CARTHEUSER. *loc. cit.* & ZORN. p. 61. Ad avertendos calculos non poſſum ſatis dilaudare uſum Amygdalarum amararum, ſi tres, vel quatuor, ſingulis diebus, mane ſumantur. Dici vix poteſt, quantum hæ juvent in diſpoſitione calculoſa, dum urinam movent, & arenam, quæ calculi elementum eſt, educunt, quod frequenti experimento ſum edoctus. Ita ſcribit HOFFMANN. *ad Poter. Pharm. Spag* Lib. I p. 290. Ebrietatem quoque easdem arcere, vulgo traditur. Vid. LINDER. *de Venenis*, p. 235. ſq. Sed nunquam experimentum feci turpitudinis plenum.

AMYGDALAE dulces, *les Amandes douces*, ſüſſe Mandeln. Amygdalus ſativa, plantatur in hortis & vineis. Copioſe procreſcit in Provincia, Languedocia, & aliis calidis regionibus. Amygdalæ majores, quæ *Ambroſinæ* dicuntur, & quæ nec rancidæ, nec verminoſæ ſunt, eligantur. *Ad emulſiones, & oleum exprimendum, quod ad varios morbos perquam utile eſt, præcipue adhibentur*, de quo infra, Part. II. ſuo loco. Vid. huc *Jo. Ulr.* HEGNERI, Diſſert. *de Amygdalis*, & JUCHII, Diſſert. *de genuina Amygdalar. uſu in Medicina*; item ZWINGERI, Faſcic. Diſſert Med. Select IV. p. 112. ſqq & alii plures, laudati ZORNIO, pag. 60. conf. BUCHNERI, *Fund. Mat. Med.* p. 470. CARTHEUSER, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIV. cap. 3. p. 522. ſqq. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 78. ſqq BOERHAAVE, *Hiſt. Plant* Tom. II. p. 681. ſqq. & RIEDLINI, *Curat. Med.* 318. Cent. IV. p. 189. ubi eas, vermes evocare, ſuſpicatur.

ANACARDIUM, eſt arboris Malabaricæ, *Oepatæ* dictæ, fructus, *les Anacardes, la noir d'Acajou*, Elephanten-Lauß. Anacardium Orientale cordis compreſſi formam exprimit; Occidentale vero figuram renis ſimulat, & *Acajou* vocatur. Utrumque & nigricat, & ſub duplici tegumento, nucleum ſolidum, albeſcentem ac ſubdulcem continet. Inter hæc tegumenta ſuccus oleoſus, acris, exurensque deprehenditur. Vid plura de hac peregrina Nuce *Cajous*, aut *Acajous*, dicta, apud GEOFFROY, Tom. II. *Mat. Med.* Cap. VI. Sect. I Artic. XVII. p. 398. ſqq. qui & Artic. antecedente XVI. p. 395. ſqq. de ipſis Anacardiis accurate, pro more, tractat; eorumque uſum, ceu damnoſum, ac periculoſum, prorſus interdicit, ut & *Sam.* DALE, *in Pharmacolog.* Part. II. Sect. VI. §. 15. p. 406 item HERMANN *Cynoſur. Mat. Med.* Part. I. Cap. 5. p. 384. ſqq. *Nucleos ventriculum roborare, & venerem ſtimulare, adfirmant. Succus oleoſus, ad ſcirrhos reſolvendos, & clavos pedum extirpandos com-*

mendari ſolet. Rarius in uſum medicum, vocatur; etiam ipſa confectio Anacardina jam obſoleta eſt, quia plus damni, quam emolumenti, infert. Vid. *Caſp.* HOFFMANN. de *Med. Officinal.* Lib. II. cap. 162. p. 386. & maxime ZORN. *Botanol. Med.* p. 62. ſq. item HEUCHER. *Opp. Med.* Tom. I. p. 237. & SCHULZII, *Prælect. ad Diſpenſat. Brand.* pag. 65. & HERMANNI, *Cynoſur. Mat. Med.* Part. I. Cap. V. pag. 383. in Nat. item *Diſpenſ. Prag.* p. 108. in Not. Ideo ad huic confectioni ſuſpectæ in hoc noſtro opere, merito nullum locum conceſſimus, licet in plurimis Diſpenſatoriis adhuc more conſueto, reperiatur. Ex eadem quoque ratione omiſimus pariter, infra, alteram illam noxiæ & ſuſpectæ compoſitionis *Confectionem Hamech*, dictam, de cujus tamen externo in plantis pedum, uſu, ad recludendam diutius occluſam alvum, mira, ſi vera, narravit idem SCHULZIUS, in laudatis *Prælect.* p. 66. Sed præſtat, ipſam plantis pedum adhibere, quam interne, corpori; licet miras ipſi laudes tribuerint veteres quidam Medici, quos citat GABELCHOVERUS, *Obſ. Med.* 21. Cent. III. p. 34. in Not. & ZORNIUS, *Botanol. Med.* p. 63. Sed hæc obiter.

BEEN, Balanus myrepſica, Glans unguentaria, *la noix de ben*, Been. Eſt fructus arboris cujusdam in Syria & Arabia naſcentis, qui ab incolis ad montem Sinai *Pharagon* dicitur. Triangularis adparet, avellanæ magnitudinem æquat, & ſub corticoſo putamine cinereo, nucleum pinguem abſcondit. *Balanus plenus eſt olei acris amaricantis; hoc Balani oleum non facile ranceſcit, omnis odoris plane expers eſt, ac quovis ſuaviſſimo florum odore ſeſe imbui patitur. Hinc perfidi aromatarii, turpis lucri cetera ferme olea deſtillata, hoc Balani oleo, adulterare ſolent. Fructus in officinis* raro reperitur, & uſus rarioris eſt. Vid. huc Ill. HEISTERI, Diſſert. ſingularis de *Nuce Been*; & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. Cap. VI. Artic. XVIII. pag. 401. ſqq. & *Nehem.* GREW. *Muſeum Reg. Societ. Angl.* Part. II. cap. 4. p. 206. item VALENTINI, *Hiſt. Simplic. Reform.* Lib. II. Sect. V. cap. 19. p. 228. & ZORN. p. 105.

BERBERES exſiccatæ, Oxyacanthæ fructus, *les baies de Berberis ſechéar*, gedörrte Saurach-Beerlein, Erbſelen, Weinnägelein. Sunt oblongæ baccæ, in racemos congeſtæ, quæ completa maturitate amœne rubentes adparent, & grato ſapore ſubacido præditæ evadunt. Frutex in dumetis & locis ſilveſtribus ſponte naſcitur, & hinc inde trinis ſpinis armatus eſt; floreſcit Menſe Aprili, & fructum maturum Menſe Septembi porrigit. Sunt, quibus perſuaſum eſt, quod ſpinea Chriſti corona, ex hujus Oxyacanthæ ſpinoſæ ſurculis, contorta fuerit, *Baccæ refrigerant, bilem moderantur, & ſanguinis fervorem compeſcunt. Siccatæ in decoctis adhiberi ſolent.* Vid. RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1699. Menſ. Maj. Obſ. 19. pag. 502. ſqq. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* pag. 398. præſertim vero GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 173. ſqq. & ZORN. p. 123 ſqq. ubi plura, item BOECLER. *Mat. Med. Cont.* Inde Berberis fructus in Medicinæ uſu, valde frequentant Aegyptii, quos putant cor multum roborare, viresque reficere, ac perfrigerare, ſitimque extinguere, in febribusque ardentibus atque peſtilentibus, iis paratis uti ſolent. Præſtantiſſimum quoque auxilium ad alvi fluxiones, apud eam gentem, ſua adſtrictione, habetur; eo-

que potu ego olim, ibi peſtifera febre correptus, cùm immoderata diarrhœa bilioſa, libentiſſime, cum felice ſucceſſu, Aegyptiorum Medicorum conſilio, ſum uſus. Ita ſcribit *Proſper.* ALPINUS, Lib.IV. *de Med. Aegypt.* p.253. & p.320. ſq.

CACAO, Cacavahe, Avellanæ Mexicanæ, *le Cacao*, **Cacau, oder Chocolade-Frucht.** Arborem nonnulli Barbarorum *Cacahuſe*, nonnulli *Cacao Cacaviſeram*, vocant; Botanici fero recentiores *Theobroma*, nuncupare ſolent. Flos roſeus ex calice pentaphyllo adſurgit; piſtillum, quod tubi cujusdam multiſciſſi lacinus cinctum eſt, mutatur in fructum cucumeriformem, quinquangularem atque ſtriatum. Fructus refertus eſt ſeminibus ſive nucleis, qui in quinque plerumque loculamentis oblongis deliteſcunt, & formam amygdalarum ſimulant, fiſſilesque adparent. Naſcitur in locis pinguibus & uliginoſis Americæ calidioris. Arbor hæc Americana, *Theobroma*, quaſi βρῶμα τῶν θεῶν, dicitur, quia ex fructu potio illa ſaluberrima, & maxime nutriens, cui Mexicani nomen *Chocolate*, impoſuere, paratur, qua ſoli quondam Magnates Europæ uſi ſunt; hodie vero hæc potio in uſum communem abiit, & potius πομά τῶν πληθῶν, quam τῶν θεῶν, nunc appellari poteſt. *Fructus non ſolum ad confectionem chocalatæ adhibentur, ſed etiam oleum ex illis copioſe exprimitur, quod dulcem & gratum ſaporem prodit, frigeſcens inſtar ſevi concreſcit, & Butyrum Cacao, nominatur. De quo vid. inter olea expreſſa.* Conf. SPIES, Diſſert. *de Avellana Mexicana*, & præcipue *Cl.* GEOFFROY, egregium opus *de Mat. Med.* Tom.II. Sect.I. Cap.II. Art. XIX. p.409.. ſqq. item *Paul.* HERMANNI, *Cynoſur. Mat. Med* p.384. ſqq. & *Nehem.* GREW. *Muſeum Reg. Societ.* Part.II. cap.4. pap.205. ut & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part.II. Sect. XIV. Cap. 6. p.534. ſqq. imprimis vero vid. huc ZORNII, *Botanolog.* p.151. ſqq. & quos ibi laudat auctores plures, qui hujus ſuaviſſimæ Avellanæ Mexicanæ meritas laudes & virtutes paſſim celebrarunt, quibus add. eos, qui data quidem opera, *de Chocolata*, ſcripſerunt, nimirum *Colmenerium*, Hiſpanum, ejusque interpretem Latinum, *Severinum*, item *Heredium*, *Mundium*, *Brancatium*, *Sponium*, *Dufourium*, aliosque a ZORNIO, p.152. laudatos, & noviſſime *Brookeſium*, Anglum. Conf. infra dicta ad *Chocolata*.

CAPITA Papaveris, Codia, *les Tetes de Pavot*, **Mohn-Häupter, Mohn-Köpfe.** Sunt capſulæ ſeminales papaveris ſativi, globoſæ, coronatæ quaſi, & ſtellato operculo tectæ, quarum aliæ nigrum, aliæ album ſemen recondunt; hæ modo nucis juglandis, modo mali mediocris modo craſſioris molem æquant. Aſſervari ſolent in uſum cum & ſine ſeminibus. *Virtutes cum ſemine communes habent, ſed tamen magis narcoticas. Ad pediluvia, & confectionem Diacodii adhibentur.* Vid. *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom.I. pag.327. ſqq.

CARICAE, Ficus paſſæ, *les Figues ſeches*, **dürre Feigen** Sunt fructus ficus arboris ſativæ. Multifariæ illarum ſpecies numerantur, ſed *ficus ſativa, fructu parva, ſerotino, albido, intus roſeo, mellifluó, cute lacera* TOURNEFORTII, optima omnium exiſtimatur. Hæ in ſparteis corbibus exiguis adferuntur ex Marſilia, hinc

Marſilianiſche Korb-Feigen vocantur. Quæ pingues ſunt, & non verminoſæ, ſeligantur. Vocabulum *Ficus*, denotat in officinis fructum recentem; *Carica*, vero ficum exſiccatam vel paſſam ſignificat. *Demulcent humores acres, & in tuſſi ſicca, raucedine, nephritide, & ardore urinæ commendantur. Decoctum in variolis, & adfectibus pectoralibus laudatur, & crebro adhiberi ſolet. Externe, emolliunt, maturant, & leniunt.* Vid. RIEDLINI, *Lin. Med* Ann. 1695. Menſ. Decembr. Obſ. 28. pag. 461. & plures Auctores alios, diligentiſſime laudatos a ZORNIO, in *Botanol.* p. 300. ſqq.

CARPOBALSAMUM, *le Carpobalſame*, Balſam-Körner, die Frucht vom Balſam-Baum. Sunt grana ſive baccæ oblongæ, pediculis brevioribus inſidentes, quæ cortice rugoſo, furvo, quatuorque coſtis diſtincto, obductæ ſunt, & gratum aromaticum ſaporem atque odorem produnt. Planta ex qua naſcuntur, eſt arbuſcula balſami Syriaci; adſurgit in altitudinem Liguſtri vel Cytiſi; amicta eſt cortice ſubrubente; ramulis longis, rectis & gracilibus, ſuperbit, ejusdem coloris ac truncus, ſed foliis paucioribus inordinate vertilis. Folia, quæ alata ſunt, & rutæ folia ſimulant, perpetuo virent, ſemperque numero impari, vel trina, quina aut ſeptena deprehenduntur. Flores, qui acaciæ floribus proxime accedunt, parvi, albi, & excitatiſſimo odore dotati ſunt, ſingulis ramulorum extremitatibus trini inſident umbellam æmulantes. Hæc arbuſcula, ex ſolo ſterili & arenoſo ſua ſponte progerminat, in locis compluribus Arabiæ felicis, prope *Meccam*, & *Medinam*. Mons quidam prægrandis, ſed ſabuloſus, circa villam, quam Arabes *Bedruniam* vocant, totus quoque hujus carpobalſami fruticibus obſitus eſt, qui tamen, ob ſoli ſterilitatem præter fructum uberiorem, parum balſami, vel plane nihil proferunt; hinc incolæ, hos frutices in Balſameta, & ſolum pinguius transferre ſolent, & ſedula cultura, balſamo fœcundos reddere conantur. Sed non ſolum in Arabia felici, ſed etiam in Aegypto, hunc balſami fruticem, in hortis ad hunc finem conſtructis, ſedulo colunt. Carpobalſamum, quod oleo, vel balſamo gravidum eſt, & odorem opobalſami ſpargit, eligatur. *Rarius in uſum medicum vocatur. Confectioni Theriacæ quidem intermiſcetur; & eſt ſtomachicum, nervinum, vulnerarium atque diureticum.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 477. & ZORN. *Botanolog.* p. 108.

CASSIA fiſtula, Siliqua purgatrix, *la Caſſe en bâton*. Eſt ſiliqua longa, rotunda ac nigricans, quæ ſub putamine corticoſo, inter diaphragmata vel ſepta, pulpam dulcem, nigellam, & ſemina depreſſa, atque furva collocata complectitur. Orientalis ſive Alexandrina, optima ducitur. Advehitur quoque ex America, quæ tamen craſſiores & multum breviores ſiliquas habet, in quibus pulpa amariuſcula, & virtute purgativa præſtantior, incluſa eſt. Siliquæ recentes, graviores, & medulla refertæ ſunto, quas eligas. *De virtute hujus medullæ, videatur Pulpa Caſſiæ.* Vid. RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Auguſt. Obſ. 23. pag. 257. & plura apud ZORNIUM. *Botanolog.* p. 177. ſqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 103. ſqq. animadvertant ſedulo pharmacopæi ne ſiliquam cum pulpa coquant, hæc enim eſt adſtringens & pulpæ ſaporem ingratam acrem imprimit.

CERASA acida, exſiccata, *les Ceriſes aigres ſeches*, ſaure Kirſchen, Wein-Kirſchen, Weichſel. Ceraſa acida, quæ & aproniana atque duraciana vocantur, ſunt fructus Ceraſi ſativæ, acidi, & ſucco multo, amœne rubicundo præditi. Arbor colitur in hortis, & fructus Menſibus Junio & Julio ad maturitatem pervenit. *Ex his ceraſis acidis recentibus, ad ſyrupi confectionem, ſuccus exprimitur. Ex ſiccatis vero decocta venuſte rubentia parantur, quæ præſertim bilioſis, ad ſitim & ſanguinis æſtum mitigandum, conducunt.* Vid. huc *Jo. Georg.* DOLFUSII, *Ceraſologia Medica*, ubi plura de Ceraſorum Virtutibus; imprimis apud ZORN. p. 187. ſqq. add. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 680 & præcipue GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 286. ſqq. ubi diligentiſſime & uberrime de Ceraſis tractat.

CERASORUM Nuclei, *les Noyaux de Ceriſes.* Hi nuclei ex omnibus ceraſorum generibus colliguntur. *Anodyni, atque diuretici ſunt, nec non lithonthryptici,* teſtibus *Hoffmanno* ac *Schulzio*, item *Boerhaavio*, & aliis, apud ZORNIUM. *loc. cit.* & GEOFFROY, *loc. cit.* p. 289. *In emulſionibus uſurpari ſolent.*

COCCOGNIDIUM. Vide Semina.

COCCULI Indi, Cocculæ Orientales, vel de Levante, *les Coques du Levant*, Köckel-Körner, Fiſch-Körner. Ex Oriente adferuntur. Arbor a RAJO *Solanum Indicum arboreſcens, cocculos Indos ferens*, nominatur; & in Horto Malabarico *Natſiatam*, vocatur, *& foliis cordiformibus, floribus monopetalis quinque partitis, candidis, fructibus racematim congeſtis*, deſcribitur. Fructus baccarum Lauri magnitudinem æmulatur, rotundior tamen eſt, & furvo atque rugoſo cortice tegitur. *Etiamſi nonnunquam ad uſum internum adhibiti fuerint, tamen pernicioſi exiſtunt. Exitium pediculis inferunt; piſcibusque capiendis objiciuntur.* Peculiarem de *his Cocculis, earumque uſu & abuſu*, Tractatum ſcripſit: CODRONCHIUS, vid. & VALENTINI, *Hiſt Simpl. Reformat.* Lib. II. Sect. V. cap. 17. p. 224. ſqq. & quos ibi laudat ſimul Auctores, item DALEI, *Pharmacolog.* Part. II. pag. 419. & BOECLERI *Cynoſur. Mat. Med. Herm.* Continuat. I. Part. I. cap. 5. p. 237. ſq. nec non ZORN. p. 221.

COFFEE, Caffée, Caffea, *le Caffé*, Coffe, Caffe-Bohnen. Eſt fructus, quem arbor *Bon*, vel *Ban*, profert, & a nonnulis quoque *Jaſminum Arabicum* folio Lauri nuncupatur. Vid. imprimis *Celeb.* JUSSIEU, in accuratiſſima *Arboris hujus Caffea deſcriptione, in Actis Acad. Scientiarum Pariſ.* Folia majora & pinnata ſunt, perpetuo virent, & folia Lauri ſimulant. Calix floris eſt quinquifidus, flos ipſe infundibuliformis, bacca ſubrotunda, mollis, carnoſa, viſcoſa & dulcis exiſtit, magnitudinem ceraſi, refert, & nucleum bifidum amplectitur. Arbor ſponte naſcitur in orientalibus plagis, præſertim in Perſia & Arabiæ regionibus; translata in Americam, copioſe ibidem & ſtudioſe colitur; occurrit quoque non raro in hortis botanicis. Baccæ vel Ceraſa nunquam uſui medico cedunt, quamvis illarum viſcoſa materies, acrimoniam demulcere valeat; ſed ſola bina ſemina, quæ parte plana ſibi invicem cohæ-

rent, & mebranaceo folliculo obducta ſunt, in uſum frequentem trahuntur. Variæ hujus fructus ſpecies nobiſcum communicantur, quæ valde tamen qualitate inter ſe differunt. Omnium optima cenſetur, quæ ex Oriente adferri, & *Caffé de Levante*, adpellari ſolet, ceteris minor, & pallida; altera ſpecies colore viridiuſculo adparet; ultima vero, & quæ viliſſima habetur, ex ſeminibus majoribus & albo flaveſcentibus conſtat. *Hæc ſæmina Caffeæ uſtulata, in pulverem rediguntur, & cum aqua coquuntur; decoctum vero, ſaccharo admixto, calidum ſorbillatur. Commendatur ad ventriculum roborandum, coctionem juvandam, ſpiritusque excitandos; virtute antihypnotica ſtat celebre. Phlegmaticis & qui frigidioris temperiei ſunt, magis conducit, quam bilioſis & macilentis, horum namque ſpiritus agiles atque inquietos reddit.* Id quod in utramque partem, pluribus, oſtenderunt WILLISIUS, Lib. *de Medicamentor. Operat. in Corp. human.* Sect. VII. cap. 3. p. 204. & VESLINGIUS, *Epiſt.* LV. p. 181. præſertim *Jac.* SPONIUS, *in Phyliologia Potus Caffé,* Cap. XIII. p. 54. ſqq. & ex eo DUFOUR, dans ſon *Traite du Caffe,* Chap XIII p. 159. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. pag. 436 ſqq. & ZORN. *Botanolog.* pag. 134. ſqq. ut & BARBEIRAC, *de Form. Med.* Lib. I. Cap. 13. p. 252. ſqq. aliique plures Auctores, quos poſt *Caſp.* NEUMANN. *in Prælect. Chem.* Part. III. cap. 26. p. 593. ſqq. magna copia produximus in Not. ad poëma noſtrum encomiaſticum *de Potu Caffé,* T. IV. *Poëm. noſtror. Phyſico-Ethicor.* p. 106. ubi & ipſi p. 93. ſqq. de uſu & abuſu hujus egregii & perquam utilis ac ſalutaris potus, diſtinctius ac diſertius egimus, præſertim autem in *ſubjectis ibi Adnotationibus.*

COLOCYNTHIS, fructu rotundo minor, *la Coloquinte,* **Coloquinten.** Arabibus *Handal, Haanthal,* & *Henſal,* vid. *Olav.* CELSII, *Hierobot.* Part. I. p. 402. ſqq. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 334. RAU-WOLF. *Itiner. Or.* Part. II. cap. 6. pag. 72. & cap. 8. p. 97. Adſociatur plantis pomiferis, & a ceteris cucurbitaceis diſtinguitur, folio, in profundas lacinias diſſecto, & fructu amaro. Fructus magnitudinem mediocris pomi refert, cortice duro & flavo cinctus eſt, ac in ſubſtantia alba, levi atque fungoſa, ſemina plana, & albicantia fovet. In Syria & ceteris orientalibus plagis naſcitur, & decorticata ad nos transferri ſolet. Alba, levis, & quæ ab omni cortice exteriore mundata eſt, eligito. *Vehementiſſimam vim purgantem exercet, & id circo nulli ſuſpectarum mulierc ularum unquam impertienda eſt. In ſubſtantia uſum medicum non accedit; niſi in compoſitione Trochiſcorum Alhandal,* h. e. *Colocynthidis; alias in vino, quovis in liquore infuſa vel decocta, cum vel ſine petia, exhiberi ſolet. Nux Moſchata vel Macis, vim draſticam Colocynthidis corrigens optimum habetur.* De Colocynthidis præparatione & uſu, bene, quondam ſcripſit *Hieronym. Valerius,* ſed melius noſtra quidem ætate *Cl.* SCHULZIUS, ſingulari Diſſertatione; qui tamen, ſi dicere quidem liceat, nimius fere eſt, in laudanda Colocynthide; quam potius, una cum Trochiſcis Alhandal, ex ea paratis, ad nauſeam creandam, ventriculum ſubvertendum, excitanda ventris tormina atrociſſima, & ſævam denique hypercatharſin commovendam, natam verius eſſe, quam ad ſanitatem aut conſervandam aut reſtituendam, cum *Ludovici, Hoffmanno, Platero, Tulpio, Remb. Dodonæo, Schenckio, Stalp. van der Wiel, Salenandro,* & aliis, merito cenſemus. Conf. BÜCHNERI, *Fund. Mat*

Med. p. 485. ſqq. Cl. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. X. cap. 12. pag. 564. præſertim ZORN. p. 222. ſqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 143. ſqq. & DÜTTEL. de *virulent. purg. indole.* Cap. I. ut & *Cl.* GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. pag. 340. ſqq. item infra, Part. II. a nobis dicenda, *ad Elixir Purgans*; imprimis vid. funeſta de Colocynthide exempla aliquot apud *Felic.* PLATNERUM, *Obſervat. Med.* Lib. III. p. 805. ſqq. ut & RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1696. Menſ. Jul. Obſ. 2. p. 309. & laudatum TULPIUM, *Obſervat. Med.* cap. 26. Lib. IV. p. 318. licet aliud viſum FRICCIO, de *Virtute Venenorum Medica*, Cap. X. pro conſueto ſuo cacœthe, venena & veneno proxima acerrime defendendi, ubi plures quoque in ſuam ſententiam, laudat Auctores, quibus add. WEDELII, *Amœnit. Mat. Med.* Lib. II. Sect. I. cap. 5. p. 249. ſqq. & BORRICH. Diſſert. *de Venenis*, p. 215. Tom. I. *Diſſert. Academ.* Sed ipſi quidem has dapes amariſſimas & ingratiſſimas intactas plane relinquamus, eſt enim Mors in Olla; & poma ſunt Diaboli, judice Solenandro.

CORNA, arboris, Corni hortenſis, fructus exſiccati, *les Cornouilles*, Cornel-Kirſchen, Kuhe-Kirſchen, Dürlitzen. Arbor, quæ in hortis plantatur, Menſe Martio flores ſuos aperit, & Menſe Julio fructum ſuum maturum largitur. *Hujus fructus virtute refrigerante atque ſiccante praditus eſt, & commendatur ad fluxiones alvi, & ſitim reſtinguendam; exſiccatus ad decocta; recens vero ad Roob Cornorum parandam, adhiberi ſolet.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med* Tom. III. p. 361. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 412. & ZORN. pag. 230. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 424.

CUBEBÆ. Vide Aromata.

CUPRESSI Nuces, *les Noix de Cyprès*, Cupreſſen-Nüſſe. Sunt coni *arboris Cupreſſi*, quæ apud nos non vero in hortis colitur, ſed in inſula Creta ſponte naſcitur, & copioſe occurrit. Ad coniferas pertinet, & fronde ſemper virente perennat. *Nuces ſive coni, virtute adſtringente potiuntur, hinc in diarrhœa, mictione involuntaria, & ubicunque adſtrictione opus eſt, tam interne quam externe adhibentur, ac vel in pulvere, vel infuſo, vel decocto porriguntur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 385. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 175. & ZORN. p. 248. ubi plura.

CYDONIA, exſiccata, *les Coins*, gedörrte Quitten. Sunt fructus *arboris Cydoniæ*. Coluntur in hortis & vinetis, floreſcunt Menſibus Aprili & Majo, & fructus Menſe Octobri maturus evadit. *Adſtringunt, roborant, ſitim & æſtum temperant. Cataplaſmata ex carne Cydoneorum cocta,* quod & adfirmat FORESTUS, de Succo *eorundem, cum bono ſucceſſu vulneribus, quæ venenatis armis, inflicta fuerunt, imponuntur.* Conf. *Ill.* HEISTERI, Diſſert. *de Cydoniis*, & EYSELII Diſſert. *de Medicamentis ex Malo Cydoniato præparatis*, & RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1696. Menſ. Octob. Obſ. 12. p. 490. ſqq. maxime vero ZORN. p. 252. ſqq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 367. ſqq.

CYNOSBATA, *le Cynorrhodon, le Gratte-cul*, Hüfften, Hagen-Butten. Sunt fructus *Roſarum ſilveſtrium*, exemtis ſeminibus, lanugineque remota, ſiccati. *Vis diuretica, & aperitiva illis adſcribitur. Ad plethoram & ardorem ventriculi in pulvere exhibita, laudantur. Decoctum quoque a nonnullis in potum adhibetur.* De his & aliis virtutibus *Cynosbati*, decocte & diffuſe tractat *Ehrenfried.* HAGENDORNIUS, in ſic dicta ſua *Cynosbatologia*, nominis forſan convenientia, ad ſcribendum inductus & impulſus, Jenæ, 1681. conf. imprimis ZORN. *Botanolog.* p. 257. ſqq.

DACTYLI, *Dactes, les Dattes*, Datteln. Sunt fructus Palmæ majoris, vulgaris, dactyliferæ. Vocantur quoque *Palmulæ* atque *Cariſtæ*, oblonge rotundi ſunt, & glandium majorum formam & magnitudinem æmulantur; ſub dulci carne nucleum durum, oblongum, ſulcatum tegunt; & in Syria & Aegypto, aliisque calidioribus plagis orientalibus naſcuntur. Majores, fulvos, molles, carnoſos, melleos vinoſos & qui non adeo rugoſi ſunt, eligito. *Virtutem demulcentem poſſident, id circo in tuſſi, catarrhis, aſperitate faucium, calculo, nephritide, & dyſuria adhibentur.* Vid. de *Dactylis*, perquam accurate & copioſe tractantem KAEMPFERUM, *Amœnitat. Exot.* Faſcic. IV. Relat. V. p. 703. ſqq. ubi & longe plura de palmis, exactiſſime repetita a VALENTINO in *Ind. Litterat.* Epiſt. 50. pag. 546. ſqq. Conf. quoque imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 299. ſqq. & ZORN. *Botanol.* p. 491.

EBULI Baccæ, exſiccatæ, Attich-Beer. Vide Semen Ebuli.

FABA S. Ignatii, Faba febrifuga, Nux Vomica legitima Serapionis Camelli, *Feve de S. Ignace*. Sunt ſemina oblonga, nodoſa, duriſſima & cornea quaſi, quæ ſaporem intenſiſſime amarum produnt, colore glauco adparent, & magnitudinem nucis avellanæ cum potamine plerumque æquant, interdum etiam pauliſper ſuperant. Hæ S. Ignatii Fabæ naſcuntur in planta cucurbitifera, Malabathri folio ſcandente, quæ Philippinis Orientalibus *Catolongay*, & *Cantara*, dicitur. In unico fructu viginti & plures harum S. Ignatii Fabarum, in pulpa molli & flaveſcente ordinatim reconditæ, & diſcretæ reperiuntur. Facile fiunt carioſæ; quæ rejiciendæ ſunt. Vid. accurate de illis tractantem GEOFFROY, *Mat Med.* Tom. II. p. 458. ſqq. item *Valentini*, de quo mox, & BOECLERI, *Cynoſur. Mat. Med.* Cont. I. p. 230. ſqq. indicium quoque ipſius & forſan primus, apud nos quidem, fecit ſummus quondam BOHNIUS noſter, in *Programmate* Ann 1698. Lipſiæ, publicato, cujus & meminit ipſe *Valentini*, conf. *Act. Erud.* Ann. 1700. Menſ. Dec. *Hæ fabæ venenis obſtare, quartanas febres fugare, urinam & menſtrua propellere, creduntur*, a quam plurimis, quos partim laudat ZORNIUS, *Botanol.* p. 296. *Si nimia doſis propinetur, vertiginem, vomitus, ſudores frigidos, & animi deliquia, concitant*, ut auctor eſt RAJUS in *H. ſt. Plant. In ſubſtantia grana ſex, adultioribus etiam grana decem porrigi poſſunt. Vino, cui infunduntur eamdem fere, ac centaurium minus, amaritiem, committunt. Sed nos in ea ſumus opinione*, vere & ſapienter ſcribit HOFFMANNI, in Diſſert. *de vera Medicamentorum in morbis, virtute & efficacia, rite dignoſcenda, hanc S. Ignatii fabam natura noſtra maxime*

xime eſſe inimicam, & lenem recondere virulentiam, quod ibi ex inſigni virium imbecillitate, ab hujus fabæ uſu, relicta, ulterius probat. *Faba Ignatii*, pariter ſevere ac vere pronunciat magnus BOERHAAVE, *Conſult. Med.* p. 361. *Species veneni eſt, amariſſimi, proxime accedens ad Nucem Vomicam. Centaurium minus tutius, atque in eosdem uſus longe efficacius.* Igne ergo dignior eſt hæc faba, quam tam ſancto Ignatii nomine. Quare & huc convenit illud *Pytagora* Symbolum: κυάμων ἀπέχεσθαι. Multas quidem inſignesque plane virtutes huic Ignatii fabæ tribuit, ſuſpectæ mercis laudator nimius, VALENTINI, in *Polychreſtor. Exoticor.* Diſſert. I. quæ tota in hujus ancipitis remedii laudes, haud ſatis meritas effuſa eſt; item & in *Hiſt. Simplic. reformat.* Lib. II. Sect. V. Cap. V. p. 198. ſqq. ut & RIEDLINI, *Cur. Med* 625. Cent. VII. pag. 388. ſqq. & *Cur.* 845. Cent. IX. p. 585. *Wedelius*, aliique nonnulli Auctores, quos ibi in rem ſuam, diligenter adduxit citatus modo Valentini, quorum auctoritate inductus, ipſe quoque *Cl.* GEOFFROY, de *Mat. Med.* Tom. II p. 462. arbitratur, e foro Medico non eſſe procul ablegendas iſtas Fabas, nec tantæ energiæ Medicamentum rejiciendum, ſed potius ſumma cum cautione & prudentia eſſe adminiſtrandum. Sed qui poteſt quæſo ità adminiſtrari? quum ferox atroxque ejusmodi remedium ſemel intra corpus aſſumtum, poſtea ne prudentiſſimi quidem Medici habenas audiat; ſed humana cum ſtrage ruat & omnia perdat ac ſubvertat, quod ipſe aliquot funeſtis exemplis ibidem probat, GEOFFROY, p. 460. & tamen ipſius uſum ſuadet.

GALLÆ, *les Noix de Galle*, Gall-Aepffel. Plerumque inter fructus referuntur, ſed falſo, nam nihil aliud ſunt, quam excreſcentiæ morboſæ, quæ a puncturis inſectorum ovula deponentium, oriuntur. Ex foliis ilicum protuberant. Quæ nigræ, nodoſæ, aculeatæ, ponderoſæ & minores ſunt, atque ex Aleppo & Smirna advehuntur, ceteris præferri ſolent, flaveſcentes vero, majores & quæ pondere carent, rejiciuntur. Vid. GEOFFROY, *loc. cit.* p. 778. ſqq. VALENTINI. *Hiſt. Simplic. reform.* Lib. II. Sect. V. cap. 21. p. 231. & *du* HALDE, *Deſcript. Imper. Sin.* Part. III. Sect. III. cap. 4. pag. 524. ſqq. *Virtute adſtringente, pollent, & febrifuga cenſentur. Decoctum ad examinandas aquas minerales adhibetur, & cum Vitriolo Martis permixtum atramentum ſcriptorium conſtituit.* De virtute febrifnga Gallarum, vid. Cl. WERLHOF. *Obſ. de Febr.* p. 257. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 781. de aliis uſibus, vid. ZORN. *Botanolog.* p. 321.

GLANDES quercinæ, *les Glands*, Eicheln. Sunt fructus quercus vulgaris. Genus quercuum abit in varias ſpecies, quæ tamen omnes virtute congruunt. Fructus vero ſive glandes, & ſapore, & magnitudine inter ſe differunt. *Eſculus* dulces glandes parit. Ilex vero & ceteræ, amaras producunt. *Virtute adſtringente potiuntur, & ad fluxiones alvi, incontinentiamque urinæ commendantur.* Vid. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 133. & maxime ZORN. p. 554.

GRANA Kermes, Grana Tinctorum, *le Kermes, ou la Graine d'Ecarlatte*, Scharlach-Beer, Carmeſin-Beer. Eandem, quam gallæ, originem ha-

bent, & in foliis *Ilicis coccigeræ aculeatæ*, deſcriptæ a TOURNEFORTIO *Itiner.* Tom. I. Epiſt. I. p. 57. ex punCturis & depoſitione ovulorum inſecti cujusdam naſcuntur. Ex agro Monſpelienſi ad nos advehuntur. Grana, quæ integra & rubicundo-fuſca ſunt, eligantur. *Succus vel potius Syrupus Chermes, & confectio Alkermes ex his granis paratur. Vim medice adſtringentem poſſident, & cardiaca cenſentur.* Vid. huc *Cl.* SCHULZII, Diſſertat. ſingularis de *Granis Kermes*, & *Coccionellæ*, imprimis *Jo. Steph.* STROBELBERGERI Tract. de *Cocco Baphica, & indè parata Confectione Alchermes*, ut & ZORN. p. 332. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 287. Conf. infra dicenda ad Tit. *Confect. Alkermes.* Sed vid. & *Cl.* GEOFFROY, Tract. de *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. Cap. IX. Artic. V. p. 782. ſqq. item VALENTINI, *Hiſt. Simplic. Ref.* Lib. II. Sect. V. cap. 10. p. 208 ſqq. & *du* HAMEL, *Hiſt. Reg. Scient. Acad.* Lib. IV. Cap. I. p. 333. præſertim vero ſagaciſſimi illius naturæ myſtæ, REAUMURII *Hiſt. Inſect.* Tom. IV. Memb. I. nec illo minoris ingenio, induſtria & patientia, Comitis MARSIGLII, *Obſervat. Natural.* circa Mare, & Grana Kermes; quibus add. SALMAS. *Homonym. Hil. Jatric.* cap. 70. p. 92. ſq. imprimis *Cl.* CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 21. pag. 504. ſqq. Liquidiſſime ergo patet Grana Kermes ad Regnum potius Animale pertinere, quam quidem ad vegetabile. Interim tamen ordinem hic ſemel receptum turbare nolumus, imprimis, cum parum referre videatur, quo loco poſita ſint hæc Gran.

GRANA Paradiſi. Vide inter Aromata.

GRANA Tiglia, vel *Gajapala*, ab incolis vocata, teſte Grimio, *les Pignons d'Inde, ou les Graines de Tilli*, Purgier-Körner, Granatill-Körner. Sunt *Racini Indici*, arboreſcentis, *Pavana* incolis dicti, fructus oblongi, ovales, Ricini vulgaris magnitudinem exprimentes, qui ſub putamine cinereo nucleum valde acrem occultant. Conf. de his, copioſe, GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 420. ſqq. & p. 428. ſqq. item *Pomet*, *Valentini*, *Pauli*, *Hermann.* & alii mox laudandi; imprimis BREYNII, *Plant. Exot.* Cent. I. cap. 54. p. 118. ſq. Arbor in Malabaria ſtudioſe colitur, & ab incolis magni habetur. Truncus *Lignum Moluccenſe* nobis ſuppeditat. *Grana vehementiſſime purgant, hinc ſuſpectis perſonis nunquam, & aliis ſuma cum circumſpectione dari debent; ſerum potenter educunt, & in hydrope nonnunquam exoptatum effectum præſtiterunt. Ob ferociorem, quam poſſident, acredinem, fauces, palatum, & plerumque etiam anum inflammant. Corriguntur ſucco liquiritiæ, viſcoſis, & aromatibus. Unicum granum hujus fructus, quod pondere medicinali, grana ſex æquat, valet pro doſi.* Vid. de his granis catharticis exoticis, GRIMII, *Laborat. Ceylon.* pag. 103. ſqq. ubi & modus ea adhibendi, præſcribitur, haud exigua cum laude. Rectius vero iſta Ricini grana, ob vim ſumme cauſticam & catharticam, imo hypercatharticam, pro veneno habet BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 336. item ante ipſum *Sim.* PAULLI, *Quadripart. Botan.* pag. 548. ſqq. qui proinde in diuturna ſua praxi, per omnem vitam penitus ab eorum uſu abſtinuit; ut & *Rolfincius*, aliique. Conf. & VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Ref.* Lib. II. Sect. V. cap. 25. pag. 237. ſqq. præſertim

GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. pag. 422. ſqq. & HERMANN. *Cynoſ. Mat. Med.* Part. I. cap. 5. p. 339. ſqq. item ZORN. *Botanolog.* p. 575.

GRANATORUM poma, vide Cortices.

GROSSULARIÆ Baccæ, Ribes vulgo dictæ, tres ſunt earum ſpecies, rubra nempe, alba & nigra, *les Groſeilles*, Johannes-Trauben, Johannes-Beer. Et ſanis ſuaves ſunt, & ægrotis gratæ, in ſitis remedium & æſtus temperamentum, ceu notum; imprimis rubra & alba; ſed nec nigra uſibus medicis deſtituitur, præſertim diureticis, nephriticis & hyſtericis, de quibus omnibus vid. exacte GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 533. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 397. HERMANN. *Cynoſur. Mat. Med.* p. 511. ſq. & præſertim ZORN. p. 572. Ceterum notum eſt, ex his ſuaviſſimis fructibus, ſeu baccis tam rubris, quam albis, varia egregia virtute, & jucunda ſapore, parari remedia, verbi gratia, Ribium Conditum; Succum, Gelatinam, Roob, & alia, de quibus infra Part. II. ſuis locis forſan dicetur. *Et Groſſularia* vero *nigra ſeu olentis foliis, additis aliis herbis & radicibus alexipharmacis, paratur decantatum illud apud Turonenſes & Pictones, & plurimis experimentis comprobatum, ut dicitur Remedium, ſeu Infuſum adverſus Hydrophobiam*, quod cum *Cel.* GEOFFROY, communicavit quondam *Illuſt. Chauvelin.*, cujus proinde deſcriptionem infra Part. II. dabimus, ſub *Infuſis*.

HEDERÆ Baccæ, *les Bayes de Lierre*, Epheu-Beer. Sunt fructus Hederæ arboreæ corimboſæ, ſeu fructibus in corymbos digeſtis. *Per inferiora & ſuperiora purgant, & ad febres intermittentes commendantur; philtrisque obſtare creduntur. A drachma dimidia, ad integram, vel ex aceto, vel vino dari ſolent.* De his aliisque virtutibus baccarum Hederæ, vid. plura in ZORNII, laudati ſæpius *Botanolog.* p. 342. ex Auctoribus variis.

HIPPOCASTANUM vulgare, Caſtaneæ equinæ, folio multifido, *les Marons d'Inde*, Roß-Cäſten, wilde bittere Caſtanien. Arbor hæc olim in Germania rara fuit, nunc vero frequenter occurrit. *Nucleus pulveratus, errhinum prabet, & ſerum e naribus copioſum educit, atque hemicranicos dolores interdum mitigaſſe dicitur, hinc & pulveri ſternutatorio Pariſino intermiſcetur.* De quo infra ſuo loco: *Ceterum equis anheloſis & tuſſientibus, cum pabulo exhibitus, conducit.* Cervi quoque, quod ipſi vidimus, iſtis nucibus veſcuntur, & inde pingueſcunt. Sues tamen, quod mirum, hoc pabulum reſpuunt, niſi illi arte ademta fuerit innata amaritudo.

JUJUBÆ, Zizipha ſativa, rutila, ſeu rubra, *les Jujubes*, rothe Bruſt-Beer. Sunt fructus arboris *Zyziphi*, ſive *Jujubæ majoris*, qui olivæ magnitudinem æquant, colore rubro adparent, ſaporem dulcem, mucilaginoſum habent, & unicum tantum oſſiculum continent. Arbor in Italia, Hiſpania, Aegypto & Mauritania naſcitur; plantatur quoque in hortis Botanophilorum. A LINNÆO dicitur *Rhamnus, flo-*

ribus digynis, aculeis geminatis rectis, foliis ovato-oblongis. Recentes, ſucculentæ, & quæ nec putridæ nec carioſæ ſunt, eligantur. *Demulcent & humectant, & præſertim decoctis pectoralibus ſolet immiſceri.* Vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VIII. cap. 5. pag. 458. ſqq. & pauca quo mirum, apud ZORNIUM, *loc. cit.* pag. 368.

JUNIPERI Baccæ, *Bayes de Genievre*, Wacholder-Beer. Sunt fructus juniperi vulgaris, quæ ubivis ferme regionum in ericis, & ſilveſtribus & montoſis locis progerminat. Hic frutex juniperus, quaſi *juniparus*, dicitur, quia ſemper novas baccas parit, & quovis anno, flores, fructus immaturos, & baccas quoque maturas ſimul fovet. Flores, a fructu ſunt remoti, ſolæ baccæ maturæ, nigræ, majores, & quæ reſinoſæ ſunt, ſeligantur. *Virtutem incidentem, reſolventem, urinam moventem, carminativam, & alexipharmacam exercent.* Vid. pluribus *Benjam.* SCHARFFII, *Deſcriptio Juniperi curioſa*, jam ſupra laudata. Conf. BÜCHNERI, *Fund. Mat. Med.* pag 494. & imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. Sect. II. pag. 635. ſqq. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 43. p. 384. ſqq. Copioſiſſime autem ZORN. *Botanol.* pag. 370. item TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 205. ſqq. ubi plurima remedia ex hiſce laudatiſſimis quidem Baccis compoſita, diligenter recenſet.

LAURI BACCÆ, *les Bayes de Laurier*, Lorbeer. Sunt fructus arboris *Lauri latifoliæ*, qui rotundi & nigricantes adparent, ac ſub tenui putamine gemellum nucleum, ſapore amarum aromaticum continent. Arbor flores pentapetalos aperit, & fructum monococcum profert, qui per maturitatem ſiccus evadit. In Italiæ ſilvis, & circa ſepimenta, ſua ſponte progerminat, & apud nos ſtudioſe in hortis educatur. *Menſes & urinam propellunt, ac frigidis ventriculi adfectionibus, colicisque doloribus conducunt.* Vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Cap. 43. pag. 332. præſertim autem ZORNII, *Botanol.* pag. 383. ſqq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 699. ſqq.

MESPILI Fructus, *les Néfles ſeches*, gedörrte Meſpeln. Meſpilus folio laurino non ſerrato, fructum profert, qui arboris nomen ſervunt. Colitur in hortis. floreſcit Menſe Majo, & autumni tempore fructus maturos impertitur. *Meſpila refrigerant & adſtringunt. Arilli ad calculum commendantur.*

MYROBALANI Belliricæ, rotundæ, *les Myrobolans Bellirics*, Belliriſche Myrobalanen. Magnitudinem majorum Gallarum imitantur, & plerumque rotundam, interdum etiam anguloſam figuram exprimunt. De his diverſis Myrobalanorum ſpeciebus, eorumque variis virtutibus vid. accurate, diligenter & copioſe tractantem ZORNIUM, *Botanolog.* p. 450. ſqq. ut & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 327. ſqq. item SALMASIUM, *de Homonym. Hyles Jatric.* cap. 99. p. 155. ſqq. & *Jo. Bot.* a STAPEL, ad *Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib. IV. Cap. II. p. 300. ſqq. & ROD. ad *Scribon. Larg.* p. 326.

MYROBALANI Chebulæ, *les Myrobolans Chébules*, groſſe ſchwarzbraune Myrobalanen. Omnium ſunt maximæ, oblongæ, atque rugoſæ. Colliguntur ex arbore Myrobalanifera, Perſici folio.

MYROBALANI Citrinæ, *les Myrobolans Citrins*, gelbe Myrobalanen. Arbor Myrobalanifera folio Sorbi, hos fructus profert, qui oblongi, rotundi, pentagoni, rugoſi, Chebulisque Myrobalanis minores ſunt.

MYROBALANI Emblicæ, *les Myrobolans emblics*, Aſchfarben Myrobalanen. Arbor Myrobalanifera foliis minutim inciſis, has profert, quæ rotundæ, nigræ, fiſſiles, & ſexangulares adparent.

MYROBALANI Indæ, *les Myrobalans Indiens noirs*, Jndianiſche ſchwarze Myrobalanen. Arbor Myrabalanifera folio ſalicis, hos fructus, oblongos, octangulares, rugoſos, ſolidos, duros, & qui interne & externe nigri ſunt, producit. Arbores Myrobalaniferæ, referuntur ad pruniferas, & in compluribus regionibus Orientalis Indiæ progerminant. Carnoſiores & ponderoſiores eligendæ ſunt. *Veteres tribuerunt citrinis Myrobalanis, bilem flavam, Indis vero bilem atram*; Chebulis, Belliricis, & Emblicis pituitam, & bilem educendi virtutem.

MYRTI Baccæ, *les Bayes de Myrte*, Myrten-Beer. Sunt fructus *Myrti communis* Italicæ, oblongi, nigri, umbilicati, triloculares, multis reniformibus ſeminibus referti, acerbi & adſtringentes. Ex Italia & Gallia advehuntur. *Indolem refrigerantem & adſtringentem poſſident. Uſurpantur tam interne quam externe; rarius tamen adhibentur. Baccæ Myrtilli, ſive Vitis Idææ, his Myrti baccis ſæpiſſime ſubſtituuntur.* Vid. ZORN. *Botanolog.* p. 456.

MYRTILLI exſiccati, *les Bayes de Myrtille*, Heidelbeer. Planta in ericetis ſponte naſcitur, Menſe Majo floreſcit, & flos formam urceoli refert, fructum vero maturum Menſibus Julio & Auguſto porrigit. *Frigidi ſunt, & ſubadſtringentes; ardorem febrium mitigant, atque decoctis pulchre tingendis inſerviunt*; præſertim autem *virtutem antidyſentericam ſingularem* ipſis ineſſe, exemplo notabili oſtendit RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1697. Menſ. April. Obſ. 13. p. 234. ſqq. Conf. ZORN. *Botanolog.* p. 455.

NUCES juglandes; *les noix*, de harum Nucum notiſſimarum & ſuaviſſimarum uſu medico vario eximio, vid. Cl. BÜCHNERI, Diſſert. ſingularis, Erford. 1743. & potiſſimum ZORNII, *Botanolog. Med.* p. 467. ſqq. ubi ex variis auctoribus, uſum hujus Nucis polychreſtum perquam diligenter & exacte, copioſeque perſequitur. Conf. & *Sim.* PAULLI, *Quadripart. Botan.* p. 97. ſqq. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 642. ut & *Caſpar* HOFFMANN. Lib. II. *de Med Offic.* cap. 162. p. 393. ſqq. præcipue autem GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 622. ſqq.

Nuces Vomicæ, *les Noix vomiques*, Krähen-Augen. Sunt ſemina arboris cujusdam, cui in horto Malabarico *Camram* nomen eſt, & eſt ***Solanum Indicum maximum arboreſcens***, foliis Oenopliæ majoribus, fructu rotundo, duro, rubro, ſeminibus orbiculatis, compreſſis, maximis. Advehuntur ex Malabaria, & ſunt orbicularia, cinerea, nimiumque dura. Vid. *Nehem.* Grew, *Muſeum Regal. Societatis*, Part. II. Cap. 4. p. 210. *Veteres his nucibus vomicis virtutem alexipharmacam adſcripſerunt; ſed a recentioribus jure ſummo, reponuntur ad infida atque ſuſpecta medicamina. Vim narcoticam, & virulentam exercent, & præſertim canibus, felibus, corvis, vulturibus, aliisque carnivoris animalibus, ceu præſentiſſimum venenum, interitum inducunt.* Non tamen ſemper, ut ſingulari exemplo oſtendit *Vid.* Riedlinus, in *Lineis Med.* Ann. 1695. Menſ. Decembr. Obſ. 12. p. 432. ſqq. De his Nucibus Vomicis ſcripſerunt *Sennertus* accuratiſſime, atque *Loſſius*, ambo noſtrates, qui ex ipſis, quod mirum, locum inter medicamenta haud nocitura, nimis ſane liberales & confidenter, concedunt. Inde & illæ notum iſtud *Electuarium Camphoratum Keglerianum*, item illud *de Ovo*, ſic dictum, male ingrediuntur. Sed uſum illarum in corpore humano, ceu exitioſum, merito damnant, Wedelius, in *Amœnit. Mat. Med.* Lib. II. Sect. II. Cap. 4. p. 337. *Frid.* Hoffmannus, *Med. Rat. Syſtemat.* Tom. II. Part. II. cap. 8. p. 288. (qui tamen mox in ſeqq. Nucem illam nocituram haud plane rejicit, quod mirum,) item Büchnerus, *Fund. Mat. Med.* p. 525. præſertim vero Cl. Geoffroy, Tom. II. *Mat. Med.* Sect. I. Artic. XXV. p. 455 ſqq. & Zornius, *Botanolog.* pag. 474. ubi ad varios ſimul Auctores provocat; conf. & pag. 238. item Hermannus, in *Cynoſur. Mat. Med.* Part. I. cap. 5. p. 337. Zwelfferus, *in Animadverſ. ad Pharmac. Auguſt.* pag. 259. aliique plures, ut *Caſpar* Hoffmannus, *de Med. Offic.* Lib. II. cap. 162. p. 401. *Amanus, Ludovici, Franciſc. Joel*, aliique alligati a *Melch.* Friccio, Tract. *de Virtute Venenorum Medica*, cap. 22. qui tamen ibidem p. 373. ſqq. pro innata ſibi, cupiditate acerrima, deplorata & venenata incaſſum defendendi, poſt Gesnerum, Lib. I. *Epiſt.* p. 34. b. Lib. III. p. 114. b. & alibi ſæpius, & Renodæum, *in Diſp. Med.* Lib. III. Sect. II. cap. 10. p. 819. ſq. aliosque ab ipſo laudatos, temerarios contrariæ ſententiæ Auctores, item Zorn. *Botanol. Med. loc. cit.* quibus, quod mirum, addendus quoque Stahl. *Mat. Med.* Part. II. 139. paq. 107. conf. infra, ad *Electuarium de ovo*, probare omnibus viribus, in contrarium, nititur, Nucem Vomicam medicinam pæne eſſe polychreſtam, imo panchreſtam, & in debellanda atrociſſima peſtilentia ipſa; virtute alexipharmaca ſumma, vix uſquam ſibi habere parem. Sed habeat ille ſibi has Nuces Vomicas, ceu ſuas delicias; verum potius ad eas invitet feles, canes, corvos, glires, & alias beſtias, quam quidem homines, ad has epulas ferales. Conf. huc in primis, *Paul. Ludov.* Sachsii, *Monocerologiæ*, Cap. X. p. 158. ſqq. & Geoffroy, *loc. cit.* p. 450. ſqq. & quæ noſmet ipſi, infra Part. II. ſuo loco, copioſe dicemus, ad ***Electuarium de ovo***, dictum, quod, ut ſupra jam monitum, hæc ipſa Nux Vomica ingreditur, ubi promeritas ſcil. laudes ingenue decantavimus.

Nuclei Pineæ, Pigneoli, *les Pignons doux*, Pinien-Nüßlein, Zirbel-Nüßlein. Arbor Pinus ſativa, quæ hos nucleos producit, in Italia uberius progerminat.

Nuclei oblongi & candidi ſunt, atque in duris craſſisque oſſiculis deliteſcunt; Oſſicula vero hæc, ordinatim diſpoſita; in cono ſquamato, ceu matrice perficiuntur. Recentes, & qui non rancidi ſunt, eligantur. *Indolem demulcentem, reſolventem & pinguefacientem poſſident. Tuſſi ſicca, & ſtranguria laborantibus ac Phthiſicis conducunt.*

PARIDIS Baccæ, *les Boyes du raiſin de Renard*, Wolffs-Beer, Ein Beer. Hæ Baccæ ſunt fructus ſolani quadrifolii, bacciferi, ſive herbæ Paridis. Ex hac Paridis planta, unicus adſurgit flos exacte tetrapetalus, quem ſolitarius fructus ſequitur. Floreſcit Majo & Junio; Menſe vero Auguſto fructus maturus evadit. Naſcitur in ſilvis & locis umbroſis, a SARDO, CÆSALPINO, LOBELIO, SCHROEDERO, ETTMÜLLERO & aliis *hæ baccæ alexipharmacas eſſe, & maniacis conducere creduntur.* Immo rectius Maniacos facere, licet mitius de his baccis perquam ſuſpectis, ſentire videatur, quod mirum, BOERHAAVIUS, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 515. Melius tamen contrarium ſtatuit *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* Claſſ. II. p. 67. & *Cl.* BÜCHNER. *Fund. Mat. Med.* pag. 509. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 558. & *Caſp.* HOFFMANN. Lib. II. *de Med. Offic.* pag. 403. & ZORN. *loc. cit.* p. 504. ut alios plures jam taceam. Conf. infra, dicta, ad *Tincturam Bezoardicam Wedelii*, quam quippe baccæ illæ peſtiferæ larga copia, male ingrediuntur; ne ſcilicet nimium forſan prodeſſet illa ipſa Tinctura Bezoardica; imprimis vid. quæ infra rurſus dicentur, ad *Pulverem Saxonicum* dictum. Ceterum TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 466. ſq. accurate ſatis tractat de hac Paridis planta, ejusque fructu, variosque ipſius ſalutares ſcilicet effectus commemorat, ſed ex aliis ſaltim Auctoribus, petitos, non vero ſui ipſius experientia comprobatos.

PASSULÆ majores, Uvæ paſſæ majores, *les Raiſins ſecs, ou les raiſins de perſe*, groſſe Roſinen, Zibeben. Sunt fructus vitis viniferæ, & ex Italia & Hiſpania ad nos advehuntur; præferendæ tamen ſunt, quæ ex Syria adportari ſolent. Majores, pingues, & recentes eligendæ ſunt. *Temperate alvum laxant, acrimoniam temperant, & ventriculo, pectori, nec non hepati conducunt.*

PASSULÆ minores, Paſſulæ Corinthiacæ, *les Raiſins de Corinthe*, kleine Roſinen, Weinbeerlein, Corinthen. Sunt fructus Vitis Corinthiacæ ſive Apyrinæ. Advehuntur ex Inſulis, quas mare Aegeum ambit. *In uſum adhibentur ad ſitim, æſtumque febrilem temperandam, alvum laxandam; & præſertim ad decocta.* Vid. RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Maj. Obſ. 26. p. 149 & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. II. cap. 8. p. 235. ſqq.

PERSICORUM Nuclei, *les Noyaux des Peêches*, Pferſich-Kern. Colliguntur ex fructibus maturis arboris Mali Perſicæ. *Commendantur ad Sabulum, nec non & calculum & præcavendum, & expellendum.* Anacollemata & emulſiones, quæ ex *his nucleis rite præparantur, ad cephalalgiam & agrypniam ſolent laudari.* Item lumbricos exterminare traduntur a GESNERO, *Epiſt. Med.* Lib. III. pag. 90. b. plura vid

apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 805. ſqq. HERMANN. *Cynoſur. Mat. Med.* p. 381. & p. 383. *Sim.* PAULLI, p. 90. & maxime ZORN. p. 508. Oleum quoque ex nucleis perſicorum expreſſum, ceu inſigne Otalgicum, laudatur. Vid. infra Part. II. *Oleum Nucleorum Perſicorum.*

PISTACIÆ, Nuces Piſtaciæ, *les Piſtaches*, Piſtacien, Syriſche Pimper-nüßlein. Sunt fructus arboris Piſtaciæ peregrinæ, fructu racemoſo, vel Terebinthi Indicæ. Hæ arbores confertim in Perſia & Syria progerminant, etiam interdum in Italia & Hiſpania coluntur. Hæ nuces anguloſæ ſunt, atque oblongæ; magnitudinem avellanæ propemodum æquant, & ſub tenui putamine rufo, nucleum vireſcentem, oleoſum, ſubdulcem, pelliculaque rufeſcente velatum, continent. Recentes & ponderoſæ ſunto, ſed neutiquam rancidæ, quas eligas. *Vim roborantem, pinguefacientem, ſemenque augentem poſſident, & ventriculo grata ſunt.* Imprimis autem hepati conducere creduntur, unde ab *Avicenna* vocatæ ſunt, *Theriaca Hepatis*, obſervante BRUNNERO, *Conſil. Med.* 8. pag. 63. cum aliis multis. Vid. CARTHEUSER, *loc. cit.* p. 525. ſqq. imprimis *Caſp.* HOFFMANN. de *Med. Offic.* Lib. II. cap. 162. pag. 400. perquam exacte item ZORN. *Botanolog.* p. 523. ſqq.

PRUNA Damaſcena, Pruna magna atro-cœruleo, dulcia, *les Pruneaux doux, les prunes noires de Damas*, Zwetſchgen, Quetſchen. Pruni fructus omnibus notus eſt. *In officinis ad decocta florum & fructuum, nec non pulpam conficiendam adhibentur. Indolem refrigerantem, humectantem, & alvum laxantem habent.*

RIBES, Ribeſium, vide ſupra Groſſulariæ Baccæ.

SAMBUCI Baccæ exſiccatæ, Grana Actes, *les Bayes de Sureau*, Hollunder-Beeren. Sunt fructus arboris notiſſimæ ſambuci. *Virtute alexipharmaca, ſudorifera, & diuretica pollent, atque ad diarrhœam commendantur*, Vid. BLOCHWIZII, *Anatomia Sambuci*; & WEDELII, Diſſert. *de Sambuco*, ſupra jam ſuo loco laudata. conf. BÜCHNERI, *Fund. Mat. Med.* p. 521. ut & ZORN. *Botanol.* p. 601. ſqq. *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. II. pag. 351. ſqq. & maxime *Sim.* PAULLI, *Quadrip Botan.* p. 141. ubi plura de virtutibus & laudibus ſambuci; ut & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 208. præſertim TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 359. ſqq.

SEBESTENÆ, Sebeſten, Myxæ, *les Sebeſtes*, ſchwarze Bruſt-Beerlein, Sebeſten. Arbor, quæ hunc fructum profert, in Aegypto & Syria naſcitur. Partim ob formam fructus exteriorem, partim in honorem *Valerii* CORDI, a Botanicis hodie nuncupari ſolet, *Cordia*, foliis ſubovatis, ſerrato-dentatis. Fructus calyci acetabuli inſtar, concavo, inſident, pruna ferme ſimulant, ſed pauliſper minores exiſtunt, nigricant, & ſub dulci, carnoſa & mucilaginoſa pulpa nucleum continent. Recentes & carnoſæ ſeligantur, quæ ſitu non corruptæ ſunt. Sed recentes rariſſime vel

nunquam

nunquam ad nos perveniunt. Interim officinæ noſtræ ſine ægrotantium diſpendio commode iliis cavere poſſunt; nam Jujubæ eandem cum his virtutem communem poſſident, & idcirco illis ſolent ſubſtitui. *Demulcentem Virtutem exerunt, hinc in catarrhis acrioribus, ardore urinæ, & febribus bilioſis in decocti adhibentur.* Vid. plura apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 311. ſqq. & *Paul.* LUCAM, *Itiner. Or.* Lib. VI. p. 179. præſertim ZORNII, *Botanolog.* p. 457. ſq.

SILIQUA dulcis, Ceratia, Ceratonia, Ceronia, Xylocaracta, Xylococcos, Xyloceraton, unde barbare Xylocaracta, Garoba, Charruba, Charnubi, *le Carouge*, Johannes-Brod, Sood-Brod, Bockshörnlein. Eſt fructus arboris cujusdam, quæ in regionibus calidioribus, Palæſtina ſcilicet, Syria, Sicilia, Neapoli & Hiſpania, crebro occurrit; folia ſunt lata, pinnata, ſed decidua, flos apetalus, plurimis ſtaminibus ex calicis inciſuris prodeuntibus, conſtat. Piſtillum, quod medium floris occupat, transmutatur in fructum, ſeu ſiliquam planam, compreſſam, atque carnoſam. Mentio quoque fit harum ſiliquarum dulcium, frequentiſſimi & hominum & pecorum adeo, pabuli, in Orientis regionibus, ubique fere ſponte nati & obvii. LUCÆ XV, 16. Ubi vid. in *Commentar.* GROTIUS, p. 754. aliique ad illum locum, commentatores plures, quos copioſe laudat ad illum locum *B.* WOLFIUS, *in Curis Philolog.* & *Crit.* Tom. I. p. 690. ſqq. item *in Not. ad Caſauboniana*, p. 296. & ad *Origenis Philoſophum*, Cap. 24. p. 157. præſertim BOCHART, *Hierozoic.* Part. I. Lib. II. Cap. 56. p. 708. ſqq. item SALMAS. *Exercit. Plinian.* p. 326. ſqq. & maxime de *Homonym. Hyl. Jatric.* Cap. 82. p. 112. ſqq. ut & *Jo. Bod.* a STAPEL, *Comment. ad Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib. IV. cap. 2. p. 292. ſqq. nec non HILLER. *Hierophyt.* Part. I. cap. 49. p. 430. ſqq. & noviſſime & exactiſſime de his ſiliquis tractavit *Olavus* CELSIUS, in *Hierobotan.* Part. I. p. 226. ſqq. quibus add. RAUWOLFF. *Itiner.* P. III. cap. 32. p. 157. & paſſim alibi, in antecedentibus, præſertim *Jobi* LUDOLFI, *Comment. ad Hiſt. Aetiop.* p. 216. ſqq. & *Jo. Henr.* URSINI, *Arboret Bibl.* Sect. IV. cap. 42. p. 556. ſqq. maxime quoque *Steph. le* MOYNE, in Proleg. ad *Varia Sacra.* fol 19. ſqq. ut & *Caſauboni Comment.* in *Perſii Sat.* III. pag. 120. item VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Ref.* Lib. II. Sect. V. cap. 13. p. 216. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom II. pag. 491. *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* pag. 43. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VIII. cap. 4. p. 454. ſqq. præſertim autem ZORNII, *Botanolog. Med.* p. 639 ſq. & quos ibi laudat auctores plures. Siliquæ carnoſæ, atque recentes eligantur. *Virtutem demulcentem, & acrimoniam mitigantem poſſident.* Adhiberi ſolent in decoctis pectoralibus & ordinariis, pro potu infantum.

SORBI Torminalis Baccæ; *les Sorbes ſéchées*, Speyerling, Arlas-Beer, Elſter-Beer. Sunt fructus *Sorbi Torminalis*, ſive *Crataji*, laciniato folio, ſubtus incano, floribus & fructibus in umbellam congeſtis. Menſe Majo flores producit, & tempore autumni fructus maturos impertitur. Progerminat in locis montoſis; occurrit quoque non nunquam in dumetis circa ſilvam Martiam, & alibi locorum complu-

rium. *Hic fructus vim refrigerantem atque adſtringentem habet, & ad calculum commendari ſolet.*

Spinæ Cervinæ Baccæ, Rhamni Cathartici ſive ſolutivi, Spinæ infectoriæ, *les Bayes de Nerprun, noirprun, ou bourge épine,* Creuz-Beer, Weeg-Dorn-Beer. Sunt fructus fruticis, flore monopetalo, infundibuliformi, foliis Mali minoribus, ſed circa marginem denticulatis. Laſcivit circa ſepimenta in dumetis & ſilvis, flores aperit Menſe Majo & fructum maturium Menſe Octobri largitur. Succus recentium baccarum, maturarum alumine admixto, amœne vireſcit, & *color viridis, qui ex illo paratur,* Safft-Grün, *nuncupari ſole immaturæ dant colerem luteum.* Nauſeoſum & amaricantem ſaporem hæ baccæ produnt; *& ſuccus illarum, præter colorem viridem etiam ad ſyrupum domeſticum adhibetur,* de quo infra, ſub Syrupis, qui & vocatur Syrupus de Spina Cervina, ut & de Rhamno Cathartico, ſeu ſolutivo, ut notum; cui ſingularem plane virtutem in inertibus Hydropicorum aquis movendis & educendis, tribuit expertus ipſe Sydenham, Tractatu *de Hydrope,* pag. 251. ſqq. Tom. II. opp. poſt *Riverium, Solenandr. Loſſium, Ettmüllerum* & alios, maximam partem jam Zornio laudatus *loc. cit. Baccæ exſiccatæ, & poſtea in pulverem redactæ, a drachma una, vel duabus, in decocto exhibitæ, alvum ſolicitant, & præſertim Arthriticis atque Cachecticis mandantur.* Vid. Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 159 & potiſſimum Zorn. *Botanolog.* p. 569.

Tamarindi, *Tamarinds,* Tamarinden, ſaure Datteln. Hoc nomine intelligitur pulpa *Siliquæ Arabicæ,* quæ *Tamarindus* dicitur. Hæc pulpa ſapore acido prædita eſt, colore fuſco nigricante, filamentisque ligneis pertexta adparet, atque oſſicula duriora, quadrata, rubentia ac ſplendentia tegit. Arbor *Siliquæ* hujus *Arabicæ* flore roſaceo ex compluribus petalis in orbem diſpoſitis, conſtante, ornata eſt. Ex calice multifido floris, piſtillum adſurgit, quod pedetentim abit in fructum, ſive ſiliquam compreſſam, quæ aliam, cum ſemine ut plurimum anguloſo, repletam ſiliquam, complexu ſuo tenet. Spatium inter duas has ſiliquas, pulpa acida & nigricante turget, quæ Tamarindos conſtituit. Arbor in Arabia feliciter progerminat. Fructus integri nunquam ad nos adferuntur, ſed ſola ſaltim pulpa. Recens, nigro rufeſcens, tenera, acida, pinguis, & quæ multis villis filamentisque intertexta eſt, eligito. *Hi tamarindi refrigerant, humorum & præprimis bilis fervorem temperant, & blande educunt ſitimque ſedant, uſus eſt in decoctis.* Vid. Cartheuseri, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. III. cap. 8. pag. 234. ſqq. Loeseke, *Mat. Med.* pag. 107. & maxime Zorn. p. 665. ſqq.

Tribuli aquatici, Caſtaneæ aquaticæ, paluſtres, cornutæ, *Tribules aquatiques,* Waſſer-Nüſſe, Stech-Nüſſe. Eſt fructus *Tribuloidis vulgaris,* aquæ innaſcentis Tournefort. Planta florem roſaceum protrudit, ex cujus calice piſtillum adſurgit, quod paulatim cum calice abit in fructum aculeatum, ſubrotundum, unicapſularem, & ſemine caſtaneæ ſimili prægnantem; folia anguloſa ſunt. Naſci-

tur in locis aquoſis. Floret Majo, & tempore autumni fructum maturum porrigit. *Plebecula hac nuce in pleuritide utitur.* Sed plerumque ſine effectu, ut ſæpius vidimus, niſi venæ ſectio & alia potiora & potentiora remedia prius adhibita fuerint. Ceterum *de his Tribulis.* Vid. ſingularis *Georg. Caſp.* KIRCHMAJERI, noſtratis quondam, Diſſertatio. Conf. ZORN. *Botanol.* p. 682. ubi plura, item GEOFFROY, *Mat. Med. Continuat.* Tom. III. pag. 229. ſqq. præſertim vero *Timæi* a GÜLDENKLEE, *Epiſt. Med.* 5. Lib. VI. p. 849. ſqq. ubi non ſolum de generatione & natura, ſed & multiplici contra varios morbos, medendi uſu, horum Tribulorum aquaticorum, diſerte & copioſe tractatur. Ingrediuntur denique hæ Nuces aquaticæ famoſum illud Agrippæ unguentum, cujus deſcriptio infra loco ſuo habetur; cui vero potiſſimum uſui id fiat, equidem haud facile dixerim, aut exputaverim. Dicant ergo, per me quidem licet, alii me peritiores.

VAINIGLIA, Vaniliæ, Vanillæ, Bainillæ, *la Vanille*, Vanilien. Sunt ſiliquæ compreſſæ, ſemipedem ferme longæ, calamum ſcriptorium majorem ſolidæ, atro-fuſcæ, & grato odore, ſaporeque aromatico præditæ, quæ pulpoſam medullam pinguem, & multis minutiſſimis acinis intermixtam complectuntur. A ſimilitudine vaginarum, ab Hiſpanis, *Vaynilla*, dicuntur. Fructus hos profert, *Volubilis ſiliquoſa Mexicana*, foliis plantaginis, & floribus nigricantibus, quæ ab Americanis *Tlilxochitl;* a LINN. *Epidendrum;* & KÆMPFOERO, *Amœnit. Exot. Faſcicul.* V. p. 866. ſqq. *Angurek*, nuncupatur. Ex America, & imprimis nova Hiſpania advehuntur. Siliquæ pingues & recentes, quæ maxime ſaporem & odorem aromaticum, poſſident, eligendæ ſunt. *Hæ vaniliæ calefaciunt, diſcutiunt flatus & juvant concoctionem. Inſuperque roborantes & diureticæ creduntur. Tinctura Vainillarum, ope ſpiritus vini extracta, ad melancholiam & phreneſin, ceu ſpecificum & ſingulare remedium commendatur, quæ multos ſanatos fuiſſe, aliis uſitatis remediis,* & medendi rationibus incaſſum adhibitis, perhibet RAJUS, *Hiſt. Plant. præparatur ex ſeminibus cum tripla vel ſextupla parte albiſſimi ſacchari contritis, pulvis apud Hiſpanos* Vacaka *dictus, qui ad fragrantiam Chocolatæ, in ipſo hauſtu, ex tempore exaltandam, adhibetur.* Conf. huc præſertim *Jo. Car.* SPIES, Diſſert. ſingularis *de Siliquis convolvuli Americani*, vulgo *Vainigliis*, Helmſt. 1721. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. Cap. VI. Artic. 10. pag. 360. ſqq. & ZORN. *Botanolog.* p. 691. ſq.

UVA Quercina, Eich-Traube. Eſt protuberantia quædam ad radices Quercuum, in forma uvæ, conglomerata; originem trahit ex puncturis cujusdam inſecti, ovula ſua deponentis, hinc Galla quaſi ſubterranea dici meretur. *Vim vehementer adſtringentem poſſidet, & per omnia cum Galla convenit. Hanc uvam quercinam nonnulli ad dyſenteriam celebrant, ut* BAUHINUS, SCHENCKIUS, SENERTUS, WELSCHIUS, BARTHOLINUS, BLANKARDUS, & alii, apud ZORN. *Botanolog.* p. 555. *Sed ob vim valde adſtringentem, caute adhibenda eſt.* Uvæ quercinæ pulvere, nihil, (expertus loquor, inquit ENCELIUS, Lib. III. *de Lapid.* Cap. 21.) præſentius, in Dyſenteria, & in omni fluxu ſanguinis. Deſperatos dyſentericos aliquot curavi

illa uva quercina; merito ergo digna eſt, omni laude. Hæc ille. *Solinander* quoque teſtatur, ſuccum uvæ quercinæ magno ſolatio, illiniri podagricis. Sed ſit fides penes auctorem, & experimenti veritas penes ipſum podagricum. Interea hæc de illa Uva quercina vid. apud BOECLERUM, *Cynoſur. Mat. Med. Hermann.* Continuat. II. p. 90.

CAPUT VI.

DE AROMATIBUS.

ANTHOPHYLLI, *les Meres des Géroſles*, **Mutter-Nägelein.** Sunt fructus maturi arboris Caryophylliferæ. Odorem & ſaporem propemodum cum Caryophyllis communem habent, ſed illis tumidiores & craſſiores adparent. Arbor potiſſimum in *Moluccenſium* inſula *Ternata* colitur, & ex tellure omnium aridiſſima & ſiticuloſa, qua vix ſiccior ulla inveniatur, excreſcit. Deſcriptionem hujus fruticis in modum ſequentem dedit RUMPHIUS *in Herbario Amboinenſi:* „ Arbor Anthophyllos & Caryophyllos gerens Lauro quodam modo ſimilis eſt. Trunco ſimplici „ anguloſo, verius inferiora utplurimum diviſo, gaudet; cortex eſt glaber tenuis, co„ loris ex cinereo lutei; folia laurinis longiora & anguſtiora, bina ſemper oppoſito „ ſitu conſpicua, ita ut cum ſequenti pari cruciatim ponantur, in ambitu integerri„ ma, ſuperius obſcure viridia, ſplendentia inferius flava. Menſe Majo tenera fo„ lia propullulant, & ſimul floris & fructus rudimenta evolvunt. Quarto deinde ſub„ ſequente menſe completam Caryophyllorum dant ſpeciem. Fructus rudimentum „ ſenſim læte viridem deponunt colorem, atque pallide flavum induit, qui demum in „ ſanguinem tranſit. Flore evoluto fructus nondum maturi aromaticam, quam ex„ optamus, vim habent, tamen ad propagationem apti non ſunt. Ad maturitatem „ accedentes, amplum acquirunt ventrem, quatuor anguli antea in capitulo immatu„ ri fructus conſpicui, ſeſe contrahunt & color iterum in viridem mutatur. Tum „ demum nucleum durum continent, & Caryophylli matres, ſive Anthophylli dicun„ tur. Caryophylli fructus tres dantur ſpecies: Prima parum rubet; altera, minor „ præcedente, ſanguinei eſt coloris; tertia, quæ femina dicitur, alba eſt, parum „ rubens, omnes vero aromaticæ indolis. Caryophylli olim in Moluccis inſulis tan„ tum inveniebantur; nunc vero in Amboina majori cura, quam in naturali ipſorum „ patria, coluntur. Arbuſculæ juniores, arborum ſilveſtrium umbra obteguntur, „ adultiores vero factæ, requirunt, ut arbores aſſitæ extirpentur. Minime vero cre„ dendum eſt, ac ſi arbores propinguæ calida Caryophyllorum natura deſtruentur. „ Ex fructibus maturis ſive Anthophyllis arbor ſponte ſe propagat, & arbuſculæ inde „ natæ transplantantur. Anthophylli vero ipſi ne quidem per octo dies in ædibus ve-

„ geti poſſunt conſervari, ſtatim enim exſiccantur, & nunquam germinant. „ Ceterum, quod characterem attinet, arbor Caryophyllus refertur ad plantas flore roſaceo, quatuor petalis, in orbem poſitis, calici inſidentibus. Filamenta ſunt plurima, perianthium ovale, & ſemen unicum. *Anthophylli, cum Caryophyllis virtutes communes habent, & præſertim ad hyſtericos adfectus commendantur*, ſed non credente *Cl.* CARTHEUSERO, *loc. cit.* p. 361. vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* T. II. p. 394. SALMAS. de *Homonym. Hyles Jatr.* cap. 95. p. 144. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. cap. 46. p. 354. ſqq. HERMANN. *Cynoſur. Mat. Med.* p. 248. ſqq.

CARDAMOMUM maximum, vide Grana Paradiſi.

CARDAMOMUM minus, officinale, C. B. *le Petit Cardamome*, Cardamomen, Cardamemelen. Variæ dantur ſpecies Cardamomi, ſed quatuor potiſſimum recenſentur a FORESTO, *Animadverſ.* in Obſ. 24. Lib. XVIII. p. 255. quæ vel in capſulis, ſive ſiliquis ſeminalibus, brevioribus, digitum ferme longis, triquetris & pallidis; vel in granis anguloſis fuſcis advehuntur, & nobis ſub Cardamomi minoris adpellatione venduntur. Planta, quæ hæc grana producit, a RAJO refertur ad plantas graminifolias floriferas, flores & racemos fructuum in caule peculiari, non folioſo, ex radice orto, ferentes. Flores habet tetrapetalos, difformes albos, luteoque colore interſtinctos, qui ſuaviſſimum odorem aromaticum ſpergunt, & ovario inſident; fructus eſt polyſpermus, & trilocularis. Cardamomum minus, capſulis minoribus incluſum, recens, oleoſum, & ſapore ſuavi, odoreque grato aromatico dotatum eſt, ceteris præferatur & eligatur. Provenit in regionibus orientalis & occidentalis Indiæ, præſertim Malabar, Calecut, Cananor, & Ceylon. etcet. Cardamomum majus vero in ſiliquis longioribus ut & plurimum ex Java advehitur. *Utrumque vim calefacientem, attenuantem, flatus diſcutientem, coctionem juvantem, & urinam propellentem exercet.* De utroque Cardamomo, vid. *Jac.* BONTII, *Hiſt. Nat.* & *Med. Ind.* Lib. VI. cap. 37. & HESSII, de *Eodem*, & *aliis Aromat.* Epiſt. item CRAUSII ſingularis Diſſert. de *Cardamomis*. Laudat & inſignem Cardamomi uſum in medendo *Ill.* BOERHAAVE, in *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 598. & in *Element. Chemiæ*, ceu notum eſſe arbitror. Sed vid. imprimis, GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 364. ſqq. & CARTHEUSER. *Mat. Med. Fund.* Part. II. cap. 47. p. 362. ſqq. item SALMAS. Exercit. de *Homonym. Hyles Jatricæ*, cap. 90. p. 131. ſqq. ubi plura de differentia Cardamomi veterum & recentiorum. Add. ZORN. *Botanolog.* p. 164. & LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 339. ſqq.

CARYOPHYLLI Aromatici, Arab. Carunfel, imo rectius Carunful, teſte SALMASIO, *loc. cit. Clous des Gérofles*, *Gérefles*, Nelcken, Gewürz-Nägelein. Sunt fructus immaturi, vel rectius calices florum arboris Caryophylliferæ, quæ *Ts-hinka*, dicitur. Capitellum ſeu ſphærula, quæ caryophyllo inſidet, eſt rudimentum floris ex quatuor petalis conſtantis, quæ complicata firmiſſime Caryophyllis adhærent, quando manu decerpuntur vel arundinibus decutiuntur, colliguntur,

& cratibus impoſiti, atque latis foliis Ari tecti, per aliquot dies fumo macerantur, & deinde in ſole exſiccantur. Si vero Caryophylli diutius ſuis ſurculis adhærent, petala expanduntur, coloris cœrulei, lineolis albis notata, ſtamina autem purpurei ſunt coloris,& paucas poſt ſeptimanas in Anthophyllas abeunt. Eligendi ſunt oleoſi, & qui fervidum ſaporem & ſuavem odorem poſſident. Plura vide & lege ſub titulo *Antophyllorum*. *Uſus Caryophyllorum medicus eſt, & culinaris. Virtutem Cardiacam, Cephalicam, ſtomachicam, calefacientem & diſcutientem exercent. Peruviano cortici admixti, commendantur ad febres intermittentes.* De his ſuaviſſimi odoris & præſtantiſſimi uſus, *Caryophyllis aromaticis*, nemini non notiſſimis, dote, ſolide & copioſe ſcripſit *Guil.* PISO, in *Mantiſſa aromat.* cap. V. & VI. &c. ut alios taceam, *Ill.* noſter HOFFMANNUS, in Diſſert. ſingulari de *Caryophyllis aromaticis*; præcipue autem ladatus modo GEOFFROY, Tom. II. *Mat. Med.* p. 389. ſqq. item CARTHEUSERUS, *Fund. Mat. Med.* Part. II. cap. 46. pag. 354. ſqq. ZORN. p. 172. ſqq. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 343. ſqq. & SALMAS. de *Homonym. Hyl. Jatr.* cap. 95. p. 143. ſqq. & *in Not. ad Achill. Tat.* p. 611. ſqq.

CAROPHYLLI rotundi, vide Amomi Semen.

CASSIA Caryophyllata, Caneila Cubana, *Jonſt.* *La canelle géroflée, l'Ecorce de Gérofle*, Nelcken-Rinden, Nelcken-Zimmet. Eſt cortex tenuis, tubuli inſtar convolutus, qui rufo-ferrugineus adparet, & ſaporem, odoremque caryophyllaceum exprimit. Arbor, ex HERMANNI, & aliorum ſententia, cui & favet CARTHEUSERUS, eſt ſpecies Myrti, & a Botanicis dicitur: *Myrtus arborea aromatica, foliis laurinis*, ſive *Caryophyllus aromatica Americana, Lauri acuminatis foliis*; ab Americanis vero, *Caninga*, nuncupatur. In inſula Cuba, item Madagaſcar, Braſilia, montoſis ſilvis Jamaicæ, & aliis regionibus Indiæ occidentalis progerminat. Cortex, qui recens eſt, & ſaporem acrem, & odorem caryophyllaceum exprimit, eligatur. *Virtutem cum caryophyllis communem habet, pretio tamen, & efficacia illis inferior eſt.* Conf. CARTHEUSERI Diſſert. *de Caſſia aromatica*, & in *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 28. pag. 185. ſqq. item LOESEKE, *loc. cit.* pag. 352. & laudatiſſimi GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 173. ſq. item VALENTINI, *Hiſt. Simpl. refor.* pag. 172.

CASSIA lignea, Xylo-Caſſia, Canella Malabarica, Mutter-Zimmet, Caßien-Rinden. Eſt Cortex *arboris Canellifera Malabarica*, cujus folium *Malabathrum*, officinarum conſtituit; Caracterem eandem, cum Cinnamomi arbore Zeilonica communem habet & ſolo ſaltim loco natali ab illa diſcrepare videtur. Ipſius nomen Cortex lignoſior, ſapor vero magis mucilaginoſus, & odor remiſſior deprehenditur, quam veri Cinnamomi. Hinc a BREYN. *Prodr.* II. dicitur: *Arbor canelliforma Indica, cortice acerrimo, viſcido, ſeu mucilaginoſo; qua Caſſia lignea officinarum nominari ſolet. Virtutes Cinnamomi quidem poſſidet*, ſed remiſſiores, *& propter mucilaginem, non adeo durabiles.* Vid. CARTHEUSER. *loc. cit.* p. 184. *Quo magis ad Cinnamomum accedit.*

eo melior cenſetur. Vid. huc *Jo. Georg.* DEXBACHII, Diſſert. de *Caſſia Cinnamomea, & Malabathro*, merito ſuo recuſa, in *Mantiſſa*, ad VALENTINI *Muſeum Muſeorum*, p. 597. ſqq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 171. ſqq. item KAEMPFER. in *Deſcript. Japon.* Part. I. cap. 9. p. 128. & CHARAS, *Deſcript. Therica Androm.* cap. 26. p. 101. ſqq. item CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 25. p. 180. ſqq. & ZORN. p. 176. ut & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 351.

CINNAMOMUM, Canella Zeylonica, Canella Officinarum, Caſſia Zeylonica, Caſſia Cinnamomea, *la Canelle fine*, Zimmet, Canell. De differentia inter Cinnamomum veterum & recentiorum, & inde orta incerta lite, pluribus tractat SALMASIUS, de *Homonym. Hyl. Jatr.* cap. 94. p. 139. ſqq. & in *Exercit. Plin.* pag. 283. ſqq. 391. ſqq. & p. 918. ſqq. item *Jo. Bod.* a STAPEL, ad *Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib. IX. cap. 5. p. 984. ſqq. Conf. *Dan.* CLERICI, *Hiſt. Med.* Part. III. cap. 2. p. 84. Eſt cortex tenuis, ab exteriore cuticula albente liberatus, in modum tubuli convolutus, & colore flavo rubeſcente, ſapore acri; ſubdulci gratoque, nec non odore fragrantiſſimo inſignis. Arbor ex qua hic cortex detrahitur, vocatur ab *Illuſtr.* LINNÆO, in *Hort. Cliffort. Laurus foliis oblongo-ovatis, trinerviis, planis, nitidis.* Naſcitur in Indiæ orientalis inſula *Ceylon* vel *Zeylan;* refertur ad arbores fructu calyculato, foliis oblongis, trinerviis, nitidis, planis, ex adverſo binis, floſculis monopetalis, in ſex lacinias diviſis. Fructus glandem quernam ſimulans, a calice excipitur. Cinnamomum longum acre & fragrans eligendum eſt. *Calefacit, ſiccat, roborat, menſtrua movet, partum accelerat, & in omnibus adfectibus frigidis opportune adhiberi poteſt; præſtantiſſimum quoque cordiale præſtat.* Vid. huc præcipue *Hermanni* GRIMMII *Laboratorium Ceylonicum*, ubi de his laudibus ac virtutibus latius lautiusque tractat; imprimis PISONIS, *Mantiſſ. Aromat.* Cap. I. & WEDELII, Diſſert. de *Cinnamomo;* item BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. I. Part. I. Proc. 29. p. 104. ſqq. & SCHENKII, Diſſert. de *Cinnamomo;* ut & *Thom.* BARTHOLINI, *Act. Med. Hafn.* Vol. V. Obſ. 91. p. 223. ſqq ex eodem ſcil. *Grimmio*, ſupra laudato. Conf. maxime Diſſert. DEXBACHII, de *Caſſia Cinnamomea*, modo in antecedentibus laudata; & VALENTINI, *India Literata*, p. 439. ſqq. *in Muſ. Muſeor.* item RIEDLINI, *Lin. Med.* Anno 1696. Menſ. Maj. Obſ. 21. p. 238. & potiſſimum CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 24. p. 169. ſqq.

COSTUS corticoſus, Canella alba, Cortex Winteranus ſpurius, *la Canelle blanche*, weiſſer Zimmet. Ad nos advehitur in oblongos tubulos convolutus, ab exteriore cuticula liberatus, intus & foris albens, Caſſiaque lignea craſſior. Saporem aromaticum, acrem, & gratum odorem prodit. Detrahitur ex arbore baccifera, laurifolia, aromatica, fructu viridi calyculato, ramoſo. Flos pentapetalus eſt, & colore coccineo conſpicuus, bacca vero tetrapyrenæ, caliculis inſident. Naſcitur in inſula Jamaica, aliiſque Americanis regionibus. *Incidit, ſiccat, calefacit, medetur ſcorbuto, ventriculum roborat, & vomitus ſiſtit.* Vid. VESLINGII, *Epiſt.* XXIX. p. 111. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 350. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 175. ſqq.

Crocus, *le Safran*, Saffran. Sunt ſtamina florum. Planta ex radice bulboſa protuberat; folia ſunt anguſta, graminea & in medio, linea alba, ſecundum longitudinem procurrente, ſignata; flores monopetali, in ſex partes, & tria ſtamina deducti, ſine pediculis herbaceis, nudi atque erecti, ſtatim ex ipſa ſua radice oboriuntur; Capſula ſeminalis ſubrotunda & trilocularis adparet, multaque ſemina rotunda complectitur autumno floret. Colitur in regionibus temperatis, Gallia nimirum, Anglia, Hiſpania, Italia, Bohemia, Germania, & præcipue in agro Viennenſi. Crocus *Auſtriacus* & *Anglicanus*, & præſertim ille quem provinciæ *Eſſex*, & *Cambridge*, producunt, optimus eſt. Vid. Labat, *Itiner. Hiſpan.* & *Ital.* Tom. V. Cap. XII. & Mylii, *delic. Phyſ.* Vol.II. Sect. 29. p. 731. Argumenta bonitatis exiſtunt: ſi nimirum ſtamina croci, neque nimium pinguia, neque ſupra modum marcida ſint; colore purpureo, ad aureum vergente, adpareant; ſaporem amariuſculum, acrem, odoremque fragrantem prodant; & denique ſi horum ſtaminum portio minutula ingentem aquæ quantitatem colore ſuo croceo imbuat. *Virtutibus anodynis, cordialibus, pnevmonicis, & uterinis gaudet. Doſis eſt a granis tribus, ad grana duodecim.* Conf. huc imprimis *Jo. Ferd.* Hertodt, *Crocologia, ſeu curioſa croci, Regis Vegetabilium, Enucleatio.* Laudat quoque eximios plane croci vires, ſed addita neceſſaria cautione, Boerhaavius, in *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 591. & præſertim in *Element. Chem.* Tom. I. Part. I. Proc 65. p. 211. ſqq. & ex eo Schulzius, *Prælect. ad Diſp. Brand.* p. 135. ſqq. Conf. *Cl.* Cartheuseri, *Fundam. Mat. Med.* Part. I. Sect. XI. cap. 4. p. 604. ſqq. & Loeseke, *Mat. Med.* p. 398. ſqq. Parce igitur & circumſpecte omnino utendum eſt generoſo hoc atque ancipiti remedio, præcipue autem in fœminis & virginibus ſucci ſanguinisque plenis, quoniam ſanguinem vehementer reſolvit & exagitat, hincque menſes potenter provocat, item & in viris & juvenibus, hæmorrhoides. Nocet quoque nimius ipſius uſus cerebro atque nervis acriter, ob innatam vim ſtupefacientem, & anathymioſin narcoticam, quæ repente in cerebrum abit. Hinc & triſti aliorum experientia edocti, ipſius uſum hucusque Medicis admodum, ſed male, frequentem, in curanda pleuritide, jure meritoque penitus proſcripſimus, & eliminavimus, in *Libro noſtro* de *Pleuritide*, Cap. III p. 45. & Cap. V. p. 84. Sed hæc quidem nobis hic paullo uberius monenda omnino videbantur, quoniam nullo fere alio medicamento, in omni morborum, tam acutorum, quam chronicorum, genere frequentius hodie abutuntur medicaſtri, & agyrtæ, quam quidem croco, & remediis, ex croco paratis. Igitur hic moniti ſapiant, & cautius agere ſtudeant. Plura vero de Croci virtutibus & vitiis, & de circumſpecto ejus uſu, vid. apud Friccium, Tract. de *Virtute Venenorum medica*, Cap. XXIII. Potiſſimum autem apud Zornium, in *Botanolog.* p. 236. ſqq. ubi exactiſſime & uberrime de uſu & abuſu Croci, ex multis Auctoribus celeberrimis, diſſeritur.

Cubebæ, *les Cubebes*, Cubeben, Schwindel-Körner. Sunt grana rugoſa minutulo petiolo inſtructa, quæ magnitudinem piperis æmulantur, colorem cinereum referunt, odorem fragrantem, ſaporemque acrem, ſubamarum, aromaticum produnt, & intus ex parte aliqua cava exſtunt, ac nucleum parvum complectuntur.

Planta,

Planta, quæ hæc grana profert, nondum ſatis cognita eſt. Interim a plerisque, pro fructu fruticis convolvulacei Javanenſis, qui *Carane*, dictus eſt, habentur. Vid. HERMANNI, *Cynoſ.* Ex inſula Java, Ceylon, & regno Pegu advehuntur. Majores, recentes, & quæ ponderoſæ atque oleoſæ deprehenduntur, eligendæ ſunt. *Calefaciunt, incidunt, diſcutiunt, pellunt flatus, roborant nervos, & virtutem ſpecificam contra vertiginem poſſidere cenſentur. Aphrodiſiacis quoque adnumerantur, & ad apophlegmatiſmos adhiberi ſolent.* Plura de his granis aromaticis, eorumque virtutibus eximiis variis, vid. apud WEDELIUM, in Diſſert. ſingulari, *de Cubebis*; & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 375. ſqq. item CARTHEUSER, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 45. p. 351. ſqq.

GALANGA major, *le Grand Galanga*, groſſer Galgant. Eſt radix tuberoſa, nodoſa & quaſi geniculata, quæ ſpiſſitudinem pollicis æquat, externe fuſca, interne vero rufeſcens adparet, & ſaporem acrem, amaricantem, odoremque aromaticum prodit. De differentia vero inter Galangam veterum & recentiorum, accuratiſſime tractavit SALMASIUS, de *Homonym. Hyles Jatric.* Cap. 118. p. 211. ſqq. & *Jo. Bod.* a STAPEL, ad *Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib. IX. pag. 1009. ſqq. Venditatur pro radice plantæ cujuſdam Indicæ, quæ *Barehabe*, dicitur, & cum Cannacoro, vel Canna Indica convenire traditur, a *Celeb.* BOERHAAVIO, in *Hort. Lugd.* Part. II. p. 128. Advehitur ex Java & Malabaria. Radices recentes, quæ non adeo lignoſæ ſunt, & carie ſunt expertes, eligantur. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. pag. 58. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom II. p. 599. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 359.

GALANGA minor, *le Petit Galanga*, kleiner Galgant. In totum cum præcedente convenit, niſi quod minor adpareat, & ſapore paululum acriore munita ſit. Sponte naſcitur in China, ibique *Lagondi*, adpellari ſolet. De planta quam ad hæc radixa, ideoque de ipſius caractere, nil certi nobis conſtat; tamen refertur a nonnullis ad plantas graminifolias. Radices minores, ponderoſæ, odoræ, & quæ carie ſunt immunes, nec adeo fibroſæ ſunt, eligantur. *Galanga minor præfertur majori.* Vid. GEOFFROY, *loc. cit.* p. 61. & LOESEKE, p. 360. *Ad vertiginem, & ventriculi cruditatem valde commendatur; prætereaque eſt ſpecificum Emmenagogum. Vim incidentem, roborantem, atque attenuantem exerit, virginibusque, quibus ob menſtruorum retentionem ora pateſcunt, grata officia confert*, vid. plura de his virtutibus apud BOERHAAVE & GEOFFROY, *loc. cit.* item CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 4. p. 41. ſqq. add. HERMANNI, *Cynoſur. Mat. Med.* &c.

GRANA Paradiſi, Cardamomum maximum, *la Maniguette*, *la Graine de Paradis*, Paradieß-Körner. Sunt grana triquetra, parva, quæ externe colore ſpadiceo, interne vero albante conſpicua ſunt, ſaporemque acrem, ac piperis inſtar urentem produnt. Planta, quæ hæc grana gignit, & *Malaguetta* dicitur, nondum ſatis cognita eſt. RAJUS quidem in *Hiſt. Plant.* mentionem facit *Cardamomi Sirinamenſis*, cujus deſcriptio cum Granis Paradiſi convenit. Vid. VALENTINI, *Hiſt.*

Simpl. Reform. Lib. II. Sect. I. cap. 14. p. 87. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 47. pag. 365. & maxime GEOFFROY, de *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. pag. 366. ſqq. ubi plura de hac controverſia botanica; dudum vero ante hos omnes, GESNERUS, *Epiſt. Med.* Lib. II. p. 80. ſqq. contra *Matthiolum*, fuſe ſolideque demonſtravit, *Malaguetta* non eſſe Cardamomum majus, quod ille quidem levibus quibusdam ſimilitudinis argumentis inductus, calide nimis aſſeruerat, ut & FORESTUS, *Obſ.* 24. Lib. XVII. p. 126. qui tamen hunc levem errorem mox ipſe candide correxit, in *Animadverſ. ad iſtam obſervat.* pag. 255. Radix craſſa, oblonga & tuberoſa eſt, omnisque aromatici ſaporis expers; caulis & folia Zingiberum ſilveſtrem ſimulant. Flores in parva ſpica diſpoſiti, non ex ſummitate caulis protuberant, ſed ſcapo peculiari, ſeorſim ex radice procreſcenti, inſident. Fructus & formam & magnitudinem pruni majoris imitantur, & in tres partes dehiſcunt; cortex cœruleus, carnoſus & plane pleneque aromaticus eſt, ac ſemina, ſextuplici ſerio, ſecundum longitudinem fructus, eleganter diſpoſita, tegit, quæ grana paradiſi, quoad faciem & ſaporem, ad regulam exprimunt. Singulis ſeminum intervaliis interjacet ſubſtantia fungoſa albicans, qualis etiam in fructu Cardamomi adparet. Magna copia ex plagis orientalibus advehuntur. *Vim calefacientem & incidentem exerunt, atque magis cum pipere, quam Cardamomis conveniunt, hinc male Cardamomo majori ſubſtituuntur.*

MACIS, *Bongo-Pala*, Moluccenſibus, *Bisbeſe*, Serapion. *Beſbahe*, Avicennæ, apud GOFFR. *le Macis improprie, la fleur de Muſcade*, Muſcaten-Blüth. Non eſt flos, ſed involucrum, quod ſecundo putamini duro, Nucis moſchatæ, reticuli inſtar circumductum eſt, & colore aureo-ruſeſcente adparet. Recens, magna, integra, pinguis, oleoſa, & quæ colore explete rubeo claret, nec non ſuavi odore, atque ſubacri ſapore ſe commendat, eligenda eſt. *Carminativa*, uterina, & ſtomachica virtute pollet. Vid. huc imprimis VALENTINI, Diſſert. ſub Tit. *Macis*, vulgo, ſed perperam *Muſcaten-Bluhmen*, dicta; & ejuſdem *Hiſt. Simplic. Reform.* Lib. II. Sect. V. cap. 6. p. 201. ſqq. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 440. ubi plura lectu digna de hoc flore, falſo quidem ſic dicto; ut & apud SALMASIUM, *Exercit.* de *Homonym. Hyles Jatric.* cap. 92. p. 137. ſqq. & ZORN. *Botanolog.* p. 470.

NUCES moſchatæ, Myriſticæ, Nuciſtæ, *la noix Muſcade*, Muſcaten-Nüſſe. Arbor quæ has nuces profert, ab Indis *Pala*, & *Pongopala* nominatur, atque in inſula Banda procreſcit. Pyri arboris magnitudinem exprimere, lignum poroſum habere, corticeque gryſeo, & foliis nervoſis adparere, nec non denique florem pentapetalum, qui cum baſi fructus cohæreat, protrudere, dicitur. Fructus ipſe, breviſſimo pediculo inſidens, ſolitarius eſt, & a reliquis hujus generis, triplici integumento, & nucleo præſertim aromatico differt, qui externe rugoſus eſt, ſed interne pulpam, venis flavo-rubeſcentibus variegatam, ſuo complexu tenet. Nuces moſchatæ mox majores, mox minores, nunc rotundæ, nuncque oblongæ occurrunt; rotundæ præferri ſolent oblongis, quæ ſilveſtres eſſe creduntur. Ponderoſæ, pingues, & quæ acu punctæ oleum emittunt, eligantur. *Virtute calefaciente, ſubadſtringente,*

ſtomachica, *cephalica*, *uterina*, *& anodyna potiuntur*. Jure huic Nuci Myriſticæ generoſæ hic tales inſignes virtutes tribuuntur; ſed & plures inſuper aliæ ipſi concedendæ, quas longe lateque merito laudat ſæpius jam allegatus PAULLINI, in ſua ſic dicta *curioſa Deſcriptione Nucis Moſchatæ*; ut & DIEZIUS, in ſingulari Diſſertatione, de *Nuce Moſchata*; nec non *Nicol.* SCHULZIUS, pariter peculiari Diſſert. de *Nuce Moſchata*. Vid. & *Viti* RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Auguſt. Obſ. 3. p. 228. ſq. imprimis ZORNII, *Botanolog. Med.* p. 470. ſqq. & quos ibi laudat Auctores & Laudatores plures. Sed non ſemper bonos effectus præſtitiſſe largiorem præſertim hujus Nucis medicatæ uſum, ex BONTIO, & aliis oſtendit. Celeberrimus noſter WERLHOFIUS, in *Obſervat. de Febribus*, Sect. VI. pag. 258. & ex ROLFINCIO, MOEBIO, HOFFMANNO, & aliis ZORN. *loc. cit.* p. 472. & GEOFFROY. *Mat. Med.* Tom. II. p. 444. qui ceterum ibidem copioſe & accurate tractat de ipſa *Nuce Moſchata*, ut & CARTHEUSER. *Fundam. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 44. p. 337. ſqq. & VALENTINI, *Muſ. Muſ.* p. 290. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 366. ſqq.

PIPER album, rotundum, *le Poivre blanc*, weiſſer Pfeffer. Sunt grana albentia, rotunda, ſed non rugoſa. Nonnullis perſuaſum eſt, quod hoc piper album, ex eadem planta, quæ nigrum gignit, decerpatur, & hinc cum nigro, idem, ejusdemque originis ſit, & artificio quopiam decorticatum, album demum evadat, ſi ſcilicet majora piperis nigri grana, latice marino macerentur, & hac via, cortice exteriore nigro liberentur. JONSTONIUS & alii, tradunt: Quod planta peculiaris ſit, quæ piper hoc album proferat, & non niſi in Malabaria & Malacca, naſcatur. *Vires cum pipere nigro communes habet, ſed tamen non adeo acre eſt.*

PIPER Jamaicum, vel Jamaicenſe, vid. Semen Amomi.

PIPER nigrum, rotundum, Melano piper, Malabaris Molagocodi, *le Poivre noir*, ſchwarzer Pfeffer, Pfeffer-Körner. Eſt fructus plantæ ſcandentis, foliis nervoſis, ſubrotundis, acuminatis, floſculis monopetalis, tripartitis, racematim digeſtis, fructu rotundo, monopyreno, racemoſo. Colitur in Malabaria, Sumatra, Sunda, Java, & multis aliis Orientalis Indiæ regionibus. Grana majora, quæ nec pulvere nec quisquiliis contaminata ſunt, eligantur. *Uſus piperis frequentiſſimus culinaris eſt; raro in medicina adhibetur. Sunt, qui grana integra piperis deglutita, pulveri præferunt, & ad febrem quartanam maxime commendant. Vim calefacientem, incidentem, & reſolventem exercet. Suibus valde infeſtum eſt, & pæne lethale.* De hoc quidem pipere, & ſequentibus his piperis ſpeciebus, perquam docte, exquiſite, & copioſe tractavit *Guil.* PISO, in *Mantiſſa Aromat.* Cap. VII. VIII. IX. ubi & ſimul de uſu hujus quaſi ignis vegetabilis, egregie diſſeruit, quod & pari laude fecit *Ill.* HEISTERUS, in ſingulari Diſſertatione *de Pipere*, quam quidem ſub ejus præſidio, habuit quidam nomine Pfeffer, h. e Piper, Lat. forte levi *nominis* quaſi *piperari* alluſione, ad hoc argumentum Homonymum pertractandum, potiſſimum allectus & invitatus.

Conf. & *Cl.* CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. cap. 45. pag. 342. ſqq. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 369. ſqq. potiſſimum ZORN. *Botanolog.* p. 520 ſqq.

PIPER Hiſpanicum, *Poivre d'Eſpagne, le piment, le poivre d'inde, ou de guinée,* Spaniſcher Pfeffer. Eſt fructus, ſive ſiliqua *Capſici*, ſive *Piperis Indici*. Planta, quæ hoc piper Hiſpanicum gignit, florem monopetalum, ſtellatum, & multifidum, Menſe Auguſto protrudit; ex calice hujus floris piſtillum adſurgit, quod in mollem, membranaceum, Siliquorum, rubrum vel luteum, & in loculamenta duo diviſum fructum abit, qui ſeminibus compreſſis refertus eſt, & tempore autumnali matureſcit. Variæ Capſici ſpecies occurrunt, ex quibus tamen plerumque in uſum accerſitur ea ſpecies quæ longioribus, erectis, & propendentibus ſiliquis, rubris vel luteis, dotatam ſe offert. Colitur hæc planta frequentiſſime in hortis. *Piper hoc Hiſpanicum ferventiſſimi ſaporis eſt, & uſum medicum vix unquam accedit. Vim piperis incidentem & extenuantem poſſidet. Indi, & etiam nonnulli Europæi, ſiliquas nondum perfecte maturas, cum ſaccharo & aceto coquunt, iisdemque poſtea condimenti loco utuntur. Acetum, ſi ſiliquis his condias, citius aceſcit, diutius durat, & contra vappam præſervatur. Tinctores quoque his, colorem nigrum, pro linteis tingendis, condiunt, atque conſervant.*

PIPER longum, Macro - Piper, *le Poivre long,* langer Pfeffer. Eſt fructus oblongus, teres, cinereo colore notatus, figuram julorum coryli referens, atque ex numeroſis granulis, vermiculato plexu diſpoſitis, minutim compactus. Planta ſarmentoſa eſt. Folia lata, ſubrotunda, nervoſa, & acuminata adparent. Floſculi ſunt monopetali, ac quinquepartiti. Fructus ut jam dictum eſt, longus, teres, atque confertus exiſtit, ſaporemque fervidum amaricantem prodit. Colitur in Malabaria, Java, & aliis Indiæ regionibus, unde ad nos adfertur. *Potentius eſt pipere nigro, igitur adhibeatur, ubi in compoſitionibus piperis mentio ſit. Vim incidentem, attenuantem, reſolventem, digeſtionemque promoventem poſſidet; confectioni Theriacæ, Mithridatici, & Dioſcordii quoque intermiſceri ſolet.*

ZEDOARIA, *la Zedoaire,* Zittwer-Wurz. Eſt radix tuberoſa, nodoſa, cinerea, acris, amaricans, fragrans, camphoramque redolens. Hæc Zedoariæ radix a nonnullis Auctoribus in longam & rotundam diſpeſcitur. Videtur tamen aliis, quod hæ radices, nulla eſſentiali diſcrepantia, ſed nudis partibus, atque diverſis fragmentis, inter ſe differant. Planta foliis longis, nervoſis, floribuſque pentapetalis, ſingulari ſcapo inſidentibus, notata eſt. Radix ex India Orientali, China & Zeylon ad nos tranſportatur. Ponderoſa, fragrans, & quæ carie ſit expers, eligenda eſt. *Vim alexipharmacam poſſidet, ſiccat, calefacit, colicis doloribus obſtat, menſes movet, & vermes extinguit.* Vid. huc *Sam. Gotthilf.* MAURITII, *Relatio de Zedoariæ ætatibus, in qua Zedoariæ fructificatio, præparata, & vires traduntur;* imprimis vero conf. huc GEOFFROY, de *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. pag. 149. ſeqq. ubi & de differentia inter *Zedoariam* & *Zerumbeth*, & inde enata inter Auctores, controverſia, diligenter, pro viribus, diſſeruit; longe vero accuratius, diligentius, & copioſius, SALMASIUS, in Exercit. de *Homonym. Hyles Jatric.*

Cap. 118. pag. 212. ſqq. vid. infra, in Exot. plura de *Zerumbeth*. De ipſa vero Zedoaria conf. VALENTINI *Hiſt. Simplic. Reform.* Lib. II. Sect. II. cap. 23. pag. 120. & maxime *Cl.* CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. I. pag. 26. ſeqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 372. ſeq.

ZINGIBER Album, Inſchi, vel Inſchikua, *Hort. Malab. le Gingembre blanc*, Jngwer, weiſer Jngwer. Radices ſunt ramoſæ, nodoſæ, compreſſæ, pallidæ, atque ſapore fervido, nec non odore aromatico præditæ. Aliquantulum à cortice exteriore liberatæ ſunto, quas in uſum ſeligas.

ZINGIBER, Gingiber, Zinziber vulgare, *le Gingembre*, gemeiner Jngwer. Hæ radices, cum præcedentibus, eandem originem ſeu plantam communem habent, ſed infuſione cum aqua fervida, ſic præparantur ad uſum; nam facile Zingiberis radices, vel a vermibus corroduntur, vel, ſi adhuc recentes ſint, inter ſiccandum germinant. Hinc coloni, ut hæc incommoda impediant, haſce radices recens effoſſas, & a fibris liberatas, aqua fervente ſuperfundunt, & poſtea vel ad fornacem, vel ſolis radios exſiccant. Quo fit, ut illarum ſubſtantia interior, cornea quaſi evadat. Zingiber vero album, cortice ex aliqua parte detracto, ſine immerſione ſiccatur, atque majore cura & labore indiget. A plerisque ad Iridum claſſem refertur Zingiber, & Iris latifolia tuberoſa, flore albo vocatur. Characteres Zingiberis ſunt, radix tuberoſa, folia Cannacori, flos in ſcapo ſingulari, pentapetalus, difformis, quaſi bilabiatus, inſidens ovario trigono triloculari. Copioſe colitur in utriusque Indiæ regionibus. Quod ponderoſum, minus fibroſum, & neutiquam curioſum eſt, eligito. *Potentiam incidendi, attenuandi, & roborandi exerit. Hydropicis, Seroſis, Cachecticisque ſedulo commendatur; Purgantibus quoque intermiſcetur, præſertim foliis ſennæ, ad corrigendam illorum vehementiam & flatulentiam.* Præter PISONEM, VALENTINI, & alios, vid. ſingularis GESNERI, Diſſert. de *Zingibere*, & GEOFFROY, de *Mat. Med.* Tom. II. pag. 156. ſqq. item CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 3. p. 30. ſqq. & ZORN. p. 738. ſqq. nec non LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 373. ſq. Nimirum autem Zingiberis uſum, in fœmina quadam, phthiſin immedicabilem & mortem denique ipſam induxiſſe, obſervavit RIEDLINUS, *Lin. Med.* Ann. 1696. Menſ. Febr. Obſ. 24. p. 90. ſq. De veterum vero & recentiorum Zingibere, SALMAS. de *Hononym. Mat. Med.* Cap. 100. pag. 158. ſqq.

CAPUT VII.

De CORTICIBUS.

Acaciæ Germanicæ radicum, *Ecorce de prunier ſauvage*, Schlehen-Dorn-Wurzel-Rinden. Colliguntur tempore autumnali. *Adſtringunt & refrigerant. In gargariſmatibus ad uvula, & in balneis ad uteri & ani laxitatem adhibentur..* Vid Zorn. *Botanol.* pag. 13. In A. Phil. M. Vol. V. *etiam ad febres intermittentes eorum decoctum laudatur.*

Aurantiorum, Arantiorum, Pomorum Aurantiorum, *Ecorce d'Orange*, Pomeranzen-Schalen. Sunt cortices fructuum Mali Aurantiæ, quæ adnumeratur arboribus promiferis, fructu corticoſo molliori. Notæ ſpeciales ſunt: arbor fruticoſa, foliis ſemper vivis, virentibus, glabris, acuminatis, odoratis; floribus pentapetalis, albis, fragrantibus, ſemina utrinque acuminata, in carne ſucculenta. Naſcitur in calidioribus regionibus, Luſitania videlicet, Hiſpania & Italia; colitur quoque apud nos in hortis. Cortices amari, recentes, & qui ſitu nondum corrupti ſunt, eligantur. *Virtutes tonicas, carminativas, & antiſcorbuticas poſſident. Liberati ab interna fungoſa albente, & ingrati ſaporis ſubſtantia, ſuppeditant:* Flavedinem Corticum Aurantiarum, *uti in officinis vocant. De Malis aurantiis*, ſeu aureis, hoc ſplendido quidem nomine, ob aureas virtutes, per quam dignis, magnum, magnificumque opus edidit *Joh. Bapt.* Ferrarius, ut notum; de iisdem quoque ſcripſerunt: *Monardes*, & *Petr. Natus*, cum aliis; Noviſſime autem perquam doctam Diſſertationem de *Aurantiis*, edidit *Ill.* Heisterus; ut & Celeb. *Joh. Phil.* Burggravius, quæ ob ſuam praeſtantiam merito recuſa extat in *Mantiſſa Exoticorum*, ad Valentini, *Muſeum Muſeorum*, p. 647. ſqq. Conf. & Cartheuseri, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. II. cap. 22. p. 61. item Stahl *Mat. Med.* Part. II. p. 133. & Loeseke, *Mat. Med.* p. 338. ſq. Boerhaahe, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 674. ſeq. & imprimis Zorn. *Botanolog. Med* p. 102. ſq. & Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 149. ſqq.

Capparis, vide Radices.

Cascarillae, Chacarillæ, Chaquarillæ, Schacharillæ, Chinæ Chinæ ſpuriæ, Elevtheriæ, Linn. *Hort. Cliffort. la caſcarille ou la Chacrille*, Chagrillen-Rinden. Hi cortices parte exteriore, colore gryſeo, parte vero interiore ferrugineo adparent; odorem fragrantem & quaſi moſchatum ſpargunt, praeſertim ſi igni, vel prunis candentibus, admoveantur & concrementur; ſaporem vero acrem amaricantem produnt. De frutice, ex quo, hi Caſcarillae cortices, detrahuntur, magna inter Scriptores Materiae Medicae lis oborta, & ambigue, agitata fuit, donec tandem *Marcus* Catesby Anglus, in *Hiſtoria Naturali Carolinæ, Floridæ, & Inſularum Bahamæ*, tra-

didit, hunc fruticem eſſe *Ricinoidem, Elæagni folio*, copioſe in plurimis Bahamae inſulis creſcentem; raro altitudine decem pedes attingere, vixque craſſitie pedem ſuperare; folia eſſe oblonga, anguſta, acuminata, pallide viridia; in extremis ramificationibus, e calycibus, ſurgere floſculos exiguos, hexapetalos, albicantes, flavis apicibus; ab his excipi baccas ex albo virideſcentes, diſtinctas in tres loculos, magnitudine piſi, quae tria ſemina nigra continent, in ſingulis loculis unum. Collectio & decorticatio fit, reſecto ad radicem cortice, ut defectu nutritionis, pars reliqua, a trunco & ramis ſoluta, ultro decidat. Naſcitur frutex non ſolum in Florida, & Bahamæ inſulis, ſed etiam in Peru, & magna quantitate cortex illius ad nos tranſvehitur. Cortices fragrantes & reſinoſi eligantur. *Vires balſamicas, tonicas, diapnoïcas, diſcutientes, & blande mitigantes exerunt; etiam antifebriles*, ut multis oſtendere voluit APINUS, eumque ſequutus STAHLIUS, *Mat. Med.* Part. II. 230. p. 144. ſed ſæpe defuit, quod novimus, ſucceſſus. Caſſa tum fuit auxilii Caſcarilla! Vid. Plura in ſingulari HOFFMANNI Diſſert. de *Cortice Caſcarillæ*, & in Scripto vernaculo, Lipſ. 1708. de *vero uſu & effectu Corticis Chacarillæ*, edito; conf. maxime GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. p 292. ſeqq. item CARTHEUSER, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 23. pag. 163 ſeqq. & *Bœhmeri* Diſſ. conf. ZORN, *Botanol.* pag. 202. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 444. ſq. ut & BARBEIRAC, de *Form. Med.* Lib. I. Cap. XII. p. 250.

CHINAE Chinæ, Kinkinæ, Peruviani, Antifebrilis, Antiquartii, Febrifugi, *Quinquina. China-Chinæ*, China-China, Sieber-Rinde. Hic cortex ſcaber, interdum muſco obductus, parte externa aliquantulum caneſcens, & interne lævis eſt; ſaporem adſtringentem, amarum, & pauliſper aromaticum prodit; colore denique fuſco-refeſcente, ac mediocri ſpiſſitudine adparet. Arbor, quæ hunc nobilem corticem largitur, Americana eſt, & præſertim in montibus Peruvianis, *Cajanuma* dictis, duoque miliaria ab urbe *Loxa* diſtantibus, progerminat. Ramum una cum foliis, floribus, fructibus atque ſeminibus, delineatum, ulteriore hiſtoria & deſcriptione arboris adjecta repræſentat *Hiſtoria Academ. Pariſienſ.* Ann. MDCCXXXIIX. Apud veteres Peruvianos *Quina*, corticem ſignificare, & more illorum, propter inſignes virtutes, per excellentiam *Quina Quina*, *Cortex corticum* vocari autumat *de la* CONDAMINE, Auctor, qui hanc hiſtoriam ſuppeditavit. *China China* adpellationem, a *Comitiſſa* de *Chin Chon, Pro-Regis Peruviani conjuge*, quæ uſu hujus corticis a febre pertinaci liberata fuit, accepiſſe fertur. Hoc remedium antifebrile in ſe ipſa expertum, Comitiſſa unicuique febricitantium gratis largita eſt, atque circa annum MDCXXXIIX. demum, ſub nuncupatione *Pulveris Comitiſſæ*, innoteſcere cepit. Poſtea, cum R. P. S. I. Copiam hujus corticis pulveriſati, & ad uſum parati, a laudata Comitiſſa acceptam, quoque gratis diſtribuerent, nomen Pulveris Jeſuitarum accepit. De his omnibus vid. VALENTINI, Diſſert. de *China China*, quæ eſt IV. inter ejus *Polychreſta Exotica*, pag. 48. ſqq. & *Hiſtor. Simpl. Reform.* Lib. II. Sect. IV. Cap. 4. pag. 176. ſqq. ubi & plures laudat Auctores. Conf. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med* Part. II. Sect. XIII. cap 18. pag. 485. ſqq. Cortex, qui ex junioribus arboribus detractus, & non nimis craſſus eſt; odorem ſuavem, aromaticum, ſaporemque amarum prodit, atque ſine moleſtia adſtringit, eligatur.

Virtutem tonicam, roborantem, & antifebrilem exercet, ut omnibus ferme notum eſt. Non ſolum febribus intermittentibus, ceu ſpecificum, opponitur, ſed etiam contra gangrænam a cauſa interna, ab Anglis commendatur. Vid. huc DETHARDINGII Diſſert. de *Uſu Cortic. Peruv. in gangrana & Sphacelo*; item *Celeb.* WERLHOFII, *Obſ. de Febribus* p. 255. 332. præſertim autem B. noſtri VATERI Diſſert. de *Efficacia admiranda Chin-China, ad gangrænam ſiſtendam*; conf. & *Act. Med. Edimburg.* Tom. II. 3. & 4. item GEOFFROY, *Mat Med.* Tom. II. Sect. I. pag. 201. *Nec non & Celeb. Pringlee obſervationes de caſtrenſibus morbis.* Noviſſime vero, quantum valeret Cortex Peruv. in debellanda fera gangræna, per complura memorabilia exempla recentiſſima, peculiari Tractatu eximie oſtendit, *Thomas* KIRKLAND, *Chirurgus Angl.* Nothingham. 1754. Add *Commerc. Lit. Med. Nor.* Ann. 1733. pag. 174. 345. & pag. 417. *Doſis, ratione ætatis & circumſtantiarum mutatur; rarius tamen ultra drachmam in ſubſtantia, & duas drachmas in decocto Caffée toſti, vel vino infuſum porrigitur, nonnulli tamen corticum hunc ad unciam dimidiam, imo & integram, ſale cathartico, vel tartari temperatam, optime cum ſucceſſu exhibuere Sed prudenter a prudente in uſum vocetur.* Multa quidem variaque paſſim laudantur ſic dicta remedia ſpecifica, ut vulgo barbare vocantur, hoc eſt: talia, quæ ſingularibus tantum morbis ſpeciatim oppoſita ſunt; ſed rationibus omnibus probe ſubductis, nullum equidem in toto illo ambitioſo apparatu medicinali, invenio ſpecificum, quod tanti Nominis dignitatem vel juſtius mereatur, vel certius tueatur, divino quidem illo, & inæſtimabili Cortice Peruviano,

Unde nil majus generatur ipſo,

Nec viget quidquam ſimile, aut ſecundum.

Vid. omnino GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. cap. 2. p. 179. ſqq. & CARTHEUSER. *loc. cit.* p. 494. ſqq. & maxime ZORN. *Botanolog.* p. 201. ſqq. quosque ibi laudat Auctores plures; item LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 436. ſqq. & BARBEIRAC. de *Formul. Med.* Lib. I. cap. 12. p. 232. ſqq. Mirum igitur omnino, imo prodigium fere eſt, repertos nihilominus fuiſſe, qui veluti ingrati erga ipſum Deum, injurii in Naturam, & in ſemet ipſos denique iniqui, inter noxia atque ſuſpecta Remedia temere referant Corticem hunc innocentiſſimum, ſimulque in febribus, præſertim intermittentibus perfecte ſanandis, efficaciſſimum ac præſentiſſimum, abſit eos ut morer hic moros! (Juſtæ hic meæ indignationi veniam dent rogo Lectores, tale enim inviſum & abjectum nomen utique merentur impudentes iſti & imprudentes cenſores) qui ſaluberrimum iſtud Remedium, divino munere miſeris mortalibus in ſolamen & levamen, ſero tamen benigniſſime conceſſum, diris adeo Venenis ipſis, horrendum dictu & auditu, deteſtabili prorſus protervia, accenſerent. Quaſi vero malus boni alias Remedii uſus, atque hinc enatus ſiniſter effectus & eventus quidquam derogaret recto illius uſui & ſalutari effectui. Sic enim pari modo, optima quæris, ut Vinum, aqua, mel, ſaccharum, carnes, olera, quivis cibus, imo panis ipſe, inter nocentiſſima Venena numeranda eſſent, quod ex eorum abuſu & ingeſta nimia copia, non ſolum in anci-

ancipites morbos, ſed & in ipſas præcipites mortes homines incauti & ſalutis ſuæ prodigi ſæpius inciderint, prout multa funeſta exempla proſtant. Hoc ergo e contrario certiſſimum eſt & exploratiſſimum, (fidem hic meam, candorem, conſcientiam & omnia teſtor) corticem Peruv. in expurgandis feliciſſime febribus, nunquam ſpem fallere atque expectationem, ſi nempe ipſe recens, optimus atque efficax prius fuerit; deinde ſi ipſi ægroti opportuno tempore, & bene præparato antea corpore, ad ejus uſum acceſſerint, & denique, ſi frequentiore & liberaliore doſi, eundem per ſtata intervalla, aſſumſerint. Quod & dudum graviſſima ſua autoritate confirmarunt Medicorum præſtantiſſimi & ipſius corticis defenſores potentiſſimi, *Sturmius*, *Brunacius*, *Badius*, *Fabri*, *Bartholinus*, *Willis*, *Sydenham*, *Liſter*, *Freind*, *Morton*, *Muralt*, *Valentini*, *Cohauſen*, *Bohnius*, *Bergerus*, *Boerhaave*, *Hoffmannus*, *Wedelius*, *Boeclerus*, *Schacherus*, *Tortus*, *Nigriſolus*, *Riedlinus*, *Vaterus*, *Nebelius*, *Spindlerus*, *Spies*, *Baulen*, *Bonetus*, *Cocchius*, *Heiſterus*, *Benevenuto*, *Schulzius*, *Mead*, *Gaubius*, *Schelhammerus*, *Horbius*, *Spon*, *Davinius*, *Talborius*, aliique, & qui horum omnium laudes & merita in ſe uno complexus, Vir ſummus, amicus noſter, quo gloriamur, WERLHOSIUS, in præſtantiſſimo *de Febribus*, opere; qui omnes, vel Diſſertationibus, vel juſtis libris, rectum divini corticis uſum a frivolis Adverſariorum objectionibus, & obtrectationibus fortiſſime & feliciſſime vindicarunt, quos inde ſuo merito laudari ipſe, gratus, ut decebat, ob eximium beneficium, mihimet ipſi ab illo, in febribus, aliquoties præſtitum, Tom. III. *Poemat. meor.* p. 280. ſqq. in Not. Edit. II. Sine cortice igitur ſemper natabunt, ut ita quidem noto proverbio loquar, qui ſine hoc quidem Cortice, febres, præſertim dudum inveteratas atque pertinaces, ſeſe feliciter curare poſſe, fruſtra ſperaverint. Omnis enim in illo ſolo eſt ſalus, omne in illo ſolo eſt præſidium & ſacra quaſi anchora. Sed ad immenſas hujus incomparabilis Remedii febrifugi, laudes ex merito decantandas, profecto nec dies ſufficit, nec menſis, nec annus, imo vix integrum ſæculum; ſicuti ad deſcribendas innumeras virtutes ipſius, non paginæ, non libelli aut libri, ſed ſpatioſiſſima potius Volumina, omnino requiruntur.

CITRI, *Ecorce de Citron*, Citronen=Schalen. Sunt cortices fructus Citreæ, ſive Mali Medicæ. Arbores Citreæ ab aurantiorum arboribus, ſolis foliis diſtinguntur; nam folia Mali Citreæ ſine appendice adparent. In Italia, Hiſpania & Luſitania ubertim procreſcunt. Mala citrina copioſe ex Comitatu Nicienſi, & agris Genuenſibus ad nos advehuntur. Ex omnibus malorum citrearum ſpeciebus, fructus & cortices citrei vulgaris in uſum accerſuntur. Nec virides, nec fuſci, nec ſitu corrupti, ſed recens ſiccati ſunto citri cortices, quos eligas. *Virtute calefaciente, alexipharmaca, cardiaca & carminativa pollent.* Flavedo Corticum Citri, *cum flavedine corticum Aurantiorum coincidit.* De eximio plane, & nunquam ſatis laudando Mali citrei in Medicina uſu, præſertim in febribus inflammatoriis, putridis & contagioſis, item peſtilentia ipſa, vid. imprimis, præter *Pontan. Monardum*, *Natum*, & *Volcamerum*, *Joſeph.* LANZONII, *Citrologia*, ſeu curioſa *Citri deſcriptio*; item *Herm.* GRUBE, *Analyſis Mali Citrei*; nec non *Georg.* FRANCI, Diſſert. de *Malo Citreo*, ut & *Frid.*

HOFFMANNI, Diſſert. de *Præſtantia Malorum Citreorum in Medicina*; præſertim autem *Dan* NEBELII, Diſſert. de *Malo Citreo*, ob præſtantiam merito recuſa, in *Mantiſſa Exoticorum* ad VALENTINI *Muſ. Muſeor.* pag. 625. ſqq. Conf. GEOFFROY, de *Mat. Med.* Tom. III. p. 334. ſqq. & PALMAR. de *Febre Peſt.* Cap. 18. p. 472. item CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 22. p. 159. ſqq. ZORN. p. 216. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 355. ſq. Sed quidquid in Mali hujus vere aurei laudes dicitur, non tamen attingit & exponit ſat digne ſummam ipſius in medendo, Excellentiam.

COECOGNIDII, Mezerei, Laureolæ deciduo folio, Thymelæa lauri folio deciduo TOURNEFORT. *Ecorce de Garou, de mezéréon, de Bois gentil*, Seydelbaſt, Kellerhals-Rinden. *Vim acriter purgantem, & igneum, cauſticum, acrem ſuccum poſſidet, quapropter ad draſtica & perículoſa purgantia referri meretur. Si aceto macerentur, vehementia, quam poſſident, mitigatur. Setaceum è cortice radicis Mezerei, ſi auriculæ perforatæ transmittas, inflammationes pertinaces oculorum ſiſtit, ut ſæpe compertum eſt.* Conf. ZORN. p. 676.

CULILAWAN, Culilavan, Caryophylloides, *Culilavan*, bittere Zimmet-Rinden. Hic cortex ubivis minutulis obſitus eſt verrucis; albicans & ſubcinereus externe, ſed rufo-flaveſcens interne adparet; infima parte, ubi detractus eſt trunco, ſpiſſitudinem digiti æquat, altius vero adſurgens, anguſtior evadit; qui penna ſcriptoria exilior occurrit, ceu inutilis rejicitur. Arbor ex qua detrahitur, Amboinenſis eſt, & Caſſiæ ligneæ, ſive Canellæ ſilveſtri haud diſſimilis. Cortex, qui ſuperioribus partibus trunci adhæret, ideoque tenuior eſt, nec non & ſapore acri aromatico, & ferme caryophyllaceo præditus eſt, optimus ducitur. *Indi his corticibus externe utuntur, in torminibus, colica, & cephalalgia,* quæ ex frigidis cauſis, *originem trahit; nimirum corticem hunc, cum cortice Maſſoy, in maſſam redigunt, & iſthac corpora ſua illinere ſolent. Carminativus, roborans atque ſtomachicus eſt, ob oleum copioſum.* Vid. imprimis hic *Cl.* CARTHEUSERI ſingularis Diſſertatio de *Cortice Caryophylloide*, vulgo *Culilawan*. Conf. *Cl.* BÜCHNERI *Fund. Mat. Med.* pag. 537 ſqq. præſertim autem RUMPFII exactiſſima *Culiwan Deſcriptio*, & ipſius *Herbario Amboinenſi*, apud VALENTIN. in *Ind. Lit.* p. 450. ſqq. conf. & p. 384. add. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 353. & BOECLERI, *Continuat. Mat. Med. Herman.* p. 128.

EBULI, vide Radices.

ESULÆ, vide Radices.

FRANGULÆ, Alni nigræ bacciferæ, *Ecorce de Franguia*, Faul-Baum, Hunds-Baum, Zapffen-Holz-Rinden. Frutex in locis humidis ſilveſtribus progreſcit, Menſe Majo floret, & foliis deciduis præditus eſt. Cortices medicanos detrahas tamen. Cortices radicum, vel qui flaveſcentes adparent, & ſaporem amarican-

tem produnt, optimi cenſentur. *Tam per ſuperiora, quam poſteriora acriter purgant; hinc hydropicis & cachecticis conducere dicuntur, a Matthiolo, Trago, Ettmüllero,* & aliis. *Porriguntur ab una drachma, ad tres drachmas, in infuſo. Externe unguentis contra ſcabiem quoque devoveri ſolent.* Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 666. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 447. & maxime ZORN. p. 44.

FRAXINI, *Ecorce de Frêne*, **Eſchbaum, Eſchen, Aſchbaum, Rinden.** Cortices *fraxini excelſioris, & vulgatioris*, qui cinereo-palleſcentes, & non nihil virentes adparent, atque ſaporem adſtringentem, amarum & acrem produnt, in uſum accerſuntur. Arbor progerminat in ſilvis montoſis, floret Menſibus Aprili & Majo, & tempore autumni ſemen maturum largitur. *Cortex vim adſtringentem, & propter amaritiem acrimoniamque attenuantem quoque exerit. Hydropicis, cachecticis, & febre intermittente laborantibus commendantur.* Vid. huc imprimis *Chriſt.* HELWIGII, Diſſert. de *Quinquina Europæorum*, ſeu *Fraxino.* Præſcripſit quoque ſæpe *Roſ. Lentilius* ceu pulverem febrifugam, corticem Fraxini, cum Rad. Gentianæ, & Sale Abſinthii, cujus deſcriptio extat in HERMANNI, *Cynoſura Mat. Med.* Part. I. cap. 2. pag. 212. in Notis. Sic & oleum Ligni Fraxini in debellanda demum Febri tertiana rebelli & diuturna, præſentiſſimum auxilium adtuliſſe, retulit *Zacharias* WALLERUS, in *Obſerv. Select.* 3. Decad. III. p. 574. *in Append. Obſervat. Medicarum Paullini;* Conf. *Barthol.* ZORNII, *Botanologia Med.* p. 314. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 334. item HEISTERI, Diſſert. de *Medicamentis Germaniæ* indigenis, *Germanis ſufficientibus*, §. 7. & *Commerc. Litt. Med. Norimb.* Ann. 1731. p. 77. Denique ex Fraxini cineribus & Sale Ammoniaco, famoſum illum *Salem Virtutis* dictum, parabat quondam, & ceu polychreſtum, laudabat *Schœfflerus*, cujus deſcriptionem infra, Part. II. ſuo loco dabimus. Sed ut expertus ingenue fatear, & Fraxinus & Quercus, & Hippocaſtanus denique, mentiuntur quidem prima fronte, divini Corticis Peruviani; in debellandis febribus intermittentibus, vires, ſed re ipſa non præſtant. Adſtringunt quidem, & febrium impetum interdum ad tempus, non nihil ſopiunt; haud plane tamen tollunt, aut abigunt, ut quidem potentiſſimus ille Cortex Peruvianus, cui in tota fere Medicina, certiſſimo effectu & præſentiſſimo auxilio, nihil par eſt aut ſecundum. Noſtrum vero hoc de Corticis Fraxini virtute antifebrili perquam ambigua, judicium, graviſſima ſua auctoritate confirmat ſummus BOERHAAVIUS, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 638. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. Sect. II. pag. 497. Conf. KNIPHOFII, *Examen ſuccedaneorum quorundam Corticis Peruviani febrifugi*, ubi plura. Vid. & VALENTINI, Diſſ. de *Chinachina*, Cap. VI. p. 66. polychreſt. exot. ubi & ſuccedanei cujusdam viliſſimi & ubivis obvii meminit, nec tamen illud nominat.

GRANATORUM, Cortices Mali Punici, Malicorium, *Ecorce de Grenade*, **Granaten-Schalen.** Arbor ad illas refertur, quibus flos ſummo fructui inſidet, & ideo umbilicatus nuncupatur. Folia ſunt decidua; Flos pentapetalus, & perfecte roſaceus fructui inſidet; Fructus in complura loculamenta diviſus, acinis ſuccoſis, tenuiſſima membrana diſtinctis, repletus eſt. Naſcitur in Italia, Gallia &

Hiſpania, ſed apud nos in hortis educatur. Cortices, qui etiam Malicorium vocantur, ſunt coriacei, duri, rugoſi, amaricantes & adſtringentes. *Rariſſime uſum medicum internum accedunt. Frequenter ad gargariſmata, balnea & fotus adſtringentes adhibentur.* Eorum tamen decoctum, poſt alia remedia omnia irrita, potentiſſimum fuiſſe Emmenagogum, obſervavit *Jac. Janus,* & ex eo *Thom.* BARTHOLINUS, *Hiſt. Anat.* 39. Cent. IV. p. 317. & *Epiſt. Med.* 63. Cent. III. p. 254. ſq. & Epiſt. 64. p. 257 conf. & maxime GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 796. ſqq. ut & ZORN. pag. 334. Virtutem autem anthelminticam, ipſis vulgo tributam, adhuc in dubium vocat *Cl.* CARTHEUSER, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VI. cap. 4. p. 364. Vid. WEISSII, Diſſert de *Malo Punica*, recuſa in Mantiſſa Exoticorum ad VALENTINI *Muſeum Muſeor.* p. 652. ſqq.

GUAJACI, *Ecorce de Gayac, ou de Bois ſaint,* Franzoſen-Holz-Rinden. Cortices ligni Guajaci, tenues, duriuſculi, lignoſi, reſinoſi cinereo-rufeſcentes, maculati, interne pallidi, & lamellatim congeſti comparent, ſaporemque acrem amaricantem produnt. *Ob virtutes nobiliores, ligno longiſſime præferuntur. Præſertim ad decocta lignorum adhibentur, quæ ſanguinem mundificant, & lui venereæ opponuntur.* Vid. huc præprimis auream H. BOERHAAVII *Præfationem magnæ Scriptorum Aphrodiſiacorum Collectioni,* ingenti Medicorum emolumento, *præmiſſam.* Add. *Guil.* PISONIS, *Hiſt. Nat. & Med. Ind. Occident.* Lib. IV. cap. 18. pag. 146. & imprimis *Conſalvi* FERRANDI, bini de *Ligno Sancto* Tractatus, mox infra rurſus laudandi, & alii plures apud ZORNIUM, *Botanolog.* p. 336. ſqq.

HIPPOCASTANI, Caſtaneæ equinæ folio multifido. I. B. *Ecorce de Maronier d'Inde,* wilde Caſtanien-Baum-Rinde. Vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 665. Hæc arbor olim in Germania hoſpes fuit, hodie vero, accepta civitate, frequentiſſime occurrit, & ſua amœna fronde, porticus & ambulacra obumbrat. *Cortices ante annos aliquot, præſertim apud Gallos, uſum medicum accedere auſi ſunt, & pro ſuccedaneo Chinæ Chinæ haberi, eademque doſi & methodo exhiberi, ceperunt.* Sed an res ita ſeſe habeat, prout variis Gallorum & Anglorum diariis relatum fuit, equidem haud ſatis ſcio, quoniam nondum feci periculum cum iſto cortice pſeudoperuviano, ſeu Hippocaſtani, in febribus expugnandis. Nihil ergo hic definio, præſertim, quum, quod alias proverbio dicitur, abſonum & incongruum ſit, inventis jam frugibus, glandibus adhuc veſci.

MANDRAGORÆ. Vide Radices.

MORI radicis, *Ecorce de Meurier,* Maulbeer-Baum-Rinden. Colitur in hortis & vinetis. Cortex e radicibus detractus, in uſum adhibetur. *Vim abſtergentem, & calefacientem poſſidet, alvum laxat, & ſpecifice lumbricos latos enecare creditur.*

QUERCUS, *Ecorce de Chêne*, **Eichen-Rinde**. Ferme ubivis in ſilvis occurrit. Cortex, qui ex junioribus quercubus detrahitur, eligendus eſt. *Vim adſtringentem exerit; Interne rariſſime vel nunquam uſum accedunt; Externe vero ad Gargariſmata, balnea, & fomentationes adſtringentes adhibentur.* In febribus quoque intermittentibus curandis, tantundem emolumenti ac damni, ab hoc ipſo cortice expectandum eſſe, ac quidem a Cortice Peruviano ſperari poſſit, non ſine errore & præjudicio, tradit STAHLIUS, *Mat. Med.* Part. II. p. 85. cum nonnullis aliis, qui ipſum incautius ſequuntur. Sed profecto non erat hoc de Quercu, effatum e Quercu Dodonæa fatidica & veridica prolatum, ſed falſiſſimum potius erat, pluribus fatentibus rectioris judicii Medicis. Ceterum plura de uſibus & laudibus Quercus, vid. apud ZORN. p. 553. ſqq. & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 131. ſqq.

SAMBUCI mediani, *Ecorce moienne de Sureau*, **Hollunder-Rinde**. Florem & fructum in umbella diſpoſitum habet, & ubique locorum occurrit; floret Menſe Majo, & fructus maturos tempore autumni porrigit. Hic cortex tempore verno detrahendus, ſed prius ab exteriore parte, quæ cinereo colore, & aliquantulum aſpera adparet, liberandus eſt, nam ſola pars media viridis, in uſum adhibetur. *Inſigne Remedium anthydropicum eſt.* Vid. imprimis SYDENHAM, Tract. *de Hydrope*, p. 263. Tom. III. Opp. *Serum educit, ictericis conducit, & menſtrua movet. Uncia dimidia, vel habita ſubjecti ratione, uncia integra hujus corticis recentis, vino ſuperfuſa, pro una doſi exhiberi ſolet. Eriſypelati* quoque *opponitur*. Conf. WEDELII, Diſſert. de *Sambuco*; & imprimis BLOCHWITII *Anatom. Sambuci*, Cap. IV. item ZORN. pag. 599 ſqq. & *Sim.* PAULLI, *Quadrip. Botan.* pag. 139. Ceterum *hunc Sambuci Corticem cum Theriaca exhibitum, in ipſa peſtilentia, omnes fere ægrotos ab interitu vindicaſſe*, ab ipſo hujus ſecreti auctore, ipſius ſalutarem uſum ſæpiſſime experto, accepit *Crato*, & communicavit, GESSNERO, cujus vid. *Epiſt. Med.* Lib. III. pag. 120. b. Conf. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 207. ubi idem obſervat ex *Dioſcorid.* De variis quoque hujus corticis uſibus eximiis, diligentiſſime tractat TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* p. 358. ſqq.

SASSAFRAS, *Ecorce de Saſſafras*, **Saſſafras-Fenchel-Holz-Rinde**. Hi cortices leves ſunt, ferrugineo colore adparent, & ſaporem atque odorem intenſiorem, produnt, quam lignum. *Pares, cum ligno ſuo, virtutes poſſident, ob oleum vero, quod in cortice hoc copioſius reſidet, minori doſi præſcribi ſolent. Vires ligni, non niſi aliqua coctione poſſunt extrahi; ſed corticum vires, ſola aqua ferventis infuſione facillime eliciuntur; quo circa infuſionibus theæformibus anticatarrhalibus & aliis, haud importune admiſceri poſſunt.* Plura vide de *Lignis*. Vid. huc præſertim *Jo.* NEANDRI, *Saſſafraſalogia*, ubi plura de hujus præſtantiſſimi corticis & Ligni virtutibus eximiis relata leguntur; ut & potiſſimum ZORN. p. 609. & quos ibi laudat Auctores plures.

TAMARISCI, fruticoſæ, foliis craſſioribus, Germanicæ, *Ecorce de Tamaris*, **Tamariſken-Rinden**. Hic frutex copioſe naſcitur ad ripas Danubii & Rhe-

ni. Cortices radicum, optimi cenſentur, *& contra icterum, fluorem album, ſcabiem, melancholiam, & ſpeciatim lienis adfectus, commendantur. Uſus eſt in decoctis, & vinis medicatis.*

THURIS, Thymiamatis, Thuris Judæorum dicti, *Styrax Thymiama*, Weyrauch-Rinden, Juden-Weyrauch. Sunt fragmina corticis cujusdam, quæ ex India orientali, Syria, Pamphilia & Cilicia, aliisque locis ad nos adferuntur; Colore ferrugineo, adparent, ſaporem acrem, aromaticum & amarum linguæ imprimunt, odoremque ſuavem, qui proxime ad Styracis & Balſami Peruviani odorem accedit, ſpergunt. Arbor vel planta, ex qua hi cortices detrahuntur, plane adhuc incognita eſt. Putantur quidem cortices eſſe arboris Storacis, quæ in Aſia minori naſcitur, & Storacem liquidam exſudat. Conf. ZORN. p. 651. Cortices craſſiores, pingues & odorati, præ ceteris ſeligendi ſunt. *B. Fridericus* HOFFMANNUS, *mediante ſpiritu vini eſſentiam & reſinam ex his corticibus extraxit; Eſſentiam ob vim anodynam, ad tuſſim ferinam & convulſivam, reſinam vero ad ſuffimenta commendavit.* Vid. ipſius *Obſervat. Phyſ. Chym.* 20. Lib. I. p. 71. 72. & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 23. pag. 167. ſqq. odoris gratia ipſis locum inter Suffimenta dedit, & præterea horum Suffumigium bona confert in uteri prolapſu.

WINTERANI, nonnullis Canellæ albæ, item Cinnamomum Magellanicum, Coſtus corticoſus, & ventricoſus, Coſtus Arabicus officinarum, Caſſia lignea Jamaicenſis, magna variorum Nominum permutatione, ut Botanicis notum, *l'Ecorce de Winter*, Winters Americaniſche Gewürz-Rinde. Hi cortices ſunt craſſi, cannulati, foris cinereo integumento fungoſo, inæquali, fiſſo, & multis rimulis dehiſcente, obducti, intus vero ſolidi, denſi, pallidi; odorem fragrantiſſimum produnt, atque ſaporem acrem aromaticum; detrahuntur ex arbore laurifolia Magellanica, ſeu potius Periclymeno odorato Magellanico, cujus notæ ſunt: folia laurina, flores pentapetali, albi, odorati, racematim congeſti; baccæ ſubvirides, multis ſeminibus anguloſis, uvarum acinis ſimilibus, refertæ. Sponte naſcitur, & copioſe occurrit in Jamaïca, Barbados & Magellanica, circa viarum margines; Nuncupationem ſuam ſortitus eſt, a Præfecto Claſſico, cui nomen erat Winter, nam is primus Anno, ut vulgo quidem traditur, 1567. hunc corticem ex Magellanica in Europam transtulit. *Virtute cum Canella alba coincidit, potentior tamen exiſtimatur. Siccat, calefacit, flatus diſcutit, vomitum ſiſtit, atque ſpecificum contra ſcorbutum frigidum habetur.* In paralyſi, artuumque impotentia, potiſſimum commendatur a WILLISIO, Cap. 7. *de Scorbuto*, & alibi. Vid. huc præter Hiſt. Naturalis & Muſeorum Scriptores, ſingularis SILTEMANNI, Diſſertat. de *Cortice Winterano*; item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. Cap. 11. Art. V. pag. 177. & VALENTINI, *Hiſt. Simplic. Reform.* Lib. II. Sect. IV. cap. 3. pag. 185. ſqq ut & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 26. p. 188 ſqq. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 353. ſq. & ZORN. p. 230. item CHARAS, *Pharm. Reg.* Tom. I. p. 232. ubi cortici Winterano easdem plane virtutes adſcribit, quas vulgo Auctores tribuerunt vero Caſto, ſupra laudato.

CAPUT VIII.

DE LIGNIS ET VISCIS.

ALOES, Agallochum, Xyloaloës, *le Bois d'Aloës*, Paradieß-Holz. Sunt fragmenta lignea & reſinoſa, cujuſdam arboris, quæ in regnis Siamenſi, Cambodiæ, & Sinenſi progerminat, atque idiomate Siamenſi, *Kiſſina*, Latine vero *Arbor Aquilæ*, & *Aloës* dicitur, & nondum ſatis cognita eſt. De his vid. URSINI, *Arboret. Biblic.* Sect. V. Cap. 43. pag. 562. ſeqq. SALMAS. de *Homonym. Hyles Jatr.* Cap. 6. pag. 7. *Jo. Bod.* a STAPEL, Comment. ad *Theophraſt. Hiſt. Plant.* Lib. IX. Cap. 7. pag. 1028. ſqq. HILLERI, *Hierophyt.* Part II. Cap. 34. pag. 197. ſqq. HEUCHER. *Opp. Med.* Tom. II. p. 957. ſeqq. & ut alios plures jam taceam, potiſſimum *Cl. Olavi* CELSII, *Hierobotan.* Part. I. p. 135. ſeqq. Lignum ex vetuſtate arboris, fragrantem demum odorem nanciſcitur; odor namque in ſucco reſinoſo tam diu deliteſcit, donec arbor marceſcat, & putredine vitietur, ubi tandem ſuccus partes quasdam ligni occupat, & circa nodos præſertim copioſius condenſatur. Hæc fragmenta reſinoſa peculiari nomine *Calamba*, vel *Calambac*, inſigniuntur; reliqua vero hujus arboris fruſta *Kiſſina*, adpellantur. Agallochum verum & genuinum rariſſime vel nunquam ad nos transfertur; nam apud ipſos Jndos in tanto pretio habetur, ut non, niſi pondere argenti conduplicato, vendere ſoleant. Id, quod huc advehitur, ſpurium eſt, & perhibente RUMPHIO, ex ea arbore colligitur, quam incolæ & nautæ excœcantem nominant. Arbor excœcans, ſucco lacteſcente ſcatet, & eſt ſpecies Lathyridis arboreſcentis, fructusque triquetros proferentis, qui baccas Latyridis, vulgo Cataputia dictas, ſimulant; arbor hæc deformis, in locis & littoribus deſertis tantum naſcitur, & excœcantis nomen accepit, quia illius ſuccus lacteſcens, oculis caſu inſperſus, dolores magnos concitat, & niſi confeſtim ſuccurratur, cum ſumma mordacitate & inflammatione, penitus planeque excœcat. Conf. RUMPHIUS, in *Ephem. Nat. Curioſ.* Dec. II Ann. 3 Obſ. 22. p. 74. ſeqq. In hujus pernicioſæ arboris caudice & radicum cavernis hoc lignum odorans reperitur. Creſcit circa Amboinam in Inſulis, & in fruſtis diverſæ magnitudinis ad nos tranſvehitur; ex his fragmenta ſolida, denſa, reſinoſa, nigro-purpurea, ponderoſa, amara, & quæ vel perfricando, vel concremando, odorem fragrantem ſpargunt, ſeligenda ſunt. *Hoc lignum, ſi cum debita aquæ quantitate, methodo chymica, per veſicam deſtilletur, oleum fragrantiſſimum, quod camphoræ inſtar albeſcit, & facillime in ſpiritu vini diſſolvitur, exhibet, aſt parva quantitate. Lignum Aloës calefacit, & cerebrum, cor, uterumque confortare creditur; vim tamen inebriantem exerit, præſertim, ſi delicatioribus, largius, quam par eſt, exhibeatur.* Conf. huc imprimis *Sam.* DALE, *Pharmacolog.* Part. II p. 470. ſqq. & maxime *Joh.* BAUHINI, *Comment. d Agallocho*; ut & ZORN. p. 24. ſqq. per quam copioſe; item *Cel.* GEOFFROY, *Mat*

Med. Tom II. Sect I. Cap III. Artic. I. p. 213. ſqq. Speciatim autem doctiſſima *Joh. Ehrenfried.* REINBOTH, Diſſertatio de *Agallocho*, ſub Præſidio *Eyſelii*, Erfurt. 1712. primum habita, quæ recuſa extat in *Mantiſſa Exoticorum*, ad VALENTINI, *Muſeum Muſeorum*; p. 591. ſqq. quod ipſum vid. pag 179. ſeq. item CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. p. 137. ſqq. De oleo vero Aloës præſtantiſſimo & analeptico ſummo, vid. HOFFMANN. *Obſ. Phyſ. Chym.* 4. Lib. I. p. 18.

LIGN. ASPALATHUM officinale, Aſpalathus, C. B. *le Bois d'Aſpalat*, Rhodiſer Dorn. Sunt fragmenta ligni exotici, reſinoſi cujuſdam, ligno Aloës, ſive Agallocho leviora, laxiora, & pallidiora; arbor non dum ſatis cognita eſt. Fragmina ex India orientali advehuntur, progerminant quoque, ut dicitur, in Iſtro, Niſyro, Cypro, Rhodo, Syria, & alibi, & ſæpiſſime Aſpalathum pro Agallocho, & vice verſa Agallochum pro Aſpalatho venditur. Vid. *Sam.* DALE, *Pharmacologiæ* Pars II. pag. 471. & VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Ref.* Lib II. Sect. IV. Cap. 7. p. 180. præſertim GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 218. ſqq. item SALMAS. *Exercit. Plin.* p. 282. uberrime vero, de *Homonym. Hyles Jatr.* Cap 84. p. 110. ſqq. & *Joh. Bod.* a STAPEL, ad *Theophraſti* Lib. IX. *Hiſt. Plant.* p. 1026. ſeqq. aliique; ſed nondum tamen lis illa plane compoſita. *Easdem, cum Agallocho, vires habet, ſed paululum debiliores.*

BUXI arboreſcentis, *le Bois de Buis*, Buxbaumholz. Arbor ſponte naſcitur in Italia, Galliæque Provincia; ſed apud nos in hortis colitur. Refertur ad arbores bacciferas, fructu per maturitatem ſicco. Flores, baſin fructuum excipientes, pentapetali ſunt; fructus tricuſpidalis, in tres capſulas interne diviſus eſt, quarum quælibet bina ſemina lucida tuetur. Folia parva ſunt, & perpetuo virent. Lignum ponderoſum, durum & flavum eſt. *Virtutes cum ligno ſancto, vel Guajaco communes habet; Antimagicum quoque cenſetur, imo & Antaphrodiſiacum.* Vid. PAULLINI, *Obſ. Med.* 51. Cent. IV. p. 469. ſeqq. & *Sim.* PAULLI, *Quadripart. Botan.* Claſſ. II. p. 37. & potiſſimum ZORN. p. 149. ſeqq. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 237. ſeqq. ubi plura. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 76. ut & TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 405.

COLUBRINUM, ſive Serpentarium officin, *le Bois Couleuvré*, Schlangenholz. Eſt radix lignoſa, arboris Timorenſis, Solani arboreſcentis Indici; foliis Napecæ, ſive Oenopliæ minoribus; floribus parvis, in umbellam diſpoſitis; fructu rotundo, duro; ſeminibus orbiculatis, compreſſis. Hæc Semina Nuces Vomicæ minores, ſive *Scheru Katuvalli-caniram*, Horti Malabarici, dicuntur, & ſub cortice fuſco-ferrugineo, hinc inde maculis cinereis, aut albicantibus notato, ſolidam, ponderoſam, acrem, & amariſſimam, ſed nullius plane odoris materiam comprehendunt. Non carioſum, ſed grave atque amarum ſit, quod eligas. *Huic ligno vis ſpecifica adverſus ſerpentum, & quorumvis animalium veneniſicorum morſus, adſeritur; vermibus & febribus intermittentibus quoque opponi ſolet. Teſte* BONTIO, *Animadverſ. in Garc.* Cap. 44. p. 40. & *Joh. Broen.* item BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. II. p. 206. *Nonnulli adſeverant, quod*

hoc

hoc lignum potentia virulenta, & ſoporifera præditum ſit. Conf. *Ant.* de HEIDE, *Cent. Obſ. Med.* 53. Mitius tamen de eodem, imprimis ſatis exſiccato, ac provide, minorique doſi exhibito, ſentit laudatus CARTHEUSERUS. *Fund. Mat. Med.* p. 158. *Interim fructus, quem hæc arbor profert, clare ſatis indicat, quod cum hoc ligno cautius agendum ſit.* Vid. *Cl.* CARTHEUSERI Diſert. de *Ligno Colubrino &c.* item in *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 21. p. 156. ſqq. ZORN. p. 394. DALE, *Pharmacolog.* Part. II. p. 440. HERMANNI *Cynoſur. Mat. Med.* Part I. Cap. 3. p. 234. ſeqq. VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Reform.* Lib. II. Sect. IV. Cap. 18. p. 191. & *Nehem.* GREW, *Muſeum Reg. Societat.* Part. I. Sect. I. Cap. I. pag. 181. ut & Salmaſ. de *Homonym. Hyles Jatricæ,* Cap. 83. pag. 114.

LIGN. CUPRESSINUM, Cupreſſi officin. *le Bois de Cyprès,* Cupreſſen-Holz. Arbor Cupreſſus eſt conifera, brevibus foliis, acutis, in ſquamas abeuntibus; floribus amentaceis; fructu, ſive cono, ex clavatis, lignoſis tuberibus, in globoſam formam compactis, compoſito; nucleis angulatis, acuminatis, parvis. Apud nos in hortis fovetur, ſed in regionibus calidioribus ſponte naſcitur. *Lignum ſudoriferum eſt ac diureticum; vimque refrigerantem, ſiccantem, & adſtringentem exerit, atque in decoctis uſurpatur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 385. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 575. & ZORN. p. 248.

EBENUM, offic. *Ebene,* Ebenholz. Eſt omnium lignorum ponderoſiſſimum, & lapidis quaſi inſtar durum; hinc ab hebraico vocabulo *Eben*, quod lapidem ſignificat, indigitatum fuiſſe, nonnulli autumant, quam tamen etymologiam ægre admodum admittent Hebræam linguam probe edocti, quibus quippe cognitum, Ebenum, ſe rectius, Hebenum, non poſſe derivari ab *Eben*, ſed potius deduci debere a voce *Hobnim*, ſeu *Hobenim*, EZECH. XXVII. 15. qua ipſa ſolida & pretioſa Hebeni ligna denotari, fuſe, docte & ſolide oſtenderunt, *Sam.* BOCHARTUS, *Hieroz.* Part. II. Lib. I. Cap. 20. p. 140. ſeqq. HILLERUS, *Hierophyt.* Part. I. Cap. 51. p. 437. ſqq. FULLERUS, *Miſcellan. Sacr.* Lib. VI. Cap. 14. pag. 148. ſeqq. item URSINI, *Arboret. Bibl.* Sect. V. Cap. 45. p. 572. ſqq. aliique, quibus ſuo aſſenſu merito accedit *Cl.* CELSIUS, *Hierobotan.* Tom. I. p. 327. Plura vero de Hebeni ligni differentia, natura, pulchritudine, pretio, pondere, & uſibus variis, docte, eximie & operoſe diſputarunt *Cl* SALMAS. *Exercit. Plinian.* pag. 725. ſqq. & p. 732. ſqq item *Joh. Bod.* a STAPEL, in *Comment. ad Theophraſt. Hiſt. Plant.* Lib. VI p. 357. ſeqq. Arbor *Ebeni* C. B. in India naſcitur, & inter pruniferas pertinet. Folia juglandinis paululum minora ſunt, ſed pinnata, & colorem praſſinum referunt. Fructus oblongus, viridis, & edulis eſt, & mala perſica ſimulat. Meditullium arboris, optimum eſt. *Virtutes cum ligno Guajaco communes habet, uſus vero magis mechanicus eſt, quam medicus.* Vid. BOECLERI, *Cynoſur. Mat. Med. Herman. Contin.* p. 156. ſq.

GUAJACUM officinale, Lignum Sanctum, *le Bois de Gayac, le Bois ſaint,* Franzoſen-Holz. Eſt lignum ſolidum, denſum, ponderoſum, reſinoſum, colore

nigricans, ſapore amarum, acre, atque odore haud ingratum. Inter plures arborum Guajaci ſpecies, illa officinis noſtris lignum ſuppeditat, quæ folia habet ſubrotunda, pinnata, pari numero, lentiſci ad inſtar, amœne virentia, florem vero roſeum, pentapetalum, album, piſtillumque ſtiliforme, rectum & longum; fructus paululum compreſſus & cordiformis eſt, loculisque duobus diſtinctus, quorum alter nucem duriſſimam ovatam complectitur, alter vero plerumque vacuus atque inanis permanet. PLUMIER. *Nov. Gen. Plant.* hanc arborem *Guajacum, flore fimbriato cœruleo, fructu tetragono*, deſcribendo notavit. Advehitur ex Jamaica, Hiſpaniola, aliisque Americanis regionibus. Matrix, ſive pars interior, eligenda eſt, non pars illa exterior, quæ prior, corticoſa, reſinoſa & fuſco-cinerea eſt. *Vim atque virtutem ſiccantem, ſudorem & urinam propellentem, ſanguinemque mundificantem poſſidet, ſpeciatim vero lui venereæ opponitur.* Vid. BOERHAAVE, in laudata jam *præfatione Scriptoribus Aphrodiſiacis præmiſſa*, item *Elem. Chem.* Tom. II. p. 203. imprimis autem bini egregii tractatus *Conſalvi* FERRANDI, Owietenſis Hiſpani, *de Ligno ſancto*, ſeu Guajaco, qui extant in dicta *Sylloge magna Scriptorum Aphrodiſiacorum & Antaphrodiſiacorum* ubi & alii Scriptores de hoc Ligno ſancto contra morbum profanum imo deteſtabilem, conjunctim habentur, quos inter eminet imprimis Celeberrimus ille Poëta ac Philoſophus *Ulric Huttenus*, ipſe hujus Ligni ſalutaris in ſe uſum expertus, cum in caſtris venereis nimis ſtrenue, ſed ſine gloria, militaſſet, & loco opimæ prædæ, fœdiſſima ulcera retuliſſet. Vid. & FRIDERICI, Agnati quondam noſtri, Diſſert. ſingularis de *Guajaco*, item *Alphonſ.* FERRI & *Demet.* CANEVARII *de eodem Ligno* ſalutari, *ampliſſimi Tractatus.* Add. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part II. Sect. XII. Cap. 18. p. 131. ſqq. & imprimis ZORNII *Botanolog.* p. 336. ſeqq. ubi infinitos fere Auctores producit, qui de miris Quajaci virtutibus tractarunt; quibus adde LOESEKE, *Mat. Med.* p. 181. ſqq.

LIGN. JUNIPERINUM, *le Bois de Génièvre*, Wachholder-Holz. Eſt radix reſinoſa, odora Juniperi officinalis, fruticoſæ, vulgaris. *Vim ſudoriferam & diureticam exerit; In decoctis propinatur, contra lymphæ & catarrhales morbos; etiam ad ſuffitus adhiberi ſolet.* Vid. hic WILHELMI, Diſſert. de *Junipero*, Argent. 1715. & KLEINII, Diſſert. *de eodem argumento*, Altorf. 1719. & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 20. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 639.

LENTISCINUM, *le Bois de Lentisque*, Maſtich-Holz. Hoc lignum nodoſum, non adeo ſpiſſum, interne album, ſed externe cinereo cortice obductum eſt, nec non ſaporem & odorem reſinoſum prodit. *Lentiſcus* officin; *Lentiſcus vulgaris* C. B. Arbor Maſtichen fundens, gaudet foliis pinnatis, in extremitate coſtæ, ſine impari. Flos ex foliorum alis egrediens, ſi mas ſit, amentaceus, ſi vero femina, calice trifido, minimo, adparet. Fructus unicus, in nudeo glabræ conſiſtit. Copioſe naſcitur in Inſula Chio, Cypro, Candia, aliisque maris Ægei inſulis, ut & Syria, Hiſpania, Luſitania, Gallia & Italia. Floreſcit Menſibus Martio & Aprili. Vid. huc imprimis TOURNEFORT. Tom. II. *Itiner.* Epiſt. 9. p. 68. ſqq. qui ipſe in Inſula Chio, harum arborum Lentiſcinarum uberrimum proventum præſens obſervavit; conf. GEOFFROY, *Mat. Med.*

Tom. II. p. 544. & CARTHEUSER. *loc. cit.* p. 148. Ponderoſum & reſinoſum optimum cenſetur. *Indolem ſiccantem & adſtringentem obtinet, urinam pellit, dentes vacillantes firmat, & in decoctis, contra fluxiones ſanguinis & alvi, nec non procidentiam uteri & ani adhiberi ſolet.*

LIGN. MOLUCCENSE Pavana, vel & per literarum metatheſin aliis *Panava, le Bois des Moluques,* Mollucaniſch Purgierholz. Eſt leve, ſpongioſum, pallidum, & exili cortice obductum; nullum prorſus odorem ſpargit, ſed acrem nauſeoſum ſaporem guſtui imprimit. Ex arbore *Ricino,* fructu glabro, *Grana Tiglia*, officinis dicta, foliis Malvæ, cortice nigello, molliore, hoc lignum, ab incolis *Pavana* dictum, colligitur. *Cadel Avenacu* Hort. Malabar. Colitur in regione Malabar, & iſthinc ad nos advehitur. Vid. plura de hoc Ligno Moluccenſi, in DALEI. *Pharmacologia*, Part. II. p. 128. ſqq. & HERMANNI *Cynoſura Mat. Med.* Part. I. Cap. 3. p. 239. ſeqq. item in VALENTINI *Hiſtoria Simplicium reformata*, Lib. II. Sect. IV. Cap. 18. p. 191. *Recens acriter purgat, & ſerum educit; nonnunquam vomitum concitat, & ob nimiam, quam poſſidet, acrimoniam, pruritum & inflammationem ani cauſatur. Mitius agit, & ſudorem movet, ſi probe exſiccatum, & non nihil inveteratum ſit. Uſus præcipuus eſt in morbis chronicis, febre quartana, & hydrope. Hypercatharſis, & pruritus ani, quos hoc pharmacum excitavit, facili negotio, per cremorem oryzæ & avenæ adhibitum, arcentur. Ad capiendas aves, quoque adhiberi ſolet; nam ex templo concidunt aviculæ, quam primum de frumento quopiam, cui hujus ligni pulvis intermiſtus eſt, comedant. Hinc clarum ſatis eſt, quod hoccine ligno cautius utendum ſit. Vel robuſtiſſimo ſatis eſt, ſi a granis quatuor ad decem, ex juſculo carnis exhibeatur.*

NEPHRITICUM, *le Bois neyhritique, le Bois violet,* Grießholz. Vocatur quoque a nonnullis *Sandalium cæruleum*, quia aquam puram cæruleo colore imbuit. Durum, ſolidum & grave eſt, colore fuſco adparet, ac ſaporem acrem aromaticum prodit; colligitur ex ea arbore, quæ ſecundum *Hans* SLOANE, *Hiſt. Nat. Jamaic.* dicitur: *Acacia arborea, major, ſpinoſa, pinnis quatuor majoribus, ſubrotundis, ſiliquis varie intortis*; magnitudinem pruni vel pyri æquat, folia pinnata, flores papilionaceos, & ſiliquas bivalves, craſſas habet, quæ in extremitatibus latæ ſunt, & ſemina reniformia ſuo complexu fovent. Ex Mexicano regno, quod Americanorum regnorum nobiliſſimum eſt, advehitur. Vid. HERMANNI *Cynoſur. Mat. Med* p. 112. *Valentin. Pomet.* & alios. Pars interior, ſive meditullium fuſcum, in uſum accerſitur, rejecta exteriore parte, quæ corticoſa & alba eſt. *Vitia renum corrigere, calculum comminuere, propellere, & urinam movere creditur, ſi in infuſis vel decoctis exhibeatur. Jucundum ſpectaculum videbis, ſi hoc lignum aquæ limpidæ immittas; nam aqua hoc ligno imbuta verſicolor evadit, prout hoc vel illo ſitu ſpectatur.* Conf. *Cl.* CARTHEUSERI Diſſert. de *Ligno Nephritico &c.* quem & vid. in *Fundam. Mat. Med.* Part. II, Sect. XII. Cap. 21. p. 150. ſqq. ut & ZORN. *Botanolog.* p. 395.

LIGN. RHODIUM, Roſaceum, Cypreum, Rhodoxylon, *le Bois de Rhodes,*

de Chypre, de Roſes, Roſenholz. Eſt radix lignoſa, dura, contorta, nodoſa & reſinoſa, quæ ſaporem ſub-amarum, ac odorem roſeum prodit. Quoque *Aſpalatum* colore buxi C. B. dicitur. Exiſtimant nonnulli, quod ex hac radice, planta illa, papilionaceo flore, & ſiliquoſo fructu, progerminet, quæ C. B. *Cytiſis incana, ſiliquis falcatis*, nuncupata fuit. Ex inſulis Canarienſibus; item Rhodo, Cypro, & aliis, ad nos advehitur. Ponderoſum, reſinoſum, & quod odorem roſeum ſpargit, ſeligendum eſt. *Urinam movet, atque ſudorem excitat; rarius tamen in uſum internum adhibetur, niſi interdum decoctis lignorum intermiſceatur, quæ ad mundificandum ſanguinem præſcribi ſolent. Externe vero ad odoramenta frequentiſſime accerſitur.* Vid. *Joh.* CHAMBERS ſingularis Diſſert. de *Ligno Rhodio*; præſertim autem GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 218. ſqq. ubi & de *Aſpalatho* diſſeritur; de quo tamen longe diligentius fuſiusque tractavit SALMASIUS de *Homonym. Hyles Jatricæ*, Cap. 84. p. 114. ſqq. Ubi plura de differentia Ligni Rhodii & Aſpalathi, liteque ac diſſenſione inter eruditos Medicos & Botanicos inde orta, & diu acerrime acta, nec tamen in hunc uſque diem, plane pleneque compoſita. Conf. & præter *Valentin Hermannum*, & alios *Mat. Med.* Scriptores, *Cl.* CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 19. p. 142. ſqq.

SANCTUM officinale, quaſi Guajacum propemodum ſine matrice C. B. *le Bois ſaint,* Pockenholz Hoc lignum ſanctum viribus, odore atque ſapore, ferme cum Guajaco coincidit, ſed colore & pondere, ab illo diſtinctum eſt, albidius namque adparet, leviusque deprehenditur. Arbor, quæ illud ſuppeditat, *Jaſminum Americanum* vulgo dicitur, cum tamen rectius *Evonymo* affinis occidentalis, alatis Ruſci foliis, nucifera, nuncupanda ſit. Idiomate Indico *Hvaxacon*, inſignitur nomine. Adfertur ex America. *Vires cum Guajaco communes poſſidere creditur. Guajacum potentiore tamen virtute gaudet.*

SANDALINUM album, Santalum album officinale, Sandalum album, *le Bois de Santal blanc*, weiſſes Sandelholz. Eſt durum, ſolidum, pallidum, nec non odore aromatico, ſaporeque ſubamaro gratum. Arbor, ex qua colligitur, baccifera eſt, foliis pinnatis, floribus cœruleo-nigricantibus, fructu per maturitatem nigro, magnitudinem ceraſi æquante. Ex Indiæ orientalis inſula *Timor* advehitur. Hanc arborem Indi *Sercanda* vel *Chandama* nominant. Vid. SALMAS. *Exercit. Plinian.* p. 726. & quid contra monet GEOFFROY, de *Mat Med.* Tom. II. Sect. I. p. 239. ubi in ſeqq. plura de his tribus Lignis Santalinis; ut & apud ZORNIUM, p. 604. ſq.

SANDALINUM citrinum Santalum citrinum officinale, *le Bois de Santal citrin,* gelber Sandel. Colore, denſitate, pondere, ſapore, odore, virtutibus & pretio, præcedens ſuperat; una eademque quidem arbor, Timorenſis ſcilicet baccifera, ab Indis *Sercanda* dicta, utrumque horum ſuppeditat. Pars interior, ſive meditullium, quod flavius eſt, Sandalinum citrinum dicitur; pars vero exterior, quæ corticoſa, ſed omnis medulloſæ ac reſinoſæ materiæ penitus expers eſt, Sandalinum album audit, & non raro in Cylindraceis ſegmentis ad nos transfertur. *His Sandalinis vis cardiaca, &*

hepatica a nonnullis adſeritur, & ad lymphæ vitia, in decoctis, præſcribi ſolent. Vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Cap. 19. p. 144. ſqq.

SANDALINUM rubrum, Santalum rubrum officinale, *le Bois de Santal rouge*, rothes Sandel-Holz. Eſt pars interior, ſive meditullium arboris, ab omni cortice liberatum, rubrum, ponderoſum, fibroſum, denſum, ſaporeque adſtringente præditum. Arbor, quæ nobis hoc Sandalinum rubrum ſuppeditat, eſt ſpecies ligni Braſilienſis tinctorii, & arboris, folio pinnato, flore papilionaceo, ſiliqua bivalvi, Seminibus reniformibus. Ex Orientalis & Occidentalis Indiæ regionibus advehitur. *Vim ſiccantem & adſtringentem exerit. Medicis, pariter ac tinctoribus officia præſtat.* De Reſina Santali rubri elegantiſſimi coloris ſanguinei, vid. HOFFMANNI, *Obſ. Chem.* p. 64. & ex hoc CARTHEUSERI, *Rud Mat. Med.* p. 461. & *Fund. Mat. Med.* Part. II. Cap. 19. p. 498. ſqq. de ipſo Ligno Santal. Rubro.

SASSAFRAS, Lignum Parvanum Indorum, Winanck Virginienſium, J. B. *le Bois de Saſſafras*, Saſſafras, Fenchel-Holz. Eſt radix arboris cujusdam lignoſa, levis, exilis, colore pallido, nonnunquam & cinereo adparens, nec non ſapore acri, ſubdulci, & odore, fœniculi inſtar, aromatico, prædita, corticeque tenui, foris cinereo, intus ferrugineo, veſtita. Procreſcit ex hac radice Arbor *Laurus, foliis integris & trilobis*, quæ in Hort. Cliffort. *Saſſafras & Cornus mas odorata, folio trifido, margine plano*; ab incolis vero *Pavanæ* dicta. Mediocri magnitudine adſurgit; fructus calycibus, acetabuli inſtar, concavis, inſident; folia anguloſa, & ſubtus cinerea, perpetuo virent; floſculi lutei, ex ſex petalis ovatis, acuminatis, novemque ſtaminibus conſtantes, racematim congeſti ſunt. Fructus in parvis baccis conſiſtit, quæ per maturitatem nigricantes, & floſculorum more, racematim congeſtæ adparent, unicumque ſemen, nucem videlicet ovatam, & acuminatam complectuntur, in qua nucleus ejusdem formæ deliteſcit. Copioſe naſcitur in Virginia & Florida, unde etiam advehitur. Odorum, & quod in parvis ſegmentis, cortice adhuc obductis, conſiſtit, eligendum eſt. *Ad vitia Lymphæ, catarrhos, arthritidem, fluorem album, & alios id genus morbos, commendari ſolet. Uſus eſt in infuſis atque decoctis.* Vid. *Guil.* PISONIS *Hiſt. Nat.* & *Med. Ind. Occident.* Lib. IV. cap. 18. p. 146. imprimis autem *Joh.* NEANDRI *Saſſafraſologia*, jam in antecedentibus merito laudata, ubi de cortice hujus ſalutaris Ligni mentio fuit facta. Conf. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 18. pag. 128. ſqq. & ZORN. pag. 609. item LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 192. ſqq.

SUBERIS, *le Liege*, Pantoffel-Holz, Korck. Eſt cortex arboris cujusdam, quæ foliis non acuminatis, ſed tamen perpetuis viret; refertur ad ſpecies quercus, & ſolo cortice craſſiore ab illis diſcernitur. Occurrit in Hiſpania & Italia. *Virtute adſtringente præditum eſt, ſed magis in uſus mechanicos, quam medicos accerſitur; præſertim ad vitra obturanda adhiberi ſolet. Suber in carbonem concrematum in colorem nigrum abit, qui Hiſpanicus dicitur.*

VISCI, Viſcus, vel Viſcum, *le Gui*, **Miſtel.** Eſt planta paraſitica, fruticoſa, aliis arboribus innaſcens; folia ejuſdem ſunt conjugata, anguſta, oblonga, ſemperque virentia; flores in perianthio tetraphyllo, monopetali, patentes, ſemiquadrifidi, & feminei una cum maſculinis, in eadem planta adparent. Bacca ovalis, alba, & unilocularis eſt, ſemenque unicum, cordiforme complectitur. Hæc deſcriptio, in quascunque Viſci ſpecies, quæ arti Apollineæ inſerviunt, apte quadrat. Vid. huc imprimis TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent.* p. 371. ſqq. & ZORN. *Botanolog.* p. 705. Sunt vero:

VISCUS Betulæ, *le Gui de Bouleau*, **Bircken-Miſtel.** Vid. *Rud. Jac.* CAMERARII Diſſert. *de Betula*, ubi & plura de hoc decantato nimis *Betula Viſco*. Add. ZORN. p. 129.

CORYLY, vel Corylinus, *le Gui de Coudrier*, **Haſel-Miſtel.** Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 366. & imprimis ZORN. p. 232.

QUERCINUS, *le Gui de Chene*, **Eichen-Miſtel.**

SALICIS, *le Gui de Saule*, **Weiden-Miſtel.**

TILIÆ, *le Gui de Tillau*, **Linden-Miſtel.**

Vix ulla pulveris Epileptici deſcriptio proſtat, cui aliquis Viſcus non intermiſtus ſit. Quernus præprimis in uſum accerſitur; alii Corylinum, alii Tiliaceum præferunt. *Quernus veteribus remedium polychreſtum fuit, cui & noſtro ævo, in morbis lymphaticis locus adhuc, & honos interdum conceditur. Antepilepticum eſt, & diureticum; in arthritide, catarrhis, alvi menſiumque fluxu nimio, vel in decoctis, vel in pulvere cum ſucceſſu exhiberi ſolet.* Conf. huc imprimis BAJERI & KOELDERERI Diſſertationes *de Viſco.* Speciatim vero de *Viſci querni admiranda virtute*, præcipue antepileptica, tractavit *Adamus* a LEBENWALD, in *Ephemerid. Nat. Curioſ.* Decur. II. Ann. II. Num. 109. Præſertim vero COLBATCHIUS, ſingulari Diſſert. laudata quoque a Cl. CARTHEUSERO, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 17. p. 484. qui ipſe ibi fatetur, ſingularem Viſco ineſſe virtutem contra infantum tormina, Aſthmata convulſiva, Choream S. Viti, Epilepſiam, aliasque id genus convulſiones; quod nempe prius, variis exemplis & experimentis demonſtraverat laudatus *Colbatchius*, & in Notis *Dieter. Weſel Lindenius*, quibus adde præſertim Cl. VOGELII *Bibl. Med.* Part. IV. Sect. XI. pag. 363. & Cl. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 420. ubi ad ipſam ſuam experientiam ingenue provocat, in binis miſerrimis ſubjectis epilepticis, ope iſtius Viſci, cum exoptato ſucceſſu, inſtitutam; quod ut tempus futurum ulterius & uberius confirmet, in communem generis humani utilitatem, ſerio ſeduloque optamus. Conf. ZORN. p. 705. Scrupulum enim haud exigium adhuc injicit Medicus, & doctrina, & experientia, & fide denique longe celeberrimus, *Rich.* MEADE in Comment. de *Morbis Biblicis*, Cap. X.

p. 89. ita aperte ſcribens: *Celebratum a longo tempore, Viſcum Quercinum, inutile lignum eſſe, jam dudum experientia compertum habeo. Neque id mirum, quum guſtatu, vel odoratu, vix quidquam virtutis in eo deprehendatur, & Druidarum veterum religioni commendationis ſuæ originem unice debeat. Quo circa inter frivolas res iſtas numerari oportet, quas vana ſuperſtitio in Artem medendi invexit: Niſi forte falcem auream, qua demetebatur, candidam Sacerdotis Veſtem, Taurorum candidi coloris ſacrificia, & alia id genus inania, ad ſanandum, conferre aliquid, ſibi quis perſuaſum habeat.* Hæc ille, ſapienter non minus & acute, quam confidenter, &, ut videtur quidem, forſan etiam ſolide. Quis igitur hic juſtam ferat ſententiam, niſi experientia ipſa, & quidem longa & ſolertiſſime explorata? Ego certe hic ἐπέχω.

CAPUT IX.

DE GUMMI ET RESINIS.

AMMONIACUM Gummi, *la Gomme Ammoniaque*, Ammoniac. Eſt concretum gummoſum & reſinoſum, ex magna quadam planta ferulacea guttatim exſtillans. Adfertur ex India orientali, atque Aegypto. Nomen accepiſſe fertur a Jove Hammone, quia circa Templum Jovis Hammonis in Lybia, copioſe olim hæc planta gummifera nata & obſervata fuit. De *Gummi Ammoniaco* Veterum vid. plura apud SALMASIUM, de *Homonym. Hyl. Jatr.* Cap. CXI. p. 189. ſqq. Quod Olibani inſtar granulatum, condenſatum, & ab arena, quisquiliisque quibusvis probe liberatum eſt; externe flavum, interne candidum adparet; odorem gravem, ex Caſtoreo & Allio mixtum ſpargit; ſaporem amarum, paululumque acrem prodit, & denique contrectando inter digitos molleſcit, eligendum eſt. Vid. plura apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. pag. 602. ſqq. & CARTHEUSER, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 29. p. 238. ſqq. & imprimis ZORN. pag. 57. ſqq. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 532. ſqq. *Vim emollientem, reſolventem, digerentem & maturantem poſſidet; alvum movet, & tam interne, quam externe cum ſucceſſu adhibetur.*

ANIMI & Animæ, anime, rectius tamen *Gummi Aminæ*, vel *Aminnæ*, ſcribendum eſſe, multis oſtendere ſtudet *Ol.* BORRICHIUS, Tractat. de *Lingua Pharmacop. la Gomme Animé.* Eſt reſina arida, friabilis, parumper transparens, externe albeſcens, interne palleſcens, ſaporemque terebinthinaceum patefaciens. Adfertur in fruſtis diverſæ magnitudinis. Hoc gummi, ſi accendatur, totum deflagran-

do conſumitur, & odorem fragrantem ſpargit, ob hancque cauſam gummi animæ dici, creditur. Arbor in nova Hiſpania & Braſilia naſcitur, & ab incolis *Jetaiba*, a Botanicis vero *Lebus peregrinus cartilaginoſus*, *phaſeolo nigro*, *puniceo annulo cincto*, vel *arbor ſiliquoſa animifera Braſiliana*, & a PLUMIER, *Courbaril bifolia*, *flore pyramidali*, vocatur. Dividitur vero in Orientale & Occidentale; Hoc ex Virginia, Nova Hiſpania, & Braſilia adfertur, uti modo dictum eſt; illud autem, Orientale nimirum, quod Occidentali pellucidius atque candidius reperitur, vel quandoque etiam loco coloris albicantis, ruſeſcentem obtinet, in Aethiopia, ex arbore, occidentali animiferæ analoga, effluit, rariuſque, quam præcedens, ad nos defertur. Verba ſunt Cl. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect XII. cap. 32. p. 258. ſq. Vid. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 512. ſqq. ubi plura. *Reſolvit*, *attenuat*, *nervosque roborat*. *Externus eſt uſus: adhibetur in Emplaſtris*, *contra capitis atque nervorum adfectus*. Vid. ZORN. *Botanol.* pag. 69. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 454. vernices quoque ingreditur.

ARABICUM officinale, Gummi, Senegal, Senica, *la Gomme Arabique*, Arabiſch Gummi, Dinten Gummi. Eſt ſubſtantia gummoſa, pellucida, pallida, quæ plane nullum ſpargit odorem, & fatuum ac viſcoſum ſaporem prodit. In globis, magnitudinem ovi columbini æquantibus, externe ſcabris, interne vero pellucidis claris, ex Guinea Africana ad nos transfertur. Perhibente RAJO, *Hiſt. Plant.* deſtillat ex arbore, quæ *Acacia Indica Farneſiana Ald.* dicitur. Gummi Arabicum verum, inciſo frutice, ex *Acacia Aegyptiaca*, *foliis Scorpioidis*, *flore luteo*, *ac ſiliquis albis compreſſis*, vermiculatum exſtillat, & vix unquam ad nos transmigrat. Cum eo vero virtutibus convenit gummi *Senegal*, quod purius eſt, copioſius occurrit, & pretio minori comparari poteſt; ſine diſpendio igitur, vero illo Gummi Arabico carere poſſumus. Eligatur purum, candidum, & pellucidum. *Acremoniam lympha temperat*, *leniterque adſtringit*. Vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XV. cap. 7. p. 565. ſqq. & ZORN. p. 12.

ASA dulcis, Benzoin, Benzoinum; Benzoë, *le Benjoin*, Benzoe, Wohlriechender Aſant. Eſt reſina arida & indurata, ex variis fruſtulis, diverſorum colorum, in maſſam coacta, quæ ſuavem odorem, & acrem reſinoſum ſaporem prodit. Arbor, quæ Benzoin largitur, non ſolum in regnis Sumatra & Java, pariter in Siamenſi & Martabano naſcitur, ſed etiam in America, a BOERHAAVIO, ſub nomine arboris *Virginianæ Benzoiniferæ*, Citri vel Limonii folio notatur, *in Indice altero majore Plantarum Horti Academici Leidenſis*, Part. II. p. 259. Egregiam vero ejus formam plenius deſcribit αὐτόπτης GRIMMIUS, in *Miſcell. Acad. Nat. Cur. Germ.* Dec. II. Ann. 2. Obſ. 152. & *Arent.* SYLVIUS, apud VALENTIN. in *India Litt.* Epiſt. 31. p. 487. ſqq. Ex uno caliculo quadrifolio oriuntur floſculi tres, ad eundem ortum, qui ſinguli conſtant uno tubulo longiore, ſuperius expanſo in tumidum caput, quod in octo ſegmenta profunde diffinditur; intra hæc ſegmenta, adparent ſtamina brevia teſticulata, & in medio tubo floris ovarium, quod longa tuba inſtructum eſt; ſed omnia hæcci-

hæccine quam minutula ſunt. Vocatur quoque a LINNAEO, in *Horto Cliffort. Laurus, foliis enervibus obverſe ovatis*, utrinque acutis, integris, annuisque. Hæc arbor, ſi inciſione vulneretur, Benzoin hoc exſtillando largitur. Optimum cenſetur, quod *Amygdaloides* nuncupatur, & maculis candidis, Amygdalarum inſtar, notatum, nec aliis heterogeneis rebus, ac inquinamentis adulteratum eſt, odoremque ſuaviſſimum exſpirat. *Vim calefacientem*, incidentem, *attenuantem, & pnevmonicam poſſidet, tuſſi, aſtmati, & catarrhis conducit; præſertim vero ad ſuffimenta adhibetur.* Vid. poſt plures alios, CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 34. p. 267. ſqq. & imprimis ZORN. *Botanolog.* p. 93.

ASA fœtida, Laſer fœtidum, Syriacum, *l'Aſſa fœtida*, ſtinckender Aſant, Teufels-Dreck. Eſt concretum gummoſum & pauculum reſinoſum, quod ex albeſcentibus, flaveſcentibus, interdum quoque roſeis grumis, invicem commixtis, conſtat. Planta, ex qua promanat, *Hingiſch*, vocatur, & eſt umbellifera, Leviſtico affinis, foliis Pæoniæ inſtar, ramoſis, caule maximo, pleno, ſemine ſolitario, nudo, foliaceo, Paſtinacæ, vel Brancæ Urſinæ ſimili. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 611. ſqq. Ubi copioſe tractat de Silphio, ſeu Laſerpitio, & ipſa Aſa fœtida, nempe poſt KÆMPFERUM, qui omnium accuratiſſime, de utroque egit, in *Amœnit. Exot.* Faſcic. III. Obſervat. 5. p. 535. ſqq. & ex eo Cl. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 30. p. 248. ſqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 396. ſq. Multis quoque ex veterum mente, de Laſerpitio & Aſa fœtida ac dulci, in utramque partem, diſputat SALMASIUS, *Exercit. Plin.* p. 244. ſqq. & p. 255. ſqq. & p. 720. ſqq. præſertim vero de *Homonym. Hyles Jatric.* cap. 96. p. 144. ſqq. copioſiſſime. Sola Perſia, hujus plantæ patria eſt. Quæ in deſerto circa *Heraatum*, & montibus vicinis naſcitur, præ ceteris omnibus, liquore abundat, quem non per caules, nec ſua ſponte, ſed per radicem inciſione vulneratam emittit. Hæc radix magna, ponderoſa, nuda, externe nigra, præcipue vero longævitate clara eſt; ſi quadriennio junior ſit, parum lacteſcit, & nunquam incidendo vulneratur; quo annoſior vero ac major exiſtat, eo copioſius liquorem ſuum ſauciata effundit. Latex primum ex vulnere limpidus & pinguis promanat, ac lactis florem ſimulat; ſed ſi aëri & radiis ſolaribus exponatur, lenteſcit, ac colore ſubfuſco amicitur. Ex nimio fœtore, qui allii odorem proxime accedit, & mordaci acri ſapore, virtutis notas, hujus Aſæ fœtidæ, intelligitur. *Interne rarius adhibetur, niſi in torminibus calicis, & hydrope præſertim tympanite, de quibus affectibus, ceu ſpecificum ammandatur.* Vid. KÆMPFER. *Amœnit. Exot. loc. cit.* p. 543. *Communiter uterinis affectibus opponitur, & quoque antimagicum habetur, ac veneficiis obſtare creditur.* Vid. plura de Aſæ fœtidæ virtutibus internis & externis, apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. pag. 621. & CARTHEUSER *Fund. Mat. Med.* loc. cit. p. 251. ſqq. & ZORN. p. 94. ſq. *Externe contra languores nervorum, uteri, & lienis, in emplaſtris commendatur & adhiberi ſolet.* Vid. infra, Part. II. ſuo loco, *Emplaſtrum fœtidum Minſichti.*

ASPHALTUM, vide Marina.

BDELLIUM, *le Bdellium*, Gummi Bdellium. Lacrymæ arboris cujusdam, non ſatis hucusque cognitæ, nomine Bdellii inſignitur. Arbor ipſa in Guinea, Arabia, Media, & India naſcitur. Multus præcipue eſt in dirimenda hac lite, de differentia Bdellii Veterum & Recentiorum, SALMASIUS, de *Homonym. Hyles Jatric.* Cap. 109. p. 179. ſqq. Naſci quoque in America arborem *Bdelliferam*, foliis quernis, ſpinis geminatis, ad ortum ſingulorum foliorum, exaſperatam, non nulli perhibent. *Cl.* ROYEN *ex Pluken. Arborem Bdelliferam, lacteſcenten aculeatam, foliis quernis*, deſcribendo nominat. In guttas, ſive grana, hoc Bdellium concretum eſt, colore ferrugineo nigricante adparet, atque ſaporem & odorem myrrhinum prodit. Præferri & eligi ſolet, id, quod amarum, pellucidum, pingue & probe odorum eſt. *Cum Myrrha coincidit. Ad emplaſtra nunnulla adhibetur, & Confectioni Mithridatii etiam intermiſceri ſolet.* Vid plura apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 622. ſqq. & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. p. 243. item ZORN. p. 120.

CAMPHORA, Caphura, *le Camphre*, Campher, Kampfer, Kapfer. Eſt ſubſtantia reſinoſa, vel potius oleum deſtillatum ſolidum, candidiſſimum, acre, amaricans; & graviter moleſteque aromata quaſi redolens; quæ HOFFMANNI fere eſt ſententia, in *Obſ. Chem.* 13. Lib. I. p. 50. & CARTHEUSERI, in *Pharmacolog.* pag. 123. ut & in *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 27. ubi perquam accurata Camphoræ deſcriptio habetur, ipſe GEOFFROY autem nihil hic definit. Camphora, quæ in noſtris officinis venalis proſtat ex Japonia advehitur, & colligendo adquiritur ex *Lauro*, foliis *ovatis, utrinque acuminatis, trinervis, nitidis, petiolis laxis* Linnæi, vel *arbore camphorifera, foliis laurinis, fructu parvo, globoſo, calyce breviſſimo.* Vid. hac de re plura, apud KÆMPFERUM, in *Amœnit. Exot* Faſcic. V. Claſſ. I. pag. 770 ſqq & in *Deſcriptione Japoniæ*, Part. I. Cap. 9. p. 128. item BREYNII, *Cent. Exotic. Plant.* Part. II. ex Ten RHYNE, Obſ. de *Camphora*; & *Arenr.* SYLVII deſcript. apud VALENTIN. in *Ind.* Litt. Epiſt. 32. p. 488. ut & RUMPHII in *Auctuar. Herbar. Ambin.* Folia hujus arboris, alternatim poſita ſunt, perpetuoque virent; flores, ex foliorum ſede protuberantes, hexapetali, atque albentes adparent; fructus, ſive bacca atro-purpurea calyci concavo inſidet, pericarpio molli, ſaporem Camphorato-Caryophyllaceum exprimente, prædita eſt, & nucleum bifidum, calloſum, durum ac pinguem, corticeque fragili obductum, complectitur. Extractio Camphoræ per ruſticos, in provincia *Sazuma* & in inſulis *Gotho*, peragitur. Radices & ligna hujus arboris, in ſegmina & feſtucas fiſſa ac diminuta, cum aqua ſuperfuſa, in veſica ferrea, ſuperimpoſito, & ſtramine impleto alembico, coquunt, & deinde camphoram ſublimatam, ſtramini adhærentem avellunt, ulterius purificant, & tandem, perhibente KÜNSTIO, in *Act. Phyſ. Med.* Vol. V. in vitro probe occluſo, igne miti liquefaciunt, ac igne remoto, iterum congelare patiuntur, ut formam vitri orbicularem nanciſcatur. *Camphora Borneenſis*, optima ducitur; nativa namque eſt, & ſine ulla deſtillatione, ex nudo arboris trunco eruitur, ſed patriæ fines nunquam tranſcendit, quia ipſis incolis grata eſt, & pretioſa habetur. Vid. SALMAS. *Homonym. Hyl. Jatric.* Cap. 110. p. 182. ubi & in ſequentibus plura de Camphora Veterum & Recen-

tiorum. Præter hanc arborem Camphoriferam, aliæ quoque plantæ complures occurrunt, quæ Camphoram elargiuntur. Radices arboris Cinnamomi, magnam Camphoræ quantitatem, deſtillando emittunt; Zedoaria quoque deſtillando, camphoræ aliquid prodit, ſed parumper. Vid. BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. I. Proceſſ. 26. p. 98. & *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 601. Camphora, quæ ſine maculis candidiſſima, & glaciei inſtar pellucida adparet, & accenſa ipſis in undis flagrat, ac deflagrando tota conſumitur, ſeligenda & adoptanda eſt. *Calida, anodyna, & alexipharmaca eſt.* Creditur quoque vulgo, eſſe antaphrodiſiacum remedium; ſed vid. contra obſervatio ſingularis PAULLINI, de *Vano Camphoræ ad extinguendam Venerem, Uſu, in Ephemer. Acad. Nat. Curioſ.* Ann. III. No. 235. Conf. & *Tim.* a *Güldenklee, River. Rivin.* & alios. *Tam interne, quam externe in uſum adhibetur. Interne a grano uno, uſque ad tria dari ſolet. Plerumque cum nitro, & abſorbentibus vel bezoardicis commiſcetur. Celeb. Frid.* HOFFMANNUS, *Camphoram, cum* Balſamo de Copaiva, *commixtam, gonorrhœæ; & cum* Tincturis croci, ſuccini, & Cort. aurantiorum, *menſtruis ſuppreſſis, opponere ammandavit.* Ceterum de mira *Camphoræ Natura*, mirisque in arte medendi, effectibus, vid. *Gothofr.* MOEBII, *Anatomia Camphoræ*, item *Ludov.* GRAVII, Epiſtola de *Camphoræ Qualitatibus*, item *Joh. Fr.* GRONOVII, *Hiſtoria Camphoræ*, ut & WEDELII, MEISNERI, ALBERTI, GERIKII, HÆNELII, HEUCHERI, JUCHII, NEUMANNI, & SCHULZII, Diſſertationes de *Camphora*; noviſſime autem *Cl. Balthaſ. Ludov.* TRALLES, Exercitatio, de *Virtute Camphoræ refrigerante*, lectu omnino digna. Add. BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. I. Part. I. Proceſſ. 66. p. 214. ſqq. & imprimis HOFFMANNI, *Obſ. Chym.* XIII. Lib. I. pag. 48. ſqq. item Diſſertat. de *Interno Camphoræ, Uſu*; Conf. *Cl.* BÜCHNERI *Fund. Mat. Med.* p. 601. ſqq. & imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 520. ſqq. item CARTHEUSER. *Rud. Mat. Med.* pag. 325. & Diſſert. de *Refrigerantibus* præcipie autem in *Fund. Mat. Med.* loc. cit. Part. II. p. 208. ſqq. omnium vero diligentiſſime & copioſiſſime de Camphora egit: ZORN. *Botanolog.* pag. 156. ſqq. & LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 161. ſqq.

CANCAMUM quid ſit, plane adhuc incognitum eſt. Alii *Laccam*; alii *Benzoin*; alii *Gummi Anime*, pro Cancamo habent. De hac differentia & controverſia, pluribus late diſputat SALMASIUS, de *Homonym. Hyles Jatricæ*, cap. 93. p. 138. ſqq. item *Joh. Bodæus* a STAPPEL, ad THEOPHRASTI, *Hiſt. Plant.* Lib. VII. pag. 836. ſqq. vid. & VALENTINI, *Hiſt. Simpl. reform.* Lib. II. Sect. VI. cap. 5. pag 254. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 512. & ZORN. p. 69 Ubi in compoſitionibus veterum, hujus Cancami mentio fit, plurimi, *Gummi Animæ*, iſthoc ſubſtituendum eſſe, ſuadent.

CARANNA. *La gomme caragne.* Eſt reſina dura, tenax, & ſi recens ſit, picis inſtar ductilis; ſi vero inveterata, & ſitu quaſi corrupta, fragilis; colore viridi nigricante claret; ac ſapore ingrato, amaroque, nec non odore fragrante, prædita, occurrit, præſertim ſi igni admoveatur. In fruſtis cylindraceis, foliisque junceis invo-

luta, ex nova Hiſpania adfertur. Arbor, quæ hanc reſinam exſudat, *Caragua* vocatur, item *Arbor Inſania*, & lingua patria *Quahuitl*. Illi folia oleaginea, in formam crucis, aptata; & fructus, ſive baccæ oblongæ, quaternæ, adſcribuntur. *Vi calefaciente, & reſolvente, hac reſina potitur, & externe in emplaſtris uſurpatur.* Vid. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 31. p. 258. item *Valentini, Hermann.* & alios, laudatos a ZORNIO, pag. 165. add. LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 458. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II p. 530.

CERASORUM Gummi, *Gomme des Ceriſiers*, Kirſchen-Harz, Kirſchen-Gummi. *Totum in aqua diſſolvitur, & cum Senica, vel Gummi Arabico, coincidit, ac defectu illius, in uſum vocari poteſt.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 289. & ZORN. *Botanolog* p. 188.

COLOPHONIA, *la Colophone*, Spiegelharz, Geigenharz, Colophonium. Eſt pix ſive reſina abiegna, quæ lento igne, ad ſuam conſiſtentiam friabilem, & colorem cogitur. Fit quoque ex reſiduo olei Terebinthinæ. Ab urbe Colophone, in Jonia, ubi olim parabatur, nomen accepit, & reſina, vel pix Colophonia dicta eſt, & noſtro adhuc ævo pix græca dicitur. *Fumus hujus picis ad teneſmum, prolapſum ani, & procidentiam uteri commendatur, emplaſtriſque intermiſcetur. Vim ſiccantem, & roborantem poſſidet.* Vid. ZORN. p. 2. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 504.

COPAL, Pancopal, *la Gomme Copal*, Gummi-Copal. Eſt reſina duriuſcula, pellucida, albo-flaveſcens, & ſi prunis candentibus inſpergatur, fragrans. Dicitur a nonnullis Succinum vegetabile. Arborem, ex qua Copal ſponte deſtillat, conſimilem eſſe Populo nigro, & in Antillinis inſulis copioſe naſci, nonnullorum traditio eſt. A recentioribus Botanicis, RAJO, PLUCKENET, & *Clayton*, nuncupatur: *Arbor reſinoſam Copal fundens, Rhus* vel *Sumach Virginiana. Jonſton*, viginti ſpecies arborum Copal proferentium, enarrat. Hæc reſina Copal ex ſuis arboribus defluens, ſæpiſſime a vehementioribus imbribus, ad fluviorum ripas devolvitur; & cum ſpeciem ſuccini, obiter intuentibus, referat, inde forſitan factum eſt, ut ſuccini vegetabilis nuncupatione, inſignita fuerit. Americani omnes ferme reſinas pellucentes, *Copal* nominare ſolent, teſtibus *Guil.* PISONE, in *Hiſt. Natural. Braſiliæ;* HERNANDEZ, in rerum *novæ Hiſpaniæ Hiſtoria*, aliiſque. Copal ſua ſubſtantia non mere reſinoſum eſt, ſed etiam gummoſi aliquid tenet, unde difficillime diſſolvitur. *Rariſſime, vel nunquam in uſum medicum adhibetur, niſi ad ſuffimenta. Frequentiſſime laccarum & vernicum confectioni, intermiſcetur, ſed certam atque peculiarem ſolvendi methodum depoſcit.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 515. ſq.

ELEMI, *la Gomme Elémi*, wild Oelbaum-Harz. Eſt reſina ſemipellucida, pinguis, ex colore flavo albeſcente, ad viridem inclinas, in maſſam coacta, foliis arundinaceis involuta, odoreque ſuavi, vinoſo prædita. Ex America, præſertim Braſilia & nova Hiſpania advehitur. Folia arboris Elemiferæ, pinnata, petiolis longis, ac penta-

phyllis inſtructa, perpetuoque virentia adparent; floſculi ſunt tetrapetali, & verticillati; Fructus purpureus, pyriformis, minor. Arbor hæc, quæ Gummi, vel potius reſinam Elemi, effundit, ab *Illuſtr.* LINNEO, in *Horto Cliffort.* dicitur: *Elemifera foliis ternatis; a Cl. van Royen, Frutex trifolius reſinoſus, floribus tetrapetalis albis, racemoſis; & a Chabræo, Lentiſcus Peruviana.* Alia quoque arbor, etiamſi ab hac diverſa ſit, tamen a *Cl.* BREYN. *Prodrom.* II. appellatur *Elemi* arbor ex *Surinama*, *myrti laureæ foliis;* ſed reſina hujus, non pro vero, ſed ſpurio *Elemi* agnoſcitur; Id ciro *Gummi Chibou*, *la Gomme Chibou*, in *Codice* Pariſienſi *Pharmacevtico*, fol. 47. nuncupatur; a GRIMIO vero, in *Laborator. Cylonico* p. 108. vocatur potius *Kakuna Ghaba*. RAJUS in *Hiſt. Plant.* locum adducit ex BACCIO, de *Vinis apulis*, ubi Elemi, ex olea arbore vetuſta, exſudaſſe mentio ſit. Hæc forſitan *Baccii* obſervatio, anſam præbuit, ut reſina Elemi, noſtro vernaculo idiomate, ſalutatum ſit: Wild Oelbaum-Gummi. Purum, odorum & pingue ſit, quod eligas. *Digerit, reſolvit, calefacit, & in vulneribus partium nervearum ac membranoſarum, cum bono ſucceſſu adhiberi poteſt. Uſurpatur in Balſamis vulnerariis, atque Emplaſtris.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med* Tom. II. p. 531. ſqq. CARTHEUSER. *Fundam. Mat. Med.* Part. II. pag. 259. item ZORN. pag. 274. & LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 535.

EUPHORBIUM, *l'Euphorbe*, Euphorbium, ein ſcharffes Gummi. Eſt ſubſtantia gummoſa, quæ in guttis, ſive granis palleſcentibus conſiſtit, & ſaporem nauſeoſum, acrem atque urentem prodit, odorem vero nullum. Colligitur ex planta Euphorbii, quam caules craſſiores, ſpinis validioribus armati ſuffulciunt, qui in ſuis apicibus flores Tithymali tetrapetaloides protrudunt. Naſcitur in regionibus Indiæ orientalis, etiam in Mauritania; unde *Tithymalus, Mauritanicus, Aphyllus anguloſus, ſpinoſus*, dicitur a BOERHAAVIO, in *Indice majore Plantar. Hort. Leidenſ.* Part. I. p. 258. Si hæc planta inciſione vulneretur, ſuccum ſuum lacteſcentem emittit, qui radiis ſolaribus condenſatur. Quod albicans eſt, & in granis majoribus conſiſtit, eligatur. *Vi exurente, ac inflammatoria pollet. Humores viſcidos vehementiſſime fundit, atque educit, hinc nulli niſi hydropico fortiori exhiberi fas eſt. Hujus Euphorbii vehementia,* ſucco citri, aliisque acidis corrigitur. Vid. infra Part. II. *Euphorbii correctio.* & HERMANNI, *Cynoſur. Mat. Med.* Part. I. Cap. 8. p 681. & WEDELII, *Amœnit. Mat. Med.* Lib. II. Cap. 4. p. 241. *Externe cariei oſſium conficiendæ opponitur,* quod multis egregie oſtendit HILDAN. Obſ. 92. Cent. II. p. 378. ſqq. Violentiſſimum & virulentiſſimum *Euphorbium*, nec magno Rege inventore, nec clari in arte Medici *Euphorbi* nomine dignum, (ut vulgo quidem traditur, de quo tamen adhuc valde dubitat SALMASIUS, Prolegom. ad *Hyl. Jatricam*, p. 4. ſq.) Ob horribiles metuendosque, quas vel parciſſima doſi, intus ſumtum, edere ſolet effectus, rectius forte εὐφοβερὸν, ſeu ἐπιφοβερὸν, vocandum, atque hinc e penu pharmacevtica prorſus eliminandum, ſuos tamen, quis obſecro credat? ſuos tamen, inquam invenit etiam laudatores ac defenſores, qui illud pro ſummæ efficaciæ remedio, in morbis atrociſſimis & fere deploratis, piget fateri, commendarent, veluti *Quercetanum, Rolfincium, Wirthium, Maſſam, Helmontium, Sylvium, Alexium Pedemontanum,* aliosque, præſertim vero magnum GESNERUM, qui ſuam Antidoton an-

tilœmicam ex diro Euphorbio potiſſimum parabat, *Epiſt. Med.* Lib.I. p.15. & p.30. ſeqq. quæ tamen ipſa ſic nova quaſi antidoto indigere videbatur, hoc enim revera eſt *κακὸν κακῷ ἰᾶσθαι, καὶ πῦρ ἐπὶ πυρὶ διδόναι*, ut Græci ſcite dicunt, quos omnes vehementer laudat, & citatiſſimo greſſu, ut ſolet, ſequitur *φιλοφάρμακος* ille FRICCIUS, Tract. de *Virtute Venenorum medica.* Cap. VII. Sed ſolertiore experientia meliora in contrarium, edocti, merito hic acerrime obnituntur, *Zwelfferus*, *Hoffmannus*, *Heerius*, *Wedelius*, *Timæus*, *Simon Paulli*, *Cartheuſerus*, *Büchnerus*, & ut alios plures jam taceam, laudatos jam ingenti copia, a ZORNIO, in *Botanol.* p.292. ſq. imprimis *Dan.* LUDOVICI, qui Euphorbium, in *Pharmac. Diſſert.* I. p. 116. merito vocat, ringente licet fruſtra FRICCIO, *remedium violentiſſimum & ſemivirulentum* (imo rectius, totum quantum virulentum) *quod Medicum*, hac quidem cultiore tempeſtate, *vix amplius deceat*; quare, vere ita cenſente *Hoffmanno*, in *Clariſ.* SCHROED. *Pharm.* Lib.II. Cap.73. digniſſimum ſit, quod ob vim deleteriam, colliquativam, & cauſticam, penitus ex foro Medico & Pharmacevtico in exilium proſcribatur, præſertim, quum nec per acida, nec per oleoſa. aliave adjecta mitiora remedia, ita penitus corrigi poſſit, ut malignam ſuam indolem innatam exuat, quin potius, vel poſt crebram correctionem, ad ſævum ſuum ingenium proterve redux, ſemper incorrectum & intractabile maneat. Namque æthiops nunquam albeſcit, nec atra nox in candidum diem convertitur, ut vulgo dicitur. Eſt enim nimis acre, & hinc nunquam interne adhibendum, niſi pro Equis, acute & facete ſic judicante ſummo BOERHAAVIO, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 340. qui tamen mox ibidem, ipſi uſum externum in variis linimentis & unguentis recte haud abjudicat, quod & pari modo, *Schrœderus*, ibique *Ettmüllerus*, *Scultetus*, *Cartheuſerus*, *Büchnerus*, *Wekerus*, & alii allegati diligenter a laudato *Zornio*, probe fecerunt. Interne vero ſumtum Euphorbium, ſemper eſt nec εὐφορβον, nec εὔφορον, ſed potius δυσφορον, imo ſæpiſſime θανατηφόρον. Conf. Ephem. Germ. Ann. 1. Obſ. 34. ubi plura de Euphorbio. item *Tim.* a GÜLDENKLEE, *Caſ. Med.* 7. Lib. VII. p.313. & HILDAN. Obſ. 92. Cent. II. WEDEL. *Amœnit. Mat. Med.* p.241. & imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. p. 629. ſqq. item ZORN. *loc. cit.*

GALBANUM Gummi, *le Galbanum*, Galban, Mutter-Gummi. Eſt ſuccus gummoſus, in grumos condenſatus, paucioribusque particulis reſinoſis permixtus, qui colore flaveſcente, ſubfuſco, comparet, ſaporem amaricantem acrem prodit, atque odorem graviorem longe lateque diſſeminat. Carpitur ex *Ferula*, *Syriaca*, *Galbanifera*, *fruticoſa*, foliolis pinnatifidis, pinnis linearibus, planis, trifidis, ſemperque virentibus. Radices hujus plantæ multum lacteſcunt, ſuccoque exuberant; caules fungoſi ſunt, & medulla repleti; flores & ſemina, ſub umbella, ovata, tenuia, perampla, & ſi matura ſint, plerumque nigra adparent. Hæc planta a TOURNEFORTIO Tom. I. *Itinerar.* Epiſt. VI. p. 292. & *Inſtitut. Rei Herb* 319. vocatur: *Oreoſolinum Africanum Galbaniferum*. Vid. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 631. ſq. his a *Rajo* hæc verba adduntur: *Frutescens aniſi foliis*. *Tournefortius*, quem modo allegavimus, plantam deſcribit: *foliis aniſi ſimilibus, longioribus tamen, & magis inciſis*. Addit *flores luteos*, *ſemina plana*, *orbicularia*, quibus hæc planta ſe diſtinguit a *Ferula*. Tota planta ſucco

lacteo gummoſo turget, quem partim ſponte, partem inciſionibus vulnerata emittit; & ſi hic ſuccus a ſolis radiis in grana coaguletur, optimum præbet Galbanum. Advehitur ex regionibus orientalibus, Arabia, Syria, & notiſſimo Africæ promontorio Bonæ ſpei. Galbanum, quod in granis ſive lachrymis conſiſtit, & colore flaveſcente vel rufo adparet, eligendum eſt. *Vim emollientem, & maturantem exerit; ad menſes ciendos, aliosque uterinos adfectus adhibetur, & præſertim emplaſtris intermiſceri ſolet.* Vid. plura de Galbani natura & virtutibus, apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 631. ſeqq. & BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 105. item CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 29. p. 240. ſqq. & imprimis ZORN, p. 298. ſq.

GUAJACUM, *la Gomme ou Réſine de Gayac*, Franzoſenholz-Gummi. Eſt ſubſtantia gummoſa reſinoſa, friabilis, quæ colore virideſcente fuſco incedit, & ſaporem acrem prodit, ſed nullum ferme odorem diſpergit, niſi prunis candentibus injiciatur, ubi non ingrate fragrat. Hoc Gummi nativum eſt, & ex eadem arbore, qua lignum Guajacum exciditur, demanat; hinc plane diverſum eſt a Reſina, quæ ex ligno Guajaco, ope Spiritus Vini elicitur. Illud eligendum eſt, quod in minutioribus fruſtis adfertur, & corticibus Guajaci adhæret. *Vim incidentem, reſolventem & attenuantem exerit, & in adfectibus catarrhalibus, Lue venerea, gonorrhœa, & ſcabie maligna, in forma pilulari, cum extractis appropriatis exhiberi poteſt, & ſolet, a granis quatuor, ad octo. Reſina Quajaci eaſdem virtutes poſſidet, iisdem adfectibus opponitur, eademque doſi porrigitur.*

GUMMI Gutta, Gutta Gamba, Gutta Gambodia, Gutta & Gitta Gemu, Gummi de Goa, Gummi de Peru, Gamandræ, *la Gomme gutte*, Gummi-Gut. Vid. GEOFFROY, Tom. II. *Mat. Med.* Sect. I. Cap. VIII. Art. III. pag. 679. ſeqq. & GRIM, *Laborat. Ceylon.* p. 105. ſeq. item LINNAEI, *Hort. Zeylon.* Claſſ. XIII. 195. p. 87. Eſt ſuccus gummoſus, parum reſinoſus, inſpiſſatus & flavus, quem ſuppeditat arbor illa Malabarica *Caddampulli*, ſive, ut RHEEDEUS ſcribit, *Coddompulli*, pomifera, foliis conjugatis binis, floribus tetrapetalis, in ſummis ſurculis fructu mali Aurei æmula. Hic ſuccus flaveſcens, qui ex trunco inciſionibus vulnerato demanat, colligitur, & aqua pluviali, quantum ſatis eſt, a fecibus expurgatur, probeque liberatus, igne mitiſſimo, ne nigreſcat, condenſatur. Maſſa condenſata, in formam cylindraceam, cerei inſtar, contorta, ad nos ex Malabaria, tranſmittitur. Gummi gutta, purum & a fecibus probe liberatum ſit, coloreque aureo adpareat, quod eligas. *Acre eſt, valdeque per ſuperiora & inferiora purgat; Hydropicis, & phlegmaticis a granis octo ad decem porrigitur; pictoribus vero plurimum conducit.* Vid. huc LOTICHII Diſcurſus de *Gummi Gutta, laxativo Indico.* Sed modice laudatus WEDELIO, in *Amœnit. Mat. Med.* Lib. II. Sect. I. cap. 5. p. 253. cui proinde merito præfertur CASTELLI Tractatus de *Gutta Gambodia.* De quo tamen ſucco peregrino, etiam exactius ſcripſit *Jac.* BONTIUS, Lib. VI. *Hiſt. Nat.* & *Med. Ind.* Cap. 57. p. 153. ſeqq. ubi & mirum plane in modum ſingulares & pene innumeras ſucci illius flavi dotes ac virtutes medicas prædicat & extollit, quod &, licet aliquanto parcius, tamen & adhuc, plus, quam par erat, fecit, quod equidem vehementer miror, *Dan.* LUDOVICI, in *Pharmacia hodierno ſæculo applic.* Diſſ. I.

p. 115. item *Vitus*, RIEDLINUS, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Maj. Obſ. 18. p. 141. ſq. ut & *Joh. Bapt.* SITONUS, in *Miſcellan. Med. Curioſ.* Tract. III. p. 16. ſq. ubi tamen ſimul & damna & pericula inde ſæpe metuenda, candide indicat. Pertinet enim hicce lacteus Eſulæ Indicæ ſuccus flaveſcens (nihil enim aliud eſt Gummi Gutta) ad vehementiſſima & atrociſſima remedia, quæ niſi parciſſime & ſumma circumſpectione, adhibeantur, & ſanitatem, & vitam adeo ipſam in ineluctabile damnum ac periculum conjicere poſſunt; pro ut multa luctuoſiſſima ea de re paſſim proſtant exempla, & nobiſmet ipſis nota ſunt; conf. *Miſc. Nat. Curioſ.* Dec. I. Ann. VIII. Obſ. 82. & HOFFMANNI, *Med. Conſult.* Cent. I. Sect. II. Caſ. 93. p. 432. ſeqq. item Ejusd. Diſſert. de *Purgant. fortioribus e praxi Med. ejicienda, & Med. Rat. Syſtem.* Tom. II. Part. II. Cap. 5. p. 248. ſeqq. Add. *Act. Med. Hafn.* Vol. I. Obſ. 88. p. 172. & *Cl.* BÜCHNERI, *Fund. Mat. Med.* p. 658. item GEOFFROY, Tom. II. *Mat. Med.* Cap. VIII. Sect. I. Art. III. p. 684. ſqq. PAULLINI, *Obſ. Med.* 89. Cent. IV. p. 511. & SITON. *loco ſupra citato*, præcipue DUTTEL. de *virulenta purgantium indole*, Cap. I. HECQUET. de *Abuſu Purgant.* & dudum PECHLIN. de *Purgantibus*. Item VALENTINI *Hiſt. Simpl. Reform.* Lib. II. Sect. VI. Cap. 12. p. 265. & quæ olim *Reudenius*, & *Hochſtetterus* in utramque partem ſtrenue diſputarunt. Redeat ergo potius ad ſuos Indos, aureum hoc, ſed ſuſpectum & doloſum donum, a quibus venerat; ſub hoc enim Auro liquido, Venenum, imo ſæpius mors ipſa, bibitur; Barbaraque hæc Eſula nobis, ob ingratum ac nauſeoſum ſaporem, nec jucundum præbet eſum, nec ſecurum uſum. Licet enim hoc Remedium, quod non negamus, valentiſſimum ſit Hydragogum, quod inertes Hydropicorum aquas fortiter expellit; tamen plerumque ſimul eſt violentum pſychagogum, quod non ſolum aquam, ſed ipſam quoque animam una ſedibus ſuis exturbat, & ad inferos ſubito deducit. Conf. *Cl.* CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. X. Cap. II. p. 560. item *Cl.* LOESEKE, *Mat. Med.* p. 71. & p. 120. præſertim vero ZORNII, *Botanolog.* p. 339. ſeq. ubi ingentem variorum auctorum nubem producit, qui *Gummi Gutta uſum* partim impugnarunt, partim vero propugnarunt. Sed præſtat & ſecurius eſt, in acie priorum potius ſtare, quam poſteriorum. Nam Gutta hæc lapidem quaſi non ſenſim ac blande cavat, ſed ſubito potius findit atque confringit, & ſibi vi viam facit, ſi ita quidem hic verbis ludere liceat.

HEDERÆ Gummi, *la Gomme de Lierre*, Epheu-Gummi. Eſt lachryma Hederæ arboreſcentis, quæ vel ſua ſponte, vel ex trunco inciſione vulnerato exſtillat, & poſt exſtillationem in ſubſtantiam aridam, reſplendeſcentem, fuſcam, & plerumque ferme nigram abit, ſaporemque cauſticum, acrem, adſtringentem prodit. Adfertur ex regionibus calidioribus. *Vim reſolventem, attenuantem, urinam & ſudorem moventem poſſidet, & cum extractis combinatum, in forma pilulari exhibetur.*

JUNIPERI, vide SANDARACH.

LACCÆ Gummi, Lacca Arabum, Cajulacca, Lachetta, Chermes Arabum, *la Gomme Lacque en grain, en bâton, en oreilles, en tablettes*, Gummi-Lacc. Eſt

reſina

reſina quædam, cujus tres ſpecies in officinis occurrunt; prima in granis, ſecunda in ramulis, ſive bacillis, tertia in tabulis. Gummi Laccæ in *granis*, pellucidum & rubicundum adparet, ſaporem reſinoſum prodit, & ſi accendatur, odorem non ingratum diſpergit. Hoc, a fecibus probe liberatum, & fuſum, Gummi Laccæ in *tabulis*, exhibet, quod pellucidum, flavo-rubens, & fragmentis Vitri Antimonii ſimile eſt. Gummi Laccæ *in baculis*, dicitur illud, quod bacillis, vel ramulis arborum, ſuper quibus efformatur, adhæret, & ſic nobis advehitur. Subſtantia hujus, ſuperficie inæquali, & granulata quaſi, bacillos circumducit, reſinoſa eſt, colore fuſco adparet, ſaporem ſubadſtringentem, parumque reſinoſum prodit, & odorem ferme nullum, ac ſi accendatur, non adeo gratum, ſpargit. Gummi Laccæ *in granis*, reperitur in ramulis arboris *Jujubæ Indicæ*, *Ber* dictæ, foliis majoribus, rotundis, trinerviis, ſubtus lanuginoſis, floribus pentapetalis, herbaceis. Advehitur ex Indiæ Orientalis Regionibus Pegu, & Martabane, item Bengala, Inſula Madagaſcar, Regno Siamenſi, & aliis locis beatioris iſtius regionis. Non ſponte ex hac arbore exſtillat, ſed punctione inſectorum quorundam alatorum, formicas ſimulantium, quæ materiam hujus concreti reſinoſi, vel ex ipſa arbore, vel aliunde colligunt, alveria ex illa conſtruunt, ubi ad novi examinis ſui generis productionem ovula ſua deponunt. Ovula alveolis incluſa, more aliorum inſectorum, in Chryſalides abeunt, & hæ Chryſalides, id ipſum re vera ſunt, quod Laccæ Gummi colorem rubicundum conciliat. Quo major igitur copia harum Chryſalidum in his dictis alveolis delitescit, eo præſtantius hoc Gummi Laccæ evadit ad tingendum, & extrahendam tincturam. Reſina hæc, quæ a ramulis decerpitur, & in granis advehitur, ſuo colore rubente orbata eſt, quia Indis jam jam ad telas, & varias res colore rubicundo imbuendas inſervivit. *Lacca in granis ad vernices; in tabulis vero ad Laccæ ſigillatoria confectionem adhibetur. Gummi Laccæ, quod in granis eſt, plerumque uſum medicum accedit, & vim leniter adſtringentem, urinamque pellentem poſſidet. Ad præparationem vero Tincturæ, illud, quod baculis adhæret, requiritur, ob cauſas, quas ſupra jam allegavimus.* De Gummi Laccæ Origine, legi meretur, obſervatio, D. D. GODOFREDI, *Act. Phyſ. Med.* Volum. III. Append. p. 60 & BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. I. Proceſſ. 56. p. 198. ſqq. item VALENTINI in *Hiſt. Simplic. Reform.* Lib. II. Sect. VI. cap. 17. p. 277 ſqq & qui ibi laudat Auctores plures, ut *Pometum*, *Cleyerum*, *Schrœckium*, & alios, quibus imprimis add. TAVERNERII *Itinerar. Orient.* Lib. III. cap 17. pag. 179. ſq. & Part. III. Lib. III. p. 54. ſq. item CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part II. Sect. XII. cap. 35. pag. 273. ſqq. præſertim autem ZORN. *Botanolog.* pag. 373. ſq. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 459.

LADANUM, Labdanum, Ladan, *le Ladanum*, **Ladan**. Eſt ſubſtantia reſinoſa, terrenis particulis permixta, & in ſpiras, cereorum inſtar contorta quæ colore gryſeo adparet, ſaporem amarum prodit, &, ſi prunis candentibus admoveatur, odorem haud ingratum diſpergit. Colligitur ex ſuperficie caulium ac foliorum Plantæ Ladani, vel Ciſtæ Ladaniferæ, quæ magna ubertate in Candia, Cypro, Græcia, item Luſitania, Hiſpania, alibique progerminat, & *Ciſtus Ladanifera Cretica*,

flore purpureo, *roſaceo*, nuncupari ſolet; ex calyce adſurgit piſtillum, quod paulatim abit in fructum ſubrotundum, apice dehiſcentem, multicapſularem multoque ſemine repletum. Ratio, hoc Ladanum colligendi, tam a BELLONIO, *Obſerv.* 7. Lib. I. quam a TOURNEFORTIO, Tom. I. *Itinerar.* Epiſt. 2. p. 89. deſcribitur, add. *Petri della* VALLE, *Itinerar. Oriental.* Part. IV. Epiſt. 13. p. 205. Incolæ habent peculiare inſtrumentum, quod leniter ciſto adfricant, & hac methodo Ladanum, inſtrumento adhærens aucupantur. Barbis hircorum atque caprarum adhæreſcit, ſi inter Ciſti plantas, gramina depaſcant, & Ladanum de Barba dicitur, optimumque cenſetur. Id, quod reſinoſum & pingue eſt, ignemque facillime recipit, ac deflagrando odorem haud ingratum diſpergit, eligito. *Nervinum eſt, ſed rariſſime ad uſum internum acceſſitur. Emplaſtris anticatarrhalibus, & nervinis intermiſceri, ſuffimentisque adjungi ſolet.* Vid. plura de Natura & vario uſu medico Ladani, apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 539. ſqq. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 31. p. 252. ſqq. item ZORN. p. 214.

MASTICHE, Reſina Lentiſcina, *le Maſtic*, Maſtich, Maſtix. Lentiſcus, quæ Maſtichem elargitur, copioſiſſime in maris Aegæi inſula Chio naſcitur; progreſcit quoque in Aegypto, Syria, Gallia Narbonenſi, vid. GASSENDI, *Vita Peireſcii*, Lib. II. p. 80. conf. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 545. & nonnunquam in hortis Botanophilorum, in Germania occurrit. Arbor ramoſa eſt; rami flexiles, & cortice cinereo circumcincti ſunt; folia, quæ myrtum referunt, tenera, & per paria ad unam coſtam non in unum folium deſinentem, diſpoſita ſunt, perpetuo virent, odorem gratum ſpargunt, ac ſaporem acidiuſculum adſtringentem produnt; flores herbaceo-purpurei, & racematim diſpoſiti ex alis foliorum protuberant; fructus in baccis rotundis nigris & acidis conſiſtit, quæ nucleum oblongum nigrum, medulla duriuſcula, viridi-albente repletum, complectuntur. Maſtiche duplici adſpectu adparet in officinis, altera electa, & *in granis*; altera, quæ multis adhuc inquinamentis involuta eſt, colore cinereo adparet, & gallice *en Sorte* nuncupatur. Ignobiliorem Sicilia, Italia, Luſitania, & aliæ nonnullæ regiones nobiſcum communicant; ſed nobilior & optima ex *Chio* advehitur, quam fuſius deſcribit, una cum ipſa Lentiſci arbore Maſtichifera, TOURNEFORTIUS, αὐτόπτης, Tom. II. *Itinerar.* Epiſt. IX. p. 68. ſqq. ubi & de uſu ipſius Maſtichis medico vario, ſimul tractat. Conf. & TAVERNERII, *Itinerar. Orient.* Lib. III. cap. 8. p. 134. Quæ alba, pellucida, & friabilis eſt, ſed tamen maſticando, picis inſtar ductile fit, dentibusque adhæret, nec non odorem gratum diſpergit, ſeligatur. *Vim roborantem, ſubadſtringentem, ac calefacientem poſſidet, & tam interne, quam externe in uſum adhibetur.* Vid. STROBELBERGERI *Maſtichologia*, ſeu de *Univerſa Maſtichis Natura*, Diſſert. Medica, & WEDELII *Exercitat. Med. Philoſoph.* Decad. X. Exercit. 6. pag. 38. ſqq. præcipue laudati jam GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 544. ſqq. & RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1697. Menſ. Octob. Obſ. 6. p. 671. ſqq. add. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 33. p. 264. & imprimis ZORN. p. 390. ſq. item LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 363. ſqq.

Myrrha, *la Myrrhe*, Myrrhen. Eſt ſubſtantia gummoſa, parum reſinoſa, arida & fuſca, quæ ſaporem amarum, acrem, amaricantem, atque non ingratum fragrantem odorem prodit. Arbor, quæ Myrrham ſuppeditat, ſatis clare nondum deſignata eſt; nonnulli perhibent, quod ab Arabibus *Pola* vocetur, & ſit baccifera, atque in locis deſertis progerminet. Vid. Hermanni, *Cynoſur. Mat. Med.* p. 279 Myrrha ex Arabia, Aegypto, & Aethiopia advehitur, ſed quæ friabilis, levis, ubique concolor, amara, acris, aromatica atque fragrans eſt, & quaſi lachrimarum figuram exprimit, eligatur. Quæ pellucida, vel ſaltim pura eſt, egregieque reſplendeſcit, Myrrha *Stacte* vocari ſolet, ſed vix unquam ad nos perfertur. Vid. Salmas *Exercit. Plin.* p. 368. & alibi. *Joh. Bod.* a Stapel, ad *Theophraſt Hiſt. Plant.* Lib. IX. p. 981. ſqq. Celsii, *Hierobotan.* Tom. I. p. 529. ſqq. *Calefacit, aperit, diſcutit, attenuat, putredinique reſiſtit.* Conf. huc, præter alios, magna copia laudatos Zornio, p. 452. ſqq. *Samuel* Polisius, in ſic dicta ſua *Myrrhologia*, & Faschii, item *Dan.* Beckeri, Diſſert. de *Myrrha*, ut & noviſſime Cartheuseri, Diſſert. de *eximia Myrrha virtute*, & ejusdem *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 28. p. 2 9. ſqq. nec non Loeseke, *Mat. Med.* p. 404. ſqq. item Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. II. p. 635. ſqq. & Valentini, item Riedlini, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Majo. Obſ. 16. p. 139. item Pringle, de *Caſtrenſibus morbis.*

Olibanum, Thus, *l'Oliban*, Weyrauch. Conſiſtit in lachrimis reſinoſis arboris Thuriferæ, quæ in grana duriuſcula diverſæ magnitudinis concreta ſunt, flavo palleſcentes, & ſemi-pellucidæ adparent, ſaporem reſinoſum, amaricantem produnt, odoremque, ſi prunis candentibus inſpergantur, fragrantem ſpargunt. Partim ſponte, partim arbore inciſione vulnerata exſtillat; arbor vero, quæ hoc olibanum exſudat, ſatis clare nondum deſcripta eſt; alii enim Piri, alii Lentiſci, alii Lauri, nonnullique Pini, & Salicis folia illi adſignant. Vid. Valentini, Hermann. Cartheuser, & alios. Manifeſtum tamen eſt, illam in Arabia, & præſertim in provincia Saba progerminare. Herbolet, in *Biblioth. Orient.* mentionem facit *Gummi Laban*; apud Clusium *Lovan*, quod ex arbore Lentiſco ſimili, quæ in Aegypto, & Arabia felici, imprimis vero in provincia Saba naſcitur, promanat. Vid. plura de hoc Sabæorum thure, apud Bochart. *Phaleg.* Lib. II. cap. 18. p. 105. Salmas. *Exercit. Plin.* p. 353. *Jo. Bodm.* a Stapel, ad *Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib. IX. cap. 4. p. 978. ſqq. Hiller. *Hierophyt.* Part. I. cap. 44. p. 405. ſq. Ursini, *Hort Aromat.* Lib. III. cap. 9. p. 263. ſqq. Celsi, *Hierobotan.* Part. I. p. 239. ſqq. ubi imprimis hoc argumentum copioſe tractatur. Vid. &, ſi placet, *Adnotationes* noſtras, ad *Hugon.* Grotii *Chriſt. Pat.* Tragœdiam, pag. 378. 379. Edit. II. ut *Lundium*, aliosque jam taceam, quia res hæc doctis ſatis nota. Arabs al Edresi in *Geographia Arabia* perhibet, quod Olibanum, ſive *Gummi Laban*, in provincia *Schagiar*, circa fretum *Gicum*, copioſiſſime proveniat. Optimum cenſetur album, friabile, & quod in guttis adparet, atque probe liberatum eſt a quiſquiliis, arborisque corticibus, nec Thure ſilveſtri adulteratum. Thus ſilveſtre, quo Olibanum adulterari ſolet, eſt reſina Pini, quæ ex formicarum acervis eruitur. Quæ de Thure Mannæ, teſticulato atque mam-

moſo apud veteres auctores, ut HIPP. GALEN. DIOSCORID. THEOPHRAST. & alios, vid. SALMAS. *Exercit. Plin.* p. 809. & alibi leguntur, intelligenda ſunt de Thure albo electo; veteres enim ſecundum lachrimarum figuram, illi nomen impoſuere. *Olibanum calefacit, ſiccat, roborat, & pauliſper adſtringit. Uſus eſt internus & externus, ſed maxime ad ſuffimina adhibetur.* De his omnibus vid. plura apud GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 549. ſqq. VALENTINI, *Hiſt. Simplic. Reform.* Lib. II. Sect. 6. cap. 5. p. 253. ſqq. & quos ibi laudat Auctores plures, item ZORN. *Botanolog.* pag. 481. ſqq.

OPOPANAX, Gummi Panacis, *l'Opoponax*, Panax-Gummi. Hoc gummi eſt ſuccus concretus, qui tempore æſtivo ex planta quadam circa radicem inciſione vulnerata emanat, ſponteque concreſcit. Botanicis hæc planta *Sphondilium* majus, ſive *Panax Heracleum* dicitur, & florem habet roſaceum, umbellatum, luteum; folia lata Paſtinacæ, ſed magis ramoſa; ſemina ampla, bina, plana, ovata. Gummi ex granulis rufo- & albo-flaveſcentibus in glebas quaſi compactum, ſaporem amaricantem, acrem prodit, & odorem gravem aſt ingratum diſpergit. Indicium bonæ indolis eſt, ſi facile aqua diſſolvi patiatur, promte lacteſcat, mirumque in modum amarum ſit. Occurrit in Bœotia, Macedonia & Syria; colitur quoque interdum in hortis Botanophilorum. *Emollit, digerit, diſcutit flatus, expurgat lentam pituitam; externe quoque loco Galbani in emplaſtris adhiberi poteſt.*

PERSICÆ Mali, *Gomme de Pêcher*, Pferſchbaum-Harz. *Gummi ex arbore exſudans, humorum acrimoniam demulcet, tuſſientibus prodeſt, & commendatur ad alvi fluxum, tumorem faucium, aſperitatem Arteriæ, ſputum ſanguinis, & diureticum habetur, vel etiam lithonthrypticum, ſi quod ſit.* Ita GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. p. 807. Conf. ZORN. p. 507. HERMANNI, *Cynoſur. Mat. Med.* pag. 383. in Not. & alios.

PIX, *la Poix, la Reſine, la Poix grecque*, Pech. Eſt reſina arborum reſiniferarum, Pini præſertim & Laricis, modo debito cocta, probeque ab impuritatibus liberata. Vid. SALMAS. de *Homonym. Hyl. Jatr.* cap. 103. p. 167. ſqq. Quæ ſequitur, præcipue uſui medico ſubſervire conſuevit.

PIX navalis, Palimpiſſa, *la Poix noire, navale, le goudron*, Schiff-Pech. Illa, qua naves impicantur, eſt reſina ſive pix, quæ valide coquitur, donec ad uſum navalem idonea, & fuſca evadat. Advehitur ex regionibus ſeptentrionalibus. *Vim ſiccantem, calefacientem & diſcutientem poſſidet, hinc emplaſtris intermiſceri ſolet.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. cap. 7. p. 510. item HERMANNI, *Cynoſur. Mat. Med.* Part. I. cap. 8. p. 660. in Not. & maxime *Jo. Conr.* AXTII, Tract. *de Arboribus coniferis, & pice conficienda*, item CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 36. p. 277. ſqq. Combuſtione etiam arborum pix hæc paratur, uſum

internum etiam accedit, quod vide in diſſertatione gallica cui titulus eſt *des vertus de l'eau de goudron.* Nonnullis nomen peculiare *goudron*, placuit potius ſequenti imponere.

Pix liquida. De picis liquidæ interno & externo juxta uſu, apud duros præſertim rigidæ Norwegiæ incolas, in variis morbis pertinacioribus, veluti Arthritide, Scorbuto, & ipſis quoque febribus malignis, vid. *Thom.* BARTHOLINI *Hiſtor. Anat. Rarior.* 95. Cent. VI. p. 367. ſqq. & *Act. Med. Hafn.* Vol. I. Obſ. XIII. p. 41. item PAULLINI, *Obſ. Med.* 6. Cent. III. p. 301. *Ol.* BORRICHII, *Diſſert. Acad.* I. Part. I. p. 19. & ZORN. *Botanolog.* p. 520. Reticenda vero hac occaſione, hic penitus non eſt famoſa illa, imo fumoſa aqua e pice liquida parata, vulgo Theer-Waſſer, dicta, quæ ante hos duodecim præter propter, annos, primum ex remota America, in Hiberniam delata, ibique prius infulata auctoritate commendata, & publico quoque ſcripto a Veneranda manu laudata, protinus per omnem ſeſe Britanniam largiſſime diffudit, atque deinceps univerſam pene Europam veluti ſalutifero aliquo diluvio, ut quidem tum ubique credebatur, innundavit. Omnis eo tempore, in pice ſalus; omnis in pini abietisque reſina vitæ fortunæque ſpes, jacebat tum medicorum ars neglecta, & pharmacopœorum opera contemta, adeo, ut ſibi propter ereptum per hanc novam Medicinam panchreſtam, lucrum ac Vitæ commodum, de pallida fame, & nigra morte, trepide metuerent. Vileſcebant tum optima vina, generoſiores cereviſiæ, aliaque luxurioſæ gulæ humida blandimenta, præ iſto ſcilicet cœleſti, aut ſtygio nectare; frigeſcebant *Thermopolia*, & ſola contra calebant, imo fervebant *Theeropolia*, ſi ita per jocum liceat ὀνοματοποιεῖν. Vendebatur, emebatur & avidiſſime potabatur hic novus ſalutis latex, in plateis, biviis, triviis & quadriviis, portis & angiportis, locis ſacris fere ac profanis, Sedebant iſti bibones & heluones, ſine ullo ſexus & ætatis diſcrimine, in medicinis, tonſtrinis, gymnaſiis, myropoliis, argentariis, lanienis, & tabernis omnis generis aliis, ut in ſalutem ſuam haurirent hanc picem liquidam, non, ut ceu mures, guſtarent, in ſuam perniciem. Credebatur enim tum fere ab omnibus, hoc aurum quaſi potabile non ſolum præſentem ſanitatem diutiſſime cuſtodire; ſed & jam amiſſam citiſſime reſtituere, & omnis generis morbos certiſſime profligare. Poſteaquam igitur epidemica hæc, ſive vulgivaga *Piſſomania* aliquandiu in omne genus humanum acerrime ſeviiſſet, & nemini fere profuiſſet, niſi ſolis avaris & lucri cupidis illius picatæ aquæ inſtitoribus; progreſſu demum temporis, meliore fortuna, ſtetit, elanguit, atque obmutuit; adeo, ut tandem ebrii iſti picipotores, ut ſic loquar, excuſſa veluti gravi crapula, evigilarent, & ad ſaniorem mentem ſenſim reverterentur. Audiebantur enim paſſim querelæ, quod eventus non reſponderet promiſſioni, aut expectationi, atque ſani ex hoc crudo rudique picis liquidæ potu, male ſeſe haberent, ægroti vero non melius, ſed pejus. Quibusdam enim exinde caput doluerat, aliis ſubverſus erat cum nauſea & vomitu, ſtomachus, nonnullis venter per aliquot dies, cum ſævis torminibus fluxerat, aliquos febris invaſerat, multas vero feminas acerbus ex utero dolor; Solis tantum fœdo ſcorbuto tabidis, aut turpi ſcabie inquinatis, aliquod exinde levamen ſubnatum fuiſſe deprehenſum erat. Quæ omnia etiam ipſe ego, candide teſtor, aliquoties dolens obſervavi.

Sic vidi virum juvenem, qui ex crebro hujus ingratæ aquæ uſu, tantam nauſeam ſtomachique ruentis reſolutionem contraxerat, ut quidquid ciborum aſſumtum eſſet, inconfectum protinus redderetur. Alius quoque mihi notus vir athletici habitus, qui morem iſtum morum, ſine ratione ſecutus, poſt aſſumtam aliquamdiu iſtam picis liquidæ medicinam, non ſolum lenta tabe pene confectus fuit, ſed & ſimul omnes anteriores, ad inſtar edentulæ anus, fœdiſſimo adſpectu, perdidit, unde jam vel ad ſolum illius aquæ nomen, præ ira excandeſcit, ſemperque illud execratur. Taceo jam alia, alibi commodius promenda. Ceterum de hac ipſa mirabili ſcil aqua, vid. Tractat. Angl *Rever.* BERKELEY, ejusque vernaculus Interp. *Died. Weſſel* LINDEN. item *Cl.* BÜCHNERI, *Mat. Med* pag. 615. ſqq. & alii plures, imprimis *Cl.* CARTHEUSER *Fund.Mat. Med* Part. II. cap. 36. pag. 281. ſqq. ut & CHARAS *Pharm. Reg.* Tom. II. p. 860. & 861. item *Cl.* LOESEKE, *Mat. Med.* p. 280 qui ipſe modicus & parcus eſt laudator hujus picis liquidæ infuſi, quod quidem judicium, ipſa quondam experientia edocti, ut diximus, maximopere probamus.

RESINA communis, vulgaris, *la Poix, ou la Reſine blanche*, Harz, Fichten-Harz. Magna ubertate in ſilva Martia ex Pinis decerpitur, & per liquefactionem ac colationem a corticibus, ceterisque heterogeniis probe purgata, & in vaſa parva lignea effuſa, longe lateque ad divendendum tranſmittitur. Hæc reſina, quæ germanice Kübel-Harz nuncupari ſolet, ſolida eſt, ac odora, coloreque flaveſcente adparet. *Vim emollientem, digerentem, & diſcutientem poſſidet, hinc emplaſtris intermiſcetur.*

SAGAPENUM, Serapinum, *le Sagapenum*, Sagapen. Eſt lachrima, ſeu Gummi, quod ex Ferula Sagapenifera, inciſione vulnerata, promanat. Naſcitur in Media, Perſia, aliisque regionibus Orientis. Quod in granis advehitur, ac pellucidum eſt, externe fulvum ſeu rufum, interne vero paululum dilutius adparet, guſtui acrimoniam quampiam imprimit, & odorem porri ſimulat, optimum cenſetur. *Numerari ſolet inter purgantia validiora, & cum vino ſumtum, morſibus animalium veneneſorum obſtare creditur, & perhibetur* a RAJO, *Hiſtor. Plantar. Hydropicis, aſthmaticis, atque inveterata tuſſi laborantibus conducit. Vim attenuantem & reſolventem poſſidet; lentos humores ventriculi & inteſtinorum expurgat, menſes & urinam pellit, embryonemque enecare cenſetur.* Sed plura de Gummi Sagapeni qualitate, uſu & noxa vid. in VALENTINI, *Novell. Med. Legal.* Caſ. XXVII. p. 463. ſqq. conf. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Cap. 30. p. 245. ſqq. & ZORN. p. 594.

SANDARACHA Arabum, Vernix ſicca, Gummi Juniperi, *la Sandarac, la Gomme de Genievre*, Wachholder-Harz, Sandarach. Eſt reſina, Maſtichis inſtar, pellucida, & friabilis, ſed tamen in majoribus ac longioribus guttis conſiſtit, ſaporem reſinoſum poſſidet, atque odorem, ſi prunis candentibus inſpergatur, gratum, ſpargit. Advehitur ex Africa, ubi ex arboribus juniperi majoris bacca ruſeſcente C. B. inciſione vulnerata promanat, ac colligitur. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.*

Tom. II. pag. 554. ſqq. SALMAS. de *Homonym. Hyl. Jatr.* Cap. 101. pag. 161. ſqq. & ZORN. p. 371. Cedrus Sandaracham quoque ſuppeditat, ſed talis rariſſime patrios fines tranſcendit, noſtrosque lares ſalutat. *Quam proxime Maſtichis virtutem accedit. Ad ſuffimenta quoque adhibetur, ſed maxime variis, variarum vernicum, compoſitionibus intermiſcetur.* Ipſius imo pulvere conſperſa charta prius Scalpro abrata, atramentum non æque alte imbibit.

SANGUIS draconis, incolis lingua ſua patria, *Dſierenanga*, *le Sang de Dragon*, Drachen-Blut. Eſt ſubſtantia reſinoſa, rubra, quæ attritu dilute rubicundum colorem exhibet, & igni admota, facile colliqueſcit, ſaporemque reſinoſum adſtringentem prodit. In folliculis, ex foliis arundinaceis convolutis, figuraque olivari, adfertur, & *Sanguis Draconis in granis*, vocatur. Maſſa illa obſcure rubra, quæ *Sanguis Draconis in Tabulis* nuncupatur, plerumque factitia, impura, opaca & vilioris pretii eſt. Colligitur ex diverſis arboribus, quæ palmis adnumerantur, imprimis ex illa ſpecie, quæ *Palma prunifera*, *foliis Jucca* nominatur, ex cujus caudice hæc reſina rubicunda promanare perhibetur. Optima Sanguinis draconis reſina, illa cenſetur, quam arbor producit, cui nomen eſt: *Draco Indica, ſiliquoſa, populi folio, Angſana, vel Angſana Javanica.* In *Horto Amſtelod.* COMELIN. Ex caudice inciſo arboris illius, quæ lignum nephriticum ſuppeditat, etiam Gummi rubicundum promanare, RAJUS, in *Hiſtor. Plantar.* refert, quod ſanguini draconis ſubſtitui ſoleat. Plurimi arbitrantur, quod reſinoſa illa ſubſtantia rubicunda, quam Sanguinem draconis vocamus, ſit *cinnabaris Dioſcoridis*, de quo vid. SALMASII *Homonym Hyles Jatr.* cap. 105. p. 174. ſqq. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. p. 244. ſqq. & Tom. II. p. 558. ſqq. ubi & plura de Sanguine draconis, ejusque vario uſu; add. LANGII, *Epiſtol. Med.* 65. Lib. I. p. 323. ſqq KAEMPFERUS vero aliam methodum, Sanguinem draconis, ex fructibus ſtrobiliformibus *Palmæ coniferæ ſpinoſæ*, eliciendi tradit, *Amœnitat. Exot.* Faſcic. III. Obſ. 6. pag. 552. ſqq. & in Diſſert. ſingulari, vid. *Ind. Litterat.* VALENTINI, p. 489. Sanguis draconis, qui clarus, pellucidus, & friabilis eſt, eleganter rubet, ab aqua non diſſolvitur, & vel in granis, vel fruſtulis, digiti magnitudinem æquantibus, foliisque arundinaceis involutus, extat, præferrendus & adoptandus eſt. *Virtute adſtringente, & ſiccante pollet; pulveri ad caſum intermiſcetur, nec non dentifriciis; dentes namque firmat, gingivasque ſcorbuto adfectas ſanat.* Vid. huc *Jo. Frid.* OCHS, Diſſertatio ſingularis de *Sanguine Draconis*, quæ merito ſuo recuſa, extat in *Mantiſſa Exoticorum*, ad VALENTINI *Muſæum Muſeorum*, pag. 609. ſqq. conſ. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. cap. 20. p. 500. ſqq & ZORN. p. 603. item HEUCHERI, de *Plant. Hort. Med. Wittemb.* p. 880. Tom. II. Opp.

SARCOCOLLA, *la Sarcocolle*, *la Colle chair*, Fleiſch-Leim-Gummi. Sunt granula gummoſa parva, albo rufeſcentia, friabilia, quæ ſaporem amaricantem, acrem & ſubdulcem produnt, ſed odorem plane nullum ſpargunt. Ex Perſia ad nos transfertur. Vid. plura de Sarcocolla Veterum & Recentiorum, apud SALMAS. de

Homonym. Hyles Jatr. cap. 106. p. 175. ſqq. & ZORN. p. 607. Nonnulli perhibent, quod hæc granula, quæ Sarcocollam conſtituunt, ex planta quapiam, ſive arbore ſiliquoſa, flore papilionaco, proveniant; alii aſſerunt, quod Tithymalus Perſicus ſpinoſus illa exſudet. Sed hoc vix credendum eſt, ob ſuccum acriorem, quo hoc plantarum genus totum refertum turgeſcit. Sarcocolla vetuſtate rufa evadit, hinc recens, pallida, poroſa & glutinoſa eligenda eſt. *Calefacit, adſtringit, conſolidat, glutinat, atque maturat. Lacte humano, vel aſinino macerata, contra nubeculas, albuginem, & oculorum fluxiones commendatur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. pag. 647. ſqq. ubi plura de ejus uſu.

SENEGAL Gummi, Senica, *la Gomme du Senegal.* Idem eſt, quod ſub nomine *Gummi Arabici* in officinis venale proſtat, & ex *Guinea* advehitur. Nomen accepiſſe videtur a celebri flumine *Senegal*, vel *Senega.* Plurimi autumant, quod *Acacia, ſiliquis compreſſis*, hoc Gummi Senegal exſudet. *Virtutes cum Gummi Arabico communes habet. Sed arti tinctoriæ & ſericariæ, ſericisque illuſtrandis maximum uſum adfert.* Vid. GEOFFROY, de *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. p. 577.

STYRAX, Storax Calamita, *le Storax calamite*, Storax. Eſt maſſa reſinoſa, pinguis, & flavo-rufeſcens, quæ ſaporem ſubacrem, odoremque ſuavem, &, præſertim ſi prunis candentibus inſpergatur, fragrantem emittit. Colligitur ex arbore Styrace, folio lanuginoſo Catonei Mali, flore monopetalo, infundibuliformi, multifido, fructu ſubrotundo, carnoſo, uno vel altero ſemine plerumque prægnante. De utraque Veterum Styrace, uberius tractavit SALMASIUS, de *Homonym. Hyles Jatr.* cap. 97. p. 149. ſqq. Naſcitur in Syria, Pamphilia, & Cilicia; occurrit quoque nonnunquam in regionibus calidioribus Europæ, ſed in iſto ultimo loco arbor reſinam nec poſſidet, nec effundit. Olim in cannis vel calamis hæc reſina advehebatur, unde nuncupationem *Calamita* nacta eſt. Sed hodie plerumque in maſſa, multis quisquiliis, atque raſura ligni coinquinata, noſtros lares ſalutat. Styrax genuina in granis, rariſſime ad nos transfertur. Quæ pinguis, rufeſcens, multisque reſinoſis granulis albicantibus permixta adparet, atque odorem ſuavem, eumque conſtantem ſpargit, eligenda eſt. *Calefacit, emollit, concoquit, prætereaque vim cephalicam & nervinam poſſidet, catarrhis quoque & tuſſi opponi ſolet, ſed maxime ad ſuffimenta adhibetur.* Vid. huc KIRSTENII ſingularis Diſſert. de *Styrace;* & imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. pag. 565. ſqq. item CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 34. p. 270. ſqq. & ZORN. p. 651.

TACAMAHACA, *la Gomme Tacamahaca, la Tacamaque,* Tacamahac. Vulgus vero ridicule pronunciat *Hackmanhack*, ut ſupra me obiter notaſſe memini. Eſt reſina arida, vel flaveſcens, vel rufa, & in glebas compacta, quæ ſaporem reſinoſum, aromaticum, odoremque ſuavem fragrantem prodit. Ex arbore *Tacamahaca*, dimanat. Folia, roſarum fruticis ſimilia, dentata ſunt, & plerumque uno pediculo quinque adhærent; flores parvi, albi & racematim congeſti, adparent, ſemenque

que unicum triangulare complectuntur; arbor ipſa magnitudinem Populi imitatur. Vocatur quoque a Batavis *Sedelhaut*, id eſt: lignum, quod ad ephippia conficienda aptum eſt. Conf. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 569. ſqq. & HERMANNI, *Cynoſur. Mat. Met.* Part. I. cap. 8. p. 657. item *Pomet.* VALENTINI, *Muſ. Muſeor.* CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. cap. 33. & alii plures apud ZORNIUM, p. 664. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 467. Progerminat in Hiſpania nova, magna ubertate, item Mexico, & nonnullis Indiæ orientalis inſulis, nec raro in inſula Madagaſcar occurrit. Duplex reperitur Tacamahacæ reſina. Illa, quæ ſponte ex ſua arbore non vulnerata profluit, & in cucurbitarum corticibus aſſervatur, quam Galli *Tacamahaca en Coque* vocant, rariſſime ad nos pervenit. Altera in lachrymis & glebis, variæ magnitudinis, adfertur. Sit modo pura, ſuaveolens & fragrans, quam eligas. *Roborat, reſolvit, maturat, emollit, flatusque* atque dolores diſcutit. *Interne tamen rarius adhibetur; externe vero frequentiſſime emplaſtris, præſertim odontalgicis, & ſtomachicis intermiſceri ſolet.* Vid. infra Part. II. ſuis locis *Emplaſtra ad dolores dentium, & ſtomachica*, conf. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. p. 572. & HOCHSTETTERI, *Obſ. Med.* 4. Decad. IX. p. 321. & p. 325.

TRAGACANTHA, *la Gomme Adragant, d'Epine de Bouc*, Tragantħ. Eſt lachryma gummoſa, lucida, tenax, aqua ſolubilis, & mucilaginoſa, quam elargitur radix inciſione vulnerata fruticis Tragacanthæ; foliis pinnatis, non deciduis, coſta media, cui annexæ ſunt pinnulæ, in longam, rigidam, acutam ſpinam procurrente; flore papilionaceo; ſiliquis congeminatis, alveolo duplicato, duplicem ſeminum ſeriem circumcingentibus. Hic frutex a PLUCKENETIO etiam vocatur: *Aſtragalus aculeatus fruticoſus Maſilienſis.* Planta hæc copioſe naſcitur in Syria, imprimis circa Aleppum, & in Candia, de qua Candiæ Tragacantha optima, in famoſo illo monte Ida, præcipue, uberi proventu, obvia & conſpicua, exacte, pro more, agit TOURNEFORTIUS, *Itinerar. Orient.* Tom. I. Epiſt. I. p. 64. ſqq. ubi & ipſius fruticis Tragacanthiferi elegans icon ſimul repræſentatur. Conf. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 579. ſqq. Ubi plura de Tragacantha & Tragacantho, ejusque variis uſibus medicis. Vid. & RAUWOLF. *Itiner.* Part. II. cap. 12. p. 146. ſq. & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XT. cap. 7. pag. 567. ſqq. Crebro quoque in Gallia, circa Maſſiliam, occurrit, quæ tamen vel rariſſime vel nunquam gummi effundit. Alba, pura atque vermiculata eſto, quam eligas; rufa vero & impura rejiciatur. *Humectat, acrimoniam temperat, condenſat, & non ſine ſucceſſu contra tuſſim, quæ a materia acri ſuboritur, contra diſenteriam, ardorem urinæ, atque raucedinem adhibetur, nec non collyriis contra ophthalmiam intermiſceri ſolet.*

CAPUT X.

DE RESINIS LIQUIDIS, ET BALSAMIS NATIVIS.

AMBRA Liquida, Liquid Ambra, *le liquid amber*, *l'Ambre liquide*, flüßiger Amber. Eſt reſina liquida flavo-fuſca, conſiſtentiæ plerumque Balſami Peruviani Nigri, ſaporis acris, aromatici, odoriſque ſuavioris. Ex arbore Liquidambar ſive Styracis Virginianæ, vel ſponte, vel inciſione vulnerata, promanat. RAJUS hanc arborem nominat: *Platanum Virginianam*, Aceris foliis quinque partitis; floribus tripetalis; fructibus ſphæro-cephalis; ſeminibus minimis oblongis. Naſcitur in Virginia, nova Hiſpania, & aliis regionibus occidentalis Indiæ. *Vim emollientem, maturantem, & cum Balſamo Peruviano convenientem exerit. Frequentiſſime ad uſus externos accerſiri ſolet.* NIEREMBERGIUS, in *Hiſtor. Natur.* commemorat: *quod & interne uſurpata, adfectibus ventriculi, uterique conducat.* Conf. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Cap. VII. Sect. I. Artic. V. p. 491. & ZORN. p. 403.

BALSAMUM nativum Montis Benna, ſive Bonna, populari lingua *Kodreti Benna*, dictum, ex cavernis ardui montis deraſum, accuratiſſime deſcribit multivagus KAEMPFERUS, in *Amœnit. Exot.* Faſcicul. II. Relat. IX. p. 406. ſqq. additque p. 410. ſummum eſſe remedium anticolicum, ad qualiacunque ventris tormina illico diſcutienda, præſtantiſſimum & aptiſſimum, indeque merito vocari *anticolicam Bochonenſium Medicinam.* Quæ omnia ex *Kæmpfero*, merito retulit VALENTINI, *in Hiſtor. Simplic. Reform.* Lib. II. Sect. VI. cap. 19. p. 281. ſqq.

BALSAMUM Canadenſe, *le Baume de Canada*, Balſam von Canada. Eſt ſpecies Terebinthinæ, & promanat ex abiete Canadenſi, quam *Plukenetius* nuncupat: *Abietem minorem, pectinatis foliis, conis parvis ſubrotundis*; Gallis vero vocatur: *Epinette*, ou *Sapinette de Canada*. *Coincidit cum Therebinthina Veneta.*

BALSAMUM de Copaiba, Copahu, Copaivæ, *le Baume de Copahu, ou du bréſil*, Balſam von Capaiva. Eſt liquidum quodpiam reſinoſum, limpidum, pallidum, acriuſculum, amaricans, odoremque terebinthinaceo paululum gratiorem referens. Hoc balſamum elargitur Arbor *Copaiba*, quam folia ſubrotunda, ſive ovalia, floreſque pentapetali, ſua venuſtate decorant, ac ſiliquæ monoſpermæ ditiorem reddunt. Naſcitur in *Braſilia*, regione Americana. Hæc arbor, non niſi inciſione

vulnerata balſamum ſuum emittit, ſed tanta tamen copia, ut trium horarum ſpatio, duodecim ferme libræ colligi poſſint. Sed duplex deprehenditur. Id, quod ſtatim poſt arboris inciſionem promanat, valde clarum, & album adparet, odoremque reſinoſum ſpargit; Id vero, quod ſequitur, aureo quaſi colore & denſior occurrit, ac terebinthinæ propemodum ſimile eſt. Prius raro nobiſcum communicatur; ſed poſterius copioſiſſime ex Portugallia nobis advehitur. Eligito liquidum, limpidum, flaveſcens, fragrans, & quod a Tartari, aliave alkalina tinctura facile & totum diſſolvi ſe patiatur, Oleumque æthereum largius deſtillando concedant. *Gonorrhœa præſertim opponitur, porrigi tamen etiam poteſt in diarrhœa, & dyſenteria, niſi febris quadam id diſſuadeat. Dari ſolet a ſcrupulo dimidio, ad integrum. Externe adhibitum, egregium præbet vulnerarium.* De hujus eximii Balſami natalibus, natura, & variis inſignibus medendi virtutibus, ſingularis, eaque doctiſſima extat Diſſertatio a *Frid. Wilhelm.* HOPPE, conſcripta & denuo ſuo merito recuſa, in *Mantiſſa Exoticorum*, ad VALENTINI *Muſeum Muſeorum*, pag. 617. ſqq Conf. RIEDLINI, *Cur.-Med.* 572. Cent. VI. p. 354. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 37. p. 295. ſqq. ut & ZORN. pag. 109. item LOESEKE, p. 282. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 485. ſqq. & HERMANN. *Cynoſura Mat. Med.* p. 670.

BALSAMUM Indicum album, Peruvianum album, *le Baume blanc du Pérou*, **Weiſſer Indianiſcher Peruvianiſcher Balſam.** Eſt liquor reſinoſus, & pallidus, qui odorem ſuavem, Benzoën redolentem ſpargit; ſaporem acrem amaricantem prodit, ſuaque conſiſtentia mel liquidum ſimulat. Arbor, quæ inciſione vulnerata hoc balſamum elargitur, *Cabureiba*, ſive Balſami Peruviani nuncupationem nacta eſt, a PISONE, *Hiſt. Nat.* & *Med. Ind.* Lib. IV. cap. 5. p. 119. Naſcitur in regione Americana, quæ nova Hiſpania dicitur; magnitudinem Mali Medicæ refert, & foliis Amygdalinis majoribus, ſed tamen rotundioribus, magiſque acuminatis ſuperbit; flores pentapetalos, & ex ſummitate ramorum flagella lutea protrudit, quæ ab initio formam oblongorum loculorum, ſed temporis ſucceſſu quorundam foliorum, ceteris latiorum, referunt. Hæc arbor ab incolis vocatur: *Copaiſ, Copabu*, & *Copaiba*, a Botanicis vero: *Arbor Balſami vera*, item *Arbor Braſilienſis, fructu monoſpermo*. Fructus ſunt ſiliquoſi, breves, & ſinguli unicum ſemen complectuntur, unde & nomen Monoſpermi. Balſamum hoc Indicum album rarius occurrit in officinis quam Nigrum, etiamſi ex eadem arbore utrumque proveniat. Conf. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 37. pag. 291. ſqq. & LOESEKE, *loc. cit.* pag. 283. item GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 482. ſqq. *Vires potentiores poſſidere creditur, quam Nigrum; præſertim in adfectibus pectoris, diarrhœa, gonorrhœa & internis ulceribus commendatur. Ex ovo ſorbili, a guttis tribus, vel quinque, ad decem, dari ſolet. Externe Vulnerarium quoque eximium præbet*, quod exemplis ibidem liquido probavit PISO.

BALSAMUM Indicum, Peruvianum nigrum, *le Baume noir du Pérou*. **Schwarzer Indianiſcher, Peruvianiſcher Balſam.** Eſt ſubſtantia reſinoſa, pon-

deroſa & fluida, quæ colore nigro-rubente adparet, ſaporem acrem, paululumque amaricantem prodit, atque odorem ſuaviter fragrantem emittit. Ex ramis, pariter & truncis, arboris Balſami Indici, quam in loco proxime præcedente deſcripſimus, minutim atque aſſulatim conciſis, coctione extrahitur, hac ſequente ratione ac methodo: fragmina nempe hujus arboris colliguntur in Cacabum ampliſſimum, & multa ſuper infuſa aqua, quantum ſatis eſt, coquuntur; poſt coctionem, ſublato igne, cacaboque frigefacto, Balſamum hoc aqua ſupernatans, conchiliis aufertur. Spiſſum, nigrum, ponderoſum, odore fragrans, & quod mixtionem cum quovis oleo expreſſo non habet, laudatur & optimum cenſetur. *Calidum eſt, diſſolvit, digerit, atque roborat. Præſtantiſſimum vulnerarium præbet, & tam interne quam externe ad uſum medicum adhibetur, & cum hoc balſamum, omnem commixtionem cum quibusvis liquoribus, pertinax recuſet, optimum eſt, ſi cum ovi vitello commiſceatur, & a guttis tribus ad ſex propinetur.* Vid. præter alios veteres mox laudandos, præcipue ſingularis *Ill.* HOFFMANNI, Diſſertatio, de *Balſamo Peruviano;* item LEHMANNI Diſſert. de eodem *Balſamo Peruviano*; & *Viti* RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Aug. Obſ. 31. p. 267. ubi miras Balſami hujus Peruviani virtutes, tam internas, quam externas longe lateque recenſet diligentiſſimus ille Auctor. Conf. & maxime THONERI, *Obſ. Med.* 12. Lib. IV. p. 203. ſq. item CARTHEUSER. *loc. cit.* p. 292. ſqq. nec non ZORN. p. 111. LOESEKE, p. 283. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 482. item HERMANNI *Cynoſur. Mat. Med.* p. 669.

BALSAMUM Indicum ſiccum, *le Baume du pérou ſec, ou en coque,* Trockener Indianiſcher Balſam. Eſt reſina pellucida, fulva & rutila, quæ ſaporem acrem prodit, atque odorem ſuavem, Benzoën redolentem, ſed tamen gratiorem ac fragrantiorem ſpargit. Picis inſtar ductile deprehenditur, ſi recens ſit; ſi vero vetuſtate alteratum, friabile adparet. Ex arbore balſamifera illa, quæ Balſama Peruviana, album ſcilicet & nigrum ſuppeditat, decerpitur: ramuli nimirum abſciſſi, & cortex inciſione vulneratus, liquorem ſuum effundunt, qui corticibus cucurbitarum intercipitur, & ad ſolis radios condenſatus, nobis communicatur. *Eandem cum utroque Balſamo Peruviano virtutem poſſidere creditur, commodeque in pilulis porrigitur.* Vid. ejusdem RIEDLINI *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Octobr. Obſ. I. p. 315.

BALSAMUM Orientale verum, Opobalſamum, Balſamum de Mecha, Aegyptiacum, *le Baume de Judée, ou de la Mecque,* Balſam von Mecha. Eſt reſina liquida, limpida, albicans, acris, amaricans, aromatica, odoreque grate fragrans. Deſtillat ex frutice balſamifero inciſione vulnerato, quem ſub titulo Carpobalſami deſcriptum invenies. Balſamum hoc, ex ſua arbuſcula ſauciata, tenuiſſimum & albicante colore tinctum, promanat, ſed mox poſt paucos dies, colorem album, in viridiuſculum commutat, conſiſtentiamque olei nanciſcitur; tandem poſt aliquot annos, in conſiſtentiam mellis liquidi, vel Terebinthinæ Venetæ, & colorem aureum evadit. Olim valde rarum & carum fuit, hodie vero, ubi vires ejusdem magis exploratas habemus, lucri cauſa, frequentius & uberius ab incolis Arabiæ coli ſolet, at-

que hinc facilius adipiſci poteſt. Genuinum imprimis per legatos ad aulam Turcicam, ad quos, muneris loco, a Turcarum Magnatibus defertur, interdum ad nos venit. Vid. GEOFFROY, *loc. cit.* p. 476. & VALENTINI, *loc. cit.* p. 280. & imprimis *Paull.* LUCAS *Itiner. Orient.* Lib. VI. p. 167. ſqq. Ceterum maxima Opobalſami pars, quæ nobis communicatur, *Balſamo Copaiba* alterata eſt; &, quod iniquiſſimum eſt, ipſum identidem Balſamum de Copaiba, cum Oleo ex Carpobalſamo expreſſo commixtum, pro vero Opobalſamo venditatur. Si veri atque ſincerioris Opobalſami ſignacula ſcire deſideres, monita ſequentia in mentem figito: Incitatiorem prodat odorem; recens ſit; & quod heic loci probe notandum: Quo recentius eſt, eo validiorem manifeſtat fragrantiam. Guſtum porro amaricantem, adſtringentem, ſed modice acrem poſſideat; ſi amplius, hoc genuinum opobalſamum, vel minutiſſima portione, aquæ inſtilles, totam ſuperficiem aquæ contegat, illique liquatum ſupernatet, atque in aqua coagulatum, ſtilo quopiam totum auferri ſe patiatur; ſi denique illud in veſtem laneam perfundas, nullam, ut aliæ res pingues, ſqualidam maculam imprimat, etiamſi illi totum adhæreat. Supra jam monuimus, quod ætas hujus balſami ex conſiſtentia & colore ſit æſtimanda. *Hoc, toto terrarum orbe, celebratum Balſamum, tam interne, quam externe in uſus medicos accerſitur. Pro medicamine polychreſto habetur; Præſertim vero Aſthmaticis, & calculoſis conducit.* Vid. huc imprimis magni *Proſperi* ALPINI doctiſſimus Dialogus, de *Balſamo*, ubi de *Opobalſamo*, *Carpobalſamo*, & *Xylobalſamo &c.* perquam accurate ſolideque tractatur. Add. VESLINGII *Vindiciæ* pro *Opobalſamo*, item & *Epiſt.* XXIV. p. 112. præſertim autem *Epiſt.* LXIII. p. 196. ſqq. & *Epiſt.* LXIV. & LXV. quæ omnes totæ agunt de Opobalſamo, & reliquis Balſami ſpeciebus; quo & imprimis pertinent Scriptores, qui data opera, hoc nobile argumentum tractarunt & fuſius explicarunt, veluti CASTELLUS, LOBELIUS, DONZELLIUS, GUIBERTUS, VOLCAMERUS, & præſertim DOERINGIUS, aliique laudati jam ZORNIO in *Botanolog.* pag. 109. LINDENIO, MERCKLINO, & aliis, qui *Bibliothecas Medicas* adornarunt. Conf. & SLEVOGTII ſingularis Diſſert. de *Balſamo Vero*, ſeu *Opobalſamo*; & imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 473. ſqq. item VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Ref.* Lib. II. Sect. VI. cap. 19. pag. 279. ſqq. & RIEDLINI, *Lin Med* Ann. 1695. Menſ. Jun. Obſ. 15. p. 172. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 281. Add. hic LOESCHERI noſtratis Diſſert. de *Balſamo de Mecca*, & VATERI pariter noſtratis Diſſert. de *ejusdem Balſami Natura* & *Uſu*.

BALSAMUM Tolutanum, de Tolu, *le Baume de Tolu*, Balſam von Tolu. Eſt liquor reſinoſus, ſive Balſamum, colore pallido, ad aureum tendente, conſiſtentia glutinoſa, Terebinthinæ Venetæ ſimili, ſapore dulci, aromatico, odoreque grate fragrante. Arbor balſamifera Tolutana, Pinum pumilam, ramoſam, cortice tenui tectam, foliisque ſiliquæ, ſive Ceratiæ, quovis anni tempore virentibus, æmulatur. Balſamum hoc, ex ſua arbore, vel ſponte, vel inciſione vulnerata, promanat. Ex America advehitur, ubi, circa urbem Tolu, provenire & colligi ſolet. *Multum cum opobalſamo congruit, & vulnera recentia ita conſolidare perhibetur, ut cicatrix plane nulla remaneat.* Inde Syrupus Balſamicus egregius præparatur, cujus deſcriptionem

infra, ſuo loco, dabimus Part. II. quo Angli imprimis frequentiſſime utuntur in ipſa Phthiſi, & ſanandis ulceribus pulmonum, ac thoracis, de quo vid. *Cl.* GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. pag. 484. ubi & plura de hoc ipſo Balſamo Tolutano, ut & apud ZORNIUM, p. 110. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 282.

STYRAX liquida, *le Storax liquide*, Flüßiger Storax. Eſt ſubſtantia reſinoſa, fuſco-gryſea, & tenax, quæ conſiſtentiam mellis ſimilem, refert, odoremque ut plurimum graviorem ſpargit. Multum auctores diſputavere, utrum Styrax liquida, nativa ſit & genuina, vel quid factitii. Nonnulli arbitrantur, quod illa iſta arbor, quæ Ambram liquidam producit, quoque hanc Styracem liquidam elargiatur. De qua diſſenſione vid. imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 493. quam tamen ipſe dirimit, ex accurata obſervatione *Jacob.* PETIRERII, in *Act. Philoſ. Reg. Soc. Lond.* No. 313. conf. VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Ref.* Lib. II. Sect. VI. Cap. 6. p. 256. & quos ibi laudat Auctores; item SALMAS. de *Homonym. Hyles Jatr.* cap. 97. p. 149. ſqq. docte & copioſe. Interim manifeſtum eſt, quod Styrax liquida, qualis in noſtris officinis venalis proſtat, vel adulterata ſaltim, vel plane penituſque factitia ſit. *Vim calefacientem & ſiccantem exerit, ſed rariſſime in uſus medicos vocatur, niſi emplaſtris, & unguentis contra ſcabiem intermiſceatur;* de quo vid. ZORN. pag. 652. & p. 671. aliosque.

TEREBINTHINA Communis, ſive vulgaris, *la Térébinthine ordinaire,* Gemeiner Terpenthin. Eſt reſina liquida, melleæ conſiſtentiæ, quæ ex Pinis & Abietibus elicitur. Colligitur in multis Germaniæ & Galliæ provinciis, item Hiſpania, inſulis Chio atque Cypro, & alibi. Pura, alba & fluida eligatur. *Contra ſcabiem leproſam imprimis, aliosque cutis fœdata adfectus adhiberi, nec non emplaſtris, & unguentis intermiſceri ſolet.* De Terebinthinæ uſu & facultatibus, ſcripſere olim *Donat.* a MULIIS, & *Symphorian. Campegius*, præſertim *Jacob* YONGE, Anglus, in *Curru Triumphali* ex *Terebinthina*, laudat. a BOERHAAVIO, *Elem. Chem.* Tom. II. pag. 131. ſqq. & *Mich.* CRUGNER, in *Terebinth. Chym.* aliique; noſtra vero ætate, melius & accuratius, ſingulari Diſſertatione, *Ill. Frid. Hoffmannus* noſter, ut & *Wedelius*, præſertim GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 498. ſqq. & SALMAS. de *Homonym. Hyles Jatr.* Cap. 104. pag. 171. ſqq. item CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. cap. 37. p. 286. ſqq. & copioſe ZORN. p. 671. ſqq. item LOESEKE, *loc. cit.* p. 279. Vid. & HERMANN. *Cynoſur. Mat. Med.* Tom. I. Part. I. cap. 8. p. 666. in Not. ubi & ſingularia experimenta adducuntur de inſolito iſto odore violaceo, quo imbuitur iſtorum urina, qui paucas tantum Terebinthinæ guttas deguſtarunt; de qua occulta re vera qualitate, vid. poſt GALEN. Lib. I. de *Semine*, cap. 16. pag. 208. Tom. III. Opp. BORELL. *Obſ. Med.* 33. Cent. II. p. 134. ſqq. *Thom.* BARTHOLIN. *Epiſtol. Med.* 78. Cent. III. p. 335. & *Thom.* GUIDAT. *in prolegom.* ad *Theophili* Lib. *de Urinis*, p. 39. ſqq. denique etiam, ſi lubet, *Poëmat. Noſtr.* Tom. IV. p. 44. in Notis. Sed hæc obiter.

Terebinthina Veneta, officinalis, *la Térébinthine de Veniſe*, Venetiſcher Terpentin. Eſt reſina liquida, quæ mellis recentis conſiſtentiam æmulatur, colore flaveſcente adparet, ſaporem acrem amaricantem prodit, atque odorem minime ingratum ſpargit. Promanat ex *Larice*, Cedrinorum more, in altum progerminante *folio deciduo*, *brevi*, conisque parvis. Arbor *Larix*, etiam in compluribus regionibus Germaniæ naſcitur, ſed illa ſola, quam tellus calidior producit, Terebinthinam elargitur. Majorem partem Terebinthinæ Venetæ, Gallia nobis communicat, ubi in ſilva Lionienſi copioſe colligitur, quam Galli *Terebinthine du Bois de Pilatre*, nominant. *Virtute ſua vix & ne vix a vulgari diſcrepat; purior tamen & liquidior adparet*, oleoſiorque exiſtit. *Tam interne quam externe in uſum vocatur. Calefacit, emollit, abſtergit, & incarnat, urinamque propellit, præſertim vero gonorrhœæ opponitur.* Vid. de his *Terebinthinæ* uſibus egregiis, Riedlini *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Jul. Obſ. 6. p. 196. 197. & præcipue Zorn. p. 671. ſqq. *Drachma una vitello ovi ſoluta, & aqua diluta, alvum movet, atque ad urinæ ardorem, renum, & veſicæ ulcera magnopere commendatur.*

Terebinthina vera, de Cypro, de Chio, *la Térébenthine de Chypre, ou de Chio*, Wahrer Cypriſcher Terpentin. Raro, vel nunquam officinarum noſtrarum, limina ſalutat. Spiſſior vulgari, coloreque candido-flaveſcente, ſed paululum ad cœruleum propendente, adparet; ſaporem acrem, amaricantem prodit; & grate fragrantem odorem diffundit. Terebinthina de Chio, ſucceſſu temporis ſolideſcit, & formam atque ſubſtantiam reſinæ pellucidæ, quæ ſubflava adparet, & dentibus neutiquam adhæret, æmulatur. Arbor Terebinthus, ſive Piſtacea ſilveſtris, quæ in Cypro & Chio naſcitur, hanc Terebinthinam veram ſuppeditat; de qua arbore in iſtis beatioribus inſulis, Cypro & Chio, uberrime ſponte nata & ubivis obvia, perquam exacte & diligenter tractavit Tournefortius, ὁ αὐτόπτης, Tom. II. *Itinerar.* Epiſt. IX. p. 71. ſq. conf. Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. II. pag. 495 ſqq. & imprimis Kæmpfer. *Amœnit. Exot.* Faſcic. II. Relat. 9. p. 413. ſqq. item Zorn. p. 379. Terebinthus habet folia, numero impari, pinnata, atque decidua, multosque floſculos ſtamineos, fibris purpuraſcentibus contextos, quos tubercula, ex lateribus ramorum protuberantia longo racemo protrudunt; flores decidui exiſtunt; fructus parvi, oblongi & rubentes adparent, qui reſinoſum viſcidum lentorem & nucleum complectuntur. *Reliquis omnibus præfertur, & confectioni Theriacæ intermiſceri ſolet.* Huic *Terebinthinæ veræ, plerumque Veneta, ſive laricea, ſubſtituitur, cui equidem viribus non omni ex parte æqualis eſt*, tamen haud *multum inferior deprehenditur.*

CAPUT XI.

DE SUCCIS CONDENSATIS ET CONCRETIS.

ACACIÆ Aegyptiacæ Succus, *le Suc d'Acacia ou l'Acacia du levant*, **Egyptiſcher Schotten=Dorn=Safft.** Ex fructibus immaturis Acaciæ Aegyptiacæ, foliis Scorpioidis leguminoſæ, ſiliquis albis compreſſis, iſthmo interceptis, floribus luteis, monopetalis, infundibuliformibus, ſtaminibus numeroſis, hic ſuccus exprimitur, igne lento ac miti condenſatur, & ſic in ſolidam ſubſtantiam, externe nigricantem, interne rufeſcentem, coactus, venalis dimittitur, ſuoque ſapore acerbo, auſtero; & adſtringente, emtoribus ſe commendat. Naſcitur in Aegypto & Arabia, & vocatur ab Aegyptiis incolis, *Schak*, ab Arabibus autem, *Schamuth*, teſte RAUWOLFIO, *αυτόπτη*, in *Itinerar. Oriental.* Part I. Cap. 9. p. 108. ſq. ubi plura de hac arbuſcula ſpinoſa legenda occurrunt. Vid. & aliqua, ibid. Part. II. cap. 3. p. 44. Eligatur, qui non nimis nigricans, nec friabilis eſt, ſed qui tenax, & totus in aqua diſſolvitur. *Confectioni Theriacæ intermiſceri ſolet, ſed raro ad nos pervenit, idcirco Acaciæ Germanicæ ſuccus illi ſubſtituitur. Virtutem adſtringentem, refrigerantem, atque ſiccantem poſſidere, ſatis exploratum eſt.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 716. ſqq. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. p. 488. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. Cap. 20. p. 503. item ZORN. p. 11. ſqq

ACACIA Germanicæ Succus, *le Suc des Prunes ſauvages*, **Eingetrocknetet Schlehen=Safft.** Acacia Germanica, *Prunus ſilveſtris*, jam jam ſub fructuum titulo deſcripta eſt. Hic ſuccus ex fructibus acaciæ maturis exprimitur, & lento igne, in vaſe fictili condenſatur. *Vim refrigerantem & adſtringentem exerit*, unde ſub fine dyſenteriarum præſtantiſſimam confertum opem, *ac ſæpius acaciæ ægyptiacæ ſucco ſubſtituitur*. Vid. GEOFFROY, *loc. cit.* pag. 718. & BOERHAAVE, *loc. cit.* ut & ZORN. p. 12. ſq.

ALOE Caballina, *l'Aloes caballin*, **Roß=Aloe.** Eſt ſuccus *Aloës Guineenſis Caballinæ*, vulgari ſimilis, *Maculatæ*, ſucco fœtidiore. Colore nigricante adparet, odoremque nauſeoſum, piceum, myrrhatum prodit; denſa denique & ponderoſa eſt, ſed neutiquam a fœcibus depurata. Inde Equis potius præſcribitur, quam hominibus, unde & nomen habet. Vid. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. pag. 551. & ZORNII, *Botanolog. Med.* p. 46. item HEUCHER. p. 958. Tom. II. Opp.

Aloe hepatica, *l'Aloes hépatique*, gemeine Aloe, Leberfarbige Aloe. Eſt ſuccus *Aloës vulgaris* C B. ſolis calore condenſatus, qui hepatis inſtar, externe fuſcus, ſed interne flaveſcens adparet. Ex foliis exprimitur, ſaporem amariſſimum, ingratum, parumque adſtringentem poſſidet, odorem vero fragrantem, & Myrrham ferme redolentem prodit. Colligitur in *China*, unde etiam advehitur. Planta, ex qua hic ſuccus exprimitur, quoque in Inſula Americana *Barbados* naſcitur, ſuccusque ibi condenſatus, ſub nomine *Aloës Barbadenſis* in cucurbitis nobis advehitur, & Aloë Succotrina haud quaquam inferior eſt. Colorem rubentem, qui ex ligno Braſilienſi, mediante aqua pluviali, vel ſaltim fluviali, coquendo extractus eſt, mirum in modum exaltat, ſi modice illi intermiſceatur. De Aloë, ejusque variis ſpeciebus, & diverſis in medendo, uſibus, vid. præter alios, magna copia, pro more, laudatos ZORNIO, pag. 46. ſqq. *Raymundi* MINDERERI *Aloëdarium Marocoſtinum*, Cap. X. integro, & SCHULZII, ſingularis Diſſert. de *Aloë*, item FRIDERICI, Diſſert. de eodem *Argumento*; ut & B. HEUCHER. *Nov Provent. Hort Med. Witteberg.* p. 956. ſqq. Tom. II. Opp. ubi accuratiſſime & uberrime de cunctis his Aloes ſpeciebus, ex variis Auctoribus; tractavit.

Aloe Succotrina, Socotorina, lucida, *l'Aloes Succotrin*, Feine Aloe, aus der Inſul Soccotora. Eſt ſuccus gummoſus, & reſinoſus, *Aloës vera minoris, Succotrina, anguſtifolia, ſerrata, ſpinoſa, floribus ſuave-rubentibus*, qui fuſco-nigricante colore adparet. Vel ex foliis vi exprimitur, vel ex planta, circa radicem inciſione vulnerata promanat, poſtea condenſatur ad ſolis radios, & condenſatus, præcipue ſi conteratur, colorem croceum oſtendit, ſaporem amarum prodit, atque non ingratum odorem effundit. Planta, quæ hunc ſuccum ſuppeditat, copioſe in Inſula Soccotora naſcitur, & ſuccus illius plantæ condenſatus inde quoque ad nos transmittitur. Vid. REINES. *Var. Lect.* Lib. III. Cap. 4. p. 394. ubi contra SALMASIUM, *Exercit. Plin.* p. 743. diſputat. Communis uſque dum opinio fuit, quod omnes Aloës ſpecies, quæquæ in Pharmacopœis venales proſtant, ex una eademque proveniant planta, & ſola tantum modo puritate a ſe invicem diſcrepent. Sed contrarium nobis jam jam indicaverunt præmiſſa, ubi varias Aloës plantas ac ſpecies deſcriptas legimus. Aloë hepatica vera, & Succotrina, ex una quidem eademque ſpecie promanant, & ſola patria differunt; illa, quæ ex China adfertur, hepatica audit, ſed illa, quam Soccotora Inſula producit, Soccotrina nominatur. Caballina vero ex peculiari Aloës maculatæ ſcilicet ſpecie elicitur, quæ fœtorem ſuum nunquam totum deponit, etiamſi multoties aqua diluatur, atque ſemper de novo condenſetur. Notæ genericæ Aloës ſunt radix perennis, fibroſa vel tuberoſa; folia longa, integra, Sedis fere accedentia. Flos monopetalus, tubulatus, infra in ventrem prominens, ſupra anguſtior, ibique in ſex ſegmenta ſciſſus, nudus, ſex ſtaminibus præditus. Fructus oblongus, trilocularis, cilindraceus, hexagonus, fœtus ſeminibus planis, quaſi ſemicircularibus. Aloë Succotrina pura, lucida & quæ non adeo ingratum odorem emittit, eligenda eſt. Aloë Hepatica, a nonnullis hodie Succotrinæ præfertur, easdemque notas bonitatis habet, colore tamen dilutiore prædita eſt. Sæpius, & ferme ſemper, Aloë Caballina, pro

Hepatica divenditur, etiamſi, ab illa, nauſeoſo atque myrrhato odore facile poſſit diſtingui. *Aloë, præter vim purgantem, etiam calefacientem poſſidet, ſanguinem commovet, menſes & hæmorrhoides ciet, lumbricos enecat; frequentior tamen uſus, bilioſis præſertim, hecticis, & illis quoque, qui hæmoptyſi, nimioque hæmorrhoidali fluxu laborant, nec non mulieribus, quæ ad abortum diſpoſitæ ſunt, valde noxius eſt.* Vid. huc CARTHEUSERI, *Rudim. Mat. Med. Rat.* Sect. VIII. cap. 2. p. 269. & *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. X. cap. 10. p. 550. ſqq. & ZORN. p. 46. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 127. ſqq.

HYPOCISTIDIS Succus, *l'Hypociſtis.* Eſt ſubſtantia nigra, paululum reſinoſa, auſtera, ſaporeque acido adſtringente prædita. Non ſolum ex Creta inſula, ſed etiam ex Gallia Narbonenſi & Provincia, ubi planta copioſe progerminat, ad nos advehitur. Planta Hypociſtis, eſt ſpecies *Orobanches*, quæ ſub Ciſto adſurgit, flore monopetalo, campanulato, multifido. Occurrit Menſibus Aprili & Majo. Tota abſciſſa contunditur, atque ſuccus expreſſus condenſatur. *Vim refrigerantem, ſiccantem & adſtringentem poſſidet, Theriacæque ac Mithridatii confectionibus intermiſcetur.* Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 720. ſqq. CHARRAS, de *Ingredient. Theriacæ Andromachi*, cap. 55. p. 155. ſqq. & ZORN. *Botanolog. Med.* p. 214.

LIQUIRITIÆ ſuccus, Glycyrrhizæ, *le Jus de Règliſſe en bâton*, Süß-Holz-Safft, Lackrizen-Safft. Exprimitur ex radicibus Liquiritiæ, igne condenſatur, & in trochiſcos vel magdaleones formatus, venalis dimittitur. Adfertur ex Hiſpania & Franconia, ubi, præſertim in agro Bambergenſi, hæc Liquiritia, ſedulo cultu, copioſe producitur. Hiſpanicus, qui totus in aqua diſſolvi patitur, & ſapore dulciore, minusque amaricante potitur, optimus eſt, ideoque eligendus. *Demulcet, expectorationem promovet, atque nephriticis, ac tuſſientibus conducit.*

LYCII Succus, *le Suc de Lycium*, Bux-Dorn-Safft. Ex ramulis Lycii, arbuſculæ ſpinoſæ, quæ frequentiſſime in Lycia, Aſiæ provincia occurrit, coctione elicitur, eodemque modo, condenſatur, vid. SALMAS. *Exercit. Plinian.* pag. 819. Colore nigro notatus eſt, & ſaporem amarum, auſterum, nec non adſtringentem patefacit. In glebis advehitur, ſed raro in uſum vocatur. *Vim refrigerantem & adſtringentem prodit, atque ulceribus oris & gingivarum, maſticando, conducere creditur, & ammandari ſolet.*

MANNA Calabrina, *la Manne en Larmes*, Manna. Eſt ſuccus condenſatus, quem Arbores *Fraxini* & *Orni*, in Calabria, Sicilia, agro Romano, Syria, India orientali, Provincia ac Delphinatu Galliæ, Epiſcopatu Tridentino, & alibi, producunt. Saporem dulcem, ſubacrem & pinguem protendit, ſed mellitum odorem profert. Arbores Fraxini, calidiſſimis horis dierum canicularium, cœloque ſereno, ſponte ſuccum viſcidum & ſubdulcem emittunt, quem ſolis radii condenſant. Hic ſuccus poſt collectionem & ulteriorem arefactionem Manna nominatur. Vid. huc ſingulare exemplum, quod ipſe vidit SALMASIUS *Commentar.* de *Manna*, in fine, pag.

254. Manna ſpontanea, quam incolæ *di Corpo* nuncupant, a vigeſimo primo Julii die, uſque ad finem hujus menſis, ex junioribus Fraxini ſurculis guttulatim deſtillat. Julio vero elapſo, acolæ corticem Fraxinorum inciſione vulnerant, unde ſuccus a meridie ad ſextam uſque pomeridianam horam profluit, & vi caloris in grumos craſſiores adigitur, & *Manna forzata*, nuncupatur. Nimia nonnunquam hujus ſucci copia in arboribus Fraxini tubercula protrudit, quæ corticem dehiſcere cogunt, ut liquorem ſuum profundant, qui deinde calore ſolis in Mannam condenſatur. Non omnes Fraxini & orni arbores indiſcriminatim Mannam ſuppetidant, ſed juniores tantum, quarum cortices non ſcabri, ſed læves ſunt. De his omnibus vid. exactiſſime tractantem, GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 581. ſqq. De alia vero Manna Perſarum, Armeniorum, & Georg. vel Maurorum, vulgo *Trunſchibil*, vel *Trungibin*, *Agul*, aut *Alhagi* dicta, agit quaſi in tranſitu, RAUWOLFIUS, *Itinerar. Orient.* Part. I. cap. 8. p. 89. & Part. II. cap. 3. p. 44. & cap. 9. p. 113. tanto diligentius vero & accuratius, magnus TOURNEFORTIUS, Tom. II. *Itinerar.* Epiſt. VIII. pag. 4. ſqq. Conf. & GEOFFROY, *loc. cit.* p. 585. ubi ad *Avicennæ*, *Senapionis*, & aliorum teſtimonia, ſimul provocat; quod & fecit SALMASIUS. De vulgari vero Manna, vid. & LABAT. *Itiner. Hiſpan.* & *Ital.* Tom. V. cap. XI. Conf. MYLII, *Delic. Phyſic.* Vol. II. Sect. XX. p. 731. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VIII. Cap. 6. pag. 462. ſqq. Quæ ex Calabria in granis, ſive granulata adfertur, alba, parumque flaveſcens adparet, dulcedinem prodit, ſed tamen modica mordacitate lingum perſtringit, ac levitate ſe commendat, optima cenſetur, & eligenda eſt. Galli vocant eam *Manne en grains*, *ou en Sorte*. Sed adhuc tertia extat ſpecies ſpiſſa, ſordida, pinguis, modo naturalis, ſed non rite collecta vel ſervata, & modo factitia, quæ rejicienda, Gallici *manne graſſe*. Illa vero, quæ ex arbore ſauciata promanans, canna vel arundine excipitur, & ſic condenſata, in fruſtulis oblongis advehitur, *Cannulata* nuncupari ſolet. *Vim abſtergentem poſſidet, & alvum leniter movet. Pueris, ſenibus, pariter ac mulieribus prægnantibus a drachmis duabus, ad octo vel decem tuto dari poteſt.* Sed non omnibus mulieribus, multo minus omnibus prægnantibus, Manna ob nimiam & nauſeoſam ſuam dulcedinem, tuto ſemper propinari poteſt; imprimis ſi ex uteri vitio, paſſionibus hyſtericis ſæpius alias obnoxiæ fuerint, licet contrarium ſtatuiſſe videatur *Zacutus*, Luſitanus, & eum ſecutus *Ill.* HOFFMANNUS noſter, in Diſſert. de *Mannæ præſtantiſſimo, in Medicina, uſu.* Tum enim Manna, vel exigua quantitate data, horrenda ſæpe tormina, lipothymias, uteri ſuffocationes, vertigines, vomitus, aliaque mala vix facile ſubigenda, excitare ſolet, qualia exempla triſtia haud ſemel vidimus. Ita fœminam ex parciſſima Mannæ dilutæ doſi, diriſſimis convulſionibus & totius corporis contorſionibus correptam, obſervavit quondam HOECHSTETTERUS, *Caſ. Med.* 8 Decad IV. p. 429. Aliud vero hypercatharſeos exemplum a ſeſquiuncia Mannæ in Vetula obſervatum retulit, RIEDLIN. *Lin. Med.* Ann. 1699. Menſ. Novemb. Obſ. 10. p. 1199. Quid? quod a modica ac refracta Mannæ doſi puerperam aliquando in letalem hypercatarſin incidiſſe, funeſto axemplo, docet ex *Hettenbachio*, Vir ſummus, *Thomas* REINESIUS, in *Chemiatria*, p. 72. Igitur in univerſum, ab incauto Mannæ uſu abſtineant feminæ, præſertim autem gravidæ, aut jam puerperæ

factæ. Ceterum de Manna multi multa ſcripſerunt, quos inter, præcipui, ALTOMARUS, DEUSINGIUS atque SALMASIUS, item *Celeb.* HEUSTERUS, BERGERUS *noſter*, POSNERUS, præſertim vero Ill. HOFFMANNUS, & GEOFFROY, jam merito laudati, & SAILLY, ſingularibus Diſſertationibus. Add. RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Aug. Obſ. 9. p. 237. & *Cur. Med.* 780. Cent. VIII. p. 484.

MEL, *le Miel*, Honig. Eſt ſubſtantia liquida craſſiuſcula, dulcis, & albo flaveſcens, quam Apes ex diverſis vegetabilibus eliciunt, ac colligunt. Adfertur magna copia ex Boruſſia, Polonia, Lithuania, & Ruſſia, ubi apes imprimis ſilveſtres mella parant copioſa, & inemtas quaſi dapes. Nonnullis perſuaſum eſt, quod mel nihil aliud ſit, quam extractio florum, cum roris ſubtilioris ſubſtantia conjunctum; alii opinantur; quod ſit Chylus in ventriculo apum abſolutus, & per vomitum intra favos repoſitus. Interim manifeſtum eſt, apes multum ad mellis generationem conferre, non ſolum mel ex floribus eliciendo, ſed etiam ulteriore coctione in ventriculo perficiendo, quamvis fieri quoque poſſit, ut mel, quod apes intra cavitatem proboſcidis granulatum colligunt, aliquam ibidem patiatur mutationem. Mella differunt tam ratione coloris, quam loci & varietate florum, ex quibus eliciuntur. Datur mel *album*, quod *Virgineum* nominant, & ex novellis favis, vel apum juniorum examinibus expromitur, & ſine igne ad uſum præparatur. Mel *flavum* vetuſtiores favi elargiuntur. Pro diverſitate locorum atque florum pariter in mellibus aliqua comparet differentia; ubi namque nobiliores naſcuntur plantæ, ibi quoque mel nobilius, gratius & melius occurrit, quod florum, ex quibus eductum fuit, odorem & ſaporem exprimere ſolet. Hinc fit, ut *Mel ſilveſtre* plerumque pinum & reſinam redoleat; *Mel* vero *Narbonenſe*, ubi Roſmarinus & aliæ generoſiores plantæ laſciviunt, delicatius obvium procedit, proptereaque reliquis omnibus præferri meretur. Pretii vilioris eſt, quod Polonia nobiſcum communicat. *Mel poſſidet vim calidam, abſtergentem, nutrientem, & aperientem; pulmonibus conducit, urinam movet; ſenibus imprimis & phlegmaticis aptum, ac commendabile eſt; ſed junioribus, illisque, quorum ſanguinem calidior temperies exagitat, parcius exhibeatur, bilioſis vero & hyſtericis, rariſſime, vel plane nunquam propinetur.* Ita atrociſſima vidi aliquando ſymptomata a Melle, cum Clyſmate, puerperæ ingeſto, ſubito excitata, adeo, ut fere de vita miſellæ actum eſſe videretur. Vitandus ergo vel maxime, feminis hyſtericis, præſertim vero gravidis, aut partum jam enixis, internus Mellis uſus. Conf. *Tim.* a GULDENKLEE *Reſponſ. Med.* 47. p. 1079. ubi de ſimili Clyſmate ex ficubus & paſſulis minoribus. Ceterum autem ipſum Mel re vera eſt decantatum illud Aurum potabile, cœlitum Nectar, ac vitæ Balſamum, cujus tamen incomparabiles & inenarrabiles plane virtutes, quas in morbis curandis, tam interne, quam externe, ſaluberrime exerit, nondum, quantum equidem ſciam, ſat digne deſcriptæ, ac celebratæ fuerunt, licet nonnulla dixerint *Theophraſtus*, *Libavius*, *Zanardus*, *Deuſingius*, & alii, quos inter tamen ſuo merito eminet magnus BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. I. Part. I. Proceſſ. 42. p. 144. Ceterum *Mel Saccharo eſſe præſtantius*, ſingulari Diſſertatione oſtendere voluit quidam nomine MEL, nominis idem ſonantis dulcedine forſan ad ſcribendum, illectus, ſit venia joco. MOELLE-

RUS quoque ac de PRE, DE MELLE, ſcripſerunt Diſſertationes; quo & imprimis pertinet *Benjam.* EWALDTI, Diſſert. de *Sanitate Hominis per Mel & Oleum conſervanda.* Regiomont. 1711. potiſſimum autem in meritiſſimas Mellis laudes totus effuſus eſt QUERCETANUS, in *Diætet.* Cap. VIII. & ult. conf. HOECHSTETTERI *Obſ. Med.* 8. Decad. IV. p. 430.

OPIUM, Meconium Thebaicum, *l'Opium de Thebes*, ausgetrockneter Mohn-Safft. *Oſiun*, & *Aſiuum*, hodie incolis, teſte RAUWOLFIO, *Itiner.* Part. I. cap. 9. p. 120. & WEDELIO, *Opiolog.* item KAEMPFERO, *loc. cit.* p. 642. & SCALIGERO, in *Scaliger.* I. p. 9. Elicitur ex capitibus *Papaveris ſativi*, quæ paulisper ante completam maturitatem multiplici inciſione vulnerantur. Culter, quo negotium hoc peragitur, quintuplici inſtructus eſt acie, hinc unica percuſſione quinque ſimul vulnera longiuſcula ac parallela impingit. Ex vulnuſculis confeſtim ſuccus lacteus emanat, qui a ſolis calore condenſatus, poſtero die, quopiam ſcalpro abraditur. Una capitis papaverii parte ſic vulnerata, ſuccoque profuſo, altera quoque facies ſauciatur, atque opium depromitur. Papaver ſtudioſe colitur in agris, & ſi plantæ majores, ramos complures, & in illis capita compluria protrudant, ſuperflua capitella reſcinduntur, ut reliqua magis grandeſcant, ſuccusque copioſior ac efficacior evadat. Lacrimæ, quæ poſt priorem inciſionem colliguntur, majore demulcendi virtute potiuntur, id circo lacrimis poſterioris inciſionis, longe præferuntur. Opium hac methodo collectum, aqua poſtea humectatur, ſpathulaque lignea probe permiſtum, in glebas redigitur, & foliis plerumque papavereis involutum, venale dimittitur. Pauperes ex ſtolonibus & foliis papaveris quampiam Opii ſpeciem coquendo extrahunt, quam radiis ſolaribus condenſandam exponunt, & poſt condenſationem *Pouſt* nominant. Hoc medicamen nobis. *Meconium* dicitur, ſed viliore virtute pollet, pretioque exiguo comparatur. Opium quod regio Thebaica, Aegypto confinis, producit, atque nobiscum communicat, optimum ducitur. Copioſiſſime quoque in Natolia, Cilicia, Cappadocia, & aliis regionibus Orientis, colligitur. Quod ponderoſum, denſum, coloreque nigro-rufeſcente adparet; ignibus admotum, facile inflammeſcit; ſaporem acrem, amarum, atque fortem, narcoticum, ac nauſeoſum prodit; & denique aqua expedite diſſolvi patitur, nec multas fœces relinquit, eligatur. Plurimum ſubſtantiæ gummoſæ poſſidet, ſed reſinoſæ parumper. *Huic opio multifaria adſcribuntur virtutes, quarum primaria ſunt: ſomnifera, anodyna, diaphoretica, & antiſpaſmodica; Indi, & Aſiatici incolæ plures, his quoque aphrodiſiacam adjungunt. Hoc certo divinoque medicamine, vix aut nullo modo in Medicina carere poſſumus, nam ſi Medicis hoc remedium divinitus non eſſet conceſſum, fruſtra in calidiſſimis Indiæ regionibus medicinam præpararent, contra dyſenteriam, choleram, febres ardentes, ac reliquos adfectus bilioſos, qui Orgaſmo turgent, judicante atque tradente Bontio. Indubitatum quoque eſt, quod celebres illæ, Theriacæ ac Mithridatici confectiones, aliaque Philonia, maximam laudis, efficaciæ, & meriti ſui partem opio debeant. Opium crudum raro apud nos in uſum vocatur, ſed Extractum vario modo paratum. Utrum vero,* (ut multorum fert opinio) *hac correctione, opium revera corrigatur? an potius caſtrando quaſi, virtute ſua ſenſim ac inſignite privetur?*

ſub judicio Medicorum lis eſto. Doſis opii vix determinari poteſt, ſufficiat interim unum aut alterum granum propinaſſe; Melius atque tutius tamen eſt, ſi doſi minutiſſima, (quarta ſcilicet grani parte) *vicibusque repetitis, exhibeatur, quam ſi quantitate majore, unaque vice obtrudes. In colica ſpaſmodica præſertim cum opio caute agendum eſt, ne pareſis funeſta ſubſequatur. Adſueti opio facile doſin majorem exhaurire poſſunt, & præſto ſunt exempla nonnulla, quod Germanorum aliqui, ſpatio viginti quatuor horarum, integram dragmam, citra damnum deglutiverint.* Vid. huc *Thom* BARTHOLINI, Obſ. 20. pag. 50. Vol. II. *Act. Med. Hafn.* & MOEBII, *Phyſiol.* cap. X. p. 160. & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* p. 613. JUNCKERI Diſſert. de *Matrona largiſſimo Opii uſu, per plures annos tractata.* Vivit adhuc femina alia, quæ idem quotidie impune facit; quin & in juventute, vidi Scholæ Rectorem, qui magnam Opii copiam, per diem, ceu ſaccharum, devorabat, & illæſis tamen ſenſibus ac viribus ad ultimam ſenectutem pervenit. Ipſe quoque *Galenus* jam dudum ſua tempeſtate, ſimilia obſervavit exempla. Conf. WEDELII, *Opiologia* p. 78. 79. & alios, qui de Opio ſcripſere, mox laudandos. Tantum ergo valet diuturna conſuetudo, ut etiam valentiſſimorum Remediorum vim ſenſim infringat, & tandem penitus fere aboleat. Vid. imprimis, quæ de Aegyptiis, Perſis & Saracenis opiophagis, obſervavit *Proſp.* ALPINUS, de *Med. Aegypt.* Lib. IV. Cap. I. & Cap II. p. 261. TOURNEFORT. *Itiner.* Tom. II. Epiſt. 14. pag. 392. RAUWOLF. *Itiner.* Part. I. cap. 9. p. 120 KÆMPFER, *loc. cit.* p. 645. multique alii, laudati ZORNIO, p. 499. ſqq. & *Richart.* MEAD. Tr. *of Poiſons* Eſſay V. of Opium, p. 260. ſqq. item GEOFFROY, *loc. cit.* p. 695. ſqq. ut & BORRICHIUS Diſſ. de *Venenis*, p. 210. nec non BARTHOLIN. *loc. ſupra cit.* Ceterum plura de Opio, ejusque uſu & abuſu, vid in *Georg. Wolfgang* WEDELII *Opiologia*, item in Diſſert. FREYTAGII, DOERINGII, TILINGII, HARTMANNI, HEIGELII, WINCKLERI, SINAPII, REICHNAU, & imprimis HOFFMANNI, de *Opii Correctione genuina, & uſu*, ut & WALDSCHMIDT. ETTMÜLLERI, SCHROEERI, de MONCHY, BÜCHNERI, HAMBERGERI, & aliorum, de *Opio* conf. *Joh. Bod.* a STAPEL. Comment. ad *Theophraſti* Lib. IX. de Hiſt. Plant. pag. 1099. ſqq. ut & FRICCII Tract. de *Virtute Venenorum Medica*, Cap. XV. p. 275. ſqq. & KÆMPFERI, *Amœnitat. Exot.* Faſcic. III. Obſ. 15. pag. 642. ſqq. item CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect XI. cap. 5. p. 607. ſqq. maxime ZORN. p. 495. ſqq. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 571. ſqq. & noviſſime *Ill. Rich.* MEAD. *Eſſay* V. *of Poiſonous Plants*, pag. 241. ſqq. & præſertim *Alex.* THOMSONI Diſſertationes Med. de *Opio;* nec non GEOFFROY, Tom. II. *Mat. Med.* Cap. VIII. Sect. I. Artic. IV. p. 687. ſqq. ubi exacte agit de Opio. Ceterum vero ſemper plus damni quam Opis, ab Opii uſu expectandum, atque inde plane ab ipſo abſtinendum eſſe, multis oſtendere voluit STAHLIUS, *Mat. Med.* Part. II. 182. pag. 123. ſqq Sed negante SYDENHAMO, p. 190. Tom. I. *Opp.* & BOERHAAVIO, *Conſult. Med.* p. 327. & alibi ſæpius.

SACCHARUM, Mel Cannæ, Zuccarum, *le Sucre*, Zucker. Eſt ſuccus dulcis, ex ſacchariferis arundinibus expreſſus, condenſatus, & in formam ſalis redactus. *Arundo ſacchariſera, eſt herba graminifolia, floribus imperfectis, ſtamineis, me-*

dium tenens, inter herbas Miliacias, & Arundinaceas. Ex radicibus dulcibus & ſucculentis, germina erumpunt, quæ tranſplantata, adoleſcunt in cannas ſex pedes & ultra longas, geniculatas, & circa genicula foliis anguſtis, ſtriatis veſtitas, quæ medullam fungoſam, ſucco dulciſſimo uberrime repletam complectuntur. Hæc cannae, ubi dimidiam altitudinem attigerint, abſcinduntur, foliisque deſtrictis, ſuccus peculiaribus machinis molendinis extorquetur, & ne ſuccus expreſſus aceſcat, ſtatim decoquitur, deſpumatur, & addito lixivio, ex calce viva, cineribusque parato, purificatur, atque ad debitam conſiſtentiam cogitur. Vid. *Cl.* CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* p. 404. ſqq. Hoc ſaccharum, quod farinaceum nuncupant, rurſus poſtea ſolvitur, amplius purificatur, & pro gradu puritatis, & ratione formae, varias ſpecies ſacchari exhibet. Quod in ciſtulis advehitur, *Saccharum Farinaceum* audit. Quod in pyramidibus diverſae magnitudinis, chartaque coerulea involutum, ad nos venit, *Saccharum Melis, Reſinatum, Canarienſe, & Finiſſimum* dicitur. *Saccharum Thomæum, Rubrum,* Thomas-Zucker, nomen ab inſula St. Thomæ, habere perhibent; paratur etiam ex Syrupo, qui in efformatione, pyramidum ſaccharinorum elabitur, & propter pinguedinem atque lentorem, ad cryſtalliſandum ineptus eſt, quia facile humeſcit ac diffluit; ceterum ſaporem melleum, ſed non gratum, ceteris tamen dulciorem poſſidet. Quo ſolidior & ſiccior ſacchari conſiſtentia eſt, eo generoſius cenſetur. *Saccharologiam* ſcripſit olim *Angel.* SALA. Conf. MOELLERI Diſſert. de *Saccharo*, & de PRE, Diſſert. de *Arundine Saccharina*, item BONHOEFERI, Diſſert. *de Saccharo*, præſertim autem ZORN. *Botanolog.* p. 89. ſqq. & quos ibi laudat. Sed de differentia Sacchari Veterum ac Recentiorum, egregiæ extant Diſſertationes doctiſſimorum Virorum *Claud.* SALMASII, & *Anton.* DEUSINGII, quibus add. Iſ. VOSSII eximias Obſervationes, ad *Pompon.* Melæ Lib. III. cap. 7. p. 564. ſqq. ut & *Jo.* LANGII *Epiſt. Med.* 64. Lib. I. p. 317. ſqq. & maxime GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. cap. 8. Art. 9. p. 732. ſqq. ubi exactiſſime agit de Saccharo, item Joh. VESLINGII, *Epiſtol.* 26. p. 117. ſqq. qui & *Epiſtol.* 22. de Sacchari præparatione, ejusdemque uſu medico, p. 104. ſqq. accurate tractat; accuratius vero uberiusque *Guil.* PISO, in *Hiſtor. Nat. & Med. Ind.* Lib. IV. cap. I. p. 108. ſqq. ut & in *Mantiſſa aromat.* Cap. X. p. 185. ſqq. utrique utriuſque per longum tempus, in illa Saccharifera regione, attenti αὐτόπται, & fideles ἐξηγηταί. Ceterum perquam curioſum eſt, quod ex relatione Senum fide digniſſimorum, adnotavit TAVERNERIUS, in *Itiner. Orient.* Part. II. Lib. II. cap. 12. pag. 112. Saccharum nempe optimum, per triginta annos aſſervatum, tandem ſua ſponte mutari in Venenum atrociſſimum, quod omnium citiſſime homini vitam eripiat. Alias vero noxas e Saccharo metuendas, e *Rajo, Williſio,* & aliis refert GEOFFROY, *loc. cit.* p. 747. ſimulque refutat in ſeqq. fortiſſime. Viperam autem a Saccharo mortuam fuiſſe, vidit CHARAS, *Experiment. circa Vip.* Sect. 7. p. 94.

SACCHARUM liquidum, *le Sucre liquide,* Syrup-Zucker. Eſt liquor melleus fuſcus, qui nunquam ad conſiſtentiam ſolidam cogi poteſt, & ſi quidem, vel vi vel artificio ad condenſandum cogatur, tamen ſponte rurſus liqueſcit. Ex conis Pyramidatis exſtillat, & omnium viliſſimum eſt.

SACCHARUM Candiſatum, Canthum, *le Sucre candi*. Saccharum hoc Candiſatum exoritur, ſi Saccharum pyramidale in aqua probe diſſolvas, ad debitum gradum, quem cryſtalliſatio expoſcit, lento igne coquas, & denique in vaſis, quæ filamenta huc atque illuc ſubtenſa habent, ad cryſtalliſandum reponas. Quo purius Saccharum adhibeas, eo præſtantiores & candidiores conſurgunt cryſtalli, unde *Saccharum Candiſatum Cryſtallinum Album*, vel *Rubrum*, diverſæ ſpeciei nanciſcitur. *Uſus Sacchari, tam medicus, quam culinaris notiſſimus eſt. Nonnulli exiſtimant*, & inter illos potiſſimum, *Wilh. Ten* RHYNE, Meditat. ad Hipp. p. 178. ſqq. Conf. RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1696. Menſ. Sept. Obſ. 21. pag. 451. & Ann. 1699. Menſ. Nov. Obſ. 28 p. 1260. ſqq. *quod Saccharum in ventriculo mucaginem producat; hoc tamen non fit ex Sacchari lentore, cum potius ſit ſal eſſentiale reſolvens, & hoc reſpectu uſus Saccharinorum in febribus intermittentibus, ex viſciditate & lentore humorum, & obſtructione prodeuntibus, non ſolum penitus innoxius, ſed potius ammandandus eſt, juxta* nonnullorum ſententiam, imprimis *Ill.* HOFFMANNI in Diſſertat. de *Sacchari Hiſtoria naturali, & Medica*, & paſſim alibi, in ſuis ſcriptis, ubi in *Obſ. Chym.* VII. Lib. II pag. 29. qui prætertim, per omnem ſuam vitam longævam, ſaccharo mirum in modum delectabatur, adeo, ut omnes fere cibos ſaccharo conſpergeret, omniaque vina, ceterosque potus eodem ſaccharo condiret, & quaſi mitigaret. Quod & *Ill.* apud nos *Bergerum*, pariter longævum Medicum ſenem, ſine ulla noxa, quin potius cum magno Vitæ ſanitatisque commodo & oblectamento, ſimili prorſus modo, feciſſe conſtat; ne alios jam commemorem Medicos ſenes, mihi bene notos, & noviſſime apud nos defunctum *Ill Leyſerum*, Jctum, φιλοσακχαρώτατον, ſi ita quidem dicere liceat, qui & ipſi intente amarunt & avide guſtarunt ſaccharum, & aliis impenſe commendarunt. Bina etiam ſingularia exempla illuſtrium Senum grandævorum, qui in ſeram uſque ætatem, Saccharo & ſaccharatis cibis, quotidie delectabantur, retulit *Fred.* SLARE, Medic. Lond. in *Defenſione* Anglica, pro *Sacchuro*, ſcripta, & ex eo GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. cap. 8. p. 750. ubi & plura de Saccharo, lectu digna & jucunda; Conf. & HERMANNI, *Cynoſur. Mat. Med.* Part. I. cap. 8. p. 707. ſqq. in Notis, item VALENTINI in *Muſeo; Pomet* & alios plures. Vid. & RIEDLINUM, *Lin Med.* Ann. 1696. Menſ. Sept. Obſ. 14. p. 439. præſertim autem ZORN. *loc. cit.* p. 91. Ipſe quoque ſummus BOERHAAVIUS, præter ſupra laudatos duumviros clariſſimos, *Piſonem* atque *Veslingium*, Sacchari uſum miris laudibus effert, & omnibus fere commendat, exceptis tantum ſcorbuticis atque rachiticis, *Element. Chem.* Tom. II. Part. I. Proceſſ. 38. p. 138. ſqq. Poſt *Horſtium*, *Dornkrellium*, *Mollenbroccium*, *Drawizium*, & *Williſium*, quibus add. HEUCHERI *Cautiones de Scorbuto*, p. 80. ſqq Tom. I. Opp. Conf. *le* THIEULLIER Diſſert. problematica: *An alimenta Saccharo condita, ſalubria?* Paris 1731. add. GEOFFROY, *loc. cit.* pag. 746. ſqq. & PANAROLI *Obſ. Med.* 12. Pent. II. p. 75. & CARTHEUSER. *Fund Mat. Med.* Part. I. Sect. VIII. cap. 6. p. 461. Sed hæc obiter, pace lectorum.

SCAMMONIUM, Scammonea, *la Scamonée*, Purgirender Winden-Safft. Eſt ſuccus reſinoſus concretus, qui vel inciſione prolicitur, vel prælo extorquetur, ex radici-

radicibus *Convolvuli Syriaci, flore majore, Scammonea dicti*, vel *Convolvuli foliis ſagittatis poſtice truncatis, pedunculis ramoſis, bifloris, Royen.* vid. SALMAS. de *Hyl. Jatr.* cap. 49. p. 54. Hæc planta naſcitur in regionibus calidioribus, præſertim in Syria, circa Antiochiam; atque inſulis Lesbo & Samo. Scammonium Alepenſe optimum dicitur, & Smyrnenſi longe præferri ſolet. Nec illud Samium bonum eſſe probat TOURNEFORT. *Itiner. Orient.* Tom. II. Epiſt. X. p. 110. Sit purum, leve, nitidum, ſplendidum, reſinoſum, friabile, & madefactum lacteſcat, linguæque admotum modicam acrimoniam, ac vim mediocrem urendi patefaciat. *Eſt purgans catholicum, quod bene operatur*, quod imprimis credebat SYLVIUS, *Prax. Med.* Lib. II. cap. 4. p. 97. ridens ibi alios Medicos cautiores, ipſe forſan magis ridendus. Vid. & *Joh. Bod.* a STAPEL, ad *Theophraſti Hiſt. Plant.* Lib. IX. p. 1055. item CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. p. 557. Sed apud nonnullos hoc Scammonium male audit, & ſunt qui illi vim draſticam, inflammatoriam, & tormina cruciatusque excitantem, adſcribunt. Vid. varios in hanc ſententiam Auctores, magna copia allegatos a ZORNIO, in *Botanolog.* p. 616. add. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 136. ſqq. & DÜTTEL de *Virulent. Purgant. Indole* Cap. I. *Verum enim vero, ſi caute adhibeatur, & non delicatulis, ſiccis, hecticis, & debilitate ventriculi laborantibus, porrigatur, ſemper bonum effectum edit Scammonium, præſertim ſi per Liquiritiæ decoctum moderatum, ſalibusque permixtum fuerit. A granis tribus, ad duodecim exhiberi ſolet.* Mihi tamen ſalvo aliorum judicio, hic magis placet ſententia HOFFMANNI, in Diſſertat. de *Purgantibus fortioribus e praxi Medica ejiciendis; Equidem draſtica, Scammoniata, diagrydiata, hujusque generis medicamenta alia, omnibus fere veteribus ſuſpecta ſunt, ob ſpicula acerrima, & tantum non corroſiva;* ubi & in antecedentibus, lepidam de Advocato Ulmenſi hiſtoriam ex THONERO, *Epiſt.* 26. Lib. VI. p. 358. refert, qui ab exigua tantum Scammonii doſi, in perquam gravem hypercatharſin inciderat, quod cum moleſte ferret, atque hinc Medicum rogaret, quomodo terribile illud Medicamentum vocaretur, audiretque ex eo: Scammonium appellari iſtud; imo vero, ille exclamabat: rectius illud dixeris *Schelmonium*, (h. e. perfidum Nebulonem) ob doloſum nempe indolem, & vehementes nocendi vires. Quare & ipſe dudum ſuſpectam hanc Scammonii reſinam in praxi mea, merito damnavi, quod ab ipſius uſu, etiam circumſpecto, plerumque multo triſtiores vidi effectus, quam quidem lætiores. Inde Scammonium, Elleborum, Colocynthidem, & id genus alia draſtica, *Diaboli poma*, ſeu *Capita* recte vocabat quondam in conſiliis ſuis SOLENANDER. Vid. ſi placet, quæ infra rurſus dicturi ſumus ad *Diagrydium Sulphuratum*. His ſuccis condenſatis atque concretis, ſubjungitur heic aliud concretum terreo-acido-oleoſo-ſalinum, ſcilicet.

TARTARUS, *le Tartre*, Weinſtein. Eſt ſal eſſentiale vini, quo dolia, in quibus vinum aſſervatur, incruſtatione quaſi, interne obducuntur. Vinum album, *albentem*, & vinum rubicundum, *rubentem* Tartarum producit; ſed albus, qui in ſuperficie cryſtallis candidis ornatus atque notatus, nec ullis fœcibus adhærentibus dedecoratus eſt, optimus cenſetur. Hiſpanica, Hungarica, & Gallica dulcia vina non fere multum tartari impertiuntur; Rhenana vero, Moſellana & Franconica magnam

tartari quantitatem deponunt; Neccarica vina manu parciore tartarum elargiuntur. Haud facile, & non niſi in vigecuplo aquæ ferventis, ſolvitur. Si crudum in uſus quoſpiam poſtules, aqua tepida prius abluendus, rurſumque ſiccandus eſt. Nonnulli probe ablutum tartarum etiam ipſis cryſtallis præferunt, & a drachma una ad duas exhibere ſolent. *Purgat, ſine ulla moleſtia, primas vias, incidit, reſolvit, & humores acres ac bilioſos omnium optime corrigit. Nullum, præter Tartarum, cognitum eſt corpus, quod cremando, aut deſtillando, plus aëris elaſtici prodat, tantosque vapores omnino incoërcibiles exhalet. Uſibus Medicis, Chymicis, pariter ac mechanicis conſecratus eſt.* De *Tartaro*, vid. SACHSII *Ampelographia*, ut & imprimis *Angel.* SALÆ *Tartarologia* & ZOBELII, item ZEES. Diſſert. de *Tartaro*, & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. III. cap. 6. p. 223. ſqq. & ZORN. p. 725. item PORTZII *Anat. Chym. Vini Rhenani*, cap. 6. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 99. ſqq.

TERRA Japonica, Terra Catechu, *le Cachou*, Japoniſche Erde. Pertinet ad regnum vegetabile, & eſt ſuccus condenſatus ex variis vegetabilibus expreſſus; cujus baſin ſuccus Acaciæ Orientalis conſtituit; vel ſecundum C. B. fructus ſeſſilis, Palmæ Arecciferæ, qui *Taufel* dicitur. Adfertur ex India Orientali, Pegu, Malabaria, Bengala, & Zeylon. Reſinoſo-gummoſa, dura, purpureo-nigricans, & quæ facile in aqua tepida diſſolvitur, aliisque ſpirituoſis menſtruis pariter obtemperat, eligenda eſt. *Vim adſtringentem exerit, & contra fluxiones alvi, nimiasque hæmorrhagias adhibetur.* Ceterum de hac *Terra Catechu*, vid. Tract. *Ehrenfried.* HAGENDORNII, Jena. 1679. ubi de variis præparatis & uſu vario hujus Terræ Japonicæ ſtypticæ, perquam diligenter tractat Auctor; Conf. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VI. cap. 5. p. 365. ſqq. & maxime ZORN. *Botanolog.* p. 180. & LOESEKE, pag. 458. Sed tantum virtutis huic Terræ quidem haud tribuit, LUDOVICI, in *Pharmac. hodiern.* Diſſert I. p. 255. Vid. tamen RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Aug. Obſ. 28. p. 263.

CAPUT XII.

DE FUNGIS ET MUSCIS.

AGARICUS albus, Agaricum, *l'Agaric blanc*, Lerchen-Schwamm. De differentia *Agarici* Veterum & Recentiorum, & inde nata ambigua lite, vid. pleniſſime tractantem *Claud.* SALMASIUM, de *Homon. Hyles Jatrica*, cap. 102. p. 165. ſqq. a cujus tamen ſententia abit GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 772. ubi plura de natura & uſu Agarici legenda, ut & in *Cl.* CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. X. cap. 8. p. 545. ſqq. item *Cl.* LOESEKE, *Mat. Med.* p. 132. ſqq. præſertim autem ZORN. *Botanolog.* p. 27. ſq. Eſt excreſcentia fungoſa arboris *Laricis*, quæ pugni, & non raro hepatis infantis magnitudinem æquat, figuram rotundo-anguloſam, inæqualem exprimit, externe corticoſa, calloſa, cinerea, & nonnunquam ſubrufa adparet, ſed interne ſubſtantiam albeſcentem, friabilem, ſapore ſubdulcem, mox amaricantem, acrem, parumque adſtringentem complectitur. Qui fragilis, candidus, ſplendeſcens & levis occurrit, optimus cenſetur, & eligendus eſt. Arbor *Larix*, ſi junior adhuc ſit, Terebinthinam, quam Venetam nuncupare ſolent, elargitur, ſi vero ſeneſcat, Terebinthinæ loco, Agaricum protrudit. Progerminat in Galliæ Provinciis, Alpibus, & Montibus Tirolenſibus, item Siberia, Tartaria, Galatia, Cilicia, Cappadocia, Sabaudia, Sylva Hercyna, & alibi, obſervante CARTHEUSERO. *Bilem, ſerum, & pituitam educit; & tuſſi laborantibus atque aſthmaticis conducit. Veteres adhibere ſolebant, ubi materia peccans a locis remotioribus dimovenda erat. Menſtrua quoque propellit, hinc monente* RAJO, *ejusdem uſus, prægnantibus interdicendus eſt. Crudus nunquam, niſi in infuſo exhibeatur; Trochiſcatus in pilulis dari ſolet. Doſis eſto in infuſis, drachmæ duæ, vel tres.* Sal gemmæ *vel* Cremor Tartari, *ad ſtimulandum additur; ſed* Zingiber, *vel* Caryophylli, *ad corrigendum.*

BOLETUS cervinus, Fungus cervinus, Tubera cervina, *le Boletus Cervinus*, Hirſch-Brunſt. Eſt fungus inæqualis, rotundus, qui magnitudinem nucis juglandis plerumque exprimit, & ſub cortice coriaceo fuſco, medullam pulverulentam, purpureo-nigreſcentem ſubtiliſſimam, complectitur, quæ, ſi exſiccata ſit, plane nullum odorem diſpergit. Naſcitur in ſilvis. *Recens pro aphrodiſiaco habetur; ſi vero ſubſtantia pulverulenta interior exſiccata fuerit, vix operam & laudem meretur. Ad Corpora Balſamorum tingenda utilis eſt.* Nonnulli, *Fungum Phalloidem fœtidum*, penis imaginem referentem, & qui inſigni odore ceteros omnes antecellit, atque Menſe Junio & Auguſto in locis umbroſis ſilveſtribus naſcitur, pro Boleto cervino, quem e ſpermate cervi ortum fuiſſe aſſerunt, falſo venditant; qui tamen potius in numerum noxiorum

fungorum reponendus, & ab omni uſu medico removendus eſt. Vid. plura de his apud laudatum Zornium, p. 132. & Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. II. p. 768. ſq.

Bovista chirurgorum, Fungus rotundus, orbicularis, pulverulentus, Crepitus lupi dictus, ſive Ovatus, item Fungus veſicarius, *la Veſſe de Loup*, Boſiſt. Vocatur quoque *Lycoperdon*, quod idem græce, ac Lupi crepitus, uti notum, & cum fungis noxiis adnumerari ſolet. Eſt levis, & plerumque magnitudinem pugni æquat, nonnunquam ſuperat, ac ſub tenui cortice cinereo, medullam quampiam, ſive materiam ſpongioſam complectitur, quæ ſucceſſu temporis, completaque maturitate, in pulverem fuſcum ſubtiliſſimum abit. Ubique ferme in paſcuis, & ſiccioribus pratis copioſe protuberat. *Vim adſtringentem, atque ſiccantem poſſidet, hinc a chirurgis, ac vulgo ad hæmorrhagias ſiſtendas externe adhibetur.* Vid. laudat. Zorn. p. 318. & Hermanni *Cynoſur Mat. Med.* p. 247. item Loeseke, *Mat. Med.* pag. 456. ſq. & Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. III. p. 507. ſqq.

Fungus Salicis, *le Champignon de Saule*, Weiden-Schwamm. Hic fungus pileatus atque lamellatus eſt, & nomen habet a ſalice, cui adnaſcitur. Si recens eſt, pileolo ſuperius flaveſcente, lamelliſque candicantibus adparet. *Ad curandam Phthiſin, etiam ſi conſummata, & penitus deplorata ſit, bis de die, a Drachma ſemis, ad integram, commendatur, ac pulveriſatus, vel cum ovo ſorbili, vel cum ſaccharo permixtus, præſcribitur*, a Welschio, Michaele, Ettmüllero, Cardiluccio, Borrichio, aliiſque apud Zorn. p. 595. Ab aliis vero fungis noxiis adſociatur.

Fungus Sambuci, membranaceus, Auriculam referens, Auricula Judæ, *l'Oreille de Judas, ou de Juif.* Naſcitur in caudice Sambuci, & colore cinereo-nigricante adparet. Hollunder-Schwamm, Judas-Ohr. In numerum pernitioſorum fungorum reponitur, in aqua molleſcit, & illam mucilaginoſam reddit. *Maceratus in aqua roſarum, tanquam refrigerans in oculorum inflammationibus adhibetur. Interdum etiam gargariſmatibus contra faucium inflammationem addi ſolet.* Vid. Blochwizii *Anatom. Sambuci*; item Schenckii, *Obſ. Med.* Lib. II. p. 241. aliique apud Zorn. p. 602. præſertim Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. II. p. 770. & ipſius *Continuat.* Tom. II. p. 353. item Hermann. *Cynoſur. Mat. Med* p. 243. & *Sim.* Paulli, *Quadripart. Botan.* p. 141. ubi huic Sambuci fungo, vino, vel cereviſiæ infuſo, miras in pellendis Hydropicorum aquis inertibus, virtutes tribuit; quod experiantur, quibus data fuerit copia hydropem curandi. Sed & hujus fungi in Ophthalmia, egregium idem laudat. p. 234.

Spongia Cynosbati, ſeu Fungus, Bedeguar, *l'Eponge d'eglantier*, Schlaff-Kunz, Schlaff-Apffel, Haagen-Butten-Schwamm. Eſt pila hirſuta, ſive excreſcentia quædam hirſuta ac ſpongioſa, quæ a nonnullis *Fungus comoſus* dicitur; magnitudinem plerumque nucis juglandis, interdum etiam pomi mediocris refert, frutici *Roſa* Silveſtris adnaſcitur; colore rufo-herbaceo adparet; recens odo-

rem roſaceum prodit; & in meditullii alveolis ſoboles cujuspiam inſecti hoſpitatur. Eandem, cum Galla originem ſumunt a punctura inſectorum ovula deponentium, ex quibus ovulis primum vermiculi, poſtea Nymphæ, poſtremum vero Muſcæ, aureo-viridescente colore coruſcantes, prodeunt. *Huic Spongiæ Cynosbati, tribuitur vis adſtringens, & antinephritica, ſi pulveriſata a ſcrupulo uno ad duos exhibeatur; hypnoticam quoque poſſidere virtutem, creditur, ſi pulvinari indatur.* Vid. de his ROSENBERG. *Rhodolog.* Part. II. cap. 33. LAURENBERG. de *Calculi cura*, pag. & ZORN. p. 257. item *Sim.* PAULLI, *Quadripart. Botan.* p. 56. ſqq. ubi de vi lithonthryptica hujus ſpongiæ præcipue tractat, p. 57. quod & ſuo calculo adprobat *B.* BOHNIUS, de *Offic. Med.* Part. I. Cap. XI. p. 245. & ex eo B. HEUCHER. in Diſſert. de *Calculo, per adſtringentia pellendo*, p. 255. Tom. I. Opp.

MUSCUS Acaciæ, *la Mouſſe de Prunier ſauvage*, Schlehen-Mooß. Sub nomine Muſci intelligitur ſubſtantia illa, ex ſicca, arida, incana, villoſa, & filis exiguis contexta, quæ arboribus annoſis adnaſcitur, & *Bryon* quoque nuncupari ſolet. *Muſcus Acaciæ Germanicæ vim adſtringentem exerit, & adhibetur ad fotus & balnea, in uteri & ani prolapſu, aliisque adfectibus, ubi adſtrictione opus eſt.* Vid. plura apud ZORNIUM, *Botanolog.* p. 13.

MUSCUS arboreus, villoſus, quernus, uſnea officinarum, *la Mouſſe de Chene*, Baum-Mooß, Eichen-Mooß. Albeſcens, prolixus, & qui barbæ inſtar Quercuum annoſarum ramis adhæret, optimus eſt, & eligendus. *Adſtringentem, & inſignem vim anodinam poſſidet, hinc infuſum hujus Muſci contra tuſſim ferinam, & clangoſam mirum in modum laudatur, ut & Syrupus* de Muſco querno, cujus deſcriptionem vid. infra Part. II. ſuo loco ſub Syrupis, *Ventriculum corroborat, & quaſcunque fluxiones prohibet atque propellit.* De quibus virtutibus fuſius agit ZORNIUS in *Botanolog.* Med. p. 447.

MUSCUS, ſive Uſnea Cranii humani, *la Mouſſe, ou l'Uſnée du crane humain*, Todten-Kopf-Mooß, Hirnſchalen-Mooß. Magna multaque virtus in omnibus pene morbis, imo in epilepſia & peſtilentia ipſa, inhumono huic Cranii humani Remedio tribuitur vulgo a *Crollio*, *Theophraſto*, *Helmontio*, *Hartmanno*, *Kirchero*, *Unzero*, & aliis, magna copia laudatis a ZORNIO, *Botanol.* p. 417. ſqq. quibus add. *Cœleri*, & *Martin Brand* a BERNIZ Diſſert. de *Uſnea Cranii* humani. Vanum tamen, inutile & deteſtabile ſemper eſt Remedium, quod nullum plane pretium aut meritum in ſe habet, niſi quod ipſi prius fecerit quorundam, prodigiorum, quam naturæ & rationis, amantiorum, præjudicium, credulitas, ſuperſtitio, & vana arcanorum oſtentatio, recte ſic nobiſcum cenſentibus *Ludovico*, *Rivino*, *Boeclero*, *Junckero*, *Markio*, *Grube*, *Büchnero*, *Hoffmanno*, *Boerhaavio*, *Cohauſenio*, *Cartheuſero*, aliisque Medicis præſtantiſſimis. Unicum tamen hæc uſnea habet uſum, in ſiſtendis nempe hæmorrhagiis; quem vero ideo non exerit, quod in arido nudoque ſuſpenſi furis, aut rota fracti latronis cranio, temporis longinquitate, caſuque fortuito, effloruit; ſed

quoniam Muſcus potius eſt, cujus naturalis & inſita virtus in eo potiſſimum conſiſtit, ut laxa conſtringat, & fluxa ſiſtat, ut de omnibus propemodum Muſcis notiſſimum eſt. Ceterum de hac miranda, ſi diis placet, uſnea, vid. præter laudatos jam Auctores, *Continuat. Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. III. p. 415. ſqq. BOECLER. ad *Hermann. Cynoſur. Mat. Med.* Part. II. pag. 8. & quæ ſupra a nobis dicta ad Cranium humanum.

MUSCUS Corallinus, ſive marinus; vid. ſub Marinis.

MUSCUS Pyxidatus, Muſcus pyxoides terreſtris, Muſcus alabaſtrites, ſeu trochiſcatus, Büchſenformiger Erd-Mooß, Kelch-Mooß, vulgo Fiev-Kraut. De quo plura vid. apud laudatum ZORN. in *Additam*, ad PANCOV. *Herbar.* p. 268. & *in Botanolog.* p. 449. Hunc in communiſſimo apud Anglos, contra tuſſes puerorum ferinas & convulſivas, eſſe uſu, teſtatur WILLISIUS, non ſine ſua adprobatione, in *Pharmacevt. Rat.* Part. II. Sect. I. cap. 6. pag. 62. ſqq. ubi & varias compoſitiones ex ipſo concinnatas proponit, ſine periculo, uti equidem arbitror, data occaſione, in uſum advocandas. Conf. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. circa Paris. naſcent.* p. 344. qui & p. 497. ſqq. plures Muſci ſpecies diligenter recenſet; diligentius vero & uberius *Celeb.* DILLENIUS, *integro Volumine.*

MUSCUS terreſtris, clavatus, Lycopodium, *la Mouſſe terreſtre*, Deſcriptus ſub ſeminibus. *Huic plantæ ſingularis plane vis contra Plicam Polonicam adſeritur; virtutemque travmaticam exerit, Scorbuticis, tuſſientibus, phthiſicis, hæmopticis, calculoſis & aſthmaticis ammandari, & in infuſo, cum vino albo, vel ſaltim aqua fontana exhiberi ſolet.* Conf. huc potiſſimum ſingularis WEDELII, Diſſertatio de *Muſco tereſtri clavato*, add. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. I. pag. 36. imprimis multa, de uſu ejus vario, ex multis Auctoribus collecta, exhibet ZORNIUS in *Botanol. ſuo Med.* p. 449. ſq. quibus add. HEUCHERI *Opp.* Tom. I. p. 257.

PARTIS PRIORIS
CLASSIS TERTIA.
REGNUM ANIMALE.

DE ANIMALIBUS ET EORUM PARTIBUS.

AEGAGROPILÆ, Pilæ Damarum, Rupicaprarum, *Aegagropila, le Bezoard d'Allemagne*, Gemſen-Kugeln. Sic vocari ſolent, quia ſive in primo, ſive ſecundo ventriculo damarum reperiuntur. Figura plerumque oblongæ adparent, interdum etiam, ſed rarius rotundæ, pondere vero leviſſimæ exiſtunt. Duplicem ſubſtantiam patefaciunt, quarum interior ex fibris radicum, & cauliculis herbarum concreta eſſe videtur; exterior vero, quæ corticem quaſi conſtituit, coriacia, mollis nonnunquam lignoſa, ſed rariſſime lapidea occurrit, & colorem ut plurimum cinereum, fuſcum, luteo-obſcurum, pallidoque virideſcentem oſtendit. Hæ agagropilæ, quæ magnitudine quidem inter ſe differunt, ſed vix, aut nunquam molem pugni ſuperant, non in omnium damarum ventriculis reperiuntur; nam ſunt concretum præternaturale, quod hujuscemodi animalis morboſam diſpoſitionem indicat. Vero ſimillimum eſt, quod per cohærentiam fibrarum cum ſucco herbaceo nondum perfecte reſoluto, ac lentore ventriculi pauxillatim concreſcant. Ex Helvetia & alpibus Tirolenſibus, ubi rupicapræ degunt, ad nos tranſportantur. Sunt, qui ex fibris radicum atque herbarum, admixtis pilis, hujusmodi pilas, manu fraudulenta effingunt, emtoresque decipere conantur; ſed exercitati materiarum medicarum æſtimatores hanc fraudem facili negotio detegere poſſunt. Pilæ non adeo magnæ, leves, ſed tamen ſolidæ, quæ non ex pilis, ſed potius ex fungoſa, fibroſa, & foliacea ſubſtantia concretæ ſunt, eligantur. *Adſcribitur his pilis vis antepileptica, cephalica, alexeterica, & Bezoar germanicum nuncupari ſolent; in morbis malignis, & partu difficili proſunt, arthritkisque mandantur.* De natura & virtute medica harum Aegagropilarum, vide imprimis WELSCHII Tract. de *Aegagropilis*, nec non de LEEBENWALD, in *Damagraphia*, item HARDER. in Diſſert. de *Rupicaprarum interaneis, & Aegagropilis*, ad Volkamer. ut & *Scheuchzer*, & BOECLER. in *Cynoſur. Mat. Med.* Continuat. II. p. 508. item *Dan.* LUDOVICI, in *Pharmacia hodierna*, Diſſ. I. p. 237. ubi tamen haud

multum virtutis ipſis tribuit, ut & BÜCHNERUS, in *Fund. Mat. Med.* p. 715. Contra vertiginem tamen eximium plane eſſe remedium, obſervavit RIEDLINUS, *Lin. Med.* Ann. 1696. Menſ. Febr. Obſ. 16. p. 78. plures quoque ipſarum egregiæ virtutes recenſentur in *Commerc. litt. Med. Norimb.* Ann. 1736. pag. 254. ſq. & præſertim a laudato WELSCHIO Diſſert. altera de *Aegagropilis*, p. 55. ſqq. ubi viginti curationes ſingulares enarrantur, ipſarum virtute medica, feliciter peractæ. Ipſe ergo judicet lector. Denique *Diſpenſat. Prag.* p. 11. ubi & ſimul notæ & ſigna accurate indicantur, ex quibus liquido dignoſci poteſt, utrum veræ ac nativæ ſint Aegagropilæ, an vero falſæ, & artefactæ, ingenioſa enim circa has technas, eſt nequitia, & inexhauſta lucri inhoneſti cupido.

ALBUM Græcum, Stercus Caninum album, *la Crotte de Chien*, **Weiſſer Enzian.** Sunt excrementa alvina, canum oſſibus nutritorum, quæ alba adparent, & nullum plane fœtorem emittunt. Vid. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. p. 119. & *Rudiment. Mat. Med.* p. 110. *Vim ſiccantem, abſtergentem, diſcutientem, & aperientem exerunt; interne in dolore Colico, & dyſenteria; ſed externe in angina, ulceribusque malignis opportune & cum ſucceſſu felici adhibentur.* Has quidem nimias rei ſordidæ laudes, poſt ZACUTUM Luſitanum, *Med. Prini Hiſt.* Lib. I. p. 571. ſqq. aliosque plures ibi laudatos, pluribus perſequitur PAULLINI, *in Cynographia*, Cap. XVI. item in *Apotheca Stercoraria*, ut & RULANDUS, BECKERUS, & alii, qui idem ignobile argumentum tractarunt. Vid. RIEDLINI *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Maj. Obſ. 21. p. 145. & Menſ. Jul. Obſ. 17. pag. 209. & VERNA de *Pleurit.* pag. 133. item STAHL, *Mat. Med.* Part. II. p. 53. Sed contrarium tamen rectius ſtatuit RIVINUS, in Diſſert. de *Medicament. Officinal.* p. 84. & *Dan.* LUDOVICI in *Pharmac. Hod.* ſæcul. *appl.* Diſſert. I. p. 412. Suavius ſane eſt Vinum Græcum, quam Album Graecum.

ALCIS Cornu, *la Corne d'Elan*, **Elends-Horn.**

ALCIS Ungulæ, *le pied, ou l'Ongle d'Elan*, **Elends-Klauen.** Alces eſt animal gregarium, biſulcum, palmatis cornubus præditum, & in hoc genere maximum, quod cervorum more ſua cornua quotannis commutat. *Et cornu, & ungula pro infallibili Antepileptico remedio cenſetur; ungulæ tamen cornubus præferri ſolent. Vix ulla pulveris antepileptici compoſitio nota eſt, quæ ungula Alcis non intermixta ſit; ad inſultus epilepticos arcendos incenſa hac ungula naribus admovetur. Alcis cornua, cum cervi cornubus coincidunt*, de qua vide Præparata. Vid. *Andr.* BACCII, *Joh.* WIGANDI, A *Appollon.* MENABENI ſingulares Tractatus de *Alcis Natura, ipſiusque partium in re medica, facultatibus.* Item *Uldaric.* HEINSII, Diſſert *de Alce*. Sed hanc laudatam nimis ungulam Alcis, in curanda dira Epilepſia, miſere claudicare, nec expectationi reſpondere, facete monet, & liquido oſtendit citatus modo LUDOVICI, *Lib. laud.* Diſſert. I. p. 512. imprimis *Cl.* CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect II. Cap. 9. p. 176. ſqq. Conf. infra Part. II. ſuo loco dicenda, ad *pulverem Epilepticum*

Caſp.

Caſp. Bartholini Sed vid. SCHINDLERI *Obſ. Med.* 7. pag. 13. in Schol. & imprimis PANAROLI, *Obſ. Med.* 33. Pentec. III. p. 177.

ANGUILLA, *l'Anguille*, Ahl. Piſcis, piſcatoribus & coquis notiſſimus, itemque luxurioſis lurconibus gratiſſimus & acceptiſſimus. Omnes ferme ipſius partes, veluti ſanguinem cor, hepar, fel, pellem, pinguedinem, caput & reliqua, ſingulares habere in Medicina uſus, multis & propriis & alienis Obſervationibus, oſtendit PAULLINI, notiſſimo Tractatu de *Cœnarum Helena*, ſeu *Anguilla*, item FRANCKENAU, *Satyr. Med.* VIII. p. 157. ſqq. An vero in omnibus his Anguillæ partibus, effectus ſemper reſpondeat expectationi, quidem haud confidenter affirmaverim. Interea tamen hepar potiſſimum atque fel non omni uſu carere, experientia conſtat. Vid. BINNINGERI, *Obſ. Med.* 22. Cent. III. pag. 271. & potiſſimum *Helmont.* apud. WEDEL. *Amœn. Mat. Med.* Lib. II. Sect. II. Cap. XI. p. 407. item STAHL. *Mat. Med.* Part. II. cap. 2. p. 36 & FRANCKENAU, *loc. cit.* p. 161. ſqq. ipſo quoque fatente BOERHAAVIO, *Mat. Med.* p. 36. Conf. infra *Hepar. Anguillæ præpar.*

APRI Dentes, *les Dents de Sanglier*, Wild Schweins Zähne. Aper eſt animal biſulcum, ſed non ruminans, & pertinet ad genus porcinum. Cetera notiſſima ſunt. *Hi dentes ad pleuritidem ſpecifice commendantur. Vide Præparata.* Re ipſa tamen parum præſtant præſidii, ut experientia edoctis nobis conſtat. Vid. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. pag. 185. & VARNA de *Pleurit.* Part. V. Cap. 7. p. 132.

ARANEA, *l'Araignée*, hoc etiam adſpectu fœdum, pedibus vero natibusque juxta artificioſum & mirabile animal ſingulari & eximio uſu pollere in variis inveteratis & pertinacibus morbis perhibetur, a LISTERO, atque HÜLSIO, Tract. de *Araneis.* MUFFETO, in *Theatro Inſector.* Lib. II. Cap. 15. & ex eo DERHAM, *Phyſico-Theolog.* Lib. IV. Cap 13. p. 460. ſqq. *Wilhelm ten* RHYNE, *Obſ. ad Hippoc.* p. 110. item PAULLINI, *Obſer. Med.* 44. Cent. III. p. 333. præſertim autem HEUCHER, in Diſſert. de *Araneo*, *Homini pernicioſo & ſalutari*, Opp. Tom. I. pag 140 ſqq. Ipſam quoque tenuem illam levemque Aranearum telam, vulneribus recentibus ſanandis ac conſolidandis, ipſique ſanguini ſiſtendo, apprime inſervire, notum eſt ex DIOSCORID. Lib. II. Cap. 68. PLINIO, Lib. XXX. Cap. 9. *Galeno*, *Celſo*, Lib. V. Cap. 2. PETRONIO, Cap. 98. & SERENO *Sammon.* ubi plura in Notis *Keuchenius*, p. 279. quibus add. HEUCHER. *Diſſert. laudat.* p. 170 ſqq. Res enim hæc vel Aniculis nota. Conf. infra, Part. II. *Emplaſtrum antifebr.*

ASELLI, ſive Millepedes, Millepedæ, Centipedes, *les Cloportes*, Mauer-Eſel, Keller-Eſel. Aſelli ſunt inſecta terreſtria, exanguia, non alata, ſed quatuordecim pedibus ſtipata, quorum ſeptem ex utroque latere prominent; corporis circumferentia ſerrata adparet; cutis quaſi ſquamoſa, & mediantibus novem articulis inæqualibus ſic coordinata eſt, ut pro lubitu ſeſe contrahere & in orbem piluli-

formem complicare, iterumque diſtendere poſſint; inſuperque antennæ longiores ex capite procedunt; rimas parietum, cellas, aliaque loca uliginoſa inhabitant, & ex tepido humore nutriuntur. Nonnulli hoc inſectarum genus viviparis, alii oviparis adnumerant. *Vires ſpecificas poſſident ad viſciditatem tartaream reſolvendam, obſtructionesque viſcerum aperiendas; adhibentur quoque in morbo regio, dolore nephritico, aſthmate, & urina difficili.* Vid. HENNINGERI Diſſert de *Aſellis*, ſeu *Millepedis*, item FRANCI *Oniſcographia*, vel Diſſert. de Aſellis, ſive *Millepedis*, & *Jo. Fr.* de PRE, Diſſert. de *Millepedis*. Sed parum virtutis diureticæ & lithonthrypticæ ipſis tribuit, expertus ipſe, LUDOVICI, in *laudato Libro*, Diſſert. I. pag 336. licet contrarium tueatur CHESNEAU, *Obſ. Med.* Cap. 10. Lib. III. pag. 331. cum *Augenio*, *Senerto*, *Riverio*, *Hartmanno*, & aliis; vim autem antifebrilem ipſis adſcribit RIEDLINUS, *Lin Med.* An 1696. Menſe Mart. Obſ. 4 pag 106. & contra tuſſim puerorum convulſivam eos imprimis commendat *Thom.* WILLIS, *Pharmacevt. Rational.* Part. II. Sect. I. Cap. 6. p. 64. Vid infra Part. II. ſuo loco, *Liquor Millepedum Williſii*; conf. BOECKLERI *Cynoſur. Mat. Med. Hermann. Continuat.* Tom. III. Part. II. pag. 779. lue venerea commendantur a BRUNNERO.

BEZOAR Occidentalis, *le Bezoar d'Occidental*, Occidentaliſcher Bezoar. Eſt concretum lapideum, quod in ventriculo *Capricerva occidentalis*, patrio idiomate *Cuguacu* nuncupatæ, naſcitur Hic Bezoar Occidentalis fragilior, laxior, minus levis, multisque ſed multo craſſioribus lamellis ſibi invicem impoſitis, compoſitus, deprehenditur, quam Orientalis. Colore & magnitudine hi lapides variant; nam modo nigri, modo cinerei, interdumque virideſcentes adparent, aſt plerumque in meditullio vel paleas, vel pilos complectuntur, nec in omnibus Capricervarum ventriculis occurrunt, concreta enim ſunt præter naturalia, quæ, uti de Aegagropilis etiam notatum fuit, ex indole morboſa animalis enata fuiſſe videntur. India occidentalis hoc proprium habet, quod vix ullum animal reperiatur, in quo tales lapides non inveniantur, qui omnes, ſub nomine Bezoar occidentalis advehuntur, & ideo colore ac figura differunt, pretioque viliore, quam orientales, venduntur. *His lapidibus vis alexipharmaca ſudorifera, antepileptica, cordialis, abſorbens, acrimoniam temperans, & urinam movens aſſeritur.* De hoc ſecundæ dignitatis lapide Bezoar, vid. pariter Auctores mox in ſequentibus laudandi, item LUDOVICI, *loc. cit.* Diſſert. I. p. 237. ubi lapidi huic Bezardico Occidentali easdem pene virtutes tribuit, quas adſcripſit ipſi Orientali, nimirum mediocres admodum, & valde adhuc dubias, nec ſatis voto & expectationi medentium reſpondentes. Conf. & RIVINI, Diſſert. ſæpius laudata. Interim tamen dandum aliquid imperioſæ in rebus humanis, conſuetudini, ut ea quoque nonnunquam adhibeantur remedia, quæ, ſi parum proſunt, tamen haud multum nocent, ne forte nocentiora his, in ſua damna, ipſi deſiderent, & clanculum conquirant ægrotantes. Sed hæc obiter. Conf. *Cl.* BUCHNERI *Mat. Med.* p. 715. ubi pariter de uſu hujus lapidis ſingulari, merito dubitat; ut & *Cl.* CARTHEUSERUS *Fund. Mat. Med* Part. I. Sect. II. cap. X. p. 194. ſqq. & dudum PAULLI, aliis ab ipſo laudatis, *Quadripart. Botan.* p. 16.

Bezoar Orientalis, *le Bezoard Oriental*, **Orientaliſcher Bezoar.** Patria hujus lapidis eſt Provincia *Laar*, & aliæ in Perſide, ubi in ventriculis Capricervarum Orientalium, quæ *Gazellæ indicæ* dicuntur, & *cornubus rectis, longiſſimis, & prope caput annulatis* armatæ ſunt, naſcuntur, atque occurrunt. Vid. huc imprimis Kæmpferi *Amœnit. Exot.* Faſcic. II. Relat. IX. p. 398 ſqq Animal hoc pilis brevibus, cinereo-rufis veſtitum eſt; magnitudinem, caput & barbam capræ domeſticæ æmulatur; hircus longiora & liberalius extenſa cornua gerit, quorum annuli ætatis annos indicant, capella vero vel plane nulla, vel ſaltim valde exigua producit; aſperrima montium loca inhabitat, timidiſſimum eſt, & valde fugitivum; ſed non in quavis regione, ubi moratur, hos lapides generat. Capricervæ annoſiores, circumſpectius incedentes, inſidias, præ ceteris ſodalibus ſuis, extimeſcentes, & quas macies miſera ſic conſumſit, ut vix habeant tenuem, quæ tegat oſſa, cutem, hunc lapidem Bezoar, ſecum ferre judicantur. Locus, in quo generatur, vel ſaltim reperitur, hic lapis, Pylorus eſt, ſive productior quarti, quem vocant, ventriculi fundus, ad cujus latus plica quædam, ſive ſcrobiculus, humore mucoſo obductus, lapillum ſuppeditat. Perhibetur, quod hi lapilli, vivente fera, molliores atque friabiles ſint, & neutiquam eandem, quam poſtea adquirunt, duritiem habeant; hinc, ne improvide perfringantur, nec plumbeo adtactu nitorem amittant, recens exſecti ab inventoribus ore excipiuntur, & aliquantiſper foventur, donec indurent; mox poſtea Goſſypio obducuntur, & aſſervari ſolent. Argumenta bonæ indolis ſunt: ſi lamellatim concreti adpareant; interna illorum cavitas non plane vacua ſit; limpiditatem aquæ, cui intruduntur, non turbent, nec augeantur, nec minuantur pondere; denique ſi chartæ, calce vel creta incruſtatæ, adfricentur, & lineam luteo-viridem relinquant. Falſum eſt, quod genuini lapides Bezoardici exinde cognoſcantur, ſi acu candente perforari ſe patiantur, adulterini enim, qui ex reſinoſa materia ſunt adoptati, acus candentis ictum quoque, & quidem libenter admittunt, cum e contrario plerisque genuinis tanta, & quaſi ferrea ſit durities, quæ omnem acus candentis ictum deludat; neque factitii lapides exinde cognoſci, & a genuinis diſcerni poſſunt, ſi interiores lamellæ deterioris ſubſtantiæ & coloris ſint, ea namque diſparitas ex diverſitate alimentorum facile oriri poteſt, dum animal vagum, in quo hi lapides progenerantur, paſtus locum perſæpe mutet. Tandem pro genuinis lapidibus orientalibus, illi habentur, qui inter reſinæ & lapidis ſubſtantiam ambiguum admittunt diſcrimen, atque cont. ſi in ſpiritu Nitri, aut Salis facile diſſolvuntur, ac Menſtruum colore impenſe rubicund imbuunt. *Bezoar virtutem alexipharmacam, acida abſorbentem, & humores reſolventem poſſidet, nec non ad innumeras ferme compoſitiones Bezoardicorum pulverum adhibetur.* De hoc Lapide pretioſo alexipharmaco notiſſimo multi multa, imo forſan nimia ſcripſerunt, bene monente *Ludovici*, ut Medicis quidem conſtat, ex quibus facile eminent *Deuſingius*, *Hieblinus*, *Bauhinus*, *Monardes*, *Sarazenus*, *Wagnerus*, *Jac. Bontius*, *ad Garc.* ab Orta, & noſter quondam *Schneiderus*, ut & *Rolfincius*, *Veſti*, & *Slevogtius*, Kæmpfer, *loc. laud* & Vossius, de *Idololat.* Lib. III. Cap. 68. p. 542. item Thonerus, *Obſ. Med.* 2. Lib. I. p. 15. ſqq. ubi ſimul egregie diſſerit de uſu & abuſu hujus pretioſi Lapidis, in febribus præſertim continuis; quod & fecit Stenzelius,

quondam noſter, in Diſſert. de *Bezoard Emolumento & Detrimento*, item VALENTINI, WORM, KUNDMANNUS, & alii *Muſeorum* naturalium Scriptores. Sed quam rari apud nos ſint lapides Bezoardici veri; & quam frequens contra ſit adulterinorum & artefactorum impoſtura, acute monet & liquido oſtendit ſæpius jam laudatus RIVINUS, in Diſſert. de *Med Officinal. Cenſura*, Cap. IV. pag. 100. præſertim vero KÆMPFERUS, *loc. cit.* p. 402. ſqq. & p. 397. & *Jerem.* RHETIUS, in Diſſ. de Febre petechiali, pag. 51. apud BIERLING. *Obſ. Med.* 78. p. 22. Sed plura vid. apud PAULLI, *Quadrip. Botan.* p. 15. 16. Conf. LUDOVICI, in laudata ſua, *Pharmacia*, Diſſert. I. p. 237. & BUCHNERI, *Mat. Med.* p. 14. item CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. II. Cap. XI.

BEZOAR foſſilis, qui huc non pertinet, licet paris virtutis alexeteriæ eſſe dicatur; de eo vide ſupra, ſub *Lapidibus vulgaribus*.

BOVIS Fel inſpiſſatum, *le Fiel de Bœuf épaiſſi*, Eingetrocknete Ochſen-Galle. Igne lento ad conſiſtentiam Extracti inſpiſſatur, & poſtéa in uſus debitos aſſervatur. *Plerumque ad unguenta & emplaſtra contra vermes adhibetur; ſi interne ſumatur, alvum ſollicitat, & vermes interimit.* Vid LUDOVICI, *loc. cit.* Diſſert. I. p. 414.

BUFONES exſiccati, Rubetæ terreſtres majores, *les Crapauds ſecs*, Gedörrte Krötten. Hoc animal omnibus notiſſimum eſt. Ex Bufonum veneno enaſcitur tumor, pallor colorem buxeum ſimulans, difficilis reſpiratio, anheloſa & gravis halitus oris, repentina vertigo, ſyncope, convulſiones, labia interrupta, lingua nigreſcens, balbutiensque, adſpectus torvus, vomitus effrænis; ſudor frigidus, & tandem miſera mors. *Hujus atrocis veneni Antidota habentur: vomitus ex hydreleo, theriaca, mithridaticum, lac, præſertim humanum. Bufones haſta vel palo ligneo perfoſſi, ſiccantur in aëre, poſteaque comburuntur in olla; pulvis, vel cinis mirum in modum laudatur contra* hydropem, *urinam namque potenter movere creditur.* De acerrimo & ardentiſſimo Bufonum veneno vid. imprimis *Guil.* PISONIS *Hiſt. Nat. & Med. Ind.* Lib. V. Cap. 15. p. 298. & BOECLERI *Cynoſur. Mat. Med.* Continuat. I pag. 786. ſqq. item PAULLINI, *Obſ. Med.* 75. Cent. II. p. 256. ſqq. & *Obſ.* 79. Cent. III. p. 371. ſqq. ut & AGRICOLA *Chirurg. parv.* Tract. IV. pag. 406. ſqq De Medicina vero, præſertim contra ipſam ſævam peſtilentiam, ex Bufonibus præparata, diligenter & copioſe agit PAULLINI, juſto Tractatu de *Bufone*. Add. BOECLER. *loc. cit.* p. 787. ſqq. *Ettmüller* & *Wilhelm ten* RHYNE, *Meditat. in Hippoc.* p. 286. ſq. CHARAS *Pharm. Reg.* Tom. II. p. 622. ſq. & STAHL. *Mat. Med.* Part. II. p. 55. SOLENANDRI *Conſil.* & ex iis *Henr.* PETRÆI *Harmonicæ Noſologiæ* Diſſert. XXXV. Theſ. 54. aliique plures, imprimis vero *Commerc litt. Med. Norimb.* Ann. 1735. p. 297. ſqq. Sed merito dubitat de laudatis his nimium Bufonis virtutibus, *Dan.* LUDOVICI, de *Pharmacia hodierno ſæculo applicanda*, Diſſert. I. p. 339. Quorſum & potiſſimum pertinet famoſum illud, ſed & nauſeoſum ac deteſtabile Amuletum antilœnicum Helmontianum, ſive rectius Butlerianum, *Zenexton*, vulgo barbare dictum, cujus longa lataque deſcriptio extat

quoque in *Diſpenſat. Brand* pag. 5. quod laudat etiam in prælectionibus ſuis ad illud ipſum, SCHULZIUS, p. 10. Conf. præſertim *Baſilica Chymica Oſwaldi* CROLLII, cum notis *Joh. Hartmanni*, pag. 106. ſqq. *Opp.* ipſius, ubi & variæ illorum Amuletorum antilœmicorum compoſitiones, & ipſarum capſularum, quibus includuntur, lepidæ & ridiculæ figuræ ſimul exhibentur. Add. *Thom.* BARTHOLINI, *Ciſt. Med. Hafn.* Locul. XXII. pag. 236. ſqq. & maxime DIEMERBROEK, de *Peſte*, Lib. III. Cap. 12. p. 179. ſqq. item KOENIGII *Regnum Animale*, p. 139. ſqq. Sed forſan iſta rectius damnat & explodit RIVINUS, in Diſſ. de *Cenſur. Med Offic.* Cap. III. p. 109. & maxime in Diſſert. de *Peſte*, Cap. IV. p. 863. *Sylleg. Diſſert. Med.* Faciant igitur, quibus placet, periculum; Nos quidem, ut ingenue fateamur, terribiles illos viſu Bufones, & vivos abominamur, & mortuos deteſtamur, vivi enim vivis hominibus nocent, mortui autem morituros ægrotos nihil quidquam juvant. Vivos ergo exitio eſſe, certum eſt; mortuos autem auxilio fore, perquam incertum. Hinc abeat mala beſtia ex bona officina.

CANCRORUM Chelæ, ſeu Ungulæ, *les Pattes des Ecreviſſes de Mer*, Meer-Krebs-Scheeren. Sunt forcipes denticulatæ Cancrorum marinorum, *quibus vis alexipharmaca, antifebrilis, nephritica, atque abſorbens adſcribitur. Ad pulverem bezoardicum Anglicanum hæ chelæ adhibentur &c.*

CANCRORUM oculi, Lapides, Lapilli, *les Yeux d'Ecreviſſes*, Krebs-Augen, Krebs-Steine. Sunt lapilli cruſtati, albi, ſolidi, parte altera convexi, altera compreſſi, & in formam acetabuli, orbiculatim ſinuati, magnitudinem mox piſi, mox lentis, interdum etiam fabæ adæquant, terreum ſaporem produnt, & ex cancris fluviatilibus ſumuntur. De horum lapillorum geneſi ſequentia probe notanda ſunt. Cancri quotannis ægrotant, & hoc contingit maribus medio menſis Junii, femellis vero menſe Julio, ante depoſitionem teſtarum; morbo hoc durante, per novem dies & amplius, immorti & quaſi ſemiexanimes procumbunt; ſtomachus illorum nova membranula obducitur, inter quam & ſtomachum veterem ex utroque latere, quidam liquor lacteus oritur, qui ſenſim abit in lapideam ſubſtantiam, ſuperficie convexam, ſed parte, qua ventriculum tangit atque obducit, concavam. Vetus ſeu interior ventriculus poſtea mutatur in quampiam mucilaginem, quæ cancris interea alimentum præbet; membranula vero iſta, in qua lacteus iſte liquor collectus fuit, convertitur in novum ſtomachum, qui locum veteris ſupplet; liquor lacteus coagulatur partim, & in ſubſtantiam lapideam deſcendit, quæ deinde Oculus vel Lapillus Cancri nuncupatur, partim in hujus animalis alimentum cedit; ipſi denique lapilli, liquore conſumto, iterum reſolvuntur, & in locum victus adhibentur. Quam diu hi lapilli ſtomacho adhærent, cancri plane nihil edunt, & nil quidquam in illorum ſtomacho reperitur, vivuntque propemodum viginti ſeptem dies ex vetere ſtomacho, & poſt illum penitus conſumtum, etiam ex lapillis ſolutis. Hi lapilli, ſi ex vivis cancris depromantur, ferme cœrulei adparent, ſi vero ex coctis evellas, albeſcunt. Tanta interim copia hi cancrorum oculi præſto ſunt, ut merito dubites, an omnes ſint genui-

ni. Ex Polonia, Boruſſia, Beſſarabia, Ucraina, Hungaria, Lithuania, Marchia & Tartaria, ubi tanta cancrorum copia eſt, ut ſuas illis ſaginari poſſint, ubertim ad nos tranſeruntur. Cancri vivi in Megma contunduntur, quod aqua poſtea diluitur, ubi lapides fundum petunt, qui poſt collectionem ſiccantur, & adſervantur. Adulterari ſolent, confectis vel ex albente terra, vel ex creta, ſed tamen facile a genuinis diſcerni poſſunt, qui ex lamellis ſibi ſuperincumbentibus vel ſtriis ſunt compoſiti. *Sudorem atque urinam movent, inſuperque vim reſolventem, abſtergentem, & abſorbentem poſſident, ac frequentiſſime ad varios pulveres adhibentur.* Conf. huc imprimis SACHSII *Gammarologia*, item SCHULZII Diſſert. de *Cancrorum fluviatilium uſu medico*, præcipue vero KIRSTENII Diſſert. de *Lapidibus Cancrorum*, conf. & RIEDLINI *Lin. Med.* Ann. 1698. Menſ. Mart. Obſ. 12. p. 204. ſqq. ubi & de abuſu illorum; add. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. II. Cap. 5. pag. 122. ſqq. De Cancrorum autem oculis ſuppoſititiis & ex Argilla uſta fraudulenter paratis, vid. RIVINI *Med. Officin. cenſura*, Cap. IV. p. 100. Conf. LUDOVICI, *loc. cit.* Diſſert. I. p. 331. ſqq.

CANTHARIDES, Muſcæ Hiſpanicæ, *les Cantharides*, Spaniſche Fliegen. Sunt inſecta alata, oblonga, pedata, vaginipennia, & colore viridi, aureoque lucente ornata, quæ, ſi recentia ſint, fœtidiſſimum odorem longe lateque diſpergunt, atque ſaporem piceum, coroſivum & cauſticum produnt. Calidiores regiones, Hiſpania nimirum, Gallia, & ager Pariſienſis hæcce producunt inſecta; interim tamen in Germania, & tota propemodum Europa quoque naſcuntur. Præ ceteris arboribus Fraxino, Liguſtro & Populo alba delectantur cantharides, etiamſi in aliis fruticibus pariter demorentur. Noſtræ cantharides, ſi recentes ſint eundem effectum præſtant, ac illæ, quæ ex calidioribus regionibus adferuntur, ſed virtus earum brevi tempore evaneſcit. Diverſa magnitudine occurrunt, ſed minores majoribus præferendæ, & ſi recentes, integræ, nec pulverulentæ exiſtant, eligendæ ſunt. *Vis cauſtica, quam poſſident, cantharides, in ſale acri conſiſtit, urinam potenter movent, venerem ſtimulant, & pro ſpecifico in hydrophobia cenſentur. Hungari cantharides in aceto conſervare, & tam hominibus, quam equis, bovibus & vaccis, a quopiam cane rabido demorſis, propinare ſolent. Uſus tamen internus valde noxius atque ſuſpectus eſt*; hinc nunquam, *niſi ſumma neceſſitate urgente exhibeantur, incipiendo a doſi minori, grano nimirum dimidio*, & ſi cum levamine *ægroti fieri poſſit, adſcendatur ad granum integrum vel alterum*. Imo tutius eſt ab earum uſu interno plane abſtinere; vid. infr. Part. II. dicenda, ad *Balſamum Magnanimitatis, Eſſentias Aphrodiſiacas*, & *Tincturam Cantharidum*. Licet. *Joh.* GROENVELT, Med. Lond. contrarium acriter ſtatuerit, Tract. de *tuto Cantharidum uſu interno*, ubi imprimis Camphoram prædicat, tanquam præſtantiſſimum Cantharidum correctorium. De quo vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 527. Conf. RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1697. Menſ. Febr. Obſ. 19. pag. 115. præſtat tamen tutius ſequi conſilium de vitando uſu Cantharidum interno, *Cl.* CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. VII. cap. 10. p. 436. & LOESEKE, *Mat. Med.* p. 285. item *Petr.* BARRERE in *Obſervat. Anat. ex ſection. Cadaverum deſumt. fine*. *Uſus frequentiſſimus eſt in veſicatoriis. Ardor urinæ & mictus cruentus, quos uſus cantharidum excitare ſolet,*

lacte, emulſionibus, & oleo amygdalarum dulcium, vel ſeminis lini mitigatur. Vid. VERZASCHÆ *Obſ. Med.* 51. p. 10. LANGII *Epiſt. Med.* 47. Lib. I. p. 208 BARTHOLIN. Cent. V. *Hiſt. Med.* 82 p. 159. ſqq PLATERI, *Obſ. Med.* Lib. I. pag. 239. ſqq. *De Cantharidum, ſive Chryſocantharorum, ſingulari natura, eorundemque in Veſicatoriis potiſſimum uſu eximio, interdum & abuſu exitioſo,* egregias ediderunt Diſſertationes STENZELIUS atque VATERUS noſtrates, Anteceſſores mei Clariſſimi; item WEDELIUS, GEYERUS, ALBINUS, KIRCHDORFFIUS, WITAKERUS, RIEDLINUS, SALMUTHUS, & alii, conf. *Cl.* BÜCHNERI, *Mat. Med.* p. 681. item BORRICH. in *Act. Med. Hafn.* Vol. IV. Obſ. 80. p. 185. ſqq. & Vol. V. Obſ. 89. pag. 216. ſqq. & præcipue FRICCII Tract. de *Virtute Venenorum Med.* Cap. V. p. 161. ſqq. ubi copioſius ac diffuſus, pro more, Auctor eſt, in celebrando uſu Cantharidum, tam interno, quam externo; & dudum ante eum, *Hercules* SAXONIA in abſolutiſſimis fere Libris III. de *Veſicantium uſu*, impenſe merito laudatis *Freindio*, loco mox allegando, pag. 163. add. LANGII *Epiſt. Med.* 47. Lib. I. & Lib. III. Cap XI. p. 868. item BAGLIVI Diſſ. de *Uſu & Abuſu Veſicantium*, nec non ſi placet, Lib. noſtr. de *Pleuritid.* Cap. IV. p. 54. & Cap. V. p. 76. ut & *Poemat. Noſt.* Tom. IV. p. 44. in Not. Præſertim vero multus, imo pene nimius eſt, in laudandis Cantharidibus, in omni fero morbo profuturis, *Guil.* CLINCH. in Comment. de *idoneo Veſicantium uſu, in Morbis curandis*, adjecto RUFI Epheſ. Opuſculis, ab ipſo editis; ut & noviſſime *Carl* MOORE, in Diſſ. de *Uſu Veſicantium, quæ Cantharides recipiunt, in febribus.* Edinburg. 1752. Rectius vero & ſapientius de Cantharidum uſu & applicandi modo, judicavit magnus ille *Joh.* FREIND. in *Commentar.* IX. in *Hippocrat.* Lib. I. & III. de *Morb. popul.* p. 156. ſqq. ubi & ſimul integra quaſi Hiſtoria Cantharidum, progreſſu temporis, inter magna Medicorum diſſidia, ſenſim in uſum externum advocatarum, nitido ac venuſto ſtilo perſcripta, legitur, quam bis, imo quater legiſſe, neminem pœnitebit.

CARPIONUM Lapides, *les Pierres des Carpes*, Karpfen-Stein. Sunt oſſicula triangularia cartilagine obducta, quæ acetabulo, quo ſpina dorſi capiti conjungitur, incumbunt. Ex Carpionibus ſive Cyprinis depromuntur. *Pleuriticis, doloribus colicis vexatis, calculoſis, atque epilepticis mandari ſolent*, ſed plerumque ſine ſpe auxilii, aut levamenti. Vid. LUDOVICI, p. 512. & p. 332. item CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. II. cap. 10. p. 185.

CASTOREUM, *le Caſtoréum*, Biebergail. Sunt folliculi duo, qui tam in maribus, quam in femellis iſtius animalis, cui nomen eſt Caſtor, utrinque in inguinibus ſtatim ſub cute reperiuntur, ovi gallinacei magnitudinem mox æquant, mox ſuperant, & animale vivente liquorem oleoſum profundunt; exſecti vero & cum contentis exſiccati. Caſtoreum exhibent atque conſtituunt. Caſtor eſt animal amphibium & quadrupes, quod felis magnitudinem pauliſper ſuperat; pedibus anterioribus qui canis pedes ſimulant, terram fodit, & ad fluviorum ripas domicilium parat, poſterioribus vero, qui anſerum pedibus conſimiles ſunt, potiſſimum ad natandum utitur; Caput non admodum diſſimile eſt muris montani; cauda plano-compreſſa, tota pilis

nudata, quatuor circiter digitos longa, cinerea, multis rugis, anfractibus, gyriſque inſtructa, & quaſi excavata adparet, ac non ſolum caudam piſcis, ſed integrum piſcem refert. Caſtores, qui ſemper ſuos ſpecus ad ripas fluviorum ædificant, in Moſcovia & Polonia, interdum etiam Germania, ſed plurimi in Canada capiuntur. Vid. *Actor. Petropolitan.* Tom. II. p. 415. ubi de Caſtoris, anatome agitur. Caſtoreum ponderoſum, carnoſum, colore fuſcum acre, graveolens, & quod ex Moſcovia advehitur, bonæ notæ æſtimatur. *Vim calefacientem, attenuantem, aperientem, anodinam & uterinam poſſidet, flatus diſcutit, nervos roborat, venenis reſiſtere creditur, & menſes propellit,* vid. *Vit.* RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Septemb. Obſ. 12. p. 285. ſq. & Ann. 1696. Menſ. Aug. Obſ. 2. p. 361. ſq. item Ann. 1697. Menſ. Jan. Obſ. 21. p. 46. *Datur à granis quatuor ad decem.* Vid. huc imprimis *Joh.* FRANCI *Caſtorologia,* ſive *Caſtoris animalis natura* & uſu *Medico-Chemico,* ubi plura lectu digna; item VESTI, HILSCHERI, & FASCHII, Diſſertat. de *Caſtoreo.* Ceterum ipſius caſtorei virtutes mulierculis tantopere commendatas, vili admodum pretio habet laudatus ſæpius LUDOVICI, *loc. cit.* Diſſ. I. p. 416. & *Rivinus,* it. HOFFMANNUS Diſſert. *de Medicamentor. varia virtute, & efficacia rite dignoſcenda,* ut & in alia Diſſert. de *Remediorum benignorum abuſu & noxa,* fine. Conf. HOECHSTETTERI, *Obſ. Med.* 2. Decad. IV. pag. 348. & pag. 369. & *Clar.* CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 48. p. 371. ſqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 561.

CERVI Cornu, *la Corne de Cerf,* Hirſch-Horn. Cervus cornubus ramoſis, ſolidis, quotanniſque deciduis, ab omnibus animalibus cornigeris & ruminantibus facillime diſcerni poteſt. *Cornu cervi crudo virtutes bezoardicæ adſcribuntur, hinc in variolis, morbillis,* aliiſque *morbis malignis commendatur;* ſed negante STAHLIO, *Mat. Med.* Part. II. p. 51. & Part. I. p. 299. *Phthiſicis, & tabe conſumtis gelatina præſcribi ſolet. In officinis venale proſtat Cornu Cervi philoſophice præparatum, cornu cervi uſtum, & cornu cervi raſpatum. De Cervi excoriati & diſſecti in Medicina, vario uſu,* ſcripſit olim *Joh. Georg.* AGRICOLA; imprimis autem hic legi meretur *Joh. Andr.* GRABÆ *Elaphographia,* ſeu *cervi deſcriptio, ipſius partium & varii in Medicina uſus, conſideratio &c.* nec non ROLFINCII *Elaphologia.* Speciatim autem de *Cornu Cervi, ejusque Vi Bezoardica* vid. *Juſt.* VESUI, ut & *Ludolph.* HARMES Diſſertat. item STAHLII de *Cornu Cervi deciduo,* Diſſ. Conf. LUDOVICI *loc. cit.* Diſſ. I. pag. 232. ſqq. & BORRICH. de *Hermet. Med.* Cap. IV. pag. 332. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. p. 181.

CERVI Priapus, *le Priape de Cerf,* Hirſch-Ruthe. *Penis, ſeu Priapus Cervi commendatur contra morbos venenatos, pleuritidem, colicam, diarrhœam, atque mictum cruentum, urinam quoque & calculum propellere, veneremque ſtimulare creditur. Ad electuaria & pulveres adhibetur.* Sed perquam exiguus atque fallax, certe in pleuritide & dyſenteria, ut ſæpius obſervavimus, profecto omnes illi priapi officinales, nemque Tauri, Ceti, Cervi, Vulpis & cet. tantundem in Medicina valent, nempe nihil; nati quippe ad ſobolem propagandam, non ad ſanitatem reſtituendam. Sed potius pertinet ad Medicinam ſordidam, inhoneſtam, propudioſam, laſcivam ac ridiculam, ipſo

ipſo quoque recte perſpiciente & candide fatente RIVINO, in laudata ſæpius Diſſ. doctiſſima de *Medicamentorum Officinal. Cenſura*, Cap. II. p. 83. & affirmante LUDOVICI, in *Pharmacia hodierno ſæculo appl.* Diſſ. I. p. 251. ſqq. licet contrarium, ſed fruſtra, ſtatuerit THOMSON, in *recta chemice curandi Methodo*, Cap. 15. p. 166. ubi plura de his bellariis animalium ſordidis, ut de aliis Auctoribus in eodem veteri errore verſantibus jam taceam. Inde vehementer omnino miror, ipſum STAHLIUM, tam obſcœnum fatuumque remedium commendare potuiſſe contra hæmorrhagiam, hæmoptyſin, & ipſam dyſenteriam, *Mat. Med.* Part. II. p. 51. quos tamen ſalutares effectus de hoc caſſo vacuoque extinctæ Veneris inſtrumento, nobis nunquam videre licuit, nec expectare libuit. Abeant igitur in poſterum omnes hi effœti, fœtidique Priapi ad ornanda potius ſacra illa ſalacia Ithyphallica ac Lampſacenſia. Sed ex honeſtorum pharmacopolarum officinis penitus elimineutur, & ab elegantiorum hominum & caſtiorum imprimis matronarum uſu viſuque plane removeantur. Sed hæc hactenus, Lectorum, ut ſpes eſt, pace ac venia.

CERVI volantis Cornu. Vid. infra Part. II. *ſuo loco.*

CETI Priapus, *le Priape de Baleine*, Wallfiſch-Ruthe. Incredibili ferme magnitudine, & tribus pluribusque ulnis longior nonnunquam reperitur: Conſtat ex ſubſtantia carnoſa, ſemipellucida, & quaſi cornea, quæ ſaporem carnulentum prodit, & odorem non adeo ingratum ſpargit. *Virtutem ſuam maxime adſtringendo patefacit, idcirco in diarrhœa, & ſanguinis fluxionibus poteſt adhiberi; venerem quoque exſtimulare creditur, & electuariis, pulveribusque nonnullis intermiſceri ſolet. Doſis eſt ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.*

CETI Sperma, *le Blanc de Baleine*, Wallrath. Eſt ſubſtantia pinguis, alba, mollis, tenera, ſquamoſa, & quaſi ex ſquamulis furfuraceis minoribus compoſita, quæ odorem unguinoſum, & ſaporem oleoſum manifeſtat. Veteribus perſuaſum fuit, quod hæc ſubſtantia, quæ ſperma ceti vocatur, reapſe ſperma vel ſemen ceteſſet; ſed noſtro ævo ſatis edocti ſumus, quod hoc ſperma ceti nil aliud ſit, quam materia pinguis circa cerebrum, & ipſum cerebrum pingue Balenæ ſive *Ceti dentati*, quæ *Orca*, *Byoris* & *Cachalot*, Potfiſch, Nord-Caper, vocatur. Intra cranium, & per totam ferme ſubſtantiam carnoſam, tanta hujus materiæ copia latet, ut ex unico horum piſcium aliquot dolia poſſint adimpleri. Poſtquam hæc materia, tranſcolatione per laneum ſaccum, ab oleoſa ſubſtantia liberata eſt, macerari ſolet lixivio ex calce viva cineribusque parato, & manibus ſedulo ſubacta per viginti quatuor horarum ſpatium reponitur; hoc ſpatio præterlapſo, lixivium per ſaccum villoſum exprimitur; materia reſidua, & a lixivio vindicata, rurſus aqua limpida eluitur, & deinde ſuper linteum ſpatioſum expoſita, digitisque probe diducta, exſiccatur, & ſi non ſatis candida adpareat, iterum iterumque lixivio, & purgatoriæ methodo, quam jam jam deſcripſimus, ſubmittitur, donec ab omni immunditia immunis prodat. Sperma ceti candidiſſimum, pingue, recens, & nec flavum nec rancidum ſit, quod eligas.

Virtutem reſolventem, demulcentem, anodynam, & coſmeticam poſſidet. Ex ſpermate Ceti etiam candelæ parari poſſunt, quæ duratione & probitate cereas longe ſuperant, ſed pretio minore, vel ſaltim pari, conſtant; hæ candelæ Magnatibus forſitan, & ditioribus ægrotis conducunt, quia plane nullum vaporem, multo minus putentem, etiamſi extinguantur, emittunt. Aſt modus conficiendi, peculiaris eſt, & ſuo tempore ac loco communicabitur. De *Spermate Ceti* integer extat Liber *Valerii* CORDI, atque Diſſertatio ETTMÜLLERI, nec non alia Henningeri, & alia *Juſti* VESTI, imprimis de ipſius *Natura, Origine & uſu vario*, vid. *Joſephi* LANZONI *Animadverſ. Med.* 135. pag. 446. ſqq. item *Cl.* CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIV. Cap. 8. p. 543. ſqq. ceu egregium antipleuriticum, commendatur *a* VERNA, Tract. *de Pleuritide*, Part. V. Cap. 7. p. 133. Quod haud plane nego, licet ipſe periculum ejus haud fecerim, melioribus remediis inſtructus.

COCCINILLA, Cochinilla, *la Cochênille*, Coccinell, Kuzenel. Eſt inſectum, quod deprehenditur in ſurculis Ficus Indicæ, quæ *Tuna* audit, de qua vid. *Bod. a* STAPPEL ad *Theophraſt. Hiſt. Plant.* Lib. I. pag. 40. HEUCHER. *Opp. Med.* Tom. II. p. 906. ſqq. ZORN. p. 302. & alios, In ſurculis Opuntiæ, ſive Indicæ ficus primum quædam quaſi veſicula adparet, quæ poſtea, opitulante ſolis calore, vermiculum Anthermitem excludit; hic vermiculus temporis ſucceſſu deſcendit in inſectum Scarabæiforme parvulum, quod a MERIANA, *in Deſcriptione inſectorum Surinam* dicitur: *Scarabæus nigricans, alarum alias rubicundus limbis.* Hoc inſectulum accuratiſſime detexit, & deſcripſit verus ille Naturæ Argus, perſpicaciſſimus, REAUMURIUS, *Hiſt. Inſect.* Tom. IV. Memb. I. Conf. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 791. & du HAMEL, *Reg. Scient. Acad. Hiſtor.* Lib. IV. Cap. I. p. 333. item *Acta Reg. Societ. Anglic.* Num. 176. Coccionellam autem verum vivumque vermiculum, qui generetur, alatur, rurſus generet, & denique moriatur, noviſſime ambitioſo teſtimoniorum, etiam ipſius ſacramenti religione, præter neceſſitatem, confirmatorum, apparatu, liquidiſſime demonſtravit, & extra omnem dubitationem poſuit *Melchior* de RUUSSCHER, in *Hiſtoria Naturali Coccionillæ, certiſſimis documentis confirmata.* Cujus ampliſſima Excerpta curioſa leguntur in MYLII *Deliciarum Phyſic.* Vol. I. add. CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XIII. Cap. 21. pag. 511. & DALÆI *Pharmacol.* Lib. III. p. 491. ſqq. item LOESEKE, *Mat. Med.* p. 286. & *Commerc. litt. Med. Norimb.* Ann. 1731. pag. 413. ſqq. Si hæc inſecta ad debitam maturitatem adoleverint, fruticibus, quibus inſident, circum circa lintea ſubſternuntur, & ea parte, qua ventus flat, concitatus ex aliqua combuſtibili materia denſior fumus admovetur, ut ſuffocentur; Hoc peracto, animalcula fumo enecata, levi concuſſione fruticum, copioſiſſime in ſubſtrata lintea decidunt, & nullo ferme negotio colliguntur; deinceps cum linteis expanſis, in loco arenoſo & aprico, radiis ſolaribus ſiccanda exponuntur, corpuſcula vero contracta & arefacta, manibus leniter conſertis, in grana confricantur, ac tandem, alis pedibusque remotis, aſſervantur. Coccinilla ex nova Hiſpania & Regno Mexicano advehitur. Eligatur vel integra & granulata, quæ externe albeſcat; vel trita, quæ purpurea adpareat, & ponderoſa. *Virtus cardiaca, ſudorifera, alexi-*

pharmaca, & *antifebrilis*, *huic Coccionillæ adſeritur; febribusque malignis opponi ſolet. Diuretica eſt*, & *ob leniter ſtimulantem vim*, *quam cum Millepedibus*, & *hujuscemodi inſectis communem exerit*, *quoque laudatur; tinctoribus denique*, *nec non mechanicis artibus*, *ac uſibus multum commoditatis atque utilitatis confert*. Conf. SCHULZII Diſſert. de *Granis Kermes & Coccionella*, jam laudata, item RICHTERI Tract. de *Cochinilla*, nec non DELII Diſſ. de *Purpura & Coccinella*, *in medendo dignitate*; & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. p. 791. ſqq. perquam exacte & copioſe, quem modo laudavimus, item VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Ref.* Lib. III. Cap. 44. p. 364. ſqq. MARSIGLI *Obſervat. Natural.* de *Gran. Kerm.* & *Coccinellæ*, & FRANCISCI *Viridar. Ind.* Part. I. p. 430 ſqq. SALMASIUS de *Homonym. Hyl. Jatr.* Cap. 70. p. 92. ſq.

COCHLEARUM Opercula, Folia, *Couvercles d'Eſcargots*, Schnecken-Deckel. Sunt valvæ quaſi, quibus Cochleæ edules & domiportæ, adpropinquante hyeme, ſua domicilia claudunt, & contra vim frigoris muniunt. *Virtute cum lapidibus cancri coincidunt; hydropicis conducunt*, & *probe abluta*, *ac in pulverem contrita pro ſpecifico diuretico habentur*.

COCHLEARUM Teſtæ, *les Coguilles d'Eſcargots*, Schnecken-Häußlein. Sunt domicilia earundem cochlearum edulium, & eandem cum operculis, virtutem poſſident. *Quæ non calcinatæ*, & *in pulverem tritæ ſunt*, *calcinatis præferuntur*. *Doſis eſt Drachma ſemis*. Virtutem medicam Matri perlarum, teſtis oſtrearum, & id genus aliis teſtaceis ac cruſtaceis parem, his cochlearum noſtrarum teſtis ac domunculis jure tribuit laudatus LUDOVICI *loc. cit.* Diſſert. I. p. 251.

CONCHÆ fluviatiles, *les Coques des Limaeons de Riviere*, omnibus notæ, ejusdem ſunt virtutis, ac cochlearum Teſtæ, Lapides Cancrorum, ac reliqua teſtacea; nempe acidum in primis viis hærens abſorbent ac temperant, partesque languidas non nihil roborant. An vero vi antifebrili ſingulari polleant, ut a multis traditum, de eo quidem merito dubitatur. Vid. CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med.* P. I. Sect. II. p. 127. Ceterum de præparatione concharum vid. infra Part. II. ſuo loco.

CRANIUM Humanum, *le Crane humain*, Menſchen-Hirnſchale. Nunquam crudum, ſed ſemper præparatum in uſum accerſitur. Non ſit hominis morbo demortui, ſed ſani atque morte violenta extincti. Vid. HARTMANNI *Not. ad Baſil. Chymic. Crollii*, p. 90. ubi &, quis non rideat, imo exhorreſcat potius? ipſius adeo cerebri humani Spiritum, ſeu Arcanum, contra inveteratam præſertim Epilepſiam, miris effert laudibus, cujus deteſtabilis remedii præparandi modum docet in *Praxi Chymiatr.* p. 19. Sed nec cerebrum, nec ſpiritum habeat, profecto neceſſe eſt, qui his cerebroſis deliramentis, ſit venia juſtæ indignationi, confidat. Deteſtabile enim hoc remedium utrumque pertinet ad horridos & inhumanos Anthropophagos, quam quidem ad cultiores & humaniores noſtri orbis homines; præſertim, quum parum auxilii, imo nullum plane remedium ſit ſperandum ex arido exſiccoque cranio

ſuſpenſi furis, aut rotæ impoſiti latronis, pro viventibus ægrotis, certiorum & valentiorum medicamentorum indigis. Conf. infra, Part. II a nobis dicenda, ad *Pulverem Epilepticum Caſp. Bartholini*, quibus add. potiſſimum *Cl.* CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. II. Cap. 9. p. 179. ſqq. item ZORN. *Botanolog.* p. 147. ſq. & quos ibi laudat auctores plures. A SCHOVEN ſive COHAUSEN *Relat. Hiſt.* de *feliciter curata in juventutis principe Dyſenteria periculoſa*, p. 17. & p. 64. ſq. & *Act. Med. Hafn.* Vol. II. Obſ. 107 p. 269. ſqq. contrarium tamen tuetur BORRICH. de *Herm.* Med. Cap. IV. pag. 332. Ideo has aniles & ſuperſtitioſas de Cranio humano, fabellas merito explodit Vir acerrimi judicii, *Dan.* LUDOVICI, ſæpius jam *laudato*, nunquam autem ſatis laudando *Libro*, Diſſert. I. p. 513. ſq. add. *Rivini*, *loc. cit.* & BÜCHNER. *Fund. Mat. Med.* p. 708. ubi idem ſentit. Ceterum autem de *Uſnea Cranii humani* Diſſert. edidit COELERUS.

EBUR, *l'Yvoire*, Helfenbein. Sunt dentes ex ſuperioribus maxillis Elephantum, qui incurvi, externe fuſci, ſed interne albeſcentes adparent, & a baſi ampliore concava, ad cuſpidem ſoli diſſimam adſurgunt. Hi dentes, pro ratione ætatis belluarum, quantitate, longitudine, & ſpiſſitudine differunt. Ebur ex Africa, & India Orientali adfertur. *Vim moderate adſtringentem, & refrigerantem exerit, & partim raſum, partim præparatum uſui medico devovetur.* Item Oleum, atque Spiritus, ut notum, quorum ſingulares virtutes laudat HOFFMANNUS in *Obſ. Phyſic. Chym.* Ebori vero ipſi, in ſubſtantia, ut vulgo dicitur, vix majorem virtutem, ac Coralliis, cornubus cervinis & id genus aliis ſponte natis ac ſimplicibus remediis, tribuit *Dan.* LUDOVICI, *Lib. cit.* Diſſ. I p. 249. profecto veriſſime, licet plures & majores in Ebore quærendas (ut nam & inveniendas) eſſe, oſtendere allaboraverit *Petrus ab* HARTENFELS, in *Elephantographia curioſa*, quæ huc præſertim facit.

EQUI Teſtes, Hippoſorchides, *les Teſticules de Cheval*, Pferd-Gylen. Sunt teſticuli equorum, qui in caſtratione excinduntur, & poſtea diſſecti, vinoque eluti, in clibano exſiccantur. *Tanquam remedium præſentiſſimum ad fœtum mortuum propellendum, ſecundinasque ejiciendas, nec non dolores colicos ſedandos ammandari, ac plerumque a ſcrupulo uno, ad duos, in pulvere exhiberi ſolent.* Recte forſan hoc negat RIVINUS in Diſſert. de *Cenſura Medicamentor. Officinal.* & *Dan.* LUDOVICI in *Pharm. hodier. ſæc. appl.* Diſſ. I. p. 416. Sunt enim hi Teſtes deteſtabile, re vera, remedium; licet aliud viſum aliis. Vid. BOECLERI *Cynoſ. Mat. Med.* Contin. II. p. 767. ſqq. & præcipue GESNERI *Epiſt. Med.* Lib. I. pag. 27. conf. infra Part. II. dicta ad *Teſtes Equi præp.*

ERINACEUS combuſtus, *le Hériſon calciné*, Gebranter Igel. Erinaceus eſt animal terreſtre quadrupes, quod proboſcide porcina, & in modum Hyſtricis, undique, parte tamen infima excepta, aculeis armatum eſt, magnitudinemque coniculi refert. Hybernat in cavernis, & ſi de fuga deſperet, ſe ſe in globum convolvit; & cum convolutum deprehendas, & aquæ calidæ, qua valde delectatur, immergas,

ſe iterum evolvit, & dilatat, ut pedibus arripi, ac ſuſpendio jugulari poſſit. Necatus in olla leviter operculo contecta in cinerem concrematur. *Cachecticis, ictericis, hydropicis, & ſpeciatim ad mictum involuntarium, ſeu incontinentiam urinæ commendari, & a ſcrupulo uno, ad drachmam dimidiam dari ſolet* Sed nec Erinaceus combuſtus plus, credo, in medendo, præſtabit, ac quidem combuſti miſelli lepores, talpæ, reguli, aliaque animalia bruta in cinerem redacta, præſtabunt; imo totus ſpatioſus Elephas combuſtus tantundem, opinor, valebit, ac quidem exiguus & contractus mus in cinerem ſolutus; nempe uterque nihil, aut certe parum. Solis ergo Muribus agreſtibus & hortenſibus plurimum proderit Erinaceus combuſtus, quoniam nempe illis tum non amplius inſidiari, multo minus ipſos devorare poteſt; qui proinde ſerio, credo, optarent, ut omnes Erinacei in ſuam potius, quam hominum, ſalutem, comburerentur. Sed hæ hactenus, data quidem commoda occaſione.

FORMICÆ, *les Fourmis*, de harum ſingulari uſu in Medicina, vid. *Benjam.* EWALDTI peculiaris Diſſertatio, Regiomont 1702. Huc & *Jerem.* WILDE, Liber ſingularis de *Formica*, Amberg 1615. Ceterum autem vehementer dolendum, præſtantiſſimi LOCHNERI *Myrmecologiam* prelo dudum paratam, non dum prodiiſſe, & forte dudum, poſt tam longa tempora, ſi non formicarum, & forte tinearum eſcam eſſe factam, irreparabili profecto eruditi orbis damno. Ex illa enim brevi Synopſi, ab ipſo inſerta *Act. Nat. Curioſ.* Dec. II. Ann VIII. luculenter jam patet, quale & quam eximium illud *Myrmecologiæ* opus erat facturum; cujus & meminit in præfat. ad Schediaſma de *Parreira Brava*.

GALLINÆ Ventriculi Tunicæ interiores, *Gyſieres*, Hüner-Magen-Häutlein. Hæ tunicæ membranaceæ non ſolum ex Gallinarum, ſed etiam Gallorum, Caponumque interiore parte ventriculi evulſæ, elutæ atque ſiccatæ, indiſcriminatim uſurpantur. *Ventriculum & inteſtina adſtringere, corroborare, & calculum, ſabulumque propellere cenſentur.* Sed credat, cui volupe; conf. RIVINI Diſſert de *Cenſura Medicament. Officinal.* p. 82. & *Daniel* LUDOVICI *Pharmac. hod. Sæcul appl.* Diſſ I pag. 413. & p. 583. Malim certe ego ipſum Galinæ Ventriculum coctum aut aſſatum, quam vilem & inſipidam ipſius pelliculam, dignam potius, quæ canibus aut felibus, in ſordidas epulas projiciatur. Interim ingreditur tamen hæc ipſa fatua pellicula Pulverem Stomachicum, alias ſat bonum, in *Pharmac. Bat.* p. 92. quod equidem valde miramur; ut alias taceamus compoſitiones.

GRANA Kermes, *la Graine d'écarlatte*. Etiam ad Animalia pertinent. Sed vid. ſupra Cap. V. *de Fructibus*, ad quod communi ſententia relata fuerunt. Quod tamen hic monendum videbatur.

HIPPOPOTAMI, *Equi* Marini, Dentes, *les Dents d'Hippopotame, ou de Cheval marin*, Wallroß, See-Pferds-Zähne. Hippopotamus eſt animal amphibium magnum, quod duobus dentibus magnis, prominentibus atque recurvis præ-

ditum eſt, ſed auriculis caret. Hi dentes ad baſin concavi ſunt, & verſus apicem ſolidi, Eboreque candidiores, duriores ac ponderoſiores, nec tam facile flaveſcunt. *Vim antepilepticam, antiſpaſmodicam, antipleuriticam, & ſanguinem, fluxionesque alvi ſiſtentem, poſſidere, exiſtimantur, & a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis porrigi ſolent.* At de his virtutibus, præſertim antipleuritica, teſte ipſa experientia, adhuc valde dubitatur. Vid. RIVINI & LUDOVICI *loc. loc. cit. cit.* item CARTHEUS *Fund. Mat. Med.* Part. I. p. 185. Ceterum de *Dentibus Hippopotami*, docta proſtat Diſſertatio *Cl.* a BERGEN.

HIRCI Sanguis exſiccatus, *Sang de Bouc prêparé, ou de boucquetin,* Bocks Blut. Caper per aliquem temporis decurſum, herbis vulnerariis nutriatur, poſtea mactetur, ejusdemque ſanguis ſedulo excipiatur, ac tandem in furno ſiccetur. *Ad reſolvendum ſanguinem concretum commendatur, & calculoſis ac dyſentericis conducere creditur.* Item pleuriticis, ex *Helmontii* præſertim præcepto; quod tamen haud verum eſt, frequenti experientia teſte, ut olim oſtendimus Lib. de *Pleuritide*, Cap. II. pag. 19. & Cap. III. p. 48. Conf. RIVINI Diſſ. laudata, Cap. V. p. 107. ubi facete, pro more exagitat crudelem illam infelicis Hirci caſtrationem, ab Helmontio, quovis lanione ſæviore, ridicule ſuſceptam. Add. LUDOVICI, *loc. cit.* Diſſ. I. p. 252. & *Cl.* BÜCHNERI, *Mat. Med.* p. 730. vid. tamen JUCHII Diſſert. de *Sanguine Hirci uſu.*

HIRUDINEES, *les Sangſues.* Beſtiolæ hæ ſanguiſugæ, aquarum incolæ, notiſſimæ jam ſunt lippis etiam & tonſoribus, in aperiendis præſertim Hæmorrhoidibus cœcis dolentibus, noſtro hoc præcipue ævo quaſi hæmorrhoidario. Utramque hinc illæ fere paginam faciunt in vaſtæ molis voluminibus, de ſordido illo, & ſi interdum ſalutari negotio, operoſe & copioſe conſcriptis & in vulgus editis. Sed ſcripſit jam ſuperiore ſæculo, 1612. *Joh.* HEUNIUS, Tract. *de Hirudinum uſu & efficacia in Medicina;* item *Melchior* SEBIZIUS, vid. HERMANNI *Cynoſur. Mat. Med.* Part. II. pag. 59. ſq. item *Vit.* RIEDLINUS, *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Decembr. Obſ. 6. pag. 421.

HIRUNDINES combuſtæ, *les Hirondelles calcinées.* gebrante Schwalben. Hirundo eſt avicula, omnibus omnino nota, quæ ſuperne nigra, inferne albens, caudaque longiore bifida, ſeu furcata, prædita adparet, ac perniciſſima ferme avium exiſtit; vernaculo idiomate nuncupatur: Gabel-Schwalbe Hauß-Schwalbe. Harum hirundinum pulli, ſi adoleverint, toti in olla operculo contecta, in cinerem vel pulverem nigrum comburuntur. *His cineribus vis ſpeciatim antepileptica adſeritur, & in angina atque tonſillarum inflammatione cum melle adhibentur.* Vid. THOMSONI *recta chymice curandi Method.* Cap. 15. p. 159. ubi & plura per totum iſtud Caput, de efficaci ex partibus animalium, Medicina, ſi credere nempe dignum.

HIRUNDINUM Nidi, *les Nids d'Hirondelles,* Schwalben-Neſter. Arripiendi ſunt vel cum pulli illis adhuc inſident, vel poſtquam evolaverunt. *Non tam*

in nido, quam hirundinum excrementis, vis reſolvendi & diſcutiendi latet atque conſiſtit. Cataplaſmatibus ad anginam intermiſcentur. Scilicet non propter Hirundines, quarum nullæ plane hic partes, ut vulgo quidem, ſed male, creditur; ſed potius propter ipſum lutum, ex quo nempe Nidi compoſiti ſunt, quod ſcilicet, uti notum, ſingulari pollet facultate refrigerandi, juxta & reſolvendi ac diſcutiendi. Inde nempe ſola illa virtus pendet medica, in reſolvenda nonnunquam leviore Angina. Vid. *Petr.* PETITI, *Comment.* in Aretæum, p. 240. & præſertim *Ill. van* SWIETEN Comment. in *Aphoriſ. Bœrhaavii*, Tom. II p. 684. Conf. huc ſæpius jam laudata RIVINI Diſſ. de *Medicament. Officinal. Cenſura*, p. 84. & *Dan.* LUDOVICI *Pharmac. hodiern. Sæc. applic.* Diſſ. I. p. 412.

HOMINIS Sanguis, *le Sang humain*, Spiritum & Salem volatilem ex ſanguine humano, per ſæva ignis tormenta, paratum præſentiſſimum eſſe præſidium contra diram Epilepſiam, tradiderunt *Helmontius*, *Hartmannus*, *Sala* & alii Chemici; ſed negante & ridente STAHLIO; *Mat. Med.* Part. I p. 300.

ICHTHYOCOLLA, Colla piſcium, *la Colle de Poiſſon*, Hauſſen-Blaſen, Fiſch-Leim. Hæc Colla ex inteſtinis, ventriculo, veſica, cute, cauda & pinnis *Huſonis* piſcis paratur. Dictæ hæ partes minutim conciſæ aqua calida macerantur, lento poſtea igne ad pultis conſiſtentiam coquuntur, malaxantur, & ante refrigerationem in pelliculas diducuntur, quæ deinde coactæ in ſpiras plane penitusque exſiccantur. Maxima pars ex Moſcovia advehitur, & quæ alba, ponderoſa, & ſolida comparet, facileque ac tota diſſolvi patitur, optima cenſetur. *Ichthyocollæ uſus in medicina valde rarus eſt. Ad parandas* gelatinas adhibetur; decoctum tamen aut infuſum ex ea, lege artis, paratum in dyſenteria, diarrhœa, ceterisque morbis, quibus incraſſantia ac demulcentia proſunt, cum fructu adhiberi poſſe cenſet cum aliis, CARTHEUSERUS, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XV. Cap. 8. p. 569. item HERMANN. *Cynoſur. Mat. Med.* Part. II. p. 58. *Ad vina clarificanda frequentiſſime accerſitur in uſum, mechanicis quoque ad varias res conglutinandas ſuam utilitatem confert.*

LEPUS combuſtus, *le Lievre calciné*, Gebranter Haaſe. Hoc notiſſimum animal, totum medicinale cenſetur; viſcera namque non ſolum, & plurimæ partes, ſed & totum corpus in uſum medicum accerſiri ſolent. Lepus junior, vel integer, vel fruſtulatim conciſus, in olla operculo contecta comburitur, & in pulverem contritus adſervatur. *Præſtantiſſimum contra calculum remedium eſſe exiſtimatur, ſi a ſcrupulo uno vel duobus exhibitum ſit.* Has & plures alias inſignes virtutes larga quidem manu, Lepori combuſto tribuit in *Lagographia* ſua ſic dicta *curioſa*, PAULLINI, & dudum ante eum, *Wolfgang.* WALDUNGUS, Libro ſingulari ejusdem Naturæ ac Tituli, de *Lagographia* ſeu *Natura Leporum &c.* Sicut vero ego leporem lente probeque inaſſatum ſanis, præſertim eſurientibus, ſummopere prodeſſe poſſe, facile lubensque conceſſerim; ita e contrario eundem combuſtum, &, ut *Lucretius* loquitur, cinifactum, ſanis nihil nutrimenti, ægrotis autem nihil emolumenti allaturum, omnino crediderim. Quod & vere cenſuit RIVINUS, cum aliis. Sed ſit hic joco

modeſto venia. Vid. imprimis *Dan.* LUDOVICI laudata *Pharmacia hodiern.* Diſſ. I. pag. 334.

LEPORUM Tali, *les Talons de Lievre*, Haaſen-Sprünge. Talus, ſive Aſtragalus, eſt os primum inter oſſa tarſi leporis, quod in ſuffragine poſteriore, ſuperne per ginglymum tibiæ alligatum eſt, & ex altera parte capitello rotundo præditum adparet. Oſſiculum hoc ſatis ſolidum exiſtit. *Ad epilepſiam, pleuritidem, dolores colicos, & partum facilitandum mandatur.* Hæc vero omnia de Leporis talo, infirmo admodum fragilique talo nituntur, fatente quoque ipſo *Rivino* & *Ludovici*. Utiles quidem, non nego, Tali iſti ſunt leporibus vivis, quoniam ſic ipſorum ope, canum inſequentium morſus crepitantes interdum effugere poſſunt; at leporibus mortuis nihil proſunt iſti tali; multo minus autem hominibus vivis, aut ægrotis.

LUCII Piſcis Mandibulæ, *les Machoires de Brochet*, Hecht-Kieffer. Lucius eſt piſcis fluviatilis, non aculeatus, qui unica tantum pinna in dorſo præditus, ſed dentibus valde acutis armatus, exiſtit. Maxillæ ſive mandibulæ hujus piſcis, præcipue inferiores adhibentur. *Sunt non pauci*, quibus & nos lubenter aſſentimur, *qui omnibus capitis Lucii oſſiculis, eandem, ac mandibulis virtutem adſignant. Calculo, & fluori albo opponuntur; dantur quoque in pleuritide ceu ſpecificum.* Sed non ſunt ut monuimus Lib. Noſtro *de Pleuritide.* Conf. *Rivini*, & LUDOVICI *loc. cit.* item CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Part. I. p. 185.

LUMBRICI terreſtres, *les Vers de-terre préparés*, getrocknete Regen-Würme. Lumbrici ſunt animalcula apoda, longa, carnoſa, mollia & annulata, qui colore dilute ſanguineo prorepunt, & ſpiſſitudinem pennæ anſerinæ plerumque exprimunt. Aeſtate capiuntur, & vino abluti, ac ſuffocati, in furno, ſed lento calore exſiccantur. *Virtutem anodynam, diureticam, antiſpaſmodicam & diaphoreticam poſſident; inſuperque diſcutiunt, reſolvunt, podagricis conducunt, & in arthritide ſcorbutica celebrantur.* Vid. RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1697. Menſ. Jun. Obſ. 28. p. 418. ſqq. *Doſis eſt: ſcrupulus unus, ad grana triginta.* Vid. huc imprimis modo laudati *Chriſt. Franc.* PAULLINI Schediaſma de *Lumbrico Terreſtri*, ubi plura de ipſius in re medica, eximiis, forte & nimiis, Virtutibus collecta exhibentur; quas tamen maximam quidem partem, in dubium vocat & vilipendit, ipſe expertus LUDOVICI, ſæpius jam laudatus, *loc. cit.* Diſſ. I. p. 338. add. RIVINI, *loc cit.* Conf. STAHLII Diſſ. de *Lumbricis terreſtribus*, ut & de PRE, Diſſert. de iiſdem *Lumbricis*, qualem & ibidem nempe Erford. in dulciſſima mea patria, edidit *Cl.* JUCHIUS, conf. *Cl.* BÜCHNERI, *Mat. Med.* p. 688. & rurſus STAHL, *Mat. Med.* Part. II. 49. p. 62.

LUPI Hepar, *le Foye de Loup préparé*, Wolffs-Leber. Lupus, beſtia ferociſſima, & rapaciſſima, quæ moloſſo haud diſſimilis, plurimas ſui corporis partes uſui medico concedit, v. g. Cor, axungiam, Inteſtina, oſſa, corium, dentes, ſtercus, & alia, de quibus vid. BOECLER. in *Cynoſur. Mat. Med.* HERMANN. Continuat. I.

Part.

Part. II. p. 716. ſq. & quos ibi laudat, SCHWENCKFELD, SALTZMANN & ETTMÜLLER &c. præcipue vero Hepar, vino atque abſinthio parumper coctum, & deinde exſiccatum, *Hydropicis & atrophicis commendatur; a nonnullis quoque ad Hydrophobiam laudari ſolet.* Vid. STAHL. *Mat. Med.* p. 65. ſed ego vix credulus illi. Sed negat hæc omnia recte RIVINUS, in ſæpius laudata Diſſert. de *Medicamentor. officinal.* Cenſura; & *Dan.* LUDOVICI, *loc. cit.* Diſſ. I. p. 583.

MANATI Lapis, Auris Ceti, *la Pierre de Vache marine*, See-Kuh-Stein. Manati etiam a nonnullis *Vacca marina* nuncupari ſolet. Eſt animal amphibium magnum, bipes, phytivorum, auriculisque carens. Lapis Manati eſt os cruſtatum, album, ebori fere ſimile circa aurem beſtiæ ſitum, petroſum. *Impenſe laudatur ad renum atque veſicæ calculos, nec non dolores colicos ſedandos. Vim adſtringentem poſſidet, & cum dentibus Hippopotami coincidit. Huic lapidi quoque a nonnullis vis vomitum excitandi adſeritur, quam tamen nulla huc dum experientia comprobavit. A ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum, exhiberi ſolet.* Vid. huc STAHLII Diſſert. ſingularis, de *Lapide Manati*, & ejusdem *Mat. Med.* Part. II. 51. p. 63. ubi ſimul monet, maxima quidem cum circumſpectione utendum eſſe hoc ipſo Lapide, in cohibendis præcipue Hæmorrhagiis, diu inveteratis, & jam in conſuetinem quaſi deductis. Primaria enim ipſius virtus conſiſtit potiſſimum in ſiſtendis omnis generis ſanguinis fluxionibus, uti vomitu cruento, nimiis menſibus & Hæmorrhoidibus ultra modum & tempus, fluentibus. Sed de mira hujus lapidis virtute lithonthryptica, tantopere commendata, merito dubitat *Dan.* LUDOVICI, *loc. cit.* Diſſ. I. p. 332. ut & RIVINI, *Diſſert. cit.* Nosque cum ipſis, & nobiſcum *Cl.* BÜCHNERUS, *Mat. Med.* p. 720.

MOSCHUS, *le Muſc*, Biſam. Hæc ſubſtantia granuloſa, pinguis ac unguinoſa, ſanguini ferme congrumoſo ſimilis eſt, & colore ferrugineo adparet, ſaporem vero ſubacrem, amaricantem, atque fragrantiſſimum odorem prodit. Animal Moſchiferum neque ad caprinum, neque ad cervinum genus pertinere videtur. Cutis variegata, & caput lupinum eſt, duo ex ore dentes deorſum prominent, infra umbilici regionem, folliculus quiſpiam externe piloſus comparet, qui magnitudinem ovi gallinacei adæquat, & in ſua cavitate Nuciſtam complecti poteſt, interior vero hujus folliculi ſuperficies, ſpecialem adhuc habet pelliculam, quæ Moſchum circumcingit, & præter vaſa ſanguinea, circa meatus Moſchiferi orificium, glandulis compluribus inſtructa eſt, quæ citra dubium ad Moſchi ſecretionem faciunt. Hoc animal, quod *Dorcas* ſive Caprea vocatur, occurrit in Tartaria, China & India, illoque occiſo, folliculus moſchifer exſcinditur. Vid. TAVERNERII *Itiner. Orient.* Part. II. Lib. II. Cap. 24. p. 141. ſqq. & VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Ref.* Lib. III. Cap. XI. p. 307. ſqq. imprimis *du* HALDE, *Deſcript. exact. Regni Sin.* Part. III. Sect. III. Cap. 4. pag. 517. Moſchus, qui unguinoſus, grate amaricans, & fragrantiſſimus eſt, colore ferrugineo-nigricante adparet, laminæque candenti impoſitus, totus evaporando effugit, optimus cenſetur; ſi vero aliquid, carbonis inſtar, aduſtum relinquat, arte depravatus eſt. *Moſchus contra hydrophobiam, ſive diram rabiem caninam commendatur*, ab An-

glo quopiam, cui nomen eſt COBB, item VALL, HART. MEAD. & aliis, vid. CHARAS, *Pharmac. Reg.* Tom. II. Cap. 68. p. 800. & infra Part. II. *Pulvis ad Morſum canis rabidi ſpecificus. In vehiculo ſpirituoſo propinari ſolet, ad grana XVI. pro una doſi, cum æquali pondere cinnabaris,* vel aliquot granis Turpethi mineralis, quod tanto pejus, vid. MORANDO, Diſſert. de *Rabie canina*, & inferius Part. II. dicta, ad *Turpethum Minerale. Doſis modo dicta, ſcopo prophylactico, ſingulis menſibus ſaltem repetenda eſt; ſi vero rabiei ſymptomata, ſeſe jam manifeſtaverint, ſecunda doſis, trium horarum ſpatio, poſt priorem, porrigatur,* ut JAMES monet in *Lexico Medico*, qui addit: *quod duæ plerumque hujus remedii doſes, ad hoc malum curandum atque depellendum ſufficiant. Moſchus præterea Virtute calefaciente, attenuante, diſcutiente, cardiaca, anthelmintica, alexipharmaca, & aphrodiſiaca potitur.* Serpentes quoque & venenatas beſtias fugat & arcet, teſte HALDE, qui plures adhuc virtutes Moſcho tribuit, quæ ibi legi poſſunt. p. 517. ſqq. *Rariſſime vero Mulieres Moſchi odorem, perferre poſſunt, hinc caute, in præſcriptionibus, cum illo procedendum eſt. Ad odoramenta potiſſimum adhibetur.* De *Moſchi* natura & efficacia, oratio doctiſſima extat *Salom.* ALBERTI, noſtratis quondam celeberrimi. *Moſchi* vero *Hiſtoriam* & *uſum* plenius poſtea deſcripſit *Luc.* SCHROECKIUS, & ante eum *David.* ULTRALAEUS, contraque ipſum *Cornel.* HERLS. *Jacob.* quoque LANDSBERG, & *Joh. Theod.* SCHENCKIUS ſingulares de *Moſcho* ediderunt Diſſertationes. Vid. & plura apud VALENTINI, *Hiſtor. Simpl. Ref.* Lib. III. Cap. XI. pag 306. ſqq. & quos ibi laudat Auctores plures; add. CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. XII. Cap. 49. p. 374. ſqq.

MURES marini, See-Mäuſe. Non ſunt mures, ſed pelliculæ duplicatæ, glabræ, ſtriatæ, & pulvinaris inſtar quadrangulæ, quæ latitudinem unius atque dimidii pollicis adæquant, & interne cavæ, nigroque fuſcæ adparent; in quovis quatuor angulorum oblongus, ſed anguſtior apex prominet. Reperiuntur potiſſimum in Seelandia & Batavia, & cum compreſſi muris figuram exhibeant, mures marini a vulgo nuncupantur. Sunt ova piſcis cujusdam, cui nomen eſt *Raja*; in iſtis namque ovis membranaceis *Rajæ* juniores naſcuntur, interdum etiam adhuc in illis aliquæ latitantes deprehenduntur. Hæ pelliculæ, poſtquam per anteriorem aperturam, hoſpites ſuos, *Rajas* nimirum juniores, excluſerunt, a fluctibus maris ad litus projiciuntur. *Ad hæmorrhoides cæcas dolentes adhibentur cum bono ſucceſſu; nam omnis dolor confeſtim fractus recedit, quam primum locus dolens his pelliculis ſuffumigatus fuerit.* Vid. huc imprimis *Chriſt. Maximil.* SPENERI Epiſt. ad Mich. Benh. Valentini, de *Hæmorrhoidum cæcorum Remedio, Muribus* ſcilicet *Marinis*, quæ extat in hujus *Exoticis Polychreſtis*, Append. III. pag. 274. ſqq. lectu digna ac jucunda; cujus & vid. *Hiſtor. Simpl. Reform.* Lib. III. cap. 34. p. 347. ſqq. præſertim & STAHL. *Mat. Med.* Part. II 39. p. 56. ſqq. qui ad ipſam ſuam ſimul Experientiam provocat, atque hinc cum ipſo Spenero, per omnia conſentit.

MUSTELAE Piſcis Spinæ dorſi, ſive Vertebræ, *les Arêtes de Murene*, Aalruppen-Gräten. Muſtela eſt piſcis anguilliformis, fluviatilis, ſed non ſquamo-

ſus. *Spina dorſi exſiccata, & in pulverem redacta, epilepſia*, quam & morbum caducum nominant, *opponi ſolet.* Sed quo ſucceſſu, ego experientia non edoctus ſum.

MUMIA, *la Mumie*, Mumien. Ab Arabibus *Muum*, Cera, vel *Mumi-nabi*, Liquore Balſamico, ut viſum KAEMPFERO, in *Amœnit. Exot.* Faſcic. III. Obſervat. 3. p. 517. & dudum, ante ipſum, BOCHARTO, Part. II. *Hierozoic.* Lib. IV. cap. 12. p. 531. item SALMASIO, Tract. de *Homonym. Hyles Jatric.* cap. 101. p. 160. ſqq. *Golio*, & aliis. Vid. KETTNER. de *Mumiis*, Cap. I. General. p. 15. ſqq. *Mumiam* deducebat ab *Amomo*, in quo profecto non ἄμωμος merito viſus eruditis Etymologis, quomodo & ipſe SALMASIUS, *Scaligerum* ſecutus, prius erraverat, in *Exercit. Plin.* p. 283. Ceterum vid. & VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Ref.* Lib. III. Cap. I. p. 288. ſqq. & *Ind. Literat.* Epiſt. 34. p. 490. ſqq. ſcil. ex eodem *Kæmpfero*. Sunt cadavera humana, Aloë, Myrrha, & Aſphalto, aliisque aromaticis & balſamicis ſpeciebus condita, & exſiccata. Rariſſime cadavera integra ad nos transferuntur, ſed in partes diſcerpta. Mumia, quæ noſtros limites tranſcendit, & in officinis noſtris venalis proſtat, in ſubſtantia nigro-fuſca adparet, ſaporem amarum prodit, & fragrantem odorem diſpergit. Ex Aegypto advehitur, & quo fragrantior & ſplendidior occurrat, eo melior cenſetur. Vid. plura de Mumiis, apud *Kircher. Andr. Gryphium. Kettnerum*, *Clauderum*, *Herzogium*, *Nardium*, *Andr. Rivinum*, *Wedelium*, *Dilherrum*, *Libavium*, & alios, jam nobis laudatos, in *Exercitat.* ad *Hugonis* GROTII *Chriſt. Patient.* Tragœd. p. 673. ſqq. quibus add. Scriptores hodœporicos ipſos, v. g. *Thevenotium*, *Tavernerium*, *Petr. della Valle*, *Myllerum*, *Neitzitzſchium*, *Troiloum*, *Schweigerum*, *Dapperum*, *Monconyſium*. *Mumiæ virtutes travmaticæ nimium laudantur, & expetuntur, ſed frequentiſſime a veterinariis. Mumia alias magis ad emplaſtra, quam ad uſum internum adhiberi ſolet.* Eximias tamen virtutes tam externe, quam interne, Mumiæ tribuit *Petrus Franciſ. Mainardi*, Mediolanenſis, Medicus Aegypti Celeb. apud MYLLERUM, in *Itinerar. Orient.* Lib. III. Cap. 17. pag. 559. vid. & SCHULZII Diſſert. de *Mumia*, & SYLVII, *Prax. Med.* Lib. I. Cap. 40. p. 284. opp. ubi ſingularem virtutem, in reſolvendo Sanguine coagulato, Mumiæ in miſtura, aſſumtæ, tribuit. Contra vero ſtat RIVINUS, in Diſſert. de *Medicament. Officinal. Cenſura*, p. 80. Syllog. Diſſert. Med. Præſertim autem MOMBERUS, in Diſſert. ſingulari de *Mumiis*. in *Praxi Medica non facile adhibendis*; item PAULI, Præceptor quondam noſter, in Diſſert. de *Medicamentis e corpore humano deſumtis, merito negligendis*, & *Petr.* PETITUS, de *Anthropophag.* Lib. III. Cap. 5. p. 112. ut & *Daniel* LUDOVICI. in *Pharmacia hodierno ſæculo applicanda*, Diſſ. I. pag. 245. item *Joh. Langius*, & BÜCHNERUS, *Mat. Med.* pag. 725. nec non *Zwelfferus*, cui tamen obloquitur *Wedelius*, in *Pharmacia acroamat.* Lib. II. Sect. I. cap. 3. p. 241. & in *Amœnit. Mat. Med.* Lib. II. Sect. II. cap. 9. p. 377. & STAHL. *Mat. Med.* Part. II. p. 59.

MUMIA Perſica nativa. Nominis cauſa hoc loco hujus Mumiæ Perſicæ mentionem facimus, ad Regnum enim Minerale pertinet, & eſt bitumen valde pretioſum, quod in ſpelæo quopiam, ſub Caucaſi montis radice, ex ſaxeis parietibus guttatim de-

ſtillat, cui in conſolidandis vulneribus, oſſibusque confractis, miræ aſſeruntur virtutes. Hæc Mumia Perſica colore nigro tincta eſt, ſaporem modice dulcem prodit, & gratum, fermeque balſamicum odorem diſpergit, ſed rariſſime, vel nunquam patrios lares relinquit, & noſtros ſalutat; & quæ pro Mumia Perſica apud nos venditatur, plerumque Ambra nigra eſt. De hac vero *Mumia Perſica* vid. accuratiſſie tractantem KÆMPFERUM, *Amœnitat. Exot.* Faſcicul. III. Obſ. 3. p. 516. ſqq. de ſtupendis vero ipſius effectibus, p. 521. ſqq. & VALENTINI, *Hiſt. Simplic. Ref.* Lib. III. Cap. 1. pag. 288. ſqq. & *Ind. Litt.* Epiſt. 34. p. 490. ſqq. ex eodem *Kæmpfero*.

OSSA de Cordibus Cervi, *l'Os de Cœur de Cerf*, Hirſch-Creuz, Hirſch-Herz-Bein. Sunt oſſicula ferme cruciformia, quæ ex Aortæ fibris oſſificatis & induratis originem trahunt, unde & *Crux cervi*, a Venatoribus vocari ſolent, obſervante RENODÆO, in *Diſpenſ. Med.* Lib. III. Cap. 19. p. 590. vid. plura in RIEDLINI *Lin. Med.* Ann. 1696. Menſ. Oct. Obſ. 28. p. 520. ſqq. Non ſolum in cervis annoſis reperiuntur, ſed etiam in bovibus. Majora, & candide albentia eligantur; Cervina facile a bovinis diſcerni poſſunt. *Cordialia, antepileptica, & alexipharmaca habentur;* Sed non ſunt, licet plurimum virtutis his ſic dictis oſſiculis attribuerint, jam olim *Aelianus*, *Alexand. Trallianus*, *Plinius*, & alii; ideo merito eorum uſum ceu ſupervacaneum & inanem, rejiciunt LUDOVICI, *loc. cit.* Diſſ. I. p. 231. RIVINUS, in Diſſert. laudat. BÜCHNERUS in *Fund. Mat. Med.* p. 706. item CARTHEUSERUS, *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. II. Cap. 9. p. 181. ubi tamen parem cum ipſo cornu cervino virtutem his oſſiculis vulgo ſic dictis, aſſignat. Sed nec illam quidem iſtis conceſſit jam olim GESNERUS, *Epiſt. Med.* Lib. I. p. 5.

OSSA Sepiæ, *l'Os de Seiche*, Fiſch-Bein, Black- oder Kuttelfiſch-Bein. Oſſium Sepiæ ſubſtantia levis, candida, teſtacea, & præcipue pars ſuperior duriuſcula, corticoſa, lævis & glabra eſt, ſed inferior fungoſa, mollis, paululumque aſpera, atque friabilis deprehenditur. Hic piſcis eſculentus in Oceano, Mari Mediterraneo, & aliis locis litoralibus capitur. Oſſa alba, levia, integra, mediocriter magna & craſſa eligantur; Subſtantia interior, quæ friabilis & fungoſa eſt, tantummodo accerſitur in uſum. *Exſiccant, abſtergunt, urinam movent, gonorrhœa reſiſtunt, & leniſſimum præbent ſepticum.* Vid. VALENTINI, *Hiſt. Simplic. Ref.* Lib. III. Cap. 31. p. 342. & quos ibi laudat Auctores. Ceterum obſervat HOFFMANNUS, *Obſ. Chym.* 30. Lib. II. p. 247. Os Sepiæ combuſtum ſpirare fœtidum odorem Salis volatilis, qualis fere in præparatione Lactis Sulphuris deprehenditur; quod certe notatu dignum. De decantato vero oſſis Sepiæ uſu contra Gonorrhœam, merito cum nonnullis, dubitat CARTHEUSERUS *Fund. Mat. Med.* Part. I. Sect. II. cap. 6. p. 134.

OVORUM Teſtæ, *les Coques des Oeufs*, Eyer-Schaalen. Omnes omnium ovorum Teſtæ paribus iisdemque viribus ſtipatæ ſunt; ſed gallinaceorum ovorum teſtæ præprimis ad medicos uſus accerſuntur, & quoties in genere Teſtæ ovorum præſcribi ſolent, toties hæ Gallinaceorum Ovorum teſtæ intelliguntur. Probe eluantur, & ab

interiore pellicula liberatæ, in pulverem conterantur. *Coincidunt cum oculis Cancrorum, & eadem doſi porriguntur. Teſtæ ovorum, ex quibus pulli jam jam excluſi fuere, præſtantiores habentur ad nephritidem & calculum expellendum. Siccatæ & contritæ, calcinatis præferuntur*, ut pote fatuis, vid. HOFFMANNI *Obſ. Chym.* 30. Lib. p. 247. licet ex illis maximam partem conſtet famoſus ille pulvis lithonthrypticus Virginis Angl. Stephens; quem tamen fragile & teſtaceum quaſi auxilium contra calculum, præſtare, oſtendit SCHULZ. in Diſſ. de *Novo Lithonthryptico Britanico*, & alii plures.

PAVONIS Stercus, *le fumier de Paon*, Pfauen-Koth. Excrementa alvina Pavonis, ſexus utriusque, *commendantur epilepticis & vertiginoſis.* Vid. *Pharmac. Bat.* p. 39. *Adhibentur vel in pulvere ad drachmam integram; vel in infuſo ad unciam dimidiam; intermiſcentur quoque enematibus pro epilepticis.* Sed rejicit hæc ſordida merito RIVINUS, in *Cenſura Medicament. Offic.* p. 84. & potiſſimum *Dan.* LUDOVICI, in *Pharmacia hodierno Sæculo* appl. Diſſ. I. p. 412. ſqq. Certe jucundum eſt ſpectaculum in gemmata Pavonis cauda; ſed injucundum jentaculum in Pavonis ſtercore.

PERCARUM Lapides, *les Pierres de Perche*, Raulperſich-Berſing Parc-Stein. Hi lapides in capitibus Percarum, circa exortum ſpinæ dorſi, bini reperiuntur, qui duritie lapidea præditi ſunt, & colore albicante, figura ovali, atque ex una parte paululum quaſi crenati adparent. Perca eſt piſcis, fluviatilis, ichthiophagus, in pinnis dorſalibus ſpinoſus, & ex inde omnibus ſatis cognitus. *Hi lapilli parem cum lapidibus carpionum, virtutem poſſident, aſt magis diuretici cenſentur.* Sed vix ſunt. Vid. LUDOVICI, *loc. cit.* Diſſ. I. p. 332. & RIVINI, *Diſſ. laudat.* item CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med* Part. I. p. 185. licet maximam vim diureticam & adverſus ipſam ſtranguriam, ſingularem virtutem ipſis, quod mirum, tribuerit STAHL. *Mat. Med.* Part. II. 48. p. 62.

PHOSPHORUS quoque lucidus ex urina uti notum, paratus, & jucundo oculorum ſpectaculo, aliisque uſibus & luſibus externis hucusque repertus & deſtinatus, ab aliquo jam tempore, quis facile credat? in uſus quoque medicos internos, magna, niſi forſan nimia fiducia, advocari cœpit, ceu uberius patet ex Diſſert. ſub præſidio *B. Abr.* VATERI, 1751. hic Wittembergæ habita, de *Phoſphori, loco Medicinæ aſſumti, Medicina*, aliquot caſibus ſingularibus confirmata, & ex ejusdem programmate, Diſſertationi iſti ſubjuncto, de *Phoſphori virtute Medica.* In qua Diſſert. Auctor D. MENTZIUS, ad ſuam, patrisque præſertim provocat experientiam, ſingularesque aliquot caſus ſervatorum beneficio Phoſphori ægrotorum fere depoſitorum refert. Conf. & Diſſ. *Chriſt. Wilhelm* PENZKY, ſub præſidio *Celb.* BÜCHNERI, Halæ; 1755. noviſſime habita, de *Phoſphori Urinæ analyſi, & uſu medico*, ubi plura notatu digna occurrunt, quæ huc ſpectant. Confer. etiam *Margrafii* opera hac de re, nec non & Cl. VOGELII *Bibliothec. Med. Nov.* Vol. II. Part. 4. No. 8. Ceterum in *Pharm. Bateax.* etiam Phoſphori urinoſi, diuretici & diaphoretici fit mentio, p. 114. Conf. HOFFMANN. ad *Poter. Pharmac. Spag.* Lib. II. p. 43. Ego autem, ſicut aliorum fidei & experientiæ

nihil quidquam derogare audeo; ita ex altera tamen parte, Medicinam, generoſam quidem & efficacem, ambiguæ tamen & nondum ſatis exploratæ, & ancipitis forſan eventus, tentare, aut aliis commendare, temere nolo. Forſan enim hic phoſphorus, qui nonnullis ægrotis præluxit ad vitam, multis aliis, mutatis facile circumſtantiis & conditionibus, ad inſtar feralis facis, prælucere poſſit ad funus atque buſtum. Velox enim Medicina, qualis eſt omnino phoſphorus, raro eſt felix, ſed ſemper fallax.

PORCINUS Lapis, Hiſtricinus Malacenſis, Bezoar Porci, Pedra de Porco, *la Pierre de Malacco*, *le Bezoar de Porc épi des Indes*, Bezoar von Stachelſchwein. Eſt coagulum bilioſum, rotunde compactum, & leve, quod magnitudinem juglandis refert, colore rufo occurrit, atque ſubſtantiam quaſi unguinoſam, ſaporemque amaricantem patefacit. Reperitur in veſicula fellea Hyſtricum, quas terra Malaica alit, unde *Lapis Malaicenſis* nominatur. Vid. huc KÆMPFERI *Amœnit. Exot.* Faſcicul. II. Relat. 9. pag. 393. ſqq. & TAVERNER. *Itiner. Orient.* Part. II. Lib. II. cap. 24. p. 143. ſqq. Circumcingitur plerumque annulo aureo, cui catenula ex eodem metallo adjuncta eſt, in hunc finem, ut eo facilius ultro citroque moveri & de collo, quod interdum per aliquot horas fieri ſolet, vel, de quo lubuerit, alio loco, ſuſpendi poſſit. Si hic lapis porcinus annulo aureo circumcinctus, mediante adjuncta catenula, in hauſtu aquæ bis vel ter, agitatus fuerit, aquam amaritie imbuit, licet ipſe vix grani pondere diminuatur. *Hoc concretum, ob nimias virtutes, & raritatem valde pretioſum eſt; virtute cordiali, & alexipharmaca pollere, efficaciſſimumque medicamentum eſſe, cenſetur, contra icterum, febres putridas, atque malignas, nec noc quaſcunque obſtructiones viſcerum.* Vid. huc VALENTINI, Diſſert. de *Lapide Porcino*, vulgo *Pedra del Porco*, quæ eſt inter ejus polychreſta Exot. Diſſ. III p. 31. ſqq. add. & ejuſdem *Hiſt. Simp. Reform.* Lib. I. Cap. 18. p. 318. ſqq. item Epiſt. SPENERI, ad Valent. de *Muribus Marinis*, p. 282. Append. ad illa Polychreſta Exot. Valentini modo laudata; præſertim vid. BOECLERI Continuat. II. *Cynoſ. Mat. Med. Hermanni*, p. 594. ſqq. Sed de nimiis & vix credibilibus, hujus ſordidi & tamen pretioſi Lapidis, virtutibus, adhuc a plerisque Medicorum, plurimum dubitatur. Conf. *Cl.* BÜCHNERI *Mat. Med.* pag. 719.

ADFERTUR quoque ex Inſula Ceylon, tale concretum bilioſum, quod a KÆMPFERO, *Pedra de Porco ſpuria*, dicitur, *loc. cit.* p. 395. & ex parte aliqua Malacenſi ſimile eſt, ſed nigrius, informe, pilisque permixtum adparet. Hoc coagulum non in veſicula biliari, ſed in ventriculo Hyſtricum naſcitur & reperitur, interdum etiam ab ipſo hoc animale crebris ructibus, ac vomitu vehementiore projicitur. *Huic eadem, ac præcedenti, adſeruntur virtutes, ſed paululum debiliores, hinc doſi majore exhiberi ſolet.*

SIMIÆ Lapis, *Pedra Bugia*, vulgari Orient. ſermone dictus. Venditatur pro calculo, qui in Simiæ capite naſcitur; ſed lamellæ, ex quibus compactus eſt, & omnis cum Bezoardico, ſimilitudo ſubſtantiæ teſtantur, quod in ventriculo genitus ſit, & in-

terpolata Materiæ appoſitione, ſucceſſive accreverit, non aliter, ac bezoardici quivis alii. Lapis iſte Babiani Cynocephali, ut quidem videtur, ex ceteris, ſolus a Magnatibus nigritis in pretio habetur, & curioſe aſſervatur. Ita laudatiſſimus KÆMPFERUS, in *Amœnit. Exot.* Faſcicul. II. Relat. IX. p. 404. ſq. Meminit & hujus rariſſimi & pretioſiſſimi Lapidis Bezoar. TAVERNERIUS, in *Itiner. Orient.* Part. II. Lib. II. Cap. 24. p. 143. item VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Reform.* Lib. III. Cap. II. p. 294.

REGULI uſti, *les Roitelets brûlés*, gebrante Zaun-König. Regulus, ſeu *Paſſer Troglotydes* in olla combuſtus, & in pulverem redactus, *ad nephritidem, & calculum pellendum, magnopere commendatur; & a calculo præmunire creditur.* Sed vix expectationi reſpondet eventus. Vid. LUDOVICI, *loc. cit.* Diſſ. I. p. 334.

RHINOCEROTIS Cornu, *la Corne de Rhinoceros*, Rhinoceros- oder Naßhorn. Rhinoceros eſt bellua, quæ Elephantis magnitudinem exprimit, ſed brevioribus cruribus procedit. Cornu externe nigrum, interne vero album & fiſſile adparet, longitudinem ulnæ propemodum attingit, ex probaſcide, vel naſo hujus animalis protuberat, & a baſi ampliore in apicem ſenſim adſurgit, prætereaque incurvum, grave, & ſolidum eſt. *Habetur pro vero unicornu veterum, & contra venena, morbos contagioſos, motusque epilepticos commendatur.* Vid. de hac miranda Bellua, præter alios *Jac.* BONTII, *Hiſt. Nat. & Med.* Lib. V. Cap. I. de ejusdem autem Cornu, uſu medico celebri, *Caſp.* BARTHOLINUS, Opuſcul. de *Unicornu*, Cap. III. & imprimis *Anton.* DEUSINGII Diſſert. de *Unicornu*; item SACHSII *Monocerologia.* Ceterum mirabiles illas virtutes, ubivis fere decantatas, in illo pretioſo Rhinocerotis cornu, quæſivit quidem, *Dan.* LUDOVICI, ſed non invenit, ideoque recte negavit, in *Pharmacia hodierno Sæculo applicanda*, Diſſ. I. p. 232. add. RIVINI, *Diſſ. laudat.* Mirabiles tamen virtutes Spiritui e cornu Rhinocerotis parato, tribuit, *Herm. Nicol.* GRIM, in *Act. Med. Hafn.* Vol. III. Obſ. 89. p. 166. & in *Laboratorio Cylon.*

SCARABÆUS Majalis, *le Scarabéa*, May-Käfer. Beſtiola, Menſe imprimis Majo, atque Junio, per amœna vireta, catervatim volans omnibus, putem notiſſima, præſertim vero pueris, in ludicras ſuas exercitationes iſtos quidem fato ſuo, miſeros Scarabæos, adhibentibus. Illos autem, capitibus prius abſciſſis, melle deſpumato ſuffocatos, & per aliquot hebdomatas, ſic conditos, in ſole relictos, ſummum atque unicum fere præbere Antidotum contra diram Hydrophobiam, operoſe docere inſtituit *Arnold.* WEIKARDUS, in *Theſaur. Pharm.* non improbante plane BOERHAAVE, *Prax. Med.* Tom. V. pag. 101. nec STAHLIO præſertim, *Mat. Med.* Part. I. p. 309. & Part. II. pag. 53. aliisque pluribus affirmantibus. Nondum tamen, quod ſciam de indubitata, hujus experimenti fide ſerio licuit triumphare. Quin venenatas eſſe beſtiolas, illos ſcarabæos, experimentis edoctus, probat COHAUSEN. in *Helmontio Ecſtat.* p. 110.

SERICUM crudum toſtum, *la Soie brûlée*, gebrante Seyden-Bälglein. Folliculi ſericei, ſive Bombycum texturæ aperiuntur, & ſi forſitan in illis Bombyx exſpirata lateat, rejicitur, deinde folliculi iſti in olla comburuntur. *Hoc ſericum toſtum rariſſime in uſus medicos vocari ſolet; virtus tamen antepileptica illi tribuitur, & ſpeciebus temperatis cordialibus intermiſcetur. Ex hoc olim ſpiritus quoque deſtillari ſolebat, cui virtus cordialis, alexipharmaca, & antepileptica adſcribebatur.* Pertinet hoc ad *Arcana Goddardiana, Pharmacopœæ Bateanæ* adjecta; Auctor GODDARDIUS, Anglus ex ſerico deſtillato ejusmodi ſpiritum, ſeu liquorem parabat, cui multas, imo nimias fere virtutes, in debellanda abominabili Epilepſia, adſcribebat. Conf. H. BOERHAAVE, *Element. Chem.* Tom. II. Part. II. Proceſſ. CXX. pag. 315. & CHARAS, *Pharmac. Reg.* Part. II. p. 868. & infra Part. II. *Guttas Anglicanas Cephalicas.*

SERPENTUM Exuviæ, *les Dépouilles de Serpent*, Schlangen-Häutlein, Bälge. Eſt cutis, quam ſerpens quotannis ſponte deponit, & quæ cum figura etiam colorem nativum ipſius retinet. Serpentes ova ſua in fimetum, aut alium locum calidiorem deponunt, ubi calore excluduntur, quod ipſas diſtinguit a viperis, ſeu viviperis. *Hæ exuviæ ventri vel lumbis alligatæ, partum facilitare creduntur; & ſi in pulvere exhibeantur, hydropicis conducere; nec non ad vulnera couglutinanda valere perhibentur*, & Re vera perhibentur; vix enim horum aliquid præſtant. Vid. RIVINI, *Cenſura Med. Officinal.* & imprimis LUDOVICI, Diſſ. I. p. 415.

SINCI marini, ſic dicti, Stinci, Zinci marini, *le Scinc marin*, Meer-Stinz. Sunt animalcula quadrupeda, ovipara, Lacertam ſimulantia, cute ſquamoſa albicante contecta, & linea cœſia a capite uſque caudam procurrente, notata; ſed dorſum lacertis latius, & magis glabrum habent. Ut vulgo quidem traditur, in Nilo fluvio & rubro Mari morantur; quod tamen operoſe negat SALMAS. *Exercit. Plinian.* p. 322. præeunte ipſo *Dioſcoride*, conf. RHOD. ad *Scribon*, Larg. p. 48. copioſe. Veſcuntur herbis odoriferis, & Abſinthio, vel Polio condita adportantur. *Stinci vim diureticam, bezoardicam, & aphrodiſiacam poſſidere creduntur. Theriacæ, Mithridatico, & Diaſatyrio quoque intermiſceri ſolent.* Sed Scinco iſto marino, tantopere laudato frigidos effœtosque in Venerem, ad deſertum deſuetumque Veneris officium fruſtranea prorſus opera, vocari, obſervavit, laudatus modo LUDOVICI, Diſſ. I. p. 584. conf. RIVIN. *Diſſert. laudat.* & BUCHNERI, *Mat. Med.* p. 694. Quomodo enim quæſo, exigua lacerta, ipſa natura ſua frigida, accendere in Venerem poſſit frigidos & locum quaſi in aqua habentes, ut ille ait? Meminit tamen NICETAS CHONIATES, Lib. II. *Annal.* p. 160. de Imperatore Andronico Comneno, in omnem fœdam libidinem projectiſſimo, eum ad exſtimulandam languentem Venerem, non ſine effectu, frequentiſſime in cibum adhibuiſſe illas ipſas beſtiolas Niloticas, Scincos nempe ſic dictos marinos; conf. SALMAS. *loc. cit.* p. 323. & LANGII, *Epiſt. Med.* 66. Lib. I. p. 328. ſqq. item RHOD. *loc. cit.*

STRUTHIONIS Ova, Struthio-Cameli Ova, *les Oeufs d'Autruche*, Strauſen-Eyer. Struthio eſt maxima avium, ſed ob molem corporis, & parvitatem alarum, volatui inepta. Ova parit, quæ caput infantum mox æquant, moxque ſuperant, & colore pallide flaveſcente adparent; teſta, quæ interne alba eſt, calami ſtraminei ſpiſſitudinem imitatur. Hæc ova Struthionum, ex Africa, ubi circa promontorium Bonæ Spei crebro occurrunt, ad nos transferuntur, *& illorum teſtis, virtus diuretica peculiaris, & calculos propellens adſeritur.* Nondum vero probata eſt iſta virtus, nec credo, probabitur unquam. Conf. RIVINI *Diſſ.* jam ſæpius *laudata*, & alii, imprimis LUDOVICI, Diſſ. I. p. 332.

TALPÆ combuſtæ, *les Taupes brûlées*, gebrante Maulwürffe. Talpa eſt animal ſubterraneum, quadrupes, ſed cruribus breviſſimis, broboſcide ſuilla, oculis minutiſſimis, & pilis molliſſimis cinereo-nigricantibus dotatum. Talpa, ſtatim poſt capturam, integra, in olla fictili operta comburitur. *Pulvis talpæ combuſtæ interne ſumtus, ad arthritidem vagam laudari; ſed externe ſtrumis, ulceribus, fiſtulis & lepra opponi ſolet.* Hæc quidem & plura alia magnifica de Talpa combuſta, tradit PAULLINI, in ſingulari Libro *de Talpa*. Sed me quidem judice, Talpa in cineres redacta, ſolis agri & horti cultoribus re vera prodeſt, dum mortua, lætis ſatis, frugibus, plantis & floribus, terram perreptando & perfodiendo, amplius exitium inferre haud poteſt. Ceterum quæ nocuit viva, nihil proderit mortua, nec ullum ægroti invenient levâmen in levi inanique Talpæ combuſtæ cinere. Conf. & RIVINI *loc. cit.* & maxime *Dan.* LUDOVICI, *Pharmacia hodierno ſæculo applicand.* Diſſ. I. p. 625. Ceterum de Corde Talpæ, ceu Remedio antepileptico, ſed adhuc dubio, vid. BORRICHII, Obſ. 50. Vol. IV. *Act. Med. Hafn.* p. 153. Conf. PAULLINI *Lib. Cit.* Sect. II. Cap. 3. p. 150. & infra, *Pulv. epilepticus Junckeri.*

TAURI Priapus, *le Priape de Taureau*, Ochſen-Senne, Ochſen-Ruthe. *Coincidit cum priapo cervi, & præcipue in diarrhœa, ac dyſenteria laudatur.* Sed fruſtra. Vid. RIVINI Diſſ. de *Cenſura Medicamentorum Officinal.* & LUDOVICI, *Pharmacia ſæculo hod.* applic. Omnis ergo iſta Medicina Priapeja, ut ſic cum venia & honore aurium dicam, in poſterum, honeſtorum oculis penitus ſubducatur; quin potius Tauris, cervis, cetis, Apris & aliis beſtiis particula ſua ſalax intacta & irreſecta relinquatur.

VACCÆ Stercus, & Urina, *le fuſiuer & l'urine de vache.* Hæc ſordidiſſima & abominanda prorſus Vaccæ, præſertim nigræ condimenta, ſive rectius, recrementa, quis credere auſit? in uſum quoque medicum, ſive potius abuſum, ceſſerunt. Dudum nota & in officinas recepta fuit *Aqua* ſic dicta *omnium florum*, ex ſtercore faccino parata, de qua infra, Part. II. ſuo loco. Ipſa vero vaccæ urina ante hos demum quadraginta præter propter, annos, ceu liquor aliquis polychreſtus, imo panchreſtus avide potari, præſertim in Gallia cœpit; & ut ipſius rei turpitudo eo melius cautiusque velaretur, ſuaviſſimum *Aqua Mille florum* nomen Gallis, vulgo *l'Eau de Milleſleur*,

ipſi ridicule magis, quam ingenioſe impoſitum fuit. Aliam vero *Aquam mille Florum*, puriorem, ſuaviorem & fragrantiorem, vid. infra Part. II. *ſub Aquis*. Sed non diu viguit iſte potandi fervor, imo rectius furor, ſive iſta Uromania; contra quam ſic merito vehementer invehitur *Cl.* BOECLERUS, amicus quondam noſter, in *Cynoſura Mat. Med.* Contin. I. p. 768. *Ante XX. & quod excurrit, annos, multi corripiebantur Uromania, ſeu Buropoſia. Nempe urinam, præſertim a vacca nigra deſumtam, matutino tempore, hauriebant, ad profligendos multos morbos, imprimis Hydropem, podagram, affectus paralyticos &c. Ridiculum erat, cernere expectantes vitris, donec vacca adapareret cellam ſuam, & tam delicatum largiretur Nectar. Debuiſſent ſimul etiam morſulos aromaticos, ex propinqua officina elabentes deglutire, quoniam ad bonum hauſtum requiritur etiam bonum edulium. Non autem diu duravit hic furor, quum plures exinde peſſime, pauciſſimi bene ſe haberent. Urina enim hac acerrima & amara purgabat ad ſanguinem uſque, & vires admodum proſternebat.* Hactenus *Bœclerus* noſter, qui & ibi in ſequentibus, dicaces quosdam verſiculos latinos ac vernaculos, in hoc obſcœnum Sympoſium, adjecit, ſed, ut ingenue fatear, de re non bona, etiam non bonos. Meliores autem in eandem rem, ſunt iſti, elegantiſſimi poëtæ, *Jac.* VANIERII, in amœniſſimo ſuo *Prædio Ruſtico*, ſic dicto, Lib. III. p. 69.

medicosque liquores

Hauſturi, fontes ſpernunt, quos tera ſalubri
Affecit ſucco, & Vacca mejente, capaces
Mane, ſcyphos implent, multum ridente Bubulco,
Pocula lactenti non invidioſa Juvenco.

Ceterum vehementer miror, ita ſcripſiſſe *Cl.* SCHULZIUM, in *Prælect. ad Diſp. Braud.* p. 32. *Aquam illam Milleflorum dictam, noſtro tempore, avide, non ſemel, ſed ad legem integræ curationis Vernalis, multi bibunt, magnumque valetudinis ſuæ emolumentum inde expectant, imo reportant.* Si fabula nempe vera, quod ego adjicio.

VIPERARUM Spinæ, *l'Epine des Viperes*, Vipern oder Nattern Rückgrat. Vipera a reliquis ſerpentum familiis diſcernitur, partim, quod ſegnius repat, nec in altum exſiliat, partim quod nulla ova pariat, ſed fœtus ſuos, uſque perfectam maturitatem in utero geſtet, donec vivi prodeant. Viperæ utriusque ſexus, ſi adultæ ſint, media ſui corporis parte, ſpiſſitudinem pollicis adæquant, femella tamen, ſi fœtu prægnans ſit, craſſior adparet; longitudo mox minus, mox plus, quam bipedalis eſt; mares collo craſſiore, caudaque longiore ac ſpiſſiore dotati ſunt, quam femellæ; utriusque pellis ſuperne ſemper variegata eſt, ſed inferne colore variat, nam nunc candicat, nunc ſubrubeſcit, mox flava, mox ferruginea, moxque cinerea, aſt maculis hinc inde nigris notata comparet; hanc totam pellem ſquamulæ obtegunt, quas una cum pelle ipſa, bis in anno deponere ſolent. Viperæ latibula ſua nunquam defo-

diunt in terram, ſed plerumque inter lapides & ædificiorum ruinas morantur, & ſi cœlum ſudum atque ſerenum ſit, rubos & denſas herbas quærunt; ſolo morſu venenoſæ ſunt, & ſi ad iram incitentur, virus ſuum, quod in duabus veſiculis circa dentes poſteriores, vel obſervante *Kæmpfero*, rectius, gingivas ſuperiores tuentur, in hoſtem ſuum excutiunt, quæ *Redi* imprimis fuit ſententia, impugnata quidem a *Charaſo*, ſed valde defenſa a laudato KÆMPFERO, *Amœnit. Exot.* Faſcic. III. Obſ. 9. p. 571. alias totæ medicinales, ſi interne ſumantur. Non ſolum in Italia, aliisque calidioribus plagis deprehenduntur, ſed etiam in nonnullis locis Germaniæ occurrunt, ſed quæ ex Italia veniunt, præferuntur. *Illis adſcribitur vis alexipharmaca, diuretica & reſtaurativa. Viperæ quoque ad purificandum ſanguinem laudantur, in lue venerea, lepra, ſcabie ferina, & ulceribus malignis,* vid. ſingulare exemplum apud PORPHYR. de *Abſtin.* Lib. I. p. 36. ſqq. *Vocantur in uſum, capite, cauda & cute reſectis atque rejectis, vel recentes in juſculis medicis; vel exſiccatæ & in pulverem redactæ. Datur a ſcrupulo dimidio, ad drachmam ſemis. Theriacæ quoque intermiſcentur, & Bezoardicum animale conſtituunt.* De admirabili Viperæ Natura & pæcipuis ejus in Medicina virtutibus, multi, ut notum, ſcripſerunt, inter quos ſuo merito, eximie eminent, *Marc. Aurel.* Severinus, *Jul. Cæſ. Claudinus, Angel. Baldus, Abbatius Moyſes Charas,* & *Franciſcus Redus*, item *Joh.* VESLINGIUS, Epiſt. IV. LXXII. & LXXIII. & KÆMPFERUS, *Amœnit. Exot.* Faſc. III. Obſ. 9. p. 571. ſqq. & noviſſime SCHULZIUS, ſingulari Diſſ. de *Viperarum uſu medico*, item MELTZERUS, Diſſert. de *Curatione per Viperas*, & JUNCKERUS, Diſſ. de *Viperarum uſu medico;* conf. *Thom.* BARTHOLINI *Epiſt. Med.* 34. Cent. I. p. 134. ſqq.

VULPIS Pulmones, *les Poumons de Renard*, Getrocknete Fuchs-Lunge. Pulmones recentes, vino elutæ exſiccantur. *Ammandantur ad vitia pulmonum; & requiruntur ad* Loob de Vulpis pulmone. Sed vitiati hominis vivi pulmones fruſtra expectant auxilium a tabidis mortuæ Vulpis pulmonibus, quod triſtis experientia frequenter docuit, & quotidie docet. Conf. huc RIVINI, Diſſ. de *Medicament. Officinal. cenſura*, & *Dan.* LUDOVICI, *loc. cit.* p. 413. ut & *Caſp.* HOFFMANN. *Paralip. Officin.* Sect. II. Cap. 20. pag. 519. item infra a nobis dicenda, ad *Electuarium Pectorale.* Quis enim quæſo, credat, Vulpis pulmones hominibus ex pulmonum tabe laborantibus mederi poſſe, quum ipſum illud animal, quamque ipſi morte naturali ſit pereundum, licet illud ex Venatorum inſidiis, rarius accidat, ſemper natura ſua ingenerata, ex pulmonibus phthiſi conſumtis, ac tuſſi hectica continua, intereat, unde & nomen *Sual* ipſi ab Hebræis inditum, nempe a *Saal, tuſſiit*, ut pulchre docet ſummus BOCHARTUS, *Hieroz.* Part. I. Lib. III. Cap. 13. pag. 850. Hinc & Tuſſis Vulpina, in proverbium abiit, de Phthiſicorum tuſſi letali. Igitur diſpoſiti jam ad tabem Vulpium pulmones neceſſe eſt, ipſos phthiſicorum pulmones magis corrumpant, quam ſanent. Sed hæc obiter.

UNICORNU marinum, Verum Monoceros, *la Licorne veritable*, Einhorn. Depromitur ex animali Cetaceo, quod in Mari boreali, circa Grœnlandiæ &

Islandiæ littora moratur, & *Narhval* vocari ſolet. Alii dentem eſſe putant, alii, quia nullum animal unico tantum dente ſtipatum eſt, pro cornu habent. Eſt candidum, teres, tornatile, & ſtriatum, aliquot ulnas longum, durum, grave, a baſi excavatum, & ſecundum longitudinem, ferme uſque apicem perforatum; odorem vero atque ſaporem nullum prodit. *Coincidit cum aliis cornubus & dentibus. Huic veteres virtutem alexipharmacam, contra omnia venena adſcripſerunt; ſed potius vi demulcente, antacida, antiſpaſmodica & diaphoretica potiri, cenſetur. Doſis eſt, a ſcrupulo uno, ad drachmam dimidiam.* De unicornu hoc vero, non una ſane eſt vera ſententia; quin potius Auctores adverſis quaſi cornibus, ſive frontibus, inter ſe concurrunt, atque in variarum opinionum divortia diſcedunt, ceu uberius videre licet apud illos ipſos ſcriptores, qui data quidem opera, de Unicornu, ejusque Natura & uſu, luculenter tractarunt, quales ſunt imprimis DEUSINGIUS, BARTHOLINI, magna profecto nomina, nimirum, CASPAR, pater, THOMAS filius, & denique iterum CASPAR, nepos, item SACHSIUS, in *Monocerologia*, *Stalpart* van der WIEL, ſingulari doctiſſima Diſſ. pariter WORMIUS, in *Muſeo*, maximus BOCHARTUS, in *Hierozoic.* Part. I. Lib. III. Cap. 26. & 27. & poſt eum CYPRIANUS, ad *Franzii Hiſt. Animal.* Part. I. Cap. XI. denique KIRCHMAJERUS, & SPERLINGIUS, noſtratas, item BERENS, STOLBERGIUS, aliique plures, qui ſingulares *de Monocerote*, ediderunt Diſſertationes, laudati jam maximam quidem partem, Bartholinis ſupra laudatis, *Sachſio*, *Wielio*, *Cypriano*, aliisque. Sed vicit tandem, poſt longa diſſidia eorum potiſſimum ſententia, qui verum illud ſic dictum unicornu officinarum, pro cornu ferocis cujusdam piſcis cetacei, Maris borealis, circa Grœnlandiam & Islandiam æterno quaſi gelu rigentes, incolæ, *Narhval*, vulgo dicti, habuerunt, quorum agmen, ceu principes ducunt *Barholini*, *Sachſius*, *Deuſingius*, *Wormius*, aliique ſupra laudati, imprimis autem magnus TULPIUS in *Obſerv. Med.* 59. Lib. IV. ubi & ipſum piſcem, & cornu quoque ejus, eleganti figura, ſimul exhibet, quod & ex parte, *Sachſius* & alii fecerunt. Quod vero nunc ad ipſas illas mirandas plane virtutes alexipharmacas, Arctoo hujus unicornu vulgo larga quidem manu tributa, attinet, non una eademque de iisdem, quoque eſt ſententia. Negant enim illas plane, *Mercurialis*, *Paræus*, *Duretus*, *Caſp. Bartholinus*, & alii plures, vid. VOSSIUS, de *Idololat.* Lib. III. Cap. 68. p. 542. imprimis autem *Dan.* LUDOVICI, in *Pharmacia hodier. Secul. appl.* Diſſ. I. pag. 232. ſqq. Easdem e contrario tamen adfirmant *Andr. Baccius*, *Palmarius*, *Amat. Luſitanus*, *Foreſtus*, *Wormius*, *Hoechſtetterus*, *Rondeletius*, *Hofmannus*, ad *Schrœderum.* Thom. BARTHOLINUS, *Hiſt. Anat.* 4. Cent. IV. & TULPIUS, *loc.* ſupra *laudato*, aliique plures, allegati cum illis contrarium ſtatuentibus, SACHSIO, *Monocerolog.* Cap. IX. qui vero ipſe mox, Cap. X. varia a ſe tentata experimenta producit, quibus imprimis eximiam illam Monocerotis virtutem alexipharmacam comprobare adnititur, quod & facit HOECHSTETTER. *Obſ. Med.* 9. Dec. V. p. 636. & RIEDLINI, *Lin. Med.* Ann. 1697. Menſ. Jan. Obſ. 30. p. 68. & SPINDLERUS, *Obſ. Med.* 100. p. 177. ſqq. ibique Schol. & rurſus RIEDLIN. *Curat. Med.* 412. Cent. IV. p. 246. Sed media utique hic incedendum eſt via; neque enim nimis laudandum hoc unicornu marinum, neque rurſus nimis vituperandum. Inſunt ipſi, quod non plane negandum, quædam me-

dendi vires, ſed non tales ac tantæ, quæ ipſi vulgo, in univerſum, tribuuntur, quoniam nempe pretioſum eſt, ut notum, & ingenti plerumque ære redimitura peregrinis Mercatoribus, alienam credulitatem & opinionem in ſua lucra, callide vertentibus. Habet ergo, ut ingenue tandem fateor, hoc unicornu ſuas virtutes, ſed vix majores, ac quidem vulgo habent cornu Rhinocerotis, Cervi, Rupicaprarum, Alcis, & id genus alia Animalium cornua, imo Ebur ipſum, de quo ſupra. Parcius igitur laudandum erat hoc cornu, propter exiguam, aut mediocrem certe virtutem, quod parcius adhibetur, ob ingens pretium, quo venditur. Conf. HERMANNI *Cynoſur. Mat. Med.* Tom. I. Part. II. p. 11. in Notis, & BÜCHNER. *Mat. Med.* p. 735. & BARTHOLINI, *Hiſt. Med. Hafn.* p. 393. ſqq. Sed hæc, forſan nimia, jam dicta ſunto.

UNICORNU foſſile, Ebur foſſile, *l'Unicorne minéral*, **gegraben Einhorn**. Sunt cornua, vel potius dentes, aut oſſa alia animalium, quæ longiore temporis ſucceſſu in lapideam ſubſtantiam, & quaſi calcinatam abierunt. Reperiuntur, quæ, partim oſſium calcinatorum inſtar, friabilia ſunt, partim quæ ſpeciem margæ ſimulant; horum nonnulla cum ſic dictis philoſophice calcinatis plane conveniunt, ac ſi arte parata eſſent, quod facili negotio fieri poteſt, ſi nempe fruſtum Eboris vel cornu cervi, acervo calcis vivæ ſubmittas, & calcem aqua frigida ſuperfuſam extinguas; nam hac methodo ſuppoſitum fruſtum calcinabitur, ut brevi tempore ſpeciem unicornu foſſilis ſic dicti, exhibeat. Hoc foſſile unicornu in compluribus Germaniæ locis occurrit, præſertim vero in Ducatu Wirtembergico, prope Canſtadium, incredibilis magnitudinis dentes, quos ingnis manifeſte probavit, eſſe Elephantinos, effoſſi, & poſtea in Cimeliarchium Stuttgardienſe repoſiti ſunt. *Vim abſorbentem, adſtringentem, & ſudoriferam poſſidet. De Ebore foſſili* ſcripſit olim LIBAVIUS, item RHIME ſingularem *de eodem* edidit Diſſertationem, ut & WEDELIUS, & Spleiſſius, cum aliis. Laudat quidem ejus Virtutem medicam laudatus ſæpius LUDOVICI, *Lib. cit.* Diſſ. I. p. 156. Multis tamen, neque ſine ratione, Ebori huic ſic dicto, effœto, exeſo, & putri fere, longe minor adhuc virtus ineſſe videtur, ac quidem Ebori recenti adeſſe creditur, a qua ſententia nos quidem haud alienos profitemur. Vid. RIVINI Diſſ. de *Cenſura Medicament.* Officinal. Cap. IV pag. 98. ubi & de impoſtura, Ebur foſſile per artem parandi; conf. *Cl.* BÜCHNERI, *Mat. Med. Fund.* p. 88. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. p. 85.

UMBILICI marini, inter Marina occurrunt.

ZIBETHUM, *la Civette*, **Zibeth**. Eſt ſubſtantia pinguis & unguinoſa, quæ originem trahit a ſecreta natura *Hyænæ Odoriferæ* ſive *Cati* Zibethici, & colligitur in folliculo glanduloſo, quem mas inter penem & teſtes, & femella inter vulvam & anum fovet. Vid. huc imprimis *Petri* CASTELLI Tract. de *Hyæna odorifera*, & *Thom.* BARTHOLINI, *Hiſt. Anat. Rar.* I. Cent. IV. p. 199. ſqq. item HERMANNI, *Cynoſur. Mat. Med.* Part. II. p. 42. ſqq. in Not. & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med* Part. II. Sect. XII, Cap. 49. p. 377. ſqq. maxime autem *Commerc. lit. Med. Norimb.* Ann. 1736.

p. 324. ſqq. Animal hoc Lupum potius, quam Felem æmulatur; corpus enim Lupi inſtar, cinereo-albicans, maculisque hinc inde nigricantibus notatum eſt; cruribus parvis incedit; digitos in quovis pede quatuor, & hallucem ſimul, parum a digitis diſtinctum habet; ungues canini, nigri, breves, craſſi & obtuſi ſunt, ſed neutiquam adunci. In plerisque regionibus orientalis & occidentalis Indiæ occurrunt. Si hæc animalia cicurata ſint, valde delectari videntur, dum illis folliculi auriſcalpio evacuantur. Zibethum, quod ſub-pallidum, pingue & modice liquidum eſt, ſed temporis ſucceſſu craſſeſcit, & papiro impoſitum, vel affrictum, ſine craſſamento, iterum diſſolvitur, ſaporem denique amaricantem, atque fragrantem odorem prodit, optimum cenſetur, hisque criteriis ab adulterato diſcerni poteſt. *Calidum atque anodynum eſt. In doloribus colicis umbilico inungitur, & ad odoramenta adhiberi ſolet.* Vid. plura apud VALENTINI *Hiſt. Simpl. Reform.* Lib. III. Cap. 15. p. 314. ſqq. & quos ibi laudat Auctores plures, ut *Pomet. Dale*, *Marx. Vielheur. Schurz.* & alios, quibus add. *Caſtellus* & *Hermannus*, modo laudati.

REGNO Animali etiam adnumeranda ſunt Seva, Axungia & Ceræ. Sunt vero uſitatiora:

SÆVUM Bovinum, *le Suif de Boeuf*, Rind-Inſchlitt.

Cervinum, *le Suif de Cerf*, Hirſch-Inſchlitt. Vid. RIEDLIN. *Lin. Med.* Ann. 1695. Menſ. Oct. Obſ. 14. p. 333.

Hircinum, *le Suif de Bouc*, Bocks-Inſchlitt.

SEVUM, Sebum eſt adeps a membranulis liberatus, & per colliquationem ad duriuſculam conſiſtentiam redactus. Adeps craſſior & durior exiſtit, quam pinguedo, moleſtioreque labore ad colliquandum cogitur, ac mox poſt colliquationem congelaſcit; deprehenditur præcipue in Bovibus, Ovibus, Cervis, & Hircis. *Seva omnia virtute emolliente & leniente conveniunt, & maxime ad emplaſtra adhibentur.*

Axungiæ uſitatiores in noſtris officinis ſunt:

AXUNGIA	Anatis,	*la graiſſe de Canard*,	Enten-Schmalz.
	Anguillæ,	*d'Anguille*,	Aal-Schmalz.
	Anſeris,	*d'Oye*,	Ganß-Schmalz.
	Ardeæ,	*de Héron*,	Reiher-Schmalz.
	Aſchii, ſive Aſchiæ, *piſcis*,	*de Thymalus*,	Aſchen-Schmalz.
	Canis,	*de Chien*,	Hunds-Schmalz.
	Caponis,	*de Chapon*,	Capaunen-Schmalz.
	Caſtorei,	*de Caſtoreum*,	Bibergail-Schmalz.

AXUNGIA	Caſtoris, *la graiſſe,*	*de Caſtor,*	Biber-Schmalz.
	Cati ſilveſtris,	*de Chat ſauvage,*	Wild-Katzen-Schmalz.
	Ciconiæ,	*de Cigogne,*	Storchen-Schmalz.
	Coturnicis,	*de Caille,*	Wachtel-Schmalz.
	Cuniculi,	*de Lapin,*	Caninchen-Schmalz.
	Equi e collo, *Juba,*	*de Col de Cheval,*	Kamm-Fett, Pferd-Schmalz.
	Gallinæ,	*de Poule,*	Hüner-Schmalz.
	Hominis,	*Humaine,*	Menſchen-Schmalz.
	Leporis,	*de Lievre,*	Haaſen-Schmalz.
	Lucii, *piſcis,*	*de Brochet,*	Hecht-Schmalz.
	Lupi,	*de Loup,*	Wolfs-Schmalz.
	Muris Alpini,	*de Marmotte,*	Murmelthier-Schmalz.
	Porci,	*de Porc,*	Schwein-Schmalz.
	Serpentum,	*de Serpens,*	Schlangen-Schmalz.
	Taxi,	*de Blaireau,*	Dachſen-Schmalz.
	Viperarum,	*de Viperes,*	Vippern-Schmalz.
	Vrſi,	*d'Ours,*	Bären-Schmalz.
	Vulpis,	*de Renard,*	Fuchs-Schmalz.

Axungiæ ſunt pinguedines animalium, quæ poſtquam a partibus membranaceis cellularum liberatæ, & colliquatæ fuerunt, partim in conſiſtentiam, olei inſtar, liquidam, partim denſiorem abeunt. Quo liquidiores comparent, eo facilius ſe inſinuant. *Omnes axungiæ vim emolliendi, digerendi, & leniendi poſſident;* præſertim vero:

Axungia Anatis.
Anſeris.
Canis.
Caponis.
Caſtoris.
Equi.
Gallinæ.
Hominis.
Porci.

Attenuandi & reſolvendi vis adſeritur ſequentibus:

Axungiæ Ardeæ.
Cati ſilveſtris.
Ciconiæ.
Coturnicis,
Leporis.
Lupi.

Axungiæ Muris Alpini.
Serpentum.
Taxi.
Viperarum.
Urſi.
Vulpis.

Vim autem calefacientem, detergentem, & ſepticam exerunt:

Axungia Anguillæ.
Aſchiæ, ſive Thymalli. Vid. RIEDLIN. *Lin. Med.* Ann. 1697. Menſ. Mart. Obſ. 9. p. 157. ſqq.
Lucii Piſcis.

Eligantur ſeva & pinguedines, & præſertim axungiæ, recentes colliquatæ, quæ rancore ac vetuſtate nondum corruptæ ſunt, nec naribus fœtorem ingerunt, imprimis ſi ad linimenta & demulcentia adhibendæ ſint; rancidæ enim omnes calorem concitant, & affluxum augent. *Axungia canis etiam haud raro interne, ad leniendos ſpaſmos, & acrimoniam humorum temperandam ſumitur*, ſed hoc caſu ex recens mactato cane depromenda & colliquanda eſt; rancida vero omnis, ab hoc uſu interno removeatur. Ceterum acrem non minus, quam veram ac ſolidam cenſuram in has omnes pinguedines & axungias, longa ſerie hic propoſitas, merito exercuit laudatus ſæpe LUDOVICI, in eximia ſua *Pharmacia*, Diſſ. I. pag. 522. ſqq. ubi ſimul liquido oſtendit, quod quum omnes fere unius ejusdemque ſint virtutis, ſcil. perquam exiguæ, prætereaque cum ipſo tempore, facile ranceſcant, & in corruptionem ac teterrimum fœtorem abeant, adeo, ut ſic in uſum advocatæ, plus obſint, quam proſint, quod, inquam hinc illæ vel ad arctiorem & adſtrictiorem numerum ſint reducendæ, vel ex officinis pharmacevticis, ceu ſuperfluæ, nihilque profuturæ, maximam quidem partem, plane exterminandæ. Conf. huc & RIVINI, Diſſ. de *Medicament. Officinal. Cenſura*, Cap. II. p. 83. item p. 89. & maxime p. 93. & BÜCHNERI, *Mat. Med.* p. 699. aliqua ex parte; item RIEDLINI, *Lin. Med.* An. 1695. Menſ. Octob. Obſ. 13. pag. 332. & CARTHEUSERI, *Fund. Mat. Med.* Part. II. Sect. 14. Cap. 8. p. 546. ſq.

Axungia Caſtorei, pretio non multum differt ab ipſo Caſtoreo, hinc tanta quantitate non ſolet præſcribi, ut tota membra exinde inungi poſſint, etiamſi eximia virtute antiſpaſmodica & nervina polleat. *In affectibus hiſtericis, adhibetur, vel odoramentis intermixta, vel unguentis abdomini illinendis adjecta.*

CERA flava, *la Cire jaune*, eſt ſubſtantia pinguis oleoſa, condenſata & flaveſcens, quæ ex favis apum ignis colore colliquatis exprimitur, ſaporem lentum, oleoſum prodit, atque gratum odorem emittit.

CERA alba, *la Cire blanche*. Paratur ex cera flava, ſi eam nimirum radiis ſolaribus exponas, frequentique adſperſione aquæ irriges.

PRO-

PROPOLIS, *le Propolis.* Eſt illa craſſa atque cerea materia, qua apes favos ſuos adglutinare, rimas & latera alveorum obducere, domicilium ſuum firmare, & externi aëris acceſſum impedire ſolent. *Cera & Propolis vim digerentem, maturantem, emollientem, doloresque mitigantem poſſident, & maxime ad emplaſtra adhibentur; cum pomo Cydonio toſto, interne ſumpta, a non nullis contra dyſenteriam commendatur.*

DESCRIPTIO

Simplicium quorundam exoticorum, quæ tam propter eximias illis attributas virtutes, quam curioſitatis gratia, nonnunquam in officinis pharmacevticis reperiuntur, vel alias ex Libris nota ſunt.

ACINELLA Ceylonica, ſeu ſummum lithonthrypticum, commendat *Herm.* BOERHAAVE in *Conſultat. Med.* p. 336. & p. 360. Edit. Pariſ. 1750.

ADHATODA, planta pariter Ceylonica, quæ inſigni plane efficacia pollere traditur fœtum mortuum pellendi, unde & plerumque dicitur Ecbolion Ceylanenſium; cujus tamen anceps dubiusque uſus nondum apud nos ſatis ſecure innotuit. Vid. STAHLII, *Mat. Med.* Part. II. Cap. 3. p. 66. Ipſam peregrinam hanc plantam poſt alios, accurate deſcriptam exhibet BOERHAAVE, *Indice Plant.* altero maj. *Hort. Leidenſ.* Part. I. p. 239. & poſt *Rivinum* atque *Tournefortium*, magna pariter, inter Botanicos Nomina, B. HEUCHERUS de *Plantis Hort. Med. Witteberg.* pag. 913. Tom. II. Opp. ubi ſimul obſervat, quod Adhatoda etiam quibusdam appelletur Nux Malabarica. Ceterum plura de ipſius virtutibus vid. apud laudatum BOERHAAVIUM, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 322. Vid. & *Ill.* LINNAEI *Flora Zylon.* p. 6. ſq. & præſertim AMMANI *Irenic. Num. Pompil. & Hippocrat.* p. 271. ubi & ſimul oſtendit, maximam eſſe differentiam inter *Nucem* quidem *Malabaricam* & ipſam *Adhatodam.*

AMBRATUM Lignum, Sandali videtur ſpecies; Foris cœſium eſt; intus ex albo, flavens, odoris fragrantiſſimi. Speciebus pro Cucupha, tanquam Agallochum, fortaſſe non temere additur. Ita VALENTINI, in *Hiſt. Simplic. Reform.* Lib. II. Sect. IV. Cap. 18. pag. 192.

ANCILLARUM Lignum, de cujus turpi & pudendo Ancillarum venalium & laſcivarum fœminarum Indicarum, uſu, vid. idem VALENTINI *loc. cit.* pag. 192. ubi & de Lignis exoticis, *l'Acajou*, *Acomat* & *Sambaram*, ex POMETO & CLEYERO, paucis tractat.

Apalachine, *le Paraguay*, *le Thé de la Mer du Sud.* Anglice: *Caſſioberribuſcb*, Caſſina floridanorum. Eſt ſpecies *Alaterni*, & in Gallia ante præterlapſa aliquot luſtra valde celebris fuit. Appellatur quoque a nonnullis: *Alaternoides Lauri folio ſerrato.* Vid. Boerhaave *Indic. Plant. Hort. Acad. Leid.* Part. II. p. 214. & *Commerc. Litt. Med. Norimb* Ann. 1736. p. 47. noviſſime vero *Petri Franciſci Xaver.* de Charlevoix, *Hiſt. Parag.* Pariſ. 1756. III. Vol. in form. 4to. editam. Non ſolum in America, ſed etiam in Africa progerminat. Apud Americanos vero magni æſtimatur, & unicum ferme illorum ſolatium eſt. Hinc quotannis, certo aliquo anni tempore ad maris littora, ubi hic frutex laſcivit, conveniunt, folia recentia legunt, aqua fervida ſuperfundunt, & vas, hoc infuſo repletum, alter alteri circulatim, plenis quaſi faucibus exhauriendum propinant, idque per tres plerumque dies ſolent continuare, ubi quisque horum quoque foliorum faſciculum ſecum domi tranſportandum colligit. *Hujus infuſi vires emeticæ ſunt*, *& citra omnem moleſtiam*, *& capitis dolorem*, *ventriculum purgat.* Ex effectu cognoſcitur, quod indoles hujus plantæ ad Thymelæam referenda ſit. Ipſimet Americani commemorando tradunt, quod hæccine planta olim venenoſa fuerit, ſed poſt hac ex benedictione Sancti Bartolomæi viribus ſalutaribus donata. Metallariis præſertim, & incolis regni Peruviani, qui prope celebres illas, montis Potoſi aurifodinas habitant, medicam ſuam utilitatem confert. Hæc folia, & infuſum illorum, immenſe amara ſunt. Ab Hiſpanis vocantur *Yerba de Palos*, *& Yerba de Camini*; *Yerba de Camini*, *& quæ ab* Anglis *Paraguay*, nuncupantur, præferri ſolent illis, quæ *Yerba de Palo* audiunt. Frutex, quem folia, *Yerba de Paolo*, ornant, *Caſſio-berry-Buſcb*, inſignitur. Sed audiamus nunc de hac Thea exotica emetica, ut ita loquar, ſummum Boerhaavium ita pronunciantem in *Conſult. Med.* p 360. *Paragoa ſtipites quondam ſummo in uſu*, *dum maceratis in aqua*, *potus fiebat*, *qui leniter expurgabat vomitu*, *ventriculum. Sed dudum eſt*, *quod tam raro uſurpetur*, *ut olim frequentiſſime.* Quibus mox p. 363. ſapientiſſime hæc ſubjungit: *Ego puto*, *pro Paragois*, *Ipecacuanham*, *pro Radice Ninzin*, *Radicem Fœniculi*, *pro Acinella*, *Agrimoniam*, *& Betonicam*, *pro Mungo*, *Rutam*, *pro Faba Ignatii*, *centaurium minus*, *pro Pareira Brava*, *Radicem Ariſtolochiæ*, *commode ſubſtitui poſſe.* Hæc prudentiſſime & veriſſime dicta in futuros uſus, probe & exacte notentur.

Beidelzar, Species Apocyni Aegypt. de quo *Alpinus*, *Tournefortius*, & alii. Uſus ejus externus tantum, in doloribus ſedandis, & tumoribus frigidis diſcutiendis. Vid. Boecleri, *Mat. Med.* Continuat. II. Part. I. Cap. 6. p. 322. ſqq. ubi plura.

Billinghbingh. Pulcherrima Arbor Ceylonica, cujus ſuccum acidum ex ipſis fructibus angulatis & oblongis prolectum ac collectum, ut & Conſervam ex ejusdem floribus rubicundis, aut ex violaceo fulvis, paratam, in morbis calidis & biliofis; febribus urentibus, & Hepatis, aut aliorum partium inflammationibus, ſummopere commendat *Hermann Nicol.* Grim, in *Laboratorio Ceylonico*, pag. 110. item *Jac.* Bontius, Lib. VI. *Hiſt. Nat. & Med. Indiæ.* Cap. 42. p. 133.

Bolanga, Arbor Ceylonica jucundiſſima & utiliſſima; fructus enim ipſius, folia, Aqua, Oleum & Gummi, egregia præbent remedia contra varios pertinaces ſtomachi & inteſtinorum morbos, veluti Diarrhœas, Dyſenterias, & ſimilia infimi ventris tormina; ſed & ſimul, contra varios externi corporis dolores; ceu fideliter refert *Hermann Nicol.* Grim, teſtis αὐτόπτης, in *Laborator. Ceylon.* p. 86.

Caa-apia. Eſt planta pumila atque depreſſa. Radix quæ ſpiſſitudinem pennæ anſerinæ adæquat, verrucoſa, & multis undique filamentis ſtipata, externe griſeo-flaveſcens, interne vero alba adparet, tres potiſſimum vel quatuor pediculos teretes protrudit, quorum quisque unicum tantum folium tenerrimum, oblongeque rotundum ſuſtinet; quod ſuperne ſplendide vireſcit, ſed inferne pauliſper albet. Florem in proprio petiolo radiatum, qui bellidem æmulatur producit. Radix guſtatu acris eſt, & ferme eandem, ac Ipecacuannha, virtutem exerit; mitior tamen agit, hinc doſi majore, præſertim ſi vomitum excitare debeat, exhibenda. Interim, etiamſi hujus radicis virtutes, cum viribus Ipecacuannhæ comparentur, caractere tamen botanico, ſecundum Pisonis deſcriptionem, una radix ab altera multum diſcrepat. Ipecacuannha enim eſt planta baccifera, perhibente *Illuſt.* Linnaeo, *Hort. Cliffort.* vocatur quoque a *Rajo* Herba Paris braſiliana polycoccos. Hæc planta *Caa-apia*, in Braſilia naſcitur, & integra ab indigenis contunditur, ſuccusque expreſſus, non ſolum bibitur, ſed etiam vulneribus venenatis, a colubris, vel ſpiculis ſagittarum inflictis, inſtillatur. Conf. Piso. Lib. V. Cap. 5. pag. 278. & Cap. 8. p. 282. Ex his virtus integræ hujus plantæ alexipharmaca facile cognoſcitur. Egregiam hanc & eximii uſus plantam primus, niſi fallor, deſcripſit ac laudibus celebravit *Guil.* Piso, in *Hiſtoria Nat. & Med. Indiæ Occidental.* Lib. IV. Cap. 53. p. 230. & Lib. V. Cap. 19. p. 311. & poſt eum, perquam diligenter & accurate, *Ill.* Leibnitius, in Relatione de *Novo Antidyſenterico Americano*, pag. 15. ſqq.

Cajeput. Oleum ex India Orientali advehitur, & pro oleo ex quapiam Cardamomi ſpecie, chemica arte producto, habetur. De quo ſupra, ſub *Semine Amomi*; conf. *Commerc. litt. Med. Norimb.* Ann. 1731. pag. 366. Tam interne, quam externe uſurpari ſolet. *Speciatim ad colicam flatulentam, menſtrua ſuppreſſa, fœtumque mortuum propellendum, commendatur. Ad dentium dolores, ſugillationes, & ſuffuſiones, vix aliud huic ſimile, vixque iſto melius poſſe reperiri remedium, creditur.* Guttæ tres, quinque, vel ſex, ſaccharo albo inſtillatæ, cum infuſo Theæ, pro doſi exhibentur. Sunt, qui huic oleo aromatico generoſo eximias plane & ſingulares virtutes contra apoplexiam, lethargum, paralyſin & alios vehementiores ac pertinaciores morbos, tribuunt. Sed frequentiore uſu & experientia, edoctus, ipſi huic oleo nimis laudato, haud præſtantiores vires ineſſe deprehendi, quam quidem in aliis ejusmodi oleis aromaticis nobilioribus, v. g. Cinnamomi, Caryophyllorum, Macis, & ſimilium aliorum aromatum fragrantiorum, obſervare licuit. Imo, ut plus dicam, eundem effectum præſtant olea illa deſtillata domeſtica, nec ingenti pretio aliunde advecta, nempe Meliſſæ, Menthæ, Majoranæ, Rutæ, La-

vendulæ, Mari, Roriſmarini, imprimis autem cœleſte illud & cœruleum Florum Chamomillæ, præſertim Romanæ; cujus inſignem plane virtutem in ejusmodi affectibus atrocioribus, ſupra commemoratis, aliquoties manifeſto vidimus, & merito admirati ſumus. Ceterum vid. *D. M. C.* MARTINI, Diſſert. de Oleo *Wittnebiano*, ſeu *Kajuput.* 1751. Conf. *Cel.* BUCHNERI *Fund. Mat. Med.* pag. 477. ubi & ipſe magnam precioſo huic oleo virtutem, imo magnas virtutes tribuit. Add. imprimis *Commerc. litt. Med. Norimb.* Ann. 1732. pag. 10. & SALMON, *de Statu hodierno Inſularum Moluocenſium*, Cap. II. p. 99. cum *Addit.* interpretis *Gochii.*

CALAMBOURGUM Lignum, le bois de Calambourg, quod viride & fragrantiſſimum, tanquam Lignum Rhodium. Vid. VALENTIN. *loc. cit.* p. 191.

CARAMBACCIUM Lignum, cujus meminit BAGLIVIUS tanquam nobiliſſimi ſtomachici, in Tract. de *Saliva Natura*, referente VALENTINI, *Hiſt. Simpl. Reform.* Lib. II. Sect. IV. Cap. 18. p. 192.

CARAMBOLOS. Jucundiſſima Arbor Ceylonica, cujus ſucco ſubacido, ex fructibus ipſius oblongam & in acies anguloſam formam habentibus, collecto, aut in ſuavem Syrupum mutato, easdem refrigerandi, bilemque efferveſcentem temperandi, vires tribuit idem GRIM, quas ſupra laudaverat in ſucco fructuum arboris *Billinghbingh*, *in Laboratorio Ceylonico*, pag. 111. Conf. *Phil.* BALDAEI Deſcript. *Inſulæ Ceylon* p. 154. ubi tamen mutato nonnihil nomine, Arborem iſtam exoticam vocat *Carunbolle*, exigua ſane differentia, & forte ex mera conſuetudine vulgo loquentium. *Carambolos* autem iſtum ſalutarem in variis Morbis, fructum nominat *Jacobus* BONTIUS, *Hiſt. Nat.* & *Med. Ind.* Lib VI. Cap. XI. p. 102. ubi & ipſam arbuſculam & ipſum fructum figura exhibet, illamque ſic quaſi introducit loquentem:

Oxalidos guſtu, gratum præbemus acorem,

Fructibus, atque iisdem Ventris profluvia ſiſto.

Conf. & Ejusdem *Not.* ad *Garciam* ab *Orta.* p. 54.

CAROLI Sancti radix, ob inſignes facultates ſic dicta. *Garcias* ab *Horto* hanc plantam ſequentibus verbis deſcribit: Noſtro lupulo ſimilis eſt, & perticis ſe convolvit illius more, quibus ſi careat, humi ſpargitur & diffunditur. Neque florem neque fructum fert. Radix craſſo capite eſt, ex quo aliæ oriuntur digiti majoris craſſitudine, colore candicantes; cortex radicum, qui pro optima & medicinali parte plantæ habetur, facile abſcedit, & odoris eſt aromatici, guſtus amari, cum quadam acrimonia. Naſcitur in temperatiſſimis provinciæ Mechoacan locis, ſolo neque nimium ſicco, neque humido. Cortex hujus radicis aliquanto matutino tempore commanducatus, mul-

tam pituitam, alioſque humores ex capite elicit, eamque ob cauſſam rhevmatiſmos, capitis dolores & defluxiones curat. In nonnullis etiam vomitu multam bilem & petuitam e ſtomacho expellit. Menſes movet, & ad Epilepſiam commendatur. Exhibetur tam in pulveris forma, quam in decocto. Doſis in ſubſtantia non definitur, parva tamen eſſe debet, Auctor monet. Drachmas duas in tribus aquæ ſextariis, ad dimidias coqui ſuadet, additis ſub fine coctionis citri & cinamomi corticibus. Decocti hujus ſex uncias ſingulis diebus mane, addito ſaccharo, ſumere jubet. Interim *Monardes* adfirmat, quod hoc decoctum non ſemper vim emeticam exerceat, ſed interdum per ſudorem operetur, & ſui officii partes profiteatur. Conf. BOECLERI *Continuat. Mat. Med. Herman.* pag. 127.

CASSUMMUNIAR, *Riſagon*, M. Lond. R. *Bringalle Indorum*, *Zedoaria radice lutea*, BREYN. *Podr.* Eſt radix tuberoſa, quæ ſpiſſitudinem digiti mox æquat, mox ſuperat, & in taleolas tranſverſim diſſecta, ex India Orientali, ubi progerminat, ad nos transvehitur. Superficie laterali, circulis uti Galanga quaſi geniculatis, notata, & interne flaveſcens, externe vero cinerea adparet, odore inſuper fragrante, ſaporeque ſub acri, amaricante, aromatico ſtipata. Huic radici nimiæ virtutes, nervinæ ſcilicet & confortantes, ſummis laudibus adſeruntur, hinc in adfectibus hyſtericis, doloribus colicis, vertigine, apoplexia, motibusque convulſivis commendari ſolent. Datur in ſubſtantia ſcrupulus ſemis, ad drachmam ſemis? B. GEOFFROY, Caſſummuniar nomen ad plantam celandam impoſitum fuiſſe opinatur. Tom. II. *Mat. Med.* Sect. I. Artic. VIII. pag. 30.

CIPO de Cameras. *Acta Phyſic. Med. Nat. Curioſ.* Vol. I. hujus radicis faciunt mentionem, illique cum Hipecacuanha, pares virtutes, ſed quia ſine moleſtia operatur, mitiores tamen adſignant; addunt: quod ſit coloris ſanguinei, & quoque majoris pretii. Forſitan hæc radix eſt illa flava Ipecacuannha, & ſpecies Caa-apiæ.

CODAGA-PALA. *Hort. Malab.* Part. I. p. 85. Tab. 47. Nerium Indicum, ſiliquis anguloſis, erectis, longis, geminis, BURMANN. *Theſaur. Zeylan.* 167. Tab. 77. Apocynum erectum Malabaricum, fruteſcens, Jaſmini flore candido, HERMANN. *Paradiſ. Batav.* 44. Arbor Malabarica lacteſcens, Jaſmini flore odorato, ſiliquis oblongis SYEN. in *Not. ad Hort. Malabar.* item *Act. Edimburg.* Tom. III. pag. 32. ſeqq. Ita GEOFFROY, de hac Arbuſcula exotica Malabarica & Zeylanica, *Mat. Med.* Tom. II. p. 208. ſqq. ubi plura, & de ipſius natura ac forma, & de eximiis imprimis uſibus medicis, cum ex Cortice & Radice, tum ex ſeminibus petendis, potiſſimum contra fœdas diarrhœas & dyſenterias, arthritidem, Anginam, Odontalgiam, Podagra, Lumbricos, febres calidas, aliaque ſæviora mala. Inde magna cum fiducia, experientia fida haud dubie ſuffulta, ita pag. 2 0 pronunciat: *Rariſſime fallit hocce Remedium in Diarrhœis, recentibus, ab inordinato victu procedentibus, modo febris abſit, ſi prius Ipecacuanha doſis ægrotanti propinata fuerit.* Ubi videantur reliqua plura.

Contra Yerva nova, alba, major, *Mexicana*, *Pſoralea* foliis quaternis & quinis. *Act. Acad. Reg. Pariſ.* 1744. Hæc, a Contra Yerva ſive *Drackena* officinali, toto cœlo differt. Caracter tamen botanicus adhuc incognitus eſt. Radix, uti deſcribitur, duorum digitorum vel pollicum craſſitudinem adæquat. Cortex aſper, nodoſus atque fuſcus adparet. Radicis ſubſtantia alba eſt, & una cum medulla lignoſa, ſubdulci aromatico ſapore dotata deprehenditur. In provincia Americanæ meridionalis Gujana naſcitur, iisdemque virtutibus, ac Contra Yerva officinalis, ſtipata eſt.

Gentiana Indica. Sub hoc nomine a Luſitanis radix quædam geniculata, pallide flaveſcens, variis nodulis ac circulis, Hypecacuannhæ inſtar, calamiſtrata, ante aliquot luſtra ex America allata fuit. Tantam aromaticam tamque penetrantem, aſt neutiquam ingratam amaritudinem poſſidet, ut gentiana noſtra, centaurium minus, colocynthis, & alia amara, quæ, ſi ratione ingrati ſaporis, cum hac, conferantur, inſipida plane atque inertia vocari merentur. De caractere botanico, ſic ut de multis aliis ex America adportatis, nihil certi nobis cognitum eſt. Omnibus male moratis febribus obſtare, celebratur, & unicus hujus radicis ſcrupulus, ad fermentum febrile, ex viſceribus excutiendum plus valere, creditur, quam drachmæ plures Corticis Chinæ. Quin etiam plurimos ex ſola maſticatione hujus Indicæ radicis, ſalivaque deglutita, tanquam ex quopiam incantamento fuiſſe reſtitutos, commemorat *Excell.* D. Schendo, Ruſſorum exercituum Medicus. *Act.* Ph. M. V. I. Conf. *Cl.* Gronovii, *Flora Virginiana*, Part. II. pag. 145.

Gummi Galda, eſt coloris ſubgryſei, & tam odore, quam virtute, cum Elemi Gummi multum convenit. De arbore vero nihil certi nobis conſtat.

Gummi Look. Colore ſuccinum æmulatur; Ex Japonia advehitur, & maſtichis electæ inſtar, contra dentium dolores, & cephalalgiam temporibus imponitur.

Gummi Olampi tranſparens & durum eſt, coloreque pallido noſtros oculos ſubit, ſapore vero ſubdulci ac parum adſtringente gaudet; ex America advehitur; & cum Gummi Arabico multum convenire videtur.

Helenae S. Radix. *Cyprus Hernand.* Nodoſa, externe nigra, & interne alba adparet; craſſitudinem pollicis æquat, ac ſaporem, Galangæ inſtar, aromaticum prodit. Hujus radicis planta, ramos ſuos per terram diffundere, ac folia late patentia, grateque viridantia protudere perhibetur. Pro ſpecie Cyperi a botanicis haberi ſolet. Vid. Geoffroy, *Mat. Med.* Tom. II. p. 49. Ex nodis radicum diſſectis & perforatis ſphærulæ illæ precatoriæ conficiuntur, quæ recitandis ad numerum precibus dicatæ ſunt. Non ſolum Hiſpani, ſed etiam Indi, his ſphærulis de callo ſuſpenſis, magnas, & quæ vix fando enumerari poſſunt, virtutes attribuunt. Radices recentes, Indi balneaturi, lapidibus conterunt, contritasque ad cutem conſtringendam atque mem-

bra roboranda, toti ſuo corpori imponunt. Hujus radicis pulvis, interne ſumtus & ex vino præſertim hauſtus, ad dolores ventriculi & difficultatem urinæ ammandatur. Hæc *Monardes*, qui hujus radicis plantam pro ſpecie Cyperi habet. Conf. BOECLERI *Cynoſur. Mat. Med. Herm. Contin.* p. 2.

IKAN Radix, eſt parva, oblonga, atque teres, quæ tandem in tenuem caudam deſinit. Interne reſinoſa eſt, & flavum curcumæ colorem, ceterasque dotes æmulatur, ſapore tamen magis aromatico præcellit. Naſcitur in Chinenſi provincia Suchuan, & illi virtutes ſanguinem purificans, emmenagoga, ſtomachica, carminativa, & denique ſudorifera adſcribi ſolet. Datur ex vino, vel cereviſia, a ſcrupulis duobus, ad drachmam unam.

JUJABA cortex Peruvianus. Nobis plane incognitum eſt, ex qua arbore, vel radice hic cortex deglubatur. SEBA in *Theſauro Natural.* tradit, quod ex America adferatur; Cordi confortando inſerviat; ſapore gratiſſimo, ac mire balſamico ſe commendet; ſuavitate ſua Vaynilles quoque ſuperet, & in confectione Chocolade illis præferendus ſit. Alii huic cortici ſaporem amygdalinum, & ſuaviter amaricantem, attribuunt.

KIKEKUNEMALO Gummi. Habetur pro ſpecie Copal, ſed elegantia, perſpicuitate, & puritate, illud Gummi Copal ſuperat, faciliusque diſſolvi patitur, hinc ad nitidam albam vernicem parandam, vix aliud aptius reperiri poteſt. Arborem, ex qua promanat, ignoramus; certum tamen eſt, quod ex America adferatur. Fumus, quem hoc gummi emittit, ſi prunis candentibus inſpergatur, adfectibus arthriticis, ignique ſacro obſtare creditur, partibus adfectis nimirum probe iſthoc fumigatis.

LABLAB, Semen. Sunt phaſeoli Aegyptiaci, nigro ſemine, aut etiam rufo, hilisque candentibus ſæpius inſignito. Vid. BOERHAAVE, *Ind. Plant. Hort. Academ. Leid.* Part. II. p. 29. Aegyptii phaſeolos hos, docentibus *Proſp.* ALPINO, de *Plant. Ægypt.* Cap. XX. p. 74. VESLINGO *Not. ad Alpin.* p. 25. & aliis, in cibo frequentant; noſtris non minus guſtui ſuaves exiſtunt. Mulieres utuntur decocto cum croco, ad excitandas Menſes; præterea utile eſt ad tuſſim & dyſpuream, ut & ad urinam ſuppreſſam movendam. Hæc BOECLER. *Continuat. II. Cynoſur. Mat. Med. Hermann.* p. 197. ſq.

LAPIS ſive Bezoar Coromandel. Nomen nactus eſt, a regione, unde advehitur. Hi lapides, ſi magnitudinem, atque colorem ſpectes, varii ſunt; Alii namque dilute virentes, alii ad fuſcum magis colorem propendentes, alii explete flaveſcentes, & denique alii, ex his nominatis coloribus cunctis, variegati adparent. Chartæ puræ colorem ſuum adtritu facillime communicant, leves, fiſſiles, atque friabiles exiſtunt, & in meditullio, more plerorumque hujus originis lapidum, particulas foliorum, ſtraminum, pilorumque inter ſe convolutas amplectuntur. Flammam facile concipiunt, odorem-

que haud ingratum diſpergunt, ſi igni admoveantur. A nonnullis pro lapidibus factitiis haberi ſolent; ſed certum eſt, quod in ventriculis & inteſtinis Bubalorum generentur atque occurrant. Hæ beſtiæ in Orientalis Indiæ regionibus, frequenter viſendæ adparent, & ab incolis, loco bovium & equorum, ad agriculturam adhibentur. Oberrant in ſilvis, & arborum gummoſo-reſinoſarum foliis veſcuntur, quæ ſtomachus illorum citra dubium, nec tota, nec ſatis concoquere poteſt, hinc ſtamen ad hoc coagulum ponitur, quod, adjecta ſemper de novo materia cruda, ſenſim augetur, & tandem in calculi mollioris ſubſtantiam lemellatim congeſtam deſcendit. Hi lapides copioſe ſæpius reperiuntur, nam beſtia eos interdum cum excrementis projicit; interdum etiam, ſi pondere vel numero graves ſint, ab his ingratis hoſpitibus interficitur. Huic concreto virtutes bezoardicæ & ſudoriferæ adſcribuntur, & contra febres malignas laudantur. Doſis eſt ſcrupulus unus, & aliquot grana. Sed plura de hujus Lapidis Bezoardici Coromandel, Natura, forma viribusque alexipharmacis, & cardiacis, vid. in ſplendidiſſimo *Rerum Nat. Theſauro Alberti* SEBAE, p. 135. ſq. & *Excerptis inde, in Commerc. litt. Med. Norimb.* Ann. 1736. p. 239. ſqq.

ST. LUCIAE Lignum. *Le bois de St. Lucie.* Eſt lignum durum, compactum, mediocriter ponderoſum, absque nodis, coloris gryſei, ad rubicundum inclinantis, cortice tectum tenui, ceraſorum cortici ſimili, odoris grati. De quo vid. LEMERY, POMET, TOURNEFORT. & alios, laudatos BOECLERO *in Cynoſur. Mat. Med.* Continuat. II. p. 100. add. VALENTINI, *Hiſt. Simplic. Reform.* Lib. II. Cap. 18. p. 191.

MARMELLE, Arbor altiſſima, ſuaviſſima, & utiliſſima Ceylonica, cujus fructus Cydoniis noſtris Malis fere ſimilis, item folia, flores, aqua & oleum, iisdem pæne virtutibus medendi, in iisdem quoque morbis, pollent, quas fama, experientia ipſa adjuta, alteri arbori Ceylonicæ Bolangæ, ſuperius modo laudatæ, tribuerat; fatente ipſo Auctore GRIMMIO in *Laboratorio Ceylonico.* p. 87. ſqq.

MASSOY, eſt Cortex arboris in nova Guinea provenientis, aromaticus, odoris & ſaporis fragrantis ac grati; vocatur etiam *Cortex Oninius.* Virtuti fere par eſt Cortici Culilawan, de quo ſupra, niſi, quod mitior ſit, & partium paullo craſſiorum. Cum hoc Cortice trito, & cum aqua, in pultem redacto, incolæ Corpus inungunt, tempore frigido, aut pluvioſo. Eximie enim calefacit, punctiones & tormina ventris ſedat. Præſertim vero uſurpatur cum Culilawan. Hæc BOECLER. *Mat. Med. Continuat.* p. 128. Conf. VALENTINI, *Ind. Litt.* Epiſt. III. *Jageri*, p. 397.

MORINGA Radix, arboris Lentiſci foliis, fructu magno, anguloſo, in quo ſemina Ervi *Joh. Bauhin.* uti deſcribitur a *Chriſtophoro* ACOSTA, *Libr. Aromat.* Frutex, qui ex hac radice adſurgit, & magnitudinem & folia Lentiſci ſimulat, ſed paucis ramis ſtipatus eſt; multis vero nodis hinc inde obſitus, & adeo fragilis exiſtit, ut ipſe, cum ramis, negotio facillimo poſſit confringi. Fructum producit pedalem, octangulum, ſeminibusque

nibusque rotundis, Ervo ſimilibus repletum. Radices, paſtinaceas hortenſes luteas, aemulantur, niſi quod annulis numero pluribus, Ginſeng celebris inſtar, calamiſtratae, compareant. Odorem aromaticum produnt, & Zingiberis in modum, ſubſtantia reſinoſa conſtare videntur. Haec radix munia Lapidis Bezoar ſuſtinet, veraeque Theriacae, nomen meretur, qua incolae communiter utuntur, ac eam contra quosvis venenatorum animantium morſus, & inſectorum puncturas, tam interne, quam externe, in uſum atque auxilium vocare ſolent. Singularem efficaciam in cholerica paſſione patefacit, vim quoque anthelminticam poſſidere dicitur, imprimis vero ad Elephantiaſin enixe commendari ſolet. Hyſtrices, hacce radice perdite delectari, & ab hujus eſu vis bezoardica lapidis illius decantati, *Pedra de Porco*, originem trahere, nonnulli opinantur. In Indiae Orientalis regionibus, praeſertim vero apud Malabaros copioſe naſcitur. Vid. *Herm.* GRIM, *Laboratorium Ceylonicum*, p. 111. ſq.

PEZAULINA Radix. Ex Junnan, Provincia Chinenſi advehi, & ob colorem lacteum, quem recens oſtendit, a Malayis *Lac tigrinum* nuncupari, traditur. Agarici inſtar, ſpongioſa eſt. Cortice nigro obducitur, ſed non ſemper eadem magnitudine occurrit. In meditullio lignoſa eſt, & nunquam, niſi quartum aetatis annum creſcendo attigerit, effoditur. Ex denominatione & viribus patet, quod hujus radicis planta nullo, ut aliae lacteſcentes herbae, ſucco acri, expleta ſit, ſed potius, Tragopogonis & Scorzonerae inſtar, dulcem complectatur. Radix exſiccata, ſi in pollinem trita fuerit, candore ſuo tritici farinam ſimulat, ac eximia confortandi virtute patitur; idcirco hecticis, tabe confectis & haemoptoicis enixe ſolet ammandari. Sanguinis, humorumque acrimoniam admoderatur, & tam junioribus, quam ſenibus conducere, cenſetur. Praeſertim gravidis, ad nauſeam & deliquia removenda ac impedienda porrigitur. Nephriticis quoque, & illis, quos, cum febricula, Catarrhi ex acri materia vexant, ſuam utilitatem confert. In decocto propinatur, & quotidie quantitas, quantam excipiunt quinque vel ſex patellae porcellanae, quae potioni Theae dicatae ſunt, exhaurienda praeſcribitur.

POCGEREBA, Cortex, nuperrime ex America, Lutetiam delatus, & a *Dn. Sage*, celeb Pharmacopaeo, ejusdemque Regiae urbis, imo Regii potius orbis, ceu ſummum ſpecificum antidyſentericum, divenditus, cujus uncia una adultis praeſcripta, miranda plane praeſtare traditur in fœda iſta dyſenteria; de quo vid. Cl. LOESEKE, *Mat. Med.* p. 275. in Not.

QUALANCAPATI, Planta Indiae Orientalis Celeberrima, cujus praeſentiſſimum auxilium adverſus varios atrociſſimos morbos, a fervida potiſſimum ira, aliisque vehementioribus animi concitati pathematibus, obortos, plures unanimi conſenſu praedicant Auctores, & una cum illis B. STAHLIUS, *Mat. Med.* Part. II. 200. p. 133.

Quamoclit, Jaſminum folio Millefolii, Jaſminum Indicum rubrum, Myriophylli folio, Jaſminum Americanum, Gelſeminum Indianum pennatum, flore ſanguineo, Convolvulus pennatus Indicus, ſponte naſcitur in America, colitur in hortis, floret Auguſto. Nomen eſt Indicum; virtutes ipſius ſunt aperitivae & purgantes, ut in Convolvulo. Vid. plura apud Boerhaave, *Hiſt. Plant.* Tom. I. p. 330. & *Indic. Plant. Hort. Acad. Leid.* Tom. I. p. 247. Linnaei, *Flor. Zeylan.* 77. p. 32. Boecleri, Continuat. II. *Mat. Med. Herman.* p. 361.

Rackasira Balſamum, tam ſapore, quam odore, quem aromaticum diſpergit, ceterisque virtutibus, longe praeſtantius deprehenditur, quam Balſamum Copaivae. Naſcitur in America, ſed arbor, quae iſtud elargitur, nos latet.

Sabdariffa, ſunt Alceae Indicae, ſeu Americanae magno flore, folia, pediculis longis ſeſquipalmaribus haerentia, non nihil rubentia, glabra, in tres lacinias ſerratas diviſa, quorum priora nulla penitus, quaedam exigua diviſura, ſuperne a praedictis variant, cum floribus Alceae venetae majoribus. Vid. Bauhini, in *Pinace*, Tournefort. *Inſt. Rei Herb.* & Boerhaave, *Hort. Leyd.* Part. I. p. 272. Tota haec planta dicitur gaudere virtute emolliente, reſolvente, pectorali atque aperitiva. Dolores mitigat. In Nephritide, Sabulo & calculo prodeſt; medetur urinae retentioni. Vid. Boecleri, Continuat. II. *Mat. Med. Herman.* p. 412.

Sagu, *Zagoe*, nonnullis *Sego*, *le Sagou.* Sunt granula pallida, paulo Milii vel Sinapi majora, quae ex India Orientali adferuntur. Arbor, quae granula haeccine Sagu profert; refertur ad Palmites, & a Botanicis nominatur: Palma Japonica, ſpinoſis pediculis, polipodii folio; Palma Indica caudice in annulos protuberante diſtinctos, fructu pruniformi; Palmam referens arbor farinifera. Progerminat in Japonia, & aliis Indiae orientalis regionibus, praeſertim vero in Terenate & Amboina Inſulis. Tres ſpecies arborum *Sagu* proferentium recenſentur a *Jonſtono*, & quatuor, ab aliis recentioribus. Prima, in orbiculato capite, quod braſſicae capitatae inſtar, in ſummo veſtigio extuberat, Sagu producit. Secunda eam in trunco profert; tertia materiam duntaxat ſuppeditat. Plura & luculentiora de hac *Arbore Artophora*, ſeu *Sagufera*, vid. late apud Valentini, *Ind. Literat.* Sect. XVI. p. 435. ſqq. Frequens quoque hujus arboris ejusque farinae mentio occurrit apud Scriptores Hodoeporicos, veluti Dampierium, Saarium, Tavernerium, Vogelium, Barchewizium, Wormium, Salmon, & alios plures. Noviſſime vero ſingulari; docta & elegante Diſſertatione de *Sagu*, tractavit *Abraham* Seck, Bernas. 1757. digna quae legatur. Plurimi putant, Sagu, quod ad nos defertur, factitium quid, & certa methodo, ex farina, ſive medulla arboris, aqua ſubacta, praeparatum eſſe; quod & probabile videtur. Granula enim, quae vix ſeminis Sinapi magnitudinem exaequant, ad excorticati hordei quantitatem adſurgunt, ſi vel lacte, vel carnis juſculo decoquantur. Sagu non ſolum delicii loco habetur, ſed etiam morbo, vel tabe emaciatis, penequе confectis, probum

nutrimentum, vel potius medicamentum refrigerans atque demulcens praebet, quod ſaepius, in ditioribus praeſertim aegrotis, experti ſumus. Vid. *Commerc Litt. Med. Norimb.* Ann. 1735. p. 7. & *Cl.* LOESEKE, *Mat. Med.* p. 415. praecipue autem Diſſert. *Paul. Jac.* MALOUIN, *an Sagou Phthiſicis prodeſt?* Pariſ. 1734. laudata a citato LOESEKE. p. 416.

SALAB. Sunt unifoliae bulboſae *Orchidis Perſica*, quae ſubſtantiam veluti corneam habent, & glutinoſum ſaporem produnt. Perſae & Sinenſes has radices magni faciunt, illisque praeſertim aphrodiſiacam, & ferme omnes virtutes adſcribunt, quas Japonenſes de ſua *Ginſeng* celebrant. Drachma hujus radicis unica, ſi in pulverem redigatur, octoque fontanae aquae unciis maceretur, ac deinde igni lento lenique admoveatur, propemodum omni ex parte in gelatinam, ſive mucilaginem abit, quae biliosam acrimoniam inteſtinis inhaerentem mitigat, atque dolores compeſcit; id circo non ſolum dyſentericis, ſed etiam dolores colicos patientibus ammandari, infantumque convulſionibus opponi ſolet. *Cl.* GEOFFROY, illius frater, cui debemus pulcherrimam illam & uberrimam *Mat. Med.* Tractationem, in *Memor. Acad. Reg. Scientiar.* de Ann. 1740. p. 96. ſeqq. ut & in Continuat. *Mat. Med.* GEOFFROY, Tom. I. Sect. II. p. 268. & 269. docuit etiam noſtratis Orchidis radices, ad modum radicum Salab præparare, in aqua fontana frigida, ablato prius cortice, per aliquot horas macerare, deinde modice coqui, & tandem mediante filo acu trajecto, in calido aëre appenſas, ſiccare præcipit. Sic quaſi corneam & ſemipellucidam faciem nanciſcuntur, & in pulverem diminutæ, aquaque fervida ſuperfuſæ, pari modo, ac perſicæ, in mucilaginem tranſcendunt. Grana XXIV. exhibuiſſe, ſufficiat. Conf. de hac Orchide Perſica *Salab*, *Commerc. Litter. Med. Norimb.* Ann. 1736. *Hebd.* 29. p. 231. ſeq. imprimis LOESEKE, *Mat. Med.* p. 418. ubi ſimul ad SEBAE *Theſaur. Rer. Natur.* DEGNERUM de *Dyſenteria*, & *Miſcellan. Natur. Curioſ.* provocat. Conf. ſupra Satyrii Radix, ſub Radicibus.

SANLEY. Sunt radices *Acori veri paluſtris*. Naſcuntur in regno Chinenſi, circa urbem *Canton* in Provincia *Suchuam*, ubi recentes in taleolos exiles diſſectæ, & exſiccatæ, ne vires exhalando pereant, aut ab aëre marino depraventur, in capſulis plumbeis aſſervari ſolent. Apud Chinenſes ob multas, eximiasque, quas poſſident, medicas virtutes, maximi æſtimantur; ſed præſertim propter vim, quam quaſi Herculeam, febribus malignis, & morbis contagioſis opponunt, celebrantur, & in pulvere, a granis XX. ad XL. bis vel ter de die, cum vehiculo apto, dari ſolent. Hæ radices in uſus quoque externos contra animalium venenatorum morſus accerſuntur, & earum pulvis vino ſubactus, partibus læſis ſuper imponitur. Vide, ſi de his plura ſcire deſideres. *Acta Phyſico Medic.* Vol. IV.

SENEKA eſt Polygala Virginiana, caule ſimplici erecto, foliis ovato-lanceolatis, alternis integerrimis, racemo terminatrice erecto. *Rattle Snaak Root*, GRONOV. *Flor.* Virgin. Radix perennis eſt; mox dimidiatæ, mox integræ ſpithamæ longitdiu-

nem emetitur; ſpiſſitudinem digiti plerumque minoris attingit; plurimis ramulis modo vario contorta, divaricat; fibris lateralibus ſtipata, & margine quaſi membranacea, protuberante, in longumque procedente, atque colore externe ſub-luteo, interne albo, notata, adparet; ac denique ſaporem acrem, amaricantem, paululumque aromaticum prodit. Hæc radix multos protrudit caules, alios arrectos, alios humi repentes, tenues, debiles, ſimpliciſſimos, teretes, glabros, vixque pedales, qui omnes ramulis carent, aſt foliis ovato-lanceolatis, alternis, integris, glabris, & unciam propemodum longis, ornati ſunt. Cives atque Coloni Virginiæ his radicibus utuntur contra pleuritidem, peripnevmoniam, aliasque febres phlogiſticas, præſertim vero contra viperæ caudiſonæ morſus. Hæc Polygala olim in noſtris officinis nec cognita, nec uſitata fuit; ſed Pariſienſes Medici, experimentis Virginienſium, eodem ac feliciſſimo ſucceſſu repetitis, eam introduxerunt, & ad Pileum Europæum vocarunt. Hoc remedium interdum Vomitus atque catharſin, excitat, idque feliciter ſatis. Cum vero æger admodum debilitatus ſit, ut vomitum perferre non valeat, emeſis abſorbentibus teſtaceis ſiſtenda eſt. Eſſentia paratur ex Radicum Seneka unciis tribus; valerianæ ſylveſtris uncia una ſemis; vini canarienſis libris duabus. Datur a tribus cochlearibus vel ſtatim, vel mox poſt venæ ſectionem, & hæc doſis ſingulis ſex horis reſumenda eſt. De hac peregrina *Radice Seneka*, binæ proſtant doctæ Diſſertationes, *Georg Chriſt. Dethardingii*, & *Joh. Jac.* BURCKARDI, item & alia *Celeb.* LINNAEI. Conf. *Cl.* BÜCHNERI, *Mat. Med.* p. 297. ſqq. imprimis GEOFFROY, Tract. de *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. Art. XXXII. p. 137. ſqq. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* Tom. II. p. 568.

SIMARUBA, *le Simarouba*. Eſt cortex fibroſus, qui colore pallido adparet, atque ſaporem amarum, ſed neutiquam ingratum prodit. Anno MDCCXIII primum ex America ad nos Europæos translatus fuit. Patriam agnoſcit non ſolum Cayennam, ſed etiam in aliis Inſulis naſcitur, & tranſplantari poteſt. De botanico caractere, adhuc incerti ſumus. Vid. tamen *Cel.* LINNAEI, *Mat. Med.* No. 535. p. 188. & *Cl.* LOESEKE, *Mat. Med.* p. 274. ſq. imprimis *Commerc. Litt. Med. Norimb.* Ann. 1732. p. 388. Arborem, dicunt, ſatis magnam eſſe, & folia longa, acuta, pallideque vireſcentia. Cortex ex radicibus deglubitur, qui tiliæ inſtar longioribus fibrillis intertextus eſt. Lignum leve atque fibroſum eſt, & expleta amaritie repletum, qua ſe ab omnium inſectorum injuria defendit; ad uſum vero culinarem adhiberi nequit, quia cibis, qui apud illud coquuntur, ſuam amaritiem impertitur. Cortex hic gummoſo-reſinoſarum partium eſt, quod exinde intelligitur, quia aquam, in qua coquitur, colore lacteo imbuit. Vi quadam ventriculum & inteſtina irritante præditus eſt; Vomitus quoque nonnunquam, & copioſiores dejectiones, nec non ſudores valde moleſtos excitare ſolet, præſertim vero, ſi decoctum nimis ſaturatum ſit. Sed emendatis doſibus, magiſtra experientia, ſalubritatis punctum attingit. Hujus corticis drachmæ duæ coquuntur in libris duabus aquæ fontanæ, uſque dimidiæ partis exhalationem. Hæc quantitas, in tres doſes, ſingulis tribus horis ſumendas, diſtribuatur. Ubi hac methodo exhibitus fuit, Degnerus effectum lenem, & propemodum inſenſibilem de eo promittit,

atque exinde argumentum ſumit, quod hujus corticis amarities, non ſolum bona, corrigens & temperans ſit, ſed etiam viſceribus firmandis conducat, nec non tutiſſimam medelam tonico-roborantem & ſedativam præbeat; hinc reliquis præferenda. Vid. laudati DEGNERI, *Hiſtor. Med. de Dyſenteria bilioſa contagioſa*, ibidemque teſtimonia de hujus Corticis uſu ſalutari, Clariſſ. Viror. *Buiſſonii*, *Tyſſoti*, & *Schwenkii*; quibus præſertim add. *Commerc. Litt. Med. Norimb. loc. cit.* p. 387. ſeqq. & Diſſ. ſub Præſ. Hug. *Capeti*, *a Wilhelm.* FUMEE, Pariſ. 1758. habita ſub Tit. *Ergo inveteratis alvi fluxionibus Simaruba.* De novo hoc Cortice antidyſenterico Guianenſi, egregiam primus Diſſertationem conſcripſit, amicus quondam noſter, *Anton* de JUSSIEU, quam una cum ipſo Cortice, ſummis laudibus effert *Ill.* WERLHOFIUS, fautor noſter obſervantiſſime colendus, in *Obſervationibus* de febribus, opere abſolutiſſimo & æternum victuro, Sect. III. p. 100. ſeqq. poſtea Helmſtad. 1746. doctiſſimam quoque Diſſertationem de *eodem Cortice Simarouba*, publicavit *Cl. Joh. Frid.* CRELLIUS, Ill. noſtri Crellii, celeberrimi hujus noſtræ Academiæ, imo totius orbis eriditi Juriſconſulti, digniſſimus Frater, brevioris eheu! Vitæ, quam famæ, præclaris meritis adeptæ; Noviſſime denique Wirceburgi, 1742. D. de OVERCAMP Diſſert. edidit de *Specifico hoc Simarouba*, quam & cum reliquis, laudat *Cl.* BÜCHNERUS, in *Fund. Mat. Med.* p. 551. ubi & ipſo de hoc novo Cortice aromatico, pluribus tractat. Vid. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. Artic. VIII. p. 211. item BOECLERI *Cynoſſura Mat. Med. Hermann.* Continuat. II. p. 95. ſqq. & LOESEKE, *loc. cit.* p. 275.

SIREE, vel & *Zerree*, ut in *ſplendidiſſimo* SEBAE *Theſauro* vocatur. Quidam pro Meliſſa Molucca habent, alii pro Schœnantho Coromandel. Inde paratur Oleum deſtillatum præſtantiſſimum & fragrantiſſimum, quod omne quaſi in ſe complectitur, quidquid ſuavitatis Meliſſa, deliciarum Schœnanthi, & amœnitatis Citrum, alias diviſim, in ſeſe continet. Vid. LOCHNERI, Epiſt. de *Novis & Exoticis Thée & Café ſuccedaneis*, p. 13. ſqq. ut & *Commercium Litt. Med. Norimb.* Ann. 1735. p. 7.

TANG-COVE. Eſt Radix valde aromatica Sinenſis, quæ particularem attentionem meretur. Chinenſes Medici, qui illa utuntur, uſum non rite callent, quia analyſin inſtituere ignorant. Semper humida eſt, quoniam eſt oleoſa. Ejus virtus in eo conſiſtit, ut, ſicut inquiunt, ſanguinem nutriat, ejusque circulum promoveat, roboret. &c. Magna in copia invenitur, vilique pretio conſtat, & tranſportari poteſt, ſine metu corruptionis, dummodo integra ematur, & adſervetur. Hæc ex *du Halde*, *Commerc. Litt. Norimb.* Ann. 1738. Hebd. 39. p. 311.

ZERUMBETH, vel & Zurumbeth Radix Ceylonica, cujus ut & Salis Volatilis, ex ipſa parati, miras virtutes alexipharmacas & cardiacas paſſim, ſummis effert laudibus *Hermannus* GRIM, in *Laboratorio Ceylonico*. Conf. imprimis GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. II. Sect. I. Art. XXXV. p. 154 ſeqq. ubi ſimul accurate tractat de hac ipſa exotica Radice *Zerumbeth*, oſtenditque, eam vulgo quidem ad Zedoariam referri, re-

ctius vero eſſe natura & figura ſua, Zingiber latifolium ſilveſtre Zeylanenſium; De quo & latius egerunt *Garcias ab* HORTO, Lib. I. Cap. 47. HERMANNUS *Hort. Lugd. Bat.* item in *Muſeo Zeylan.* & in *Cynoſura Mat. Med.* p. 13. ſeqq. *Joh.* BURMANNUS, in *Theſauro Zeylanico*, aliique plures, imprimis SALMASIUS, de *Homonym. Hyl. Jatr.* cap. 118. p. 212. ſeqq. Vid. ſupra ad Zedoariam, quibus add. *Sam.* DALE, *Pharmacologia*, p. 328. SCHROEDER. *Pharmacop.* p. 207. BOERHAAVE, *Ind. Alt Plant. Hort. Leid.* Part. II. p. 128. item *Rajus*, *Moriſon*, *Breynius*, & alii Botanographi. Res enim nota.

INDEX SIMPLICIVM

QVAE IN PRIORI PARTE

PHARMACOPOEÆ VNIVERSALIS

CONTINENTUR.

pag.

Abelmoſch 159
Acaciæ ægiptiacæ ſuccus 256
germanicæ fructus 184
ſuccus 256
Acinella 305
Acmella Ceylanica 91
Adhatoda 305
Ægagropilæ 271
Ærugo ſive æs viride 34
Ætites 13
Agallochum vid. lignum
Agaricus crudus 267
mineralis vid. lac lunæ
Alabaſtrum 13
Album græcum 272
Alcis cornu 272
ungula 272
Alkekengi 184
Aloë caballina 256
epatica 257
ſuccotrina 257
Alumen crudum vulgare 7
plumoſum 13
rupeum 7
romanum 7
ſaccharinum 7
ſciſſile 14
Ambra griſea 35
liquida 250

pag.

Amethyſtus vid. Lapis
Amianthus 14
Amomum vid. ſemen
Ammoniacum vid. Gummi
Amygdalæ amaræ 185
dulces 185
Anacardium 185
Anatron 29
Aniſum ſtellatum vid. ſemen
vulgare vid. ſemen
Anguilla 273
Anthora vid. radix
Anthophylli 204
Antimonium crudum 24
Antimonii minera 23
Apalachine. 306
Apri dentes 273
Aranea 273
Argentum foliatum 24
vivum 24
Arſenicum albnm 25
citrinum 26
rubrum
Asbeſtus 14
Aſelli ſive millepedes 273
Asphaltum 36
Aſa dulcis vid. gummi
fœtida vid. ibidem
Auripigmentum 26

pag.
Aurum foliatum 27
Axungia Anatis 302
anguillæ 302
anſeris 302
ardeæ 302
aſchiæ 302
canis 302
caponis 302
caſtorei 302
caſtoris 303
cati ſylveſtris 303
ciconiæ 303
coturnicis 303
cuniculi 303
equi 303
gallinæ 303
hominis 303
leporis 303
lucii piſcis 303
lupi 303
muris montani 303
porci 303
ſerpentum 303
taxi 303
viperarum 303
urſi 303
vulpis 303
Baccæ alkekengi 184
berberum 186
ebuli 192
hederæ arboreæ 195
juniperi 196
lauri 196
myrti 197
myrtillorum 197
paridis 199
ſambuci 200
Balauſtia vid. flores
Balſam: canadenſe 250
copaivæ 250
indicum album 251
nigrum 251
ſiccum 252
de meccha 252
nativum montis Bennæ 250
orientale verum 252
peruvianum album 251
nigrum 251
rackaſira 314

pag.
Balſamum tolutanum 253
Baniglia vid. vainiglia
Batrachites 15
Been 186
Beidelzar 306
Belemnites 18
Benzoë vid. gummi
Berberes exſiccatæ 186
Bezetta cœrulea vid. Torna ſolis
rubra vid. ibidem
Bezoar coromandel 311
occidentalis 274
orientalis 275
Billinghbingh 306
Biſmuthum vid. marcaſita
Blatta byzantina 38
Bolanga 307
Boletus cervinus 267
Bolus alba 3
armena 3
rubra vulgaris 4
Borax veneta 7
Bovis vel inſpiſſatum 276
Boviſta 268
Bufones combuſt. 276
exſiccat. 276
Bufonites ſeu Bufonius Lapis 15
Caa apia 307
Cacao butyrum vid. olea expr.
fructus 187
Cadmia nativa ſ. cobaltum 27
foſſilis vid. Lap. calamin
Calamus aromat. vid. Radix
Calx 15
Camphora vid. gummi
Cancrorum chelæ 277
lapides ſ. oculi 277
Canella alba vid. coſtus corticoſus
Cantharides 278
Capita Papaveris 187
Carambolos 308
Cardamomum maximum vid. grana Paradiſi.
minus 205
Caricæ 187
Carneolus vid. Lapis
Carpionum lapides 279
Carpobalſamum 188
Carthamus vid. flor.

pag.
Caryophylli arom. 205
rotundi vid. ſem. Amomi.
Caſſia caryophyllata 206
fiſtula 188
lignea 206
Caſtoreum 279
Cathechu vid. Terr.
Cera alba 304
flava 304
Ceraſa acida exſiccata 189
Ceraſorum nuclei 189
Ceraunius 18
Ceruſſa alba Norica 27
citrina 27
veneta 28
Cervi cornu 280
priapus 280
Ceti priapus 281
ſperma 281
Chalybs limatus 28
Chelæ cancrorum vid. cancr.
Chermes grana vid. grana
China de China 215
Chryſolitus vid. lapis
Chryſocola ſ. viride montanum vid. terra viridis
Cineres clavellati 8
Cinnabaris factitia 28
nativa 29
Cinnamomum 207
Cobaltum ſ. cadmia nativa 29
Coccinella 282
Coccognidium vid. ſemina
Cocculi de Levante 189
Cochlear: opercula 283
teſtæ 283
Codaga Pala 309
Coffée 189
Colla Piſcium 287
Colocynthis 190
Colophonium vid. gummi
Conchæ fluviatiles 283
Contra-yerva nova alba 310
Copal vid. gummi copal
Corallia alba 36
nigra 37
rubra 37
Corallina 36
Corna exſiccata 191

pag.
Cornu alcis 272
cervi 280
Cortices acaciæ 214
aurantiorum 214
capparum vid. radices
caſcarill 214
chinæ de china 215
citri 217
coccognidi 218
culilawan 218
ebuli vid. radices
eſulæ vid. radices
frangulæ 218
fraxini 219
granatorum 219
guajaci 220
hippocaſtani 220
jujapa 311
ligni ſaſſafras 221
mandragoræ vid. radix
maſſoy 312
mezerei 218
mori 220
peruviani 215
pocgereba 313
quercus 221
ſambuci 221
ſimaruba 316
tamariſci 221
thuris 222
winterani 222
Coſtus amarus vid. radix
corticoſus 207
dulcis vid. radix
Cranium humanum 283
Crepitus lupi vid. Boviſta
Creta alba 4
Crocus 208
Cryſtallus montana 16
Cubebæ 208
Cupreſſi nuces 191
Cydonia exſiccata 191
Cynosbati fructus 192
Cyperus longus rotundus vid. rad.
Dactylus Idæus 18
Dactyli 192
Dentalia 38
Ebuli Bacæ 192
Ebur 284

	pag.
Ebur foſſile vid. uni cornu	
Entalia	39
Equi teſtes	284
Erinaceus combuſtus	284
Faba S. Ignatii	192
Fel tauri vid. tauri	
vitri	29
Ficus vid. Caricæ	
Flores acaciæ	147
anethi	147
anthos	148
aquilegiæ	148
arnicæ	148
aurantiorum	148
balauſtiorum	148
baſilici	149
bellidis	149
betonicæ	149
borraginis	149
bugloſſi	149
calcatrippæ	149
calendulæ	150
carthami	150
centaur. minoris vid. herb.	
chamæmillæ romanæ	150
vulgaris	150
cheiri ſ. keiri	151
cichorii	151
conſolidæ regalis	151
cyani	151
farfaræ	152
ferri	30
galeopſidis	152
geniſtæ	152
granatorum	152
hepaticæ nobilis	152
hyperici	152
lavendulæ	153
liliorum alborum	153
convallium	153
linariæ	153
lupuli	153
malvæ arboreæ	154
meliloti	154
nymphææ albæ	154
origani vid. herba origani	
papaveris erratici	154
paralyſeos	155
perſicorum	155

	pag
Flores pæoniæ	155
primulæ veris	155
roriſmarini	148
roſarum albar.	155
pallidarum	155
rubrar. Finar.	156
vulgar.	156
ſalviæ	156
ſambuci	156
ſaxifragiæ	156
ſcabioſæ	156
ſpicæ celticæ	157
hortenſis	157
indicæ	157
ſtœchadis arabicæ	157
citrinæ	157
tanaceti	157
tiliæ	157
tunicæ	158
tuſſilaginis	158
verbaſci	158
violarum	158
urticæ	158
Folia indi, lauri, quercus, ſennæ, vitis } vid. herb.	
Folliculi ſennæ	159
Formicæ	285
Fungus cervinus vid. Boletus	
chirurgorum ſ. boviſta	268
cynosbati	268
ſalicis	268
ſambuci	268
Galanga major	209
minor	209
Gallæ turcicæ	193
Gallinæ ventriculi	285
Glacies mariæ vulgaris	16
Glandes quercinæ	193
Grana chermes	193 & 285
paradiſi	209
Tilli ſ. Tigliæ	194
Granatus	21
Groſſulariæ baccæ	195
Gummi ammoniacum	231
animæ	231
arabicum	231

INDEX SIMPLICIUM.

pag.

Gummi aſæ dulcis 322
fœtidæ 233
aſphaltum 36
bdellium 234
benzoës vid. aſa dulcis
camphora 234
cancamum 235
caranna 235
ceraſorum 236
colophonium 236
copal 236
elemi 236
euphorbium 237
galbanum 238
galda 310
guajacum 239
gutta 239
hederæ 240
juniperi vid. ſandarach
kikekunemalo 311
laccæ 240
ladanum 241
loock 310
maſtiche 242
myrrhæ 243
olampi 310
olibanum 243
opopanax 244
perſicæ mali 244
ſagapenum 246
ſandaraca 246
ſanguis draconis 247
ſarcocolla 247
ſenegal 248
ſtyrax calamita 248
liquida 254
tacamahaca 248
tragacantha 249

Hæmatites 16
Hederæ baccæ 195

Herbæ abrotani feminæ vid. Cypreſ.
maris 90
abſinthii pontici 90
vulgaris 90
acetoſæ 91
acetoſellæ 91
acmellæ 91
adianti albi 92
aurei 92

pag.

Herbæ adianti nigri 92
agrifolii 92
agrimoniæ 92
alceæ 93
alchimillæ 93
allelujæ vid. acetoſæ
alliariæ 93
alſines mediæ 92
altheæ 94
anagallidis 94
anethi 94
anſerinæ 94
antirrhini 95
apii 94
argentariæ vid. anſerinæ
arnicæ 95
ariſtolochiæ 95
artemiſiæ rubræ 95
albæ 95
aſari 95
aſplenii vid. ceterach
auriculæ muris vid. piloſellæ
azederach 96
baſilici 96
beccabungæ 97
beidelzar 97
belladonnæ 97
bellidis 98
betæ 98
betonicæ 98
betulæ 99
boni Henrici 99
borraginis 99
botryos 99
brancæ urſinæ 100
braſſicæ 100
brunellæ 132
bugloſſi 101
burſæ paſtoris 101
calaminthæ montanæ 101
vulgaris 101
calcitrapa 101
camphoratæ 102
capilli veneris vid. adiant. nigr.
caprifolii 102
cardiacæ 102
cardui benedicti 102
Mariæ 103
centauri minoris 103

	pag.
Herbæ centumnodii	103
cerefolii	104
ceterach	104
chamædryos	104
chamæpyteos	104
chelidonii majoris	105
cichorii	105
cicutæ	105
clematidis daphnoides vid. vinc. per vinc.	
cochleariæ	106
conſolidæ majoris	106
mediæ S. Bugul	106
Saracenicæ	106
conyzæ cœruleæ	107
pulicariæ	107
craſſulæ major	107
cruciatæ	107
cupreſſi	107
cuscutæ major	108
dentis leonis vid. tarax	
dictamni cretici	108
digitalis	108
dipſaci	108
ebuli	109
elatine	109
endiviæ	109
epaticæ vid. hepaticæ.	
epithymi	109
equiſeti	110
ericæ	110
eryſimi	110
eupatorii avicen.	110
euphraſiæ	110
farfaræ	111
fœniculi	111
folia indi.	111
fragariæ	112
fumariæ	112
galegæ	112
gallitrichi	112
gallii	112
geranii Robert	113
gnaphalii mont.	113
gratiolæ	113
hederæ arboreæ	114
terreſtris	114
helianthi	114
hepaticæ fontanæ	114
nobilis	115

	pag.
Herbæ hepaticæ ſtellatæ vid. matri ſylv.	
herniariæ	115
hiſpidulæ vid. Gnaph. mont.	
hormini vid. gallitrichi	
hyoſciami	115
hyperici	116
hyſopi	116
jaceæ	117
jacobeæ	117
juniperi	117
jvæ artheticæ vid. chamæpyt.	
junci adorati vid. Shœnanthi	
lactucæ	117
lamii	118
lappæ major	118
lavendulæ	118
ſ. fol. lauri	118
lauro ceraſi	118
lepidii	119
lichenis terreſtris	119
arborei vid. pulmona arb.	
liguſtri	120
linariæ	120
lini cathartici	120
lunariæ racemos	120
lupuli vid. flores.	
lyſimachiæ luteæ	121
majoranæ	121
malvæ	122
marrub alb. & nigr.	122
mari veri	122
matricariæ	123
matri ſylvæ	123
meliloti	123
cœruleæ	123
meliſſæ	124
Turcicæ	124
melliſophylli	124
menthæ	124
mercurialis	124
millefolii	124
millegranæ vid. herniariæ	
morſus diaboli	125
morſus gallinæ vid. alſines	
myrti Italici	125
naſturtii aquatici	125
nepetæ	126
nicotianæ	126
nummulariæ	127

	pag.
Herbæ ocymi vid. baſilici.	
ophiogloſſi	127
origani cretici	128
vulgaris	128
oxalidis vid. acetoſæ.	128
parietariæ	128
parthenii vid. Matricariæ	
pentaphylli	128
perfoliatæ	128
perforatæ vid. Hyperici	
perſicariæ	129
piloſellæ vid. gnaphali montani	
major. ſiv. auricul. muris	130
pimpinellæ ſanguisorb.	130
ſaxifragæ	130
piperitis vid. lepidium	
plantaginis anguſti fol.	130
lati fol.	130
polii cretici	131
montani	131
polygalæ	131
polygoni vid. centumnodii	
polytrichi vid. adianti aurei	
potentillæ vid. anſerin	
praſſii vid. marubii albi	
prunellæ	132
ptarmicæ	132
pulegii hortenſis	132
pulmonariæ arboreæ	132
maculoſæ	133
pyrolæ	133
quinque folii vid. pentaphylli	
ſ. fol. quercus	133
rorellæ	133
rosmarini	133
ſ. fol. rubi vulgar	134
rutæ caprariæ vid. galegæ	
hortenſis	134
murariæ vid. adianti	
ſabinæ	134
ſ. fol. ſalicis	134
Salviæ hortenſis	135
ſylveſtris	135
ſampſuchi vid. majoran.	
ſaniculæ	135
ſantalinæ vid. abrotan. fæm.	
ſaponariæ	135
ſaturejæ	135
ſaxifragæ albæ	136

	pag.
Herba ſcabioſæ	136
ſcariolæ vid. endiviæ	
ſclareæ vid. gallitrichi	
ſchœnanthi	136
ſcolopendrii veri vid. ceterach.	
vulgaris	136
ſcordii cretici	137
vulgaris	137
ſcrophulariæ aquaticæ	137
minoris	137
ſedi	138
ſ. fol. ſennæ	138
ſenecionis	139
ſerpilli	139
ſideritidis	140
ſolani furioſ. vid. belladonnæ	
vulgaris	140
ſoldanellæ	141
ſquinanthi vid. ſchœnanthi	
tamarisci	141
tanaceti	141
taraxaci	141
theæ	142
thymi cretici	144
vulgaris	144
tormentillæ	144
trichomanis vid. adianti aurei	
trifolii fibrini	144
pratenſis	145
tuſſilaginis vid. farfaræ	
verbaſci	145
verbenæ	145
veronicæ	146
vincæ per vincæ	146
violariæ	146
ſ. fol. vitis	146
virgæ auræ vid. conſolid. Saracen.	
Urticæ	147
Uvulariæ	147
Hippocaſtanum	195.
Hippopotami dentes	285
Hirci ſanguis	286
Hirudines	286
Hirundines combuſtæ	286
Hirundinum nidi	286
Hordeum vid. ſemen	
Hyacinthus vid. lapis	
Hypociſtidis ſuccus	258

	pag.
Jalappa vid. Radix	
Ichthyocolla	287
Indigo	29
Indicus color	29
Iujubæ	195
Juniperi baccæ	196
Kermes grana	285
Lacca cœrulea	30
florentina	30
pictoria in globulis	30
Lac lunæ	4
Ladanum vid. gummi	
Lapis adamas	20
aetites	13
alabaſtrum	13
amethyſtus	21
amianthus	16
aquilæ	13
armenius	14
asbeſtus	14
belemnites	18
bezoard foſſilis	14
occident	274
orientalis	275
bufonites	15
calaminaris	15
calcarius	15
carneolus ſ. ſardius	21
carpionis	279
chryſolithus	21
cryſtallus montana	16
ſ. glacies mariæ	16
granatus	21
hæmatites	16
hyacinthus	21
judaicus	17
lazuli	17
lyncis	18
magnes	18
malacenſis	294
manati	289
nephriticus	18
oſteocolla	19
percarum	293
porcinus	294
pumex	19

	pag.
Lapis rubinus	21
ſaphirus	21
ſardius	21
ſelenites	19
ſimiæ	294
ſilex	19
ſmaragdus	21
ſmiris	19
ſpecularis	14
ſpongiarum	19
talci	19
topaſius	21
Lauri baccæ	196
Lepus combuſtus	287
Leporis tali	288
Lignum agallochum	223
aloes	223
ambratum	305
ancillarum	305
aſpalathum	224
buxi	224
calambourgum	308
carambaccium	308
colubrinum	224
cupreſſinum	225
ebenum	225
Guajacum	225
juniperinum	226
lentiſcinum	226
moluccenſe	227
nephriticum	227
pavanum	229
rhodium	227
St. Luciæ	312
ſanctum	228
ſandalinum alb.	228
citrin.	228
cœrul.	227
rubrum	229
ſaſſafras	219
ſuberis	229
Limatura chalybs vid. chalybs.	
Liquidambra vid. ambra liquida	
Liquiritiæ ſuccus	258
Lithargyrium auri	30
argenti	31
Lithomarga	4
Lucii mandibulæ	288
Lupi hepar	288

	pag.
Lumbrici terreſtres	288
Lycii ſuccus	288
Lycopodium vid. ſemen.	
Macis	210
Magnes vid. Lapis	
Malabathrum vid. folia Indi	
Malicorium vid. cort. granator	
Manati lapis	289
Mandibulæ lucii piſcis	288
Manna calabrina	258
Marcaſita vid. bismuthum	
Marcha Saxatilis	4
Margaritæ	39
Mars ſulphuratus vid. chalybs.	
Martis minera haſſiaca	31
Marmellæ	312
Maſtiche vid. gummi	
Mater perlarum	40
Mechoacanna alba vid. Radix	
nigra v. ibidem	
Medulla Saxorum	4
Mel	260
Mercurius vivus	24
virgineus	24
Meſpili exſiccati	196
Millepedes	273
Minera martis Haſſiaca	31
Minium	31
Moſchus	289
Mumia	291
perſiaca	291
Mures marini	291
Muſcus acaciæ	269
albus quernus	269
corallinus	36
cranii humani	269
pyxidatus	270
terreſtris clavatus	270
Muſtelæ piſcis vertebræ	290
Myrobalani	185. & 187.
Myrrha vid. gummi	
Myrti baccæ	197
Mytilli exſiccati	197
Nardus celtica vid. ſpica	
indica vid. ibidem	
Nidus hirundinum	286
Nihilum album	31
griſeum vid. tutia	
Nitrum crudum	8
Nuces aquaticæ	202
cupreſſi	191
Nuces juglandes	197
moſchatæ	230
pineæ	198
piſtaciæ	200
vomicæ	198
Nuclei ceraſorum	189
perſicorum	199
Ochra	5
Oculi cancrorum	277
Oleum cajeput	307
petræ album, nigrum, rubrum	32
terræ	33
Olibanum vid. gummi	
Opercula cochlearum	283
Opium	261
Opobalſamum vid. balſam. orient.	
Opopanax vid. gummi	
Orleana	33
Oſſa de cordibus cervi	292
ſepiæ	292
Oſteocolla vid. Lapis.	
Ovorum teſtæ	292
Paradiſi grana	209
Pareira brava vid. radix	
Paridis baccæ	199
Paſſulæ majores	199
minores	199
Pavonum ſtercus	293
Percarum lapis	293
Perſicorum Nuclei	199
Petroleum vid. oleum.	
Phosphorus	293
Phu vid. Radix	
Pilæ marinæ	38
Pineæ nuces	198
Piper album	211
hiſpanicum	212
jamaicum vid. Amomi	
longum	212
nigrum	211
Piſſaſphaltum vid. gum. asphaltum.	
Piſtaciæ	200
Pix	244
liquida	245
navalis	244

pag.
Pompholyx vid. nihilum
Porcinus lapis 294
Priapus cervi 280
ceti 281
tauri 297
Propolis 305
Pruna damaſcena 200
Pulmo vulpis 299
Pumex vid. lapis
Qualancapati 313
Quamoclit 314
Quercus folia vid. herba
viſcus vid. lignum
Radices acetoſæ 43
acori veri 43
vulgaris 43
alceæ 44
alkannæ 44
allii ſativi 44
altheæ 44
amaræ dulcis 44
anchuſæ 44
angelicæ ſylveſtr. 45
veræ 45
anthoræ 45
apii paluſtr. 45
ſativi 45
aquilegiæ 46
ari 46
ariſtologiæ clemat. 46
fabaceæ 46
long. ver. 47
rotund. ver. 47
vulg. 47
arnicæ 47
artemiſiæ 48
aſari 48
aſparagi 49
aſphodeli 49
barbæ caprinæ 49
bardanæ 50
been albi 50
rubri 50
betae rubrae 50
betonicae 50
bismalvae vid. altheae
biſtortae 51
boraginis 51

pag.
Radices bruſci 51
brijoniae 51
bugloſſi 52
calami aromat. vid. acori veri.
capparis 52
cardopatii 52
cardui benedicti 53
caroli ſancti 308
caryophyllatae 53
caſſummuniar 309
cavae vid. ariſtoloch.
cepae 53
chelidonii major 53
minor 54
chinae 54
cichorii 55
cipo de cameras 309
colchici albi 55 & 65
venenat 55
colubrinae vid. biſtortae
conſolidae major 56
contrayervae 56
coſti amari 57
dulcis 57
cucumeris aſinini 57
curcumae 57
cyclaminis 58
cynogloſſi 58
cyperi long 58
totund. 58
Dent leon. vid. taraxaci
dentariae major 59
minor 59
diptamni 59
doronici roman. 59
ebuli 60
ellebori albi 60
nigri 61
enulae 62
eryngii 62
eſulae 63
farfarae 63
filicis 64
filipendulae 64
fœniculi 64
fragariae 64
fraxinellae vid. dictam. albi
galangae 209

Radi-

	pag.
Radices gentianae cruciat	65
indicæ	310
major. lut.	65
glycirhizae	70
graminis	65
hellebori vid. ellebori	
helenae S.	310
hermodactyli	65
hirundinariae	66
hydrolapathi	66
hyoſciami	67
hypecacuanhae	66
Jalappae	68
ikan	311
imperatoriae vid. oſtrutii	
iridis florentinae	68
noſtratis	69
lapathi acuti	69
lepidii latifolii	69
leviſtici	69
liliorum alborum	69
liquiritiae vid. glycirrhizae	
lupuli	70
malvae	70
mandragorae	70
mechoacannae albae	71
nigrae vid. Jalappae	
metaliſtae	72
mei	72
moringa	312
morſus diaboli	72
mungos	72
ninzin	73
nymphaeae albae	74
olsnitii	75
ononidis	75
oſtrutii	75
oxylapathi vid. lapathi acuti	
palmae Chriſti	76
pareirae bravae	76
pentaphylli	77
petaſitidis	77
petroſelini	78
peucedani	78
pezantinae	313
phu pontici	78
pimpinellae albae	79
ſanguiſorb.	78
ſaxifrag.	79
plantaginis	79

	pag.
paeoniae	76
polygonati major	79
polypodii	79
pſeudacori vid. acori vulgaris	
pulſatillae	80
pyrethti	80
quinque folii vid. pentaphillae	
rhaphani ruſtican.	80
rhabarbari monachor	80
veri	80
rhapontici officinal	81
veri	82
rhodiae	82
rubiae tinctorum	82
ruſci vid. bruſci	
ſalab	315
ſaniculae	83
ſanley	315
ſaponariae	83
ſarſaparillae	83
ſatyrii	84
ſaxifragiae albae	84
ſcillae	84
ſcorzonerae	85
ſcrophulariae	85
ſeneka	315
ſerpentariae virgin.	86
ſigilli *Salomonis* vid. Polygonati	
ſpicae celticae	86
indicae	87
ſquamariae vid. dentariae	
ſuccifae vid. mors. diaboli	
ſymphyt. maj. vid. conſolid. maj.	
tang cove	317
taraxaci	87
tormentillae	87
trifolii aquatici	87
turbith	88
tuſſilaginis vid. farfarae	
ulmariae vid. barb. caprinae	
urticae	89
valerianae paluſtris	88
victorialis longae	89
rotundae	89
vincetoxici	66
zedoariae	212
zerumbeth. vel zurumbeth.	317
zinziberis albi	213
vulgaris	213

pag.

Recrementum vitri 29
Reguli uſti 295
Reſina vulgaris pini 246
Rhabarbarum verum vid. Radix
Rhaponticum vid. ibidem
Rhinocerotis cornu 295
Rubinus vid. lapis
Rubrica fabrilis 5
Sabdariffa 314
Saccharum 262
candiſatum 264
liquidum 263
thomæ 263
Sagapenum vid. gummi
Sagu 314
Sal alkali vulgare 8
ammoniacum 9
anglicum laxativum 9
egranum 10
ebshamenſe 9
gemmæ 10
marinum 10
petræ 8
ſedlicenſe 10
ſ. ſoda hiſpanica 11
vitri 29
Sandaraca arabum vid. gummi
græcorum 26
Sambuci baccæ exſiccatæ 200
Sanguis draconis 247
hominis 287
Sapphirus vid. lapis
Sarcocolla vid. gummi
Saſſaparillæ vid. radix
Saſſafras vid. lignum
Scammoneum 264
Scarabæus majalis 295
Schœnanthum vid. herba
Scinci marini 296
Sebeſten 200
Semen abelmoſch 159
acetoſæ 159
agni caſti 159
alkekengi 159
altheæ 159
ameos 160
amomi 160
anethi 161
angelicæ 162

pag

Semen aniſi ſtellati 162
vulg. 162
apii 162
aquilegiæ 162
aſparagi 163
atriplicis 163
avenæ 163
aurantiorum 163
bardanæ 164
baſilici 164
berberum 164
bombacis 164
braſſicæ 164
buniadis vid. napi
cannabis 164
cardui benedicti 165
mariæ 165
carthami 165
carvi 166
cataputiæ major 166
minor 166
cerefolii 167
cicerum rubr. 167
cichor 167
cinæ ſ. cynæ 167
citri 167
citrulli 167
coccognidii 168
cochleariæ 168
colocynthidis 168
coriandri 168
cucumeris 169
cucurbitæ 169
cumini 169
cydoniorum 169
cynosbati 170
daturæ 170
dauci cretici 170
noſtratis 171
ebuli 171
endiviæ 171
erucæ 171
fabarum 171
fagopyri 172
fœniculi cretici 172
vulgar. 172
fœni græci 172
fraxini 172
geniſtæ 173

	pag.
Semen granatorum	173
hordei	173
hyoſciami	173
hyperici	175
lablab	311
lacrymæ Jobi	175
lactucæ	175
lapathi acuti	175
lappæ major vid. Bardan	
lavandulæ	175
lentis	176
leviſtici	176
lini	176
lithoſpermi vid. milii ſolis	
lupinorum	176
lycopodii	176
malvæ	177
meliloti	177
melonum	177
milii ſolis	177
napi ſativi	177
naſturtii hortenſ.	178
ornithogloſſi vid. fraxin	
orobi	178
papaveris alb.	178
nigr.	179
perfoliatæ	179
petroſelini maced. & vulgaris	179
plantaginis	179
pœoniae	180
portulacae	180
pſyllii	180
raparum	180
raphani	180
ruſci	180
rutae	180
ſabadilli	181
ſambuci	181
ſanctum ſ. ſantonicum vid. cinae	
ſaxifragiae vid. radix	
ſcariolae vid. endiviae	
ſeſami	181
ſeſeli cretici	181
maſſiliens	188
ſinapi	182
ſophiae chirurg.	182
ſtaphidis agriae	182
ſumach	183
tanaceti	183
Semen thlaſpios	183
violarum	183
viticis vid. agni caſti	
urticae roman.	183
vulgar.	184
zedoariae vid. cinae	
Sennae folia	138
folliculi	139
Sericum crudum	296
toſtum	296
Serpentaria virginian vid. radix	
Serpentum exuviae	296
Sevum bovinum	302
cervinum	302
hircinum	302
Siliqua dulcis	201
Simiae capis	294
Sinopis veterum	5
Siree vel zerree	317
Smaragdus vid. lapis	
Smiris vid. ibidem	
Soda hiſpanica	11
Sorbus torminalis	201
Sperma ceti vid. ceti ſperma	
Spica celtica vid. radix	
indica vid. ibidem	
Spina cervina	202
Spongiae marinae	38
Squilla vid. radix	
Stibium	24
Stincus marinus	296
Storax calamita vid. gummi	
liquida	254
Struthionis ova	297
Succinum	40
Sulphur caballinum	33
citrinum	33
vivum	33
Talcum	19
Tali leporis	288
Talpae combuſtae	297
Tamarindi	202
Tartarus crudus	255
Tauri priapus	297
Terebinthina communis	254
cypria	255
veneta	255
Terra catechu	256
ceylonica	5

pag.
Terra japonica 266
lemnia 5
ſigillata alba turcica 5
goldbergenſis 6
melitenſis 6
rubra turcica 6
ſigillata ſtrigonienſ. 6
viridis 6
tripolitana 6
Thus ſiv. olibanum 234
Topaſius vid. lapis
Torna ſolis caerulea 34
rubra 34
Tragacantha vid. gummi
Tribuli aquatici 202
Trichites 13
Turbith. vid. radix
Tutia alexandrina 34
Vaccae ſtercus 297
Vainiglia 203
Ventriculi gallinarum 285
Viperae 298
Viride aëris 34
montanum 6
Viſci 230
Viſcus betulae 230
corylinus 230
quernus 230
ſalicis 230
tiliae 230
Vitriolum album 11
cœruleum 11
cyprinum 11
veneris vid. aes. vir. cryſtall.
viride hungar. romanumque 12
vulgare 12
Vitrum venetum 34
Umbilicus marinus 42
Ungula alcis 272
Unicornu foſſile 301
marinum ſ. ver. 299
Uvae paſſae vid. paſſulae
quercinae 203
Vulpis pulmones 299
Xylo aloës vid. lignum aloës
Zedoaria 212
Zibethum 301
Zingiber 213
Zopiſſa vid. pix navalis

II.

TABLE DES NOMS FRANCOIS, CONTENUS DANS LA PREMIERE PARTIE DE CET OUVRAGE.

pag.
Abſinthe 90
Romain 90
Acanthe 100
Achiote 33
Acmelle 91
Adianthe blanche 92
noir 92
Ægagropila 271
Agaric 267
mineral 4
Agripaume 102
Aigremoine 92
Ail 44
Albâtre 13
Alcée 93
Alleluja 91
Alliaire 93

	pag.
Aloë caballine	256
hepatique	257
ſuccotrine	257
Alun blanc	7
de plume	13
Romain	7
Amandes ameres	185
douces	185
Ambre gris	35
jaune	40
liquide	250
Ametiſte	21
Amiante	14 & 16
Anacardes	185
Anet	94
Anguille	273
Anis étoilé	162
Antimoine	24
Araignee	273
Arêtes de Murene	290
Argent fin en feuilles	24
vif	24
Argentine	94
Ariſtoloche menue	95
Armoiſe blanche	95
rouge	95
Arſenic blanc	25
jeaune	26
rouge	26
Aſa fœtida	233
Aſclepias	66
Auronne le mâle	90
Axonge d'Anguille	302
de Blaireau	303
de Brochet	303
de Caille	303
Canard	302
de caſtor	303
de caſtoreum	302
de chapon	302
de chat ſauvage	303
de chien	302
de cicogne	303
de col de cheval	303
de heron	302
humaine	303
de lapin	303
de lievre	303
de loup	303

	pag.
Axonge de marmotte	303
d'ours	303
d'oye	302
de porc	303
de poule	303
de renard	303
de ſerpent	303
de thymallus	302
des viperes	302
Bardane grande	118
Baſilic	96
Bayes de coqueret ou d'alkekenge	159
de genevre	196
de laurier	196
de lierre	195
de myrte	197
de myrtille	197
de nerprun	202
des raiſins de renard	199
de Sureau	200
Bdellium	234
Beaume	124
Baume de canada	250
de capahu ou de bréſil	250
de judée	252
de mecha	252
de perou blanc	251
noir	251
ſecou en coque	252
de Tolu	253
Beccabunge	97
Bec de grue	113
Belemnite	18
Belladonne	97
Ben	186
Benjoin	232
Berberis ſeché	186
Betoine	98
Bezoar d'Allemagne	273
occidental	274
oriental	275
de porcépi des Indes	294
Biſmut	31
Bitume de judée	36
Blanc de baleine	281
Blatte byzantine	38
Blé noir	172
Bois d'aloës	223
d'aſpalat	224

II. INDEX SIMPLICIUM.

pag.

Bois de buis 224
coulevre 224
de cypre 227
de cypres 225
ebene v. ebene
de gayac 225
de genevre 226
lentisque 226
liege v. liege
des moluques 227
nephritique 227
de rhode 227
des roſes 227
ſaint 225 & 228
de ſantal blanc 228
citrin 228
rouge 229
de St. Lucie 312
de Saſſafras 229
Bol d'armenie 3
blanc 3
rouge vulgaire 4
Boletus cervinus 267
Bon henri 99
Borax de veniſe 7
Bougrande 75
Bouillon blanc 145
Bourrache 99
Bourſe à berger 101
Branque urſine 100
Brunelle 132
Bruyere 110
Bugle 100
Bugloſſe 101
Cabaret 95
Cacao 182
Cachou 266
Cadmie 27
Caffé 189
Caillelait 112
Caillou 19
Calamente 101
Calamine 27
blanche 31
Camphre 102 & 234
Cancamum 235
Canelle blanche 207
fine 207
Cantharides 278

pag.

Capillaire blanc 92
commune 92
Caranna 235
Cardamome petit 205
Carotte ſauvage 171
Carouge 201
Carpo balſam 188
Caſſe 206
en bâton 188
Caſtorée ou caſtoreum 279
Cataire 126
Cedon 138
Cendre gravelée 8
Centaurée petit 103
Centinode 103
Ceriſes aigres ſeches 189
Cerfeuil 104
Ceruſe blanche 27
jaune 27
de veniſe 28
Ceterac 104
Chacarille 214
Chamarras 137
Champignon de ſaule 286
Chardon à bonnetier ou à foulon 108
benit 102
de notre Dame 103
roland 62
etoillé 101
Chardonerette 52
Chelidoine grande eclaire 105
petite 137
Chene petit 104
Chevre feuille 102
Chicorée 105
China - chinæ 215
Chou 100
Choumarin 141
Ciguë 105
Cinnabre artificiel 28
mineral 29
Cire blanche 304
jaune 304
Citronelle 124
Civette 301
Cloportes 273
Clous des girofles 205
Cobalt 27
Cochenille 282

II. INDEX SIMPLICIVM.

	pag.
Coins	191
Collechair	247
Colle de poiſſon	287
Colophone	236
Coloquinte	190
Coniſe	107
jaune	107
Conſoude grande	106
Coquille d'Eſcargots	283
Corail blanc	36
noir	37
rouge	37
Coralline	36
Corneille	121
Corne de cerf	280
d'Elan	272
de Rhinoceros	295
Cornouilles	191
Coquet de limacons de rivier	283
Coquerets	184
Coques de Levant	189
des oeufs	292
Couvercles d'Eſcargots	283
Crane humain	283
Crapaudine	15 & 140
Crapaux	276
Craye blanche	4
rouge	5
Creſſon d'eau	125
Criſtal	16
Croiſette velue	107
Crotte de chien	272
de paon	293
Cubebes	208
Culilavan	218
Cuſcute	108
Cynorrhodons	192
Dattes	192
Dent de lion	141 & 87
Dents d'hippopotame ou cheval marin	285
de ſanglier	273
Depouilles de ſerpent	296
Ditam Ditame ou Ditamne de Crete	108
la Digitale	108
Ebene	228
Ecorce de bois gentil	218
ſaint	220
de ebêne	221
des citrons	217

	pag.
Ecorce de frangula	218
de frêne	219
de garou	218
de gayac	220
de giroſle	206
de grenades	219
de maronier d'Inde	220
de meurier	220
mezereon	218
d'orange	214
de prunier	214
de ſaſſafras	221
de ſureau mediane	221
de tamaris	221
de Winter	222
Ecoſſe de ſené	139
Ecreviſſes pattes v. Patter	
yeux vid. yeux	
Emeraude	21
Emery	19
Endivie	109
Epine de viperes	298
Epithime	108
de crete	109
Eponge	38
d'eglantier	268
d'Eſcargots couvercles	283
coquilles	283
Etain de glace	31
Eupatoire	110
Eufraiſe ou Euphraiſe	110
Fenouil	111
Feve de St. Ignace	192
Feuilles de chêne	133
de laurier franc	118
ceriſier	118
de ronce	134
de ſaule	134
de ſené	138
des vignes	146
Fiel de bœuf épaiſſi	276
Figues ſeches	187
Fleurs d'ancolie	148
d'anet	147
balauſtes	148
de baſilic	149
de betoine	149
de bleuët	151
de borrache	149

II. INDEX SIMPLICIVM.

	pag.
Fleurs de Bouillons	158
de Bugloſſe	149
de carthame	150
de chamomille romaine	150
de champs	150
de chicorée	151
de coquelicot	154
de genet	152
de giroflée jaune	151
d'hepatique	152
de houblon	153
de lavande	153
de laurier	118
ceriſier	118
des lis blancs	153
des margerittes petites	149
rouges	149
de mars	30
de mauve de jardin	154
de melilote	154
de millepertuis	152
de muguet	153
de muſcade	210
de nymphée blanche	154
d'œuillets rouges	158
d'orange	148
d'ortie morte	158
de pecher	155
de pied d'alouette	149
de pivoine	155
de primevere	155
des pruniers ſauvages	147
de romarin	148
des roſes blanches	155
pâles	155
de Provins	155
rouges	156
de ſauge	156
de ſcabieuſe	156
de ſoucy	150
de ſpica	157
de ſtœchas arabique	157
citrin	157
de ſureau	156
de taneſie	157
de tillau, tilleul ou tillot	157
de tuſſilage	152
des violettes de mars	158
Foye de loup préparé	288

	pag.
Fourmie	285
Fragments d'eponge	38
Fumeterre	112
Fumier de Paon	293
le Fuſier & l'urine de vache	297
Galanga grand	209
petit	209
Galega	112
Garderobbe	107
Germandrée	104
d'eau	137
Gingembre	213
blanc	213
Girofles	205
ecorce v. Ecorce	
Glands	193
Glouteron	50
Gomme adraganth	249
ammoniac	231
anime	231
arabique	232
caragne	235
des ceriſes	236
copal	236
elemi	236
d'epine de bouc	249
euphorbe	237
galbanum	238
de gayac	239
de genevre	246
gutte	239
ladanum	241
laque en bâton	240
en graines	240
en oreilles	240
en tablettes	240
de lierre	240
de pêcher	244
de ſenegal	248
tacamahaca	248
Graines d'ecarlatte	193
de muſc	159
de paradis	209
de tilli	194
Gratiole	113
Gratte-cu	192
Grenat	21
Groſſeilles	195
Gui	230

	pag.
Gui de bouleau	230
de chene	230
de Coudrier	230
de ſaule	230
de tillau	230
Guimauve	94
Gyſteres	285
Hanebane	115
Haricots	171
Helianthème	114
Hematite	16
Hepatique d'eau	114
noble	115
Herbe aux chats	101 & 126
aux cuillers	106
de fenouil	111
de fraiſier	112
de la goutte	133
d'or	114
a pauvre homme	113
Robert	113
Heriſon brulé	284
Herniale	115
Hirondelles calcinées	286
Hiſope	116
Houx	92
Huille de gabian	32
de terre	33
Hyacinthe	21
l'Hypociſtis	258
Jacobée	117
l'Jeble	109
Joannis de laet	14
Jonc. oriental. odorant.	136
l'Jvette	104
Jujubes	195
Jus de regliſſe en bâton	258
Juſquiame	115
Kermes	193
Lacque columbine	30
de florence fine	30
Lait de lune	4
Laituë	117
Langue de cerf	136
de ſerpent	127
Larm de Job	175
Lavande	118
Licorne veritable	299
Liege	229
Lierre	114
terreſtre	114
Lievre calciné	287
talons v. Talons	
Limaille de fer, de mars	28
Lin cathartique	120
Linaire	120
Litharge d'argent	31
d'or	30
Lotier odorant	123
Lunaire	120
Lyſimachie	121
Machoires de brochet	288
Macis	210
Malabathrum	111
Manne de calabre	258
Maniqueth	209
Marjolaine	121
Marons d'Inde	195
Marube blanc	122
noir	122
Marum	122
Maſtic	242
Matricaire	123
Mauve	122
ſauvage	93
Melilot	123
bleu	123
Meliſſe	124
ſauvage	124
turque	124
Menthe crêpue	124
Menyanthe	144
Mercure	24
Mercuriale	124
Meres des girofles	204
Miel	260
Mille feuilles	124
Mille pertuis	116
Mine d'antimoine	23
martial d'Heſſe	31
Minium	31
Miroir d'ane	14
Moëlle de pierre	4
Molene	145
Morelle	140
Morgeline	93
Mors du Diable	125

II. INDEX SIMPLICIVM.

	pag.
Mouget de bois	123
Mouron	94
Mouſſe du crain humain	269
de chene	269
marine	36
de prunier ſauvage	269
terreſtre	270
Muffle de Veau	95
Mumie	291
Muſc	289
Muſcades noix	210
fleurs v. Fleurs	
Myrobolans bellerics	196
chebules	197
citrins	197
emblics	197
Indiens noirs	197
Myrrhe	143
Myrte	125
Nacre de perle	40
Neſles ſeches	196
Nids d'hirondelles	286
Nitre	8
Noix de Ben	186
de cypres	191
de galle	193
vomiques	198
Nombril marin	42
Noyaûx de ceriſes	189
de peches	199
Nummulaire	127
Ochre ou ocre	5
Oeuſs d'autruche	297
Oignon	53
de lis blanc	69
marin	84
Oliban	243
Ongle d'Elan	272
Opium de thebes	261
Opopanac	244
Or fin en feuilles	27
Orcanette	44
Oreille d'ane	56
d'Homme	48 & 95
de judas ou de juif	268
de ſouris	130
Origan	128
de crete	128

	pag.
Orlean	33
Orpiment	29
Orpin	26 & 107
Orſeille	30
Ortie	147
blanche ou morte	147
Orvale	112
Os de coeur de cerf	292
de ſeiche	292
Oſeille	91
Oſteocole	19
Ozeille v. Oſeille	
Pampres	146
Paquerette	98
Paraquay	306
Parietaire	128
Paſſerage	119
Pas d'ane	111
Paſquette	149
Pattes des Ecreviſſes	227
Pavot rouge	154
Pelote de mer	38
Pempedula	77
Penſée	117
Perce feuille	128
mouſſe	92
Perles	93
Perſicaire	129
Perſil	129
Pervenche	146
Pétrole blanche	32
noire	32
rouge	32
Pied de chat	113
de lion	93
Pierre d'aigle	13
armenienne	14
d'aymant	18
d'azur	17
calaminaire	15
des carpes	279
a chaux	15
d'éponge	19
Judaïque	17
de linx	18
de malacco	294
nephritique	18
de perche	293

	pag.
Pierre ſpeculaire	14 & 19
de vache marin	289
Pignons	194
doux	198
Piloſelle	130
Pimprenelle ſanguiſorbe	130
ſaxifrage	130
Piſſenlit	141
Piſtaches	200
Plantain petit	130
majeure	130
des montagnes	95
Poignons d'Inde	194
Poirée blanche	98
Poivre blanc	211
d'eſpagne	212
long	211
noire	221
Poix	244
blanche	246
grecque	244
navale	244
noire	244
Polium de crete	131
de montagne	131
Polygale	131
Potaſſe	8
Poumons de renards	299
Prele	110
Priape de baleine	281
de cerf	280
de taureau	297
Propolis	305
Pruneaux doux	200
Prunelle	132
ſouvages	184
Ptarmica	132
Pouliot	132
Pulmonaire	133
de chêne	132
Pyrole	133
Queve de cheval	110
Quinquina	215
Quinte-feuille	128
Racine d'ache	45
de faux acorus	43
d'alcée	44
d'alkanna	44

	pag.
Racine d'ancolie	46
d'angelique de Boheme	45
ſauvage	45
d'anthore	45
d'ariſtoloche long. ver.	47
petit ronde	46
rond. com.	47
verit.	47
de ving	46
d'armoiſe	48
d'arrêt boeuf	75
d'asclepias	66
d'aſperge	49
d'aſphodele	49
d'aunée	62
de barbe des chévres	49
de bardane	50
de been blanc	50
rouge	50
de benoite	53
de betoine de montagne	47
de beterave	50
de biſtorte	51
de boucage	79
de bourrache	51
de bryone	51
de bougrande	75
de bugloſſe	52
de cabaret	48
de calamus arom.	43
de caprier	52
de carline	52
de celeri	45
de Chardon benit	53
Roland	62
chardonerette	52
de chelidoine grande	53
petite	54
de cichorée	55
ſauvage	55
de chien dent	65
de concombre ſauvage	57
de grand conſoude	56
de contrayerve	56
de coquelourde	80
de coſtus amer	57
doux	57
de couleuvrée	51
de curcuma	57

	pag.
Racine de cynogloſſe	58
de dentaire grand	59
petite	59
de dompte venin	66
de doronic	59
de dulc amara	44
d'ellebore blanc	60
noir	61
d'eſquine	54
de fenouil	64
de filipendule	64
de fougere aquatique	64
femelle	64
de fraiſier	64
de fraxinelle	59
de frelon	51
de garance	82
de gentiane	65
croiſette	65
de gin-ſeng	73
de glayeul	69
de glouteron	50
de guimauve	44
d'hermodattes	65
d'houblon	70
de petit houx	51
de hydrolapathum	66
de Jalap.	68
d'Jeble	60
d'Imperatoire	75
d'Ipecacuanna	66
d'Iris bleu	69
de Florence	68
de juſquiaume blanche	67
de langue de chien	58
de liveche	69
des lis blancs	69
de mandragore	70
de mauve	70
ſauvage	44
de mechoacan	71
de metaliſte	72
de meum	72
Mungos	72
de nard celtique	86
de nenufar	74
de ninzin	73
d'olſnitium	75
d'orchanette	44

	pag.
Racine d'ortie	89
d'otruche	75
d'ozeille	43
de pain de pourceaux	58
de palme de Chriſt	76
de panicault	62
de pareira brava	76
de pas d'ane	63
de patience grande	81
ſauvage	69
de paſſerage	66
de pempedula	77
de perſil	78
de petaſite	77
de pied de veau	46
de pimprenelle	78
blanche	79
de piſſe en lit	87
de pivoine	76
de plantain	79
de polypode	79
de pyretre	80
de queve de pourceau	78
de quinte feuille	77
de grand refort	80
de rapontic	82
de regliſſe	70
de reine des pres	49
de rhodus	82
de rhabarbe	80
des moines	80
de Ruſc	51
de ſanicle	83
de ſaponaire	83
de ſarcepareille	83
de ſatyrion	84
de ſavoniere	83
de ſaxifrage	84
de Sceau de Salomon	79
de Scille	84
de Scorzonere	85
de Scrophulaire	85
de ſerpentaire	86
de ſouchet long	58
rond.	58
de ſpica nard.	87
de ſucciſa	72
de tithymale	63
de tormentille	87

	pag.
Racine de treſle de caſtor	87
de turbit	88
de Valeriane	88
grande	78
de victorialis longue	89
ronde	89
de vigne blanche	51
de viperine de virginie	86
Raiſſins de Corinthe	199
ſecs	199
Renouée	103
Repriſe	107
Reſine	244
blanche	246
Rocou	33
Romarin	133
Rosſolis	133
Roucou	33
Roytelets brylees	295
Rubis	21
Ruë	134
Sabine	134
Safran	208
bâtard	150
des Indes	57
Sagapenum	246
Salpetre	8
Sang de bouc préparé	286
de Dragon	247
humain	287
Sangſues	286
Sandarac	246
Sanicle	135
Santoline	107
Saphir	21
Sarcocolle	247
Sardoine	21
Sariette	135
Sarraſin	172
Savonaire	135
Sauge	135
ſauvage	135
Saxifrage	136
Scabieuſe	136
Scamonée	264
Scarabea	295
Schœnanth	136
Scinc marin	296

	pag.
Scolopendre	136
Scordium	137
de crete	137
Scrophulaire	137
Sebeſtes	200
Sedum	138
Sel ammoniac	9
d'epſon	9
gemme	10
marin	10
purgatif amer	9
d'Eger	10
de Sedliz	10
de verre	29
Semence d'ache	162
d'agnus caſtus	159
d'alkekenge	159
d'ammi	160
d'amome	160
d'ancholie ou d'ancolie	162
d'anet	161
d'angelique	162
d'anis	162
de la chine	162
d'arroche	163
d'aſperge	163
avoine	163
de baſilic	164
de bardane	164
de carotte ſauvage	171
de carvi	166
de cerfeuil	166
de cevadille	181
de chanvre	164
de chardon benit	165
marie	165
de chaſſetaupe	166
de chicorée	167
de chou rouge	164
de citron	167
de citrouille	167
de cochlearia	168
des coins	169
de coloquinte	168
de concombre	169
de coriandre	168
de coton	164
des courges	169
de creſſon	178

	pag.
Semence de cumin	169
de Daucus	170
d' eglantier	170
d' endive	171
d' epine vinette	164
d' epurge	166
de feuouil commun	172
doux	172
de fenugrec	172
de fresne	172
de faux cherius	171
de gênet	173
de guimauve	159
de gremil	177
de l'herbe aux pouces	180
de hous frelon	180
d' Ieble	171
de jugeoline	181
de jusquiame	173
de laitue	175
larm de job.	175
de laureole	168
de leveſche	176
de lin	176
de lupins	176
de lycopodium	176
de mauve	177
de melilote	177
de melon	177
de millepertuis	175
de moutarde	182
de navet	177
de nielle	178
d' orange	163
d' orge	173
d' orobe	178
d' ortie grieche	184
romain	183
d' ozeille	159
de patience	178
de pavot blanc	178
noir	179
de percefeuille	179
de perſil	179
de macedoine	179
petite lentille	176
de pivoine	179
de plantain	179
des pois chiches rouges	167

	pag.
Semence de pourpier	180
de raifort	180
de rave	180
de ricin	166
de roquette	171
de rüe	180
de ſafran batard	165
de ſeſame	181
de ſtaphis aigre	182
de ſumach	183
de ſureau	181
de taneſie	181
de Thalietrum	182
de thlaſpi	183
contre les vers	167
de violette	183
Sené	138
Senecon	139
Serpentaire de virginie	86
Serpolet	139
Seſeli de candie	181
de montagne	182
Soldanelle	141
Sommitées de genevrier	117
Soude	11
en pierre	11
Soufre groſſier	33
jaune	33
vif	33
Sorbes ſeches	21
Soye brulée	296
Spic	118
Storax calaminte	248
liquide	254
Styrax thymiama	222
Suc d' acacia	256
d' hypociſte	258
de lycium	258
des prunes ſauvages	256
Succin	40
Succre	262
liquide	263
Suif de boeuf	302
de bouc	302
de cerf	302
Tabac	126
Tabouret	101
Tacamahac ou Tacamaque	148
Talc	19

	pag.
Talons de lievre	288
Tamarinds	202
Tamaris	141
Tanesie	141
Tartre	265
Taupes brulées	297
Terebinthine de Chypre	255
ordinaire	254
de veniſe	255
Terre lemnienne	5
ſigillée blanche	5
de malte	6
rouge	6
de ſileſie blanche	6
griſe	6
verde	6
Terrette	114
Teſticules de cheval	284
Tetes de pavot	187
Thee	124
de la mer du ſud	306
du mexique	99
Thym de crete	144
vulgaire	144
Topaze	21
Tormentille	144
Tourneſol bleu	34
en drapeau	34
Tortelle	110
Toute bonne	112
Trainaſſe	103
Treffle de caſtor	144
des prées	144
Tribules aquatiques	202
Tripoli	6
Troesne	120
Turneſol en pâte	30
Turquette	115
Tutie	34
Vanilles	203
Vedaſſe	8
Velar	110
Velvote	109
Verd de gris	34
de montagne	6
Verge d'or	106
Vermiculaire brullant	138
Veronique	146
Verre de veniſſe	34
Vers de terre préparés	288
Verveine	145
Veſſe de Loup	268
Violette	146
Viperine de Virginie	
Vitriol d'Allemagne	12
d'Angleterre	12
blanc	11
de chypre	11
d'Hongrie	12
Romain	12
Verd	12
Unicorne mineral	301
Uvulaire	147
Yeux d'ecreviſſes	217
Yvoir	284
Zedoire	212

Teutſches Regiſter

über die in dem erſten Theil vorkommende, und aus denen dreyen Natur-Reichen gebräuchliche Simplicien oder einfache Arzneyen.

	pag.
Aalruppen-Gräte	290
Aal-Schmalz	302
Abbiß	125
Abbiß-Wurzel	72
Acatien-Saft Egyptiſcher	256
Ackermann	43

pag.

Ackermünz, Katzenmünz 126
Ackerſchwertel-Wurz 89
Acker-Holz, ſ. Paradieß-Holz
Adler-Stein 15
Agley-Blumen 148
 Saamen 162
 Wurz 46
Agtſtein 40
Ahl 273
Alabaſter-Stein 13
Aland-Wurz 62
Alaun gemeiner 7
 rother Römiſcher 7
Allermannsharniſch-Wurz 89
Aloe feine von Soccotora 257
 gemeine 257
 Leberfärbige 257
 Roß-Aloe 256
Aloes-Holz ſ. Paradies-Holz 71
Alraun Wurz 71
Alteha-Wurz 44
Ambra flüßige 250
 graue 35
Amber-Kraut 122
 Wurz wilde 69
Amethyſten-Stein 21
Ameny-Saamen 160
Amömlein 160
Ammòniac Gummi 231
Anacardien 185
Andivien 109
Andorn ſchwarzer 122
 weiſer 122
Angelick-Saamen 162
 Wurzel 45
 wilde 45
Angurien Saamen 167
Anime Gummi 231
Anis-Saamen gemeiner 162
 Indianiſcher 162
Antoni-Kraut 132
Apoſtem-Kraut 136
 Blumen 156
Arabiſches Gummi 202
Armenier-Stein 14
Aron-Wurzel 46
Arlas-Beer 201
Arſenick gelber 26
 rother 26

pag.

Arſenick weiſer 25
Aſand ſtinckender 233
 wohlriechender 232
Asbeſt 8
Aſchbaum-Rinde 219
 Saamen 172
Aſchen-Schmalz 302
Aſch-Wurz 59
Asphalt 36
Asphodill-Wurz 49
Attich-Beer 192
 Kraut 109
 Saamen 171
 Wurzel 60
Augentroſt 110
Augen-Wurzel 88
Aurin-Kraut 113
Auripigment 26
Baad-Kraut-Wurz 69
 Bachbungen 97
Badian 16[illegible]
Bären Fenchel 72
 Klauen 100
 Lappen 176
 Schmalz 303
 Tatzen 100
Bär-Wurzel 27
Baldrian groſſer 78
 Katzen 88
 Kleiner 88
 Wurzel 88
Balſam von Canada 250
 von Copaiva 250
 Indianiſch ſchwarzer 251
 trockener 252
 weiſſer 251
 von Mecha 152
 Peruvianiſcher 251
 von Tolu 253
 Körner 188
Baſilic, Baſiliens-Blumen 149
 Kraut 96
 Saamen 164
Baum-Epheu-Blätter 114
 Farn 79
 Mooß 269
Baumwollen-Saamen 164
Bauren-Senf 183

Bdellium,

III. INDEX SIMPLICIUM.

	pag.
Bdellium-Gummi	234
Been-Früchte	186
Wurz rothe	50
weiſe	50
Beerlappen-Saamen	176
Beinbruch-Stein	19
Benedicten-Wurzel	53
Benzoin	232
Berg-Blau	14
Cryſtall	16
grün	6. 28
Münz	101
Poley	131
Bernſtein	40
Bertram-Kraut	132
Wurzel	80
Beruf- oder Beſchrey-Kraut	107 132
Betonien-Blumen	149
Kraut	98
Bett-Stroh	112
Beſen-Kraut	183
Beyfuß-Kraut	95
Wurz	48
Bezoar Occidentaliſcher	274
Orientaliſcher	275
Biebergail	279
Schmalz	302
Bieber-Schmalz	303
Bieber-Klee	144
Wurzel	87
Biebernell-Kraut	130
Wurz	79
Bienen-Kraut	124
Bilſen-Kraut	115
Saamen	173
Wurzel	67
Bimſen-Stein	19
Bingel-Kraut	124
Biſam	289
Saamen	159
Biſmuth ſ. Wiſmuth	
Bitter-Klee	144
Wurz	65
Bittere Coſten-Wurzen	57
Mandeln	185
Bitterſüß	44
Blackfiſchbein	262
Blaue Violen	158
Bleygelb	27
Bleyweiß gemeines	27
Bleyweiß venediſches	28
Blut-Kraut	103 130
Blut-Kraut-Wurzel	78
Blut-Stein	16
Bocks-Blut	286
Bockshorn-Saamen	172
Bockshörnlein	202
Bocks-Inſchlicht	301
Bocks-Peterlein	130
Boſiſt	268
Bohnen	171
Bolus Armeniſcher	3
rother	4
weiſer	3
Borax	7
Boragen-Blüth	149
Kraut	99
Wurz	51
Brand Lattich	111
Wurz	63
Bracken Diſtel-Wurz	62
Braun-Wurz	85 137
Braunellen-Kraut	132
Brenn-Neſſeln-Kraut	147
Saamen	184
Wurz	89
Brombeer-Laub	134
Bruch-Kraut	107 135
Wurzel	83
Stein	19
Brunellen-Kraut	132
Brunnenkreſſen	125
Bruſch-Wurzel	51
Bruſtbeer rothe	195
ſchwarze	200
Bruſt-Wurzel	45
Buch-Ampfer	91
Buchsbaum-Holz	224
Buch-Waitzen	172
Buck rother	95
weiſſer	95
Burzel-Kraut-Saamen	180
Butzen-Kettenwurz	50
Buxdorn-Saft	258
Cacao-Nüſſe	187
Caffee-Bohnen	189
Calmus	45 52
Camel-Stroh	116
Campfer	234

	pag.
Canell	207
Caninchen-Schmalz	303
Capaunen-Fett	302
Cappern-Wurzel	52
Caranna-Gummi	235
Cardamomen groſſe	205
Kleine	205
Cardobenedicten-Kraut	102
Saamen	165
Wurzel	53
Carneolſtein	21
Caßia-Frucht	188
Rinde	206
Caſtanien-Rinde	220
wilde	95
Celtiſcher-Nardus	86
Chacarillen-Rinde	214
Chamillen-Blumen gemeine	150
Römiſche	150
China-Rinde	215
Wurz	54
Chriſt-Wurz	61
Chryſolit	21
Citronen-Saamen	167
Schalen	217
Citrullen-Kern	167
Coccels-Körner	189
Colophonium	236
Coloquinten	190
Saamen	168
Copal-Gummi	236
Corallen rothe	37
ſchwarze	37
weiſſe	36
Mooß	36
Wurz	79
Coriander-Saamen	168
Corinthe	199
Cornell-Kirſchen	191
Coſten-Wurz bittere	57
ſüſſe	57
Cretiſche Ammey-Saamen	160
Poley	131
Thym-Seide	109
Creutz-Beer	202
Creutz-Blumen	131
Wurz	76
Creutz-Wurz	59 & 65
Kraut	139
Cryſtall-Stein	16

	pag.
Cubeben	208
Puccinell	282
Curcuma	57
Cupreſſen-Holz	225
Nüſſe	191
Cyper-Wurz lange	58
runde	58
Cypriſcher Terpentin	255
Vitriol	11
Dachs-Schmalz	303
Datteln	192
Dictam Cretiſcher	108
weiſſer	59
Dillen-Blumen	147
Kraut	94
Saamen	161
Dinten Gummi	231
Donnerſtein	18
Dorant	95
Doſten	128
Cretiſche	128
Drachen-Blut	247
Draganth	249
Dreyfaltigkeits-Blumen-Kraut	117
Druütenfinger	18
Dürlitzen	191
Dürrwurz blaue	107
Durchwachs-Kraut	128
Saamen	179
Eben-Holz	225
Eber-Wurz	52
Ebreiß	90
Edel-Leber-Kraut	115
Blumen	152
Egel-Kraut	127
Ehrenpreiß	146
Eibiſch-Wurzel	144
Eicheln	193
Eiche-Laub	133
Miſtel	230
Mooß	269
Rinde	221
Traube	303
Eichfarn	79
Einhorn gegrabenes	301
wahres	299
Eiſenblüth	30
Eiſenfeyl	28
Eiſenhart-Kraut	145
Eiſen-Kraut	145

	pag.
Eiſen-Vitriol-Kieß	31
Elends-Horn	272
Klauen	272
Elephanten-Läuſe	185
Elfenbein	284
Elſenich-Wurz	75
Elſter-Beer	201
Endivien-Kraut	109
Saamen	171
Engel-Wurz	45
Ennten-Schmalz	302
Entian-Wurz groſſe	65
Kleine	65
weiſſer	272
Ephey-Beer	195
Bläter	114
Harz oder Gummi	240
Eppich-Saamen	162
Wurz	45
Erbſelen-Frucht	186
Saamen	164
Erd-Aepfel	58
Erdbeer-Kraut	112
Wurz	54
Erde geſiegelte graue Schleſiſche	6
von Maltha	6
rothe türckiſche	6
weiſe Schleſiſche	6
türckiſche	5
grüne	6
japaniſche	266
lemniſche	5
Trippel	6
Erd-Kiefer	104
Mooß	270
Oehl	33
Erdrauch	112
Erdſcheiben-Wurz	58
Erven-Saamen	178
Eſels-Kraut	75
Kürbſen-Wurz	57
Eßig-Roſen	156
Eſchbaumen-Rinden	219
Saamen	172
Euphorbium	237
Eybiſch-Kraut	94
Saamen	159
Eyer-Schaalen	292

	pag.
Fall-Kraut	95
Wurz	47
Färber-Baum-Saamen	183
Färber-Röthe Wurz	82
Färber-Cobolt	27
Farb-Flecklein blaue	34
rothe	34
Farn-Kraut-Wurz	64
Faulbaum-Rinde	218
Federweis	13
Feigbohnen	176
Feigen	187
Feig-Warzen-Kraut	137
Wurz	54 85
Feld-Andorn	140
Cypreſſen	104
Katzen	113
Feld-Kümmel	169
Poley	139
Fellriß	44
Fenchel-Holz ſ. Saſſafras	
Kraut	111
Saamen	172
Cretiſcher	172
Wurz	64
Fette Henne	107
Fichten-Harz	246
Fieber oder Bieber-Klee	144
Wurz	87
Kraut	103
Rinde	215
Fier-Kraut	270
Finger-Hut	108
Fiſchbein weiſes	292
Fiſch-Körner	189
Fiſchleim	287
Flachs-Dotter	108
Saamen	181
Seide	108
wilder purgierender	120
Fleiſchleim-Gummi	247
Flieder ſ. Hollunder	
Flöh-Saamen	180
Florentiner-Lac	30
Florentiniſche Violen-Wurz	68
Flüßige Ambra	250
Storax	254
Fönugräc ſ. Bockshorn	
Franzoſen-Holz	225

	pag.
Franzoſen-Rinde	220
Gummi	239
Frauen-Diſtel	103
Doſten	128
Frauen-Eiß	14 19
Glaß	14 19
Haar	92
Mantel	93
Freyſam-Kraut	117
Fuchs-Lunge	299
Schmalz	303
Fünffinger-Kraut	128
Wurzel	77
Gänß-Blumen	149
Kraut	98
Gänſerich	94
Gänß-Kraut	94
Schmalz	302
Galban	238
Galgant groſſe	209
Galgant kleiner	209
Galläpfel	193
Gallen-Pulver	68
Gallmey	15
Gamander-Kraut	104
Garben-Kraut	124
Gärber-Baum	183
Garten-Cypreß	107
Nägelein	158
Rauten	134
Gartheil	90
Gauchheil	94
Geigen-Harz	236
Geiß-Bart-Wurz	49
Blat	102
Rauten	112
Gelber Ingber	57
Gelbſucht-Wurz	57
Gelbe Violen	151
Gemſen-Kugel	271
Wurz	59
Gentzian	65
Gerſte	173
Gewirz-Nägelein	205
Giftheil	45
Gicht-Roſen	155
Saamen	179
Wurz	76
Gift-Wurz bittere Indianiſche	72
Gift-Wurz Peruvianiſche	56
Gilb-Wurz	57
Ginſter-Blumen	152
Saamen	173
Glaß-Galle	29
Glaß Venediſches	34
Glied-Kraut	140
Glied-Weich-Wurz	50
Glocken-Blumen	148
Saamen	162
Gold-Blättlein	27
gelb	26
Glät	30
Kraut	139
Wurz	49
Golden-Wiederthon	92
Gottes-Genad	113
Granat-Aepfel-Saamen	173
Stein	21
Granaten-Blumen	148
Schaalen	219
Graß-Blumen	158
Graß-Wurz	65
Grieß-Holz	227
Stein	18
Wurz Americaniſche	76
Grind-Kraut	139
Wurz	96
Grün-Span	34
Gürtel-Kraut-Saamen	176
Gülden-Günſel	106
Klee	115
Gummi Ammoniac	123
Cancam	235
Copal	236
Caranna	235
Galban	238
Gutt	239
Lac	240
Ladan	241
Gundel-Reben	114
Gunder-Mann	114
Gurcken-Saamen	169
Guter-Heinrich	99
Haarſtrang-Wurz	78
Haber	163
Hagenbutten	192
Saamen	170
Schwamm	268

	pag.
Hanf-Saamen	164
Harn-Kraut	115 120
Indianiſches	91
Hart Riegel-Kraut	120
Harz	246
Haaß gebrannter	287
Haaſen-Fett	303
Pappeln	122
Pfötlein	113
Sprünge	288
Haſel-Miſtel	230
Wurz	48
Kraut	95
Hauhechel-Wurz	75
Hauſen-Blaſen	287
Hauß-Wurz	138
Hecht-Kiefer	288
Fett	303
Heidel-Beer	197
Heide-Korn	172
Kraut	110
Heidniſch-Wund-Kraut	106
Heilig Geiſt-Wurz	45
Heil aller Schaden	146
Heinrich guter, ſtolzer	99
Helfenbein	284
Herbſt-Roſen	154
Hermodattlen	65
Herz-Geſpan	102
Klee	91
Wurzel	45. 47. 72
Heyl-Kraut	93
Himmel-Schlüſſel	155
Hind-Lauf-Blumen	151
Kraut ſ. Wegwart	
Wurz	55
Hinſch-Kraut-Wurz	44
Hiobs-Thränen	175
Hirnſchaale menſchliche	269
Hirſch-Brunſt	267
Herz-Creutz	292
Horn	280
Klee	110
Ruthe	280
Zungen-Kraut	136
Hirten-Täſchlein-Kraut	101
Hohlwurz	46 47
Hollunder-Beer	200
Blüth	156
Hollunder-Rinde	221
Saamen	181
Schwamm	268
Wurz	60
Honig	260
Klee	123
Wurzel	70
Hopfen	153
Huff-Lattig-Blumen	152
Kraut	111
Wurz	63
Hüner-Darm-Kraut	94
Magen-Häutlein	285
Scherben	93
Schmalz	303
Hunds-Graß-Wurz	65
Kohl	124
Koth	272
Kürbſen-Wurz	51
Schmalz	302
Zungen-Wurz	58
Hyacinth	21
Hypecacuanha	66
Hypociſten-Saft	258
Hyſſop	116
Jacobs-Kraut	117
Jalappen Wurz	68
weiſe	71
Japaniſche Erde	266
Je länger je lieber	44. 104
Igel gebrannter	284
Ignatius-Bohnen	192
Indianiſch-Blat	111
Indig blauer	29
Ingwer gemeiner	213
Kraut	119
Ingrün	146
Inſchlitt Bocks	302
Hirſch	302
Rinder	302
Johannes-Blumen	152
Brod	201
Gürtel-Wurz	48
Kraut	116
Saamen	175
Trauben	195
Wurz	80
Iſpen-Kraut	116
Judas-Ohr	268

	pag.
Juden-Kirſchen	159. 184
Pech	36
Stein	17
Weirauch	222
Käß-Pappeln	122 177
Kalck-Stein	15
Kammels-Stroh	136
Kamm-Fett	303
Kampfer	234
Kraut	102
Karpfen-Stein	279
Karten-Diſtel	108
Kaul-Perſich-Stein	293
Kayſers-Wurz	75
Katzen-Müntz	126
Stein	18
Träublein	138
Wadel	110
Wurzel	88
Keller-Eſel	273
Hals-Rinde	218
Saamen	168
Keuſchlamm-Saamen	159
Kichern	167
Kieſel-Stein	19
Kirſchen-Hartz	236
Kern	189
Lorbeer-Blätter	118
Klapper-Roſen	154
Klee	145
Kletten-Blätter	118
Saamen	164
Wurtz	50
Knaben-Kraut	107
Wurtz	84
Knoblauch	44
Kraut	93 137
Kobalt	27
Kölblein-Kraut	130
Wurtz	78
Königs-Kerze	145
Körfel-Kraut	104
Saamen	166
Kohl-Kraut	100
Saamen	164
Korck	229
Korn-Blumen blaue	151
rothe	154
Müntz	101
Korn-Roſen	154
Krähen-Augen	198
Krafft-Wurtz Japaniſche	73
Krafft-Wurtz neue	77
Krauſemüntz	124
Krebs-Augen	277
Scheeren	277
Steine	277
Kreiden weiſe	4
Kreſſen-Kraut	125
Saamen	178
Kreßig	178
Kröten getrocknete	276
Stein	15
Kropf-Wurtz	79
Kruſette	105
Küchen-Schell-Wurtz	80
Kugel-Lacc	30
Kubel-Hartz	246
Kümmel	166
Römiſcher	169
Schwartzer	178
Künſchroten-Blumen	152
Saamen	173
Kürbiß-Saamen	169
Kunigund-Kraut	110
Kupfer-Waſſer ſ. Vitriol	
Lac-Gummi	240
Lack blauer	30
Florentiner	33
Lac in Kugeln	30
Muß	30
rother	30
Lachen-Knoblauch	137
Cretiſcher	137
Lactuc	117
Ladan-Gummi	241
Laſur-Stein	17
Lattich-Kraut	177
Saamen	175
Lavendul-Blumen	153
Kraut	118
Laus-Körner	183
Saamen mexicaniſcher	181
Leber-Kletten	92
Kraut edel	115
Stein	114
Stern	123
Blumen	152

III. INDEX SIMPLICIVM.

pag.

Leindotter-Saamen 181
Lein-Kraut 120
Saamen 176
Lerchen-Klauen-Blumen 149
Schwamm 267
Lieb-Stöckel-Saamen 176
Wurz 74
Lilien weiſe 153
Wurz 69 & 74
Linden-Blüth 157
Linſen 176
Lenden-Wurz 69
Löffel-Kraut 106
Saamen 168
Löwen-Fuß 93
Maul 95
Zahn-Kraut 141
Wurz 87
Lorbeer 196
Blätter 118
Luchs-Stein 18
Lucians-Kraut 95
Wurzel 47
Lungen-Kraut fleckichtes 133
mooſigtes 132
Maaßlieben-Blumen rothe 149
Kraut 98
Macedoniſcher Peterſil 179
Madelgeer-Wurz 65
Magdalenen-Blumen-Kraut 86
Magnetſtein 18
Magſaamen ſchwarzer 179
weiſer 178
Majoran-Kraut 121
Mandeln bittere 185
Blätter 118
ſüſſe 185
Mangel-Wurz 69
Mangold 98
Manna 258
Mannstreu-Wurz 62
Margarethen-Blumen 149
Kraut 98
Marien-Diſtel-Kraut 103
Saamen 165
Magdalenen-Blumen 86
Marum-Verum 122
Maſtich 242
Holz 226

pag.

Maſtich-Kraut 122
Mauer-Eſel 273
Pfeffer 138
Rauten 92
Maulbeer-Wurzel-Rinde 220
Maulwürff gebrannte 297
Mausdorn-Saamen 180
Mauß-Gifft 25
Oehrlein 130
Zwiebel 84
Mayen-Blumen 153
Keffer 295
Meer-Ballen 38
Glöcklein 141
Hirſchen 177
Kohl 141
Nabel 42
Rettig 80
Stinz 296
Winde 141
Zwiebel 84
Meger-Kraut 107 112
Mengel-Saamen 175
Wurz groſſe 66
Meiſter-Wurz 75
Melden-Saamen 163
Meliſſen 124
Melonen-Kern 167 177
Menning rother 31
Menſchen-Hirnſchaale 283
Schmalz 303
Metterich 123
Milz-Farn 104
Kraut 104
Mini rothe 31
Miſpeln 196
Miſtel 230
Bircken 230
Eichen 230
Haſel 230
Linden 230
Weiden 230
Möhren-Saamen 170
Mohren-Kümmel 107
Moluckiſch-Holz 220
Mond-Kraut 120
Rauten 120
Mohn-Häupter 187
Milch 4

pag.

Mohn-Saamen ſchwartzer 179
weiſer 178
Safft ausgetrockneter 261
Mooß 270
Motten-Kraut 99
Mucken Gifft 27
Münch-Rhabarbar 80
Müntze-Berg 101
gelbe 107
Feld 101
Krauſe 124
Mumien 291
perſianiſche 291
Murmel-Thier-Schmaltz 303
Muſcaten-Blüth 210
Nuß 210
Muſcheln wohlrüchende Indianiſche 38
Mutter-Kraut 123 124
Nägelein 204
Wurtz 47. 72
Zimmet 206
Myrobollanen belliriſche 196
groſſe ſchwartz braune 197
gelbe 197
Indian. ſchwartze 197
Myrrhen 243
Myrten-Beer 197
Blätter 125
Nabelſtein 42
Nacht-Schatten 140
Nägelein-Blumen 158
Gewürtz 205
Rinde 206
Wurtz 53
Zimmet 206
Nardus wilder 48
Naß-Horn 295
Nattern oder Vippern 298
Wurtz 51
Zungen 127
Neſſel-Blumen 158
Saamen 184
Römiſcher 183
todte 147
Wurtz 89
Nichts weiſſes 31
Nieß-Wurtz ſchwartze 61
weiſe 60

pag.

Ocher gelb 5
Ochſen Brech-Wurtz 75
Ochſen-Galle 276
Ruthe 297
Zungen-Blumen 149
Kraut 101
Wurtzel 52
rothe 44
Obermennig 92
Oehlbaum-Gummi 236
Oelnitz-Wurtz 75
Operment 26
Opium 261
Orlean 33
Oſter-Blumen-Wurtz 80
Oſterlucey-Kraut 95
Wurtz 46. 47
Panax-Gummi 244
Pantoffel-Holtz 229
Pappel-Blumen 154
Kraut 122
Saamen 177
Wurtz 70
Paradieß-Holtz 223
Körner 209
Pech 244
Peonien-Wurtz 76
Perlen-Hirſe 177
Mutter 40
Occidentaliſche 39
Orientaliſche 39
Perſich-Kraut 129
Stein 293
Peruvianiſcher-Balſam 251
Gifft-Wurtz 56
Peſtilentz-Wurtz 77
Peterſilien-Kraut 129
Saamen 179
Wurtz 78
Peters-Kraut 128
Pfaffen-Pint 46
Röhrlein-Kraut 141
Wurtz 87
Pfauen-Koth 29
Pfeffer-Kraut 119
langer 212
Spaniſcher 212
ſchwartzer 211

Pfeffer

	pag.
Pfeffer weiſer	211
Wurz	69. 79
Pfenning-Kraut	127
Pferde-Gailen	284
Schmalz	303
Pferſich Baum-Harz	244
Blüth	155
Kern	199
Pfingſt-Roſen-Blumen	155
Wurz	76
Pflaumen	200
Pfriemen-Blumen	152
Saamen	173
Pimpernell-Kraut	130
Wurz	78
Pimper-Nüßlein	200
Pimſenſtein	19
Pinien-Nüßlein	198
Piſtacien	200
Pocken-Holz	228
Wurz	54
Poeonien-Wurz	76
Poley-Kraut	131.132
Cretiſcher	131
Pomeranzen-Blüth	148
Saamen	163
Schaalen	214
Porſt	141
Portulac-Saamen	188
Potaſche	8
Prunellen-Kraut	132
Purgier-Flachs	120
Körner	166.194
Purgierender Winden-Safft	264
Purpur-Schnecken	38
Quecken-Wurz	65
Queck-Silber	24
Quendel	139
Quiten getrocknete	191
Kern	169
Raden-Diſtel-Wurz	62
Ratten-Pulver	25
Rauſch-Gelb	33.26
Rauten-Kraut	134
Saamen	180
Regen-Würm	288
Reiger-Schmalz	302
Rettig-Saamen	180

	pag.
Rhabarbara Edle	80
Münchs	80
weiſe	71
Rhapontic	82
Rhein-Blumen	157
Farn	141
weiſſer, ſpitziger	132
Saamen	183
Rhinoceros	295
Rhodiſer-Dorn	224
Ringel-Blumen	150
Ritter-Sporn	149
Römiſche Chamillen	150
Fenchel	172
Kümmel	169
Röthel-Stein	5
Röthe-Wurz	82
Rothlauf-Kraut	113
Roß-Aloe	256
Roſen-Bleiche	155
Eßig	156
feine	156
Holz	228
rothe	155
weiſe	155
Wurz	82
Roßhub-Blumen	152
Kraut	111
Roſinen, groſe	199
kleine	199
Roßmarin-Blüth	148
Kraut	133
Rüben, rothe	50
Saamen	180
Rubin-Stein	21
Ruhr-Kraut	107. 113
Wurz Indianiſche	66
Teutſche	87
Ruperts-Kraut	113
Sade-Baum	134
Safflor-Blumen	150
Saffran	208
Saamen wilder	165
Sagapen-Gummi	246
Salbey-Blumen	156
Kraut	135
wilde	135
Salmiac	9

pag.
Salpeter 8
Saltz Egriſches Laxir 10
    Engliſches 9
    Meer 10
    Sedlitzer 10
    Spaniſches Aſchen 11
    Stein 10
Sandarach 246
Sandel-Holtz blaues 227
    gelbes 228
    rothes 229
    weiſſes 228
Sanickel-Kraut 135
    Wurtz 83
Saphir-Stein 21
Sarſaparill 83
Saſſafras-Holtz 229
    Rinde 221
Saturey 135
Saubrod-Wurtz 58
Säu-Fenchel 78
Sau-Kraut 140
    Wurtz 69. 85
Sauerampfer-Kraut 91
    Saamen 159
    Wurtz 43
Sauer-Klee 91
Saurach-Beer 186
    Saamen 164
Scabioſen-Blumen 156
    Kraut 136
Scammonium 264
Schafgarben-Kraut 124
Schaft-Heu 110
Schampanier-Wurtz 60
Scharbocks-Klee 87. 144
    Kraut 138
    Wurtz 54
Scharlach-Beer 193
    Kraut 112
Schiff-Pech 244
Schirling-Kraut 105
Schlaf-Kraut 115
    Wurtz 67
Schlaf-Kuntzen 268
Schlag-Kraut 104
Schlangen-Haut 296
    Holtz 224
    Kraut 227

pag.
Schlangen-Schmaltz 303
    Wurtz 51. 85. 89
        Virginiſche 86
Schlehen 184
    Blüth 147
    Dorn-Rinde 214
    Mooß 269
    Saft 256
Schlüſſel-Blumen 155
Schmaragd 21
Schmerbel 99
Schmeer-Wurtz 56
Schminck-Wurtz 79
Schmirgel-Stein 19
Schnecken-Deckel 283
    Häuslein 283
Schöll-Kraut groſſes 105
    kleines 138
    Wurtz groſſe 53
        kleine 54
Schotten-Dorn-Saft 256
Schuppen-Wurtz 59
Schwalben gebrannte 286
    Neſt 286
    Wurtz 66
Schwammen-Baad 38
    Stein 19
Schwartze Ambra. ſ. Ambra
    Bruſtbeer 200
    Kümmich 178
    Nieß-Wurtz 61
    Wurtz 56
Schwefel gelber 33
    lebendiger 33
    Roß 33
    Wurtz 78
Schweins-Brod-Wurtz 58
    Schmaltz 303
    Zähne 273
Schweiß-Wurtz 77
Schwindel-Körner 208
    Wurtz 59
Schwertel-Wurtz 69
Scordien, Lachen-Knoblauch 137
Scorzonera-Wurtz 85
See-Blumen 154
    Wurtz 74
    Kuh-Stein 289
    Mäuſe 290

	pag.
See-Pferd-Zähne	285
Seckel-Kraut	101
Seidel-Baſt-Rinden	218
Saamen	168
Seiffen-Kraut	135
Wurz	83
Seiden-Bälglein	296
Selery-Saamen	162
Wurz	45
Senff-Kraut	119
Saamen rother	182
weiſſer	171
Senegal-Gummi	248
Sennet-Bälglein	139
Blätter	138
Serapin-Safft	246
Seſel-Kraut-Saamen	181
Seven-Baum	134
Siebenfinger-Kraut	144
Siebengezeit	123
Siegel-Erde. ſ. Erde	
Siegmars-Kraut	44. 93
Sieg-Wurz	89
Silber-Blätlein	24
Glett	31
Kraut	94
Simeons-Kraut	93
Sinau-Kraut	93
Singrün	146
Smaragd-Stein	21
Soden-Brod	201
Sonnen-Guntzen	114
Thau	133
Wend	105
Sophien-Saamen	182
Spaniſche Fliegen, Mücken	278
Spargel-Saamen	163
Wurz	49
Speyerling	201
Spick	118
Blumen	157
Celtiſcher	86
Indianiſcher	86
Narden	86
Spieß-Glaß	24
Ertz	23
Spinnen-Diſtel	102
Spring-Körner	166
Kürbis-Wurz	57

	pag.
Staab-Wurz	90, 107
Stachel-Schwein-Stein	294
Stachel-Kopf	101
Stahl-Feile	28
Stall-Kraut	75
Staphis-Körner	182
Steck-Rüben-Saamen	177
Stein-Brech rother	64
weiſer Kraut	136
Wurz	59
Eppich Saamen	179
Flachs	14
Klee blauer	123
gelber	123
Blumen	154
Saamen	177
Leber-Kraut	114
Marck	4
Oehl rothes	32
ſchwarzes	32
weiſſes	32
Peterlein-Saamen	179
Wurz	79
Rauten-Kraut	130
Salz	10
Wurz	92
Stech-Nüſſe	202
Palmen	92
Stendel-Wurz	84
Sterck-Kraut	95
Stern-Aniß	162
Leber-Kraut	123
Stick-Wurz	51
Stoechas-Blumen Arabiſche	157
gelbe	157
Storax-Gummi	248
flüſender	254
in Körnern	248
Storchen-Schmalz	303
Schnabel	113
Strauſſen-Ey	297
Streubel-Wurz	59
Süß Holtz-Wurz	70
Safft	258
Syrup-Zucker	263
Tacamahac Gummi	248
Tag und Nacht-Kraut	128
Talck	19

III. INDEX SIMPLICIVM.

	pag.
Tamarinden	202
Tamarisken-Kraut	141
Rinde	221
Tannen-Harz	246
Tauben-Kropf	112
Tauſent-Blatt	124
Gulden-Kraut	103
Terpentin Cypriſcher	255
gemeiner	254
Venediſcher	255
Teſchel-Kraut	101
Teuffels-Abbiß	125
Wurz	72
Dreck	233
Thee	142
Thomas-Zucker	263
Tymian Cretiſcher	144
gemeiner	144
Thym-Seide	109
Toback-Kraut	126
Toll-Kraut	97
Wurz	67
Tormentill-Kraut	144
Wurz	87
Traganth	249
Trauben-Kraut	99
Treib-Körner groſe	166
kleine	166
Trippel-Erde	6
Türckiſche Meliſſen	124
Turbith-Wurzel	88
Tutia	34
Vanillien	203
Veh-Diſtel	103
Saamen	165
Venediſches Bleyweiß	28
Borax	7
Venus-Haar	92
Violen-Blumen blaue	158
gelbe	151
Kraut	146
Saamen	183
Wurz Florentiniſche	68
gemeine	69
Vippern-Gräte	298
Schmalz	303
Vitriol blauer	11
Cypriſcher	11
Vitriol gemeiner	12
grüner	12
Ungriſcher	12
weiſſer	11
Vogel-Kraut	93. 94
Neſt-Saamen	171
Zungen	172
Wachholder-Beer	196
Gummi	246
Holz	226
Lympf	117
Wachs gelbes	304
Stopf	305
weiſſes	304
Wachtel-Schmalz	303
Wald-Diſtel	92
Meiſter	123
Meliſſen	124
Rüben	58
Stroh	112
Wallfiſch-Ruthe	281
Wallrad	281
Wallroß-Zahn	285
Wallwurz	56
Kraut	106
Waſſer-Doſten	110
Eppich	45
Klee-Wurz	87
Melonen-Saamen	167
Mengel-Wurz	66
Nüſſe	202
Wegbreit	130
Wurz	79
Wegerich-Kraut	130
Saamen	179
Wurz	79
Weg-Senff	110
Weg-Tritt	103
Weg-Warten-Blumen	151
Kraut	105
Saamen	167
Wurz	55
Weichſeln	189
Weiderich gelber	121
Weiden-Laub	134
Schwamm	268
Wein-Beer	199
Näglein	186

	pag.
Wein-Stein	265
Raute	134
Wurz	53
Trauben-Laub	246
Weiſſes Nichts	31
Weis-Wurz	79
Well-Saamen	182
Wermuth gemeiner	90
Römiſcher	90
Weirauch	243
Rinde	222
Wiederſtooß	50
Wieſen-Klee	145
Wild Katzen-Schmalz	303
Schweins-Zähne	273
Winden-Safft, purgierender	264
Winters-Gewürz-Rinde	222
Winter-Grün	133. 146
Wißmuth	31
Wohlgemuth	128
Wolfs-Beer	199
Bohnen	176
Fett	303
Leber	288
Milch-Wurz	63
Wollen-Blumen	158
Kraut	145
Wolverley	47
Wund-Kraut gulden	106
Wund-Kraut Heydniſches	106
Wurm-Kraut-Blumen	157
Farn	141
Saamen	167
Wurz	51
Wüterich-Kraut	105
Zahn-Wurz	59. 80
Zapfen-Holz-Rinde	218
Zäpflein-Kraut	147
Zaun-König	295
Rüben-Wurz	51
Zehr-Wurz	46
Zeitloſen-Wurz	65
Zibeben	199
Zibeth	301
Zimmet	207
bitterer	218
Mutter	206
Nägelein	206
weiſſer	207
Zinnober gewachſener	28. 29
Zirbel-Nüßlein	198
Zittwer-Saamen	167
Wurz	212
Zucker	262
Zungen-Kraut	147
Zwetſchgen	200
Zwiebel	53
Meer	84

FINIS PARTIS PRIMÆ.

Errata Typographica, hujus Partis primae.

Pag.	Lin.	
16	33	pro ſic lege ſic
19	2	pro Steinbruch l. Beinbruch
19	2	pro Beuchſtein l. Bruchſtein
21	21	pro croces l. croceo
27	27	pro faſſilis l. foſſilis
31	39	pro Pampholyx l. Pompholyx
44	30	pro arvenſi l. arvenſis
46	28	pro Oſterlmey l. Oſterluzey
49	13	pro ammagogum l. emmenagogum
51	20	pro Beuſchwurz l. Bruſchwurz
51	20	pro Mansdorn l. Mausdorn
52	5	9. & 11. pro B yaniae l. Bryoniae
52	23	pro Arthryt.cis l. Arthriticis
56	4	pro Conſaude l. Conſoude

Pag	Lin.	
56	5	pro Schwazwurzel l. Schwarzwurzel
69	10	pro Patence l. Patience
69	10	pro Grundwurz l. Grindwurz
70	10	pro nephritigos l. nephriticos
76	26	pro radicandi l. eradicandi
78	32	pro Klöbleinkraut l. Kölbleinkraut
78	33	pro aprici l. apricis
79	13	pro latifolae l. latifoliae
82	34	pro ferratis l. ſerratis
86	3	pro Yquetaga l. Yquetaya
86	8	pro natare l. notare
87	8	pro Samlmaſium l. Salmaſium
88	4	pro cogunt l. coquunt

Pag	Lin.	
88	4	pro propirium l. proprium
88	7	pro convalvuli l. convolvuli
95	16	pro Oſterlung l. Oſterluzey
97	1	pro Beccbungae l. Beccabungae
97	1	pro aequatica l. aquatica
97	11	pro ſitiqua l. ſiliqua
97	12	pro Bacchin l. Bauhin
97	35	pro Balla l. Bella
98	18	pro comminis l. communis
98	25	pro vetonicae l. veronicae
99	29	pro rabile l. mirabile
99	32	pro Solis l. Salis
99	36	pro Batryos l. Botryos
102	19	pro infartum l. infarctum
103	18	pro trineriis l. trinerviis

Errata.

Pag.	Lin.	
104	6	pro Helwgius l. Helwigius
107	11	pro publicaria l. pulicaria
112	32	pro Scharlöch l. Scharlach
113	20	pro gratialae l. gratiolae
119	23	pro Piperitio l. Piperitis
119	23	pro Pfer l. Pfeffer
123	27	pro vulgares l. vulgaris
126	8	pro racotiane l. nicotiane
127	18	pro Eyl l. Egel
127	24	pro ipfi l. ipſi
129	13	pro Curaue l. Curage
133	29	pro Albecti l. Alberti
135	23	pro Savoniare l. Savoniere
136	34	pro cer; l. Cerf
147	16	pro naſcente l. innaſcente
147	24	pro Souvage l. Sauvage
150	6	pro Herba l. Flores
152	11	pro Farfaras l. Farfarae
154	18	pro Fieurs l. Fleurs
154	18	pro Neumphar l. Nenuphar
154	26	pro Pouceau l. Ponceau
154	35	pro Meconopegninm l. Meconopegnium
167	16	pro Barbatine l. Barbotine
170	20	pro Exod. l. Exot
170	23	pro continat l. continuat
170	28	pro Sapiendis l. Sopiendis
171	36	pro Haricats l. Haricots
173	34	pro glandinum l. Claudinum
174	5	pro ſapores l. ſopores
174	16	pro proſcribuntur l. proſcriberentur
174	24	pro capio l. copia
174	41	pro indignos l. indignas
175	1	pro ſolentiorum l. ſolertiorum
176	33	pro ericis l. ericetis
177	1	pro remedum l. remedium
178	2	pro emultionibus l. emulſionibus
178	10	pro certior l. certius
178	12	pro exutere l. excutere
178	30	pro illoſa l. illaeſa
180	2	pro ſolicitaviſſe l. ſollicitaviſſe
180	9	pro mittentum l. minutum
180	29	pro Mans l. Maus
181	13	pro enim l. cum
181	14	pro putor l. pulvis
182	25	pro thalietrum l. thalictrum
183	7	pro vitoſis l. villoſis
183	17	pro Theaespios l. Thlaspios
186	6	pro ad l. et
186	20	adde poſt lucri: cauſa
186	26	pro Sechear l. Sechées.
187	7	pro lacinus l. laciniis
187	38	pro parva l. parvo
188	25	pro fructicem l. fruticem
188	40	pro ingratam l. ingratum
189	6	pro ſangunis l. ſanguinis
192	23	pro potamine l. putamine
192	38	pro Hoffmanni l. Hoffmannus
193	6	pro Pytagorae l. Pythagorae
193	12	pro Valentini l. Valentinus
194	29	pro ſuma l. ſumma
196	3	pro ſolet l. ſolent
196	4	pro quo l. quod
196	6	pro ericis l. ericetis
197	28	pro Riedlinii l. Riedlinus
198	12	pro ex l. et
199	5	pro Boyes l. Bayes
201	2	pro cavere l. carere
202	6	pro maturium l. maturum
202	9	pro ſole l. ſolet
202	9	pro colerem l. colorem
202	19	pro ſolicitant l. ſollicitant
202	23	pro ſiliguae l. ſiliquae
204	30	pro propinguae l. propinquae
205	18	pro ſpergunt l. ſpargunt
206	32	pro nomen l. tamen
207	7	pro Zeylonica l. Zeylanica
207	36	pro bacca l. baccae
208	17	pro eximios l. eximias
209	23	pro ad haec radixa l. alit haec radix
209	29	pro pateſcunt l. palleſcunt
210	15	pro intevaliis l. intervallis
213	21	pro curioſum l. carioſum
214	8	pro promiteris l. pomiferis
215	25	pro miliaria l. milliaria
217	16	pro Werlhoſius l. Werlhofius
218	9	pro coecognidii l. coccognidiis
218	36	pro progreſcit l. procreſcit
225	22	pro ſe l. ſeu
226	23	pro Quajaci l. Guajaci
226	36	pro nudeo glabrae l. nucleo glabro
227	23	pro neyhritique l. nephritique
228	19	pro Quajaca l. Guajaco
233	32	pro calicis l. colicis
237	35	pro quas l. quos
239	19	pro Quajaci l. Guajaci
241	16	pro alveria l. alvearia
242	17	pro progreſcit l. procreſcit
245	30	pro ſeviiſſet l. ſaeviiſſet
247	5	pro abrata l. abraſa
248	5	pro papilionaco l. papilionaceo
249	34	pro diſenteriam l. dyſenteriam
256	21	pro confertum l. confert
259	20	pro lingum l. linguam
263	4	pro Haec l. Hae
265	28	pro doloſum l. doloſam
269	21	pro anodinam l. anodynam
269	28	pro inhumono l. inhumano
276	39	pro antiloenicum l. antiloemicum
277	26	pro immorti l. immoti
278	3	pro transſeruntur l. transferuntur
278	21	pro oliis l. aliis
279	4	pro chyſocantharorum l. chryſocantharorum
279	35	pro animale l. animali
280	7	pro anodinam l. anodynam
281	28	pro ceteſſet l. ceti eſſet
283	3	pro tictoribus l. tinctoribus
286	19	pro Hirudinees l. Hirudines
286	20	pro lipis l. lippis
289	17	pro conſuetinem l. conſuetutinem
294	35	pro animale l. animali
294	14	pro probaſcide l. proboſcide
295	30	pro hebdomatas l. hebdomadas
296	17	pro couglutinanda l. conglutinanda
296	20	pro Sinci l. Scinci
297	11	pro broboſcide l. proboſcide
297	35	pro faccino l. vaccino
301	4	pro ſateor l. fatear
306	36	pro aliorum l. aliarum
309	33	pro Podagra l. Podagram
311	27	pro excitandas l. excitandos
312	19	pro conſtinuat l. continuant

DISPENSATORIVM PHARMACEVTICVM VNIVERSALE SIVE THESAVRVS MEDICAMENTORVM

TAM SIMPLICIVM QVAM COMPOSITORVM LOCVPLETISSIMVS

EX

OMNIBVS DISPENSATORIIS,

QVOTQVOT HABERI POTVERVNT

PERMVLTISQVE ALIIS LIBRIS DE MATERIA MEDICA AC REMEDIORVM FORMVLIS

ET

CELEBERRIMORVM DENIQVE MEDICORVM TVM VETERVM TVM RECENTIORVM OPERIBVS

CONGESTVS, DIGESTVS, ET VARIIS OBSERVATIONIBVS PRACTICIS SELECTIORIBVS INSTRVCTVS

CVRANTE

DANIELE WILHELMO TRILLERO,

PHIL. ET MED. D. CONSIL. AVL. REG. POL. ET ELECT. SAXON. MED. PROF. PRIMAR. WITTEBERG. ET ILL. ACAD. SCIENTIAR. BONON. SODALI.

TOMVS SECVNDVS

PHARMACOPOEAM VNIVERSALEM SEV COMPOSITA CONTINENS

FRANCOFVRTI AD MOENVM,

APVD FRANCISCVM VARRENTRAPP,

M DCC LXIV.

PHARMACOPOEA
UNIVERSALIS.

Acetum Bezoardicum.

Diſp. Wirt. In Brand. alia eſt compoſitio, non minus concinna & eximii uſus; item alia in diſp. Hamb. & alia in diſp. Viennenſ. & in reliquis. vid. & HARTMANNI *prax. chymiatr. p. 10. T. I. opp.*

℞. Radicum Angelicæ,
Enulæ,
Imperatoriæ,
Hirundinariæ,
Zedoariæ, *ana Drach. ſex.*
Herbarum Scordii,
Rutæ,
Salviæ, *ana unc. unam.*
Baccarum Juniperi *unciam ſemis,*
Flavedinis Corticum Citri, *Drachm. ſex.*
Minutim inciſis affundantur
Aceti Vini optimi non deſtillati *libræ tres.*

Poſt ſufficientem Digeſtionem exprimantur, & filtratum Acetum ad uſum reponatur.

In morbis contagioſis, præcipue Peſte, tam internus quam externus uſus ad odoratum & collutionem Oris commendatur. Vid. PALMAR. *de Febre peſtil. cap. 18. p. 472. & Thom.* BARTHOLINI *Hiſt. anat. rarior. 13. Cent. IV. p. 234. & ſqq. Propinatur ab uncia dimidia ad integram.*

Acetum Bezoardicum Medicorum Hafnienſium.

THOM. BARTHOLINI *Ciſta Med. Hafn. Locul. XLVII.*

℞. Radicum Petaſitidis,
Valerianæ,
Angelicæ, *ana Drach. ſex.*

Zedoariæ, *unciam ſemis.*
Corticum Citri ſicc. *unciam unam,*
Baccarum Juniperi, *uncias duas,*
Herbarum Rutæ,
Scordii, *ana Manip. duos,*
Florum Calendulæ,
Roſarum rub. *ana Manip. unum,*
Myrrhæ electæ, *Drachmas duas,*
Camphoræ, *Scrupulos duos.*

Inciſis & Contuſis affunde Aceti Vini, quantum ſufficit, ad quatuor digitorum eminentiam; digere; Colatura ſervetur uſui.

Qui eſt alexipharmacus, cardiacus, cephalicus, analepticus, nervinus & antiloëmicus. Hinc in Morbis Epidemicis, Contagioſis, malignis & putridis, tam interne, quam exterius, hoc quidem Acetum Bezoardicum magno cum fructu, adhiberi poteſt, immo debet. Parum vero diſtat compoſitione, ab illo Aceto Bezoardico SYLVIANO, *cujus Deſcriptionem mox hic infra, daturi ſumus: quæ ceterum ipſa parum differt a compoſitione Geſneriana, Epiſt. Med. extrema Lib. I. fol. 46. b. obiter tradita.*

Acetum Bezoardicum

MYNSICHTI *Theſaur.* p. 365.

Diſpenſ. Argent.

℞. Radic. Scorzoner.
Angelic.
Dictamn. alb. *ana unc. un.*
Tormentill.
Zedoar.
Enulæ Camp. *ana unc. ſemis.*
Camphoræ *Drachm. unam. ſem.*

Pulveriſat. & mixtis affund. Aceti Vini Sambuc. quant. ſuff. ſtent in digeſtione, donec perfecte tingantur.

Habet eosdem uſus, quos compoſitio aceti Bezoard. SYLVII.

Acetum Bezoardicum,

ſeu Prophylacticum,
ou de *quatre Voleurs.*

CHARAS *Pharmacop. Reg. part. II.*

℞. Summitatum recent. Abſinth. majoris,
minoris,
Roriſmarini,
Salviæ,
Mentæ,
Rutæ, *ana unc. unam ſemis.*
Florum ſiccat. Lavendulæ, *unc. duas.*
Alii, *Drachmas duas.*
Calami aromatici,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ, *ana Drach. duas.*
Aceti optimi, *Libras octo.*

Macera calore ſolis, vel igne Arenæ, in Matracio rite obturato, per duodecim dies, cola, exprime & filtra: poſtea adde:

Camphoræ Spiritu Vin. ſolutæ *unciam ſemis.*

M. *Inſignes plane prophylaxeos virtutes contra diram peſtilentiam, huic quidem Aceto merito tribuit Nob.* CHARAS, *ſi nempe, tempore matutino ac veſpertino, cochleari menſura, aſſumatur; præterea que naribus quoque frequentius in odoratum, admoveatur. Neque ipſi dubitamus, quin cuivis elegantiorum & præſtantiorum Medicorum ſeſe plurimum commendatura ſit hæc ipſa ſcita Aceti prophylactici compoſitio.*

Acetum Bezoardicum,

ſeu Aqua Prophylactica
Franciſc. de le Boë SYLVII *Prax. Med. Lib. I. cap. 28. p. 231.*

Diſpenſ. Prag. Viennenſ. Pariſ. Brand.

*Wirt. Ratisbonenſ. Hamburgenſ. Leod. Le Mort. Pharm. Med. Phyſ. p.*91.

℞. Rad. petaſit. *unc. unam.*
Angelic.
Zedoar. *ana unc. ſem.*
Fol. Rutæ Hortenſ. *unc. duas.*
Meliſſ.
Scabioſ.
Flor. Calendulæ, *ana unc. unam.*
Nuc. jugland. immatur. Conciſ. *Lib. duas.*
Pomor. citr. rec. conciſ. *Lib. unam.*

Contunde prius Radices, deinde cum reliquis, in Aceti deſtillati Lib. ſex, macera per noctem: hinc lento igne Cinerum, ad ſpecierum fere ſiccitatem, deſtillentur, prolectumque Acetum aſſervetur.

Adhibetur hoc Acetum Bezoardicum contra peſtem, & Morbos Epidemicos alios, ad ſudores evocandos, & cor ipſum a veneno defendendum, ut acet. Bez. Mynſichti: Huic tamen præſtantiſſimas inprimis virtutes tribuit ipſe Sylvius.

Acetum Chalybeatum,

Thom. Fuller, *Pharmacop. Extempor. init.*

℞. Aceti acidiſſimi *Libr. ſex.*
Limatur. Chalyb. *uncias ſex.*
F.

Infuſio frigida triduana, deinde colatura.

Hoc a Zachia, de Affect. Hypochondriac. ad Oxymel Chalybeatum, conficiendum, cujus deſcriptio apud laudatum Fullerum, infra legitur, pag. 270.

Utramque autem harum compoſitionum non ſolum in Morbis hypochondriacis, uti dictum, ſed etiam in affectibus hepatis, lienis & meſenterii; quin etiam in morbis Virginum & Mulierum ſeroſis, v.g. chloroſi, fluore albo, & ſimilibus, multum prodeſſe, nemo eſt, qui non ſtatim perſpiciat.

Acetum Diaphoreticum,

Mynsichti *Theſaurus pag.* 366.

℞. Radic. Sarſaparillæ,
Chinæ, *ana unc. unam.*
Lign. Saſſafras, *Drachm. ſex.*
Florum Sambuc. *unc. ſem.*
Caſſiæ Lign. *Drachm. duas.*

Inciſ. & Contuſ. in Aceti Vini acerrimi *ſuff. Quant.* & macerentur tam diu, donec Rubini inſtar, tingantur, poſtea filtr.

Magnas Virtutes diaphoreticas & cardiacas huic Aceto tribuit expertus Autor, & ad varios eoſque atrociſſimos Morbos commendat.

Acetum *Anti*-Hyſtericum,

*Ejuſdem, ibidem p.*367.

℞. Herb. Rutæ recent. exſiccatæ,
Gran. Chamæact. *ana unc. unam.*
Gumm. Sagapen.
Galban. *ana unc. ſem.*
Radic. peucedan.
Caſtor. veri *ana Drachm. duas.*
Callor. Equar.
Aſſæ fœtid. *ana Drachm. unam.*
M.

Infund. in Aceti Vini acerrimi ſ. q. & F. digeſt. in Baln. Mar. per 5. aut 6. dies, quouſque Acetum perfectam adquirat Tincturam; dein filtr.

In ſuffocatione hyſterica, & aliis affectibus uterinis, item & Vertigine, Lethargo, lipothymiis & aliis ejuſmodi Cordis ac Cerebri malis, ſummum quidem uſum præſtare hoc Acetum, ibi affirmat

Auctor, ſive interne, ſive etiam externe, juſto tempore, juſtaque doſi, exhibeatur. Sed calli Equarum quid hic quæſo, proſint, & quomodo eorum virtus, ſi qua inſit ipſis, extrahatur?

Acetum Lavendulæ.

Diſp. Wirt. Prag. & paſſim in aliis.

℞. Florum Lavendulæ *libram dimidiam.*
Aceti Vini boni albi *libras tres.*
Reponantur ad uſum.

Uſus eſt externus, Epithematibus & Odoramentis inſervit. Sed & interne adhiberi poteſt.

NOTA: Durabiliora quidem ſunt Aceta compoſita è deſtillato parata, at non efficaciora; imo tam quoad externum quam internum uſum, longe præferendum eſt Acetum ſimplex deſtillato: gratius enim, odoratius & ſecurius eſt. Ita bene Dni Wirtenberg. & Prag. pag. 4. ſeqq.

Acetum Angelicæ Rad.
Anthos, Flor.
Calendulæ,
Caryophyllor.
Cyani,
Fragorum,
Lilior. Convall.
Menthæ,
Papaveris,
Roſarum,
Rubi Idæi,
Rutæ,
Sambuci,
Tunicæ,
Violarum.

Eodem modo, quo Acetum Lavendulæ, parantur. Vid. Diſpenſ. Brand. ubi horum Acetorum præparandi ratio exactius traditur. Conf. Diſp. Hamb. & Viennenſ. & Pragenſ. & Pariſ. Leod. & reliqua; inprimis Prag.

Vires habent vegetabilium, quibus impregnantur, & præcipuè ad uſum externum commendantur.

Acetum *Anti* - Lyſſicum HANNEMANNI,

in JUNGKENII *Corp. Pharmac. pag.* 21. *Vid.* SCHULZII *prælect. in Diſpenſ. Brand. init.*

℞. Fol. herb. Abrotani,
Betonicæ,
Salviæ, ana *Manip. un.*
Inciſis affund. Aceti Vini opt. *Lib. un.*

Digerantur per *aliquot horas*, expreſſo add.
Theriac. Andromach. *Drachm. duas.*
Addi poteſt herbæ Cardui fullonum *Manip. unus.*
vel ſeminis ejuſdem Cardui contuſi *uncia una.*

Valde laudat Auctor iſte hoc Remedium, ad unciam unam, aliquoties iterato ſumendum, antequam hydrophobia ſeu Aquæ Metus ſeſe exerat.

Acetum Mithridaticum,

MYNSICHTI *Theſaur. pag.* 362.

℞. Mithridat. Damocrat.
Terræ Sigillat.
Rad. Tormentill.
Enulæ Camp.
Angel. ana *Drachm. ſex.*
Corn. Cerv. ſine Igne calcinat.

Pulv. Serpent.
Myrrhæ rubr.
Sem. Citri excortic.
Acetoſæ,
Baccar. Juniper. *ana Drachm. tres.*
Florum Calendul.
Tunic. *ana Drachm. duas.*
Croci Oriental.
Caryophyllor.
Camphor. *ana Drachm. un.*
Aceti Vini Roſat. *Quantum ſuff.*

Misc. exacte, & Acetum affatim coloratum & virtute medica ſatis imbutum uſui ſerva.

Easdem, immo & majores virtutes hoc habet Acetum, ac quidem ſuccedens Theriacale Mynsichti *ideo & in iisdem Morbis ſuſpectis & contagioſis, putridisque febribus eodem cum fructu, & eventu lætiore, adhiberi poteſt: Uſus vero pari modo, tam internus eſt, quam externus, adeo, ut utroque modo corpus humanum a miaſmatibus virulentis valide defendat, ne ſubita vi irruant, illudque corrumpant ac perdant. Vid. tamen, quæ circa ejuſmodi Aceta Bezoardica & Theriacalia valentiora, prudenter monuit* Schulzius, *in prælect. ad Diſp. Brand. pag.* 2. *& ex eo Diſpenſ. Pragenſe pag.* 10. *& quæ contra de Aceti ſimplicis uſu polychreſto, immo fere panchreſto, late docteque, immo & veriſſime, diſſerit magnus* Boerhaave, *Element. Chem. Tom. II. Part. I. proc.* 50. *p.*184. *ſeqq. repetente & merito approbante Cl.* Cartheusero, *Fundam. Mat. Med. Part. I. Sect. III. cap.* 6. *p.* 226. *ſqq. &* Loeseke *p.*445. *ſq. Cf. inprimis* Zorn. *Botanol. pag.* 718. *ſeqq. ubi longe plura de innumeris pæne virtutibus, ex præſtantiſſimis Medicis quamplurimis diligentiſſime collecta, quos inter eminet Hermann* van der Heyden.

Acetum Odoratum.

Diſp. Wirt. in reliq. diſp. deeſt: ſed alia ſubſtituuntur.

℞. Radicum Cyperi rotundi,
Galangæ minoris,
Zedoariæ, *ana unc. ſemis.*
Herbarum Roriſmarini,
Salviæ,
Florum Lavendulæ,
Liliorum convallium,
Roſarum rubrarum, *ana Drachm. tres.*
Ligni Rhodii,
Cinnamomi,
Caryophyllorum aromaticorum,
Corticum Citri recentium, *ana Drachm. duas.*
Aceti Vini albi *libras duas.*

Inciſis & contuſis ſuperfundatur Acetum, & poſt Digeſtionem per triduum, ad uſum reponatur.

Uſus eſt externus, pro Odoramentis & Epithematibus ad Pulſus. Reficit atque ſpirituoſis longe præferendum eſt.

Acetum Saturninum, *ſive* Lithargyrii.

Diſp. Prag. Brand. Wirt. Leod. & reliq. vid. chem.

℞. Lithargyrii triti *libram unam,*
Aceti Vini deſtillati *libras quatuor.*

Coquantur lento igne in vaſe figulino probe vitreato, ſpatula lignea perpetuo agitata, donec Acetum probe ſaturatum ſit, quod per chartam filtratum, ſervetur.

Ad inflammationes, ulcera maligna exſiccanda, & affluxum prohibendum, applicari ſolet. Caute tamen adhibendum hoc ipſum acetum Saturn. ne uſus ejus externus, clanculum phthiſin interne indu-

cat, quod vidit, & inde monuit, BOERHAAVE, *Element. Chem. Tom. II. Part. III. Proc.* 172. *pag.* 396. *& ex eo* SCHULZIUS, *prælect. ad Diſpenſ. Brand. pag.* 4. *& pag.* 182. *&* LOESEKE, *Mat. Med. pag.* 425. *Nuſquam hercle! tuta fides in omnibus Saturninis, vid. inf. ad* Sachar. Saturni, Unguent. Saturn *& ad* Tincturam Antiphthiſ. GRAMANNI, *uberius a nobis dicenda. Conf.* GEOFFROY *Mat. Med. Tom. I. Part. I. p.* 279. *ſeqq. ubi & de Balſamo Saturn. de quo infra.*

Acetum Scilliticum.

Diſp. Arg. Brand. Wirt. Prag. Ratisbon. Lugd. Lond. Norimberg. Amſtel. & reliq.

℞. Scillæ præparatæ & exſiccatæ, *uncias octo.*

Aceti Vini albi acerrimi *libras octo.*

Scillæ radices minutim inciſæ macerentur in Aceto per plures dies. Acetum per pannum colatum ad uſus reponatur.

Adhibetur in Pectoris infarctu viſcido expediendo, Tuſſi difficili, Aſthmate humido: Gravitatem Auditus a Pituita ortam gargarizatione emendat. Doſis drachma una ad unciam dimidiam. Vid. SCHULZ. *præl. pag.* 5. *&* CARTHEUSER. *pharm. p.* 84.

Acetum Vini deſtillatum.

Diſp. Brand. Wirt. & reliqua pæne omnia.

℞. Aceti Vini fortis, quantum libet.

Deſtilletur è Cucurbita magna vitrea lento igne; prodit primo phlegma, quod ſequitur, Acetum eſt. Continuetur deſtillatio, uſque dum a duodecim vel quindecim libris, vix libra una & dimidia reſtet, alioquin, ſi ad ſiccitatem Acetum abſtraheretur, empyrevma contraheret.

Utimur hoc Aceto deſtillato potiſſimum, ad ſolutiones Coralliorum, Oculorum Cancrorum, Saccharum Saturni conficienda, & Arcanum Tartari parandum. Ad internum uſum Acetum ſimplex merito præfertur. Conf. BOECLERI Examen Aceti, & GEBAUERI Diſſert. de Aceto. *Et inprimis Diſpenſ. Prag.*

Acetum Theriacale,

MYNSICHTI, *Theſaur. p.* 362.

℞. Theriac. Andromach. *unc. unam.*
Corn. Alcis Spagyric. Calcin.
Bacc. Juniper.
Sem. Card. Ben. *ana unc. ſemis.*
Fol. Verben.
Scord.
Rut. *ana Drachm. duas.*
Myrrh. rubr.
Cort. Citri, *ana Drachm. un. ſem.*
Rad. Tormentill.
Angelic.
Zedoar.
Petaſit. *ana Drachm. un.*
Camphor.
Lign. Aloës,
Macis, *ana Drachm. ſem.*
Aceti Vini Calendulat. quant. ſuff.

M. donec Acetum optime tingatur.

Acetum hoc in omnibus Morbis contagioſis, & peſte ipſa ſæviſſima, tam externe, quam interne, magno cum fructu, in uſum vocari poteſt, quoniam ab abſente adhuc peſte corpora cuſtodit ac defendit; & jam præſentem infringit, ſæpius etiam expugnat, ob vim nempe roborantem, cardiacam, nervinam, diaphoreticam, & antiſepticam potiſſimum. Ind. magnas ipſi virtutes haud ſine ratione ac cauſſa, tribuit inventor MYNSICHTUS, *quas ſcilicet ipſe ſæpius expertus eſt, & alii poſt ipſum,*

pari fortuna, experti fuerunt. Ceterum ſimile fere Acetum Theriacale Norimbergenſium, extat in pharmacopœa Londinenſi, & in ipſo Diſpenſat. Norimberg. Aliud vero Auguſtanorum, in diſpenſ. Argent. & Ratisbon. & Hamburg. & aliud in Viennenſ. de quo mox, & apud PLATERUM.

Acetum Theriacale, Viennenſium.

Diſp. Viennenſ.

℞. Radic. Angelic.
Leviſtic.
Contrajerv.
Enulæ Camp. *ana unc. duas.*
Serpentariæ Virgin.
Morſus Diabol.
Zedoariæ,
Oſtrutii, *ana unc. unam.*
Valerianæ, *unciam ſemis.*
Herb. Meliſſæ,
Rutæ hortenſ.
Scordii noſtrat.
Myrrhæ rubr. *ana unc. unam.*
Corticum Citri,
Baccarum Junip. *ana unc. unam ſemis.*
Croci Auſtriaci, *Drachm. tres.*
Theriacæ, *uncias quatuor.*

Inciſa & Contuſa digerantur per quatuordecim dies, in Aceti Vini Quantitate, ad quatuor digitorum eminentiam: Coletur forti expreſſione, & uſui Acetum ſervetur.

Egregia ſane hæc Aceti Theriacalis compoſitio, haud dubium eſt, quin & externe & interne, rite & opportune adhibita, plurimum profutura ſit in omnibus morbis contagioſis, & peſte adeo ipſa, quin & contra truculentos morſus venenatarum beſtiarum, ut Aceta Theriacalia & Bezoardica id genus alia, ſuperius propoſita.

Æs Viride Chryſtalliſatum, ſive Æris flores.

Diſp. Wirt. Brand. Prag. ubi vid. Not. & Chem.

℞. Æruginis, ſive viridis Æris in pulverem triti *libram unam.*
Aceti Vini deſtillati *libras ſex.*

Immittantur Cucurbitæ vitreæ, macerentur in loco calido, Acetum tinctum, per inclinationem Vaſis, effundatur, novumque affundatur. Hoc fiat aliquoties, & tandem in vaſe cupreo Æs viride, addita ſufficienti Aceti quantitate, coquatur, ut ſolvatur. Tincturas omnes per filtrum trajectas, leni calore evaporari permitte ad cuticulam, & ad cryſtalliſandum, in locum frigidum repone. Cryſtallos inter chartam leniſſimo calore exſiccatos ſerva. Vid. BOERHAAVE Elem. Chem. Tom II. pag. 415. & pag. 192.

Rarus in Medicina uſus, niſi ad Unguenta mundificantia & ſpiritum Veneris deſtillandum. Vid. infra Unguentum Ægyptiacum. A pictoribus & mechanicis frequentius expetuntur. Uſum ejus internum ab HELVETIO *juniore aliisque, contra Luem præſertim Vener. impenſe commendatum, merito penitus rejicit.* STAHL *Mat. Med. P. I. p.163. ſqq. Conf.* SCHULZ. *p.6. & Diſp. Prag.*

Æs Uſtum.

Diſp. Vienn. Wirt. Ratisbon. Arg. Brand. & rel.

Æris laminæ ſtratificantur Sale culinari, atque in crucibulo probe lutato cæmentantur per duodecim horas, vel uſque dum friabiles exiſtant, quæ in pulverem tritæ ad uſum reponuntur.

Uſus eſt externus, in exſiccandis

præſertim in ulceribus. Vid. SCHULZ. *pag.* 6. *& Chirurg.*

Æthiops Antimonialis.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis vero deeſt: Sed vid. Chem. recentiores, & KLEIN. *Select. rat. Med. pag.* 4.

℞. Antimonii crudi puriſſimi optime triti *uncias duas.*

Mercurii vivi è Cinnabari reſuſcitati *unciam unam.*

Terantur multum & diu, in mortario vitreo, uſque dum omnes globuli mercuriales evaneſcant, quod longa & patienti tritura perficitur. Serventur in vitro, vel pyxide lignea.

Vires, ſunt eædem, ac ſequentis Aethiopis mineralis; Doſis a ſcrupulo dimidio, ad drachmam ſemis. Vid. SCHULZII *prælect. ad Diſpen. Brand. Sed nec huic Æthiopi nimis fidendum. Vid. mox dicenda.*

Æthiops Mineralis.

Diſp. Vienn. Ratisbon. Wirt. Brand. Pariſ. & reliq.

℞. Mercurii vivi è Cinnabari reſuſcitati *uncias tres.*

Florum ſulphuris *uncias duas.*

Miſceantur, & terantur in Mortario vitreo vel marmoreo diu & diligenter, donec Mercurius planè diſpareat, & cum floribus Sulphuris in pulverem nigrum redactus ſit.

Eximiæ huic pulveri ſulphurato mercuriali adſcribuntur vires, in tumoribus glandularum colli, exulcerationibus antiquis, fiſtuloſis, Scabie ſicca, Febre quartana, & ubi vermium ſuſpicio eſt. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med. Tom. I. p.* 258. *Datur infanti tenero ad grana tria vel quinque, adultiori ad ſcrupulum dimidium, homini adulto ad drachmam dimidiam, & per complures dies abſque metu Salivationis, uſus ejus continuari poteſt. Ita quidem Celeb. Wirtenbergenſes. Sed multum, immo nimium profecto virtutis tribuerunt huic æthiopi Medici nonnulli, præſertim Angli, veluti* HARRIS, MAYERNE, CHEYNE, FREIND *& alii, quos ſequutus eſt apud nos,* SCHROMMIUS, *ſingulari Diſſ. de* Aethiope minerali, *&, quod equidem valde miror,* SCHULZIUS *quoque, in prælect. ad Diſpenſat. Brand. p.* 7. *Conf. ipſum illud Diſpenſ. p.* 4. *ne de ipſo noſtro* HOFFMANNO, GORTERO, LEMERY, NEUMANNO, GEOFFROY, *item* BÜCHNERO, CHARASIO, LOESEKE, BARBEIRAC, *& aliis jam dicam. Sed æthiopem ſane lavabit, quiſquis tot tantasque virtutes, fruſtra commendatas, ab hoc quidem æthiope minerali, nigro illo, inerti & perfido, expectaverit. Ad ſolos quidem vermes necandos & pellendos, non nego, poteſt quidquam opis conferre. Vid. inprimis Thom.* BARTHOLINI *Ciſt. Med. Hafnienſ. Loculament. LII. Conf. ſuperius, Part. I. ad* Argentum vivum, *dicta, & infra, ad* Aquam contra Vermes, *&* Electuarium purificans, *ſuis locis, dicenda. Sed quum longe tutiora Remedia anthelmintica, præſertim ex variis plantis petenda, in hunc ſcopum præſto ſint, ut cuivis notum: & ne ipſe quidem Aethiops mineralis, in expellendis Vermibus, expectationi ſemper reſpondeat, prout luculento illud exemplo oſtendit* RIEDLINUS, *Aethiopi huic alias amicus, Lin. Med. Ann.* 1698. *Menſ. Jan. Obſ.* 2. *p.* 6. *Præter rem ſane ac rationem, tunc in uſum, valde adhuc dubium ac ſuſpectum, advocatur, præſertim vero in tenellis infantibus, lacte nondum depulſis, qui nempe propter acidum, quo plerumque*

rumque abundant, nulla Mercurialia, & ne ipſum quidem Mercurium dulcem, licet exactiſſime præparatum, & ſexies adeo ſublimatum, ut Calomelas *inde exſurgat,* & Aquila alba *quaſi evolet, ſecure & impune ferre poſſunt, id quod & ſolidis rationibus, & funeſtis aliquot exemplis, luculenter oſtendit* HOFFMANNUS *noſter, in Appendice Med. Conſult. Lat. Cent. I. p. 457. ſqq. & German. Tom. I. Dec. V. Caſ. VIII. pag. 262. ſqq. item in Med. rat. Syſtem. Tom. II. Part. II cap. 6. pag. 269. ſeqq. & Tom. III. Sect. II. cap. 5. pag. 493. nec non in Diſſ. de purgantibus fortioribus, ex praxi med. ejiciendis, & alibi. Licet hic contra ſtet* HARRIS, *de Morbis Infantum, pag. 58. &* BOISE, *ibidem, pag. 59. Quam ob rem graviſſimum ſummi* BOERHAVII *Monitum potius diligenter audiendum & memori ſemper mente ſtudioſe reponendum, in Element. Chem. Tom. II. Part. III. Proc. 101. pag. 431. ſic prudentiſſime ab ipſo pronunciatum:* Aethiops mineralis, ſi fortunato operatur, vermibus forte necatis, ano exit. Decipiuntur, qui alios inde effectus ſperant, quos inde natos, nunquam videre potui. Incautos vereor, qui tanta copia, infantibus, puellis, & tenerioribus, exhibént alienam, naturæ indomitam, Maſſam foſſilem; tanto ſuſpectiorem ſane, quo pigriori inertia, diutius reſtat. *Quod maximi Viri judicium veriſſimum quidem eſſe, noviſſime pluribus demonſtravit Cl.* HUNDERTMARK, *in doct. Diſſert.* de Mercurii vivi & varie mixti virtute diverſa, *pag. 60. ſqq. ut alios taceam ibi ab ipſo laudatos. Conf. huc etiam inprimis Cl.* CARTHEUSERI *Mat. Med. Fundament. Part. II. Sect. XIV. cap. 4. p. 596. Item* HEUCHERI *opp. Tom. I. pag. 87. & noviſſime Cl.* GMELINI *Diſſ. de Botanica & Chemia ad medicam praxin applicata; quibus add. ſi placet, quæ diximus ea de re, in Diſſ. de Corticis peruv. uſu ſalutari &c. p. 8. & inferius a nobis monita, ad* Aviculas Aethiopicas, *& ad* Pilulas Aethiopicas, *ceu ad mali Corvi, ſeu Aethiopis, mala ova. Quum igitur biceps hoc, immo anceps, Remedium in adultis quidem ſit deſidioſum; in tenellis autem infantibus, inſidioſum, licet contrarium ſtatuerit Cl.* SCHULZIUS, *Anglos potiſſimum ſequutus: præſtat profecto, ab uſu ejus, nocituro magis, quam profuturo, in poſterum penitus abſtinere, huncque tetrum & viſu ipſo horridum Aethiopem, ad ultimos quaſi Aethiopes, ſi ita dicere liceat, in æternum exilium relegare. Sed hæc quidem nobis hic, data occaſione, neceſſario monenda ideo videbantur, ne ſcilicet magnorum aliquot virorum auctoritas incautos & juniores præſertim Medicos, in errorem induceret, ipſorum famæ, & aliorum ſaluti, quin & vitæ adeo ipſi, aliquando nociturum. Conf. inferius dicenda, ad* Mercurium dulcem, *ut & ad* Pulveres FULLERI contra Vermes: *item ad* Saccharum Vermifugum Pariſienſium.

Agaricus Trochiſcatus.

Diſp. Viennenſ. Wirt. Hamb. Argent. Lond. & reliq.

Agaricus albiſſimus radula comminuitur, atque per cribrum transmittitur, poſtea in mortario lapideo, piſtillo ligneo, cum Vino, in quo Zingiber infuſum fuit, in maſſam cogitur, quæ maſſa in Trochiſcos majores formatur, qui, ut eo magis albeſcant, hieme ſunt parandi, & in frigore exſiccandi.

Per trochiſcationem, quam vocant, correctior habetur, atque in Vinis medica-

tis infuſus, pectoris vitiis, humores craſſos & viſcidos educendo, mederi creditur.

Alcis Cornu Philoſophice præparatum.

Diſpenſ. Brandenb. Wirt. Hamburg. & reliq. vid. Chem.

Cornu Alcis in fruſta diſſectum, in magna copia aquæ fontanæ coquitur, ut molleſcat, & medulloſa exteriorque corticoſa pars cultro auferri queat. Cornu exſiccatum in pulverem tenerrimum teritur & aſſervatur.

Præ aliis oſſibus calcinatis parum prærogativæ habet. Præſtet Cornu Alcis in ſcobem redactum & in ſubtiliſſimum pulverem tritum, adhibere: additur pulveribus antepilepticis & antiſpaſmodicis. Sed exiguo plerumque cum fructu. Doſis a ſcrupulo uno ad duos. Vid. SCHULZ. *Prælect. pag.* 8.

Aloë Depurata, *ſive* Lota.

Diſp. Hamb. Wirt. Brand. & reliq.

℞. Aloës ſoccotrinæ *libram unam*, ſolvatur in
Aquæ fontanæ calidæ *libris quinque*,
Succi Citri depurati *libra una*.

Solutio reponatur in Vaſe vitreo per unum aut alterum diem, ut reſinoſa ſubſtantia cum fæcibus ſubſideat, quo facto clarum a ſpiſſo ſeparetur per decantationem & colationem, lentoque igne ad extracti conſiſtentiam evaporetur.

Longe ſecurius, promtius & minori quantitate ſumpta, Alvum laxat, quam ſola Aloë ſoccotrina. Per hanc depurationem ſeparatur illa reſinoſa ſubſtantia, hæmorrhoidalium motuum ſæpius cauſa, qui frequentiorem aloëticorum uſum ſequuntur. Tale Aloës extractum baſis eſt Pilularum Celeberrimi Stahlii, & pro baſi Pilularum laxantium adhiberi poteſt. Grana octo ſufficiunt pro alvo ſtimulanda, pro laxanda verum dari poſſunt grana quindecim. Hæc Cl. Wirtenbergenſ. & SCHULZ. *p.*9.

Aloë inſuccata.

Diſp. Hamb. Wirt. Brand.

℞. Aloës ſoccotrinæ pulveriſatæ *libram unam*, ſolvatur ſuccis ſequentibus, ſcilicet:
Succi Roſarum *libris duabus*,
Violarum,
Borraginis,
Bugloſſæ *ana unciis quindecim.*

Solutio, per pannum calide transcolata, evaporetur ad extracti conſiſtentiam.

Aloës inſuccatæ præparatio nititur priſca illa perſuaſione, Aloëm Hepar lædere: quare factum eſt, ut ſucci herbarum, quas Cor & Hepar juvare putabant, additi fuerint; quibus etiam particulæ reſinoſæ magis disjunguntur, ut facilius per inteſtina tranſeant, nec illis adhæreſcentes tormina & hæmorrhoides excitent. Doſis eſt eadem, quæ præcedentis. Hæc Cl. Wirtenberg. & SCHULZ. *Prælect. p.*9.

Aloë Roſata & Violata.

Diſp. Hamb. Wirt. Leid. Lond. & reliq.

Fiunt, ſi loco ſuccorum modo dictorum, tantundem ſucci vel infuſionis ſaturatæ Roſarum vel Violarum adhibeatur.

Doſis & Virtus eſt eadem cum præcedenti.

Alumen Saccharinum.

Diſp. Wirt. Vienn. Prag. ſed in his ſimpli-

cior eſt præparatio, vid. & pharm Batean. pag. 2. &c.

℞. Aluminis crudi vulgaris *uncias ſex*,
Ceruſſæ Venetæ albæ *drachmas ſex*,
Vitrioli albi *drachmas tres*,
Sacchari albi Canarienſis *unciam unam ſemis*.

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui albumine ovorum & Aceti deſtillati æquali portione, in mellis liquidi conſiſtentiam, diluatur, probeque agitatus, formis chartaceis, parvis, conicis infundatur & ſiccetur.

Uſus præcipuus eſt in Collyriis & Coſmeticis, detergit & carnem luxuriantem aufert. Vid. Chirurgos, & GEOFFROY *Mat. Med. Tom. I. pag.* 138. *ſqq. &* HERMANN. *Cynoſur. Mat. Med. Part. II. pag.* 78. *alioſque.*

Alumen Uſtum.

Diſp. Prag. Wirt. Argent. Vienn. & rel. Vid. Chem.

℞. Aluminis vulgaris albi quantum volueris, coquatur & calcinetur in olla fictili, nova, donec totum Alumen ſpiritibus expulſis, leve, poroſum, & quaſi ſpumoſum evaſerit.

Ad dentifricia & carnem luxuriantem abſumendam, adhiberi ſolet.

Anodynum Minerale.

Vid. infra ſuo loco,

Nitrum Antimoniatum.

Anticachecticum,

ſeu Cachecticum LUDOVICI.

Vid. infra

Antimonium Diaphoreticum Martiale.

Antihecticum Poterii.

Diſp. Brand. Wirt. Leid. Prag. Reg. Char. Tom. II. pag. 786. *Paris & reliq.*

℞. Reguli Antimonii ſimplicis *uncias ſex.*
Jovis, ſive Stanni Anglici *uncias duas.*

Fundantur in crucibulo, fuſa effundantur, terantur in pollinem, & cum Nitri puri, probe ſiccati, triplo, vel unciis viginti quatuor mixta, in crucibulo detonentur. Refrigeſcant, maſſa alba cœruleſcens iterum teratur, & ſufficienti copia aquæ fontanæ calidæ edulcoretur, tandem aqua copioſa diluatur, ut ponderoſior pars fundum petat, levior autem cum aqua, per inclinationem vaſis, ab illa ſeparari queat. Pulvis ſubtilior ita paratus eluatur, leni calore ſiccetur, & uſui ſervetur. Conf. infra *Bezoardicum Joviale*, & GEOFFROY, Mat. Med. Tom. I. pag. 285. item CARTHEUSER. Element. Chym. pag. 179. & Chem. fere omnes.

Vires hujus pulveris adſtringentes ſunt. Immo plures aliæ, ſi credere quidem fas eſt; Collectan. Chym. Leyd. p. 37. *aliiſque Auctoribus chymicis; ſed contrarium, cum ægrotorum ingenti diſcrimine, quotidiana docet experientia; negante licet Cl.* CAROLO ALSTON, *Anglici ſtanni in pulverem redacti, maximo laudatore & admiratore, Conf.* LOESEKE, *Mat. Med. pag.* 388. *&* GMELIN. *in diſſ. de Botanic. & Chemia ad med. praxin applicata. Ad ſanguinis & ſeminis fluxus cohibendos inſervire, & hecticorum etiam colliquativos ſudores minuere poteſt. Inde & paratur Electuarium ſic dictum* POTERII, *quod ex Antihect. Poter. Uncia ſem. Pulv. Haly, uncia una ſemis, & Syrupo Jujub. compoſitum eſt, cujus deſcriptio extat apud* FULLER. *Pharm. ex-*

temp. pag. 81. *ut & laudatio, ſed nimia, ſed indigna prorſus & immerita. Caveant ergo ſibi omnes Hectici, quantum poſſunt, ab hoc Electuario, ſive rectius deleterio: nec credant in hac parte,* FULLERO. *Datur vulgo à ſcrupulo ſemis, ad drachmam dimidiam. Immo, ne ad unum quidem granum, detur, quin potius, ubi optime præparatum & diligentiſſime elutum fuit; tum quidem ex prudentiſſimo* STAHLII *Conſilio, Mat. Med. Part. I. c 7. pag. 92. aperta feneſtra, in publicam viam effundatur, ut ibi reliquis ſordibus confluentibus digne permiſceatur.* Non enim, *eodem ſapienter monente, ibidem, c. 6. p.* 83. vivit homo, nec vivet, qui expertus ſit, quod hoc Remedium ulli Hectico ſaltem viſum ſit aliquod levamen attuliſſe, aut adferre; nedum quod Antihecticum fuerit, & ullum ab hectica liberaverit. Conjicere potius in hecticam poteſt levis abuſus, gravando omnino ventriculum & primas vias, *&c. plura cum his, vid. apud* GOETZIUM, *Claſſe I. Obſervat. Med. Pract. Stahlian. pag.* 162. *& ex his, apud* SCHULZIUM, *in Prælect. ad Diſpenſat. Brand. pag.* 12. *Conf. ipſum Diſpenſ. Brand. in Not. & Prag. in Obſervat. item Thiery, in Medicin. extemporal. & Heins pharm. rat. pag.* 194. *Vanum ergo & verè inane, quod ſcribit ridiculus ille Cardimelechis & Gaſteranactis fabricator, Dolæus, Encyclopæd. Med. Lib. II. cap.* 5. Solo Antihectico POTERII, ſpecifico Remedio, Celeb. ille ETTMÜLLERUS per longum tempus, ſe ſuſtentavit: *immo vero, per longius forte tempus, inquam ego, ſeſe ſuſtentaſſet, ſi ab illo quidem Remedio damnoſo & infido prorſus abſtinuiſſet: Febri enim lenta & hectica ipſe præmature conſumtus fuit, quum nondum quadrageſimum annum vivendo, attigiſſet, heu curtum nimis & circumciſum Medico vitæ tempus! quem in Artis ſuæ, vitam daturæ, gloriam, potius decebat eſſe Macrobium, quam Microbium: Sed hæc obiter. Contrarium quidem exemplum perfecte a ſe ſanatæ phthiſeos per iſtud ſuum Antihecticum, refert ipſe illius (utinam melioris!) repertor,* POTERIUS, *Obſervat. Centur. III. cap.* 20. *pag.* 216. *& alibi in ſeqq. Sed teſtis eſt, quod vulgo dicitur, in propria cauſſa, ideo dubia hic manet veritas, inprimis, quum perquam facile committi potuerit fallacia non cauſſæ, ut cauſſæ, & præjudicium plus forte effecerit, quam judicium. Conf. Commerc. Litterar. Med. Norimb. Ann.* 1734. *pag.* 67. *Nihil ergo hic quidem proderunt floridi colores ac ſpecioſa pigmenta, quæ poſt hunc ipſum* POTERIUM, *ejuſque celeberrimum Explanatorem, Med. Rat. Syſtem. Tom. IV. p.* 574. *& alibi* (*qui tamen poſtea, in ſuis opp. rectiora per longam experientiam edoctus, in contrariam potius diſceſſit ſententiam,*) *malæ huic ac ſuſpectæ Medicinæ optimi quantumvis Defenſores ac patroni certatim quaſi induxerunt, veluti* ROLFINCIUS, MICHAELIS, FABER, VERZASCHA, LANGIUS, DOLAEUS, KOENIGIUS, TIMAEUS, FULLERUS, WEDELIUS, RIVINUS, *in diſſ. de phthiſi, & alibi, aliique, præſertim autem plerique Chemicorum, qui diviſum quaſi imperium cum Jove, Saturno, Mercurio, reliquisque planetis, eorumque metallis, habere cupiunt. Quare tutiorem certioremque ingreſſi hic ſunt viam, qui damnarunt prorſus hoc Antihecticum, una cum Bezoardico Joviali, tanquam ob inſitam vehementiorem refrigerandi, conſtringendi & obſtruendi vim, ſanitati nocivum, nervis maxime inimicum, & vitæ adeo ipſi infeſtum, quod hecticam nem-*

pe febrem ſic potius inferret, quam auferret: quos inter præcipue eminent ipſe laudatus ſæpius Ludovici, in pharmacia, Diſſert. I. pag. 285. *item* SCHULZIUS, *Prælect. ad Diſpenſat. Brand. pag.*12. *& p.* 180. *nec non Cl.* CARTHEUSERUS, *in pharmacologia, p.* 517. *& Cl.* BÜCHNERUS, *in Fundament. Mat. Med. p.* 155. JUNCKERUS, BINNINGERUS, TURNERUS, *aliique nonnulli. Ipſe quoque ſummus* BOERHAVIUS *in Elem. Chem. Tom. II. Part. III. Proceſſ.* 187. *p.* 414. *generatim de Medicamentis ex ſtanno, ſeu Jove, paratis, ita vere & ſevere pronunciat:* Minus amo hoc metallicum: tutiora præſto ſunt eidem propoſito. *Tutiora ergo iſta atque humaniora ſemper adhibeamus, huncque Jovem, immitem ſane & inclementem, Cælo ſuo, ſive Orco, remittamus. Procul a Jove, procul à fulmine! neque enim facile ſeſe erigunt, aut ex phthiſi reſurgunt, quos* malus hic urget Jupiter, *in Antihectico illo, intus aſſumtus. Namque de illo illud notum poëtæ locum minime habet:*

Jupiter, ingentes qui das, adimisque, dolores.

Dat enim potius dolores, quam adimit. Conf. ſi placet Diſſ. noſtr. de Corticis peruv. uſu, &c. pag. 11. *Sed de his ſatis.*

Antimonii Butyrum & Cinnabaris.

Diſp. Brand. Wirt. Leid. Prag. Argent. & reliq. vid. Chemicos, inprimis BOERHAVE ***ſqq. Elem. Chem. Tom. II. p.* 454. *ſqq.***

℞. Mercurii ſublimati corroſivi *libras tres.*
Antimonii crudi *libram unam.*

Trita in mortario marmoreo vel vitreo optime miſceantur, & aquæ fontanæ uncia una irrorentur. Immittantur retortæ capaci, & inſtituatur deſtillatio igne arenæ, per gradus aucto: educto liquore craſſo, butyri inſtar, ignis augeatur, atque etiam ſuppreſſionis per tres vel quatuor horas adhibeatur, ut Cinnabaris in collum retortæ ſublimetur. Refrigeratis omnibus Cinnabaris ſublimata, conteratur ſubtiliter, abluatur aqua fontana, & denuo e cucurbita ſublimetur; Butyrum vero ſeorſim ſervetur.

Butyrum Antimonii a Chirurgis, loco cauterii, adhibetur; eſt enim concentratiſſimus Salis ſpiritus, qui etiam ad varios chymicos & pharmaceuticos labores eſt utilis. Vid. RIEDLINI *Lin. Med. Ann.* 1699, *Menſ. Jun. Obſerv.* 6. *pag.* 566. *ſqq.*

Cinnabari huic ſpecifica quædam virtus antepileptica & antiſpasmodica adſcribitur; verum, an multum a vulgari factitia, rite elaborata, differat, dubitant plures? Dari poteſt a granis quinque ad ſcrupulum unum. Vid. HOFFMANNI *Diſſert. notiſſ. de Cinnabari Antimonii: in qua plures ipſi quidem virtutes adſcribuntur; ſed in dubium hodie vocatæ a plerisque Medicor. Vid. infra dicta ad Cinnabarim Nativam.*

Antimonii Clyſſus.

Diſp. Hamb. Wirt. Argent. & reliq. vid Chem.

℞. Antimonii crudi,
Nitri,
Sulphuris *ana libram ſemis.*

Pulveriſata miſce, & in retortam tubulatam candentem, recipiente magno, cui aquæ ſimplicis *libra una* infuſa, adaptato, nec exacte nimis lutato, ſucceſſive ad *drachmas duas* una ingere, ac mox fruſtulo luti madidi, linteo-

lo involuto, tubulum bene claude; ubi nebulæ in recipiente ceſſaverint, perge ingerendo, donec omnis materia ingeſta detonuerit; tum liquorem omnem, in recipiente collectum, recipientem hinc inde agitando, effunde, filtra, atque aquam ad dimidias abſtrahe, & clyſſum ſive liquorem acidum reſiduum in vaſe clauſo ſerva. Vid. CARTHEUSER. Elem. Chym. pag. 39. & alios Chymicos plures.

Sitim & calorem nimium extinguit, & in febribus etiam malignis, loco ſpiritus Vitrioli, potui ordinario & julapiis addi, & ad Tincturas florum Roſarum & aliorum exaltandas adhiberi ſolet. Conf. SCHULZ. *prælect. pag.* 63. STAHL. *Mat. Med. pag.* 1. *pag.* 202. & CARTHEUSER *pharm. p.* 71. *Doſis vix determinari poteſt, ſufficiunt plerumque guttæ quindecim. Vid.* SLEVOGTII *Diſſ. de Clyſſis mineralibus.*

Antimonium Diaphoreticum Martiale, *ſeu* Anticachecticum LUDOVICI,

Pharm. Diſſ. I. pag. 342. ſq.

Diſp. Vienn. Wirt. Amſt. & reliq. vid. Chem.

℞. Limaturæ Martis.
Antimonii crudi, *bene triti ana uncias octo.*

Miſceantur & immittantur crucibulo candenti, agitentur baculo ferreo, uſque dum in ſcorias mixtura abiiſſe videatur, quæ accurate contrita, & cum triplo Nitri crudi puriſſimi & ſicciſſimi mixta, in crucibulo candenti detonetur, atque, poſt lenem calcinationem, in aquæ tepidæ ſufficienti copia ſolvatur: ſic ſubſidebit pulvis e luteo fuſcus, qui, addita copioſa aqua, diluatur, ut levior ac ſubtilior a graviori ſeparetur, quem edulcoratum atque leni calore ſiccatum ſerva. Wirt.

Propter Martis particulas leniter adſtringit, tonum Ventriculi & inteſtinorum roborat, cachecticis & ictericis prodeſt. Item & febricitantibus, inprimis, ſi ſub finem febrium intermittentium, cum aliis remediis convenientibus permixtum, opportune adhibeatur. Vid. infra pulvis antifebrilis noſter: item pulv. cachect. QUERCETANI. *Doſis grana quindecim ad ſcrupulum.*

Antimonium Diaphoreticum Simplex.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. Argent. & reliq. Vid. Chem.

℞. Mineræ Antimonii puriſſimæ *libram unam,*
Nitri crudi cryſtallini ſicciſſimi *libras tres.*

Exacte miſceantur, atque in crucibulo magno, per vices ingeſta, detonentur. Agitentur ſpatula ferrea inter detonationem, ut materia æqualiter deflagret & calcinetur. His peractis, maſſa albicans ſufficiente quantitate aquæ diſſolvatur, pulvis albus fundum petens, copioſa affuſa aqua diluatur, ut commovendo ſubtilior pars cum ea decantari poſſit, quæ edulcorata atque ſiccata uſui ſervetur.

Adſcribuntur vires abſorbentes, alexipharmacæ, diapnoicæ, ſanguinem purificantes. Vid. Vit. RIEDLINI *Lin. Med. An.* 1695. *Menſ. Jun. Obſerv.* 14. *pag.* 171. *Datur in Febribus cujuscunque generis. Doſis a granis quindecim ad drachmam dimidiam. De Antimonio diaphoretico, ejusque recta præparatione & juſto uſu, egregia extat Diſſertatio Cl.* SCHULZII, *nec non alia* SCHEI-

DERI. Item utriusque WEDELII, patris & filii, de eodem argumento. Vulgo quidem, unanimi fere Medicorum conſenſu, pro medicamento non ſolum innoxio, ſed & inſuper admodum ſalutari, habetur Antimonium diaphoreticum, adeo, ut hinc promiſcue, omnis ætatis atque ſexus ægrotis ſecure præſcribatur, & quotidie fere in uſum advocetur, ſine diſtinctione. Mihi tamen, ut, expertus, ingenue fatear, hic non omnia tuta videntur. Licet enim primam quidem frontem, Calx quaſi alba, inſipida, inodora atque innocua iſtud eſſe videatur; occultat tamen ſub iſto veluti pallio candido & ſimplici, quædam quaſi inimica ſpicula & ſubdola tela acuta, quod vel ex eo liquido patet, quod medicamentis emeticis, & catharticis, v. g. Tartaro emetico, Diacrydio ſulph. & pulveri præſertim CORNACHINI, adjectum, vires eorum mirum quantum acuat & exaugeat, ipſo fatente BOERHAVIO Elem. Chem. Tom. II. Part. III. Proceſſ. 218. pag. 452. & affirmante SCHULZIO, in ſupra laudata Diſſ. pag. 23. ſeqq. ut & in prælect. ad Diſpenſat Brand. pag. 14. Item RIEDLINO, in Lin. Med. Ann. 1695. Menſ. Jul. Obſ. I. pag. 191. ſeq. & Cent. Obſ. Med. de Ann. 1682. Obſ. 91. p. 212. ſeqq. Conf. & ejuſdem Cur. Med. 665. Cent. VII. pag. 414. aliisque, experientia duce, teſtantibus. Sed & præter hoc, illud quoque ſingulare & ſumma attentione digniſſimum, in Antimonio diaphoretico, ipſe obſervavi, quod, licet illud maxima cura ac diligentia, ex Artis regulis, præparatum eſſet, tamen, ſi per longius temporis ſpatium, ad uſus aſſervatum fuiſſet, ad priſtinum ſuum malignum quaſi ingenium; ſua ſponte redux, ſævas nocendi vires præter omnem ſpem & opinionem, tum manifeſtius exſeruerit. Aliquoties enim attonitus, ipſe vidi, ab ipſius granis tantum duodecim, aut quindecim, cum aliis terreis pulveribus innocuis permiſtis, atrociſſima ſymptomata illico ſuborta fuiſſe, veluti præcordiorum anxietates, crebras ac difficiles vomitiones, frequentes alvi dejectiones, cum acerbiſſimis torminibus conjunctas, lipothymias, ſudores gelidos, arentes fauces, cum ſiti intolerabili, & ſummam denique virium defectionem. Communi ergo præjudicio, de innocentiſſima ſcilicet Antimonii diaphoretici indole ac natura, inductus, nolui tum, tam atroces & inſperatos effectus ipſi illi Remedio vulgo laudatiſſimo, adſcribere, quin potius illos alii prorſus cauſſæ in corpore ipſo latenti, mihique adhuc ignotæ, tribuere malui: tandem vero opportune recordatus DOLAEI, in Encycloped. med. Lib. IV. cap. 6. pag. 120. ita ſcribentis: Antimonium diaphoreticum cum tempore, ſuos adquirit aculeos, item RIEDLINI, ſupra jam laudati, Obſ. Med. 91. pag. 213. de Ann. 1682. potiſſimum vero WELSCHII, Obſ. Med. Epiſagm. 98. pag. 65. ut & ZWELFERI pag. 96. qui maxime hic videri debet, conf. AMMANNI Med. Crit. Caſ. XXII. pag. 137. ſqq. & pag. 141. in pharmacopœia Regia, & BARTHOLINI præſertim, in Actis med. Hafn. Vol. V. Obſ. 9. pag. 25. horrendam de Antimonii diaphoretici diris effectibus, hiſtoriam referentis, liquido tum perſpexi, ipſum illud Antimonium diaphoreticum dudum ante præparatum, ex longiore temporis mora vitium contraxiſſe, atque inde nocentius factum, ſævas illas turbas unice concitaſſe. Licet hoc negaverit STAHLIUS, Mat. Med. Part. I. Sect. 8. p. 118. ſeqq. Sed ab ipſa crebra experientia hinc facile refellendus; immo a ſua propria, allegata, p. 119. memorabili pariter exemplo. Conf. Diſp. Prag. & Brand. Qua-

re moniti hic a me ſint pharmacopœi, ne nimia quantitate præparent Antimonium diaphoret. ſed parca potius: moniti quoque ſint ipſi Medici, ut recens ſemper præſcribant, aut ipſi potius faciant, quam quidem vetuſtate corruptum, atque hinc merito ſuſpectum & infidum: Conf. huc omnino SCHULZII *Diſſertat. de inexpectato Medicamentorum effectu, pag.* 13. *& p.* 23. *item prælect. ad Diſpenſ. Brand. p.* 15. *ut &* RIVINI *Diſſ. de dubiq Medicamentorum effectu, pag.* 61. *Conf. inf. ad* Pulv. Cornachini. *Sed unicum adhuc hic Lectorum pace, ſubnectum, ab hoc quippe loco haud alienum. Diu nimirum hucuſque agitata eſt Quæſtio: Utrum Antimonium diaphoreticum, a reſiduis Nitri particulis non repurgatum, nec elutum, aut mitificatum, præſtantius ſit, altero illo vulgari, probe abluto atque edulcato? Summus hic* BOERHAVIUS, *in Elem. Chem. loc. ſupra citato, prius poſteriori præfert, & in Materia Medica, ſemper fere præſcribit, quem & ſequitur Cl.* GMELIUS, *in Diſſ. de Botan. & Chem. &c. Sed clariſſimi Viri,* SCHULZIUS, *in Diſſ. de Antimon. diaph. p.* 22. *ſeqq. &* CARTHEUSERUS, *in pharmacologia, pag.* 513. *contrarium potius tuentur, & rationibus ſat validis, opiner, pugnant pro altero Antimonio edulcato. Ego quidem hic judex ſedere nec volo, nec valeo: Sed illud tantum, ipſorum pace, quærere liceat: Quisnam ſcil. ex duobus hoſtibus, melior ſit? illene, qui aperta tela gerat, an, qui operta? neuter, inquam ego, melior hic eſt, quia neuter eſt bonus; ſed uterque potius hoſtis; hac tantum differentia, quod unus clandeſtinus ſit hoſtis; alter vero manifeſtus: Quare, me quidem judice, neutri fidendum. Sed vid.* LUDOVICI *pharmacia, Diſſ. I. pag.* 260.

Antimonii Hepar,
vid. infra
Crocus Metallorum.

Antimonii Regulus,
vid. infra
Regulus Antimonii.

Antimonium Vitriolatum,
vid. infra
Mercurius Vitæ Cœleſtis KLAUNIGII.

Antimonii Vitrum,
vid. infra
Vitrum Antimonii.

Apozema aperiens & Antiſcorbuticum,
THOM. SYDENHAM.

Tab. Smaragd. pag. 5.

℞. Rad. Gramin.
Cichor.
Fœnic.
Aſparag, *ana unc. unam.*
Uvar. Corinth.
Paſſul. enucleat. *ana unc. duas.*
Fol. Hepat nobil.
Ling. Cervin.
Capill. Vener. *ana Manip. un.*
Beccabung. *Manip. duos.*

M.

Coq. in ſuff. Quant. Aquæ Fontanæ, ad Libram unam: ſub finem add. Vini Rhen. optimi Lib. ſemis: Colatura adhuc calente, infund. ad duas horas, vaſe clauſo,

Cochleariæ hortenſ. *Manip. un.*
Colatur deinde addas,

Syrup.

Syrup. e Quinque Radic. aperient.
Succo Aurant *ana unc. duas.*
Aquæ Cinnamom. hordeat, *unciam unam.*
M. F. leg. Artis, Apozema.

Ad ſanguinem impurum purificandum, acrem ſcorbutum mitigandum & obtundendum, vaſa obſtructa in meſenterio, liene, hepate, renibus, Veſica, & alibi, ſenſim reſeranda, & materiam nocituram exinde commode educendam, hoc egregium Viri magni Apozema plurimum emolumenti & præſidii præſtare poteſt, rite & opportune propinatum. Quare in fœda ſcabie, in diro malo nephritico, hypochondriaco, & aliis, quin & in ipſo hydrope ac cachexia, magno cum fructu, exhibebitur. Siquidem noſmet ipſi laudabiles hujus Apozematis effectus, in pleriſque affectibus, modo commemoratis, aliquoties gaudentes vidimus. Ceterum aliud non minus egregium & efficax ejuſmodi Apozema Antiſcorbuticum, ab ipſa Facultate medica Hafnienſi, quondam præſcriptum, deſcriptum extat, in Thomæ Bartholini *Ciſta medica Hafnienſi, Locul. XLVIII. p.* 513. *Vid. & aliud eximium, apud* Platerum, *in obſ. med. Lib. III. pag.* 629.

Apozema ad Herniam,

Barbette,

Chirurg. Part. I cap. 7. pag. 34.

℞. Herb. Oſmund. Regal.
Herniar. *ana Manip. unum.*
Rad. Conſolid. maj.
Biſtort. *ana unc. un. ſemis.*
Flor. Hyperic. *Manip. unum.*
Semin. Aniſi, *Drachmas duas.*
Coq. ex Vino rubro, Colatur. *Lib. un. ſem.*
add Syrup. de Symphyt. Fernel. *uncias duas.*
M. F. Apozema.
Doſ. *unc. quinque*, bis, vel ter de Die.

Laudatur quidem ad Herniam, hocce Apozema ab Auctore Barbette: An vero idem illud multum auxilii præſtare poſſit, in Hernia, præſertim inveterata, aut ipſa adeo incarcerata, de eo equidem valde adhuc dubito. Tum enim non Apozemata juvant; ſed potius Epithemata, immo rectius Chirurgemata, ut cuivis notum. Sed eo demum tempore, ubi prolapſa inteſtina perita Chirurgi manu, jamjam rite & concinne repoſita fuerint, hoc quidem Apozema ad conſolidandum vulnus, multum conferre poſſe, equidem minime negarim: Neque etiam aliam fuiſſe Auctori mentem crediderim, quum iſtud Apozema in curandis Herniis, miris laudibus efferret: quod tanto magis ex egregio Emplaſtro, ad Rupturam, *patet, quod ibidem præmiſit illi ipſi Apozemati.*

Apozema refrigerans & aperiens,

Jo. Michaelis,

in Apparatu Medicament.

℞. Rad. Cichor.
Tarax.
Acetoſ.
Aſparagi, *ana unciam unam.*
Herb. Cichor.
Tarax.
Endiviæ,
Lactucæ, *ana Manipul. unum.*
Semin. quatuor frig. maj. *ana Drach. unam ſemis.*
Flor. Cichor.
Violarum,
Roſarum, *ana pugill. unum.*
Coq. *in ſuffic. Quantitate* ſeri Lactis, vel Aquæ appropriatæ.

Colat. Rec. *Libram unam.*
Add. Spec. diatrion Santal. *Drachmam unam ſemis.*
Cum ſuffic. Quantitate Sacchari edulcoretur.
F. leg. Art. Apozema.

Uſus hujus egregii Apozematis potiſſimum eſt in morbis ſcorbuticis, & ab intemperie calida ortis, item in obſtructionibus hepatis, Meſenterii & lienis, nec non in affectibus Renum & Veſicæ, ut & Rhevmaticis, Arthritide, podagra, Calculo & ſabulo; prodeſt etiam Hypochondriacis & Melancholicis: nec non in Gonorrhœa, fluore albo, & Chloroſi Virginum; ſi nempe expurgato & præparato prius Corpore, rite & ſub convenienti Regimine, in uſum advocetur.

Apozema Travmaticum,

SYLVATICI.

℞. Liquiritiæ raſæ, *unc. unam.*
Caryophyllat.
Comar. rubr. Gallar.
Conſolid. maj.
minor.
Fragar.
Piloſell.
Verben.
Pulmonar.
Tormentill.
Millefol. *ana Manip. un.*
Rub. Tinctor. *Manip. duos.*
Vini albi optimi,
Aquæ Fabar. *ana Lib. quindecim.*

Bulliant omnia ad Medietatem; conſumtum coletur; deinde add. Mellis opt. *uncias ſex:* Bulliant iterum, continue deſpumando, & cum albumine ovi clarificentur.

In pectoris præſertim vulneribus conſolidandis, & ipſius pulmonis ulceribus ſordidis ſanandis, hoc Apozema uſum haud exiguum præſtabit.

Apozema,

D. a WERTHERN.

℞. Herb. Apii, aut Heder. arbor. *Manip. tres.*
Pyrol. *Manip. quatuor.*
Veron. *Manip. tres.*
Alb. Græc. *Lib. ſemis.*

Cum Cereviſia bona veteri, non acida, infuſa omnia, cucurbitæque indita, lento igne ſenſim deſtillentur: Cereviſia deſtillata ſemper reaffundatur Materiæ novæ, & reſervetur tandem uſui: Cochlear unum mane, veſperi & noctu.

Idem fere hujus Apozematis effectus, ac modo præſcripti; Illud autem largum Albi græci, ſeu potius canini, condimentum ſordidum ego quidem lubenter omiſerim; quoniam nec quicquam prodeſt, nec ad palatum eſt ægroti, nec ad dignitatem Medici, tractare fimum.

Aqua Abſinthii Compoſita,

Diſp. Edinburg. Lond.

℞. Rad. Calami Aromat.
Galangæ,
Zedoariæ, *ana unc. duas,*
Cortic. ext. recent. Aurantiorum,
Cinnamomi, *ana unc. quatuor,*
Fol. Abſinth. vulg. *ſem. Libr.*
Menthæ,
Salviæ, *ana unc. duas.*
Sem. Cardamomi minoris,
Nucis Moſchat. *ana unc. unam,*
Macis *Semiunciam.*
Inciſis & Contuſis affunde
Spir. Vini Gall. *Congios duos,*
Macera per quatriduum, & deſtillent *Congii duo,*

Aqua hæc ſic dicta Abſinthii compoſita egregium eſt profecto ſtomachicum in anorexia, nauſea, vomitu & bradypepſia aliisque ſupini Ventriculi affectibus languidis. Eſt etiam eximium anticolicum & Carminativum, inprimis, ſi a cauſſa frigida ortæ fuerint paſſiones iſtæ colicæ ac flatulentæ: Neque minus fœminis hyſtericis prodeſt, in pacandis Uteri rebellis turbis, item pallentibus, ex tetra chloroſi, puellis, ad reducendum albidis genis floridum roſeumque Colorem. Denique etiam inſignem haud dubie uſum præſtat anthelminthicum, in necandis & expellendis fœdis Vermibus, ſordidis ſtercorum incolis, ob inditam nempe felleam illam adjecti Abſinthii amaritiem, vermibus potiſſimum natura ſua, inimicam & faſtiditam, ceu notum. Taceo jam morbos ſeroſos, & dirum ipſum hydropem, item febres intermittentes, præſertim Quartanas, in quibus cunctis recto & opportuno uſu non neglecto, commode adhiberi poteſt.

Aqua Acuſtica.

Diſpenſ. Wirt. ſed alia hujus Aquæ Acuſticæ *compoſitio proſtat in diſpenſ. prag. & Viennenſ. item Argent. Alia celebris Aqua acuſtica* Fel. PLATERI, *legitur, in* VERZACHAE *obſ. med. 91. pag. 236. ubi plura Vid. ipſius* PLATERI *Obſ. Med. Lib. I. pag. 114. & alia* BELZERI, *in Append. Medicam.* BIERLINGII, *p. 33.*

℞. Radicum Cyperi rotundi,
Iridis florentinæ,
Leviſtici,
Valerianæ *ana unciam ſemis,*
Herbarum Majoranæ,
Origani,
Roriſmarini,
Rutæ hortenſis,
Herbarum Salviæ hortenſis,
Serpilli,
Florum Lavendulæ,
Sambuci *ana drachmas tres,*
Seminum Coriandri,
Fœniculi,
Rutæ,
Baccarum Juniperi,
Lauri *ana unciam ſemis,*
Ceparum inciſarum *unc. duas ſemis,*
Caſtorei *drachmas duas.*

Inciſa & contuſa immittantur cucurbitæ vitreæ, & ſuperaffundantur
Aquæ epilepticæ Langii,
Spiritus Baccarum Juniperi *ana unc. quindecim,*
Succi Raphanorum *libra una ſemis.*

Digerantur per biduum, poſtea, additis
Cinerum clavellatorum *drachm. quat.*
Salis ammoniaci *drachmis duabus,*
Camphoræ *drachma una,*

Deſtillentur ex cucurbita vitrea, & liquoris ſpirituoſi volatilis unciæ ſedecim proliciantur, qui in vaſe probe clauſo ſervandus.

Applicatur vel in fruſto panis calidi, e clibano modo extracti, auribus, vel goſſypio aliquot guttæ exceptæ immittuntur auri. Craſſos humores, nervos & auditorios meatus obſtruentes attenuat, atque tympani atoniæ roborando, medetur. Vid. infra, ſuo loco, Eſſentia Acuſtica, *iisdem uſibus deſtinata.*

Aqua Alexeteria.

Diſpenſ. Edinburg.

℞. Fol. recent. Cardui Benedicti,
Meliſſæ,
Scordii, *ana uncias decem,*
Abſinthii vulgaris,
Menthæ, *ana uncias ſex.*
Rutæ, *uncias quatuor,*

Fol. recent. Angelicæ, *uncias tres.*
Aquæ Fontanæ *Congios duos.*

Deſtillent Sec Art. Aqua vero melior obtinebitur, ſi Carduus, Abſinthium & Scordium fermentationi prius ſubjiciantur.

Easdem fere Virtutes hæc Aqua Alexeteria *poſſidet, ac Aqua illa Alexipharmaca, inferius Commemorata ac laudata: Hac tantum differentia, intercedente, quod iſta quidem compoſitio juſto operoſior & diffuſior, inde & vehementior in operando, videatur; quum hæcce e contrario & ſimplicior ſit, & mitior, hincque etiam ſecurior. Uſum igitur haud contemnendum, opinor, præſtabit in febribus contagioſis, putridis, malignis & epidemicis; item contra morſus venenatarum Beſtiarum, & in ipſa quoque dira & abominabili Hydrophobia, modo quid in rerum natura ſuperſit, quod inexpugnabile iſtud Canis rabidi virus tandem aliquando expugnare poſſit. Certius vero præſidium forſan ſpondebit in Curatione febrium intermittentium, Tertianarum, & potiſſimum Quartanarum, præſertim, ubi jam in fine laborant, flaccidumque & imbelle corpus remediis tonicis, roborantibus ac leniter adſtringentibus, neceſſario indiget. Ceterum vid. mox.* Aqua Alexeteria Lactis, *quæ ejusdem fere eſt Virtutis. Nota eſt alia* Aqua Alexeteria Plateri, *de qua Cenſuram vid.* Thoneri, *obſ. med. 6. Lib. I. p.* 67.

Aqua Alexeteria Lactis,

Diſp. Pariſ. ut & Pharmac. Bateam. p. 10.

℞. Folior. Ulmar.
Card. Bened.
Galeg. *ana Manip. Sex.*
Menth. *Manip. decem,*
Rad. Zedoar.
Rad. Tormentill. *ana unc. octo,*
Lactis recentis *Libras decem.*

Deſtilla ſecundum artem, & uſui ſerva.

Easdem habet vires alexiterias in morbis contagioſis, quas modo laudabimus in compoſitione Aquæ ſimilis Alexipharmacæ: & alterius Alexeteriæ *ex diſp. Edimb propoſitæ. Vid. &* Bierlingii *Append. Med. pag* 31.

Aqua Alexipharmaca.

Diſpenſ. Brand

℞. Cornu Cervi raſpat. *uncias duas,*
Santali Citrin.
Rad. Angelic.
Vincetox.
Morſ. diabol.
Tormentill.
Biſtortæ, *ana drachmas duas.*
Zedoariæ, *drachm. duas ſemis.*
Foliorum Scordii,
Galegæ,
Scabioſæ,
Florum Roſar. rubr. *ana Manip. ſemis.*
Calendulæ,
Borraginis,
Bugloſſi,
Papav. Rhoead. *ana pugill. duos,*
Seminis Citri,
Cardui Benedicti,
Napi,
Aquilegiæ,
Acetoſæ,
Baccar. Juniper. *ana drach. un. ſemis,*
Corticum citri extimor. recent. *unc. ſemis,*
Camphoræ,
Ligni Aloës, *ana drachmam ſemis,*
Succi Citri recentis, *Libram unam,*
Aceti Roſac. *Libras duas,*

Conciſ. & Contuſ. Infund. Stent.

Vaſe Clauſo biduum, aut trid in loco calido, dein deſtill. Mar. Balneo.

Nota: Quid virium Cornu Cerv. raſpat huic Aquæ largiri poſſit, ignoramus, tanto magis, cum nec Spiritus, nec ſal Vol. per Ignem Balnei, expellantur. Par Vanitas eſt in Santalis, Rad. Tormentill. & Biſtort. ut & Sem. Citri, Card. Ben. Acetoſæ, item Succo Citri, pro deſtillatione in Balneo, &c. conf. Schulz præl. ad Diſp. Brand pag. 19.

Interea tamen hæc Aqua Alexipharmaca in Morbis contagioſis, putridis & epidemicis, ſuo uſu haud carebit, ſi nempe opportune adhibeatur, reſpectu ſcilicet ad ægrotorum Naturas, Temperamenta & alias circumſtantias, ſemper ſolicite habito.

Aqua Alexipharmaca
D. LE MORT.

Pharm. Med. Chym. Cap. XIX. pag. 91. *& ibid. pag.* 11.

℞. Radic. Angelic.
Petaſit.
Valerian.
Imperator. *ana unc. duas,*
Sem. Angelic.
Leviſt.
Baccar. Juniper. *ana drach. ſex,*
Spir. Vin. Gallic. *pint. duas.*

Miſta deſtillentur ad medias, vel & absque deſtillatione, ſervetur Infuſio.

Uſum hujus Aquæ Alexipharmacæ ipſum ſtatim Nomen ſatis indicat. Ideo in morbis contagioſis & morſibus beſtiarum venenatis non ſine ſperato ſucceſſu, adhiberi poterit. Vid. dicta ad ſimilem Aquam Alexipharmacam & Alexeteriam.

Aqua Aluminoſa Communis,
D. LIEBALDI.

Diſp. Lugdun. Pariſ. Renod. Lib. V. c. 13.

℞. Succor. Agreſtæ,
Plantaginis,
Portulacæ,
Aluminis rupei, *ana Libr. unam,*
Albumina Ovorum *Num. duodecim.*

Miſta, bacilloque agitata, deſtillentur in Balneo Mariæ.

Aqua Aluminoſa Magiſtralis,
D. FALLOPII, & SORBAIT,

Diſp. Lugd. & Lond.

℞. Aquæ Plantagin.
Roſar. rubr. *ana Libr. unam,*
Aluminis Rochæ, pulv.
Mercurii ſublimat pulv. *ana drachmas duas.*

Terantur Alumen & Sublimatum, bulliant ſimul cum Aquis in Vaſe vitre, orificii anguſtioris, ad Conſumtionem Medietatis. Poſt reſidentiam quinque dierum, Fiat Colatura clara, quæ reponatur ad uſum.

Uſus autem utriusque hujus Aquæ aluminoſæ externus tantum eſt, neutiquam vero internus, ut quivis Medicorum confeſtim, opinor, perſpiciet. Prodeſt enim utraque hæc Aqua ad ſanguinem ſiſtendum, cum petiolis impoſita, item ad abſumendas Radices Verrucarum, poſtquam illæ prius vel ligatura, vel ſectione ablatæ ſunt. Vid. Fraundorfferi *Tabula Smaragd. p.* 12. *Maxima autem cum circumſpectione & cautione his aquis, præſertim autem poſteriori Magiſtrali vulgo dicta, utendum eſt, potiſſimum propter Mercurium ſublimatum, quem non omnia vulnera aut ulcera ſine magno diſcrimine, ferre poſſunt, ut notum, præcipue in corpore ſenili, cachectico ac longo ex*

tempore vitiato. *Alia* Aqua Aluminoſa *proſtat in Pharmacop.* BATEAN. *p.* 4. & *in* Charas Pharm. *Reg. Tom. II. p.* 687.

Aqua Analeptica STERNFELS.

Tab. Smaragd. pag. 42.

℞. Aquæ epilept. Lang. *unc. octo,*
Elixir. Vitæ Matthioli
Julep. Roſar. *ana unc. ſex,*
Moſch. Alex.
Ambr. gryſ. *ana grana octo*
M.

Vires hujus Aquæ ex ipſa Inſcriptione patent. Sunt enim analepticæ. Paregoricæ roborantes & refocillantes, Hinc in ſumma virium debilitate, Cordis, cerebri ac nervorum languore, atque obortis inde animi defectionibus, eximium haud dubie uſum præſtare poteſt hæc ipſa Aqua analeptica. Fœminis quoque paſſionibus & ſuffocationibus hyſtericis obnoxiis inſigni uſui eſſe poterit, adjecta tamen neceſſaria iſta cautione, ut Moſchus atque Ambra tum plane omittantur, quoniam neutrum horum ſuaveolentium impune ferre poſſunt fœminæ, uti notum. His ipſis enim affectiones uterinæ concitantur potius, quam componuntur, Alia Aqua analept. Schillingii extat in BIERLINGII *Append. Med. pag.* 31.

Aqua Angelicæ Compoſita.

Diſpenſ. Lond.

℞. Fol. Angelicæ, *uncias octo,*
Cardui Benedicti, *uncias ſex,*
Meliſſæ,
Salviæ, *ana uncias quatuor,*
Semin. Angelicæ *uncias ſex,*
Fœniculi dulcis, *uncias novem,*

Herbæ ſiccæ & ſemina craſſiuſcule contundantur, quibus deinde adde
Specierum Aromatici roſati
diamoſchi dulc. *ana unc. unam ſem.*

Infundantur per biduum, in Vini Hiſpan. Libris XXXII. deſtillentur ſecundum Artem, lento igne. Miſce cum unaquaque Libra Sacchari, in Aqua roſacea diſſoluti, *duas uncias.*

Tres primæ Libræ, *Spiritus*, ceteræ *Aquæ* titulo, vocitentur.

Spirituoſa hæc, ut ita dicam, Aqua uſum egregium, niſi fallor, præſtare poteſt in morbis pituitoſis, ſeroſis, & a fibra laxa atque lenta ſubnatis. Eſt quoque haud dubie diuretica, hydragoga, Carminativa, ut vulgo quidem dicitur, & anthelminthica; nec non antiſcorbutica: inprimis vero etiam diaphoretica & alexipharmaca: ideo in febribus Contagioſis, putridis, epidemicis & a miaſmate virulento per nocentem aërem diffuſo, obortis, non ſine exoptato eventu & effectu, adhiberi poterit. Tales enim inſignes Virtutes ineſſe traduntur & Angelicæ ipſi & ipſius Semini. Conf. BOERHAVE, *Hiſt. Plant. Tom. I. pag.* 83. *ſqq.*

Aqua Anhaltina.

Diſpenſ. Vien. Brand. Leod. Hamb. Prag. Ratiſbon. & alia addunt hic Crocum, *quem cur hic omiſerit Diſp. Wirt. cujus hæc ipſa eſt compoſitio, ratio ſane me fugit, quum tamen ipſe Crocus, cui notum, optimum & blandiſſimum Anodynum, dignum inde omnino, quod hanc compoſitionem anodynam potiſſimum ingrediatur. In diſp. Norimberg. pariter deeſt Crocus, & ejus loco præter rem, additur Moſchus.*

℞. Radicum Galangæ minoris,
Florum Anthos *ana drachmas ſex,*
Seminis Fœniculi,

Baccarum Lauri *ana unciam dimidiam*
Caryophyllorum aromaticorum,
Cubebarum,
Nucum Moſchatarum,
Cinnamomi acuti,
Maſtiches *ana drachmas ſex.*
Thuris *unciam unam,*
Terebinthinæ Venetæ *libr. dimidiam.*

In pulverem contrita infundantur in ſpiritus vini rectificati libris quinque, & digeſta per dies ſex, addita aquæ fontanæ libra una, deſtillentur, leniſſimo balnei calore, libræ quinque.

Vires hujus aquæ ſpirituoſæ ſunt inſignes in Ventriculo roborando, Colica flatulenta, urina pellenda; verum adhibenda prudenter, ne ſanguis nimium commoveatur. Externus uſus eſt frequentior, Ventriculo applicata, Vomitum & Diarrhæas ſiſtit, & in roborandis membris, debilitatis a Paralyſi, valet. Vid. SCHULZ. *Prælect. ad Diſpenſ. Brand. pag.* 19. & CARTHEUS. *Pharmacol. pag.* 133.

Aqua Anodyna.

Diſpenſ. Viennenſ. & Prag.

℞. Salis Tartari,
Armoniaci, *Libras duas,*
Florum Lavendulæ *uncias ſex,*
Lixivii e Calce viva & cineribus, *Lib. quatuor,*
Spiritus Vini ſimplicis *Libras decem,*

Miſceantur, & inſtituatur, lege Artis, per Alembicum, Deſtillatio.

Vires ſunt Nomini impoſito, quoad uſum externum, apprime reſpondentes. In doloribus ergo arthriticis, item rhevmaticis, aliisque ex ſtagnantibus humoribus viſcidis acribusque obortis, commodum haud dubie præſtabit uſum paregoricum & anodynum. Non pejor vero, quin potius, mea quidem opinione, melior ac præſtantior evadet hæc Aqua anodyna, Nominisque blandi Virtutem mitigatoriam certius exſeret, ubi vel in ipſa præparatione, Croci quid adjectum, vel poſt ipſam, Eſſentiæ Croci ſufficiens copia affuſa fuerit. Dolores enim externos vel accerrimos, Hæmonia veluti incantatione, tum Croco adjecto, conſopitos fuiſſe, experti aliquoties, læti adhuc recordamur. Ceterum de virtutibus hujus Aquæ anodyn. pragens. vid. Diſpenſ. Prag.

Aqua *Anti*-Nephritica,

vulgo DE BELLEGARDE.

Diſpenſ. Paris. Argentin. Charas, Pharm. Reg. Tom. II. p. 514.

℞. Turpethi,
Ligni Aloës,
Santali citrini, *ana uncias duas.*
Galangæ,
Cubebarum,
Maſtiches,
Olibani,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ, *ana unc. unam.*
Terebinthinæ, *uncias duas.*
Mellis optimi *Libras duas.*
Aquæ Vitæ *Libras quatuor.*

Contuſis Contundendis, Fiat Maceratio per biduum. Mox deſtillentur omnia in Balneo-maris.

Sat quidem concinna hæc ipſa Aquæ hujus Anti-Nephriticæ eſt Compoſitio: neque ullum eſt dubium, quin & urinam citare, & calculum ipſum in Renum pelvibus latentem, expellere poſſit. Maxima tamen nihilominus circumſpectione & attentione opus eſt in ea adhibenda. Quod ſi enim Renes jamjam vel inflammati fue-

rint, vel exulcerati; tum ſane ob nimia potiſſimum aromata, iſti quidem Compoſitioni adjecta, periculum utique eſt, ne malum tanto acrius exacerbetur, oleumque Camino quaſi addatur: ſicque letalis gangræna atque Sphacelus confeſtim inducatur, quod ſæpius poſt intempeſtivum ejusmodi calidiorum & aromaticorum Remediorum uſum, contigiſſe novimus. Præterea vero ipſam acerrimam illam Cauſticamque Turpethi Radicem ab hac quidem compoſitione eleganti penitus abeſſe mallemus. Licet enim potentiſſimum ſit hydragogum ac diureticum; tamen ob horrenda quæ concitat tormina, aliaque dira ſymptomata, ſupra jam Part. I commemorata, uſus ejus eſt admodum ſuſpectus. Conf. BOERHAAVE *Hiſt. Plant. Tom. I pag.* 101. *Ceterum Vid. infra,* Spiritus nephriticus Pariſienſis.

Aqua *Anti*-Nephritica alia.

Diſpenſat. Leidenſ.

℞. Radic. Raphani ſilveſt. rec. *unc. quat.*
Petroſelini recent. *uncias duas.*
Fol. Hederæ Terreſt. virid. *Manip. quatuor.*
Herb. Chærefol. recent *Manip duos.*
Gemmar. Ribeſior. nigror. rec. collect. *unc. duas.*
Sem. Fœniculi dulcis,
Dauci Cretici,
Petroſelini Macedonici,
Urticæ,
Baccarum Juniperi, *ana unc. unam.*
Conciſis & Contuſis affundantur
Vini Rhenani *Libræ decem.*

Macerentur per dies tres, dein deſtillentur ſecundum Artem, ad partem dimidiam.

Eundem præſtat uſum hæc Aqua Antinephritica in diro & acuto illo Malo nephritico leniendo, areniſque ac ſordibus viſcidis lentiſque in Renibus collectis, una cum lotio, pellendis & educendis; ac altera illa præcedens Compoſitio Pariſina. Immo, ut verum fatear, hæc ipſa illi & ſimplicitate & ſecuritate utilitateque, longe eſt præferenda. Quum enim & exoſo illo Turpetho, & acutis calidiſque aromatis, & ipſa denique Terebinthina careat; multo mitius haud dubie lentiusque agit in ipſas abſconditas lotii officinas, adeo ut, tametſi quædam etiam jamjam adſit Renum inflammatio, aut levior exulceratio, propter leniſſimam tamen ſuam naturam & indolem, aut nullam, aut certe perquam exiguam, noxam, tum inferre poſſit. Quin potius multos novi Nephriticos olim ægrotos, quibus mirum in modum profuit hæc ipſa Aqua Antinephritica Leidenſium.

Aqua *Anti*-Nephritica alia,

Diſpenſ. Amſtelod.

℞. Rad. Raphani Silveſt. *uncias quat.*
Glycyrrhizæ,
Ononidis,
Petroſelini,
Pimpinellæ, *ana uncias duas.*
Ligni Nephritici interioris,
Saſſafras, *ana uncias tres.*
Fol. Hederæ Terreſt. *Manip quat.*
Ribeſiorum nigrorum,
Betonicæ,
Chærefolii,
Fragariæ, *ana Manip. duos.*
Sem. Fœniculi,
Urticæ,
Baccar. Alkekengi, *ana unc duas.*
Juniperi, *unciam unam.*

Macerentur in ſucci Hederæ Terreſt. & Vini albi Rhenani ana Quant. ſuff. per tres dies. Deinde ſecund. Art. de-

deſtillentur, & ſervetur Aqua uſui, in Nimbo Vitreo bene obturato, ne Virtus pereat exhalando.

Media quaſi hæc Aqua Antinephritica Amſtel. eſt inter illam fortiorem priorem Pariſinam, & alteram debiliorem Leidenſem. Quare in ſubjectis aliquanto Valentioribus & toroſo Corporis habitu præſtantioribus, ſecure & commode in uſum exoptatum advocari poteſt, in quibus nempe altera illa Leidenſis Compoſitio, ob leniorem medendi virtutem, nonniſi ſeriores ac lentiores effectus præſtabit. Quare meo quidem qualicunqne judicio, hanc ipſam Aquam antinephriticam Amſtelodamenſium utrisque illis aquis ſimilibus, & pariſienſi, & Leidenſi, multis nominibus, merito prætulerim, qui ipſe eximias illius juvandi vires haud ſemel, ſingulari animi cum voluptate, olim expertus fui. Ceterum aliam adhuc Aquæ antinephrit. deſcriptionem etiam non contemnendam vid. in Diſpenſ. Prag. p. 51. & BIERLING *Append. pag.* 18. 25. *& pag.* 34.

Aqua *Anti*-Paralytica.

Diſpenſ. Leid. & Amſtel.

℞. Radicis Sarſæparillæ,
Ligni Guajaci, *ana Libram unam & ſemis,*
Saſſafras, *uncias tres.*
Herbæ Betonicæ,
Calaminthæ montanæ,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Hyſſopi,
Majoranæ,
Origani,
Praſii,
Primulæ Veris,
Pulegii,
Rorismarini,
Salviæ,
Serpilli,
Thymi,
Florum Calendulæ,
Stœchados, *ana Manipul. unum.*
Baccarum Juniperi, *unciam unam.*

Infund. triduo in S. Q. Spiritus Vin. ut ſupereminead 4. digitor. deinde S. A. deſtill. Liquori deſtillato iterum per diem naturalem, infundatur.

Radicis Coſti amari,
Pyrethri,
Zingiberis,
Sem. Sinapios albi,
Caryophyllorum,
Piperis,
Cinnamomi,
Styracis Calamitæ,
Caſtorei, *ana Drachma una.*

Deſtillentur ſecundum Artem, & Aqua ſtillatitia uſui ſervetur in Vitreo nimbo, probe obturato.

In affectibus paralyticis, & flaccidis artuum nervorumque Reſolutionibus, hæc quidem Aqua Antiparalytica operoſæ non minus, quam concinnæ, Compoſitionis, ſperato ſucceſſu plerumque haud carebit. Uſus ipſius & externus eſſe poteſt, & internus; magis tamen externus ad membra languida & tono motuque orba, roboranda, & novo vigore induenda. Internus enim propter adjectas Radices acerrimas ac cauſticas, & aromata generoſiora, non niſi parcius, concedi debet: quod Medici judicio maturo unice relinquendum.

Aqua *Anti*-Phtiſica.

Diſpenſ. Viennenſ. VERZASCHA, *Obſ. med.* 100. *p.* 262. *Pharm.* BATEAN. *p.* 4. & BIERLINGII *Append. Med. p.* 19.

℞. Herbæ recent. Veronicæ,
Pulmonariæ maculoſæ,

Scabioſæ,
Hederæ Terreſtr.
Farfaræ, *ana unciam unam.*
Chærefolii, *uncias duas.*
Radicis Conſolidæ majoris,
Pimpinellæ ſaxifragæ,
Ireos Florentinæ,
Enulæ, *ana unciam unam ſemis.*
Seminis Aniſi, *Drachmas decem.*
Croci Auſtriaci, *Drachmas duas.*
Limacum hortenſium minimor. *Libras tres.*
Inciſis & contuſis affundantur
Sanguinis porcini recent. *Libræ quatuor.*
Seri Lactis, *Libræ duodecim.*
Et ſtatim deſtilletur organis Vitreis, lento igne.

Immo validiſſimo potius igne, ut eo citius comburatur & in meritos cineres redigatur quoad maximam partem, hæc futilis & vel ipſis Judæis ſordidis abominanda Compoſitio; potius ad olidos coquos, & Cruentos laniones ablegandą, quam ad elegantiores medicos, aut politiores ægrotos. Quorſum enim obſecro, tanta fœdi vetitique Sanguinis porcini copia? quorum, quæſo, tanta Limacum hortenſium inutilis quantitas? & quorſum denique Cor, hepar & pulmones Vituli, præſertim nigri, recens mactati? qualia cum nonnullis aliis plantis ac floribus, adduntur in Diſpenſ. Brand. in hujus Aquæ deſcriptione, & in ipſa MYNSICHTI *compoſitione, relata & merito ſimul refutata, a* ZWELFERO, *in Append. ad Animadverſ. in pharmacop. Auguſt. p. 232. ſqq. a quo recto judicio haud abhorrent ipſi Auctores dicti diſpenſ. Brand. nec* SCHULZIUS, *in prælect. ad idem, pag. 20. aliisque. Relictis ergo hic ſalutaribus illis Radicibus, Herbis, Seminibus & croco, intactis, reliqua purgamenta & inquinamenta, nempe Sanguis porcinus, pulmones, cor heparque Vituli, una cum limacibus, in locum infauſtum, unde Venerant, reiciantur. Ceterum alia* MEIBOMII *compoſitio hujus Aquæ proſtat in Tab. Smar. pag. 13. in qua tamen ipſa etiam pretioſus ille ſcil. ſanguis porcinus ſancte ſervatus eſt.*

Aqua *Anti*-Scorbutica Temperata.

Diſp. Wirt. ſed alia hujus Aqua Antiſcor. compoſitio proſtat in diſp. Brand. & Ratisbon. alia vero in Viennenſ. & alia denique in Leodienſi, item Norimb. ut & BIERLINGII *Append. Medicament. p. 32.*

℞. Herbarum, omnium recentium,
Acetoſæ,
Nummulariæ,
Beccabungæ,
Bellidis min.
Chærefolii,
Fumariæ,
Trifolii fibrini,
Veronicæ *ana uncias octo.*
Fructuum Rubi idæi *libram unam.*

Inciſa miſceantur, ſuperfuſis aquæ fontanæ libris quindecim, deſtillentur, atque libræ ſex eliciantur. Diſp. Brand, & Ratisbon. hic addunt. Herb. Agrimon. Chelidon. Min. Cichor. Cochlear. & Cuſcut. & omittunt contra Herb. Nummular. & Bellid. min. item fructus Rub. Id. Viennenſ. autem plura omittit; ſubſtituit vero Herb. Naſturt. aquat. rec. & Rad. Raphani ruſtic. rec. & Apii hortenſ. *ana uncias ſex. &c.* Leodienſe denique ex ſuccis potiſſimum iſtarum herbarum antiſcorbuticarum Aquam illam parari præcipit.

Parata eſt ex herbis antiſcorbuticis temperatis, & æque omnibus conve-

nit, ubi affectus æſtuoſi, febriles cum diatheſi ſcorbutica complicantur. Dari poteſt ad uncias duas tresve. Conf. Cl. CARTHEUSERI *pharmacolog. p.* 267. *&* SCHULZII *prælect. ad Diſp. Brand. pag.* 20. *Nota ceterum eſt Aqua antiſcorbutica* SYDENHAMI, *deſcripta & laudata a* KLEIN, *Select. rat. Med. p.* 16. *& paſſim aliis.*

Aqua *Anti*-Scorbutica DORNCREILII.

Diſp. Brand. Hamb.

℞. Radic. Raphani Silv. acerr. *Lib. quat.*
Polypod. quern. mund. *unciam un. ſemis.*
Corticum Radic. Capparum, *unciam ſemis.*
Herbar. Abſinth. Roman.
Cuſcutæ,
Epithymi,
Florum Violarum,
Borraginis,
Bugloſſi,
Roſarum, *ana Drach. unam.*
Seminis Fœniculi, *unciam unam.*
Cardamomi, *uncias duas.*
Croci Orientalis, *Drachm. unam.*

Radices Raphani incidantur in Orbiculos tenuiſſimos: Reliqua pulveriſentur & infundantur, in Vini Rhenani albi generoſi *Libris ſedecim:* ſtent in infuſione, loco calido, per octiduum, Vaſe quotidie, ſemel atque iterum agitato: dein adde:
Seri Lactis Caprini, *Libr. unam ſem.*
Aquæ Cochleariæ,
Naſturtii Aquat,
Anagallidis aquat. *ana Libr. unam ſemis.*
Chamædryos,
Fumariæ, *ana Libram unam.*

Miſceantur & deſtillentur igni convenienti e Balneo Maris.

Vel ex ipſa hujus Aquæ Inſcriptione luculenter jam patet, quid de ipſius Virtutibus, in morbis ſcorbuticis, ſeroſis ac pituitoſis, ſit expectandum. Multum profecto jam per ſe; plus tamen mea quidem ſententia, ubi ipſius compoſitioni adjecta fuerit ſufficiens copia ſucci Citri, Limonum, Acetoſæ, Acetoſellæ, aut aliorum ſimilium Acidorum. Ceterum aliam Aquam Antiſcorbuticam Facultatis med. HAFN. *vide deſcriptam in Thom.* BARTHOLINI *Ciſta med.* HAFN. *Locul. XLVIII. pag.* 512. *& in pharm.* BATEAN. *pag.* 4. *&* 5.

Aqua Apoplectica Spirituoſa.

Diſp. Wirt. Ratisbon. Vienn. Norimb. & al.

℞. Florum Liliorum convallium recentium,
Lavendulæ recentium,
Primulæ Veris,
Tiliæ,
Betonicæ,
Tunicæ, *ana unciam unam.*
Herbæ Roriſmarini,
Majoranæ,
Baſilici,
Salviæ,
Serpilli,
Mari veri *ana unciam unam ſemis.*
Cinnamomi acuti *uncias duas.*
Caryophyllorum aromaticorum *drachmas ſex.*
Nucum Moſchatarum *unciam unam.*
Cardamomi minoris,
Cubebarum,
Zedoariæ,
Galangæ,
Sandali citrini *ana unciam ſemis.*

Flores & herbæ recentes colligantur ſucceſſive per æſtatem, & in ſpiritus Vini rectificati libris quinque macerentur. Poſtea aromata, minutim inciſa & contuſa, Vini generoſi libris quinque infundantur, & poſt digeſtionem per biduum, cum priori infuſo commixta, & veſica, lento igne, deſtillentur. Clarum & magis ſpirituoſum ſeorſim, pro uſu externo, ſervandum; quod ſequitur oleoſum albicans, pro uſu interno.

Aqua Apoplectica minus Spirituoſa.

Diſpenſ. Argent. Wirt. Brand. & alia.

℞. Herbæ, cum floribus, Salviæ *uncias octo.*
Majoranæ,
Serpilli *ana unciam unam.*
Florum Liliorum convallium *uncias tres.*
Lavendulæ,
Anthos *ana uncias duas,*
Cinnamomi electi *unciam unam ſemis.*
Cubebarum *unciam ſemis.*
Caryophyllorum *drachmas tres.*
Macis *drachmas duas.*
Vini albi generoſi *libras duodecim.*

Macerata per triduum deſtillentur ad dimidiæ partis remanentiam.

Aquæ hujusmodi ſpirituoſæ in Apoplexia, quam ſanguineam vocant, interne ſumtæ non conveniunt; externe autem ad partes debilitatas roborandas & ad odorandum præcipue adhibentur. In morbis vero a cauſa frigida ortis, Colica flatulenta & Ventriculi debilitate, bono cum effectu, a drachmis duabus, ad ſex, vel integram unciam, propinari poſſunt. Aliam ejuſmodi Aquam Apoplecticam Henr. CUSTERI, *vid. in Ciſt. Med.* HAFN. *Thom.* BARTHOLINI, *Loc.* 31. *pag.* 361. *& varias alias, in* BIERLINGII *Append. Medicam. pag.* 40. *ſeqq.*

Aqua Aromatica,
Herm. BOERHAAVE, *Mat. Med. pag.* 34.

℞. Flor. Lavendul.
Tanacet.
Aurant.
Roriſmarin. *ana unc. un.*
Rad. Angelic.
Helen.
Imperator.
Leviſt. *ana unc. un. ſemis.*
Fol. Calaminth.
Cochlear.
Matricar. *ana Manip. unum.*
Sem. Carvi,
Celeri,
Erucæ,
Naſturt. *ana unc. unam.*
Cort. Juniperi,
Saſſafras,
Cinnamom. *ana unc. un. ſemis.*

Cum Spiritu Vin. vel Aqua deſtill. ad Dimid. ut habeantur Libræ Tres, bis cohobando, ex Veſica.

Præſtat hæc Aqua Aromatica egregium ſæpius uſum in Morbis a glutinoſo ſpontaneo, item in torpore artuum, Arthritide, & Morbis rhevmaticis, a cauſſa præſertim frigida, viſcida ac tenaci ortum ſuum ducentibus: item & in doloribus colicis & hyſtericis, a flatibus in primis atque nimia refrigeratione obortis. Quare diverſa hæc Morborum indoles ac Natura prius ſollicite indaganda. Non enim omnibus ægris eadem auxilia conveniunt, ut prudentiſſime poſt HIPPOCRATEM *noſtrum, monuit* CORNELIUS CELSUS. *Hoc memori ſemper mente*

probe tenendum, atque in ipſa Medicina facienda, in ipſum ſalutarem uſum circumſpecte ac diligenter traducendum.

Aqua Aſthmatica.

℞. Radicum Enulæ,
Liquiritiæ,
Iridis Florentinæ *ana uncias duas.*
Herbarum Hederæ terreſtris,
Tuſſilaginis,
Botryos *ana libram ſemis.*
Hyſſopi,
Marrubii albi,
Pulegii,
Salviæ *ana uncias tres.*
Seminum Aniſi,
Fœniculi *ana unciam unam.*

Inciſa infundantur ſpiritus vini rectificati *libra una,* aquæ fontanæ *libris duodecim,* & præmiſſa digeſtione per triduum, libræ ſex vel ſeptem e veſica deſtillentur.

Senes Tuſſi humida vexatos, mane ad unciam unam vel duas ſumpta, juvaſſe viſa eſt. Alia Aqua aſthmatica Rabi extat in THONERI *Obſervat. med. Append. pag.* 367. *& alia in Append. Med.* BIERLINGII, *pag.* 27.

Aqua Balſamica.

Pharmac. Extemp. FULLERI, *pag.* 1.

℞. Herb. Hederæ Terreſtr.
Marrub. alb.
Hyſſopi,
Puleg. *ana Manipulos tres.*
Radic. Enulæ,
Irid. Florent. *ana uncias duas.*
Terebinth. Venet. cum Ol. Tart. ſol. *unc. quatuor.*
Lactis rec. *Libras ſex.*
Spiritus Vini *Libram ſemis.*

Deſtillentur Balneo Arenæ: Liquor totus miſceatur, oleo ſeparatur. Si Terebinthina, inquit ETTMüLLERUS, cum Ol. Tart. per deliq. triturando probe miſceatur, in lacteum liquorem faceſſit.

Hæc Aqua apte præſcribitur in Tuſſi pulmonali, & phthiſi incipienti: ſiquidem putredini reſiſtit, mundificat, conſolidat, exſiccat & roborat. Sed ſat.

Aqua Balſamica ad Gonorrhæam RIVERII.

Obſ. 30. *Cent. III. p.* 594. *Obſ.* 74. *p.* 602. *Obſ.* 25. *Cent. I. p.* 560.

Diſpenſ. Wirt. Hamb. in reliquis deeſt.

℞. Radicis Iridis Florentinæ *uncias tres.*
Foliorum Dictamni Cretici,
Menthæ ſiccæ *ana unciam unam ſemis.*
Seminis Fœniculi *uncias duas.*
Rutæ *unciam unam.*
Terebinthinæ claræ Venetæ *libram ſemis.*
Vini albi *libras decem.*

Poſt infuſionem per triduum deſtillentur ad dimidium ex veſica.

Ad Gonorrhæam virulentam, tam inveteratam, quam recentem, laudatur, partes enim exulceratas detergit, & materiam corroſivam educit. Doſis a drachmis quatuor ad unciam unam. Ceterum non multum abit ab Aqua ad Gonorrhæam QUERCETANI, *cujus deſcriptio in Diſp. Argent. Vienn. & paſſim alibi, habetur.*

Aqua Bardanæ Compoſita.

℞. Radic Bardanæ,
Caryophyllat.
Tormentill.

Cynogloſſ. recent. *ana unc. quatuor.*
Herb. Jacobææ,
Geran. Robert.
Plantag.
Chelidon. majoris,
Agrimon.
Veronic.
Heder. Terreſtr.
Sedi major. *ana Manipul. duos.*
Semin. Fœniculi dulc.
Coriandri, *ana uncias duas.*
Seri Lactis *Congios duos.*
Deſtill. ut Artis eſt.

Serum magis aptum videtur deſtillationi, quatenus demta parte caſeoſa inutili, minus Empyrevmati obnoxium.

Utilis eſt hæc Aqua in Cancro, Scrophulis, Morbis interioris receſſus, & obſtinatis. Ingreditur bene Julapia appropriata. In hujus unciis tribus, exprimantur Mille ped. Contuſ. No. 40 *vel* 50. *pro doſi matutina, per Menſem integrum. Ceterum alia minusque operoſa Aquæ Bardanæ compoſ. deſcriptio habetur in Diſpenſ. Vienn.*

Aqua Benedicta Rulandi.

SCHROED. *Pharm. Med. Chym. p.*444. *Diſp. Hamb. Lugd.*

℞. Croci Metallorum, *Drachmas ſex,*
Vini Malvat. ſeu Hiſpan. *Libr. duas.*

Macerentur, & neceſſitate urgente, ebulliant, colenturque per chartam.

Notiſſima hæc Aqua Benedicta utramque fere paginam facit in Scriptis Mart. RULANDI, *& parum abeſt, quin ipſe eam pro Remedio pæne divino, polychreſto, immo panchreſto habeat: in omnibus enim propemodum Morbis eam præſcribit, etiam in ipſa acuta pleuritide; in qua tamen Aqua potius eſt maledicta, quam benedicta, ut dudum monuimus in Libello noſtro, pag.* 46. *Interea tamen haud plane negamus, uſum illius Aquæ eſſe interdum poſſe in primis Viis expurgandis, & ipſo Ventriculo nociva ſaburra onuſto, commode exonerando. Sed tum quoque Medici exercitati prudentia vel maxime opus eſt, in doſi ipſius moderanda. Vid.* SCHULZII *prælect. ad Diſpenſ. Brand. pag.* 22. *ſqq. add. Diſſ. noſtr.* de Cort. peruviani uſu ſalutari, *pag.* 11. *ceterum Vid. inf.* Sapa Vomitoria SYLVII.

Aqua Benedicta Serpilli.

Diſpenſ. Prag. Wirt. Hamb. Vienn. ſed infra ſuo loco, dabimus pleniorem & efficaciorem hujus Aquæ Serpilli compoſitæ, ex MYNSICHTO, *Compoſitionem ac deſcriptionem.*

℞. Herbæ Serpilli in umbra ſiccatæ *libras duas,*
Saturejæ floreſcentis,
Thymi floreſcentis,
Florum Chamomillæ Romanæ *ana uncias duas,*
Cinnamomi *uncias tres,*
Macis *unciam ſemis.*

Inciſa & contuſa miſce, atque, per biduum Vini albi generoſi libris octodecim infuſa, lento igne libræ octo eliciantur.

Prodeſt illis, qui Catarrhis & defluxionibus vexati ſunt, nervos & Ventriculum, cum reliquis viſceribus, corroborat, aſthmaticis ſubvenit, urinam, calculum & menſes movet, omnibusque aquis, quas vocant apoplecticas, fortaſſe præferenda eſt. Doſis ab uncia ſemis, ad integram.

Aqua Bryoniæ Compoſita.

Diſpenſ. Vienn. Lond.

℞. Succi Rad. Bryoniæ, *Libras quat.*

Foliorum Rutæ,
Artemiſiæ *ana Libras duas*,
Flavedinis Cort. Aurant. recent. *uncias tres*,
Myrrhæ rubræ
Herbæ Sabinæ, *ana uncias duas*,
Matricariæ,
Nepetæ,
Pulegii, *ana unciam unam*,
Baſiliconis,
Dictamni Cretici, *ana drachm. ſex*,
Caſtorei, *unciam unam*,
Vini generoſi *Libras duodecim*.

Ex Conciſis & Contuſis, Fiat per dies quatuor, Infuſio, in Vaſe bene clauſo: deinde Deſtillatio in Balneo Mariæ.

In Affectibus hyſtericis Fœminæ ex hac Aqua ſumta, præſentaneam Opem ſæpe experiuntur. Prodeſt præterea, ſeu egregium Emmenagogum, ad ſuppreſſos diu menſes, commode reducendos, item ad fœdam Chloroſin venuſtis Virginum formis feliciter extergendam, amiſſumque floridum genarum colorem denuo reddendum. Gravidis tamen aut nunquam, aut certe raro, & magna cum circumſpectione, propinanda eſt hæc Aqua, ob juſtum abortus excitandi metum. Conf. infra Extractum Bryoniæ.

Aqua Calcis vivæ.

Diſp. Ratisbon. Wirt. & rel vid. Chirurg.

℞. Calcis vivæ *libram dimidiam*.

Superfundantur Aquæ foliorum Quercuum, vel fontanæ *libræ quinque;* poſt ebullitionem decantetur aqua ſupernatans, atque ſervetur.

Uſus plerumque externus eſt ad inflammationes, ambuſta, ulcera, & id genus affectiones. Interne in frigidis morbis, chronicis imprimis, unciæ duæ, bis de die propinantur, ſcopo ſiccandi & detergendi. Sed & egregias Virtutes diureticas, nephriticas, anthelminticas, & potiſſimum lithonthrypticas ipſi tribuit ALSTON, *mox laudandus, & antea* BURLETUS. *Vid. Jo. Jac.* FICKII *Diſſ.* de Calce viva, *ubi plura, ut &* JUNCKERI *Diſſ. de eodem argumento. præſertim Cl.* CARTHEUSERI *pharmacolog. p.* 295. *ſqq. ubi plura de uſu Aquæ Calcis vivæ interno, lectu digna Conf. Thom.* BARTHOLINI *Epiſt. Med.* 76. *Cent. IV. pag.* 451. & BOERHAAVE, *Conſult. Med. p.* 351. *ut & Elem. Chem. Tom. II. part. II. proc.* 97. *p.* 275. *item* BENET. *Theat. Tabid. p.*140. *de quo argumento noviſſime docte & copioſe, egit ſingulari diſſertatione, Carolus* ALSTON *modo allegatus, ubi multas mirasque Aquæ Calcis vivæ in variis Morbis, virtutes effuſe prædicat: quem & ſtrenue ſequutus* ROBERTUS WHYTT, *ſingulari Diſſ. de mira Aquæ calcis vivæ Virtute, &c. Edinb.* 1755. *& ex Noſtratibus, idem quoque egregie præſtitit ſupra laudatus Cartheuſerus, in Fundament. Mat. Med. Part. I. Sect. II. Cap.* 9. *pag.* 168. *ſqq. inprimis p.* 173. *ſqq. add.* LOESEKE *Mat. Med. pag.* 481. *ſqq. & antea* GEOFFROY *Mat. Med. T. I. pag.* 78.

Aqua Contra Calculum Marchionis.

Diſpenſat. Brand.

℞. Radicum quinque aperientium,
Acori veri,
Enulæ,
Eryngii,
Liquiritiæ,
Ononidis,
Peucedani,
Valerianæ, *ana uncias duas*,
Galangæ minoris, *unciam unam*,

Sanguinis Cervi,
Hirci, *ana Drachmas ſex,*
Cinnamomi acuti,
Corticum Aurantiorum,
Fraxini, *ana unciam unam,*
Baccarum Juniperi,
Lauri,
Seminis Cicerum rubr. *ana unc. ſem.*
Fructuum Alkekengi, *unc. unam,*
Dauci noſtratis, *uncias duas,*
Aniſi,
Malvæ,
Bismalvæ,
Citri
Fœniculi,
Hyoſcyami,
Milii Solis,
Naſturtii, *ana Drachm. ſeptem,*
Nucleorum Ceraſorum,
Perſicorum, *ana unciam unam,*
Florum Betonicæ,
Bismalvæ,
Cardui ſtellati,
Geniſtæ,
Ononidis,
Foliorum Aſari,
Ononidis,
Parietariæ,
Raphani,
Saxifragiæ,
Herbæ Adianti,
Capillorum Veneris,
Polytrichi aurei,
Pulegii,
Virgæ aureæ, *ana Manip. unum.*
Groſſe inciſ. & Contuſ. affund. Suff. Quant. Vini Rhen. opt. ſtent per dies 14. in digeſt. tum deſtill. addendo & miſcendo Succi Limonum recentis *uncias ſex.*

Species, inquit SCHULZ. *Præl. pag.* 28. *omnes bonæ ſunt; ſed menſtruo, ad extrahendum, præſcripto, non æque parent, ut promiſſas Vires per Alembicum, poſſit transvehere. Interim tamen uſum diureticum ac lithonthrypticum habebit hæc operoſa Aqua, etiamſi ſordidus illi Hirci Cervique ſanguis omittatur. Vid. Diſp. Brand. Ceterum* Aquam contra Calculum *aliam a* FUCHSIO *olim deſcriptam vid. in Appeud. Obſervat.* THONERI, *pag.* 368. *Conf. infra* Extractum contra Calculum.

Aqua Caponis.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Prag. Vienn.

℞. Caponem eviſceratum atque in fruſtra inciſum, depoſita pinguedine, decoque in ſufficiente quantitate aquæ, donec carnes ab oſſibus ſeparentur: contundatur ad pultis formam, adde
Aquæ Borraginis
Bugloſſi *ana libram unam ſemis.*
Brodii ſive decocti caponis *libr. duas ſemis.*
Florum quatuor cordialium *ana drachmas duas.*
Cinnamomi electi *unciam.*
Deſtillentur ex M. B.

Vires habentur analepticæ atque tabidis & a morbo longo extenuatis commendatur. Doſis uncia una ad duas usque. Vid. MYNSICHT. *pag.* 303. *ubi longior Compoſitio & laudatio quoque. Sed plures deſcriptiones Aquæ Caponis, & quidem operoſiſſimas legat, qui volet, in diſpenſat. Meſſanenſi, pag.* 76. *ſqq. Malim tamen mihi unum pinguem Caponem probe aſſatum; quam omnes illas Caponis aquas.*

Quamquam eandem cum ZWELFFERO Animadverſ. in Pharm. Auguſt. pag. 289. ſententiam tenemus aquis ex animalium partibus, deſtillatis, juſcula vel decocta eorum longe præferenda: tamen

tamen ut mulierculis, aquam hanc ſummopere laudantibus & nonnunquam expetentibus, ſatisfaciamus, deſcriptionem dare voluimus. Ita Wirt. & Brand. & Prag. recte vid. SCHULZ. pag. 24.

Aqua Carbunculi.

Diſp. Vienn. Wirt. Hamb. Brand.

℞. Herbæ Majoranæ,
Salviæ ana unciam *unam ſemis,*
Florum Lavendulæ *uncias quat.*
Liliorum convallium,
Rorismarini,
Roſarum,
Cinnamomi,
Cardamomi minoris *ana unciam unam,*
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Caryophyllorum *ana unciam ſemis,*
Zinziberis,
Galangæ,
Baccarum Juniperi *ana drachmas tr.s.*
Spiritus Vini rectificati *libr. unam,*
Aquæ rubi idæi,
Lavendulæ *ana libras tres.*

Fiat infuſio per octiduum, in loco tepido, poſtea deſtillatio ad dimidias. Liquori deſtillato, ſplendoris vulgo expetiti cauſa, folia Auri immergi ſolent.

Uſus frequens eſt externus ad epithemata cordis & pulſuum; ad fœtum roborandum gravidarum abdomini, cum aqua embryonum imponitur. Internus uſus rarior eſt. Nomen inde habere ajunt, quod carbunculos & bubones peſtilentiales expellat, & retroceſſionem eorum prohibeat. Vid. SCHULZ. *p.* 24. & CARTHEUSER. *Pharmacol. pag.* 270.

Aqua Cardiaca,

contra venena.

Petri POTERII *pharmac. ſpagyr. p.* 306.

℞. Rad. Vincetoxici,
Valerianæ,
Gentianæ,
Scorzoneræ,
Anthoræ, *ana Libr. unam ſemis.*
Fol. Galegæ,
Scabioſæ,
Succiſæ,
Carduibenedicti,
Ulmariæ,
Cicerbitæ,
Pimpinellæ,
Borraginis, *ana Manip. tres.*
Macerentur triduo, *in Libris Trib.*
Aquæ Scorzoneræ,
Veronicæ,
Vini albi, *Libra una.*
Deſtillentur in Balneo Mar. & Fiat lege Artis, Aqua.

Cujus præcipuus uſus eſt in Morbis putridis, Malignis ac Contagioſis, immo & in dira peſtilentia ipſa: item in diverſi generis Venenis, & Morſibus Venenatarum beſtiarum, præcipue vero, canum rabidorum, ſi nempe mox ab initio, opportune adhibeatur, priusquam triſtiſſimus ille & immedicabilis prorſus Aquæ metus ingruat, ipſaque illa horrenda Hydrophobia ſuccedat: Tum enim omnia Remedia, quantumvis potentiſſima, hucusque quidem nota, vana ſunt & ſalutari effectu ac ſucceſſu caritura. Doſis autem hujus aquæ Cardiacæ eſt ab unciis duabus, uſque ad tres, & quatuor.

Aqua Cardiaca alia.

ibidem apud Poter.

℞. Radic. Angelicæ, *uncias tres.*
Scorzoneræ,

Valerianæ,
Imperatoriæ, *ana uncias duas.*
Fol. Scordii,
Veronicæ Maris,
Ulmariæ,
Agripalmæ,
Meliſſæ,
Borrag. *ana Manipulos tres.*

Infunde per quatuor dies, in ſufficienti Quantitate Vini albi: deinde deſtillentur in Balneo Mariæ.

In deſtillata Aqua iterum infund.
Confect. Hyacinth.
Alkermes,
Diamargarit. frigid. *ana unc. tres.*
Theriacæ antiquæ *Lib. ſemis.*

Deſtillentur rurſus, & Fiat lege Artis, Aqua, cujus doſis *unc. tres*, ante Bubonum eruptionem.

Ejusdem, immo & aliquanto majoris efficaciæ, in commemoratis modo diris durisque Morbis ac ſymptomatibus, hæc altera poterii Aqua Cardiaca eſt, ac prior ejusdem fuit, in præcedentibus, ſuperius deſcripta. Quare non ſolum ad vires languidas reficiendas, Corque ipſum a Venenis cuſtodiendum ac defendendum, egregie conducit: ſed & ipſa miaſmata contagioſa, corpore jamjam ſuſcepta & intus concluſa, fortiter & ſalutariter ex imis ſedibus exterminare valet: ſed venienti morbo & hic inprimis occurrendum, priusquam vires adquirat eundo.

Aqua Carminativa.

Diſpenſ. Vienn. Witt. & rel.

℞. Herbæ Abſinthii pontici *unc. ſemis.*
Centaurii minoris,
Pulegii,
Origani *ana drachmas duas.*
Florum Chamomillæ Romanæ,
Chamomillæ vulgaris *ana libram unam ſemis.*
Seminis Anethi *uncias duas.*
Aniſi,
Fœniculi *ana unciam unam.*
Carvi *unciam ſemis.*
Corticum aurantiorum exteriorum *uncias duas.*

Inciſa & contuſa infundantur per quatriduum in aquæ fontanæ libris duodecim, poſtea ad reſiduum unius tertiæ deſtillentur.

Experti uſus eſt in affectibus colicis, hyſtericis, doloribus poſt partum, & in menſibus dolorificis; cum non adeo calida ſit, ubique tutius adhibetur. Doſis ab uncia dimidia ad integram & ultra.

Aqua Carminativa Spirituoſa.

Diſp. Vienn. Wirt. in reliquis vix occurrit.

℞. Calami aromatici,
Herbæ Menthæ criſpæ,
Serpilli floreſcentis *ana unc. duas.*
Florum Chamomillæ romanæ *libr. ſem.*
Seminis Aniſi,
Fœniculi *ana uncias duas ſemis.*
Cinnamomi acuti *uncias tres.*
Nucum Moſchatarum,
Baccarum Lauri,
Juniperi *ana unciam ſemis.*
Corticum Aurantiorum recentium *uncias duas.*

Inciſa infundantur ſpiritus vini rectificati libris novem, aquæ fontanæ libris quinque, digerantur per triduum, poſtea deſtillentur ex veſica libræ decem.

Prodeſt contra flatus, & loco alterius ſpiritus, poſt paſtum, ad unciam unam dari poteſt.

Aqua Carminativa Angeli Salæ.

Diſpenſat. Hamb.

℞. Flor. Chamomill. Roman. *uncias ſex.*

Baccarum Lauri,
Seminum Aniſi,
Carvi,
Dauci,
Fœniculi,
Sileris montan.
Ligni Saſſafras,
Galangæ minoris, *ana unc. unam.*

Macerentur & deſtill. in Spiritus Vini Gall. Libris Sedecim, indantur Roſtro Alembici, Moſchi grana ſex in Nodulo ligata; ſi quis nempe ſuaves ac dulces ejusmodi odores amet; aliâs enim Commode Moſchus omitti poteſt; propter fœminas.

Aqua Carminativa DORNKREILII.

Diſp. Hamb. Prag. Brand.

℞. Florum Chamomill. Rom. *Manip triginta ſex.*
Infund. in Aquæ Chamomillæ *Libr. duodecim.* Stent in Infuſione, per octiduum, exprimantur ſpecies infuſæ prelo fortiter: Huic Liquori colato poſtea adde:
Corticum Aurantiorum, *drachm. ſex.*
Herb. Abſinthii pont. *Manipul. ſem.*
Centaur. minoris,
Pulegii,
Origan, *ana Pugillos dūos.*
Semin. Anethi *uncias duas.*
Aniſi,
Fœniculi, *ana unciam unam.*
Carvi, *unciam ſemis.*
Cardui Bened. *drachmas duas.*
Mariæ *drachmas ſex.*
Baccarum Juniperi,
Lauri,
Radic. Calami Aromatici,
Zedoariæ, *ana drachmas duas.*
Cinnamomi, *unciam ſemis.*

Inciſ. & Contuſ. infund. in Spir. Vini Gall. Libris ſedecim, & Leg. Artis, deſtilla.

Vires utriusque hujus Aquæ ſunt eædem, quales in binis præcedentibus ſimilium Aquarum deſcriptionibus, laudatæ fuerunt. *Vid.* SCHULZ. *pag.* 24.

Aqua Carminativa ETTMULLERI.

℞. Florum Chamomillæ Romanæ,
Sambuci,
Herbæ Menthæ,
Rutæ, *ana Manipul. tres.*
Baccar. Juniperi, *uncias duas ſemis.*
Lauri, *drachmas ſex.*
Semin. Cumini, *unciam unam.*
Aniſi,
Fœniculi, *ana unciam ſemis.*
Calami aromatici *unciam unam ſemis.*
Cortic. Aurant. *uncias tres.*
Cinnamomi, *Drachmas ſex.*
Zedoariæ, *Drachmas tres.*

Aſperg. Spiritus Nitri rectif. *Drachm. ſex*, Infund. in Spiritu Vini, ſtent per quatuordecim Horas, in Balneo Mar. digere lento igne, tandem deſtilla per Alembicum.

In omnibus doloribus Colicis, a cauſſa quidem frigida, aut flatibus, ortis, item in paſſionibus hyſtericis, ſtranguria, nec non in ipſo diro hydrope, hæ quidem Aquæ Carminativæ, tam Ettmülleriana, quam Meibomiana, quæ tamen altera minus potentior & generoſior, magno cum fructu, & ſperato ſucceſſu, adhiberi poſſunt.

Aqua Carminativa MEIBOMII.

℞. Herbæ Menthæ criſpæ *Manip. tres.*
Florum Chamomillæ Romanæ,
Sambuci, *ana uncias tres.*

Dauci, *unciam ſemis.*
Baccarum Lauri,
Juniperi, *ana uncias quatuor.*
Cinnamomi optimi *unciam unam.*

Inciſ. & Contuſ. affund. Spir. Frum. Menſ. duodecim, ſtent in Infuſione per noctem; deinde deſtilla per veſicam, ſerva ad uſum, qui per ſe patet.

Aqua Carminativa per infuſionem.

Diſpenſ. Pariſ. Wirt.

℞. Seminum Coriandri,
Fœniculi,
Dauci,
Aniſi,
Carvi,
Anethi, *ana unciam ſemis.*
Parum contuſis affunde
Spiritus Vini optimi, *libras quatuor.*

Stent per aliquot dies in digeſtione, poſtea addantur
Sacchari clarificati, *unciæ duodecim* & liquor per chartam emporeticam filtratus uſui ſervetur.

Flatus diſcutit & pellit; doſis uncia dimidia ad unam usque. In codice medicamentario Pariſienſi pag. 193. *ſub nomine* Claretum e ſex ſeminibus *venit; aliis ob eximias virtutes,* Aqua immortalis & Roſſolis des ſix graines *vocatur.*

Aqua Caryophyllorum Aromaticorum.

Diſp. VVirt. in reliquis plerumque deeſt.

℞. Caryophyllorum aromaticorum *uncias tres,* in pulverem tritis adde
Aquæ fontanæ *libras quatuor.*

Macerentur per triduum, poſtea deſtillentur leni igne, & aquæ oleoſæ lacteæ libræ tres eliciantur.

Inter aquas cordiales & ſtomachicas referri meretur, & ob gratum ſaporem, mixturis cordialibus addi poteſt. Ceterum aliam Aquam Caryophyllorum vid. in Pharmacop. BATEAN. *pag.* 6.

Aqua Catarrhalis, D. Caſp. KEGLERI.

℞. Herbæ Veronicæ,
Scabioſæ, *ana Manip. unum.*
Capilli Vener.
Hyſſopi,
Adiant. nigr.
Fragorum,
Meliſſæ,
Marrubii, *ana Manipulos tres.*
Radic. Ireos Fl.
Angelicæ,
Eryngii,
Glycyrrhizæ, *ana unciam unam.*
Myrrhæ electæ, *Drachmas duas.*
Croci integr. *Scrupulos duos.*
Piperis albi, *drachmam unam.*
Caricarum, *No. octo.*
Scillæ præparat. *drachmas duas.*
Paſſularum minor. *uncias quatuor.*
Seminis Lini.
Fœnu græc. *ana drachm. tres.*

Infunde cum Spiritus Vini puriſſimi Libris Septem, quibus adde:
Aquæ Fragorum,
Scabioſæ, *ana Libr. unam.*
Aceti Vini, *Libram unam.*

Deſtillentur per Balneum Mar. & ſerventur, Doſ. a drachmis duabus, ad unciam ſemis, vel & unciam unam.

In Catarrhis pituitoſis potiſſimum atque ſeroſis plurimum utique proderit hæc ipſa Aqua Catarrhalis; valet enim admodum ad viſcidos lentosque nimium humores incidendos & reſolvendos, atque ad ipſam Expectorationem facilius juvandam & citius promovendam: Ceterum aliam

ſimpliciorem Aquæ Catarrhalis Compoſitionem, *vid. apud* JÜNCKEN. *Chym. Exper. cap.* 7. *pag.* 488.

Aqua Catarrhalis alia.

Diſpenſ. Leodienſ.

℞. Foliorum Salviæ,
Roriſmarini,
Lavendulæ,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ,
Cinnamomi, *ana uncias duas*
Granorum Paradiſi,
Macis,
Radic. Zedoariæ,
Semin. Coriandri,
Piperis longi,
nigri, *ana unciam unam.*
Foliorum Rutæ,
Summitat. Abſinth. *ana drachm. duas.*
Pomum Aurantium inciſum, *No. un.*

Omnia groſſo modo inciſa & contuſa, macerentur in Vini Cretici, vel Hiſpanici Libris quatuor, Vini Rhenani optimi Libris ſex. Deinde deſtillentur ſecundum Artem, ex Arena, & uſui ſerventur.

In modo commemoratis morbis pectoris Catarrhalibus, & hæc ipſa Aqua, non ſine fructu ac ſucceſſu, adhiberi poterit; præſertim, ſi lenti viſcidique humores pulmones nimium oppleverint, adeo, ut fruſtra irritata & ſtimulata tuſſi, nihil cocti ſputi, aut maturæ pituitæ, egeratur: quod effœtis præcipue frigidisque ſenibus perquam familiare: qui proinde ejusmodi ſtimulo quaſi aromatico calidoque vel maxime indigent. Interea tamen diffiteri non poſſum, mihi quidem Compoſitionem Keglerianam ſuperius poſitam, multis de cauſſis, magis placere, quam hancce, e Diſpenſatorio Leodienſi petitam; licet nec eam ſua merita laude defraudare velim, aut debeam. Quin potius hæc omnia prudentis Medici arbitrio, relinquuntur.

Aqua Cephalica Bœcleri.

Diſpenſat. Argent.

℞. Foliorum Roriſmarini cum Floribus, *libram unam ſemis*, ponder. civ.
Florum Liliorum convall. *Manip. quatuor.*
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllornm, *ana unciam unam.*
Vini optimi *Menſuras ſex*,
Spiritus Vini *Menſuram ſemis.*

Facta digeſtione, deſtillatione proliciatur Aqua. *Ad Libram hujus Aquæ*, addatur Sacchari, pro Edulcoratione, *uncia una ſemis.*

Paucis quidem ex Ingredientibus conſtat; nihilominus ſale Volatili oleoſo, ſexui quoque ſequiori non adverſo, turget: Convenit in affectibus Capitis, Cephalalgia, Clavo, affectibus ſoporoſis &c. nec in paſſionibus hyſtericis ultimum occupat locum Cochleatim, ab uno, ad duo exhibetur Cochlearia.

Aqua Cephalica Caroli Quinti.

Diſp. Ratisbon. Brand. Wirt. Hamb. Prag. Viennenſ.

℞. Summitatum Majoranæ,
Meliſſæ,
Origani,
Florum Anthos,
Lavendulæ,
Liliorum convallium,
Roſarum rubrarum,
Salviæ *ana uncias duas.*
Caryophyllorum,

Nucum Moſchatarum *ana unc. duas.*
Cardamomi minoris,
Cinnamomi,
Cubebarum,
Granorum Paradiſi,
Macis *ana unciam ſemis.*

Inciſa & contuſa groſſo modo infunde in ſpiritus vini optimi libris octo, ſtent per dies ſex in loco calido, & poſtea, addita aquæ fontanæ libra una ſemis, deſtillentur.

Si libuerit,
Ambræ griſeæ &
Moſchi grana aliquot

aliquotæ illius deſtillatæ parti, aut roſtro etiam alembici imponi poterunt, pro iis, qui odorem ferre poſſunt, & tunc completa vocari.

Quæ de Aqua apoplectica diximus, etiam hic repetenda eſſe cenſemus: hanc nempe pariter in affectibus, a cauſa frigida ortis, feliciter adhiberi; ſi vero in morbis ſanguineis in uſum vocetur, majus damnum ab uſu interno expectandum eſſe. Hæc ſapienter Dni Wirtenberg. add. SCHULZ. *prælect. pag.* 25.

Aqua Cephalica Timaei

A GULDENKLEE,

Deſcript. Medicament. pag. 894.

℞. Foliorum recentium Lactucæ,
Plantaginis,
Portulacæ,
Acetoſæ,
Endiviæ,
Nymph. *ana Manip. Sex.*

Exprimatur Succus, & ſecundum Artem deſtilletur.

In atroci Capitis dolore, ab intenſo æſtu, & ſiccitate nimia præſertim orto, hæc Aqua Cephalica blande refrigerans, optimo cum ſucceſſu, adhiberi poteſt, non ſolum interne; ſed etiam externe: ubi tamen, ſi nempe ſub frontalis Epithematis forma, externe applicetur, certius citiusque dolorum levamen ab ipſa ſperandum fuerit, ſi modica quidem, ſufficiens tamen quantitas Aceti roſacei, vel rutacei, vel denique florum Sambuc. aut Lilior, convall. ſit affuſa.

Aqua Cephalica.

JÜNCKEN, *Chym. Experiment. Cap.* 7. *pag.* 485.

℞. Radicis Angelicæ,
Cyper. rotund.
Jreos Flor.
Caryophyll. *ana drachm. duas.*
Herb. & Summitat. Salviæ acuti fol.
Majoranæ,
Anthos,
Meliſſæ,
Lavendulæ,
Thymi, *ana Manip. unum.*
Florum Roſarum rubrarum,
Liliorum Convall.
Primular. Veris, *ana Manip. ſem.*
Corticum Citri extim.
Aurantior. ſicc. *ana drachm. duas.*
Ligni Santali albi,
Piperis longi albi,
Baccarum Lauri,
Cardamomi,
Cubebarum,
Sem Erucæ,
Calami aromat. *ana Drachm. unam.*
Zingiberis,
Zedoariæ,
Nucis Moſchat.
Maceris,
Caryophyllor. *ana unciam ſemis.*
Cinnamomi electi, *unciam unam.*

Inciſa & conquaſſata infunde in Vini albi Veteris generoſi Libris Octo,

deſtilla per Veſicam. Ex remanentia Fiat Extractum & ſal, quod circuletur cum Aqua prolecta.

Inſignibus plane medendi Viribus hanc ipſam Aquam Cephalicam pollere, vel ex ipſa operoſa non minus, quam concinna ejusdem Compoſitione, uberius patet. Nullum igitur eſt dubium, quin in variis affectibus & doloribus capitis, a cauſſa præſertim frigida, aut humoribus lentis ac viſcidis, ortis, plurimum l vamenti allatura ſit, præcipue ubi juſto & opportuno tempore fuerit adhibita. Ceterum ſimilis fere Aqua Cephalica *proſtat in Pharmac.* BATEAN. *pag.* 6. *& alia, in* BIERLINGII *Append. Medicam. pag.* 19. *ſqq. item pag.* 26. *ſqq. Conf. infra* Eſſentias Cephalicas.

Aqua Ceraſorum Nigrorum Compoſita.

Diſpenſat. Amſtel.

℞. Herb. Rorismarini *Manip. duos.*
Salviæ,
Thymi, *ana Manip. unam.*
Flaved. Cort. Aurant. *unciam unam.*
Flor. Tiliæ,
Veronicæ rubræ, *ana unciam unam ſemis.*
Lil. convall. *drach. ſex.*
Lavend. *drach. tres.*
Inciſis deinde adde:
Ceraſorum nigrorum, una cum oſſibus & nucleis contuſor. *Libras octo.*
Vini albi opt *Libr. quatuor.*

Digerantur per octiduum, & deſtillando, abſtrahantur *Libræ duæ.*

Eſt egregium analepticum, cephalicum & nervinum.

Aqua Cinnamomi Bugloſſata.

Diſp. Vienn. Wirt. & paſſim in reliq.

℞. Cinnamomi acuti contuſi *uncias ſex.*
Aquæ Bugloſſi *libras novem.*

Macerentur per biduum, poſtea deſtillentur lento igne, & aquæ libræ ſex eliciantur.

Aliam hujus Aquæ compoſitionem diffuſiorem, vid. apud MYNSICHT. *pag.* 303.

Aqua Cinnamomi Clareta.

Diſpenſ. Lond. Hamb. Lugd.

℞. Spiritus Vini optimi, *Libram unam.*
Aquæ Meliſſæ, aut Roſar. *unc. octo.*
Sacchari albi, *Libram ſemis.*
Cinnamomi interioris, *uncias duas.*

Infundantur ſimul in Vaſe vitreo, ſtricti orificii, probe clauſo, per Horas Viginti quatuor. Poſtea colentur bis, aut ter, per Manicam Hippocratis.

Easdem habet Virtutes, ac ſequens Compoſitio, hincque in iisdem affectibus, eximium uſum præſtare poteſt. Id tamen monendum videtur hic neceſſario, quod ſi pro fœminis hyſtericis paranda fuerit hæc Aqua; tum amittendum eſſe ex compoſitione, Saccharum, nec Roſas eſſe adjiciendas, ſed ſolam ſervandam Meliſſam, dictis jam ex cauſſis, omnibus notis ceterum conf. infra, Eſſentia Clareti.

Aqua Cinnamomi Collegii Lugdun.

Diſpenſat. Lugd.

℞. Cinnamomi opt. craſſiuſcule triti *Lib. ſemis.*
Aquæ Meliſſæ, (pro fœminis,)
Roſarum, (pro Maribus,)
Vini generoſi, *ana Libr. unam ſemis.*

Infundantur ſimul per Horas 24. poſtmodum Alembico Vitreo excepta, deſtillentur, ex igne cinerum, gradibus Caloris ſenſim adauctis, primam

Aquam, ut pote efficaciorem, a poſterius manante, ſeorſim excipiendo.

Aqua hæc vel ſua ſimplicitate naturali commendabilis, egregium præſtat Remedium analepticum, carminativum, ſtomachicum & hyſtericum; ſi nempe cum Meliſſa fuerit deſtillata, quoniam ſuavem nimis Roſarum odorem impune ferre haud poſſunt omnes fœminæ, ceu ex multis exemplis patet, collectis a Jul. Cæſ. Scaligero, Marcell. Donato, Camerario & aliis, præcipue autem a Roſenbergio, in Rhodologia: quibus & nos recentiora quædam poſſemus adjungere, a nobismet ipſis viſa, ſi locus quidem hic commode pateretur.

Aqua Cinnamomi Cordialis.

Diſpenſ. Ratisbon. Wirt. Hamb. Brand.

℞. Aquæ Borraginis,
Bugloſſæ,
Roſarum,
Violarum *ana libram unam & ſem.*
Cinnamomi electi *uncias quatuor.*

Poſt triduanam infuſionem fiat deſtillatio, ita, ut tertia pars ſit reſidua.

Aliam Aquam Cinnamomi Cardiacam *vid. in Pharmac. Batean. pag.* 7.

Aqua Cinnamomi Cydoniata.

Diſpenſ. Prag. Wirt. Ratisbon. Argent. Hamb. Vienn. Brand.

℞. Succi Cydoniorum recenter expreſſi, *libras ſex.*
Cinnamomi electi *uncias quatuor.*

Fiat infuſio per triduum, poſtea deſtillentur, ut reſiduum tertiam partem æquet.

Uſum eximie laudat Schulz. *in Prælect. pag.* 26.

Aqua Cinnamomi Hordeata.

Diſpenſ. Pariſ. Amſtel. Leod. Pharmac. Batean.

℞. Cinnamomi acuti fruſtulatim effracti, *Libram ſemis.*
Decocti Hordei calentis, *Libr. quat.*

Fiat Maceratio per Biduum, in loco calido. Deſtilla ex Arena, ſecundum Artem, in Cucurbita Vitrea. *Libras duas Aquæ* elicito.

Aqua hæc propter gratum præſertim ſaporem, commendabilis, eſt analeptica, ſtomachica & diuretica, nec non diaphoretica: ideo in febribus intermittentibus, paroxyſmo jam finito, & corpore leni ſudore madente, item in aliis morbis, a cauſſa inprimis frigida ortis, & debilitatem corpori inducentibus, ad fractas nimium vires erigendas, commode exhiberi poteſt.

Aqua Cinnamomi contra Peſtem.

Diſpenſ. Brand.

℞. Cinnamomi optimi *Libram unam.*
Radicum Diptamni albi,
Angelicæ, *ana Libram ſemis.*
Vincetoxici,
Contrayervæ, *ana unciam ſemis.*
Vini generoſi & odori,
Aquæ Roſarum, *ana Libras tres, cum ſemiſſe.*

Inciſa & infuſa, macerentur in obturato optime Vaſe, octiduum; tum e Maris Balneo, Vitreis organis, deſtillentur.

Quid expectandum ſit de hujus quidem Aquæ aromaticæ virtutibus, ipſe ſplendidus Titulus inſcriptus per ſe ſatis indicat. Utinam vero ipſe effectus ſemper, aut certe ſæpius, reſponderet magnæ illi expectationi! Interim tamen, quum adjectæ

adjectæ iſtæ Compoſitioni huic Radices inſignem virtutem alexipharmacam & diaphoreticam poſſideant, uti quidem notum: ideo vix eſt dubium, quin iſtarum reſpectu, hæc Aqua multum valeat, in expellendo Veneno contagioſo intus ſuſcepto; etiamſi ipſum additum Cinnamomum nihil forte præſtet aliud, quam gratum ſaporem, aut ſupini ſtomachi fulturam.

Aqua Cinnamomi ſine vino.

Diſp. Leid. Edimb. Wirt. & reliq.

℞. Cinnamomi acuti *libram unam.*
Aquæ Ceraſorum nigrorum *libras duodecim.*

Miſceantur, digerantur per triduum, deſtillentur ex veſica, donec tertia pars ſolum reſtet.

Aqua Cinnamomi Spirituoſa.

Diſpenſ. Leod. Wirt. & paſſim rel.

℞. Cinnamomi acuti *uncias ſedecim.*
Vini albi ſpirituoſi *libras duodecim.*
Spiritus vini rectificati *libras duas & ſemis.*

Infuſa per biduum deſtillentur per veſicam, lentiſſimo igne, & liquoris ſpirituoſi lacteſcentis libræ octo proliciantur.

Aqua Cinnamomi Vinoſa.

Diſp. Wirt. Vienn. Græning. Edinb. & rel.

℞. Cinnamomi electi *uncias novem.*

Minutim conciſis ſuperfundantur Vini albi generoſi libræ duodecim, macerentur in vaſe clauſo, poſtea deſtillentur ad dimidias.

Cum Cinnamomi virtus analeptica ſit & nervina, ſapor vero & odor omnibus gratus eſſe ſoleat, cunctis aquis cordialibus, analepticis & apoplecticis hæ admiſcentur, & certe vix ullum eſt, in totius materiæ medicæ farragine, ſuavius ac efficacius aroma. Hinc in omnibus morbis adhiberi poteſt, habita ratione, quo cum liquore aqua fuerit deſtillata. Phlegmaticis & ſenibus ſpirituoſa, aliis ſine Vino deſtillata propinetur. Admiſcentur vero potionibus analepticis, vel ſolæ etiam ad cochlearia duo vel tria offerri poſſunt. Hæc Wirt.

Aqua Citri Compoſita ex Succis.

Diſpenſat. Brand.

℞. Pomorum Citri cum pulpa & ſeminibus in fruſta diſſector. *No. ſex.*
Succi Roſarum rubrarum,
Acetoſæ,
Borraginis,
Citri recens expreſſi,
Endiviæ,
Galegæ, *ana Libr. unam ſemis.*
Cardui Bened.
Scordii, *ana Libram unam.*

Omnia per reſidentiam, depurata, ſtent in loco calido, horas viginti quatuor; poſtea deſtillentur Maris Balneo.

Parum quidem Virtutis medicæ tribuitur huic Aquæ ibidem, in Diſpenſ. Brand. laudato: interim tamen non nihil valebit ad æſtum febrilem temperandum, modicamque diaphoreſin atque diureſin blande movendam; adeo, ut, ſi haud multum juvet; tamen & parum noceat. Conf. SCHULZ. *præl. ad Diſpenſ. Brand.*

Aqua Citri cum Spiritu Vini.

Ibid.

℞. Corticum recentium Citri conſciſſorum *Libram unam.*

Infundantur cum Spiritus Vini Libris octo, per biduum: poſtea e Maris Balneo deſtillentur; Aqua edulco-

retur Saccharo clarificato, quantum ſ. ad gratiam.

Minime Aqua; ſed proprie Spiritus Citri Saccharatus appellari debet. Concinnior eſſet Formula, ſi loco Sacchari, Syrupo Acetoſitatis citri edulcoraretur.

Uſus ejus eſt analepticus, nervimus & ſtomachicus; ideo in nauſea, vomitu, anorexia & bradypepſia, ſimilibusque ruentis Ventriculi affectibus & ſymptomatibus, adhiberi commode poterit hæc ipſa Aqua Citri, ſeu Corticum Citri. Conf. SCHULZ. *prælect. laudat. pag.* 27.

Aqua Confortativa *ſive* Perlata.

Diſpenſ. Argent. Vienn. Norimb. Prag. Hamb. Ratisbon. Wirt. & rel.

℞. Aquæ Ceraſorum nigrorum *libram unam & ſemis.*
Tiliæ *uncias ſex,*
Cinnamomi vinoſæ *unc. unam ſemis.*
Margaritarum occidentalium præparatarum *ſcrupulos duos.*
Coraliorum alborum praeparatorum *drachmam unam.*
Cornu Cervi uſti praeparati *ſcrupulos quatuor.*
Julepi roſati *uncias tres.*

Eſt Aqua, quam confortativam vocant, ordinaria, & infantibus ac aliis, qui medicamenta reformidant, offerri ſolet. Doſis eſt ab uncia dimidia ad integram. vid. SCHULZ. *Prælect. ad Diſp. Brand. pag.* 27. *Alia Aqua confortativa elegantis Compoſitionis, extat in Ciſt. Med.* HAFN. *Th.* BARTHOL. *pag.* 361. *ubi & pag.* 359. *Electuarium Confortativum.*

Hic autem pharmacopæi monendi ſunt, ne nimiam ejus quantitatem Saccharo temperatam, ſed potius, ne aceſcat, non ſaccharatam reponant, & ſi neceſſe ſit, Julepum Roſarum, ad edulcorandum, addant.

Aqua contra Colicam.

Diſpenſ. Brand.

℞. Radicum Angelicæ,
Calami aromatici,
Zedoariæ, *ana unciam ſemis.*
Seminis Aniſi,
Anethi,
Carvi,
Dauci,
Fœniculi,
Nigellæ,
Sileris montani, *ana uncias duas.*
Petroſelini Macedon. *unciam ſemis.*
Florum Chamomillæ Rom. *Manip. duos.*
Sambuci,
Foliorum Menthæ,
Meliſſæ,
Origani,
Pulegii, *ana Manipulum unum.*
Corticum Aurantiorum,
Citri, *ana uncias duas.*
Baccarum Juniperi,
Lauri,
Cinnamomi electi, *ana unciam unam.*
Spiritus Vini optimi, *uncias decem.*

Stent in digeſtione, & poſtea, ut Artis eſt, deſtillentur.

Eſt Carminativa & diuretica hæc Aqua, inquit SCHULZIUS, *in prælect. pag* 28. *adeoque in Colica flatulenta, a cruditatibus profecta, conferre poteſt, ab uncia dimidia, ad integram, adſumta. Ubi vero aliqua cauſa calida ſubeſt, erit ab ea abſtinendum. Hæc ille in ſola igitur colica, a meris flatibus, cibis frigidis, duris, dyſpeptis, item potibus gelidis, fæculentis & ſpumantibus, aliiſque

cauſſis frigidis, orta; hæc Aqua calidioris aliquando & generoſioris indolis, magno cum fructu, in uſum erit advocanda: In Colica contra bilioſa, ſanguinea, aut hæmorrhoidali, cane pejus & Angue, illa vitanda: oleum enim quaſi addit Camino, & letalem gangrænam ſphacelumque tum facile inducere poteſt. Igitur ſumma circumſpectione opus eſt, cum in doloribus colicis, tum hyſtericis: Confert enim etiam hæc aqua fœminis ex utero laborantibus, ſi nempe paſſionis cauſſa ex flatibus orta fuerit, non vero a nimia ſanguinis in vaſis uterinis, congeſtione: tum enim & hæc aqua nocet, ex iisdem rationibus.

Aqua Cordialis Calida.

Timæi a GÜLDENUL. *l. c. p.* 399.

℞. Herbæ Meliſſæ, *Manipulos tres.*
Cardui Bened. *Manip. un. ſemis.*
Flor. Calendulæ,
Tunicæ,
Lavendulæ,
Lychn. Coronar.
Rorismarin.
Roſarum rubr. *ana Manip. unum.*
Sem. Ocymi Caryophyllat. *drachm. ſex.*
Citri, *drachmas tres.*
Rad. Caryophyllat. *Drachmas ſex.*
Cinnamom. acutiſſ. *uncias tres.*
Maceris, *unciam unam*
Santal. Citrin. *Dtachmas duas.*
Ligni Aloës, *Drachm. unam ſemis.*
Caryophyllorum, *drachmas duas.*
Cardamom Major,
Minor. *ana drachm. unam ſemis.*
Flavedin. Cort. Citri, *unciam unam.*
Croci Oriental. *drachm. unam ſemis.*
Inciſis & Conquaſſatis affundantur:
Vini Frontignani,
vel
Malvatici, *Libræ Novem.*
Macerentur per ſeptem dies,
Poſtea addatur,
Aquæ Meliſſæ,
Calendulæ,
Cortic. Citri, *ana Libra una.*
Mixta, lege Artis, deſtillentur.

Eædem pæne huic Compoſitioni inſunt virtutes, quas laudamus, in ſequenti Deſcriptione: hac ſaltim differentia, quod hæc quidem Aqua Cordialis Calida magis proſit in Morbis, a cauſſa frigida & lenta viſcidaque pituita, productis, quam quidem a cauſſa calida ſuſcitatis, ex rationibus per ſe manifeſtis.

Aqua Cordialis Frigida

Tim. a GÜLDENKLEE, *deſcript. Medicament. pag.* 398.

℞. Flor. Roſar. rubrar.
Violarum,
Borraginis,
Bugloſſ.
Nymphaeae, *ana Drachm. ſex.*
Radic. Bugloſſ. *unc. duas.*
Acetoſæ,
Tormentillæ,
Fragariæ, *ana unc. unam.*
Sem. Citri,
Acetoſ. *ana unciam ſemis.*
Terræ ſigillat. ſtrig. *unc. unam.*
Santal. omnium, *ana drachm. duas.*
Inciſis & Conquaſſatis adde:
Conſerv. Roſar. provinc. *uncias tres.*
Violarum,
Borraginis,
Bugloſſ.
Acetoſell. *ana unciam unam.*
Condit. Flor. Citri, *unc. unam ſemis.*
Aquæ Roſar. optim. *Libras duas.*
Borragin.

Bugloſſ.
Rubi Idæi,
Fragorum,
Ceraſorum nigror.
Acetoſell, *ana Libram unam.*
Aceti de Rubo Idæo, *Libr. ſemis.*
Succi Citri acidi, *Libram unam.*
Mixta deſtillentur in vaſis Vitreis.

Vires operoſæ hujus & pretioſæ Compoſitionis ſunt potiſſimum Analepticæ, Cardiacæ, nervinæ & Cephalicæ. Hinc in Morbis, a cauſſa præcipue calida, putrida & maligna ortis, & cum ſumma Cordis anxietate, Viriumque defectu conjunctis, refocillando, roborando & excitando, eximium præſtat uſum. Ceterum aliam non minus concinnam Aquæ Cordialis reſtaurantis Compoſitionem vid. in Frid. HOFFMANNI SEN. *Clave pharmac.* SCHROEDER. *Lib. II. c.* 38. *pag.* 48.

Aqua Cordialis Frigida alia.

Diſpenſ. Norimb. Wirt. Hamb. & rel.

℞. Cinnamomi acuti *uncias duas & ſem.*
Corticum Citri recentium e pomis *octo.*
Sandali citrini *unciam unam.*
inciſa & contuſa infundantur in
Aquæ Bugloſſæ,
Acetoſæ *ana libra una.*
Ceraſorum nigrorum,
Roſarum fragrantiſſimarum,
Rubi idæi *ana libra una & ſemis.*

Miſceantur, deſtillentur ad tertiæ partis remanentiam e veſica.

In morbis acutis ac malignis Febribus, ubi calida, & nimium aromatica, merito fugiuntur, optimi effectus eſt, & admiſcetur potionibus & mixturis.

Aqua Cordialis ex Succis,

Tim. a GULDENKL. *l. c. p.* 399.

℞. Succi Ceraſorum nigror. *Libr. quat.*
Rubi Idæi *Libras tres.*
Roſarum rubr.
Pallidar. *ana Libram unam.*
Granator. acidorum,
Dulcium, *ana libram ſemis.*
Citri, *Libras duas.*
Borragin.
Bugloſſ.
Acetoſell *ana Libram unam.*
Ribium, *Libram unam ſemis.*
Pyrorum Moſchatell. *Libras duas.*
Mixta deſtillentur in Vaſis Vitreis.

Aqua Cordialis Odorata,

Ejusdem Timæi, pag. 399.

℞. Florum Roſar. rubrar.
Pallid. *ana Manip. tres.*
Violarum,
Tunicarum, *ana Manipul. unum.*
Jaſmini,
Tiliæ,
Calendulæ,
Borragin.
Bugloſſ. *ana Pugill. duos.*
Pomorum Citri recent. *No. quinque.*
Aurantiorum, *No. tria.*
Styracis Calamit. *Drachm. ſex.*
Cinnamomi acutiſſ. *unciam unam ſem.*
Caryophyllorum, *unciam ſemis.*
Maceris *Drachmas tres.*
Lignii Rhodii, *Drachmas ſex.*
Santal. Citrin.
Albi, *ana drachmas tres.*
Rad. Jreos. Florent. *drachmas ſex.*
Inciſis & Conquaſſatis affundantur:
Aquæ Roſar. Fragrantiſſ. *Libr. quat.*
Lavendulæ, *Libræ tres.*
Meliſſæ, *Libræ duæ.*
Fragorum.

Rubi Idæi, *ana Libra una.*

Mixta, lege Artis, deſtillentur.

Iidem uſus analeptici & cardiaci vel his binis egregiis Aquis Cordialibus merito adſcribendi, ut clare patet.

Aqua Cordialis Temperata Auguſt.

Diſp Wirt. Hamb. Argent. Prag. & reliq.

℞. Cinnamomi acutiſſimi, *uncias tres, Drachm. duas.*

Corticum Citri exteriorum recentium *unciam unam.*

Sandali citrini *unciam ſemis.*

Galangæ,

Caryophyllorum,

Macis,

Nucum moſchatarum *ana drachmam unam ſemis.*

Cardamomi minoris *drachmas tres.*

Florum Lavendulæ *drachmas ſex.*

Borraginis *unciam unam.*

Roſarum *uncias duas ſemis.*

Inciſis & tritis adde

Vini albi generoſi,

Succi Pomorum redolentium,

Fructuum Rubi idæi *ana libram unam.*

Aquæ Borraginis,

Bugloſſi *ana libram unam ſemis.*

Roſarum *libras duas ſemis.*

Rubi idæi,

Ceraſorum nigrorum,

Meliſſae *ana libram ſemis.*

In vaſe vitreo bene clauſo, per dies quatuor, digerantur, deinde in balneo deſtillentur ad dimidias, id eſt libras ſex.

In morbis malignis & inde proſtratis viribus, potionibus additur; prodeſt etiam a morbo convaleſcentibus, ad vires reſtaurandas. Doſis ab uncia dimidia ad integram. Ceterum de ejusmodi Aquarum Cordialium præparatione & uſu, vid. Claud. DEODATI *Libell. de Aqua Cordiali Herculis Saxoniæ, Hanov* 1652. *ubi plura.*

Aqua è Corde Cervi MYNSICHTI *pag.* 304.

Diſp. Prag. Wirt. Vienn. & reliq.

℞. Cor cervi recens, ſcindatur in partes minores, addantur

Foliorum Meliſſæ,

Borraginis recentium *ana unciæ duæ.*

Florum Roſarum,

Tunicæ *ana uncia una.*

Corticis Ligni Saſſafras,

Cinnamomi,

Sandali citrini *ana drachmæ ſex.*

Caryophyllorum,

Nucis Moſchatæ *ana drachmæ duæ.*

Inciſis & contuſis affundantur

Vini albi *libræ quatuor.*

Aquæ Meliſſæ,

Borraginis *ana libra una ſemis.*

Deſtillentur ſtatim ex veſica, leni igne, ut reſiduum libras tres æquet.

In confeſſo quidem eſt, aquas deſtillatas ab animalium partibus tantum haud accipere, quod vulgo creditur, ideoque hanc aquam vix quidquam virtutis e corde Cervi nanciſci; cum vero abs plebe frequenter e pharmacopoliis petatur, in Diſpenſatorio hoc noſtro locum illi concedere voluimus. Habet autem eandem, a reliquis ingredientibus, vim, quam aqua cordialis temperata, & ab uncia ſemis, ad unciam unam, ſola hauriri, vel potionibus admiſceri poteſt. Hæc quidem Cel. b. Wirtenbergenſes, ſapienter profecto. Aliam autem pretioſiorem & efficaciorem hujus Aquæ de Corde Cervi analepticæ compo-

ſitionem eximiam, vid. in Herman. Grim. Laboratorio Ceylonico, pag. 20.

Aqua Cornu Cervi Citrata WALDSCHMIDII.

Diſp. Wirt. Argent. Vienn. & reliq.

℞. Raſuræ Cornu Cervi *uncias ſex.*
Pomorum Citri, cum corticibus inciſorum, *numero quatuor.*
Infunde per nyhthemeron
Aquæ Roſarum,
Scabioſæ,
Acetoſæ,
Cardui benedicti,
Meliſſæ,
Scordii *ana libra una.*

Poſtea deſtilla ad quartæ partis remanentiam.

Analeptica & alexipharmaca prædicatur; hinc in Febribus malignis utilis. Adpoſuimus formulam, quia jam a longo tempore, a pluribus in uſum vocatur. Doſis uncia una ad duas.

Aqua Corticum Aurantiorum cum Vino.

Diſp. Wirt. & paſſim in aliis.

℞. Corticum Aurantiorum recentium *libram unam.*

Conciſi in Vini albi libris octo infundantur, & deſtillentur ad dimidias. Sic & Aqua Corticum Citri paratur. Vid. Diſp. Prag. & alibi.

Carminativa & ſtomachica eſt. Doſis uncia una, vel una ſemis.

Ceterum aliam Aquam Cort. Aurant. ſine Vino, vid. in Diſpenſ. Lond. & alibi.

Aquæ Deſtillatæ Simplices.

Diſpenſ. Wirt. Hamburg. Leydenſ. Pariſ. Leod. & Amſtelod. SCHROEDERI *Theſaur. pharmacolog. Lib. II. cap.* 38. *p.* 129. *ſqq. Diſpenſ. Norimberg. Lond. Vienn.*

Plantæ, ex quibus aquæ deſtillantur, ſunt vel
Succoſæ, ſucco abundanti præditae; vel
Viſcoſæ & minus ſucculentæ, vel
Succo acri turgentes, vel
Odoriferæ, oleum aromaticum æthereum reddentes.

Plantæ ſucco abundantes uſitatiores, e quibus aquæ deſtillari ſolent, ſunt

Acetoſa,
Acetoſella,
Anagallis,
Bellis minor,
Borrago,
Bugloſſa,
Lactuca,
Portulaca,
Sedum,
Squamaria,
Urtica.

His & ſimilibus recentibus, in Diſpenſat. Lond. Vienn. & aliis ſupra laudatis, longa quidem ſerie recenſitis, & ordine alphabetico propoſitis, parum conciſis, ad ſingulam libram duplum ponderis, i. e. libræ duæ aquæ fontanæ adduntur, & ex qualibet libra herbæ, libra una & dimidia aquæ, deſtillatione ex veſica cuprea, per alembicum, Stanno probe obductum, elicitur.

Plantæ uſitatiores viſcoſæ & minus ſucculentæ ſunt

Argentina, *ſive* Anſerina,
Betonica,
Burſa Paſtoris,
Calendula,
Carduus Benedictus,
Carduus Mariæ,
Centaurium minus,
Chelidonium majus,
Cichorium,
Euphraſia,
Fragaria,
Fumaria,
Galega,
Hepatica nobilis,
Plantago,
Prunella,
Quercus Folia,
Saxifragia,
Scabioſa,
Scordium,
Scorzonera,
Sigillum Salomonis,
Solanum,
Taraxacum,
Tiliæ Flores,
Tuſſilago,
Valeriana,
Verbena,
Veronica.

Hæ triplum aquæ expoſcunt, & dimidiam partem reddunt.

Plantæ ſucco acri turgentes uſitatæ ſunt

Beccabunga,
Cochlearia,
Naſturtium,
Raphanus Hortenſis & Ruſticanus,
Trifolium Fibrinum.

Hæ in duplo aquæ macerari, & poſtea deſtillari debent, atque ex qualibet libra herbæ, libra una & dimidia aquæ prolici.

Plantæ odoriferæ, oleo æthereo dotatae ſunt

Abſinthium,
Angelica,
Artemiſia,
Chamæmelum, *ſive* Chamomilla,
Chærefolium,
Fœniculum,
Hedera Terreſtris,
Hyſſopus,
Lavendula,
Leviſticum,
Majorana,
Matricaria,
Melilotus,
Meliſſa,
Mentha,
Millefolium,
Petroſelinum,

Pulegium,
Roſmarinus,
Ruta Hortenſis,
Sabina,
Salvia,
Serpillum,
Tanacetum,

His omnibus quadruplum aquae affundi, & duae librae aquae deſtillatione elici poſſunt.

Cum floribus ſequentibus integris atque recentibus:

Acaciæ,
Aurantiorum,
Cyani,
Fabarum,
Keiri,
Liliorum Alborum,
Convallium,
Nymphææ,
Pœoniæ,
Primulæ veris,
Roſarum,
Sambuci.

Affuſo triplo aquae, ſtatim deſtillatio inſtituenda, & ex qualibet libra florum, libra una cum dimidia aquae elicienda.

Semina Aniſi,
Carvi,
Coriandri,
Fœniculi.
Baccæ Juniperi,
Lauri.
Radices Angelicæ,
Calami Aromatici.
Ligna Saſſafras,
Rhodium.
Cortices Chacarillæ,
Winterani.

Omnia ſextuplum aquae, & macerationem per aliquot dies, ante deſtillationem, expoſcunt. Ex quavis libra, aquae lacteae, oleoſae, librae tres elici poſſunt.

Aquila alba,
vid. infra

Calomelas & Panacea Mercurialis.

Cortices Fructuum Aurantiorum & Citri.

Abſque praevia maceratione, ſtatim deſtillantur, atque ad libram corticum aquae librae quatuor affundi, & librae duae deſtillatione abſtrahi debent.

Fructus Halicacabi,

ſive Alkekengi, minus ſucculenti, tres partes aquae expoſcunt, atque unam ſemis reddunt.

Ceraſorum,
Fragorum,
Rubi Idæi

duplum aquae poſcunt, & e qualibet libra, libram unam aquae deſtillatae fragrantis exhibent.

Pro vehiculo aliorum medicamentorum ut plurimum inſerviunt. Ex herbis, floribus & fructibus frigidis paratæ

vix

vix annum durant; oleoſorum & odoratorum ſimplicium aquae durabiliores ſunt. Hæc Celeb. Wirt.nbergenſes.

Aquæ Diapnoicæ.

Diſpenſ. Brand.

℞. Aquae ſol. recent. Scabioſae,
Scordii,
Cardui benedicti,
Plantaginis, *ana*
Miſceantur,

Poſſunt præſcribi pro vehiculo Medicinarum diapnoicarum: Addi etiam julepis & Mixturis, ita SCHULZ. *p.* 30. *Crebra fit mentio harum Aquarum in Scriptis* STAHLII *& Stahlianorum, ideo eas hic plane omittendas haud cenſuimus, tametſi ſimplices & notiſſimæ ubivis ſint.*

Aqua Divina, *ſeu* Mirabilis.

Diſpenſ. Pariſ. Leodienſ. Edinburg. in quibus tamen non nihil differt.

℞. Aquæ Florum Aurantior. *unc. duas.*
Spiritus Vini rectificati, *uncias octo.*
Aquarum Flavedinis Citrei,
Meliſſæ ſimplicis,
Bugloſſi,
Borraginis,
Scorzoneræ,
Card. Bened. *ana unc. quatuor.*
Sacchari albi, *uncias ſex.*

Miſceantur omnia: digerantur in loco frigido, per octiduum: dein trajiciantur per Manicam.

Divinior forſan Titulus eſt, quam ipſe effectus, qui tantum humanus eſt. Interim non negamus, ſuaviſſimæ huic compoſitioni ineſſe Virtutem analepticam, cardiacam, ſtomachicam, & Carminativam; etiam hyſtericam, ſi abeſſet Saccharum.

Aqua Diuretica e Nucleis Schrœderi Correcta.

Diſp. Brand. Wirt. Arg. Prag. Hamb. & rel.

℞. Amygdalorum amarorum,
Nucleorum Perſicorum,
Ceraſorum *ana uncias duas.*
Florum Sambuci *uncias ſex.*
Vini generoſi *libras octo.*

Contuſa digerantur per biduum in loco calido, dein deſtillentur ad dimidias.

Commendatur nephriticis & calculoſis, in quibus neque inflammationis, nec mictus cruenti metus eſt, poſt copioſam infuſi Theæ vel calidæ potionem, ad unciam dimidiam aut integram ſumenda. Tormina ſedat & urinam pellit. Sed parum Virtutis huic Aquæ tribuit SCHULZ. *in Prælect. pag.* 27.

Aqua Dyſenterica.

Diſp. Vienn.

℞. Nucis Moſchatæ,
Radicis Tormentillæ,
Biſtortæ,
Pimpinellæ,
Conſolidæ majoris,
Plantaginis, *ana uucias duas.*
Florum Balauſt.
Roſarum rubrarum,
Hyperici,
Papav. errat. *ana unc. ſemis.*
Baccarum Myrtillorum,
Acaciarum,
Fructus Sorbor. *ana unc. unam ſemis.*
Inciſis & Contuſis addantur:
Succi Cydoniorum,
Vini rubri Hungar. *ana libræ ſex.*

Stent per aliquot dies, in Infuſione; deinde inſtituatur lege Artis, Deſtillatio.

Inſignes hujus Aquæ Virtutes vel ab ipſo Nomine patent. Caute tamen &

circumſpecte hæc ipſa Aqua generoſa eſt adhibenda; ſcilicet, non ab initio diri illius morbi; ſed potius in progreſſu, ſeu rectius, fine, ubi expurgato prius bene corpore impuro, remediis tonicis, roborantibus & leniter adſtringentibus opus eſt.

Aqua *ſive* Balſamus Embryonum.

Diſpenſat. Norimb. Brand. Wirt. Vienn. Ratisbon. & reliq.

℞. Nucum Moſchatarum *uncias tres ſem.*
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Zingiberis,
Cubebarum,
Granorum Paradiſi,
Zedoariae *ana uncias duas.*
Macis *unciam ſemis,*
Galangae *drachmas tres.*
Croci orientalis *drachmas duas.*
Florum Tunicae,
Tiliae *ana libram unam.*
Lavendulae,
Herbae Salviae,
Seminum Carvi,
Fœniculi *ana uncias tres.*
Menthae criſpae,
Radicum Pœoniae,
Seminum ejusdem,
Viſci querni *ana uncias duas.*
Medullae panis Tritici a furno calentis *libras duas.*
Inciſa & contuſa infundantur in Vini malvatici *libr. dec.*
Aquae Borraginis,
Bugloſſae *ana libris quatuor.*
Florum Liliorum convallium *libr. duabus & unciis octo,*
Fragorum,
Roſarum, *ana unciis ſedecim.*

Digerantur per triduum, poſtea deſtillentur lento igne ex veſica ad dimidias.

Deſcriptio, quam modo dedimus, eſt Pharmacopoeae Auguſtanae, in qua, cum a longo tempore apud nos in uſu fuerit, nihil immutare voluimus. Alia vero Compoſitio extat in Pharmac. BATEAN. pag. 101.

Conſtat ex aromatibus & calidis ſanguinem commoventibus, unde caute mulierculis ad abortum diſpoſitis, ſiquidem plethoricæ ſint, commendanda eſt, ne hæmorrhagias excitet. Vid. huc inprimis STAHL. *Mat. Med. Part. II. Cap.* 4. *p.* 169. *ubi generatim huic Balſamo mediocres admodum laudes tribuit. Prodeſt vero flatulentis & debilibus, poteſtque loco aquæ carminativæ adhiberi; externe non ſine fructu, cum cruſta panis calida, abdomini imponitur. Ab uncia ſemis ad integram hauriri poteſt. Vid.* SCHULZ. *Prælect. pag.* 30.

Aqua *vel* Balſamus Embryonum correctior, *ſive* Elixir. Vitæ Mulierum.

Diſp. Wirt. Laudatur in Diſp. Brand. Hamb.

℞. Galangae,
Zedoariae *una unciam ſemis.*
Herbae Menthae,
Meliſſae *ana unciam unam.*
Florum Stœchadis Arabicae,
Tunicae,
Tiliae *ana drachmas quinque.*
Seminis Sileris montani,
Fœniculi Cretici *ana unciam ſemis.*
Nucum Moſchatarum *unciam unam.*
Cinnamomi *drachmas ſex.*
Corticum Aurantiorum recentium,
Citri recentium *ana unc. unam ſem.*

Inciſa & contuſa infundantur Vini albi libris decem. Poſt digeſtionem viginti quatuor horarum, deſtillentur ad dimidas.

Cum præcedenti convenit, tamen non adeo aromatica, calida & pretioſa, atque ad internum uſum magis commendabilis eſt. Doſis cochlearia duo vel tria.

Aqua, *ſeu* Balſamum Ventriculi.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Galangae, *uncias tres.*
Nucis Moſchatae,
Caryophyllorum,
Cubebarum, *ana unciam unam ſemis.*
Cinnamomi,
Macis,
Zedoariae,
Granorum Paradiſi, *ana unc. unam.*
Piperis longi,
Florum Roſarum rubrarum,
Tunicae,
Bugloſſi, *ana drachmas ſex.*
Herbae Menthae,
Pulegii,
Abſinthii utriusque, *ana unc. ſemis.*
Medullae panis tritici, *uncias decem.*

Conciſa & Contuſa macerentur in Vini albi ſufficienti Quantitate, ad ſex digitorum eminentiam, Vaſe probe clauſo, per Octiduum: facta Digeſtione, fiat lege Artis, Deſtillatio.

Vires ſtomachicæ ab ipſo Nomine deſumi poſſunt. Scilicet, in morbis languidi & ſupini ſtomachi, a cauſſa potiſſimum frigida & flatuoſa ortis, atque Anorexia, Bradypepſia, nauſea, vomitu, ructu, aliisque id genus moleſtiis inde enatis, hæc Aqua tam interne, quam externe, Epithematis loco, adhibita, inſignem haud dubie uſum præſtare poteſt. Tanto magis vero e contrario, eadem nocebit, ubi in affectionibus, Ventriculi a Cauſſa Calida & acri, progeneratis, veluti materia acida, bilioſa & cauſtica, vel & nimia ſanguinis in Vaſis ipſius, congeſtione & ſtagnatione, incautius, magna præſertim Copia, fuerit ingeſta: Tum enim incendium magis augetur, oleumque quaſi Camino additur, per calida iſta atque generoſa aromata. Hinc nec in Cardialgia; aut Cardiogmo, nec in cholera, ſimilibusque affectibus ſtomachi acutis, omnis calidioris Medicinæ impatientioribus, uſus hujus Aquæ, alias eximiæ, propter imminens nempe periculum, eſt admittendus.

Aqua Epatica Calida,

Tim. a GÜLDENKLEE, *pag.* 401.

℞. Rad. Coſti Aegyptiaci,
Curcumae, *ana unciam unam.*
Fœniculi,
Graminis,
Aſparagi,
Rhapont.
Calami aromat. *ana unciam ſemis.*
Herb Abſinthii utriusque,
Veronicae,
Agrimoniae,
Eupatorii,
Fumariae,
Centaurii minor. *ana Manip. unum ſemis.*
Florum Salviae,
Tunicae,
Epaticae,
Roſarum rubrar. *ana Manip. un.*
Semin. Fœniculi,
Cardui Bened. *ana drachm. tres.*
Cortic. Fraxini, *drachmas ſex.*
Cinnamomi acutiſſimi, *uncias ſres.*
Paſſular. minorum, *libram ſemis.*

Epatis Lupi præparat. *uncias quat.*
Inciſis & Conquaſſatis affundantur:
Vini Abſinthit.
Helenit. *ana libræ ſex.*
Aquæ Agrimoniæ,
Veronicæ, *ana libra una.*

Mixta macerentur per triduum, poſtea deſtillentur ſecundum Artem.

In Morbis Epatis, a cauſſa præſertim frigida ortis, conducit hæc Aqua, non ſolum Epatica, ſed & ſimul diuretica & antiſcorbutica. Qualis vero virtus expectanda hic ſit a Lupi inviſi inerti hepate, & quidem per deſtillationem; id equidem me nec videre, nec intelligere fateor. Lupus enim, qui vivus, nec ſilvis, nec hominibus, nec ovibus profuit; multo minus proderit mortuus, niſi, quod eo interfecto, oves & paſtores ſecurius vivant. Omittatur ergo hoc ſordidum Lupi hepar ex hac alias ſat concinna compoſitione. Ceterum alias Aquas epaticas vid. in BIERLING. *Append. Med. pag.* 12. *ſqq.*

Aqua Epatica Frigida,

Auctore eodem TIMAEO, *pag.* 401.

℞. Radicis Cichorii, *uncias duas.*
Acetoſæ,
Fragariæ,
Plantaginis,
Taraxici, *ana drachmas ſex.*
Herbar. Endiviæ, *Manipul. tres.*
Scariolæ,
Acetoſæ,
Cichorii,
Taraxici, *ana Manipulos duos.*
Florum Nymphææ,
Violarum,
Roſarum rubrarum,
Epaticæ, *ana Manipulum unum.*
Semin. quatuor frigid. maj. *ana dr. ſex.*
Quatuor. frigid. min. *ana unc. ſem.*
Specierum Diarrhod. Abbat.
Diatrion Santal. *ana unc. ſemis.*
Aquæ Endiviæ, *libras quatuor.*
Cichorii *libras tres.*
Taraxici *libras duas.*
Agrimoniæ, *libram unam ſemis.*
Epaticæ, *libram unam.*
Succor. Ribium,
Fragorum, *ana libram unam.*
Acetoſæ, *libras tres.*
Citri, *libram ſemis.*

Mixta deſtillentur in Balneo Maris, per Alembicum.

Morbis Epatis, a Contraria Cauſſa, nempe calida, potiſſimum concitatis, oppoſita eſt hæc egregia Aqua epatica frigida. Igitur in Inflammationibus Hepatis, Bilis obſtructionibus, utroque Ictero, aliisque Epatis vitiati affectibus, inſignem haud dubie uſum præſtabit, opportune adhibita. Blande enim temperat & refrigerat, emollit, abſtergit, obſtructiones reſerat, diluit, alvum aperit, & urinam citat.

Aqua Epidemica Londinenſis.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deſideratur. Non extat in Diſp. Lond. alia tamen in plerisque, huic ſimilis Aquæ Epidemicæ *compoſitio legitur in Diſp Edinburg. & in Pharmacop. Bateana, pag.* 9.

℞. Radicum Angelicæ,
Tormentillæ,
Gentianæ,
Zedoariæ,
Liquiritiæ,
Herbarum Chelidonii majoris,
Roriſmarini,
Rutæ,
Salviæ,
Artemiſiæ,
Abſinthii,
Anagallidis,

Dracontiæ,
Scabioſæ,
Agrimoniæ,
Meliſſæ,
Scordii,
Centaurii minoris,
Cardui benedicti.
Betonicæ,
Roris ſolis *ana unciam unam.*

Macerata in Vini albi libris duodecim, deſtillentur ad dimidias.

Medicis Anglis magni uſus eſt hæc aqua in febribus epidemice graſſantibus, malignis, & cum paucæ apud illos aquæ deſtillatæ ſimplices proſtent, aquam hanc, cujus vires theriacales, vel, ſi mavis, bezoardicæ ſunt, ſalubri inſtituto, in uſum vocaſſe videntur. Doſis ab uncia una ad uncias duas.

Aqua Epileptica.

Diſp. Leid. Amſtel.

℞. Rad. pæoniæ maris ſiccat. *libr. ſemis.*
Angelicæ,
Fraxinellæ,
Fol. Origani Cretici,
Rutæ,
Salviæ, *ana uncias duas.*
Flor. Pæoniæ maris,
Betonicæ,
Liliorum Convall.
Rorismarini,
Tiliæ,
} recentium.
Sem. Ammios Orientalis,
Nigellæ, *ana unciam ſemis.*
Pœoniæ, *uncias duas.*
Caſſiæ ligneæ,
Caryophyllorum,
Sem. Cardamomi minoris,
Nucis Moſchatæ,
Olei Vitrioli, *ana drachmas duas.*

Conſciſſis & parum Contuſis affundantur:

Spiritus Vini Gallic. *libræ decem.*

Stentque per Octiduum, calide, in Vaſe bene clauſo, deinde Colatura ſervetur uſui.

Uſus nempe hujus Aquæ eſſe Creditur Antepilepticus, ut ipſe Titulus indicat; & revera creditur. Nam licet ipſi in leviori & incipienti quaſi Epilepſia, virtutem omnem antepilepticam abjudicare haud audeam: Merito tamen dubito, an eadem auxilii quidquam atque levamenti adferre poſſit in Epilepſia jam inveterata, aut oneroſa quaſi hæreditate, accepta? Contra quam quippe parum valet omnis fere Medicina, quantumvis valentiſſima, ut notum. Ceterum ſimilem fere Aquam Epilept. HARTMANNI *vid. apud* BIERLING. *Append. Med. p.* 18.

Aqua Epileptica,
BESSANI GALLI.

Tabul. Smaragd. p. 30.

℞. Aquæ Liliorum Convall. cum Vino,
Ceraſorum nigror. *ana libr. un. ſem.*
Miſce ſimul, & impone ſubſequentes Species, groſſo modo tritas:
Caryophyllorum, *Scrupulos duos.*
Cubebarum, *Scrupulum unum.*
Florum Lavendulæ, *Manipul. ſemis.*
Rorismarini,
Maceris,
Viſci querc. *ana drachmas duas.*

Infundantur in prædictis Aquis; rurſus deſtillentur per Balneum Mar. ponantur indiebus Calidioribus, ad Solem.

Vires analepticas, nervinas, Cephalicas & antepilepticas denique, huic concinnæ Aquæ ſuaviſſimæ Compoſitioni ineſſe, nemo non Medicorum confeſtim, putem, per ſe intelliget. Ceterum aliam egregiam Caſp. BARTHOLINI Aquam Epilepticam, *vid. in ipſius Filii, Tho-*

mæ BARTHOLIN. *Ciſt. Med. Hafn. pag.* 162. & *aliam haud minoris virtutis, apud Verzaſcham, Obſ. med.* 83. *p.* 201. *Conf. infra*, Infuſum Epilepticum.

Aqua Epileptica Puerorum.

Diſpenſat. Vienn. Prag. ex Pharmacop. Auguſt.

℞. Aquæ Ceraſorum nigrorum,
Florum Tiliæ,
Paralyſeos,
Pæoniæ, *ana uncias octo.*
Sacchari perlati, *uncias quatuor.*

Miſceantur, & ſervetur uſui hæc Aqua, etiam extemporanee paranda.

Exhibetur Infantibus, ob difficilem dentitionem motibus convulſivis obnoxiis, vel ſimpliciter, vel modica Quantitate Aquæ Epilepticæ LANGIANAE *permixta. Couf.* SCHULZII *Prælect. pag.* 31.

Aqua Epileptica JO. LANGII.

Diſp. Leid. Amſtel. Leod. Wirt. Prag. Vienn. Brand. Argent. Hamb. Similes Aquarum Epilepticarum deſcriptiones varias vid. in JO. LANGII *Epiſt. Med. Lib. III. p.*781 *ſq. & inprimis* ZWELFER.

℞. Florum Liliorum convallium recentium *uncias ſex.*
Lavendulae *unciam unam.*
Rorismarini,
Stœchadis Arabicae,
Tiliae *ana unciam ſemis.*
Cinnamomi *drachmas ſex.*
Nucum Moſchatarum *unciam ſemis.*
Piperis longi,
Cubebarum *ana drachmas duas.*
Viſci querni,
Radicum Paeoniae,
Fraxinellae, ſive Dictamni noſtratis *ana unciam ſemis.*

Macerata in Vini generoſi libris octo per triduum, deſtillentur ad dimidias.

Ad Epilepſiam, Vertiginem, Apoplexiam, tum præſervandi, tum curandi fine, in ipſo paroxyſmo, vulgo commendari ſolet; cum vero aqua ſit aromatibus dives, facilis erit conjectura, quid in his morbis valere poſſit. Vid. RIEDLINI *Lin. Med. Ann.* 1699. *Menſ. Nov. Obſ.* 27. *pag.* 1258. *ſqq. Aſſumi poteſt ea quantitate, qua aliæ aquæ ſpirituoſæ. Conf.* SCHULZ. *Prælect. pag.* 31.

Aqua pro Epithemate Cordis.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Herbae Rorismarini,
Baſiliconis,
Majoranae,
Meliſſae,
Thymi,
Florum Lavendulae,
Roſarum rubrarum,
Aurantiorum,
Cheyri,
Tunicae,
Cinnamomi acuti, *ana unciam ſemis.*
Rad. Jreos Florent. *drachmas tres.*
Caryophyllorum,
Macis,
Nucis Moſchatae,
Ligni Aloës,
Rhodii,
Galangae,
Santalorum omnium, *ana drach. tres.*
Corticum Aurantiorum,
Citri, *ana unciam unam.*
Croci, *drachmam unam.*
Vini generoſi; *libras decem.*

Inciſa, contuſa & infuſa deſtillentur.

In palpitatione Cordis, tremore, ſyncope, lipothymiis, item in æſtu febrili, cor inprimis infeſtante, ſæpe præſentaneam opem adfert. Uſus ceterum ejus non ſolum externus eſt, ut Titulus præfert; ſed & maxime internus, opportuno nempe tempore, & pro cujusvis Naturæ ratione, exhibitus. Mallem vero egregiæ alias & pæne perfectæ Compoſitioni adjectum quoque hic fuiſſet Acetum rutaceum, vel roſaceum, vel ſambucinum, vel lavendulatum, calendulatum, aut ſimile; quale in ſubſequentibus Compoſitionibus prudenter fuit additum. Conſtat enim, putem, inter omnes Medicos, nullum quidem potentius ac generoſius facile dari in penu pharmaceutica, analepticum ac cardiacum, ejusmodi quidem Acetis medicatis. Vid. ſuperius jam dicta, ad varia Aceta.

Aqua Epithematum Cordis.

Diſpenſ. Ratisbon. Pharmacop. Auguſt. Renov.

℞. Specierum Diamoſchi dulcis,
Diambrae,
pro Epithemate Cordis, *ana Drachmas duas.*
Flor. Roſarum rubr. odoratiſſimar. *unciam unam.*
Lign. Santalor. omnium, *ana Drachmas duas.*
Rad. Ireos Florentinae, *Drachmas tres.*
Corticum Aurantiorum,
Citriorum, *ana unciam unam.*
Aquae Roſarum, *Libras quatuor.*
Vini optimi, *Libram unam, & dimidiam.*
Aceti roſacei, *Libram unam.*
Inciſis & Contuſis omnibus, infund. & deſtill. ſecundum Artem.

Aqua pro Epithemate Cordis alia.

Diſpenſat. Norimberg.

℞. Flor. Roſarum rubrarum odoratiſſi
Corticum Aurantiorum,
Citri, *ana unciam unam.*
Rad Iridis Florent. *Drachmas tres.*
Lign. Santalor. omnium, *ana Drach. duas.*
Aquae Roſarum, *Libras quatuor.*
Vini odorati, *Libram unam ſemis.*
Aceti roſacei, *Libram unam.*
Inciſis incidendis, infund. & diſtillentur.

Parum quidem differt hæc Aqua a præcedenti Compoſitione: interim tamen, ne quid deſideretur, & hanc apponere viſum fuit. Ceterum utriusque vires ſunt eædem, ac ſuperius jam laudatæ, ſcil. analepticæ, cardiacæ, paregoricæ, nervinæ ac cephalicæ: Inprimis autem in utraque placet adjectum Acetum roſaceum, quod præſertim eximia pollet virtute analeptica & roſtica, ut notum. Uſus pariter internus eſt, externusque, licet frequentius vulgo in uſum externum advocari ſoleat. Ceterum conf. infra ſpecies pro Epithemate Cordis.

Aqua Florum omnium.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Batean. p. 15. in reliquis rarius occurrit.

℞. Stercoris vaccini recentis, menſe Junio collecti, quantum placet,
Includatur ſacco lineo; & cum triplo aquae fontanae, ex veſica, leni igne deſtilletur, atque ex qualibet libra ſtercoris libra una ſemis aquae proliciatur.

Laudatur ad Arthritidem, Colicam, Calculum, & urinæ ſuppreſſionem; externe inter coſmetica numeratur. Vid.

SCHULZ. *Prælect. ad Diſpenſ. Brand. p.* 32. *Ego vero ex tam olido & inviſo Horto, ne unicum quidem velim florem; nedum omnes. Certe ſub hoc florido omnium Florum velamento, nihil, niſi fatua, pæne & dixiſſem, fatuorum, latet Aqua. Vaccinum quidem ſtercus pratis utile eſt, & ad omnis generis flores producendos, conducit: in ipſo autem corpore humano, nec intus aſſumtum, uſum præſtat medicum, nec exterius adhibitum, coſmeticum: quæ enim virgo natura eſt* ἄκοσμος, *per ſordidum illud ſtercus, nunquam fit* εὔκοσμος. *Sed hæc obiter. De uſu autem ſtercoris vaccini externo anodyno, vid.* RIEDLINI *Lin. Med. Ann.* 1696. *Menſ. Jan. Obſ.* 23. *p.* 37. *Conf.* & PAULLINI & RULANDI *Apothec. ſterc. Leod.*

Aqua Fortis.

Diſp. Prag. Wirt. Vienn. & reliq. vid. Chym.

℞. Vitrioli vulgaris ad rubedinem calcinati,
Nitri puriſſimi *ana libras duas.*

Trita miſceantur & deſtillentur per retortam terream, igne aperto gradatim adhibito, in vas recipiens valde capax, juncturis luto probe obturatis, cui aquae fontanae libra una ante ſit infuſa.

Rarus ejus uſus in medendo, ſed plurimum a chymicis & artificibus aliis expetitur. Sed vid. STAHL. *in Prælect. Chym. Pharm p.* 202. & SCHULZ. *Præl. p.* 33. *item Diſp. Prag.* & RIEDLIN. *Lin. Med. An.* 1696. *Menſ. Maj. Obſ.* 20. *pag.* 236. & *Cur. Med.* 585. *Cent. VI. pag.* 362.

Aqua Fœtida Pragenſis,

Diſpenſat. Prag. Vienn.

℞. Gummi Galbani,
Aſæ foetidæ, *ana uncias tres.*
Myrrhæ electæ,
Radic. Pæoniæ, *ana unciam ſemis.*
Dictamni albi, *Drachmas duas.*
Leviſtici, *unciam ſemis.*
Zedoariæ, *Drachmas tres.*
Herbæ Matricariæ,
Artemiſiæ,
Menthæ Criſp. *ana Manipul. unum.*
Rutæ, *Manipulos duos.*
Flor. Chamomillæ vulg.
Sambuci,
Anthos,
Liliorum Convall.
Primulæ Veris, *ana Manip. ſemis.*
Sem. Pæoniæ,
Sileris montan. *ana unciam ſemis.*
Cinnamomi acuti, *Drachmas tres.*
Galangæ minoris, *uncias tres.*
Cubebarum,
Macis, *ana Drachmas tuas.*
Caſtorei Moſcovit. *uncias duas.*

Inciſa & Contuſa groſſo modo, infundantur in Vini albi generoſi Libris decem, Aquæ Matricariæ Libris duabus; dein Lege Artis, deſtillentur ex Balneo Mariæ.

Aqua hæc Pragenſibus, ceu primis Inventoribus, merito debetur. Nihil vero fœtidum vetitumve habet, præter unum Titulum: alias enim eximii plane eſt uſus in affectibus hyſtericis, & quibuscunque ſimilibus: paſſim tam in- quam externe adhibetur, ad avertendos, aut interrumpendos paroxyſmos. Conducit etiam in aliis affectibus torminoſis, colicis, ac flatulentis, a ſtomachi, vel digeſtionis vitio ortis. Ad guttas quadraginta, immo ad ſemicochlear, & ultra, propinatur. Conf. infra, Eſſentia Aſæ fœtidæ, & Trochiſci hyſterici.

Aqua

Aqua Fœtida ad S. Agnetem Prag.

Diſpenſat. Prag.

℞. Aſæ fœtidæ, *uncias tres.*
Gummi Galbani, *unciam unam.*
Caſtorei, *uncias duas ſemis.*
Semin. Pæoniæ, *unciam ſemis.*
Herb. Serpilli,
Menthæ,
Meliſſæ,
Matricariæ,
Artemiſiæ,
Salviæ,
Rutæ,
Thymi, *ana Manipulos duos.*
Flor. Sambuci,
Anthos,
Lavendulæ,
Tiliæ,
Tunicæ,
Liliorum Convall.
Paralyſeos,
Paeoniae, *ana Manipulos tres.*
Radicis Paeoniae,
Galangae,
Leviſtici, *ana Drachmas ſex.*
Macis,
Cinnamomi,
Cubebarum,
Zedoariæ,
Myrrhae,
Nucis Moſchatae, *ana Drachm. duas.*
Seminis Sileris montani, *unc. unam.*
Vini, *Menſuras ſex.*
Cremati, *Libras tres.*
Aquae Matricariae, *Libras quatuor.*

Miſceantur, deſtillentur ex Balneo Mariae.

Vires ſunt eædem, nempe antihyſtericæ, anticolicæ, carminativæ & ſtomachicæ. Præparatur & venditur hæc Aqna antihyſterica, Pragæ, a caſtis Virginibus Monialibus, in Monaſterio ad St. Agnetem.

Aqua Generalis.

Diſpenſat. Paris.

In ſolo hoc Diſpenſatorio Pariſino, quantum equidem memini, occurrit haec Aqua Generalis, vere Generalis, immo, ſi ita dicere liceat, rectius Generaliſſima: Omne enim fere Regnum vegetabile & parvam quaſi officinam pharmacevticam, complectitur, adeo, ut hinc Herbarium quaſi vivum, aut Theriaca liquida ac potabilis, jure meritoque vocari poſſit. Conſtat namque, quod utique mirandum, ex centum viginti ſex diverſis ſpeciebus: Septem nempe ſeminibus, triginta ſeptem Radicibus, triginta novem herbis, ſedecim floribus, undecim aromatis, duabus ſpeciebus Baccarum, tribus Corticum, ſex Lignis, & quinque demum Gummatibus. Sic

Gramina diſponunt: Sparſosque ſine ordine flores
Secernunt Calathis, variasque coloribus herbas,

immo rectius, confundunt, & aera quaſi iſta Corinthia miſcellanea pharmacevtica in unam difformem maſſam, per Ignem ac deſtillationem, cogunt & conflant. Tantae igitur molis erat, mirabilem illam Aquam Generalem componere, tanti inquam, erat laboris, illud generale quaſi omnium morborum aſylum & refugium conſtituere. Diu ergo mecum deliberavi, utrum generatim tantum hanc ipſam Aquam Generalem hic indicarem; an vero ſpeciatim eam in hoc opus noſtrum transferrem. Tandem autem moleſto illo deſcribendi labore merito deterritus, &

juſta aeſtimatione perquam exiguae utilitatis inde capiendae, prudenter inductus, malui iſtam hic omittere, quam admittere, ne ſcilicet ſpatium aliis melioribus & utilioribus Medicamentorum formulis temere praeriperetur: quum humano generi olim profutura tantum enixe hic ſectemur, & chartis inſcribere ſtudeamus. Vehementer ceterum miramur, illuſtribus Gallorum Medicis placere potuiſſe tam vaſtam, vagam, operoſam & ambitioſam compoſitionem, a cultis & venuſtis ipſorum moribus quam maxime abhorrentem, quum ament potius, ut notum, pauca, quam multa, & brevia, quam longa: Quae profecto, me quidem judice, ita comparata eſt, ut, ſi decem forſan in ea occurrant ſpecies, quae in hoc illove morbo, nonnihil proſint, triginta e contrario, in eadem, intercurrant, quae tanto magis nocere poſſint. Haec vero omnia candido potius animo, quam foeda obtrectandi, aut aliena maligne carpendi libidine, tetrave invidia, hic lectorum pace, ut quidem ſperamus, interjecta ſunto.

Aqua ad Gonorrhæam HOFFMANNI.

Senior. in Theſaur. pharmacevt. p. 27. Diſp. Wirt. Vienn. Leod. Leid. Hamb. debetur autem hæc compoſitio maximam partem, QUERCETANO.

℞. Radicum Iridis Florentinæ *uncias duas.*
Herbæ Menthæ ſiccæ, *uncias tres.*
Dictamni Cretici, *unciam unam.*
Seminis Agni caſti,
Rutæ *ana uncias duas ſemis.*
Terebinthinæ Venetæ, *uncias decem.*
Vini albi generoſi, *libras decem.*

Fiat deſtillatio ex Mariæ Balneo ad dimidias.

Non ſolum in Gonorrhœa, ſed & fluore albo fœminarum, præmiſſa purgatione, inſignis eſt utilitatis. Dentur, ſuadente Auctore, ægrotis mane horis duobus vel tribus ante paſtum, & veſperi quatuor horis a cœna duo cochlearia.

Aqua contra Gonorrhœam Quercetani, Correcta.

Diſpenſat. Argentin.

℞. Radicis Ireos Florentinae,
Foliorum Dictamni cretici,
Menthae ſiccae, *ana unciam unam.*
Seminum, Agni Caſti,
Rutae,
Lactucae, *ana Drachmas ſex.*
Terebinthinae Venetae, *unc. viginti.*
Vini albi, *Libras tres.*

Contuſis contundendis, omnia Alembico vitreo excepta, ex Arte, deſtillentur, & ſervetur Aqua ad uſum opportunum.

Hæc Aqua partes ſpermaticas egregie deterget, & propterea in Gonorrhœa virulenta, tum recenti, tum etiam inveterata, convenit. Datur a Drachmis duabus, ad unciam unam in idoneo vehiculo.

Aqua Griſea.

Diſpenſat. Brand. Wirt. Hamb. reliq. vid. Chirurg.

℞. Mercurii vivi,
Aquæ fortis, *ana unciam unam.*
reponantur in locum calidum, ut ſolvatur Mercurius; ſolutioni adde decoctum ſequens:
℞. Radicis Chelidonii majoris, Ariſtolochiæ longæ,
Herbæ Rutæ hortenſis,

Scordii,
Florum Roſarum, *ana unciam unam.*
Coque in aquæ fontanæ libris quinque, ut poſt colaturam remaneant, *libræ quatuor.*

Miſceantur calide, & ſtatim abibunt in mixturam griſei coloris.

Commendatur ad ulcera phagedænica, & ſpecifice ad Synoviam. Vid. GOHLIUS, *in Act. Med.* BEROLIN. *Vol. III. pag.* 86. *ſeqq. &* SCHULZ. *Prælect, pag.* 33.

Aqua ad Guttam Roſaceam, Matthioli.

℞. Camphorae,
Sulphuris vivi, *ana Drachmam unam.*
Myrrhae,
Thuris, *ana unciam ſemis.*
Aquae Fragorum,
Roſarum albarum,
Scrophulariae, *ana uncias quinque.*

Inſolentur in vaſe vitreo optime clauſo, per decem dies, vel amplius: poſtea in Bal. Mar. deſtillentur, lege Artis.

Hac Aqua facies maculis rubris fœdata, aliquoties, per diem, eſt abluenda: addita tamen ſemper cautione iſta maxime neceſſaria, ne unquam illa externe adhibeatur, niſi bene præparato & probe repurgato prius corpore interno. Quod niſi exacte obſervetur, omnino metuendum eſt, ne maculæ per iſtam Aquam refrigerantem & exſiccantem, intempeſtivæ retro pulſæ Ophthalmias, Vertigines, Cephalalgias, Aſthmata aliaque atrocia mala, vix ſanabilia, concitent, ut ex triſti experientia conſtat.

Aqua Hirundinum cum Caſtoreo.

Diſp. Argent. Wirt. Prag. Vienn. & reliq.

℞. Pullorum Hirundinum vivorum, in partes diſſectorum *numero quadraginta.*
Foliorum Rutæ hortenſis recentium, *uncias duas.*
Caſtorei orientalis veri, *unc. unam.*
Vini albi, *libras octo.*

Miſceantur, & ſtatim ex veſica deſtillentur ad dimidias.

Vires ſunt antepilepticæ & hyſtericæ. Conf. GESNERI *Ep. L I. fol.* 44. *b. Doſis ab uncia ſemis ad unciam unam per ſe vel cum aliis. Aliam hujus Aquæ deſcriptionem vid. in Append. ad* THONERI *Obſ. Med. pag.* 367.

Aqua Hirundinum ſine Caſtoreo.

Diſp. Argent. Wirt. Prag. Vienn. & rel.

℞. Pullorum Hirundinum diſſectorum, *numero triginta.*
Viſci querni,
Radicis Pœoniæ, *ana unciam unam ſemis.*
Seminis ejusdem, *unciam unam.*
Florum Liliorum convallium, *uncias quatuor.*
Sambuci, *unciam unam ſemis.*
Aquæ fontanæ, *libras decem.*

Miſceantur, deſtillentur ad dimidias.

Convenit cum præcedente, & infantibus etiam, qui Caſtoreum plerumque nauſeant, & ſpirituoſa non ferunt, cum potionibus & mixturis, a drachmis duabus ad ſex, præſcribi poteſt. Ridiculam tamen atque plane fatuam hanc Aquæ Hirund. formulam pronunciat CARTHEUSER. *pharmacol. p.*275. *præeunte* STAHLIO, *Mat. Med. Part. I. Sect.* 3. *p.*308. *qui eam nullius plane pretii & uſus, proclamat. Experientia tamen ipſa inductus,*

mitius de eadem ſentit SCHULTIUS, *Prælect. pag.* 34. *Nos vero contraria ſæpius experientia edocti, pace tamen B. & amici viri manium, in ſententiam potius* STAHLII *atque* CARTHEUSERI *aliorum Medicorum, tranſire haud veremur.*

Aqua Hungarica, *ſive* Reginæ Hungariæ.

Diſpenſat. Argent. Wirt. Ratisbon. Paris. & in reliq.

℞. Herbæ & Florum Rorismarini, una collectorum, *libras quatuor.*
Herbæ & florum Salviæ, *libram ſemis.*
Zinziberis, *uncias duas.*

Parum inciſa infundantur Spiritus Vini rectificati libris duodecim, aquæ fontanæ libris duabus, & deſtillatione ex veſica, leni igne, librae undecim eliciantur.

Uſus omnibus notus eſt externus, quippe in decubitu humorum, contuſionibus &c. adhibetur, vel ſola, vel aliis ſpirituoſis admixta.

Aqua Hypnotica MYNSICHTI.

Diſpenſat. Prag.

℞. Seminum papav. albi & nigri, *ana uncias octo.*
Melonum excorticatorum,
Anethi,
Aniſi, *ana unciam unam.*
Amygdal. amar. *uncias duas.*
Radicis Glycyrrhizae,
Nucis Moſchatae, *ana unciam unam ſemis.*
Cardamomi minoris,
Macis, *ana unciam ſemis.*
Croci Orientalis,
Florum papaveris erratici,
Violarum, *ana Drachm. unam.*
Incidantur, contundantur, & in
Aquae Lactucae, *Libris tribus.*
Roſarum rubrarum,
Nymphaeae, *ana Libris duabus.*
Portulacae,
Endiviae, *ana Libra una.*

Mixta, digerantur, in loco calido, per biduum, aut triduum: poſtea in Balneo Mar. lege Artis, deſtillentur.

Aqua hæc MYNSICHTI *hypnotica paſſim uſualis eſt, in omnibus diuturnis vigiliis, tuſſi, colica, doloribus acutis, & febrium ardentium delirio, ac calore nimio. Doſis ab uncia ſemis, ad uncias duas, vel aliis additis, & præſertim mixturis Cordialibus, aut emulſionibus immiſceri, vel & per ſe, propinari conſuevit. Sed poteſt etiam ſimul externe, paratis ex eadem Epithematis frontalibus & temporalibus, commode adhiberi, additis inprimis, majoris efficaciæ & virtutis gratia, Acetis, Flor. Roſar, aut Sambuc. aut Lil. convall. aut Lavendull. aut denique Summitatum herbæ Rutæ, aliove ejusmodi Aceto medicato, vel aromatico; juſta tamen & convenienti doſi: ne quid nimis.*

Aqua Hypnotica alia.

Diſpenſat. Brand.

℞. Seminis Lactucae, *uncias ſex.*
Papaveris albi, *Libram unam ſemis.*
nigri, *Libram ſemis.*
Portulacae, *uncias duas.*
Cucurbitae decorticati,
Radic. Caryophyllatae, *ana unciam ſemis.*
Florum Nymphaeae albae,
Violarum purpur. *ana Manip. tres.*
Borraginis,
Papaveris erratici,
Betonicae, *ana Manip. unum.*
Croci Orientalis, *Scrupulos quatuor.*

Nucis Moſchatae,
Macis, *ana Drachmas duas.*
Contuſis deinde affunde:
Aquae Lactucae,
Nymphaeae albae,
Roſarum, *ana Libras octo.*
Nucis Moſchatae, *uncias octo.*

Stent infuſa, horas viginti quatuor, & ultra: tum deſtilla lege Artis, Maris Balneo. NB. Si Flores & Semina recentia, atque Aquarum deſtillatarum pars ſolum quarta recipietur: Facta e Balneo Mar. ad ſiccitatem, deſtillatione, Aqua multum obtinebitur efficacior.

Hæc Aqua, inquit Cl. SCHULZIUS, *in Prælect. ad Diſpenſat. Brand. p.35. ad ſomnum inducendum, excogitata & compoſita eſt. Et quanquam non ſatis ad deſtillatoriæ artis Regulas exacta videtur: neque tamen prorſus contemnenda eſt. Dari poteſt Uncia una, vel altera. Hactenus quidem ille. Poteſt vero æque, ac altera illa Aqua* MYNSICHTI, *ſuperius modo deſcripta, externe quoque, cum ſperato ſucceſſu, adhiberi, adjectis nempe pariter, moderata doſi, acetis illis analepticis & blande anodynis, ſupra jam laudatis. Aliam Aquam Hypnoticam magis narcoticam, atque hinc minus ſecuram, exhibet* JÜNCKEN, *in Chym. Experim. pag.* 479. *& alias* BIERLING. *Append. Med. pag.* 16. *&* 17.

Aqua Hyſterica Viennenſ.

Diſpenſ. Viennenſ. Prag. Argent.

℞. Succi Herb. Matricariae,
Mercurialis, *ana Libras duas.*
Bryoniae, *uncias ſex.*
Florum Roriſmarini,
Salviae, *ana unciam unam.*
Ligni Aloës,
Cinnamomi acuti,
Macis,
Nucis Moſchatae,
Caſtorei, *ana unciam unam ſemis.*
Infundantur inciſa & contuſa, in
Vini optimi, *Libris duodecim.*

Et inſtituatur deinde lege Artis, Deſtillatio.

Aqua Hyſterica Norimberg.

Diſpenſ. Norimb.

℞. Radicum Pimpinellae,
Zedoariae,
Galangae,
Calami aromat. *ana Drach. tres.*
Caſtorei, *Drachmas ſex.*
Herbar Artemiſiae,
Pulegii,
Meliſſae,
Salviae,
Matricariae, *ana Manip. unum.*
Florum Betonicae, *Drachmam unam ſemis.*
Anthos, *Drachmam unam.*
Quatuor Cordial. *ana Drachmam ſemis.*
Squinanthi,
Caſſiae Ligneae,
Nuciſtae,
Macis, *ana unciam ſemis.*
Aquae Matricariae,
Artemiſiae,
Pulegii,
Vini generoſi, *ana Libram unam.*
Fiat ſecundum Artem, Deſtillatio.

Proſunt hæ ambæ, & reliquæ ſequentes Aquæ Hiſtericæ in Morbis uterinis, iis vero præſertim, qui potius ab uteri inflatione, quam inflammatione, ortum ſuum duxerunt. Tum enim magis obſunt, malum nempe malo addendo, & oleum igni affundendo. Hinc magna cum circumſpectione, ſemper ſunt adhibendæ.

Aqua Hyſterica Officinalis.

Diſpenſat. Brand. Ratisbon.

℞. Radic. Paeoniae, *unciam unam ſemis.*
Angelicae,
Bryoniae,
Leviſtici,
Meu, *ana unciam ſemis.*
Herbar. Matricariae,
Meliſſae,
Mercurialis,
Rutae,
Salviae, *ana Manip. unum.*
Florum Anthos,
Meliſſae, *ana Manip. ſemis.*
Semin. Agni Caſti,
Carvi,
Cumini,
Dauci,
Meliſſae, *ana Drachm. unam ſemis.*
Paſtinacae Silveſtris,
Sileris montani, *ana Drach. tres.*
Caſſiae Ligneae,
Cinnamomi, *ana unciam ſemis.*
Galangae, *Drachmam unam ſemis.*
Macis,
Nucis Moſchatae,
Zedoariae, *ana Drachm. tres.*
Caſtorei,
Viſci Querni, *ana unciam unam.*
Conciſa & Contuſa infundantur in
Vini Rhenani, *Libris quatuor.*
Aquae Matricariae,
Meliſſae,
Pulegii,
Rutae, *ana Libra una.*

Stent in digeſtione, locò calido, vaſe clauſo, per dies ſeptem; poſtea Mar. Balneo, deſtillentur ad ſiccitatem.

Eſt Carminativa & anodyna, inquit SCHULZIUS, *in Prælect. pag.* 35. *poteſt igitur fœminis, ſuffocatione hyſterica laborantibus, prodeſſe uncia una, vel altera. Etiam fœtum & ſecundinam pellere creditur. Inde caute adhibenda, præſertim, ubi metus aut ſuſpicio ſubeſt inflammationis uterinae. Ceterum aliam* Aquam Hyſtericam, *operoſioris compoſitionis, ab* HENNING. ARNISAEO, *olim praeparatam, vid. in Thomae* BARTHOLINI *Ciſta Med. Hafn. Locul.* 34. *pag.* 385. *quae certe minus diſpliceret, ſi ab ea quidem abeſſet* Lien Bovis, *& quidem* caſtrati, bis, vel ter, vino albo ablutus: *Quid enim quaeſo, ad* Aquam Hyſtericam *faciat* Lien Bovis, *vel caſtrati, vel non caſtrati? pudeat tantum Medicum & tantum politicum fabellarum anilium. Sed meliorem* Aquam Hyſtericam *habet* VERZASCHA, *Obſ. Med.* 88. *pag.* 226. *Conf. infra, Julapium Hyſtericum.*

Aqua Hyſterica.

Diſp. Wirt. Brand. Leod. & reliq.

℞. Radicum Pœoniae,
Zedoariae,
Leviſtici,
Imperatoriae, *ana unciam unam.*
Herbarum Meliſſae,
Matricariae,
Menthae,
Florum Chamomillae Romanae, *ana unciam unam ſemis.*
Seminis Carvi,
Sileris montani,
Fœniculi,
Corticis Citri exterioris, *ana unciam unam.*
Inciſa & contuſa infundantur
Spiritus Vini rectificati, *libra dimidia.*
Aquae fontanae, *libris ſeptem.*

Digeſta per biduum deſtillentur lento igne, ex veſica, donec librae quatuor liquoris habeantur.

Carminativa eſt & anodyna. Prodeſt fœminis hyſtericis, & in defectu menſium, doloribus poſt partum, colicis & ſimilibus affectibus, non ſine ſucceſſu, adhibetur.

Doſis ab uncia una ad unam ſemis.

Aqua Juniperi compoſita.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Baccarum Juniperi, *Libras quatuor.*
Eluantur Aqua Calida; dein contuſae macerentur in
Vini generoſi, *Libris ſedecim.*
Per quatuor dies; poſtea ex Alembico
Fiat deſtillatio; hujus deſtillati, *Libris quatuor.*
Addatur deinde:
Radicis Ariſtolochiae longae, *uncia ſemis.*
Stent in Digeſtione, ad Extractionem Tincturae, tandem Aqua filtretur, & ſervetur uſui.

Aqua hæc non ſolum in doloribus nephriticis; verum etiam podagricis, vires ſuas ſæpius demonſtrat; ſi malum nempe mitius & humanius fuerit.

Aqua Juniperi Compoſita alia.

Diſpenſat. Hamb FULLER. *Pharm. extemp. ubi alia Compoſitio.*

℞. Semin. Milii ſolis, *unciam unam ſem.*
Saxifragiæ, *unciam ſemis.*
Urticæ,
Geniſtæ,
Cynosbati, *ana unciam unam.*
Baccar. Hederæ arboreæ, *drach. ſex.*
Raſuræ Ligni Nephritici,
Saſſafras, *ana drachmas duas.*
Radicum Ononidis,
Dentariæ, *ana drachm. ſex.*
Calcis Vivæ, *libram unam ſemis.*
Spiritus Baccarum Juniperi, *lib. quat.*
Deſtilla in Balneo Mar. ad ſiccitatem.

Fortior hæc ac præſtantior illa altera modo prægreſſa, Aqua Juniperi compoſita, vires haud dubie egregias habet diureticas, antinephriticas, antipodagricas, hydragogas, ac lithonthrypticas, denique etiam antiſcorbuticas. Reſpiciendum vero ſemper in ipſius uſu, ad ipſas potiſſimum ſordidas Lotii Officinas, Renes nempe atque Veſicam: Quodſi enim juſtus ipſarum Inflammationis, aut exulcerationis metus præſto fuerit; tum præſtat, eam intactam relinquere, quam adhibere.

Aqua Lactis, *ſeu Anti*-Scorbutica, MULLERI.

Diſpenſat. Hamb.

℞. Herbarum recent. Cochleariæ,
Chelidon. minor.
Naſturtii aquat.
Beccabungæ,
Sedi majoris,
Chærefolii,
Petroſel. *ana Manipul. ſex.*
Radicis Armoraciæ recent. *unc. tres.*
Lactis recentis, *libras duodecim.*
Deſtillentur ſecundum Artem.

Uſus hujus egregiæ Aquæ ex adjecto Elogio jam patet. Confert igitur in Scorbuto, Scabie, Cachexia, Arthritide, Hepatis ac meſenterii Obſtructionibus, Ictero, dyſuria, iſchuria, hydrope, & ſimilibus *diris morbis. Aliam Lactis Aquam generoſiorem, vid. in* Morton *phthiſiol. L. II. c. 9. p. 204.*

Aqua Ligni Saſſafras Simplex.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Ligni Saſſafras ſcobina deroſi, *libr. un.*

Aquæ commun. circiter *libras ſex.*

Macerentur per aliquot dies in loco tepido; dein per veſicam deſtilla propemodum ad Medias.

Uſus eſt antiſcorbuticus, ut notum.

Aqua Ligni Saſſafras Compoſita.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis vix accurrit.

℞. Lign. Saſſaſras odorati *libram ſemis.*
Cinnamomi acuti *uncias tres.*
Vini generoſi *libras decem.*

Stent in digeſtione per aliquot dies, poſtea deſtillentur ad dimidias.

Carminativa & ſtomachica eſt, atque ſenibus & phlegmaticis in affectibus catharralibus conducit.

Doſis drachmæ duæ vel tres.

Aqua Liliorum Convallium cum Vino.

Diſpenſ. Brand. Wirt. & paſſim. in reliq.

℞. Liliorum convallium recentium, absque ſtipitibus, *libram unam.*
Vini albi, *libras octo.*

Poſt digeſtionem per triduum deſtillentur leni igne, ex veſica, ad dimidias.

Commendatur apoplecticis & paralyticis; nervina, cordialis & ſtomachica eſt. Doſis uncia una. vid. SCHULZ. *prælect. pag.* 35.

Aqua Limacum contra Calculum.

Diſpenſ. Vienn. Lond. Pariſ. FULLER. *Pharm. extemp. pag.* 3. 4.

℞. Limacum minimorum recentium, cum teſtis contuſorum, *libr. duas.*
Infundantur in
Aceti acerrimi, *libris quatuor.*

Stent per noctem, in Infuſione, deinde deſtillentur per Alembicum, ut Aqua dulcis ſine acredine prodeat. Si prima deſtillatione, omnis Aceti acredo ablata non fuerit; inſtituatur ſupra recentes Limaces altera, vel etiam tertia Cohobatio.

Titulus multa magnaque promittit, utinam effectus ipſe paria præſtaret! An enim multum opis ſibi ab hac Limacum Aqua polliceri re ipſa poſſint miſeri illi ægroti, calculi acuti ſævis doloribus excruciati ac lacerati? adhuc, ut equidem arbitror, valde ſub judice lis eſt, nec res in hunc uſque diem, per fidam tutamque experientiam, ad liquidum ſatis perducta Conſ. RIEDLINI *Cur. Med.* 660. *Cent. VII. p.* 411. *Interim tamen Vires hydragogas ac diureticas huic Aquæ ineſſe, haud plane, inficiamur. De alia Limacum Aqua, vid.* MORTON. *phthiſiolog. Lib. II. cap.* 9. *p.* 205. *& pharm. Bat. pag.* 33.

Aqua Loch ſani & Experti.

Diſp. Brand. Wirt. Ratisbon.

℞. Radicum Ireos Florentinæ,
Liquiritiæ,
Herbarum Hyſſopi,
Capillorum Veneris,
Calaminthæ montanæ, *ana uncias duas.*
Seminum Aniſi,
Fœniculi *ana unciam unam.*
Cinnamomi electi *uncias duas.*

Inciſa & contuſa macerentur in aquæ fontanæ libris decem, & poſt digeſtionem per triduum, deſtillentur ex veſica, usque dum libræ quatuor reſtent.

Eſt ſaporis & odoris grati, nec etiam effectu pectorali deſtituta. Cum illa paratur Loch ſic dictum ſanum & expertum. In doſis copia non facile exceditur,

ditur, & ab uncia una ſemis ad duas exhiberi poteſt. Sed parum virtutis huic Aquæ ineſſe, cenſet SCHULZ. *præl. p.* 36.

Aqua Lumbricorum Compoſita.

Diſpenſat. Vienn. Lond.

℞. Lumbricorum vivor. Terreſt. *libram unam.*
Millepedum vivorum, *libram ſemis.*
Limacum vivor. cum Teſtis, *No. viginti.*
Radicis Angelicæ,
Acetoſæ,
Lapathi acuti, *ana uncias tres.*
Caryophyllorum,
Foliorum urticæ urentis cum Radice, *ana unc. unam ſem.*
Brancæ urſinæ,
Agrimoniæ,
Betæ, *ana drachmas ſex.*
Rutæ,
Abſinthii, *ana unc. ſemis.*
Anthos, *uncias duas.*
Radicis Curcumæ, *unciam unam.*
Croci, *drachmam unam ſemis.*
Vini albi, *libras duodecim.*

Inciſa & Contuſa ſtatim, absque Digeſtione, per Organa Vitrea deſtillentur ſecundum Artem.

Hæc Aqua, concinnæ ſane Compoſitionis, in Affectibus pectoris, ut Aſthmate, Tuſſi ferina, aut convulſiva, lenta pituita, exſcreatione difficili, & conſimilibus querelis Thoracis, item in Hydrope & retentione Urinæ, vires exercet ſtrenue. Egregie quoque conducit in malo nephritico, a colluvie ſeroſa, viſcida, tartarea, atque collecta in Renibus arena moleſta, potiſſimum oborto. Inde inertes Calculos ſede movet, & motos, una cum impulſa urina, ſenſim educit. Præterea quoque prodeſt in Arthritide vaga, ipſa podagra, item ſcorbuto, Cachexia, Hepatis & Meſenterii Obſtructionibus, & Ictero ipſo utroque. Adeo, ut hæc eximia Aqua tam in Thoracis, quam Abdominis diverſis Affectionibus, magno cum fructu ac ſucceſſu, adhiberi poſſit.

Aqua Magnanimitatis.

Diſpenſat. Wirt. ex SCHROEDER. *pag.* 144. *Prag. & rel.*

℞. Formicarum, Majo vel Junio collectarum, *libras duas.*
Spiritus Vini rectificati *libras tres.*

Macerentur per quinque vel ſex dies, & poſtea in Balneo Mariæ abſtrahatur ſpiritus ad ſiccitatem, in quo denuo infundantur

Cinnamomi electi *uncia una.*
Caryophyllorum aromaticorum,
Cardamomi minoris *ana drachm. ſex.*
Cubebarum, *uncia ſemis.*
Zedoariæ, *drachmæ decem.*

Poſt digeſtionem per triduum abſtrahantur in Balneo Mariæ.

Commendatur a drachmis duabus ad unciam ſemis hauſta, ad vitia nervorum frigida, venerem languidam, ut vulgo quidem traditur, ſed raro creditur, & id genus alia; articulos a Paralyſi debilitatos externe adhibita mire corroborat.

Aqua Magnanimitatis, *vel* Formicarum Compoſita.

Diſpenſat. Hamb. JUNCKEN. *Chym. Exper. p.* 489. HOFFMANN. *Theſaur. Pharm. pag.* 17.

℞. Spiritus Vini ſuper Formicarum ſufficientem Quantitatem rectificati, *libras quinque.*
Spiritus Meliſſæ, *libras quatuor.*
Flavedinis Cortic. Citri, *unc. ſemis.*

Cinnamomi acuti, *drachmas tres.*
Caryophyllorum, *unciam unam.*
Cardamomi,
Cubebarum, *ana drachmas tres.*
Zedoariæ, *unciam unam.*
Maſtichis,
Styracis Calamitæ,
Benzoes, *ana unciam unam ſemis.*

Stent in digeſtione, per octiduum, & poſtea lege Artis, deſtillentur.

Variæ quidem, præter hanc ipſam, Aquæ hujus ſic dictæ Magnanimitatis, Compoſitiones paſſim proſtant in diverſis Diſpenſatoriis pharmaceuticis. Sic alia ſimplicior, e SCHROEDERO *petita, legitur, in Argentorat. alia vero operoſior, ex Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. VII. pag.* 39. *in Ratisbonenſ. alia rurſus æque operoſa, in Pragenſi & alia denique alibi. An vero ulla ex his omnibus, re ipſa, tam ſplendidum ac magnificum Magnanimitatis Titulum jure mereatur, ac ipſo effectu tueri poſſit, ut nempe reddat ex timidis, magnanimos, ex imbellibus bellicoſos, & ex pavidis denique leporibus quaſi impavidos Leones, prætereaque frigidos languidosque in lætam Venerem nervos accendat ac concitet, uti quidem de his Magnanimitatis Aquis vulgo jactatur: De eo certe vehementer, immo vehementiſſime, dubitamus, & dubitabunt haud dubie, ut confidimur, nobiscum omnes rectioris judicii & diuturnioris experientiæ Medici: Conf. Diſpenſ. Argent. & Pragenſe ut alia ſimilia aliorum juſta & vera judicia jam quidem taceamus. Interim tamen haud prorſus negamus, Aquæ huic ineſſe Virtutes nervinas, analecticas, Cardiacas, Cephalicas ac Stomachicas; hinc in Atrophia, Arthritide vaga, dolore iſchiadico, Spaſmo, paralyſi, aliisque id genus affectibus atrocioribus, forte non ſine omni ſucceſſu, adhiberi non nunquam poterit; quod tamen ipſi experientiæ relinquitur.*

Aqua Maſtichina.

Diſpenſ. Wirt. Vienn. ubi paullo auctior ut & in Diſp. Brand. vid. & al.

℞. Maſtiches *uncias quatuor.*
Nucum Moſchatarum *unciam unam.*

Contuſis, & per triduum in ſpiritus vini rectificati libra una maceratis, addantur aquæ fontanæ libræ quatuor, deſtillentur ex veſica, leni igne, donec reſiduum ſit, librarum duarum, liquor lacteus prodiens ſervetur. Ceterum aliam hujus Aquæ compoſitionem, huic perquam ſimilem, vid. apud MYNSICHT. pag. 290.

Aqua hæc vires habet ſtomachum confortantes, hinc in ſingultu, ciborum faſtidio, flatulentia, diarrhœa, & vomitu commendatur. Doſis ab uncia dimidia ad integram. SCHULZ. *p.* 36.

Aqua *Anti*-Melancholica.

Diſpenſat. Brand. Norimb. Wirt. & al.

℞. Radicum Bugloſſi recentium *uncias quatuor.*
Florum Borraginis,
Bugloſſi,
Anthos, *ana unciam unam.*
Croci Auſtriaci *drachmas duas.*
Flavedinis corticum Citri *uncias duas.*
Fructuum ſive pomorum Cydoniorum recentium, odoratorum, *uncias ſex.*

Inciſa infundantur in vini albi libris octo, maceratione per viginti quatuor horas peracta, deſtillentur ad dimidias.

Commendatur Melancholicis, atque mentis torporem, mæſtitiam & timo-

rem auferre creditur. Doſis uncia una vel duæ.

Aqua Meliſſæ *Anti*-hyſterica.

Diſp. Wirt. in reliquis fere deſideratur.

℞. Foliorum Meliſſæ recentium *libram unam.*
Baccarum Lauri,
Seminis Cumini *ana unciam unam.*
Myrrhæ electæ *unciam ſemis.*
Caſtorei *drachmas duas.*
Vini albi ſpirituoſi *libras duodecim.*

Poſt ſufficientem digeſtionem deſtillentur ad dimidias.

Vires ex titulo patent, nimirum anthyſtericæ, carminativæ. Doſis uncia ſemis ad integram.

Aqua Meliſſæ cum Vino.

Diſpenſ. Leod. Wirt. & paſſim in. reliq.

℞. Herbæ Meliſſæ recentis *libras duas.*
Vini albi *libras octo.*
Deſtillentur ad dimidias.

Cenſetur ſtomachica, cordialis & hyſterica. Doſis uncia una, vel una ſemis. Vid. inprimis BOERHAAVE, *Elem. Chem. Tom. II. part. I. pag. 67. ubi notatu digna ſunt.*

Aqua Mellis Odora Regia.

Diſpenſat. Pariſ. CHARAS *Pharm. Reg. T. II. p. 628.*

℞. Aquæ Vitæ, *libras quatuor & ſemis.*
Mellis albiſſimi,
Coriandri, *ana uncias octo.*
Caryophyllorum, *drachmas ſex.*
Nucis Moſchatæ,
Styracis Calamitæ,
Benzoini, *ana drachmas quatuor.*
Vaniliarum, *drachmas tres.*
Flavedinis Citrei recentis, *unc. unam.*

Pulveranda craſſiuſcule pulverentur, & omnia ſimul macerentur per Biduum. Tum inſtituatur Deſtillatio Balneo-Maris, fere ad Siccitatem. Inter deſtillandum, Ambari & Moſchi ana grana duo, cum ſemiſſe, nodulo incluſa, extremo Capitelli Roſtro ita appendantur, ut ſtillans Aqua odore Aromatum imprægnetur.

Deſtillato Liquori tum admiſce:
Aquarum Roſarum,
Naphæ, *ana uncias duodecim.*

Et ſerva ad uſum, in Vaſe rite Clauſo.

Nomen potius ſolum, quam ipſas Virtutes, a Melle habet hæc ſic dicta Aqua Mellis odora Regia. Quam enim virtutem, præſertim ex tam exigua Mellis quantitate, trahere poſſit, id equidem me non intelligere fateor, & mecum haud dubie fatebuntur omnes ſanioris ſententia Medici atque Chemici; præcipue, quum ſatis conſtet, ipſam illam officinalem Mellis Aquam in Diſpenſat. Pariſ. Lond. Viennenſ. Auguſt. Brand. & aliis, paſſim obviam, fatuam, nauſeoſam, ingratam & inutilem eſſe, adeo, ut pater optimus, quid enim Melle præſtantius, aut ſuavius? etiam hic filium, aut filiam degenerem plane & patre indignam, generaſſe videatur, conf. SCHULZII *prælect. pag. 36. Interim tamen haud caret hæc Aqua ſuis Virtutibus analepticis, cardiacis ac nervinis; quas autem non tam Melli debet; quam potius Aromatibus.*

Aqua Meliſſæ Spirituoſa Compoſita, *eau des Carmes*, dicta.

Diſpenſ. Pariſ. Wirt. Leid. Leod.

℞. Herbæ Meliſſæ recentis *libram unam ſemis,*
Flavedinis corticum Citri recentium *uncias quatuor.*

Nucum Moſchatarum,
Seminis Coriandri, *ana uncias duas.*
Cinnamomi acuti,
Caryophyllorum *ana unciam unam.*
Inciſis affundantur
Spiritus Vini rectificati *libræ ſex.*
Aquæ Meliſſæ *libræ duæ.*

Poſt digeſtionem per biduum, deſtillentur ad quintæ partis remanentiam; Spiritus eductus ſervetur.

Inter aquas ſpirituoſas eminet; commendatur adverſus Apoplexiam, Paralyſin, & quoscunque morbos nervorum, a cauſa frigida ortos. Stomachicum & carminativum eſt egregium; externe adhibetur ad ſpaſticos & rhevmaticos dolores, Cephalalgiam, vomitum, Colicam &c. Doſis a drachma una ad drachmas tres.

Pro uſu externo tinctura Croci tingi ſolet.

Aqua Menthæ Compoſita.

Diſpenſat. Pariſ.

℞. Foliorum Menthæ recent. mundatorum, *libras duas.*
Abſinthii minoris, *unc. tres.*
Ocymi,
Pulegii, *ana uncias duas.*
Flor. Rorismarini ſiccatorum,
Stœchados, *ana drachmas duas.*
Cinnamomi, *unciam ſemis.*
Coriandri,
Caryophyllorum, *ana drachm. unam.*
Spiritus Vini rectificat, *libram unam.*
Aquæ Infuſionis Menthæ, *libras quinque.*

Pulveranda pulverata macerentur per duodecim Horas. Tum deſtilla Balneo Maris, fere ad Siccitatem.

Egregia hæc Aqua, & odore & ſapore juxta, perquam grata & amœna, Vires ut quivis, rerum medicarum gnarus, confeſtim perſpicit, potiſſimum poſſidet analepticas, nervinas, cephalicas, cardiacas, ſtomachicas, carminativas, ut ſic loquar, & præſertim hyſtericas. Quare in Morbis uterinis, a cauſſa inprimis frigida ac flatuoſa, ortis, opportune adhibita, ſperato ſucceſſu, cum ægrotarum mulierculárum inſigni levamine, haud carebit. Præcipue, ubi tam interne, quam externe, juſto cum moderamine, in uſum advocata fuerit. Ex ea enim etiam Epithemata aut panno, aut pane excepta, commode formari poſſunt, quæ ſtomachi regioni impoſita viribus pollent fluxam nimis alvum blande ſiſtendi, vomitus nauſea graves compeſcendi, ac ructuoſos ſingultus cohibendi. Præterea quoque ipſi, interius nempe aſſumtæ, ineſt Virtus anthelminthica, adeo, ut polychreſta ſit Aqua.

Aqua Mercurialis ad uſus Externos.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. & reliq. vid. Chirurg.

℞. Ceruſſæ Venetæ *unciam unam.*
Aluminis crudi *drachmas ſex.*
Lythargyrii *unciam ſemis.*
Mercurii ſublimati corroſivi,
Salis ammoniaci, *ana drachm. unam.*
Aquæ Solani,
Plantaginis,
Roſarum,
Nymphææ *ana uncias quatuor.*
Aceti Vini *libram ſemis.*

Trita & commixta modicum bulliant, poſtea non colata ſerventur.

Prodeſt cuti deformatæ, ad verrucas, ſcabiem malignam, ſerpiginem, ficus, fiſſuras, ulcera venerea, vel ubi mundificante opus eſt, penicillo illita.

Aqua Mille Florum Odorata.

CHARAS, *Pharm. Reg. T. II. pag.* 492. *Diſp. Pariſ.*

℞. Aqua Flor. Aurant. *uncias octo.*
Roſar. pallidarum,
Moſchat. *ana uncias quatuor.*
Meliloti, *uncias ſex.*
Caryophyllorum hortenſ.
Thymi,
Santal. Citr. *ana uncias tres.*
Mellis reg. *uncias octo.*
Spiritus ardentis Roſarum,
Cortic. Citr. *ana unciam unam.*
Tinctur. Ambræ,
Moſchi, *ana gutt. tres.*
Miſceantur.

Uſus eſt analepticus, cephalicus, nervinus, cardiacus & paregoricus. Ceterum Aquam mille Florum *aliam, fœtidam ac ſordidam, ab hac ſuaviſſima longe diverſam, vid ſupra part. I. in* Regno Animali, *ſub* Vaccæ urina.

Aqua Millepedum.

FULLER. *Pharmacop. Extempor. pag.* 5.

℞. Millepedum viv. *Pint. unam ſemis.*
Corticum recent. Aurantior. Limon. *ana uncias tres.*
Micæ panis albi, *unc. duodecim.*
Nucis Moſchatæ, *drachmas ſex.*
Succi Scabioſæ,
Aparines, *ana libram unam.*
Seri Lactis, *libras quatuor.*
Lege Artis deſtillentur.

Cortices debent eſſe recentes: licet enim, inter deſtillandum, Herbæ aromaticæ plus Olei præbeant ſiccatæ, quam virides: e contrario tamen, Cortices Aurantiorum & Limonum plus Olei, (& conſequenter, plus ſaporis, odoris, & Virtutis,) præbent virides, quam ſiccati.

Aqua Millepedum alia.

FULLER. *Pharm. extemp. pag.* 140.

℞. Mille pedum vivorum,
Sacchari albi, *ana uncias tres.*
Simul contuſis, affundatur:
Vini albi, *libra una.*

Probe miſceantur in Mortario, haud æneo, & Liquor Expreſſione coletur.

Uſui hæc utraque Aqua eſt potiſſimum in Morbis Capitis, & Nervorum, in Arthritide, Affectione Hypochondriaca, Aſthmate, phthiſi, Scorphulis, Calculo, Hydrope, Ictero, Hepatis, Lienis & Meſenterii Obſtructionibus, aliisque pertinacioribus & inveteratis Affectibus: Sanguinem enim depurat, nervos roborat, Obſtructiones reſerat, Renes & Veſicam emundat, & Urinam denique blande movet. Ceterum iisdem uſibus inſervit ejusdem Fulleri Emulſio Aſthmatica ex Millepedis, *quæ deſcripta legitur, pag.* 104. *Conf. infra* Infuſum Aſellorum, *ſeu* Millepedum.

Aqua Myrrhæ.

Diſp. Wirt. in reliquis fere deſideratur.

℞. Myrrhæ rubræ *uncias octo*, in pulverem comminutis, infunde aquæ fontanæ *libris ſex*, & poſt digeſtionem per triduum, in loco calido factam deſtilla lento igne, atque aquæ oleoſæ, ſuaviſſimi odoris, *libras quatuor* elice.

Commendatur in affectibus, a vitio menſium ortis, & morbis pectoris atque ventriculi. Doſis uncia una.

E reſiduo in veſica extractum Myrrhæ parari poteſt, ſi per pannum laneum coletur, & leni igne ad Mellis conſiſtentiam evaporetur.

Aqua Nucum Jugland.

Diſp. Pariſ. Collect. Pharm. Penicher p. 204.

℞. Julorum, ſeu Florum Nucis juglandis, *quantum vis.*

Terantur & infundantur in aliorum julorum decocto, ad Superemi-nentiam.

Deſtilla:

Aquam deſtillatam affunde ſuper Nuces immaturas & contuſas. Macerentur per Viginti quatuor horas. Fiat tum altera deſtillatio. Affunde Aquam hanc deſtillatam ſupra Nuces maturitati proximas, contuſas. Macerentur, ut ſupra & denique fiat tertia deſtillatio.

Aqua hæc dicitur eſſe ſudorifera, febribus malignis, peſtilentialibus, intermittentibus auxiliari; item ſtomachum roborare, flatus diſcutere, ad uncias ſex, vel ſeptem hauſta. Magnæ multæque per deum! virtutes, ſed an omnes veræ, inquirant alii. Vid. interea B. BOECLERI *Mat. Med.* HERM. *continuat. Part. I. c. 5. pag. 285. & al.*

Aqua Odontalgica.

Diſpenſat. Brand.

℞. Philonii Romani,
Capitum papaveris nigri, *ana cum ſemine.*
Radicum Pyrethri,
Cinnamomi acuti,
Foliorum Nicotianæ,
Seminis Hyoſcyami, *ana drachm. tres.*
Opii Thebaici, *drachmam ſemis.*

Macerentur omnia, Viginti quatuor Horis, in Spiritus Vini Gallican. Libra una ſemis; dein Maris Balneo deſtillentur; deſtillatum Vaſe Vitreo ſervetur, pro uſu externo: internus enim maxime vitandus. Eſt enim ex mere Narcoticis *concinnata, inquit* SCHULZ. *in Prælect. p. 36. Experientiæ permittitur, quid efficere poſſit, ſi denti dolenti cavo inſtilles, aut ore eandem contineas, ita tamen, ne quid deglutias.*

Aqua Odorifera.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Herbæ Majoranæ,
Baſiliconis,
Thymi,
Origani,
Florum Liliorum Convall.
Lavendulæ,
Roſarum, *ana unciam unam.*
Spicæ,
Radicis Jreos Florentinæ,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Macis,
Styracis Calamitæ,
Benzoin, *ana unciam ſemis.*
Ligni Rhodii,
Santali Citrini,
Corticum Citri, *ana drachmas ſex.*
Gummi Ladani, *drachmas duas.*
Inciſ. & contuſa infundantur in Vini Generoſi *libris duodecim.*

Peracta maceratione, l. A. deſtilletur Aqua: poteſt tum, ſi quis aveat, adjici, aut nodo incluſo ſuſpendi Ambræ ac Moſchi, ana Scrupulus Semis: ſed me judice, rectius omittatur utrumque illud evodmum, inprimis propter fœminas.

Inſignis eſt fragrantiæ, & ſuaviſſimi odoris, Cerebrum, cor, ſpiritusque tam animales, quam Vitales refocillantis. Inprimis ſi acceſſerint Aceta Lavend. Roſ. Sambuc. & Rubi Id. quæ prudenter addit ZWELFER *ad Pharmacop. Auguſt. p. 303.*

Aqua Odorifera alia.

Diſpenſ. Wirt. Argent. Ratisbon.

℞. Herbæ Roriſmarini,
Majoranæ *ana unciam unam.*
Florum Lavendulæ,
Liliorum convallium,
Roſarum *ana uncias duas.*
Ligni Rhodii,
Corticis Citri recentis *ana unciam unam ſemis:*
Cinnamomi acuti *uncias duas.*
Caryophyllorum aromaticorum *unciam unam ſemis.*
Mixtis & contuſis affundantur
Spiritus Vini rectificati *libræ octo.*
Aquæ fontanæ *libræ quatuor.*

Et poſt digeſtionem per triduum, leni igne tres quartæ inde deſtillentur.

Ob odoris fragrantiam in animi deliquiis non ſolum naribus, ſed & pectori & pulſibus applicari ſolet.

Aqua Ophthalmica BOECLERI.

℞. Aquæ Florum Omnium,
Roſarum,
Euphraſiæ, *ana unciam unam.*
Albuminis Ovi, ad duritiem cocti, exemto Vitello, *Numero unum.*
Micæ Panis *ſiliginei unius.*
Contunde, exprime per pannum, adde:
Tutiæ præparatæ, *ſcrupulum ſemis.*
Sacchari Saturni, *grana quatuor.*
Sarco collæ,
Camphoræ,
Croci Oriental. *ana grana quinque.*
Miſceantur.

Commendantur hæ Aquæ pro uſu externo, ad ophthalmiam, oculorum Inflammationes, ardores, rubedines, lippitudines, ſimileſque affectus, inſtillando aliquot Guttas in oculos, ut bene per eos diffundantur; tum etiam applicando, cum linteo. Tepide autem, non frigide, ejusmodi Collyria applicanda. Ceterum Aqua Ophthalmica Bœcleriana poſterior, magis paregorica & anodyna eſt, priore illa officinali. Quare tenellis & mollioris delicatioriſque habitus Subjectis, veluti puerulis ac puellis, qui ophthalmiæ frequentius obnoxii eſſe ſolent, ceu notum, hæc quidem poſterior rectius tutiuſque adhibetur, quam altera illa ſuperius poſita; quæ tamen adultioribus, non ſine ſperato ſucceſſu, in caſu neceſſitatis, utique concedenda.

Aqua Opthalmica Camphorata FINCKII.

Diſp. Hamb.

℞. Aquarum Euphraſiæ,
Roſarum,
Spermatis Ranarum,
Chelidonii,
Florum Cyani, *ana unc. quatuor.*
Fœniculi, *uncias duas.*
Pulveris Nihili albi loti,
Tutiæ præparat. *ana unciam ſemis.*
Vitrioli albi,
Camphoræ, *ana drachmam unam.*
Sacchari Saturn. *drach. unam ſemis.*
Miſceatur.

Aqua Ophthalmica DOERERI,

Tabul. Smaragd. pag. 41.

℞. Rad. Valerianæ,
Phu Pontic. *ana uncias duas.*
Caryophyllat. *unciam ſemis.*
Fol. Rutæ,
Verben.
Fœnicul.
Euphraſ. cum Flor. *ana drach. ſex.*

Baccar. Juniperi recent. *unc. unam.*
Lauri, *unciam ſemis.*
Florum Calendulæ,
Meliſſæ Turcicæ,
Salviæ,
Rorismarin.
Roſar. albar. *ana drachmas duas.*
Semin. Fœniculi,
Caryophyllorum,
Cardamom. min.
Cubebar. *ana drachmam unam.*
Cinnamom. acut. *unciam unam.*
Ligni Aloës,
Rhodii, *ana drachmam unam.*

Præperatis ſecundum Artem, affund. Vini Malvat. Libras duodecim; poſtea in Bal. deſtillentur.

Similem fere Aquam Ophthalmicam HENNING. ARNISAEI, *vid. in Thom.* BARTHOLINI *Ciſta* MED. HAFN. LOC. 34. *p.* 389. *& in Diſpenſat.* HAFNIENSI. *Conf.* VERZASCHAE *Obſ. med.* 83. *pag.* 201.

Aqua Ophthalmica, FEBURE.

Diſpenſat. Brand.

℞. Vitri Antimon. vel Croci Metall. *unciam ſemis.*
Tere in pulv. ſubtil. & adde:
Radic. Jridis Florent. *drachm. unam.*
Caryophyllorum, *No. ſex.*
Groſſe Contuſis affunde:
Aquæ Rutæ,
Fœniculi,
Euphraſiæ, *ana uncias ſex.*

Digere leni Calore, dies quindecim, dein Filtra & ſerva, pro uſu oculorum externo.

Aqua Ophthalmica JUNCKENII.

Chym. Experiment. p. 512.

℞. Ovum Gallinæ integrum, coque ad mediocrem duritiem, demta teſta, & Vitello, Cavitati ejus indatur:
Sacchari Saturni, *grana ſex.*
Camphoræ, *grana tria.*
Vitrioli albi, *grana quinque.*
Mellis Roſarum, *unciam ſemis.*
Fiat Expreſſio fortis; Liquori expreſſo add.
Aquæ Fœniculi *unciam ſemis.*

Miſc. & inſtilletur oculis bis, vel ter, de die.

Aqua Ophthalmica Officinarum.

Diſpenſat. Argent.

℞. Aquæ Plantaginis,
Euphraſiæ,
Chelidonii,
Roſarum, *ana unciam unam ſemis.*
Sacchari Saturni, *drachmam ſemis.*
Tutiæ præparatæ, *drachmas duas.*
Camphoræ, *Scrupulum unum.*
Miſce.

Aqua Opthalmica Pragenſis.

Diſpenſ. Prag.

℞. Aquæ Roſarum albarum,
Plantaginis,
Euphraſiæ, *ana unciam unam.*
Sacchari Candi albi, *drachmas duas.*
Tutiæ præparatæ, *drachmam unam.*
Sieff albi, ſine opio, *drachmam ſem.*
Croci Martis adſtringent. *Scrup. un.*
Mixta uſui ſerventur.

Aqua Ophthalmica, cum Sapone.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Vitrioli albi, *unciam ſemis.*
Saponis Veneti, *Drachmas tres.*
Aquæ fontanæ, *Libras duas.*

Coquantur in Olla, ad Remanentiam Libræ unius ſemis: refrigeſcat, filtretur, & ſervetur uſui tempeſtivo.

Quæ ſit proprie virtus harum Aquarum Ophthalmicarum omnium, vel ex ipſo Titulo earum, patet omnibus, etiam mediocriter doctis; quando vero pro diverſa natura, indole & origine morborum ophthalmicorum ipſorum, ex his omnibus, una, ceu magis pro futura, prae altera, potiſſimum ſit eligenda & in uſum præcipuum trahenda; id certe non, niſi prudentioribus & in praxi ipſa exercitatioribus Medicis, cognitum atque perſpectum eſt. Non enim omnia omnibus conveniunt.

Aqua Ophthalmica Sapphirea.

Pharmac. Batean. pag. 12.

Diſpenſat. Lond. Wirt. Vienn. ubi tamen nonnihil diverſa & aliquanto auctior hujus Aquæ compoſitio habetur:

℞. Aquæ Calcis vivæ, *libram unam.*
Salis armoniaci, *Drachmam unam.*

Miſceantur, ſtent per viginti quatuor horas in vaſe cupreo, a quo aqua, colorem ſapphireum nacta, filtretur & ſervetur.

Præfertur aliis collyriis, atque ad pleroſque oculorum affectus commendatur. Vim habet refrigerantem, deſiccantem & mundificativam. Inſtillatur vel oculis, vel mediantibus linteis applicatur. Vid. WEDEL. *Amœnit. Mat. Med. pag.* 130. & JÜNCKEN, *Chym. Exper. p.* 512. *ubi impenſe laudat hanc Aquam, quam tamen ipſe auctiorem, & niſi fallor, meliorem exhibet.*

Aqua Ophthalmica ex Valeriana.

Diſpenſ. Hamb. Tabul. Smaragd. p. 40.

℞. Herb. Valerianæ, cum toto, *Manip. quatuor.*
Summitat. & Comarum Fœniculi,
Herbarum Euphraſiæ,
Chelidon. maj. *ana Manip. duos.*
Foliorum Salviæ, *Manip. un. ſemis.*
Rutæ,
Meliſſæ, *ana Manip. un.*
Florum Cyani,
Fabarum,
Roſarum, *ana pugill. tres.*
Seminis Fœniculi, *Drachmas tres.*
Macis,
Caryophyllorum, *ana Drachm. duas.*

Omnibus recenter collectis & contuſis, adſpergatur Vinum Rhenanum, ut Fiat inſtar pultis mollioris: add. Mellis Roſarum uncias duas, deſtillentur in Mar. Bal. ad ſiccitatem.

Iisdem oculorum afflictorum uſibus & hæ Aquæ inſerviunt, quibus antecedentes inſigni cum fructu, erant deſtinatae. Reſpiciendum tamen ſemper ad Naturas, ætates, tempora anni, regiones, ſexus & alias circumſtantias.

Aqua Panis.

Diſpenſ. Wirt. Brand. BIERLING. *Append. Med. pag.* 27. *in reliquis deſideratur.*

℞. Cruſtæ panis recenter e clibano extracti, & adhuc calentis, *libras duas.*
Cinnamomi acuti,

Caryophyllorum,
Nucum Moſchatarum, *ana unciam dimidiam.*
Vini albi ſpirituoſi, *libras octo.*

Deſtillentur leni igne, ad dimidias.

Inter aquas ſtomachicas & analepticas cenſetur, & guſtui grata eſt. Doſis uncia dimidia ad integram. In Diſpenſat. Brand. hic additur adhuc Radix Tormentillæ & Raſura Cornu Cervi. Cui compoſitioni multum virtutis antidyſentericæ tribuit quidem JÜNGKEN. *in Lex. pharm. Part. II. pag.* 31. & ERNESTI *de Ol. deſtill. pag.* 105. *tanto minus autem Cel. Editores Diſpenſ. Brand. & cum iis, B.* SCHULZIUS *in Prælect. pag.* 22. *item* ZWELFERUS, *pharm. Reg. p.* 234. *quibus & ego aſſentior. Omnis enim virtus, ſi qua adſit, pendet potius ab aromatis, quam quidem a pane, ſive cruſta ipſius ſit, ſive mica,* (*conf.* LUDOVICI *pharm. pag.* 579. *licet aliud ſentiat* HOFFMANN. *Obſerv. Chym. pag.* 211.) *aut raſura cornu cervi, ac rad. Tormentillæ, quæ ſcil. nihil virtutis ſuper alembicum mittunt, ceu notum. Plus ergo, niſi fallor, in imbecillitate ſtomachi, nauſea ac vomitu, &c. pro externo quidem uſu, præſtabit Emplaſtrum de cruſta panis, cujus deſcriptio infra, ſuo loco, habetur. Conf.* SCHULZ. *Prælect. pag.* 107. *Ceterum conf. infra,* Spiritus Panis.

Aqua Pæoniæ Compoſita.

Diſpenſat. Edinburg.

℞. Radic. Pæoniæ, *uncias duas.*
Valerianæ Silv. *ſeſquiunciam.*
Dictamni albi, *unciam unam.*
Sem. Pæoniæ, *Drachmas ſex.*
Flor. rec. Lilior. Convall. *uncias quatuor.*
Lavendulæ,
Stœchadis Arabicæ,
Anthus, *ana ſeſquiunciam.*
Summitatum Betonicæ,
Majoranæ,
Rutæ,
Salviæ, *ana unc. unam.*
Inciſis & Contuſis affunde
Spiritus Vini Gall. *ſeſqui Congium.*
Poſt Macerationem quatuor dierum, eliciatur *ſeſqui Congius.*

Egregia hæc compoſitio uſum præſtabit ſingularem in motibus epilepticis, ſpaſmodicis & convulſivis, nec non in affectibus ſoporoſis & lethargicis, item in paſſionibus hyſtericis, & diris uteri ſuffocationibus. In Paralyſi quoque & ipſa apoplexia, non ſine ſucceſſu, adhiberi poterit, tam interne, quam externe: interne tamen debita cum circumſpectione & moderamine: Ne quid nimis. Ceterum alia hujus Aquæ Compoſitio, nonnihil ab hac diverſa, & aliquanto operoſior, atque aromatis præſertim abundantior, proſtat in Diſpenſ. Leodienſi.

Aqua Petroſelini Compoſita.

Diſpenſat. Edinburg.

℞. Rad. Petroſelini, *uncias quatuor.*
Raphani ruſticani recentis,
Baccar. Juniperi, *ana uncias tres.*
Summitatum Hyperici,
Fol. Perſicariæ urentis,
Flor. Sambuci, *ana uncias duas.*
Sem. Dauci Silveſtris,
Fœniculi dulcis,
Petroſel. *ana ſeſquiunciam.*
Inciſis & Contuſis adjice:
Spiritus Vini Gall. *Congios duos.*
Macera per quatriduum; tum deſtillent *Congii duo.*

Ex ipſa hac bella compoſitione luculenter jam per ſe patet, ineſſe huic Aquæ Petroſelini compoſitæ potiſſimum

virtutem diureticam, antinephriticam, hydragogam & lithonthrypticam. Ideo commode in uſum advocari poteſt in affectibus Renum & Veſicæ, a colluvie ſeroſa, viſcida & ſabuloſa potiſſimum obortis: item in Dyſuria, Iſchuria, & ſimilibus mictualium viarum vitiis & obſtructionibus: nec non in arthritide & podagra, immo in ipſo diro hydrope. Potenter enim non ſolum aquas inertes putridasque movet; ſed etiam motas, apertis oſtiis, blanda vi educit, corpusque levat moleſta illa ſarcina.

Aqua Phagedænica.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. & reliq. vid. Chirurg.

R. Aquæ Calcis vivæ, *libram unam.*
In hac diſſolve
Mercurii ſublimati corroſivi, *Drachmam unam.*
Solutioni adde
Spiritus Vini non rectificati, *uncias quatuor.*
Serva.

Ad exulcerationes externas, & fœda imprimis ulcera venerea, feliciter adhibetur. Vid. Chirurgos hic omnes.

Aqua Phyſagoga.

Diſp. Vienn. Wirt. Prag. Ratisbon. Aug. rev.

℞. Seminis Aniſi, *libram unam.*
Sileris montani, *unciam unam ſemis.*
Cinnamomi acuti, *uncias duas.*
Nucum Moſchatarum,
Galangæ,
Macis,
Caryophyllorum aromaticorum, *ana unciam ſemis.*
Contuſa macerentur per triduum in
Vini albi generoſi, *libris ſedecim.*
Spiritus Vini rectificati, *libris duabus.*
& deſtillentur leni igne ad dimidias.

Ventriculum & inteſtina roborat, & nomen ſuum tuetur. Doſis ab uncia dimidia ad integram.

Aqua Prophylactica Sylvii,

vide ſupra ſuo loco

Acetum Bezoard. Sylvii.

Aqua Regis ſeu Chryſulca.

Diſpenſat. Ratisbon. Brand. Wirt. Hamb. & reliq. vid. Chem.

℞. Aquæ fortis, *uncias ſex.*
Salis ammoniaci albi, *unciam unam.*
Mixta ſerventur.

Uſus chymicus potiſſimum eſt, ad ſolvendum Aurum; medicus non, niſi rariſſime, ſi unquam. Vid. SCHULZ. *p.* 37. *& præf. Diſp. Prag. in Not. lectu dignis.*

Aqua Salviæ Compoſita.

Diſp. Arg. Wirt. Vienn. & paſſim in reliq.

℞. Foliorum Salviæ recentium, *unc. octo.*
Rosmarini,
Serpilli,
Thymi, *ana unciam unam.*
Cardamomi utriusque, *Drachm. ſex.*
Macis,
Nucum Moſchatarum,
Caryophyllorum,
Zedoariæ,
Galangæ,
Calami aromatici, *ana unc. dimidiam.*
Vini ſpirituoſi, *libras octo.*
Spiritus vini rectificati, *libras quatuor.*

Poſt ſufficientem digeſtionem, deſtillentur lento igne ad quartæ partis remanentiam.

Vires cum Aquæ apoplecticæ ſpirituoſæ conveniunt, doſis uncia ſemis ad

drachmas ſex. Uſus eſt internus & externus, ceu notum.

Aqua Sapphirea *ſeu* Cœrulea.
videatur
Aqua Ophthalmica Sapphirea.

Aqua Serpilli Comp. Bened. Mynsicti.

Diſpenſ. Argent. Brand. Hamb. Wirt. ſed ibi alia compoſitio multum ab hac diverſa, vid. ſupra.

℞. Herbæ Serpilli, *manipulos ſex.*
Fœniculi, *manipulos quatuor.*
Verbenæ,
Meliſſæ,
Florum Tiliæ,
Liliorum Convallium,
Lavendulæ,
Rorismarini, *ana manip. ſemis.*
Semin. Aniſi, *unciam ſemis.*
Radicis Zedoariæ,
Galangæ,
Cubebarum, *ana drachmam unam.*
Cinnamomi, *drachmam ſemis.*
Macis,
Nucis Moſchatæ, *ana drachmas duas.*
Viſci Querni,
Radicis Pæoniæ, *ana unc. un. ſemis.*
Vini generoſi, menſuras tres,
Fiat ſecundum Artem, deſtillatio.

Miras & polychreſtas hujus Aquæ virtutes ipſe illius Inventor, Mynsichtus, *pleno & grandiſono quaſi ore decantat in Armament. Med. Chym. p.* 319. *& ex eo* Schulzius, *in prælect. ad Diſpenſ. Brand. p.* 38. *nec non Cl.* Cartheuserus, *in pharmacol. p.* 141. *ut alios laudatores & præcones ipſius taceam. Nec indigna ſane cenſeri debet hæc Aqua vere benedicta, tot ſplendidis clariſſimorum in Arte Medica Virorum laudibus. Vires enim obtinet ex iſta concinna compoſitione, cephalicas, cordiales, ſtomachicas atque carminativas, item hyſtericas. Inde dolores colicos atque ſæva inteſtinorum tormina compeſcit: Menſes quoque atque partum promovet. Doſis, Cochlear unum, duo, & interdum etiam ultra, ſi neceſſitas exegerit. Non ſolum autem uſui interno egregie inſervit, ſed & ſimul externo, partibus enim corporis debilitatis, ſenſu motuque carentibus, aut ſugillatis; cum leni frictione, decenter adhibita, novum veluti vigorem infundit nervis torpidis & quaſi præmortuis: Hinc in Analdia, ſeu Atrophia Membrorum tabidorum & exſuccorum magno cum fructu applicari poteſt.*

Aqua Spermatis Ranarum.

Diſp. Wirt. & in reliq. notum enim.

Deſtillatur, ſine alius aquæ additione, ex recens collecto ſpermate, ſacculo lineo, ne alembicum tranſcendat, incluſo, ad tertiæ partis remanentiam. Aliam vero adhuc faciliorem ſimplicioremque Methodum hujus Aquæ parandæ, vid. in Diſpenſ. Edinb. & in aliis paſſim.

Uſus eſt coſmeticus, & ad faciei ruborem, atque in collyriis adhibetur.

Aqua Splenetica.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Aquæ Meliſſæ,
Menthæ,
Epilepticæ Langii, *ana uncias tres.*
Mixturæ ſimplicis Ludovici, *drachm. tres.*
Eſſentiæ Caſtorei, *drachmam unam.*
Elæoſacchari Succini, *drachmas duas.*
Miſceantur.

Uſus in affectibus ſplenetico-hyſte

ricis ad unciam ſemis, vel drachmas ſex. Elegans ſane eſt hæc Compoſitio, uſu ſuo haud caritura; in tempore ſcilicet adhibita.

Aqua Stomachica JUNCKENII,

Chym. Experim. pag. 553.

℞. Rad. Calami aromat. condit, *unc duas.*
Zingiberis,
Flaved. Arant. ſicc. *ana drachmas ſex.*
Caſſiæ lign. veræ, *unciam ſemis.*
Nucis Moſchatæ,
Maceris,
Coriandri, *ana drachmas duas.*
Fœniculi,
Aniſi, *ana drachmam unam ſemis.*
Menthæ Moſchatæ, *libram ſemis.*
Roſarum rubrar. *Manipulos duos.*

Omnia inciſa macerentur in ſpiritu Florum Sambuci, ſucci Cydoniorum, & Vini Malvat. *Libra una.*

Tum deſtilla ſecundum Artem.

Inſignes habet vires in roborando Stomacho, & flatibus diſcutiendis. Doſis Cochl. ſemis, ad unum. & ultra.

Aqua Stomachica alia.

Diſpenſ. Wirt.

℞. Summitatum Menthæ criſpæ recentis *uncias tres.*
Galangæ,
Nucum Moſchatarum,
Cinnamomi *ana unciam unam.*
Vini ſpirituoſi *libras octo.*

Deſtillentur ad dimidias.

Vires ex ipſa denominatione patent. Doſis uncia ſemis ad integram.

Aqua Styptica Berolinens.

Diſpenſ. Brand. Conf. mox.

AQUA VULNERARIA ALBA DIPPELII.

℞. Succorum expreſſorum junctim ſumtorum:
Sempervivi majoris,
Pimpinellæ ſanguiſorbæ,
Chærefolii,
Ariſtolochiæ longæ,
Aceti Vini optimi, *ana quantum vis.*

Deſtilla ex arena, Vaſis Vitreis, deſtillatum ſerva.

Egregii uſus eſt hæc Aqua ſtyptica, Berolinenſium vulgo dicta, tam inſiſtendis nimiis hæmorrhagiis violentis, quam in conſolidandis vulneribus recentibus, partium inprimis carnoſarum; quippe quæ ſolo ejus uſu, intra breve temporis ſpatium, feliciſſime iterum coaleſcunt. Convenit de reliquo, hæc deſcriptio, fere quoad omnia, cum decantato, & pro eximio Arcano a quibusdam reputato, Balſamo Vulnerario Dippeliano albo. Conf. huc Cl. SCHULZIUS, *in prælect. pag. 38. ubi & de altera Aqua Styptica Dippeliana, rubra dicta, tractat, cui, ipſe expertuo, mirandas prorſus tribuit vires, in ſanguinis, citatiſſimo fluxu protinus, veluti Theſſala quadam incantatione facta, ſiſtendo. Ubi tamen ſimul prudenter, pro more, addit, miram hanc virtutem ſtypticam omnem pendere præſertim ab Aceto, atque inde ſimplex Vinum Rhenanum idem præſtare poſſe. Ceterum de utraque hac efficaciſſima Aqua Dippeliana ſtyptica & vulneraria, tam alba, quam rubra de qua mox, vid. longam & copioſam Tractationem, in Diſpenſat. Pragenſi, in Animadverſionibus, ubi & plures alii Auctores laudantur, ipſam autem utriusque compoſitionem quam infra nos ſuo loco, exinde repetituri ſumus.*

Aqua Theriacalis Compoſita.

Diſp. Wirt. ſed alia Compoſitio extat in diſp.

Vienn. & Argent. item Prag. & Brand. nec non Lugdan & Leodienſ. ut & Pariſ. & Lond. vid. & Jo HARTMANNI *prax. Chym. pag.* 10 *Opp Tom. I. &* THONERI *Obſerv Med p.* 366. *Append.*

℞. Radicum Angelicæ,
Valerianæ,
Cardopatii,
Oſtrutii,
Zedoariæ *ana unciam unam.*
Herbarum Scordii,
Rutæ *ana unciam unam ſemis.*
Corticum Citri recentium *unc. duas.*
Baccarum Juniperi *unciam unam.*
Theriacæ Andromachi *libram ſemis.*
Aquæ fontanæ *libras decem.*
Miſceantur & proliciantur, per deſtillationem, *aquæ libræ ſex.*

Eſt alexipharmaca, ſtomachica, atque carminativa, & in febribus malignis, affectibus ventriculi, vomitu, torminibus, dyſenteria, additur mixturis & potionibus. Doſis ub uncia dimidia ad integram. Alias Aquas Theriacales egregias. in ſeptem illis diris peſtilentiis Baſileenſibus, ſalutari cum effectu, adhibitas deſcribit ipſe, qui his calamitatibus publicis interfuit, PLATERUS, *in Praxi Med. & in Obſ. Med. Lib. II. p.* 316. *ſqq. Conf. &* GESNERI *Epiſt. Med. ult. Lib. I. Fol.* 46. *Vid. & in ſeqq. paſſim.*

Aqua Theriacalis Simplex,

Diſp. Wirt. Lond. Norimb. Brand. Groning & reliq.

℞. Theriacæ Andromachi *unc. quatuor.*
Vini albi *libras quinque.*
Abſtrahantur libræ duæ ſemis.

Alexipharmaca cenſetur, & a Theriacæ ingredientibus vim habet ſtomachum confortandi & carminativam. Vid. plura apud RENOD. *pag.* 977. *ſqq. Cordi diſp. pag.* 166. *ſqq. &* JUNGKENI *Corp. Pharm. pag.* 43. *ſeqq.*

Aqua ad Tormina Infantum.

Diſpenſat. Argentor.

℞. Aquæ Menthæ,
Chamomillæ, *ana uncias duas.*
Syrupi Chamomillæ,
Papav. rhœad. *ana unc. ſemis.*
Miſceantur.

Vires ex Titulo ipſo patent, quod nempe in Colica & torminibus Infantum, flatus diſſipando, & fibras Inteſtinorum demulcendo, optime conveniat. Datur cochleatim.

Aqua Travmatica STAHLII.

Diſpenſat Brand.

℞. Foliorum recentium Veronicæ,
Hederæ arbor. *ana manipulos ſex.*
Foliorum & Florum recentium,
Alceæ, *manipul. quatuordecim.*
Pyrolae, *manipulos octodecim.*
Inciſis adde, Albi graeci, *uncias ſex.*
Infunde cum ſufficienti Quantitate Vini, fermententur lege Artis, poſtea deſtillentur.

Virtutem travmaticam, ſeu Vulnerariam, huic Aquæ a magno Auctore Compoſitæ, ineſſe, haud equidem temere negaverim; ſiquidem omnes illæ herbæ & flores natura ſua & indole innata, vi pollent travmatica, ut nemini non dudum conſtat. Quid vero ſordidum illud Condimentum caninum, & quidem tanta quantitate, præſcriptum, huc potiſſimum faciat, & quasnam ſanandi & conſolidandi vulnera, Virtutes præcipue habeat; id me quidem haud ſatis bene perſpicere, ingenue fateor. Præſertim, quum jam ſupra, ex LUDOVICO, RIVINO *& aliis,*

Obſervatum fuerit, Albo illi Græco Græcam quaſi ſubeſſe fidem, effectusque ſalutares ex illo ſperandos vix, ac ne vix quidem, reſpondere expectationi.

Aqua Typhorum Cervi Simplex.

Diſpenſ. Prag. Argent. Wirt. & al. item apud Schrœderum.

℞. Cornua Cervi recentia ſucculenta, conſcindantur in fruſtula, & *ad libram unam* addantur *libræ tres Vini generoſi*, deſtillentur ex Mariae Balneo *ad dimidias.*

Ad partum difficilem, & in febribus malignis magnarum prædicatur eſſe virium: Sed rarius reſpondente ipſo effectu.

Doſis ad unciam unam, vel unciam unam ſemis.

Deſtillatur etiam per ſe, absque Vini additione ex M. B. grata ſatis, ſed & cara.

Aqua Typhorum Cervi Compoſita.

Diſp. Vienn. Wirt. & in paucis aliis.

℞. Typhorum Cervi ſucculentorum *libras duas ſemis.*
Radicum Paeoniae *unciam unam.*
Herbae Meliſſae,
Florum Borraginis,
Bugloſſi,
Roriſmarini,
Tunicae *ana unciam unam ſemis.*
Roſarum *unciam ſemis.*
Inciſit affundantur
Vini albi ſpirituoſi *libræ duodecim.*
Deſtillentur leni igne ad dimidias.

Vires habentur alexipharmacæ, cordiales & anti-melancholicæ. Doſis uncia una, vel duæ.

Aqua Velthemiana.

Diſpenſat. Hamb. & BIERLINGII, *Append. Med. pag.* 24.

℞. Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Nucis Moſchatæ,
Galangæ,
Zingiberis,
Cardamomi,
Maſtichis,
Zedoariæ,
Corticum Citri,
Herbæ Meliſſæ,
Majoranæ,
Menthae,
Matricariae,
Serpilli,
Origani,
Pulegii,
Salviae,
Chamaedryos,
Chamaepyt.
Florum Anthos,
Lavendulae,
Roſarum rubrarum,
Albarum,
Stœchados Arabicae,
Cheyri,
Sambuci,
Paeoniae,
Baccar. Lauri,
Ligni Saſſafras,
Semin. Anethi,
Aniſi,
Piperis longi,
Nigri,
Rad. Caryophyllatae, *ana drach. duas.*
Inciſa & Contuſ. infund. in Spirit. Vin. Gall. Lib. ſex, poſtea deſtillentur, & in roſtro Alembici ponantur:
Moſchi,

Ambrae, *ana grana tria.*
Aqua prolecta edulcoretur, cum Sacchari *ſuff. Quant.*

Ohe! jam ſatis eſt, immo nimium profecto. Ceterum nota hæc Gulonibus præſertim Aqua, ſtomachica eſt, Carminativa, Cephalica & analeptica. Sed ne quid nimis; modice enim, non modio, eſt haurienda.

Aqua Contra Vermes LAUREOLI,

Diſpenſ. Hamb. Pharmac. Bat. p. 14. *conf. Thom.* BARTHOLINI *Ciſt. Med. Hafn. Locul. LII. p.* 542. *ſqq. &* RIVER. *prax. LX. cap.* 9. *pag.* 372. *item* MONCONYS *Itiner. pag.* 335. RIEDLIN. *Lin. Med. A.* 1699 *Menſ. Aug. Obſ.* 12. *p.* 828 LOESEKE *Mat. Med. pag.* 308.

℞. Aquae Hypericonis,
Graminis, *ana uncias duas.*
Mercurii Vivi, *unciam ſemis.*
Stent per Horas aliquot, & deinde Colentur.

Teneris præſertim Infantibus, qui ab omnibus pæne Medicamentis peregrini odoris, & ingrati ſaporis, natura ſua, abhorrent, uti quidem notum, Aqua hæc ſimplex, inſipida fere & inodoria, neceſſitatis tempore, egregium præſtat Remedium Anthelminticum. Ipſe enim Mercurius vivus, licet nec pondere, nec ſubſtantia, nec proprietate ſua quidquam perdat: his tamen Aquis conſociatus, vim ſuam ſubtiliorem vermes necandi & pellendi, qua inprimis pollet, ut ubivis cognitum, ita benigne communicat cum iisdem, ut citra incommodum aut periculum, fœdos lumbricos exturbet, inprimis, ſi gratioris ſaporis gratia, adjectum quid fuerit Syrupi de Abſinthio, Cent. min. aut Card. Ben. vel Mellis puri. Conf. inf. Electuarium purificans, & decoctum Mercuriale.

Aqua Veronicæ cum Vino.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Prag & reliq.

℞. Herbae Veronicae floreſcentis *libras tres.*
Vini albi *libras octo.*
Deſtillentur lento igne *ad dimidias.*

Balſamica, vulneraria & tonica eſt. Commendatur a STAHLIO, JUNCKERO, GOETZIO, *& aliis, tam in tuſſi pulmonali, quam hypochondriaca, inprimis ſenibus aſthmaticis & ad Marasmum diſpoſitis convenit. Doſis bis vel ter in die ab uncia una ad unciam unam ſemis.*

Aqua Contra Vertiginem.

Diſpenſat. Brand.

℞. Radic. Calami aromat. *drachm. ſemis,*
Caryophyllatae,
Doronici,
Paeoniae, juſto tempore collectar. *ana unciam ſemis.*
Folior. Betonicae,
Rorismarini,
Salviae, *ana manipul. unum.*
Flor. Anthos,
Calendulae,
Lavendulae,
Spicae,
Tiliae. *ana manipul. ſemis.*
Sem. Fœniculi,
Nigellae,
Paeoniae,
Sileris montani,
Cardamomi minoris,
Cinnamomi, *ana unciam ſemis.*
Cubebarum,
Macis electae,

Nucis

Nucis Moſchatae, *ana drachmas duas.*

Contuſ. dies aliquot, Vaſis optime clauſis, macera in Vini Rhenan. generoſ. *libris duabus.*

Aquar. Ceraſorum nigrorum,
Liliorum Convallium,
Tiliae Florum, *ana unc. octo.*

Demum deſtill. Balneo Mar. ut Artis eſt.

Ex optimis ſpeciebus Cephalicis conſtat, inquit SCHULZIUS, *in Prælect. pag* 40. *ut & Carminativis; adeoque illis, quibus ex Ventriculi Vitio, Vertigo accidit, interne, ad Cochlear, ſubinde datum, conducere poterit: externe etiam adhibita, Caput juvabit; modo ſubjectum non ſit nimis ſanguineum & repletum. Igitur circumſpectione opus eſt, ut Medici prius bene indagent ipſam Vertiginis cauſſam, quam ad eam curandam ac reprimendam, ſeſe accingant. Nam & optima quævis intempeſtive adhibita, peſſimum ſæpe edunt effectum.*

Aqua Viridis

HARTMANNI, *Prax. chym p.* 29.
Diſpenſ. Vienn. Lugd. Ratisbon. ubi alia deſcriptio ex JUNGK. *Corp Pharm p.* 164.

℞. Mellis Roſati,
Sulphuris vivi,
Aluminis Crudi, *ana unciam unam.*
Albi Graeci,
Comarum Sambuci,
Sabinae, *ana drachmam unam.*
Florum Hyperici,
Rorismarini,
Herbar. Rutae,
Plantag.
Salviae,
Pulegii, *ana drachmas duas.*

Coquantur per medium Horae quadrantem, Vaſe clauſo, in Vini albi
Aquae Solani, *ana libra una.*

Tum removeantur ab igne, & diſſolvatur in hac Aqua colata,
Viridis aeris, *uncia una.*

Tandem rurſus coletur, & ſervetur Uſui.

Ad ſcorbutica & Venerea Oris, faucium, & naſi ulcera, optime conducit, ſic referente Hartmanno, licet & omittatur pretioſum illud Album Græc. ut nos quidem opinamur.

Aqua Virtutum.

Diſpenſ. Brand.

℞. Foliorum Meliſſae rec. *manipulos ſex.*
Salviae, *manipul. quindecim.*
Florum Lavendulae,
Lilior. convall. *ana uncias ſex.*
Caryophyllorum,
Cinnamomi electi,
Granorum Paradiſi, *ana drach. decem.*
Galangae,
Macis, *ana drachmas tres.*
Vini Hiſpanici ſpirituoſi *Menſ. quat.*

Infuſa & digeſta deſtilla ſecundum artem.

Ex optimis Speciebus aromaticis & analepticis conſtat, verbis hic loquor SCHULZII, *in præl. pag.*40. *poterit itaque, tamquam multarum Virium particeps, adhiberi, ubicunque Vires & motus excitare, opus videtur: modo calor febrilis, aut ſubjecti, ad ſanguinis ebullitiones ac profuſiones faciles proni, conditiones non obſtent. Doſis eſt Cochlear unum, vel alterum. Conf. & Cl.* CARTHEUSERI *Pharmacolop. pag.* 142. *Ceterum, ſi id quidem adjicere hic, per modeſtum jocum, liceat, utinam & Aqua Virtutum moralium alicubi venalis proſtaret! forte enim multos emtores inveniret; forte &, ſi ſæculum noſtrum ſatis novi, aliquanto pauciores. Sed hæc obiter. Aliam*

Virtutis Aquam vid. in BIERLINGII *Append. Med. pag.* 29.

Aqua Viſceralis M.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Rad. recent. Symphyti majoris,
Liquiritiae,
Farfarae *ana uncias quinque.*
Herb. recent. Bugulae,
Cerefolii,
Hederae terreſtris,
Hyperici florentis,
Plantaginis minoris,
Scabioſae,
Veronicae, *ana manipul. quat.*
Seminis Aniſi ſtellati, *drachmas ſex.*
Macis *drachmam unam.*
Maſtiches electae *drachmas tres.*
Cancrorum fluviatilium vivorum *Nro. triginta.*
Pulmonem Vituli recens mactati,
Inciſis ſuperfundantur
Aquae Bugloſſi,
Caerefolii,
Hederae terreſtris,
Veronicae, *anā libra una ſemis.*

Deſtillentur per Balneum Mariae, atque Librae quatuor liquoris eliciantur.

Vulneraria eſt, demulcet, & praeſertim Phthiſicis, Atrophicis & Hecticis convenit. Doſis uncia una, aut altera.

Aqua Vitæ Anglica FLEETWODI.

℞. Paſſul. maj. Damaſcen, *libras tres.*
Dactyl. enucleat. *libram ſemis.*
Folior. Meliſſae, *manipul. unum ſemis.*
Radicis Angelicae, *unciam ſemis.*
Semin. Aniſi,
Foeniculi, *ana unciam ſemis.*
Nuc. Moſchat. *No. quinque.*
Glycyrrhizae raſae, *unc. unam ſemis.*
Flor. papav. errat. *manipul. tres.*
Cinnamomi acutiſſ. *uncias duas ſemis.*
Caryophyllorum, *unciam unam ſemis.*
Groſſo modo conciſis & conquaſſatis affunde:
Spiritus Vini Malvat. *libr. quindecim.*

Macerentur per triduum & agitentur quotidie, bis, vel ter; poſtea colentur: tum addit
Aquae papav. errat.
Roſarum opt. *ana libr. unam ſemis.*
Sacchari Cand. albi *libras duas.*
& ſi quis velit, *aliquot* Moſchi & Ambrae gryſ. *grana.*
Miſc.

Neque ſuis uſibus ſtomachicis & analepticis caret hæc Aqua, ſi modo opportuno tempore & juſta doſi adhibeatur.

Aqua Vitæ Mulierum,

Diſpenſ. Brand.

℞. Herbar. Foeniculi,
Meliſſae,
Menthae Criſpæ,
Roriſmarini,
Salviae minoris,
Verbenae, *ana manip. unum.*
Anthophyllorum, *unciam ſemis.*
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Cubebarum,
Galangae,
Granorum Paradiſi,
Macis,
Nuciſtae, *ana unciam unam ſemis.*
Rad. Zedoariae,
Zingiber. *ana unciam ſemis.*
Vini Rhenani generoſ. *libras decem.*

Infundantur, digerantur, & deinde lege Artis, deſtillentur.

Virtute Carminativa, ſtomachali, uterina & cephalica ſeſe hic Liquor

commendat, verbis hic utor Cl. CARTHEUSERI, *in pharmacalog pag.* 142. *tum interne, a drachmis duabus, ad unciam dimidiam propinatus, tum externe adplicatus. Gravidæ a largo & frequenti ejus uſu abſtinere debent, ne nimiam humorum Commotionem efficiat, hæmorrhagias provocet, & ſic plus ad prææmaturam Embryonis expulſionem, quam deſideratam retentionem, conferat; præſertim, ſi Mulieres valde plethoricæ & ad iracundiam proclives ſint, aut neceſſariam, Graviditatis tempore, Venæ ſectionem negligant, vel plane abominentur. Ita Vir ille Artis noſtræ peritiſſimus, veriſſime omnino & prudentiſſime, in quo omnes ſanioris judicii Medicos haud dubie ſibi habebit plane pleneque Conſentientes. Ceterum aliam egregiam* Aquae Vitae, cum Caſtoreo, *Compoſitionem, vid. apud.* VERZASCHAM, *Obſ. Med.* 91. *p.* 236. *Aquam vero Vitæ* REINHOLTI, *auream vulgo dictam, deſcriptam vid. in* BIERLINGII *Append. Med. pag.* 29. *ſqq.*

Aqua Vitæ Mulierum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Cinnamomi acutiſſimi,
Nucis Moſchatae,
Macis,
Zingiberis,
Caryophyllorum,
Granorum Paradiſi,
Cubebarum, *ana uncias duas.*
Cardamomi, *unciam unam ſemis.*
Galangae, *drachmas ſex.*
Piperis longi,
Zedoariae,
Foliorum Salviae,
Menthae criſpae,
Meliſſae, *ana unciam ſemis.*

Inciſa & Contuſa macerentur, vaſe clauſo, per quatuordecim dies, in Vini generoſi *libris duodecim.*

Dein inſtituatur lege Artis, deſtillatio.

In plerisque uteri affectionibus, præſentaneum veluti eſt Remedium, cum roborando, ſuffocationes & flatus compeſcendo, inſuper Caput, Ventriculum & reliqua Viſcera corroborat, Catarrhosque tollit.

Aqua Vitæ Mulierum BOECLERI.

Diſpenſ. Argentor.

℞. Seminis Aniſi, *libram unam.*
Fœniculi,
Papaveris albi,
Cumini Rom. *ana unciam ſemis.*
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Granorum Paradiſi, *ana unciam unam*
Radicis Ireos Florentinae,
Zedoariae,
Calami aromat. *ana drachm. tres.*
Spiritus Vini, *libras ſex.*

Stent in leni digeſtione, per octiduum, poſtea deſtilla; Liquori deſtillato adde:

Sacchari albiſſimi, *uncias quatuor.*

Filtra, & ſerva pro uſu opportuno.

Ejusdem eſt uſus, cum præcedenti, hæc quidem Aqua; ſed & eadem cum Cautione eſt adhibenda.

Aqua Vitæ Mulierum.

Videatur

Aqua & Balſamum Embryonum.

Sed & alia præſtant Compoſitiones, ex quibus, aliquas dabimur.

Aqua Vitæ Tappii.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Cinnamomi optimi, *unc. duodecim.*
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatae, *ana unciam unam.*
Pomorum Citri, *No. quatuor.*
Santali citrini, *drachmas ſex.*
Spiritus Vini Gall. *lib. quadraginta.*

Miſc. deſtill. & edulcoretur, cum Saccharo, in Aquae Roſar. ſufficienti Quant. ſoluto.

Vires ſunt ſtomachicæ, carminativæ & cephalicæ: Sed parcius his Aquis Vitæ utendum, ne nimia copia ingeſta, fiant potius Aquæ Mortis, ut exemplis conſtat.

Aqua Vitæ de Tribus.

Diſpenſat. Prag.

℞. Florum Chamomill. Rom. *manipulos duos.*
Seminis Aniſi, *uncias quatuor.*
Coſti dulcis, *uncias duas.*

Affunde Vini *quantum ſufficit,* deſtilla, Fiat Lege Artis Aqua Vitae.

Aqua hæc facile parabilis, & naturali ſua ſimplicitate Commendabilis, egregiæ nihilominus eſt Virtutis, ruentem enim Ventriculum ſuffulcit, fluentem nauſeam tollit, appetitum dejectum erigit, ructus, flatus & tormina compeſcit, fluxam nimis alvum blande cohibet, & aliis Abdominis querelis medetur, opportune adhibita.

Aqua Vulneraria,

Gallis *Eau d'arquebuſade* dicta.

Diſp. Wirt. Argent. Prag Brand. Leod.

℞. Herb. recent. Agrimoniae,
Alchimillae *ana manipulos duos.*
Ariſtolochiae,
Artemiſiae *ana manipulos quat.*
Bellidis majoris,
minoris,
Betonicae,
Bugloſſi *ana manipulos duos.*
Conſolidae Saracenicae *manipulos quatuor.*
Fœniculi,
Hyperici,
Plantaginis utriusque,
Saniculae *ana manipulos duos.*
Salviae hortenſis *manip. quatuor.*
Scrophulariae,
Verbenae *ana manipulos duos.*

Inciſis affundantur Vini ſpirituoſi librae quadraginta, & poſt digeſtionem per biduum, in conclavi tepido, deſtillentur lento igne, ex veſica; aqua ſpirituoſa ſervetur.

Laudatur aqua hæc ad contuſiones, ſugillationes, luxationes, ambuſta, inflammationes, Gangrænam præcavendam, ad vulnera, nec non ad partes roborandas. Sunt, qui etiam interne adhibere ſolent, ad flatus & tormina diſcutienda, ſpirituoſa enim eſt & aromatica. Vid. SCHULZ. *præl. p.* 42. CARTHEUS. *Pharm. p.* 144. *Act. Med. Berol Vol. III pag.* 80.

Deſcriptio eſt e Diſpenſatorio Brandenburgico, atque pro genuina habetur, idcirco in officina aulica regia uſualis. Alia vero non nihil & ab hac, & Pariſienſi, diverſa deſcriptio hujus Aquæ travmaticæ extat in diſpenſ. Leodienſi.

Aquæ Vulnerariæ deſcriptio

Pharmacopœæ Pariſienſis. & ex hac.

Diſpenſat. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Radicis Symphyti majoris,
Foliorum ejusdem, & minoris,
Bellidis majoris & minoris,
Bugulae,

Saniculae,
Betonicae,
Scrophulariae majoris,
Plantaginis,
Agrimoniæ,
Hyperici cum
ſummitatibus,
Vincae per vincae,
Hederae terreſtris,
Artemiſiae,
Veronicae,
Verbenae,
Telephii majoris,
Millefolii, *ana uncias quatuor.*
Salviae minoris,
Angelicae,
Tanaceti,
Abſinthii, vulgaris majoris & minoris,
Chelidoniae majoris,
Fœniculi,
Ariſtolochiae clematitidis,
Menthae,
Hyſſopi,
Nicotianae, *ana uncias octo.*
Rutae,
Chamomillae,
Scordii,
Majoranae,
Rorismarini, *ana uncias quatuor.*
Summitatum & Florum,
Lavendulae,
Origani,
Calaminthae, *ana uncias ſex.*

Macerentur per quatriduum in Vini generoſi libris quinquaginta, ponderis civilis, poſtea deſtillentur ad dimidias.

Si ſpirituoſa expetitur haec aqua vulneraria, loco vini, herbis modo praeſcriptis ſpiritus vini non rectificati ſuperaffundantur librae quinquaginta, atque deſtillentur.

Vires ſunt eædem quae praecedentis.

Aqua Vulneraria,
ſeu Aqua Catapultarum.

Diſp. Argentor. Brand.

℞. Folior. & Radic. Conſolidæ majoris,
Foliorum Salviæ,
Artemiſiæ,
Bugloſſæ, *ana manip. quatuor.*
Betonicæ,
Saniculæ,
Bellidis majoris,
minoris,
Scrophulariæ magnæ,
Plantaginis,
Agrimoniæ,
Verbenæ,
Abſinthii,
Fœniculi, *ana manip. duos.*
Hyperici,
Ariſtolochiæ longæ,
Telephii, *ſive* Anacampſeri,
Veronicæ,
Centaurii minoris,
Millefolii,
Nicotianæ,
Piloſellæ,
Menthæ,
Hyſſopi, *ana manipul. unum.*
Inciſ. & Contuſ. in Mortario, affundantur:
Vini generoſi, *Libræ viginti quatuor.*
aut *menſuræ ſex.*

Stent in digeſtione, in fimo equino, aut alio calore ſimili, per tres dies; poſtea deſtillentur Igne moderato, per Veſicam.

Vires hujus Aquæ travmaticæ, ſeu vulnerariæ, ſunt eædem, ac ſuperius jam laudatæ, in aliis ejusdem compoſitionibus, ab hac ipſa nonnihil diverſis; ſunt nimirum mundificantes, reſolventes, ſe-

dantes, conſolidantes, ſanantes, roborantes, atque putredinem demum ac gangrænam arcentes. Ceterum generatim notandum, omnia hæc Ingredientia vegetabilia, debere eſſe recentia ac ſuccoſa.

Aqua Vulneraria Alba DIPPELII,

Conf. ſupra

Aqua Styptica Berolinenſ.

Diſpenſ. Pragenſ. Brand. LENTIL. *Eteodrom. An.* 1709. *pag.* 972. *Commerc. litt. Med. Norimb. An.* 1735. *p.* 84.

℞. Succi recentis Betonicæ,
Vincæ per vincæ,
Pimpinellæ,
Sempervivi, *ana libras duas.*
Salis Gemmæ, *libram unam.*
Aceti optimi, *menſuras duas.*

Miſceantur; ſtent in digeſtione, & deinde ad Medietatem, deſtillentur. Dicitur vulgo Balſamus Vulnerarius albus Dippelii.

Alia Balſami Dippel. Vulnerar. operoſior compoſitio extat in Diſp. Wirt. quam infra ſumus deſcripturi ſub Tit. Liquoris Vulnerarii vegetabilis.

Aqua Vulneraria Rubra, ejusdem DIPPELII.

Diſpenſ. Prag. & Brand.

Conf. infra

Liquor Vulnerarius Mineralis.

Qui fere idem.

℞. Lapidis Hæmatit.
Salis Gemmæ, *ana uncias tres.*
Spiritus Vini & Aceti, *ana quantum ſatis.*
Miſc.

Per totum fere orbem notiſſima ac celebratiſſima eſt hujus utriusque Aquæ ſtypticæ, ſeu vulnerariæ Dippelianae fama: vix enim ullum praeſtantius certiusque reperitur Remedium, quod ſanguinem etiam citatiſſimo cum impetu ex diſſectis arteriis majoribus, proſilientem citius ſiſtat ac reprimat, quam iſta quidem Aqua: Praeſertim vero altera rubra, quae quippe non tam mirabilem Medicinam praeſtat, quam potius praeſtigias quaſi & incantationes inauditas & incredibiles: eſt enim ad ſanguinis fluxum cohibendum, tam efficax, ut ſi cani vivo vel integrum crus amputetur, illicoque guttae tantum aliquot ipſius ori infundantur, omnis illa haemorrhagia vehementiſſima & largiſſima, puncto quaſi temporis, nodo veluti Haemonio imperioſo injecto, ſiſtatur. De quo miraculo, ſeu portento ſingulari, vid. BIERBRAUERI *Diſſert. de pharmaco vulgari hodierno, &c. laudata in Diſp. Prag. ubi plura de his Aquis mirandis legenda, item* SCHULZII *praelect. ad Diſpenſat. Brand. &* KLEIN, *Select. rat. Med. p.* 127. *ad quas jam ſupra provocavimus, quum de Aqua ſtyptica Berolinenſium tractaremus, quem locum videas.*

Aqua Vulneraria Rœderi.

℞. Herbæ Gallitrichi,
Pyrolæ,
Vincæ per vincæ,
Conſolidæ Saracen. *ana libram un.*
Matriſilvæ,
Saniculæ,
Veronicæ,
Alchimillæ,
Hederae arboreae,
Artemiſiæ, *ana manip. ſemis.*
Albi Græci Menſe Majo collect. *Drachm. ſex.*
Scobis Ligni Guajac. *unciam unam.*

Pulmonariæ maculoſ. *manipul. unum ſemis.*
Cereviſiæ Veteris & acidul. *menſuras decem.*

Stent in digeſtione, per quatuordecim Dies, poſtea deſtillentur per Veſicam, & reſerventur, pro uſu, in Vitris bene cera munitis & obturatis.

Neque huic Aquae Vulnerariae ROEDERI *vires ſuae deſunt travmaticae & ſalutiferae; quæ tamen a ſelectis potius herbis travmaticis, paregoricis & anodynis, ipſi accedunt; quam quidem ab adjecto illo inſulſo & inficeto Condimento, ſeu rectius, purgamento canino, & quidem, quod probe notandum & ſuavius videndum, Menſe Majo, collecto. Cur enim iſtud fœdum ejectamentum Menſe potiſſimum Majo, melius & ſalutarius ſit, cauſſam equidem ac rationem veram exputare haud valeo. Scio quidem, amœniſſimo illo & Apelleo quaſi, totius Anni Menſe, omnia in hortis, agris & ſaltibus, laetius florere ac vigere, & mille coloribus pingi, diverſamque multorum odorum ſuavitatem ubique e floribus & herbis efflari, totamque Naturam juveneſcere quaſi ac ridere: An vero eo ipſo jucundiſſimo Anni tempore, ille etiam ſordidus aridusque flos, de cane ſaturo caducus, ut ita loquar, aſpectu ſit gratior, odore ſuavior, ſapore dulcior, & ſalutari denique effectu praeſtantior, exquirant quaeſo diligentius, nobisque certius aperiant harum reconditarum lautitiarum cupidi, aut jam experti.*

Aqua Vulneraria ex Succis.

Diſpenſ. Viennenſ.

℞. Herbæ Saniculæ,
Conſolidæ majoris,
Verbaſci,
Pimpinellæ,
Sempervivi,
Betonicæ,
Urticæ minoris,
Chærefolii,
Vincæ per vincæ,
Cichorei, *ana* recentium, *quantum placet.*

Exprimatur inde Succus; tum
℞. Succi hujus, *libras quatuor.*
Aceti deſtillati, *libras tres.*
Salis Gemmæ, *uncias quatuor.*
Fiat Lege Artis, ex Balneo Mariæ, deſtillatio.

Vires ſunt in Haemorrhagiis, ſtypticae, conſolidantes, & acrimoniam humorum corrigentes, in uſu, tam interno, quam externo. Vocatur & Eau d'arquebuſade, *uti praecedentes Aquae Vulnerariae: eundem enim ſcopum easdemque paene vires & effectus habent omnes, ut nempe vulneribus, praeſertim partibus carnoſioribus inflictis, cito, tuto & jucunde medeantur, periculum inflammationis ac gangrænae arceant, nimiam puris generationem inhibeant, ſordes collectas emundent, ac tandem ipſa vulnera ad decoram ſolidamque cicatricem perducant. Ceterum conf. ſupra in* Aqua ſtyptica, *& quae ibi dicta. Alia autem Aqua Vulneraria ſimplicior extat in pharm.* BATEAN. *pag.* 14.

Aqua Vulneraria Ulmi,

Deſcripta a Nicol. de BLEGNY,
in Zodiaco Med. Gall. Ann. I. p. 132. *vid. & Tab. Smaragd. p.* 53.

℞ Vini albi generoſi,
Aquæ Roſarum optimarum, *ana libras duas.*
Fœniculi,
Rutae,
Chelidonii, *ana libram unam.*

Croci Metallorum,
Tutiæ præparatæ, *ana unc. quatuor.*
Caryophyllorum,
Aloës,
Sacchari Canti, *ana unciam unam.*
Camphoræ, *unciam ſemis.*

Liquores Conjice in Vas amplum Vitreum, poſtmodum inde omnia reliqua ſimplicia ſubtiliter trita: Tum vas ſoli per plures dies exponatur, id ſæpius, ex intervallis, commovendo: Aqua prædicta in uſum aſſervetur, diuturna futura, ſi modo pulveres adjecti non eximantur.

Miras, celeres & quaſi praeſentes ſanandi & conſolidandi recentia vulnera, citra ſuppurationem, virtutes Aquae huic vulnerariae ab Ulmo inventae ac compoſitae, ipſe tribuit BLEGNY, *quas ipſe laeto cum eventu, expertus fuit in digito ſuo indice, rudi admodum ictu, vehementer contuſo & paene contrito, item in filia ſua, ab irritatae ſimiae acutis dentibus ſaeviſſime ſauciata, in facie, ita ut ipſius genae laceratae portio paene eſſet divulſa; quae tamen atrociſſima & minacis periculi pleniſſima vulnera, intra anguſtum ſex ſeptemve dierum ſpatium, quod miratu certe digniſſimum, ſine ulla ſubſequita ſuppuratione, feliciter & perfecte vidit perſanata. Quae ſi vera ſunt, uti ſane videntur; quae enim quaeſo, fœda mentiendi libido eo dementiae & proterviae adigeret virum hunc graviſſimum, & alias, inter omnes Medicos, fide digniſſimum, ut falſa traderet, pro veris? Exinde profecto patet luculentiſſime, quanta hujus Aquae travmaticae ſit praeſtantia & efficacitas, in percurandis & glutinandis, iis etiam vulneribus, quae paene deſperata, aut certe ſanatu difficillima alias videbantur.*

***

Aqua Zedoariæ Simplex.

Diſpenſat. Brand. Wirt. & paſſim.

℞. Zedoariæ, *uncias octo.*
Vini generoſi, *libras octo.*
Deſtillentur ad dimidias.

Eſt carminativa & alexipharmaca.
Doſis uncia dimidia, ad integram.

Aqua Zedoariæ Aniſata.

Diſpenſat. Vienn. Wirt. Ratisbon. & reliq.

℞. Zedoariæ, *uncias ſex.*
Seminis Aniſi, *uncias tres.*
Corticum Citri, *unciam unam.*
Inciſa infunde per triduum in
Vini generoſi, *libris decem.*

Poſtea deſtillentur ad dimidias.

Easdem cum ſuccedenti habet vires, flatus diſcutit, & tormina exinde oborta. Ab uncia dimidia ad unciam integram aſſumi poteſt. Vid. SCHULZ. *prael. p.* 43. & KLEIN. *Select. rat. Med. p.* 19.

Arcanum Album,

vid. infra

Pulvis Viennenſis Albus Virgineus.

Arcanum Aluminis.

Diſpenſ. Vienn. Pharm. BATEAN. *p.* 15.

℞. Aluminis dulcis, *uncias duas.*
Salis fuſi, *uncias ſex.*

Miſc. & modicum calcinentur: ſolvantur, & in vaſe vitreato inſpiſſentur, ad ſiccitatem.

In pectoris Morbis, ex Mineralium halitu ortis, conducere traditur; ſed caute eo utendum. Vid. HARTMANNI *Prax. Chymiatr. p.* 89. *Tom. I. Opp.*

Arcanum Antepilepticum,

Thom. BARTHOLIN.

Act. Medic. Vol. V. Obſ. 18. *pag.* 73.

℞. Cra-

℞. Cranii humani,
Semin. Pæoniæ, *ana grana decem.*
Succini albi, *grana ſeptem.*
Auri hæreditarii, *grana duo.*
Margarit. præparat.
Coralliorum, *ana grana quinque.*
Sambuci Cort ex ſalice nati, *grana decem.*
Caſtorei, *grana decem.*
Pulvis Calendul. *grana novem.*

Miſc. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, in Aqua Lavendulæ exhibendus.

Arcani hujus Antepileptici, ſplendido ſancti Arcani ſub Titulo, aliunde accepti, tam ſecundos, quam ſiniſtros contra atrociſſimum Epilepſiae Malum, effectus ibi plenius enarrat Vir ſummus, Thom. BARTHOLINUS, *ſimul tamen acuto cum judicio, addit, adjectum illud in compoſitione, Aurum haereditarium, praeſertim tam exigua in doſi, anilem ac ridiculam ſuperſtitionem omnino redolere: Conf. ejusdem Diſſ. de Transplant. Morb. pag.* 24. *Quod & nobis pariter ita videtur, & videbitur, ſpero, omnibus ſanioris judicii Medicis. Non negamus quidem, Aurum haereditarium, praeſertim vero, ingenti & ponderoſa doſi, opima haereditate, acceptum, multum, immo plurimum, valere ad curandam exſuccam deficientis crumenae atrophiam, atque inprimis quoque, ad conciliandam gratam & acceptam proſopolepſiam: An vero ad curandam diram Epilepſiam, aut alium atrociorem Morbum feliciter profligandum, quidquam faciat aut eximium illud Aurum haereditarium, aut quodcunque aliud? Id certe, ſine ulla mora, & ſine ulla haeſitatione, negamus, imo pernegamus. Tacemus jam ſtudio, alia, in hac compoſitione notanda magis, quam laudanda, velut decantatum illud cranium humanum, & naſcentis in Salice Sambuci Corticem &c. Tanti vero Viri auctoritas, late per orbem diffuſa, effecit potiſſimum, ut hanc hujus ſic dicti Arcani deſcriptionem hic inter poneremus: praeſertim, cum ipſi, duce & comite ipſa experientia, inſignes plane, in compeſcenda feroci Epilepſia, virtutes tribuerit* DOLAEUS, *Encyclopaed. Med. Dog. Lib. I. Cap. IX. p.* 154. *Ceterum ſimile fere Arcanum Antepilepticum in Baſil. Chym. per Io.* HARTMANNUM, *cum Obſſ. edita, extat, p.* 90. *Conf. infra Pulveres Epileptici varii.*

Arcanum Bechicum Williſii,

vid. infra
Syrupus Sulphuris.

Arcanum contra Calculum, SCHENKII.

℞. Nitri Purificati, *libras tres.*
Spiritus Vitrioli, *libram unam.*

Miſc. ut Nitrum ſolvatur: Abſtrahe ſpiritum ad ſpiſſitudinem, & colloca in locum frigidum; tunc fiant Cryſtalli.

℞. Harum Cryſtallorum, *uncias duas.*
Salis Abſinthii,
Geniſtæ, *ana drachmam unam.*
Affunde Olei Sulphuris, *quantum ſuff.* ut fiat Pulmentum: Add.
Aniſi, *drachmam unam.*
Succini, *drachmam ſemis.*
Sacchari Canarienſ. *parum.*

Miſc. Doſis ſcrupul. ſemis, ad unum.

Singulares quidem vires antilithiacae, ſeu contra Calculum, huic ſic dicto Arcano tribuuntur ab inventore ejusdem, SCHENKIO. *An vero Titulus reſpondeat perfecte ipſi effectui, viderint alii, qui hujus Medicamenti, non prorſus contemnendi, periculum aliquando fecerunt. In-*

terim tamen non negandum, ipſi ineſſe vim diureticam & hydragogam, inde & forſan concludendum, nec virtute lithonthryptica ipſum plane eſſe deſtitutum.

Arcanum Corallinum.

Diſpenſ. Brand. Hamb. Wirt. Prag. Pariſ. Pharmac. Batean. p. 15. LEMERY *Curſ. Chym. pag.* 241.

℞. Mercurii vivi puriſſimi, *uncias quatuor.*

Solvantur in ſpiritus Nitri ſufficienti quantitate, vel unciis circiter octo; ſolutio committatur retortæ, & leni igne liquidum evocetur. Tunc augeatur ignis, & retorta undique carbonibus vivis obruatur, ut omnes ſpiritus expellantur; quo peracto refrigeſcat. Retorta caute diffracta, invenietur in ejus fundo Mercurius præcipitatus, coccineo colore ſplendens; (Confer. HOFFMANNI Obſſ. Phyſ. Chym. pag. 345.) ſublimatum quod ad collum retortae haeret, corroſivum, provide ſeparari debet. Praecipitatum rubrum, quod in fundo reperitur, in mortario vitreo optime tere, inter terendum olei Tartari per deliquium uncias tres vel quatuor affunde, atque diu & multum piſtillo agita; tandem, affuſa aqua copioſa, omnem ſalſedinem elue, & pulverem rubrum exſicca. Cicuratur hac trituratione cum oleo Tartari alcalino corroſivum acidum; quod ad grana duo, tria, vel quatuor, ſine periculo, dari poteſt. Wirtenberg.

Uſus Arcani corallini, in diaphoreſi promovenda, a multis commendatur, ſtimulum alvum ducentibus pharmacis addit & ad ciendum ſalivae fluxum interdum adhibetur. Wirt.

Maneat Arcanum, & raro exterius adhibeatur, nunquam autem interius, ob metuenda exinde pericula. v. SCHULZ. *Prael. p.*43. CARTHEUS. *pharmacol. p.*475. *Diſp. Prag. Brand. praeſertim* STAHL. *Mat. Med. Part. I. Sect.* 3. *p.* 54.

Arcanum ad Herpetem, Miliarem,

VALESCI DE TARANTA. *Philon. Chirurg. Cap.* 6. *pag.* 811. *& Tab. Smaragd. pag.* 56.

℞. Lanae ſuccidae Ovis, *quant. ſuff.*
Torrefiat nigra, & pulveriſetur: poſtea Miſc. cum Aqua Flor. Roſar. & Fiat inſtar Encauſti, quo ter, de die, locus affectus inungatur.

An multum proſit fœda Lana ſuccida combuſta contra fœdum illud Herpetis proſerpentis malum, nondum ſatis liquet, ut ingenue fatear. Interea tamen, ſi parum forſan proderit, parum etiam nocebit. Eſt enim hoc Arcanum, ſi hoc quidem magnificum Nomen mereatur, per ſe utique innocentiſſimum.

Arcanum Duplicatum, *ſive* Nitrum Vitriolatum, *ſive* Panacea Holſatica, *ſive* Duplicata *item* Sal de Duobus.

Diſp. Wirt. Argent. Brand. & rel. vid. Chym.

℞. Vitrioli Ungarici, vel alius martialis, *libras duas.*
ſolvantur in
Aquae calidae fontanae, *libris octo, vel decem.*
Nitri fixi tantundem in aquae fontanae *libris quinque* ſoluti.

Ambas ſolutiones filtratas ſenſim commiſce, Nitri fixi ſolutionem Vitrioli lente infundendo; praecipitabitur terra metallica, cum quodam effervescentiae indicio; affundatur ſolutio

alcalina ad punctum ſaturationis usque; filtretur poſtea permixtus liquor. Terra praecipitata eluatur affuſa aqua calida, ut omnis extrahatur ſalſedo. Evaporentur permixti liquores ad caticulam, & ad cryſtalliſationem reponantur.

Sal medium hoc, Tartaro vitriolato Tacheniano per omnia ſimile; medicamentum in malo hypochondriaco, febribus, verbo, in obſtructionibus, & detergendis ventri ulo atque inteſtinis a viſcidis humoribus, egregios effectus praeſtat. Alvum ducit, a ſcrupulo, ad ſcrupulos duos & drachmam integram exhibitum. Commiſcetur vero plerumque abſorbentibus, & ita etiam adminiſtratum, ad incidendos viſcidos humores in primis viis, multum valere deprehenditur. Vid. CARTHEUSER. *pharm. p.*417. & SCHULZ. *l.c.* MYNSICHT. *Theſaur. pharm. p.*24. *ſeqq.* JÜNGKEN. *Corp. pharm. p.*953. CHARAS *pharm. Reg. T. II. pag.* 684. *item* STAHL. *Mat. Med. Part. I. p.*229. *qui tamen modicus admodum eſt in laudando hoc Arcano duplicato, quod vix pro ſimplici habet. Animadvertendum magnopere eſt, ut bene ſit praeparatum, atque metallicae particulae penitus ſint praecipitatae, (quod fit ſufficiente ſolutionis Nitri fixi additione,) alias facile nauſeam & vomitum excitat. Vid.* SCHULZ. *Prael. p.*45.

NOTA: Parari plerumque ſolet ſic dictum hoc Arcanam duplicatum ex reſiduo Aquae fortis, quod vero, niſi vehementiſſimo igne calcinetur, vel, addita alcali portione, acidum ſaturetur, vitriolicum ſaporem metallicum retinet, & nauſeam movet. Cum etiam hoc reſiduum Aquae fortis non ubique ad manus ſit, & ſecurius atque breviori via, ſecundum hanc, quam modo dedimus, praeſcriptionem, parari poſſit, merito illam antiquae praeferendum eſſe cenſemus. *Haec Cl. Dni Witenberg. & Prag. in Not.*

Arcanum Duplicatum Lixiviatum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Capitis mort. ex Aqua forti pulveriſati & edulcorati, *libram un.*
Solvatur, & ſolutioni addantur:
Cinerum Chavellator. in Aquae fontanae, *libra una ſolutorum, unciae tres.*

Liquor mixtus filtretur, & addatur tertia pars Lixivii Cardui Benedicti filtrati; evaporet ad caticulam, & cryſtalliſetur.

Habet easdem, immo & aliquanto majores virtutes, ac praecedens ſimplex Arcanum duplicatum.

Arcanum Duplicatum Martiale.

Diſpenſ. Viennenſ.

℞. Vitrioli Hungarici, *libras ſex.*
Limaturae Martis, *libras tres.*

Excoquantur, & inſpiſſentur: inſpiſſata cum Nitri depurati anatico pondere calcinentur; ſolvantur invicem, filtrentur, & in Cryſtallos redigantur.

Easdem cum prioribus, ſed majores incidendi & aperiendi vires habet. Hinc in Hepatis, Lienis, Meſenterii & Hypochondriorum Obſtructionibus, efficax eſt Remedium. Etiam pallidam puellarum indignantium Chloroſin extergit & florido colore genas albentes denuo pingit: fœdum quoque fluorem album fœminarum languentium ſenſim cohibet; ſi nempe praeparato prius & probe expurgato corpore, in uſum opportunum advocetur.

Arcanum Tartari,
ſive Terra Foliata Tartari,
item Sal eſſentiale Tartari.

Vid. RAHN. *Diſſ. de Arcano Tartari, item* WEDELII, JUNCKERI, TEICHMEYERI *&* BÜCHNERI *Diſſertat. de eodem Argumento, conf. & hujus Fund. Mat. Med. p.* 127. *Diſp. Brand. Hamb. Argent. Vienn. Prag. Ratisb. Pariſ. & reliq.*

℞. Salis Tartari albiſſimi *uncias quatuor.*
Aceti vini deſtillati *libras ſex.*

Commiſceantur, & evaporetur acetum in vaſe figulino probe vitreato, ad ſiccitatem, in fine leniſſimum ignis gradum adhibendo. Si non ſatis forſan alcali ab aceto ſaturatum fuerit, quod guſtu deprehendetur, alia libra aceti vini deſtillati affundatur, atque eodem modo tractetur. Remanentia ſalina denuo aqua fontana ſolvitur, atque ſolutio per chartam bibulam filtrata, rurſus uti antea dictum, evaporatur, & ſiccata, in vitro probe clauſo, loco calido, ne liqueſcat, ſervatur.

Incidit, reſolvit, abſtergit, urinam & alvum movet, & a ſcrupulo uno, ad drachmam unam, in vehiculo aquoſo, exhiberi poteſt. Non ſolum hac, ſed plures quoque alias eximias prorſus Virtutes Tartaro huic regenerato, ut ipſe vocat eum, merito tribuit BOERHAAVE, *Element. Chem. Tom. II. Part. I. proceſſ.* 76. *pag.* 231. *ſqq. Conf.* SCHULZII *prælect. ad Diſpenſ. Brand. pag.* 45. *ſqq. &* CARTHEUSERI *pharmacol. pag.* 425. *Diſpenſ. Prag. in Not. item* KLEIN, *ſelect. rat. Medicam. p.* 22. *varias ergo ſævas turbas in corpore humano obortas placide componit hic Tartarus. Utinam & animi irati, aut inquieti tumultus ſedare poſſet! Sed hæc obiter; nec tamen ſine ratione, quum hæc ſcribo.*

Solvitur penitus a ſpiritu Vini, & tincturam eximiam præbet ſpleneticam, antihypochondriacam, arthriticam, nephriticam, & quintæ eſſentiæ Vini nomen meretur, quæ a guttis XXXX. ad LX. commendari ſolet. Videatur LIQUOR TERRÆ FOLIATÆ TARTARI.

Aurum Balſamicum.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Auri fulminantis, *drachmas duas.*
Olei Cinnamomi opt. *unciam unam.*

Stent in digeſtione, leniſſimo igne, per triduum, in phiola Vitrea, ad ſolutionem, & ſervetur.

Uſus eſt præcipuus pro pulvere Hannover. legitime parando. Idem traditur in Diſpenſat. Prag. pag. 87. *& alibi. Sed vehementer me terret horribile illud Aurum fulminans, de cujus violenta & virulenta nocendi vi, mox plura dicentur; adeo, ut inde ejus uſum minime tutum ac ſalutarem eſſe judicem.*

Aurum Diaphoreticum.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Foliorum Auri, *drachmas tres.*
Reguli Antimonii puri, *uncias tres.*

Pulveriſentur & miſceantur in Crucibulo, ſuper impoſito altero Crucibulo, & oblutato; dein calcinentur probe, cum:

Salis decrepitati, *unciis tribus ſemis.*

In Igne circulatorio, tribus vicibus repetendo, & ſemper edulcorando, & exſiccando, novo ſale decrepitato addito, ultimatim Spiritus Vini rectificatiſſimus deſuper deflagret: Ignis Circulatorius non nimis fortis in Calcinatione, ſucceſſive creſcat, ſex Horis, ne abeat in Regulum.

Cordiales & diaphoreticas Virtutes Nomen impoſitum indicat. Indicat quidem, mea certe ſententia; non vere re ipſa, & effectu ipſo, probat. Habere,

non plane nego, poteſt aliquas Virtutes diaphoreticas a Regulo nimirum Antimonii; nullas autem Cordiales, ab adjectis Auri foliis; quæ nihil ſane huic Compoſitioni addunt aliud, quam inanem ſplendorem, & inutile plane pretium. Par profecto eſt ratio illius ſic dicti Auri Vitæ *vel rectius* Mortis *deſcripti in pharm. Bat. pag.* 16. *& a* JUNCKENIO, *in Chym. Experiment. Sect. V. Cap. I. pag.* 267. HARTMANNO *& aliis*, RIVERIO, *quod componitur ex Auri raſpati drachma una, & Mercurii Vivi probe purgati, uncia una. Omnis enim ipſius Virtus, ſi quam habeat contra luem Veneream, Lepram & Cancrum, pendet potius ab ipſo actuoſo Mercurio, quam ab inerti & mortuo quaſi Auro. Conf.* GEOFFROY, *Mat. Med. Tom. I. pag.* 316. *& infra dicta ad* Tincturam Auri, *& ſupra, ad Aurum Fol.*

Aurum Fulminans.

Diſp. Brand Prag. Wirt Ratisbon. Argent. Viennenſ. GEOFFROY *Mat. Med. Tom. I. pag.* 317. *& apud Chymicos pæne omnes.*

℞. Auri puriſſimi *drachmas duas.*
Solvantur in
Aquæ Regis *unciis duabus.*

Solutioni inſtilletur ſpiritus ſalis armoniaci volatilis aquoſi, quantum ſatis, ad plenariam Auri præcipitationem; præcipitatum, repetita affuſione & ablutione aquæ fontanæ, edulcora, & pulverem luteo-fuſci coloris, charta bibula exceptum, & leniſſimo calore exſiccatum, in vitro ad uſum ſerva.

NOTA: Aurum fulminans, ſi non ex puro Auro, ut vulgo fieri ſolet, præparatum fuerit, tormina vehementia excitat. Neque vero nummi, quos *Ducatus* vocant, ex puriſſimo Auro cuſi ſunt, ſed ſemper aliquid & circiter vigeſima quarta pars Cupri vel Argenti additur, quod monetarii *legare* dicunt; Cuprum vero ab Aqua Regis etiam ſolvitur, & cum Auro præcipitatur. Conf. HOFFMANNI Obſ. Chym. in fine, pag. 378. & Diſp. Prag. Opus igitur eſt, ut depuretur antea, quod optime per encheireſin illam, quam in arte ſeparatoria periti *quartam* vocant, fit: Auri nimirum pars una, cum tribus Argenti, funditur, poſtea in Aqua forti ſolvitur; ita Aurum in fundo remanet. Ut autem conſtet, omne Argentum Auro extractum & ab Aqua forti ſolutum eſſe, ſuperaffundatur alia, repetatur tertio, & leni calore ebulliat; denique effundatur Aqua fortis, & regia ejus loco affundatur, qua ſolvetur Aurum, purum jam & aptum, ex quo fulminans paretur.

Refertur Aurum fulminans ad purgantia; ſolet vero, ſi multos in primis viis humores acidos inveniat, ſatis vehementer atque copioſe evacuare, ſin minus, mitius eſt. Sunt, qui teneris infantibus præſcribunt, magnas autem nonnunquam anxietates illis excitaſſe compertum eſt, ut caute hoc medicamento in delicatulis utendum præcipiamus. Excrementa colore nigro, ſicut martialia ſolent, tingit; aliquando, loco purgationis per alvum, valida ſatis diaphoreſis evenit. Vid. CONRINGII *Hermet. Med. Lib. II. cap.* 5. *pag.* 238. *Doſis granum unum ad quinque.* Ita Cel. Dni Wirtenbergenſes.

De hoc terribili Auro, cum latranti, ut PLAUTUS *ait, immo fulminanti Nomine, ſcripſerunt* Benj. EWALDT, *&* STAHLIUS, *contra quem* Pancrat. WOLFIUS *Defenſionem Auri fulminantis edidit, quæ tamen ipſa nova defenſione indigere videtur, de qua longa lataque Controverſia,*

vid. potiſſimum VALENTINI *Novell. Med. Legal. Caſ. XXVII. p.* 482. *ſeqq. Nam*

Qui niger eſt, nulla candorem ſumit ab arte,

Non defuerunt quidem & huic Auro magni ſui patroni & amatores, (quis enim quæſo Aurum non amet?) qui aurea quaſi elogia in id certatim effunderent, ejusque Virtutes efficaciſſimas in gravioribus & atrocioribus tam adultorum, quam infantum præſertim, morbis, immenſis pæne laudibus efferrent: quos inter jam nominaſſe potiſſimum ſufficiat Crollium, Beguinum, Angel. Salam, Rolfincium, Michaëlem, Fabrum, Kernerum, Dolæum, Wedelium, Hoffmannum *ad* Schrœderum, Viganum, Hœferum, Lentilium, Teichmeyer. Jüngken, Hartmannum, Poterium, Waldſchmidtium, *in Diſſ. de Auro,* Ettmüllerum, *in Valetudin. infant. cap.* 3. *& alibi, in Opp. & noviſſime Cl.* Gmelinum *aliosque plures, præcipue vero chemicos fere omnes, quippe qui potius plerumque colunt Jovem Fulguratorem, quam Serenatorem, aut Milichium, atque Remedia magis amant violenta & quaſi fulminea, quam quidem mitiora, lentioraque, ſed ſimul tutiora. Juſtæ tamen ſuæ indignationis fulmen in hoc ipſum tantopere fruſtra laudatum Aurum fulminans rectius, noſtra quidem ætate, vibrarunt, ejusque uſum, præſertim autem in tenellis infantibus, ceu noxium, periculoſum, immo funeſtum, jure meritoque damnarunt prorſus præſtantiſſimi Medicorum, quos inter vel maxime eminent* HOFFMANNUS *noſter, in Medicina Rat. Syſtemat. T. II. Part. II. Cap.* 8. *pag.* 290. *ſqq. & Tom. III. Sect. II. Cap.* 5. *pag.* 487. *item in Obſ. Chym.* 21. *Lib. III. pag. extrema* 378. *& alibi ſæpius in Opp. licet aliter olim ſentiret, ad* Poter. *Obſ. Cent. III. c.* 56. *pag.* 248. *porro* RIVINUS, *in Lib. patholog. Therapeut. ut & in Diſſ. de Medicament. Officin. Cenſura, Cap.* 6. *pag.* 115. *nec non Cl.* CARTHEUSERUS, *in pharmacologia, pag.* 480. *& B.* SCHULZIUS, *Prælect. ad Diſpenſat. Brand. pag.* 46. *ubi tamen aliquanto mitius judicat de Medicamento hoc aſpero & truculento, rectius vero plane illud averſatur Cl.* BÜCHNERUS, *in Fund. Mat. Med. pag.* 180. *item* STAHLIUS *atque* ALBERTI, *in ſingularibus ſcriptis, contra iſtum* WOLFIUM, *de quo ſupra, editis: prior quoque in Mat. Med. Part. I. pag.* 39. *& Part. II. pag.* 20. *conf. maxime Diſpenſ. Prag. &* GEOFFROY, *Mat. Med. T. I. Part. I. Cap.* 2. *Art. II. pag.* 318. LOESEKE, *Mat. Med. p.* 146. *item* KUNDMANN. *Rarior. Nat. & Artis, Sect. III. pag.* 971. *ſqq. &* EWALDTI *Diſſ.* de Auro fulminante. *Præcipue autem graviore in hoc tonans Aurum intonat ſummus noſter* BOERHAAVIUS, *in Elem. Chem. Tom. II. Part. III. proceſſ.* 205. *pag.* 436. *ſequentibus quidem verbis, ibi legi, hic autem repeti & ſervari digniſſimis:* Qui hunc Auri Fulm. pulverem hominibus ingeſſerunt, Arcani magno pretio promittentes eximia, dolores, tormina, alia mala, excitabant. Quam differt inventio inſignium in Chemia, novorum inventorum, ab utilitate, inde parienda in Medicina. *Quem & vid. Conſult. med. pag.* 365. *Edit. Pariſ. Eandem vero juſtam ſententiam de hoc violentiſſimo Remedio, immo rectius, veneno, tulerunt quoque* STAHLIUS, *ſupra laudatus,* PELARGIUS, NENTERUS, LANCISIUS, FREIND, MEAD, & *alii plures. Sed jam dudum, ante hos omnes, crepitans hoc ac formidabile Aurum Severiſſime increpuit & Medicorum*

foro juſtiſſime ejecit Vir majoris doctrinæ & melioris judicii, quam ſtili, Dan. Ludovici, *in Pharmacia, Diſſertat. I. pag.* 182. & *pag.* 288. *Nunquam igitur ullos revocetur in uſus doloſum illud mortiferumque Aurum, Tholoſano illi auro fatali, proverbio noto, ſævis nocendi viribus pœne compar, de quo ita ſcripſit* Aul. Gellius, *Lib. III. Noct. Att. cap.* 9. Quisquis illud Aurum attigit, miſero cruciabilique exitu periit. *Aurum profecto præſtat fulgens, quam fulgurans, ſolidum, quam ſolutum, & cuſum, quam fuſum, aut in abjectum pulverem redactum. Ad externos Vitæ commodæ uſus, pertinet potius Aurum, quam ad internos ſanitatis aut conſervandæ, aut reſtitueudæ. Ipſum terribile ipſius Nomen* fulminans, *quemvis terreat potius, quam invitet ad periculum cum eo faciendum. Peſſimum ſane & peſtilentiſſimum eſt Medicamentum, præſertim vero teneris Infantibus, uberibus adhuc admotis, & hinc acido abundantibus; licet contrarium hic non ſine famæ jactura, audentius ſtatuant, quam prudentius tueantur* Dolæus, Ettmüllerus, *aliique ſuperius citati potius, quam hoc quidem in loco, laudati, aut laudandi. Ego vero contra, nunquam ancipiti hoc, immo præcipiti Remedio uſus ſum, quia peſſimos ſæpe vidi inde effectus, ipſius temerarium uſum ab aliis tentatum illico inſequutos. Fulminat revera hoc teterrimum Aurum Fulminans in miſeros præſertim infantes, & rapidiſſimo quaſi fulmine ipſos percutit, adeo ut in atrociſſimos morbos, diros motus epilepticos, & mortem denique ipſam ſubitam ſæpius incidant. Quando teneris infantibus illud datur, inquit ipſe* Schulzius, *ſupra laudatus, ſolet magnas debilitates & anxietates concitare, ut præ foribus letum eſſe metuas.* Rivinus *autem, ab Auro fulminante mortuum vidit infantem, in cujus inteſtino, facta ſectione, foramina reperta fuerunt; qualia funeſta exempla alia obſervavit quoque* Stahlius, *ut &* Hoffmannus, *Med. Rat. Syſtem. Tom. II. part. II. Cap.* 8. *p.* 291. *qui ſimul in antecedentibus, graviſſime monet ſequentia:* Aurum fulminans ſæpe tam vehemens eſt, ut ventriculum, vel inteſtina corrodat, idque magis fit in ſubjectis tenerioribus, & ubi prima regio corroſivis cruditatibus obſeſſa eſt. *Procul ergo procul omnes teneri infantes ab hoc diro fulmine! Sub finem vero, jam lepidam adhuc hiſtoriam hic adjiciam, ad detergenda ſcilicet lectorum faſtidia, ex hac longa quidem, ſed tamen maxime neceſſaria, Obſervatione, forſan oborta. Habebat Princeps quidam filiolam unicam, trium circiter annorum, cui aliquando, ex Conſuetudine aulæ ibi recepta, primulo vere, alvus leni medicamento erat ducenda. Quærebatur ergo tum a Medicis aulicis, de ipſo Remedio, in hunc quidem finem, potiſſimum eligendo. Tum Medicus quidam Veteranus, ſevero & ad gravitatem philoſophicam quaſi compoſito vultu, principis eſt filia, dicebat, ideo ipſi vulgaria ac plebeja Remedia haud ſatis bene conveniunt: hinc Aurum ipſi fulminans potius præſcribamus, ceu præſtantiſſimum, & exigua ſua doſi præſertim gratum ac commendabile Medicamentum. Calide ſic jocari primum putabam frigidum iſtum ſenem; intelligens autem mox ex ejus pertinacia, rem ſerio, non joco, ab ipſo propoſitam fuiſſe: Apage, inquam ego, cum execrabili illo tuo auro! ipſe certe ne Principis Villici quidem filiæ, aut miſerrimi mendici puellæ propinare auderem aureum illud venenum, ne dum ipſi Principis filiæ tenerrimæ. Ipſe interea Princeps hic for*

te ſuperveniens atque percipiens, quid inter nos actum, & a me præſertim de deteſtabili illo Auro fulminante dictum eſſet: Ego vero, inquit, nolo meam filiam aliter a vobis tractari, quam boni cujusvis civis, aut ruſtici mei filiam; neque enim, ſat ſcio, alium anum aut inteſtina habet, (*ſit venia Principis ipſius hic verbis*) *ac illa, immo, ut omnes aliæ per univerſum Romanum Imperium puellæ habent, aut habebunt; neque unquam aurea reddet ſtercora, etiamſi integros aureos Montes devoraverit. Hæc ille: Riſimus tum omnes quidem effuſe: iſte vero aureus quaſi Medicus, Medaurenſis ſcilicet, cum auro ſuo exploſus, ſolus triſtis abiit, ſero nimirum pudore faciem ſuffuſus. Ego autem tum, quod etiamnum impenſe gaudeo, candido iſto meo conſilio, ſartam tectamque præſtiti venuſtam illam ac delicatam principis filiam, jam ipſam aliquot filiarum & filiorum matrem, a minaci illo Auri fulminantis fulmine, quod eo quidem tempore, a male ſedulo maloque ſano Medico ipſius Capiti imminebat; illudque ipſum forte ſubito perculiſſet, niſi ego, reluctando, & ſecuriora ſuadendo, effeciſſem, ut ſurda tantum, atque Claudiana, ut vulgo dicitur, illa fuiſſent Tonitrua. Ceterum vero de hujus Auri horribili vi fulminante externa, internoque noxio quin & mortifero ſæpius effectu, vid. maxime Diſpenſat. Brandenburg. pag. 33. in Not. & uberrime Diſpenſat. Pragenſ. pag. 86. ſqq. in Animadverſ. E contrario vero in Diſpenſ. Viennenſ. Auro huic fulminanti, manu nimis liberali, tribuuntur* Vires ſumme Cordiales; *quod nemo alias, me quidem judice, facile dixerit. Ideo non equidem invideo; miror magis, Auro huic ſubleſtæ fidei adſcriptas eſſe Vires Cordiales; quum tamen ipſi potius adjudicanda eſſent Vires mortuales, ſeu mortiferæ, ceu ex hactenus dictis, & ipſa experientia, clarius pateſcit. Hæc enim Auri calx per ſe iners plane eſt & inefficax: Omnes autem, quas exerit, juvandi, ſive rectius, nocendi, vires adquirit ab adventitiis Salibus acribus atque cauſticis. Unde Cor debilitat potius, quam roborat. Conſ.* GEOFFROY, *Mat. Med. Tom. I. p.* 316. & Diſſert. Noſtr. *de Cort. peruv. uſu, pag.* 10.

Aurum Horizontale, ZWINGERI.

℞. Croci Solaris bene edulcorat. *drach. duas.*
Cinnabaris Antimon per ſextuplicem Sublimationem Correctæ, *unciam ſemis.*
Olei deſtillat. Cinnamomi, *guttas tres.*

In Mortario lapideo invicem optime tere & Miſce. Doſ. a granis ſex ad decem, & quindecim.

Sed de alio AURO HORIZONTALI ita Cl. SCHULZIUS, in Prælect. ad Diſp. Brand. p. 47.

Vocatur etiam PANACEA KORNMANNI. *Crebro hoc Medicamentum adhibuit* WEPFERUS, *ut ex elegantiſſimis Obſervationibus ipſius patet. Binis locis illud deſcribit, ſcil. Obſ.* 135. *pag.* 634. *ubi ad Cinnabaris unciam dimidiam, Sacchari Canti albi Drachmæ duæ, & Olei Cinnamomi Gutta unica accedunt: Et in Medicamentorum formulis, operi ſubjectis, ubi Cinnabaris unciæ uni, binæ unciæ ſacchari, & Olei Cinnamomi integra drachma adduntur. Prima deſcriptio morbis Capitis, a nervorum Vitio pendentibus, melius convenire, minusque ſanguinem commovere mihi videtur. Altera vero proxime accedit ad pulverem illum celeberrimum, quem vulgo vocant:* das Zelliſche

Goldpulver, *& propter elæoſaccharum Cinnamomi, eximias Vires analepticas poſſidet: de cetero vero, ex viribus Cinnabaris, æſtimari omnino debet. Doſis autem ex diverſa ſacchari Oleique Quantitate determinanda erit. Hactenus laudatur* SCHULZIUS; *Conf. Diſpenſat. Pragenſ. in Animadverſ. utrum vero Cinnabari ipſi, ut ille Clariſſ. Vir, cum aliis plurimis, putat, virtutes iſtæ celebratæ analepticæ adſcribendæ ſint; an rectius potius illi fragrantiſſimo & efficaciſſimo Elæo-Saccharo, ex Oleo Cinnamomi parato? quæ* Cartheuſeri, Hundertmarkii. Neumanni *& aliorum celeberrimorum Chemicorum juſtior videtur ſententia, quam & nosmet ipſi ſectamur; de eo profecto adhuc magna ſub judice lis eſt. Vid. Cl.* CARTHEUSERI *Diſſ. de Cinnabaris inertia medica, & pharmacol. p.* 457. *Add. quæ ſupra, parte prima, ad* Cinnabarin nativam, *dicta nobis fuerunt.*

Aurum Potabile,

Vid. infra, ſuo loco & ordine,

Tinctura Auri.

Bacilli ad Fornacem.

Videatur

Maſſa ad Fornacem.

Bacilli de Liquiritia Albi.

Diſp. Arg. Wirt. Prag. & rel.

℞. Gummi Arabici,
Specierum diaireos ſimplicium,
diatragacanthæ *ana unciam ſemis.*
Radicis Liquiritiæ,
Amyli *ana unciam unam.*

Terantur omnia in pollinem ſubtiliſſimum, cui addantur
Sacchari albi pluveriſati *libræ duæ.*
Mucilaginis Tragacanthæ *quantum ſatis;*

Pinſantur in mortario, fiat maſſa, ex qua formentur, pro lubitu, bacilli, qui ſub nomine LIQUIRITIÆ ALBÆ COCTÆ reponantur.

Bacilli de Liquiritia Citrini.

Diſp. Arg. Wirt. Prag. & reliq.

℞. Liquiritiæ pulveriſatæ *unciam unam.*
Iridis florentinæ,
Amyli albi *ana unciam ſemis.*
Croci ſubtiliſſime triti *ſcrupulum un.*
Sacchari albi *libram unam.*

Fiat, ſufficiente quantitate mucilaginis Tragacanthæ, maſſa, ex qua formentur bacilli.

In Catarrhis & defluxionibus acribus ad fauces, indeque orta tuſſi ſicca, & raucedine proſunt.

Balſamum Alexicacum.

THOMAE REINESII.

℞. Theriacæ Andromachi,
Mithridat. Damocrat. *ana unc. ſemis.*
Styracis Calamit.
Benzoës, *ana drachmam ſemis.*
Pulv. Angelicæ,
Valerianæ,
Chamomill. Rom. *ana ſcrupul. duos.*
Olei Nuciſtæ expreſſi, *ſcrupul. quat.*
Angelicæ,
Rutæ,
Succini,
Spicæ, *ana ſcrupulum ſemis.*
Juniperi, *drachmam ſemis.*
Cum ſevi agnini, ſufficienti Quantitate
Fiat lege Artis, Linimentum,
Addito Olei Amygdal. dulc. modico.

Egregia hæc Balſami Alexicaci Compoſitio, a Viro ſummo, Thoma REINESIO, *in publicam utilitatem, quon-*

dam confecta, eximii uſus eſſe poteſt, in omnibus peſtiferis venenatarum Beſtiarum morſibus, item in dira Hydrophobia ipſa, nec non diverſi generis vermibus, & in ipſa denique atrociſſima peſtilentia. Extat autem hujus Balſami Reineſiani deſcriptio in BIERLINGII *Append. Medicam. pag.* 56. *& alibi & in Tab. Smaragd. pag.* 63.

Balſamum Angelicæ,

Diſpenſat. Brand.

℞. Olei deſtillat. Angelicæ, *drachm. un.*
Matris Balſamorum, ſeu
Olei Nucis Moſchatæ expreſſi, odore per Spiritum Vini ſpoliati, *quant. ſatis.*
Miſc. Fiat lege Artis, Balſamum.

Balſamus hic, inquit Cl. SCHULZIUS, *in prælect. pag.* 47. *ut ceteri ſimplices, ex Viribus Oleorum, unde parantur, æſtimari debet. Jam vero Oleo inſunt generales Vires, ſanguinem expandendi, & fibras ad motum vegetiorem blande erigendi, eoque ſanguinis circuitum augendi accelerandique; ſeorſim autem pectorali & uterina virtute celebratur: ſpecialiſſime creditur, in Conſtitutione peſtilentiali multum valere. Adhiberi itaque Balſamus hic poteſt ad odorandum, temporibus contagioſis: ejusque tantillum ore ſubinde excipi: a tuſſientibus quoque modicum in ore diſſolutum lente deglutiatur. Hyſtericis etiam naribus adhibeatur: & colica flatulenta laborantibus intro detur, piſi magnitudine, & paulo amplius. Hactenus* SCHULZ.

Balſamum Angelicæ Sennerti.

Diſpenſat. Hamb.

℞. Extracti Angelicæ, *unciam unam.*
Mannæ ſelectæ, *drachmas duas.*
Miſce ſuper igne lento, & adde:
Olei Angelicæ, *drachm. unam ſemis.*
Fiat lege Artis Balſamum:

Easdem cum præcedenti Angelicæ Balſamo, habet virtutes, quare in iisdem morbis & affectibus, ibi a Cl. SCHULZ. *commemoratis, pari cum fructu, commode adhiberi poterit. Fatendum tamen ſimul, gratioris eſſe aliquanto ſaporis iſtam ipſam Compoſitionem, quam hanc alteram, a magno quondam noſtro Sennerto, in publica commoda, concinnatam. Verum Medicamenta generatim haud expetuntur, ut bene ſapiant; ſed ut potius bene ſopiant dolores, & ſanitatem amiſſam redonent.*

Balſamum Anglicanum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Ceræ flavæ,
Styracis liquidæ, *ana uncias tres.*
Terebinthinæ claræ, *uncias duas.*
Balſami Peruviani,
Opobalſami, *ana unciam ſemis.*
Olei Viridis,
Hyperici, *ana libram unam.*
Axungiæ humanæ, *unciam unam.*
Sanguinis draconis,
Santali rubri,
Mumiæ, *ana drachmas duas.*

Miſceantur, ſolvantur, & colentur, ut fiat Balſamum.

Inſigne eſt Vulnerarium, ad ulcera & vulnera, tam interne, quam externe, adhibendum.

Aliam autem Balſami Anglic. Compoſitionem multo operoſiorem & ab hac ipſa plurimum diverſam, exhibet Diſpenſat. Brand. & Hamburgenſe.

Balſamum Anodynum Batei.

Diſpenſ. Edinburg. pharm Batean. p. 16.

℞. Saponis Caſtilienſis, *unciam unam.*
Opii, *ſemiunciam.*
Camphoræ, *drachmas ſex.*
Croci, *Drachmam unam.*
Spiritus Vini rectif. *uncias octodecim.*

Digere in Balneo Arenæ, per decem dies, & cola deinde Balſamum.

Effectus hujus Balſami anodyni exacte reſpondet ipſi Titulo. Poteſt igitur, debita tamen cum circumſpectione adhibita, ſæviſſimos dolores rhevmaticos, arthriticos & alios, blanda ſua virtute anodyna, placide demulcere.

Balſamum Anodynum, *vulgo* Guidonis.

Diſpenſat. Edinburg. Lugdun.

℞. Aloës Hepaticæ,
Gummi Ammoniaci,
Bdellii,
Carannæ,
Caſtorei,
Galbani,
Labdani,
Myrrhæ,
Balſami Peruviani,
Olibani,
Succini,
Tacamahacæ,
Styracis Calamitæ, *ana ſemi unciam.*
Tritis omnibus, quæ teri poſſunt, add.
Terebinthinæ Venetæ, *ad pondus omnium.*

Indantur Retortæ, ita, ut ad tertias impleatur: deſtilla ſecundum Artem. Oleum rubrum, ſeu Balſamum ſeparetur a Liquore ſupernatante, ſecundum Artem.

Habet easdem virtutes anodynas, cum præcedenti.

Balſamum Antimonii.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Antimonii Crudi, *libram ſemis.*

Fluat bene in Tigillo, addendo ſucceſſive, Salis Tartari, ex Nitri & Tartari Crudi *ana* tantum, quantum Antimonium eſt. His optime liquatis injiciantur repetitis vicibus, carbones pulveriſati, donec deflagratio ceſſet: Omnibus refrigeratis, ſcoriæ a Regulo ſeparentur, & adhuc calidæ pulveriſatæ immittantur Cucurbitæ, vel phiolæ, ſuperaffundantur:

Olei Juniperi, *unciæ quatuor.*
Aniſi, *unciæ duæ.*
Terebinthinæ, *uncia una.*

Et Capitello oblutato, appoſitoque Recipiente, ponantur in Balneum Mariæ: Coquantur per octo Horas, ut olea Tinctura Sulphuris antimoniata bene imprægnentur, & in Balſamum denique redigantur.

In Affectibus pectoris interne aſſumtum hoc Balſamum mire opitulatur. Verum non has ſolum virtutes; ſed & plures alias inſigniores, huic eximio plane Balſamo inſuper tribuit JÜNGKEN, *in Chym. Experiment. Sect. V. Cap.* 2. *p.* 308. *ubi & p.* 307. *operoſa hujus ipſius Balſami extat deſcriptio, nempe anticolicas, antihyſtericas, antinephriticas, immo & antiloemicas, aliasque, adeo ut hinc ipſe, his argumentis inductus, uni huic* Balſamo Antimonii *longe plus virtutis & efficaciæ adſcribat, quam omnibus aliis Balſamis ſic dictis Sulphuris, quomodocunque quantaque cum ſolertia & Artis peritia, etiam fuerint parata. Quæ an omnem quidem partem, vera ſint, ipſi demum ex-*

perti candide pronuncient. Ceterum conſ. Io. HARTMANNI *Prax. Chymiatr. p. 125. ſeqq. Tom. I. Opp. ut & Hoffmann. Not. ad* POTER. *Pharm. Spagyr. Lib. II. cap. 12. p. 390. ubi & aliam faciliorem Balſami Antimonii parandi Methodum docet, ejusque virtutes dilaudat.*

Balſamum Antiſpasmodicum.

Diſpenſat. Viennenſ. Ratisbon.

℞. Pinguedinis Anguillæ, *unciam unam.*
Olei Galbani, cum Spiritu Terebinthinæ, deſtillati, *unciam ſemis.*
Lumbricorum Terreſtrium,
Liliorum alborum, *ana Drachm. tres.*
Succini albi,
Rorismarini,
Angelicæ, *ana Drachm. un. ſemis.*
Baccarum Juniperi,
Chamæmeli,
Origani Cretici,
Baccarum Lauri, *ana Drachm. un.*
Caryophyllorum,
Lavendulæ,
Salviæ,
Rutæ, *ana ſcrupulum unum.*
Miſceantur omnia exacte, & tum, cum Olei Nuciſtæ expreſſi, *libra una.*
Fiat lege Artis, Balſamum.

Præmiſſis univerſalibus, in fremore, paralyſi, & convulſionibus, a cauſſa frigida ortis, Nervos penetrando, motusque convulſivos ſiſtendo, ſalubriter adhibetur; inungendo non ſolum partem affectam; ſed & totam dorſi ſpinam. Plura de ipſius uſu & effectu, vid. ſi lubet, apud ipſum ejus inventorem, nempe MYNSICHTUM, *in Armamentario Med. Chym. Sect. XXXV. p. 476. ex quo illud tranſiit in Diſpenſatoria pharmaceutica Viennenſe, Ratisbonenſe, & alia.*

Balſamum Apoplecticum.

Diſp. Vienn. Wirt. Batean. Reg. CHARAS *T. I. p. 348. Brand. & rel.*

℞. Olei Nuciſtae expreſſi, *uncias tres ſemis.*
Jasmini.
Cinnamomi.
Ligni Rhodii ana drachmam, *unam ſemis.*
Lavendulae.
Majoranae.
Caryophyllorum, *ana drachmam unam.*
Rutae.
Succini, *ana ſcrupulum unum.*
Moſchi.
Ambrae, *ana grana ſedecim.*
Zibethi, *ſcrupulum ſemis.*
Balſami Peruviani, *ſcrupulos duos.*
Spodii nigri praeparati quantum ſatis pro colore.

Oleo Nuciſtae lento igne liquato, inſtillentur olea deſtillata, Moſchus & Ambra cum ſpiritu roſato trita, Zibethum & Balſamum Peruvianum in fine addantur.

Parari etiam absque Moſcho, Ambra & Zibetho debet, pro illis, qui horum odorem perferre nequeunt.

Apoplecticorum naribus, vertici, temporibusque illitum, potiſſimum vero, ob odoris commendationem, expeti ſolet. Ceterum quanta cum circumſpectione utendum ſit Balſamo Apoplectico, ſapienter monet BOERHAV. *Elem Chem. part I. proc. 23. p. 94. Tom. II.*

Balſamum Arcæi.

Diſp. Wirt. Argent. Brand.

℞. Terebinthinae Venetae,
Gummi, vel potius reſinae Elemi,
Sevi cervini, *ana uncias duas.*

Olei Hyperici, *unciam unam.*
Sandali rubri, *drachmam unam.*

Gummi Elemi in Terebinthina leniſſimo igne ſolvitur, quibus ſucceſſive adduntur ſevum & oleum Hyperici, in alio vaſe liquata, tandem pulvis Sandali ſubtiliſſimus admiſcetur.

Præſtans vulnerarium & digeſtivum eſt, quod in vulneribus feliciter adhibetur.

Balſamum Bezoardicum.

Diſpenſat. Brand.

℞. Olei deſtillati Angelicae,
Citri,
Majoranae,
Rutae, *ana ſcrupul. ſemis.*
Succini rectif. *guttas quinque.*
Myrrhae,
Salviae,
Zedoariae, *ana gutt. quindecim.*
Olei Nucis Moſchat. expreſſ. *unciam ſemis.*
Camphorae, *grana ſex.*
Miſce exacte pro Balſamo.

Vires ſunt analepticæ, cardiacæ, cephalicæ & alexipharmacæ: uſus eſt internus, & externus; ſed ubique, pro ratione, ſit modicus; præſertim internus. Conf. Schulzii *Prælect. in Diſpenſ. Brand. p.* 49.

Balſamum Bezoardicum.

Charas, *Pharm. Reg. Tom II. p.* 523.

℞. Oleorum ſtillat. Rutae,
Cortic. Citri.
Aurantior.
Lavendulae,
Angelicae, *ana ſcrup. ſemis.*
Succini rectif. *guttas quinque.*
Nucis Moſchatae, *unciam ſemis.*
Camporae, *grana quatuor.*

Miſce. Fiat ex lege Artis, Balſamum.

Cui inſignis contra peſtem Vires merito tribuit Auctor.

Balſamum Borrhi.

Diſpenſat. Viennenſ. Pragenſ.

℞. Olei Nuciſtae expreſſi, *unc. unam.*
Rutae,
Majoranae,
Anthos,
Succini, *ana* deſtillator. *drachm. ſemis.*
Moſchi,
Ambrae gryſ. *ana ſcrupulum unum.*
Olei ſtillat. Cranii humani foetidi, quantum ſatis, & Fiat Balſamum.

Virtutes cephalicæ & hyſtericæ pluresque aliæ adſcribuntur huic quidem Balſamo, a famoſo illo ac fumuſo ipſius Jnventore, Joſepho Franciſco Borrho, *homine vago, vano, profano ac fanatico, portentoſis ſuis impiisque opinionibus, inhoneſtis technis, mendacibusque ſummorum & nunquam auditorum Arcanorum promiſſionibus, ſuperiore ſæculo, per omnem fere orbem, male celeberrimo. Interim tamen hoc ipſum Balſamum melius & laudabilius eſt ipſo ſui Auctore: Gaudet enim omnino virtutibus cephalicis, cardiacis, antiſpaſmodicis ac nervinis: ſed & hyſtericis prodeſſet, ſi nimia illa Moſchi & Ambræ quantitas abeſſet; una cum ipſo illo Cranii humani oleo fœtido, inhumano illo, inutili, & ad feroces Anthropophagos ablegando æternum Remedio, immo Recremento.*

Balſamum Caryophyllorum.

Diſp. Brand. Wirt. Prag.

℞. Olei deſtillati Caryophyllorum, *drachmam unam.*

Nuciſtae expreſſi, *drachmas duas ſemis.*

Mixtis colorem concilia pulvere tenuiſſimo Caryophyllorum, vel Boleti cervini.

Balſama ſimplicia ex olei virtute, e quo parata ſunt, æſtimantur.

Balſamum Cellenſe.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Olei Nuciſtae expreſſi, *unciam unam.*
Camphorae, *drahmam ſemis.*

Miſceantur optime; deinde addantur:

Olei Lavandulae,
Rutae, *ana ſcrupuli quatuor.*
Salviae,
Succini albi,
Majoranae, *ana ſcrupulus unus.*

Miſc. ut Fiat lege Artis, Balſamum.

Cujus Vires cephalicæ ſunt & alexipharmacæ.

Balſamum Cephalicum Saxonicum.

Diſp. Wirt. Vienn. & paſſim.

℞. Olei deſtillati Lavendulae,
Succini albi, *ana ſcrupulum unum.*
Pulegii,
Majoranae,
Salviae,
Anthos,
Saturejae, *ana grana quindecim,*
Macis,
Rutae, *ana ſcrupulum ſemis.*
Menthae,
Origani, *ana grana duodecim.*
Nucis moſchatae expreſſi, *unciam unam.*

Miſceantur & fiat Balſamum.

Cephalicum eſt, nervinum, ſtomachicum, roborans, &c. plurimum convenit cum Balſamo SCHERZERI, *cujus deſcriptio infra habetur.*

Balſamum Coſmeticum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Olei Amygdal. dulc. ſine igne, rec. parat. *drachmas tres.*
Spermatis Ceti recentiſſimi,
Aceti ſaturni, *ana drachmas duas.*
Olei Tartari per deliquium, *ſcrupulum unum.*

Miſceantur omnia, ut Fiat Balſam.

Cujus Virtutes ad cultum Venuſtiorum fœminarum potiſſimum facientes ipſa Nominis Inſcriptio ſatis indicat. Mallem tamen abeſſet ſuſpectum illud ſaturni acetum. Simile fere Balſamum Coſmeticum CNOEFFELII *vid. in Tab. Smaragd. p.* 64.

Balſamum Cinnamomi.

Diſp. Ratisbon. Wirt. Brand.

℞. Olei deſtillati Cinnamomi, *drachmam unam.*
Nuciſtae expreſſi, ope ſpiritus Vini, odore ſuo privati, *drachmas duas ſemis.*

Fiat Balſamum Bolo Armena tingendum.

Præſtantiſſimum eſt in omnibus affectibus, in quibus Balſamo opus eſt, & propter ſuaviſſimum odorem, quem nemo facile faſtidit, omnibus commendari poteſt.

Alius præſtantioris & pretioſioris Balſami Cinnamomi meminit GRIM. *in laboratorio Ceylon. pag.* 77. *ſed, quod dolendum, certis ex cauſis politicis & œconomicis, ipſam illius præparationem ſtudio reticuit. Aliam vero generoſioris Balſami Cinnamomi deſcriptio-*

nem dedit Jo. HARTMANNUS, *in praxi chymiatr. pag. II. Opp.*

Balſamum ad Dentitionem Puerorum.

CHARAS, *pharm. Reg. T. I. p.* 352.

℞. Butyri majal. non ſaliti, *unc. tres*
Pingued. Gallinae,
Anatis, *ana drachm. duas,*
Succi cancror. fluv. contuſ. cum Aq. Flor. Cyani extracti,
Mucilag. Rad. Althaeae, *ana uncias duas.*
Sacchari cand. ſubtil. pulv. *unc. quatuor.*
Vitell. ovi, *unum.*
Moſchi,
Ambra griſ. *ana grana ſex.*
Miſc. Fiat lege Art. Balſamum.

Gingivis Tenellorum dentes parturientium frequentius illinendum. Cui plurimum Virtutis in hoc quidem Caſu, tribuit Auctor, atque ad ipſam fidam experientiam provocare haud veretur. Et egregia ſane eſt compoſitio, ad emolliendas gingivas & dolores mitigandas apprime utilis.

Balſamum Embrionum.

Videatur Aqua Embrionum.

Balſamum Epiſcopale.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Olei Nuciſtae expreſſi, *uncias duas.*
Succini,
Anthos,
Lavendulae, *ana drachmas duas.*
Miſceantur exacte, & Fiat Balſamum.

Vires ſunt cephalicae, nervinae & analepticae. Conf. Unguentum Friderici Epiſcopi.

Balſamum Fioravanti.

Diſpenſat. Argent

℞. Albuminum Ovorum, *Libr. unam.*
Terebinthinae, *uncias ſex.*
Reſinae Pini, *uncias quatuor.*
Deſtilla per Retortam, ſeparetur ab Aqua Lege Artis, Oleum.

Quod Balſamum in Capitis inprimis Vulneribus, valde prodeſt, ut & in Tinea & Alopecia. Cautiſſime tamen tum contra has capitis ulceroſi turpitudines, eo utendum, & non niſi repurgato prius aliquoties, per idonea Remedia antiſcorbutica, impuro corpore. Conf. Diſſert. noſtr. de veritate paradoxi Hippocratici &c. pag. 14. *ubi noxas & pericula inde metuenda, indicavimus.*

Balſamum Fioravanti aliud.

Diſpenſat. pariſ. pharmac. Reg. CHARAS. *part. II. p.* 854.

℞. Terebinthinae Venetae, *Libram unam.*
Baccarum recentium Lauri, *uncias quatuor.*
Gummi Elemi,
Tacamahacae, *ana unciam unam.*
Styracis liquidae, *uncias duas,*
Galbani,
Thuris,
Myrrhae,
Gummi Hederae,
Ligni Aloës, *ana uncias tres.*
Galangae minoris,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Nucis Moſchatae,
Zedoariae,
Zingiberis,
Dictamni albi,
Aloës ſoccotorinae,
Succini, *ana unciam unam.*
Spiritus Vini rectificati, *Libras ſex.*

Digerantur omnia ſimul per Novem dies; Tum addita Terebinthina, deſtillentur Balneo Cinerum. Prodibit primo, Liquor limpidus ſpirituoſus, & erit *Balſamum Spirituoſum*; ſecundo, Oleum Flavum, & erit *Balſamum*: Tandem, Oleum rufum, aut nigrum, & erit *Balſamum nigrum*.

Vires hujus egregii Balſami ſunt analepticæ, nervinæ, nephriticæ, diureticæ, alexipharmacæ atque traumaticæ, nec non hyſtericæ & ſtomachicæ, item Carminativæ; adeo, ut hinc in Variis quidem Morbis, a cauſſa præſertim frigida, aut flatuoſa ortis, opportune adhibitum, inſigni uſui eſſe poſſit.

Balſamum Fœniculi,

Wolf & Horſt. apud THONERUM, *Append. Obſ. Med. pag.* 368.

℞. Olei Nuc. Moſchat. expreſſi, *unc. un.*
Deſtillat. Fœniculi, *unciam ſemis.*
Add. Tincturæ Fœnicul. cum Spiritu Vini factæ, *unc. quat.*
Senſim Miſc. & adde Salis Fœniculi *ſcrupulum ſemis.*
M.

Balſamum Hiſpanicum.

Tribuitur vulgo inſigni illi Chirurgo & Anatomicō Fabricio ab AQUAPENDENTE, *qui omnia fere Vulnera eo ipſo ſolo per ſanaſſe dicitur. Ipſius vero Deſcriptionem habes apud* CHARAS, *Pharm. Reg. Tom. I. pag.* 355. *& alibi item in* BIERLINGII *Append. Remed. pag.* 56. *& Tab. Smaragd. pag.* 66.

Balſamum Hyſtericum,

Diſpenſat. Vienn.

℞. Olei Nuciſtæ, *uncias tres.*
Deſtillati Galbani,
Succini,
Rutæ,
Menthæ,
Tartari fœtidi, *ana drach. unam.*
Axungiæ Caſtorei, *drachm. ſex.*
Miſceantur, & Fiat lege Art. Balſamum.

Balſamum Hyſtericum,

Diſpenſat. Pariſ. Pharm. Reg. CHORAS, *Tom. I. pag.* 351.

℞. Bituminis Judaici,
Aloës,
Galbani,
Labdani veri, *ana drachmam unam.*
Aſſæ fœtidæ, *ſcrupulum unum.*
Caſtorei,
Opii ſelecti, *ana drachmam ſemiſſem.*
Oleorum ſtillatit. Rutæ,
Succini, *ana gutt. decem.*
Abſinthii,
Sabinæ,
Gagatis,
Petrolei, *ana gutt. duodecim.*
Olei Nucis Moſchatæ, *ſcrupul. duos.*

Liquentur Gummi, liquatis permiſceantur reliqua, Fiatque Balſamum, ſecundum Artem.

Utrique huic Balſamo una eademque Virtus ineſt, nempe hyſterica, ſeu uterina; Valentior autem poſteriori Pariſino. Ambo tamen opportune adhibita, eundem, in medendo, ſcopum ſalutarem commode obtinent, ut nempe placide componant motos in utero fluctus, & turbas concitatas; quæ vulgo, ſub notiſſimo Nomine hyſtericarum paſſionum, aut ſuffocationum, venire ſolent. Inde ergo jam per ſe patet ipſius Inſcriptionis Ratio. Ceterum ſimile fere Balſamum Hyſtericum *vid. apud* CHARAS, *Pharm. Reg. Tom. II. p.* 561.

BALSA-

Balſamum Lavendulæ.

Diſpenſ. Brand. Wirt. & reliq.

℞. Olei deſtillati Lavendulæ *drachm. unam.*
Nuciſtæ expreſſi, odore & colore ope ſpiritus vini viduati, *drachm. duas ſemis.*
Mixta tingantur Cœruleo montano.

Balſamum Lectorenſe, *vulgo,* de Leitour.

Diſpenſat. Pariſin.

℞. Oleorum eſſentialium rectif. Lavendulæ,
Terebinthinæ,
Petrolei,
Juniperi,
Caryophyllorum *ana unc. un.*
Olei eſſential Benzoini, per Retortam eliciti, & Balneo Maris rectif. *unc. ſemiſſ.*
Oleorum Macis,
Nucis Moſchatæ, *ana drach. duas.*
Camphoræ,
Croci, pulveratorum, *ana drach. un.*
Moſchi,
Ambari Cineritii, pulveratorum,
Sapphirorum præparator. *ana drach. ſemiſſem.*
Capitum Bufonum præparat. *drach. duas.*

Mitte in Matracium capaciſſimum rite obturatum. Digere per quatuor dies, Calore ſolis, vel ventris equini; ſingulis diebus, quater movendo, & tum factum erit Balſamum.

Vires ſunt analepticæ, nervinæ & anodynæ. Quid vero ad hunc finem conferant Sapphiri, & præſertim fœda illa Bufonum capita? hariolarii vix licet.

Balſamum Lithuanicum.

Vid. infra
Oleum Betulinum.

Balſamum Locatelli.

Diſp. Brand. Wirt. Pariſ. Vienn. Arg. Ratisb. Prag Pharm. Batean. p. 17. Hamb. Reg. CHARAS, *Tom. I. p. 355.*

℞. Olei Olivarum *unc. ſex.*
Ceræ citrinæ, *unc. quatuor.*
Vini Canarienſis, *unc. quinque.*
Leni igne, ad conſumtionem vini coctis, adde
Terebinthinæ Venetæ claræ *unc. ſex.*
Balſami Peruviani *drach. . duas.*
Sandali rubri *unc. ſemis.*

Ad vulnera, contuſiones, variasque læſiones internas pariter, ac externas, commendatur; interne propinatur a drachmis duabus, ad unciam ſemis in juſculo. vid. SCHULZII *Prælect. pag. 50.*

Balſamum Lœmicum Heinſianum.

ZWELFER. *in Animad. ad Pharm. Aug. p. 444. & Diſpenſ. Hamb. item Vienn.*

℞. Oleorum Camphoræ,
Succini,
Citri,
Debito ſuo modo præparator. *ana partes æquales.*

Stent ſimul mixta, in Vitro optime munito, in leniſſimo Balnei calore, donec perfectiſſime inter ſe unita ſint, & Oleum aurei Coloris evadat.

Hoc Balſamum in variis Germaniæ & Italiæ locis, graſſantibus atrociſſimæ peſtis contagiis, feliciſſime uſurpatum, & tricennali Experientia comprobatum, Auctor bono publico conſecrare

voluit: Cujus virtutes in ejusdem Hiſtoria Expeditionis Ital. lœmicæ fuſius explicantur. Aliad vero ejusmodi Balſamum lœmicum, ſeu peſtilentiale exhibet Diſp. Brand. de quo vid. SCHULZ. *in Prælect. p.* 50. *& aliud* TUDECII, *Tabul. Smaragd. p.* 73. *Hamburgenſe autem Diſpenſat. Heinſianam quidem Compoſitionem proponit; addit vero inſuper Olea Rutæ atque Juniperi, Augmento ſane, me quidem judice, haud inutili. Habet enim præſertim Ruta inſignem Virtutem antilœmicam, ceu ſatis quidem notum: Conf.* Simon. PAULLI *Quadripart. Bot.* 459. *ſqq.* BOERHAAVE, *Hiſt. plant. Tom. I. p.* 342. *ſqq.* ZORN. *Botanolog. p.* 589. *ſqq. & quos ibi laudat Auctores alios plures. Vix enim hæc res probatione eget.*

Balſamum Magnanimitatis.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Radicis Pyrethri,
Gummi Euphorbii, *ana unc. unam.*
Cantharidum, *unc. ſemis.*
Vini generoſi, *libram ſemis.*

Stent mixta, in digeſtione, per noctem, deinde adde.

Olei Formicarum, *unc. ſex.*

Et coq. invicem, ad Conſumtionem humiditatis, Colaturæ poſtea addantur:

Olei Nucis Moſchatæ expreſſi, *unciæ ſex.*
Nuciſtæ deſtillati, *drach. una ſemis.*
Piperis deſtillati,
Caryophyllorum,
Macis,
Spicæ,
Axungiæ Caſtorei, *ana drachm. una.*
Zibethi,
Moſchi optimi, *ana ſcrupul. unus.*

Miſceantur, & Fiat lege Artis, Balſamum.

Balſamum hoc vires naturales dejectas reſuſcitat, veneremque languentem ſtimulat. Si nempe eo ſpina dorſi, regiones renum, & ipſæ generationi dicatæ a Naturæ partes in lætam Venerem torpentes, exterius inungantur. Uſus autem hujus Balſami, fruſtra ſic dicti magnanimi, *internus, nec ſecurus eſt, nec ſalutaris, hincque minime ſuadendus: ob vim nempe cauſticam, violentam ac virulentam Radicis pyrethri, Gummi Euphorbii, & præſertim Cantharidum, renibus atque Veſicæ inprimis inimiciſſimarum, uti vulgo potiſſimum. Verendum enim omnino, ne tum loco ſeminis, ſanguis ipſe acerrimo cum dolore, emittatur, & ſperatus ille blandus amœnæ Veneris luſus in acerbum luctum convertatur: de quo mœſto eventu perquam memorabile, quod ipſe vidit, exemplum retulit Jo.* LANGIUS, *Epiſt. Med.* 47. *Lib. I. p.* 208. *ſqq. &* VERZASCHA, *Obſ.* 51. *p.* 107. *ne alia plura ejusmodi exempla funeſta, paſſim apud Auctores Medicos obvia, jam in medium adducam, ſatis quippe cognita dudum atque perſpecta. Purpuream enim plerumque Animam, ſi non vomunt, ut poeta ait, at certe quaſi mingunt omnes illi, qui viroſas iſtas Cantharides intus incautius aſſumſerunt: Non enim ipſis ineſt ſuave* Remedium Venereum, *ut vulgo quidem putatur; ſed grave potius Venenum, ipſi lætæ Veneri plave adverſum. Vid. infra dicenda, ad* Eſſentias Aphrodiſiacas. *Conf. & Fil.* PLATERI *Obſ. Med. Lib. I p.* 239. *ſqq. item* LANZONI *Animadverſ. Med.* 28. *p.* 99. *ſqq. &* SALMUTH. *Obſ. Med.* 23. *Cent. III. Cæterum, quid de illo magnifico nimis* Magnanimitatis *Titulo huic Compoſitioni impoſito, ſit ſentiendum; de eo videas, ſi quidem lubet, quæ jam ſupra a nobis monita & obſervata fuerunt,*

ad Aquam *ſic dictam* Magnanimitatis. *Conf. infra, ſuo loco, ad* Pilulas Magnanimitatis. *Certe, nec Aqua, nec Balſamum magnanimos faciunt; ſed potius Virtus, Religio, Prudentia, Philoſophia & juſta bellandi cauſſa. Sed hæc obiter.*

Balſamum Magicum Pfortzheimenſe.

Diſp. Argent. Wirt. Vienn.

℞. Radicum Succiſæ,
Valerianæ,
Filicis,
Hirundinariæ,
Leviſtici *ana unc. ſemis.*
Herbæ Antirrhini,
Sideritidis,
Adianti aurei,
nigri,
albi,
Salviæ ſilveſtris,
Rutæ, cum ſummitatibus,
Menthe criſpæ *ana unc. ſemis.*
Florum Hyperici *unc. quatuor.*
Viſci corylini,
querni *ana unc. unam.*
Fructus Momordicæ *unc. duas.*

Radices, herbæ, flores recentes & reliqua incidantur & contundantur, atque in
Olei Olivarum puriſſimi, & vini boni *ana libr. duabus ſem.*

Macerentur, poſtquam per viginti quatuor horas ſteterint, ad humiditatis conſumtionem, leni igne coquantur, & expreſſis addatur
Olei Scorpionum compoſiti,
Terebinthinæ Venetæ,
Axungiæ hominis *ana unc. una ſemis.*
Ceræ citrinæ *libra ſemis.*
His refrigeratis porro admiſceatur
Pulveris Mumiæ,
Maſtichis,
Olibani,
Myrrhæ, *ana unc. una.*
Aſæ fœtidæ *unc. ſemis.*

Probe ſubacta ſerventur in vitro.

Vires hujus balſami prædicantur antimagicæ, contra maleficia & incantationes, ſi fabula quidem vera, vid. huc inprimis MERCKLINII *Sylloge de Incantat. p. 253. ſqq. Externe adhibitum, nervoſum genus roborat, interne calculum & vermes expellit, ulceraque ſanat.*

Doſis interne a drachmis tribus, ad ſex.

Balſamum Majoranæ.

Diſpenſ. Brandenb. Wirt. & paſſim.

℞. Olei Majoranæ deſtillati *drach. unam.*
Nucis Moſchatæ expreſſi *drachm. duas ſemis.*

Miſceantur, & tingatur Balſamum Magiſterio herbarum.

Vires ſunt cephalicæ, nervinæ & errhinæ.

Balſamum Martiale.

Pharm. Bat. p. 17.

℞. Martis mundat. *unc. quatuor.*
affund.
Olei Terebinth. *unc. quinque.*
poſt guttatim immitte
Spiritus Nitri, *unc. tres.*

Digere leni calore, per dies aliquot; deinde decanta purum ſecundum Artem.

Summum eſſe dicitur Vulnerarium.

Balſamum Nervinum.

Diſpenſ. Pariſ. Pharm. Reg. CHARAS, *T. I. p. 357.*

℞. Olei Palmæ recentis,
Nucis Moſchatæ,

Medullæ Cervi,
Cruris Bovis, *ana unc. quatuor.*
Axungiæ Viperinæ,
Humanæ,
Taxi, *ana unc. unam.*
Oleorum ſtillatit. Lavendulæ,
Menthæ,
Rorismarini,
Salviæ,
Thymi,
Caryophyll. *ana drachm. unam.*
Camphoræ, *drachm. duas.*
Balſami Tolutani ſicci, ſoluti in ſpiritus Vini ſufficienti *quant. unc. unam.*

Miſceantur ſimul, & Fiat Balſamum.

Egregium hoc balſamum, exterius tantum adhibitum flaccidis torpidisque membris, nervisque quaſi præmortuis novum vigorem novamque quaſi vitam induit.

Balſamum Nervinum Internum.

CONERDINGII.

Tabul. Smaragd. p. 70.

℞. Salis Cornu Cervi volatilis,
Ammoniaci ſicc. *ana drach. unam.*
Olei Macer. deſtillati, *ſcrupul. unum.*
Spiritus Vini rectificati, *unc. unam.*

Miſce, & digere ſenſim, in loco tepido, per quadraginta octo Horas, Doſis ejus eſt *a guttis quinque, ad decem, & amplius.*

Balſamum hoc in Nervorum vitiis & languoribus, veluti paralyſi, quin & ipſa Apoplexia, item in defectionibus animi, nec non paſſionibus & ſuffocationibus hyſtericis, egregium uſum præſtare poſſe, præſertim ſi in Vini generoſioris modico hauſtu, propinatum fuerit, neminem Medicorum fore arbitramur, qui vel ex ipſa Compoſitione, id non confeſtiam perſpiciat.

Balſamum Nuciſtæ.

Diſpenſat. Wirt. & reliq.

℞. Olei Nuciſtæ expreſſi, *drachm. duas.*
deſtillati, *ſcrupulos duos.*
Miſceantur.

Vires habet ſtomachicas, cephalicas, nervinas, atque bono cum effectu in Diarrhæa infantum adhibetur. Aliud vid. in Pharm. Batean. p. 18.

Balſamum Odontalgicum.

Diſpenſ. Vienn. Wirt & in paucis aliis.

℞. Olei ligni ſancti *drachm. duas.*
Caryophyllorum, *drachm. unam.*
Opii,
Camphoræ, *ana ſcrupulos duos.*
Olei Nuciſtæ expreſſi, *drachm. ſex.*

Opium & Camphora ſpiritus Vini pauxillo ſoluta, miſceantur cum reliquis.

Vires in ſiſtendis graviſſimis dentium doloribus compertæ ſunt, ſi vel ſolum, vel Goſſypio exceptum, cavitatibus dentium applicetur. Simile fere Balſamum Odontalgicum CNOEFFELII *vid. in Tabul. Smaragd. p.* 70.

Balſamum Otalgicum.

LE MORT.

℞. Oleum Amygdalarum. amarar.
Papaveris albi, *ana drachm. duas.*
deſtillati Rorismarini, *guttas decem.*
Camphoræ, *ſcrupulum ſemis.*

Miſc. Fiat lege Artis, Balſamum, in Aurium affectibus, conf. infra Turundæ Acuſticæ.

Balſamum Paralyticum.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Olei Galbaneti Paracelſi,
Succini rectificati, *ana unc. unam.*

Roriſmarini,
Angelicæ, *ana drachm. unam.*
Chamæmeli,
Caryophyllorum,
Salviæ,
Lavendulæ, *ana drachm. ſemis.*
Miſceantur, & poſtea cum
Olei Nuciſtæ, *unciis ſex.*
Fiat lege Artis, Balſamum.

Vires ab ipſo Nomine deſumi poſſunt: Nam Cerebro, Nuchæ, & Membris paralyticis, mediante inunctione, nervos roborando, valide opitulatur. Aliud Balſam. paralyt. vid. in Pharmac. Batean. p. 18.

Balſamum Parreiræ Bravæ.

ibidem.

℞. Olei Scorpionum Compoſiti, *libram ſemis.*
Balſami Copayvæ, *unc. duas ſemis.*
Sulphuris Terebinthinati, *unc. duas.*
Styracis liquidæ, *unc unam.*
Radicis Parreiræ Bravæ, ſubtil. pulv. *unc. ſex.*
Salis Armoniaci depurati, *unc. unam.*
Vini Hungarici optimi, *libram unam.*

Bulliant lento igne, ad Conſumtionem Vini, ſemper ſpatula agitando; Removeantur ab igne, & per linteum laneum colentur, cum expreſſione: deinde addatur:

Balſami Peruviani nigri, *unc. una ſem.*
Miſceantur bene, & Fiat Balſamum.

Quod ad calculos pellendos, dolores nephriticos ſiſtendos, & partes genitales roborandas, auxilio eſt. Id quod pluribus exemplis, a ſemet ipſo viſis, perquam luculenter probavit Medicus quondam magnus & elegantiſſime doctus, Mich. Frid. Lochnerus, *in Schediaſmate lectu digniſſimo juxta & jucundiſſimo, de* Parreira Brava, *Norimberg.* 1719. *Cujus & jam ſupra mentionem honorificam ex merito, fecimus, part. I ad Rad.* Parreiram Bravam. *Deberi vero hujus Balſami nephritici, lithonthryptici, & polychreſti compoſitionem proprie Celeberrimo quondam Medico Helvetio, ibidem docet laudatiſſimus Auctor, p.* 59. *ubi & de præſtantiſſimo ipſius uſu, in variis Morbis atrociſſimis, agit. Conf.* Boecleri *Cynoſuræ Mat. Med.* Hermann. *Continuat. I. p.* 57. *ſqq.*

Balſamum Pectorale, MEIBOMII.

Diſpenſat. Brandenb.

℞. Olei Amygdalar. dulc. recentis,
Terebinthinæ Venet. *unc. duas, & drachm. duas.*
Olei Hyperici. *unc. duas.*
Spermatis Ceti, *unc. dimidiam.*
Sanguinis draconis,
Laudani Opiati,
Balſami peruviani, *ana drach. duas.*
Butyri Majalis, non ſaliti, *unc. unam, cum ſemiſſe.*
Miſce, Fiat lege Artis, Balſamum.

Hoc Remedium Seren. cuidam Duci Brunſvicenſi a Meibomio, *ante multos Annos, præſcriptum fuit, quum ſuſpicio magna phthiſeos eſſet; quo ille quotidie uſus,* ad decem, vel quindecim Guttulas, *conſpicuam ſenectutem ſatis commode conſequutus eſt. Verba ſunt. Cl.* Schulzii, *in Prælect. p.* 50. *ubi primus hanc ipſam veram Balſami pectoralis Meibomiani Compoſitionem cum orbe communicavit, unde tranſiit ea in Diſpenſat. Brand. Conf. ejusdem Diſſ. de phthiſi.*

Balſamum Commendatoris de Perne.

Diſpenſ. Vienn. Pariſ. Wirt. Arg. Reg. CHAR. *T. I. p.* 358.

℞. Balſami Indici ſicci *unc. unam.*
Styracis in granis *unc. duas.*
Benzoës electæ, *unc. tres.*
Olibani electi *unc. ſemis.*
Triti ſolvantur in
Spiritus Vini rectificatiſſimi *unciis quindecim.*

Solutio per chartam filtrata ſervetur.

Seorſim infundantur, in
Spiritus Vini rectificatiſſimi, *unc. dec.*
Radicis Angelicæ,
Herbæ Millefolii,
Aloës ſuccotrinæ,
Myrrhæ electæ *ana unc. dimidia.*

Digeſta & ſufficienter extracta exprimantur; Eſſentia, pariter per chartam filtrata, ſuperiori ſolutioni addatur, & optime per digeſtionem mixta ſerventur.

Multis laudibus evehitur hoc Balſamum a Pometo, qui nobis deſcriptionem ſuppeditavit, & tam internus ejus uſus, quam externus, magnopere in variis morbis, & omnis generis vulneribus & ulceribus commendatur; nec etiam laude ſua Eſſentiam hanc balſamicam privandam eſſe cenſemus. Monemus tamen, interne illud cum circumſpectione & in parva doſi, ne ſanguinem exæſtuet, præſcribere; ſufficiunt guttæ decem, vel quindecim, vitello ovi vel ſacchari pulvere, mixtæ, cum vehiculo aquoſo exhibere. Wirt.

Balſamum Jacomo del Pinto.

LE MORT. *Pharm. p.* 151. *& Diſp. Prag.*

℞. Olibani,
Myrrhæ,
Maſtich.
Aloës.
Sarcocollæ,
Storac. Calamit.
Benz. *ana unc. unam.*
Olei Hyperic. *libr. tres.*
Ceræ Citrin. *libr. ſemis.*
Terebinth. Ven. *unc. duas.*
Axung. hum. *unc. un. ſemis.*
Colophon. utr. *ana unc. unam.*
Olei Petræ, *unc. un. ſemis.*
Spicæ, *unc. unam.*
Bacc. Junip. *drachm. duas.*
Salviæ, *ſcrupul. unum.*

Pulv. & Oleis permiſta in Baln. Mar. ebulliant per duas hor. donec Gummata ſoluta ſint, ſeparatis per col. fæcibus.

Uſus eſt internus & externus, in Hæmorrhoidibus, fiſtulis Ani, & ulceribus internis; dolores lenit, & in affectibus præſertim frigidis, externe prodeſt.

Balſamum Rutæ.

Fit eodem modo, quo Balſamum Lavendulæ, loco Olei Lavendulæ, Oleum Rutæ ſumendo, atque pauxillo florum Viridis Æris tingendo. Diſp. Wirt. Argent. Ratisbon. & Prag. ubi & Balſamus Rutæ compoſitus.

Commendatur hyſtericis atque epilepticis.

Balſamum Saturni.

Hujus deſcriptionem vid. apud GEOFFROY, Mat. Med. Tom. I. p. 280. & LEMERY curſ. chym. p. 140. Sed ejus uſus in ulceribus præſertim malignis, tam ſuſpectus & anceps eſt, quam *Aceti Saturni*, de quo ſupra, ſuo loco: vel *Emplaſtri Saturni*, MYNSICHT. de quo

infra, ſuo loco, ſub *Emplaſtris*: licet in contraria opinione verſetur VALENTINI, Hiſt. Simpl. reform. Lib. I. c. 29. p. 61. cum nonnullis aliis Auctoribus, quos per errorem, incautius ibi ſequitur. vid. & Pharm. Batean. pag. 18. & CHARAS, Pharm. Reg. Tom. II. p. 778.

Balſamum Scherzeri.

Diſpenſat. Brand. Hamb.

℞. Olei Nucis Moſchat. expreſſ. *unc. un.*
Deſtillati, Majoranæ,
Lavendulæ,
Roriſmarini,
Succini,
Serpilli, *ana drachm. duas.*
Rutæ,
Pulegii,
Meliſſæ,
Menthæ,
Cardamomi, *ana ſcrupul. unum.*
Ceræ albæ Virgineæ, *drachm. un.*
Miſc. Fiat lege Artis, Balſamum.

Notiſſimum hoc Balſamum non ſane exiguæ eſt utilitatis, tam interius, quam exterius adhibitum. Præter odorem enim omnibus, etiam ipſis fœminis, gratum ac tolerabilem, Virtutibus poll:t antilœmicis, anticolicis, carminativis & ſtomachicis. Hinc in torminibus Ventris, præcipue infantum, Abdomini utiliter illinitur. Quin adultioribus modica quantitate, interne dari poteſt, cum juſculo, in affectibus colicis, flatulentis, hyſtericis, a cauſa frigida ortum ducentibus, ut egregie obſervavit SCHULZIUS, *in Prælect. p. 51. Ceterum plurimum convenit cum Balſ. cephal. Saxonico ſupra deſcripto.*

Balſamum Somniferum.

Diſp. Hamb. Wirt. Pariſ.

℞. Unguenti Populei,
Olei Nuciſtæ expreſſi, *ana unc. unam.*
Opii, in ſpiritu vini diſſoluti *drach. unam.*
Olei ligni Rhodii, *guttas ſedecim.*
Miſce, fiat balſamum.

Naribus, temporibus. & pulſibus illitum, in capitis dolore ſopiendo, & impediendis nimiis vigiliis, prodeſt. Vid. SCHULZ. *Prælect. p. 51.*

Balſamum Stomachicum.

Diſp. Vienn. Wirt. Hamb. Norimb. & rel

℞. Olei Abſinthii deſtillati,
Corticum Aurantiorum,
Caryophyllorum,
Macis,
Menthæ *ana drachm. ſemis.*
Balſami de Peru *drachm. unam.*
Olei Nuciſtæ expreſſi *unc. unam.*
Miſce, fiat balſamum.

Ventriculum confortat, vomitus & ſingultum ſiſtit, flatus & ructus pellit, ac diſcutit, epigaſtricæ regioni illitum. Conf. infra, ſtomachica Olea.

Balſamum Succini.

Diſp. Wirt. Vienn. Ratisbon. rel.

℞. Olei Nucis Moſchatæ expreſſi *drach. duas ſemis.*
Olei deſtillati Succini, *drachm. unam.*
Miſce, fiat balſamum.

In affectibus hyſtericis, Cephalalgia mulierum, & ſpaſmis infantum externe adhiberi ſolet.

Balſamum Sulphuris Amygdalatum.

Diſp. Brand. Wirt. & reliq.

℞. Florum Sulphuris *unc. unam.*
Olei Amygdalarum dulcium recens expreſſi, *unc. ſex.*
Digerantur in arena calore con-

venienti, donec oleum colore ſit tinctum rubro.

Convenit ad ulcera tam interna, præſertim pulmonum, quam externa, & ſecure dari poteſt, a guttis quindecim, ad triginta. Vid. HOFFMANN. *in Not. ad* Poter. *pharm. ſpag. Lib. II. c. II. p.* 384. SCHULZ. *præl. p.* 52. & CARTHEUSER. *pharmacol. p.* 721.

Balſam. Sulphuris Aniſatum.

Pharm Bat. p. 19. *Brand. Wirt. Hamb.*

Eodem paratur modo, quo præcedens, ſubſtituto Oleo Aniſi deſtillato, loco Olei Amygdalarum; quod & de ſubſequis, ſuccinato & terebinthinato, eſt capiendum.

Prodeſt in Colica flatulenta, & affectibus catarrhalibus, pectus infeſtantibus. Doſis guttæ quinque, ad duodecim.

Balſamum Sulphuris Rulandi.

Pharm. Bat. p. 20. *Diſp. Wirt. Hamb.*

℞. Sulphuris citrini, *uncias duas.*
Olei Terebinthinae, *uncias tres.*
Lini, *libras duas.*

Sulphuri liquato adde Oleum Lini, & coque lentiſſimo igne, donec acquiſiverit colorem fuſcum; his aliquantum refrigeratis infunde Oleum Terebinthinæ, digere leniſſimo calore, & ſerva uſui.

Uſus eſt externus; præcipue vero ad Emplaſtrum ſulphuris RULANDI *adhibetur.*

Balſamum Sulphuris Succinatum.

Pharm. Bat. p. 20. *Wirt. Vienn. & rel.*

Eodem modo, quo Balſamum ſulphuris aniſatum, perari debet.

Sanguinem excalefacit, emenagogum eſt, diureticum & carminativum; caute vero & minuta doſi commendari debet, guttis ſcilicet quatuor ad ſcrupulum dimidium. vid. SCHULZ. *pag.* 52.

Balſamum Sulphuris Terebinthinatum.

Diſp. Wirt. Pharm. Bat. Brand.

Modus parandi idem eſt qui præcedentis.

Diureticum eſt, & in Gonorrhæa felici effectu commendatur; externe ad ulcera & vulnera partium tendinoſarum, una nimirum aut altera gutta inſtillata, ſi valde doleant & madeant, adhibetur. Præſtat autem, hoc balſamum ſpiritus vini rectificati triplo diluere, & tum ad vulnera adhibere. Ceterum de horrenda plane hujus Balſami Vi exploſiva hiſtoriam lectu dignam potius, quam jucundam, enarrat HOFFMANNUS *teſtis ocularis*, Obſ. Chym. *XV. Lib. III. pag.* 340. *ſqq. ſed hæc obiter.*

Balſamum Tranquillans.

Diſpenſat. Pariſ. Pharm. Reg. CHARAS, *Tom. I. pag.* 350.

℞. Foliorum Stramonii vulgaris,
Solani officinarum,
Phytolaccæ,
Belladonæ,
Mandragoræ,
Nicotianæ,
Hyoſcyami,
Papaveris albi,
nigri, *ana unc. quatuor.*
Florum & ſummitatum,
Rorismarini,
Salviæ,
Rutæ,
Abſinthii utriuſque,

Florum

Florum Hyſſopi,
Lavendulæ,
Thymi,
Majoranæ,
Coſti hortenſis,
Menthæ,
Sambuci,
Hyperici,
Perſicariæ, *ana unciam unam.*
Bufones, Numero quinque.

Herbæ, quæ inodoræ ſunt, minutim conciſæ, injiciantur per vices, in olei olivar. ferventis *Libras quinque*: coquantur ad humidi conſumtionem; hac vero ratione, ut Manipulus non conjiciatur in oleum, niſi prior exſiccatus demtusque fuerit. Herbis tandem coctis & extractis, Bufones vivi in Oleum conjiciantur, & ad Exſiccationem coquantur. Tum ſemotis Bufonibus, in oleum immittantur flores & ſummitates Herbarum fragrantium conciſæ: Macerentur ad ſolem, per quindecim dies. Colatum oleum ad uſum ſerva.

Quum ex meris herbis narcoticis, floribusque balſamicis, analepticis, nervinis ac roborantibus conſtat hæc ipſa, non minus operoſa, quam concinna Balſami hujus tranquillantis haud inepte dicti, compoſitio: Quivis per ſe ſtatim intelliget ipſe, illud exterius tantum, per frictionem & inunctionem, adhibitum, plurimum adjumenti & levamenti allaturum, in conſopiendis & permulcendis ſævis Arthriticorum, Iſchiadicorum & Rhevmaticorum doloribus. Quid vero ibi ſimul faciant quinque illi terribiles viſu uſuque Bufones? id equidem ſatis perſpicere haud valeo: Forſan, niſi fallor, ut in oleum fervens vivi conjecti, præ ſummi doloris impatientia, in rabiem ſoluti, peſtiferum ſuum virus eo certius citiuſque evomant, & ſic illam alioquin ſalutarem compoſitionem teterrimo ſuo veneno inficiant. Hinc & eos rectius omiſit CHARAS.

Balſamum Vitæ Cardiacum.

Cl. GAUBIUS *de Form. Med.*

℞. Ol. ſtillat. Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Cortic. Citri,
Lavandulæ,
Roſmarini,
Succini albi, *ana gutt. decem.*
Balſam. Peruviani, *Guttas viginti,*
Spiritus Vini rectificatiſſ. *unc. duas.*

Miſc. & ſervetur vaſculo exactiſſime clauſo.

Cujus guttæ decem ex Vini Hiſp. cochleari, capiantur in languore, aut vertigine, quin & ad prophylaxin, contra apoplexiam, mane & veſpere, tertio quovis die.

Balſamum Vitæ ad Modum Hoffmanni.

Diſp. Argent. Wirt. Leod. ad POTER. *Ratisbon.*

℞. Olei deſtilati Lavendulæ,
Majoranæ,
Caryophyllorum,
Macis,
Cinnamomi, *ana ſcrupulum unum.*
Rutæ,
Succini albi, *ana ſcrupulum ſemis.*
Olei Citri, e corticibus recens expreſſi, *ſcrupulum unum.*
Ambræ griſeæ, *ſcrupulum ſemis.*

Olea cum Ambra & Balſami Peruviani ſcrupulo uno miſceantur, atque in ſpiritus vini rectificatiſſimi unciis decem ſolvantur.

Balſamum vitæ non ſolum externe

ad odorandum, & partes debilitatas roborandas, ad ventriculi affectus, nauſeam, ructus, colicam & diarrhœam adhibetur, ſed & interno uſui ad eosdem morbos, a guttis decem, ad viginti feliciter commendatur. Eadem fere Balſami Hoffmanniani Deſcriptio extat in Diſpenſ. Argent. Ratisbonenſ. Leodienſ. & aliis nonnullis Diſpenſatoriis, ut ſupra jam notavimus. Sed certo ſcio, *ſcribit Cl.* SCHULZIUS, *in Prælect. ad Diſpenſ. Brand. p.* 54. neminem id artificium, ipſo præmonſtrante Auctore, didiciſſe: ideoque Deſcriptiones omnes, quotquot editæ proſtant, genuinam ejus præparationem non tradere: *ubi vid. reliqua. Inde nec ipſum Balſamum Vitæ Teichmeyerianum, ad Hoffmanniani virtutem ac ſuaveolentiam proxime accedit, licet Auctori ita videretur, & ab aliis vulgo crederetur. De ſui vero Balſami miris, forſan & nimiis, ſi dicere quidem liceat, in medendo, Virtutibus, tam internis, quam externis corporis humani partibus, præſtitis, & præſtandis, ipſe plurima retulit Celeb.* HOFFMANNUS, *in Obſ. Chym.* 28. *Lib. I. p.* 27. *ſqq. & alibi, paſſim, in ſuis ſcriptis. Conf. Diſpenſat. Brandenb. Imo, ipſe Celeb. Auctor quandam hujus ſui* Balſami Vitæ *deſcriptionem jam dudum publicavit, in Not. ad* POTERII *Pharm. Spag. Lib. III. p.* 476. *unde eam tranſumſit Diſpenſ. Wirt. p.* 32. *& alia Diſpenſ. item* NICOLAI, *de Formul. p* 410. *Sed deinde eam forte immutaverit.*

Balſamum Vulnerarium.

Diſp. Wirt. & reliq. vid. Chirurg.

℞. Spiritus Vini rectificatiſſimi, *unc. ſex*,
Terebinthinæ Venetæ, *unciam unam ſemis.*

Mixta ſolvantur in liquorem aurei coloris.

Ad vulnera recentia, præcipue nervoſarum partium, punctim inflicta, non ſine inſigni fructu adhibetur.

Alium Balſamum vulnerarium Stahlii *meliorem vid. infra, ſub* Eſſentiis, *Tit.* Eſſentia vulneraria Stahlii.

Balſamum Vulnerarium Dippelii.

Videatur Liquor. *infra ſuo loco.*

Balſamum Vulnerarium Mindereri.

Diſpenſ. Vienn. Wirt.

℞. Terebinthinæ claræ Venetæ, *unc. unam ſemis.*
Gummi Elemi pulveriſati, *unc. ſemis.*
Solvatur leniſſimo igne, poſtea addantur:
Olei Hyperici, ex floribus per infuſionem parati, *uncia una ſemis.*
Cerae deſtillati, *ſcrupuli duo.*
Miſce, fiat balſamum.

In vulneribus noviter inflictis, linteis applicatum, laudatur. vid. SCHULZ. *præl. p.* 55.

Bezoardicum Animale.

Diſp. Vienn. Wirt. Hamb.

Eſt pulvis Viperarum Italicarum.

Vim habet alexipharmacam, ſudoriferam, in morbis malignis, & a morſibus venenatorum animalium ortis, nec non in lepra, morbo venereo & Arthritide commendatur. Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam dimidiam.

Bezoardicum Cornu & Ungulæ Alces.

Herm. GRIMM. *in Laborat. Ceylonic.*

℞. Corn. Alces philoſoph. præparat.
Corn. Alces Calcinat.

Ungul. Alces Calcinat.
Ungul. Alces philoſ. præparat. *ana unciam unam.*
Salis Vol. oleoſ. ex Corn. & Ungul. Alces, *drach. duas.*
Fol. Lunae, *No. Decem.*
Magiſt. Lunae, *drachmam unam.*
Succini, *drachmam ſemis.*
Olei ſtillat. Menth. *guttas viginti.*
Fol. Cinnamom. *guttas decem.*
Butyri perlarum, *drachmam unam.*
Miſc. Fiat pulvis.

In morbis Epidemicis & malignis, ut & affectibus præſertim epilepticis, hoc Bezoardicum uſum haud plane contemnendum præſtare videtur; tametſi etiam ab illius compoſitione abeſſent decem illa Lunæ folia cum ipſo Magiſterio. Quid enim illa huc faciant; id equidem me haud ſatis intelligere, ingenue fateor.

Bezoardicum Cornu Cervi.

Herman. GRIM, *in Laborat. Ceylon. p.* 21.

℞. Raſura Cornu Cervi,
Cornu Cervi philoſophice praeparat.
Cornu Cervi uſti & praep. *ana unc. duas.*
Salis Volatil. Corn. Cerv. *drachmam unam.*
Sulphuris philoſoph. præp. *drachm. duas.*
Terrae Sigillat. Ceylonic. *unc. ſemis.*
Lapidis Bezoar. Orient. *drach. tres.*
Folior. Auri, *No. quinque.*
Olei ſtillat. Cinnamomi, *guttas dec.*
Miſc. Fiat Pulvis.

Maximam ipſius Efficaciam percipies in malignis omnibus Morbis. Doſis eſt drach. ſemis, ad drachmam unam. *Sed ad quid folia illa Auri?*

***

Bezoardicum Cornu Rhinocerotis.

Ibidem pag. 32.

℞. Raſura Cornu Rhinocerot. *unc. duas.*
Cornu Rhinocerot. Calcin. & praep. *unc. unam.*
Terrae Sigill. Ceylonic. *unc. ſemis.*
Cortic. Radic. Cinnamomi,
Cinnam. ſilveſtr. *ana drachm. duas.*
Salis Volatil. oleoſi Zerumbeth, *drachm. unam.*
Lapidis Bezoar. Oriental. *drach. duas.*
Salis Volatil. oleoſ. Cornu Rhinocer. *drachm. unam.*
Fol. Auri in pulv. imp. alb. contrit. *drach. un. ſemis.*
Olei ſtillat. Cinnamomi, *guttas decem.*
Miſce. Fiat pulvis.

Easdem habet virtutes alexipharmacas, cordiales, analepticas & nervinas; hinc & in morbis malignis, putridis & contagioſis, egregium præſtabit uſum. Loco vero Terræ ſigillat. Ceylonicæ, quæ in noſtris officinis deeſt, ut & ſalis illius volatilis pretioſioris Radicis Zerumbeth, commode poteſt ſubſtitui Terra ſigillata Lemnia, Melitenſis, Strigon. aut alia, & loco illius peregrini ſalis, ſal volat. Viperarum, aut Cornu Cervi, aut ſuccini, aut ſimile quid; prout videbitur ipſi Medico prudentiori. Ceterum hæc compoſitio Naſum Rhinocerotis habet.

Bezoardicum Joviale.

Diſp. Vienn: Wirt. Hamb. Prag. Brand. Ratisbon. Batean. p. 21. *& p.* 84.

℞. Reguli Antimonii ſimplicis, *uncias quatuor.*
Stanni Anglici, *uncias duas.*

Fundantur ſimul in crucibulo, effuſa atqne refrigerata pulveriſentur, poſtea, additis

Mercurii ſublimati unciis octo,
Atque optime in mortario vitreo mixtis, ad intimiorem ſolutionem, reponantur per aliquot dies noctesque in cellam, tum retortae immiſſa deſtillentur, butyri Antimonii inſtar; liquor, qui prodit, affuſa magna aquae fontanae quantitate, diluatur, & praecipitabitur pulvis albus, qui, repetita aquae tepidae affuſione, edulcoratus & ſiccatus, cum triplo Nitri detonetur. Poſtea, affuſa multa aqua, omni ſalſedine privatus ſervetur.

Commendatur ad hyſtericos affectus, & ei magnæ attribuuntur vires diaphoreticæ & anodynæ, inprimis, a Baglivo, vid. SCHULZII *prælect. p.* 55. *& dudum, ante* Baglivum, *a* MYNSICHTO, *in Armament. Sect. I. p.* 12. *ubi illud B ⁊. Jov. diaphoreticum ſtupendum, & efficaciſſimum ſecretum in omnibus & ſingulis Matricis ægritudinibus, vocat, aliasque laudes pane immenſas, ipſi effuſis quaſi habenis, tribuit, quod tamen in medio relinquit* GEOFFROY, *Mat. Med. Tom. I. p.* 284. *vid. infra Extract. ut & in* MYNSICHT. *Sed vide contra cl.* CARTHEUSERI *pharmacol. p.* 517. *&* STAHL. *Mat. Med. T. I. p.* 94. *conf. ſupra dicta ad* Antihecticum Poterii. *Ceterum huc etiam quodammodo pertinet* Sal Joviale, *quod in officinis Londinenſ. proſtat., & ſæpius a duobus granis, uſque ad ſex, præſcribitur, contra Tuſſim convulſivam & alios morbos pulmonum, approbante quoque nuperrimæ* CAROLO BROWN. *in diſſ. de Morbillis, Edimburg.* 1755. *Sed diſſentientibus nobis & aliis. Labet enim ſub hoc blando Jovis Titulo, lentum quaſi ſævi ſaturni venenum, ut ita dicam, ſed hæc obiter. Conf. infra* crocus Jovis, & ſal Jovis. *Doſis a granis decem, ad ſcrupulum unum.*

Bezoardicum Lunare,

vid. infra

Pulvis Viennenſis Albus Virgineus.

Bezoardicum Martiale.

Diſp. Wirt. & rel.

Eadem methodo, qua praecedens Bezoardicum joviale paratur, loco reguli jovialis, regulum martialem ſumendo. *Vid.* Pharmacop. Batean. p. 21.

Parum de Marte participat, & viribus a diaphoretico Martiali ſuperatur; hinc, cum multo pretioſior etiam ejus præparatio ſit, merito a Diſpenſatorii Brandenburgici editoribus Diaphoreticum martiale Ludovici *ſubſtituitur, p.* 41. *quibus & nos ſubſcribimus. Viennenſes ſpecificum ſtomachale Poterii ejus loco commendant, p.* 247. 241.

Adſcribuntur vires roborantes, acidum abſcrbentes, & tranſpirationem promoventes. Doſis grana XV. ad grana viginti quinque.

Bezoardicum Minerale.

Diſp. Argent. Wirt. Vien. Hamb. Prag.

℞. Mercurii vitae, *uncias duas.*
Nitri cryſtalliſati exſiccati, *unc. ſex.*

Miſceantur, & in crucibulo, per vices ingerendo, leniſſime detonentur. Maſſa alba ſalina aqua fontana ſolvitur atque edulcoratur. Pulvis ſubſidens leni calore exſiccatur. Vid. JUNCKER. *Chym Exper.* Sect. V. Cap. 1. p. 283. & *Pharm. Bat.* p. 21. & CHARAS, *Pharm. Reg.* T. II p. 843. item GEOFFROY *Mat. Med.* T. I. p. 232.

Earundem cum Antimonio diaphoretico ſimplici, virium eſt, & eadem Doſ.

propinari poteſt. Sed vix operæ pretium, monente STAHL. Mat. Med. *P. I. p.* 127. *&* SCHULZ. Prael. *p.* 55. *item* CARTHEUS. Pharm. *p* 517. *it.* GMELINI Diſſ. de Botan. & Chem. ad prax. med. applicata. *Vid. infra* Mercurius Vitae.

Bezoardicum Solare.

De eo vid. HARTMANNI Tirocin. Chym. Lib. II. cap. 20. p. 57. cujus compoſitionem ſcire preeſtat, quam in uſum ambiguum, imo nocivum, advocare. Tam malignum enim fere eſt, ac ipſum quidem Aurum fulminans, cujus pro meritas laudes ſupra, ſuo loco, ingenue decantavimus. Conf. STAHLII *Mat. Med.* Cap. 8. p. 111. T. I. Aliud mitius nonnihil Bezoard. Solare extat in diſpenſ. Argent. Brand. p. 41. & in aliis, vid. SCHULZ. *prælect.* p. 56. & inprimis CARTHEUSERI *Pharmacol*, p. 517. ubi recte parum laudis tribuit his ipſis Bezoardicis Solaribus, plus vero damni ac periculi. Vid. & *Pharm. Batean.* p. 22.

Bezoardicum Viperinum.

Herman. GRIM, *in Laboratorio Ceylonico, pag.* 38.

℞. Pulv. Viperin. praep. *uncias duas.*
Spin. Viperin. Calcin *unciam ſemis.*
Terrae ſigillat. Ceylon. *drach. unam.*
Cort. Rad. Cinnamom.
Cinnamom. ſilv. *ana drach. unam*
Sulphur. philoſ. praep. *drachm. duas.*
Salis Volat. & Fix. Viper. *ana drachmam unam.*
Olei ſtillat. Camphor. *guttas viginti.*
Miſc. Fiat Pulv. Doſ *drach. ſemis, ad drachmam unam.*

Egregium eſt Bezoardicum, alexipharmacum & Cardiacum, in omnibus Morbis contagioſis & malignis, item in peſtiferis Venenatarum beſtiarum, præſertim ipſarum Viperarum, Morſibus, inſigni cum fructu & fauſto ſucceſſu, cum Vino, aut etiam Aceto quodam Bezoardico, debito cum regimine, adhibendum.

Boli Armenæ Præparatio.

Diſp. Argent. Wirt. Hamb. Vienn. & rel.

Bolus Armena pulveriſata, aqua fontana diluitur, aqua turbida, tenuiſſimis Boli particulis mixta, leni inclinatione ſeparatur a ſpiſſo, novaque aquæ quantitas toties affunditur, & effunditur leniter, donec, præter, arenulas & craſſiores partes, nihil remaneat. Bolus, quæ paulatim in aqua decantata ſubſedit, effuſa illa, ſervatur exſiccata.

Tribuuntur Bolo vires alexipharmacæ & acidum abſorbentes; merito vero inter adſtringentia refertur. Vid. ſuperius part. I. notata ad Bolum Armen. *Doſis* a ſcrupulo ſemis, ad drachmam ſemis.

Butyrum Antimonii.

Vide

Antimonii Butyrum.

Butyrum Cacao.

Vide

Ol. Expreſſa.

Butyrum Majoranæ. Rubrum. Viride.

Vide

Unguenta.

Calomelas.

Vide infra
Panacea Mercurialis.

Candelæ fumales.

Diſp. Arg. Wirt. Ratisbon. & paſſim.

℞. Styracis calamitæ, *unciam un. ſemis.*
Benzoës,
Maſtiches,
Caryophyllorum aromaticorum,
Sacchari albi, *ana drachmas ſex.*
Carbonum Tiliæ, vel ex alio ligno levi, optime exuſtorum, *uncias quindecim.*

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui, mucilaginis Tragacanthæ ſufficiente quantitate, in juſtam conſiſtentiam ſive maſſam redigendus eſt, ex qua, pro lubitu, candelæ formari poterunt.

Si maſſæ modo præſcriptæ
Balſami Peruviani, *uncia ſemis.*
Olei deſtillati Caryophyllorum,
Ligni Rhodii,
Lavendulæ, *ana ſcrupulus unus.*
addantur, candelæ fragrantiores & ſic dictæ COMPLETAE formari poſſunt. Vid. infr. Paſtilli odorati & odoriferi; item pulvere fumales.

Candelæ Odoriferæ.

Le Mort. pharm. p. 128.

℞. Ligni Aloës, *drachm. tres.*
Santal. Citr. *drachm. decem.*
Benzoës,
Storac. Calamit. *ana drachm. duas.*
Thuris, *drachmam unam.*
Caryophyll. *ſcrupul. quatuor.*
Balſ. Peruv. *ſcrup. ſemis.*
Storacis liq *drachm. ſemis.*
Carbon. Tiliæ, *unc. unam.*

Cum Spiritu Vini odorif. & parva quantitate Mucilaginis Gummi Tragacanthæ, Fiant ſecundum Artem, Candelæ.

Caſſia pro Clyſteribus.

Diſpenſ. Brand. Vienn.

℞. Foliorum Betæ,
Malvæ,
Mercurialis,
Parietariae,
Violariæ,
Florum Violarum, *ana Manip. unum.*

Coquantur in ſuff. quantit. Aquæ fontanæ: Cocta Cola, & cum Colatura hac, Caſſiam e Cannis extrahe, atque ad quandam conſiſtentiam coque. Cocta hujus Caſſiæ Libræ uni, adde Sacchari Thomæi Libram unam ſemis, & ulterius coquendo, ſecundum Artem, Fiat Electuarium, pro Clyſteribus. De cujus uſu vid. SCHULZ. prælect p. 58.

Caſſia Extracta.

Vide
Pulpa Caſſiæ.

Cauterium Potentiale.

Diſp. Hamb. Wirt. & rel. vid. Chirurg.

Fit ex Lixivio ſaponariorum acerrimo, cum calce viva parato, in ſartagine ferrea tam diu coquendo, donec omnis fere humiditas ablata ſit, atque reſiduum ſalinum ſicceſcere & concreſcere incipiat. Tunc ab igne removetur, & maſſa jam ſolideſcens ſpatula ferrea eximitur, inque vaſe vitreo ſicco, accurate clauſo, prope fornacem calidam aſſervatur.

Inſervit ad excitandos fonticulos, vel auferendas excreſcentias præternaturales.

Cera Arborea.

Diſp. Brand. Wirt. Argent. & rel.

℞. Cera citrinæ,
Reſinæ Pini,
Colophoniæ, *ana libram ſemis.*
Terebinthinæ vulgaris,
Adipis ſuillæ, *ana uncias duas.*
Liqueſcant & colentur.

Utuntur ea hortulani ad inſitionem & læſiones arborum.

Cera Catholica Burrhi, ex Mollenbroccio.

℞. Gummi Anima,
Hederæ,
Elemi,
Tacamahacæ,
Sagapeni,
Carannæ,
Bdellii,
Thuris, *ana uncias duas.*
Opopanacis, *unciam unam.*
Opobalſami veri, *unciam unam ſemis.*
Miſc. ſecundum Artem.

In Diarrhoea & Dyſenteria contumaci, reliquis Medicamentis nihil juvantibus, adhibetur; ſed non, niſi cum pomo aſſato, cujus ſubſtantiæ per minima miſcetur. Ceræ vero Nomen huic compoſitioni impoſuit famoſus ille portentoſis ſuis opinionibus & impudentiſſimis promiſſionibus, Auctor, Joſeph. Franciſcus Burrhus, ſeu Borrhus, quomodo & ſcribitur, cujus jam ſupra facta fuit mentio, ad Balſamum Borrhi; *licet de ipſa Cera nihil plane participet iſta: ut nempe ſolent Chemici, aut rectius, Alchymiſtæ, etiam in Nominibus fingendis, audaces & portentoſi eſſe, ceu patet ex exemplis* Crolli, Baſil. Valentini *& præſertim* Theophraſti & Helmontii. *Sed* hæc obiter. Ceterum conf. infra, Emplaſtrum Regium Burrhi.

Cera Sigillaris Rubra.

Diſp. Brand. Wirt. Hamb. & paſſim. in rel.

℞. Ceræ citrinæ, *uncias ſedecim.*
Reſinæ Pini, *uncias ſex.*
Terebinthinæ Venetæ, *uncias tres.*
Cinnabaris factitiæ præparatæ, *uncias tres.*

Liquetur cera & reſina, atque mixturae collatae addatur cinnabaris modice olei lini trita, & effundatur in formas conſuetas.

Cera Sigillaris Viridis.

Eodem modo paratur, loco Cinnabaris, addendo aeruginis, ſive Viridis Æris probe triti, & in olei lini drachmis duabus ſoluti, unciam unam. *Vid.* Diſp. Brand. Hamb. & al.

Ceræ rubræ in Medicina nullus uſus eſt, viridi ad clavos & verrucas nonnunquam utuntur Chirurgi.

Cerata.

Ab emplaſtris parum differunt, niſi, quod ſint molliora ac tractabiliora hanc ob cauſam omnia in claſſem Emplaſtrorum retulimus. Quaedam tamen ibi omiſſa, hic exhibere placuit.

Ceratum pro Bregmate,

Diſpenſ. Brand.

℞. Pulv. Radic. Aetonicæ,
Maſtiches,
Olibani, *ana drachm. duas.*
Mumiæ transmarinæ, *dr. un. ſemis.*
Ceræ Flavæ,
Reſinæ Pini,
Terebinthinæ, *ana unc. duas.*

Liquatæ Ceræ & Reſinæ Tere-

binthinam Miſce; tum reliquos pulveres paulatim inſpergendo, & ſubigendo, ſecundum Artem, Fiat Ceratum.

Temporibus, inquit Cl. CARTHEUSERUS, *in pharmacologia, p.* 756. *immo Vertici deraſo, in Memoriæ debilitate, vertigine, dolore capitis rebelli, diuturnis defluxionibus Catarrhalibus, &c, imponitur; & ipſis quoque Capitis Vulneribus perſæpe cum fructu, applicatur, quoniam non contemnendis Viribus roborantibus, diſcutientibus atque travmaticis inſtructum eſt. Paribus encomiis ornat hoc laudatiſſimum olim Ceratum Cel.* SCHULZIUS, *in Prælect. ad Diſpenſat. Brand. p.* 59. *Aliud Ceratum capitale laudatum vid. a* PANAROL. *Obſ. Med.* 35. *pent. V.*

Ceratum de Minio,
PHIL. MASIERO.

℞. Minii, *unc. ſex.*
Olei Communis, *libr. un.*
Ceræ albæ, *unc. un.*
Miſc. Fiat lege Artis, Ceratum.

Ad ulcera potiſſimum antiqua & cacoëthea, ſimplex hoc Ceratum Miniatum commendavit olim Auctor; neque effectu ſuo caret, ut Chirurgorum Scripta teſtantur, præſertim Veterum. Ceterum vid. infra, ſuo loco, Emplaſtrum, *ſeu* Ceratum de Minio rubrum, *ubi ſimilis fere, immo aliquanto concinnior & ſuavior Compoſitio occurrit. Cui adde mirum illud & inſolitum Nomine,* Emplaſtrum Domus Miſericordiæ, *dictum, cujus deſcriptionem infra, ſuo loco, dabimus ex Diſpenſat. Leodienſi.*

Ceratum Santalinum,
Auguſt.

Diſpenſ. Brand. Lugd. Lond. Leod. Pariſ. vet.

℞. Roſarum rubrar. *unc. un. ſemis.*
Santali rubri, *drachm. decem.*
Albi,
Citrini, *ana drachm. ſex.*
Aoli Armenæ, *drachm. ſeptem.*
Spodii, *drachm. quatuor.*
Camphoræ, *drachm. duas.*
Olei Roſati, *libr. un.*
Ceræ albæ, *unc. ſex.* vel quant. ſufficit.

Ceram in Oleo liquando, & reliquos tandem pulveres miſcendo, Fiat ſecundum Artem, Ceratum.

Parum ab Emplaſtro hujus Nominis, (infra ſuo loco, deſcribendo,) ratione naturæ ac Virium, differt, & plerumque regioni hypochondriorum, dextræ, aut ſiniſtræ, præſente hepatis, aut lienis tumore atque obſtructione, diſcutiendi ac roborandi fine, imponitur. Ita Cl. CARTHEUSER. *in Pharm. p.* 755. *Add* SCHULZII *Prælect. in Diſpenſ. Brand p.* 60.

Ceratum Stomachicum
Auguſtanor.

Diſpenſat. Brand. Lugd.

℞. Roſarum rubrarum,
Maſticher, *ana drachm. viginti.*
Foliorum Abſinthii, *drachm. quindec.*
Spicæ Nardi, *drachm. decem.*
Olei Raſacei, *libr. un. ſemis.*
Ceræ Flavæ, quantum ſufficit.

Cera & Oleum liquentur una, & ab igne ſepoſitis, reliqua in ſubtiliſſimum pulverem redacta Miſceantur.

Emplaſtro ſtomachali, (inferius ſuo loco, a nobis exhibendo,) analogum eſt hoc Ceratum, & ideo, Regioni umbilicali, hypogaſtricæ, aut ſcrobiculo Cordis, adplicatum, eundem fere, quem illud, uſum præſtat: præterquam, quod paullo remiſſius operetur. Verba ſunt iterum

rum laudati modo CARTHEUSERI, *in pharmacologia, p.* 755. *quibus adde, ſi placet, allegatas modo prælectiones* Schulzianas, *p.* 60. *Conf. infra, ſuo loco,* Emplaſtrum Carminativum Sylvii & Fulleri, *quæ Emplaſtra ejusdem Virtutis ſtomachicæ & carminativæ ſunt.*

Chalybis Præparatio.

Diſpenſ. Lond. Wirt. Edimb. & rel.

Limatura Martis vel ferri puriſſimi aqua fontana ſæpius abluatur, & a ſordibus mundetur; poſtea exſiccata in mortario ferreo in ſubtiliſſimum pollinem teratur, & in Porphyrite lævigata ſervetur. Aliam vero, &, ut ipſi quidem videtur, meliorem Chalybis præparationem proponit Domin. PANAROLUS, Obſ. Med. 32. Pentecoſt. V. p. 328. ſqq.

Adſtringit, & ad tonum viſcerum roborandum facit. Datur ad ventriculi imbecillitatem, Cachexiam & menſium vitia, non tamen ſine circumſpectione præſcribenda eſt; præſtat parvas doſes, a granis quinque vel ſex, præcipue ſi continuandus eſt uſus, exhibere, quam largiores præbere. Signum felicis ſucceſſus habetur, ſi feces alvi nigræ ſecedant. Vid. SCHULZII *prælect. p.* 61. *& ſupra dicta; Part. I. ad* Chalybis Limaturam.

Chalybs cum Aceto.

Diſpenſat. Hamb. ZWELF. *Animadv. ad Pharm. Aug.*

℞. Chalybis limatur. quantum volueris, huic deinde affundatur
Aceti Vini acerrimi, tantum, ut tota eo madefiat,

Stent in loco calido, tam diu, donec Limatura iterum ſit exſiccata: poſtea pulveriſetur, & ſic ſepties iteretur; poſtremo teratur ſuper porphyrite, & ſervetur uſui.

Qui idem fere eſt, ac ſequentis Chalybis Tartariſati: propter acidum tamen melius adhuc convenit cachecticis, cacochymicis, hypochondriacis, lienoſis, rhachiticis & ſcorbuticis, nec non fœminis tetro fluore albo, aut pallida chloroſi laborantibus.

Chalybs cum Cinnamomo.

Ipſius præparationem vid. apud GEOFFROY, T. II. Mat. Med. p. 169. ubi pulverem illum, e *Cinnamomo, Martiatum,* egregia Virtute pollere, aſſerit, in extergenda pallida Virginum chloroſi.

Chalybs Saccharatus

Diſpenſat. Edinburg.

℞. Limaturæ Ferri mundat. non præp. *quantum lubet.*

Immitte Cacabo aheneo, ſuſpenſo ſupra focum leniſſimum; affunde paullatim:

Sacchari albi, ad tabulati ſpiſſitudinem cocti, *pondus dupl.*

Agita Cacabum aſſidue, ut Limatura chalybis incruſtetur, cavendo tamen, ne in Maſſulas coëat.

Infantibus potiſſimum, qui more ſuo, ab omni Medicina amarioris ſaporis, aut peregrini odoris, abhorrent, hic Chalybs ſaccharatus tum commode exhiberi poteſt, ubi aut acido abundant, aut vermibus ſcatent, aut Rhachitide languent. Ipſe enim magnus BOERHAVIUS *in Mat. Med. & contra Vermes, & contra Rhachitidem, Chalybem præſcribit, nunc cum ſaccharo, nunc ſine eodem.*

Chalybs Sulphure Præparatus.

Diſp. Edinb. Wirt. Hamb. vid. Chem.

℞. Limaturae Martis, *uncias quatuor.*

Sulphuris citrini, *uncias duodecim.*

Optime miſceantur, atque in patina terrea, ſub perpetua agitatione, leni igne calcinentur, usque dum chalybs, per deflagrationem Sulphuris, in pulverem ferrugineum calcinatus fuerit.

Alii fruſtum Martis candefaciunt, atque illud ſulphuris magdaleoni admovent, ſic Mars cum ſulphure funditur, & in vas ſuppoſitum, aqua frigida repletum, deſtillat, qui colligitur, in pulverem teritur, atque leni igne calcinatur. Wirt.

Vires Martis ſeu Chalybis ſunt adſtringentes; adſtrictione vero vaſa & partes ſolidas roborat, ſicque ſecretiones & excretiones adjuvat; acidum ventriculi abſorbet, atque cachecticis prodeſt. Conf. CARTHEUSERI *pharmacolog. p.* 530. *ſqq.* Doſis grana quinque ad duodecim.

Chalybs Tartariſatus.

Diſpenſ. Edinb. pharm. Bat. p. 28.

℞. Limaturae Martis, *ſine præparat.*
Cryſtallorum Tartari, *ana partes æquales.*
Aquae pluvialis, *quantum ſufficit.*

Ut formetur Maſſa, in globulos, excoquendos in Clibano. Globulos dein terito, & rurſus cum
Aquae Quant ſufficient.
Globulos formato, & in Clibano, ut prius, excoquito. Repetatur opus, donec Pulvis ſit impalpabilis.

Ad eosdem quidem uſus adhiberi poterit hic Chalybs Tartariſatus; Verum etiam proderit Cachecticis, hepaticis, lienoſis, hypochondriacis & Cacochymicis, & ex Viſcerum abdominis obſtructionibus & indurationibus, male ſe habentibus. Fœminis quoque ex fœdo fluore albo tabidis, puellisque decolari Chloroſi pallentibus, commode medebitur, ubi præmiſſis præmittendis, opportune adhibitus fuerit. Eſt enim egregium Remedium antacidum & antiſcorbuticum, item & tonicum, nervinum & roſticum: hinc in Morbis, a fibra præſertim laxa obortis, exoptatum haud dubie præſtabit auxilium; leniter ſcilicet adſtringendo & fortiter roborando.

Chalybeatus Bolus.

Thom. FULLERI,

Pharmacop. Extempor. p. 9. GEOFFROY, *Mat. Med. Tom. II. p.* 169.

℞. Tincturæ Martis Mynſichti, *ſcrupulum ſemis.*
Balſami Gilead. *guttas ſex.*
Conſervæ Roſarum rubrar. *drach. un.*
Miſceatur.

In Inappetentia, Languore, & Marcore, ſine Febre, Detur mane, quotidie, per Menſem. Sed & in aliis Morbis pituitoſis, & a fibra potiſſimum laxa ortis, egregium uſum præſtare haud dubie poteſt idem ille Bolus Chalybeatus: de quibus quum jam in antecedentibus, ſatis dictum ſit, pro noſtro ſcopo & inſtituto; nolo Crambem modo coctam, denuo recoquere, aut actum agere. Ceterum plures ejusmodi Chalybe, compoſitiones, ſub varia quidem forma, & pro vario medendi ſcopo, vid. apud RIVERIUM, *Prax. Med. Lib. XI, cap.* 3. *p.* 386. *Opp.* Syrupum *vero* Chalybeatum Ceylonicum Grimmii, *vid. infra, ſi placet, ſuo loco: Et* Extractum Chalybis, *in Pharm. Batean. p.* 48. *quod infra exhibebimus.*

Chocolata.

Diſp. Hamb. Wirt. GEOFFROY, *Mat. Med. Tom. II. p.* 413. *& rel.*

℞. Fructuum Cacao, parum toſtorum, & a corticibus mundatorum, *libr. unam.*

Pinſantur diu & diligenter in mortario calido, ut abeant in maſſam pultiformem tenuiſſimam, addatur ſucceſſive.

Sacchari albi, ſubtiliſſime triti, *libr. un.* & in fine

Vanigliarum, optime tritarum, *Nro. quatuor.*

Miſceantur atque, pro lubitu, tabulæ vel cilindri formentur.

Nonnulli etiam
Cinnamomi acuti
Caryophyllorum aromaticorum *ana drachmas duas* & *guttas aliquot* Balſami Peruviani nigri
addere ſolent.

Vires ſunt nutrientes, corroborantes & demulcentes; ſine aromatibus parata hecticis & Tabe conſumtis prodeſt, atque ſenibus convenit. vid. RIEDLINI *Lin. Med. Ann.* 1697. *Menſ. Mart. Obſ.* 9. *p.* 144. *ſqq. & Ann.* 1698. *Menſ. Febr. Obſ.* 5. *p.* 101. *& Ann.* 1700. *Menſ. Apr. Obſ.* 24. *p.* 445. *conf. inprimis Auctores, qui de Chocolata ſcripſerunt, veluti* Calmenerus Heredia, Mundius, Brancatius Sponius, Brookes, *& alii ſuperius jam ex* ZORN. *p.* 152. *laudati, ad* Fructus Cacao. *Sed vid. quæ contra ancipitem* Chocolatæ *uſum moneat Cel.* WEPFERUS, *in Obſ. Med.* 100. VERZASCHAE, *p.* 280 *ſqq. Epiſt.* 3.

Cinnabaris Antimonii.

Videatur

Antimonii Cinnabaris.

Cinnabaris Factitia.

Diſp. Wirt. Argent. Ratisbon. & rel.

℞. Sulphuris citrini puriſſimi *unc. quat.*
Mercurii vivi puriſſimi, *unc. duodec.*

Fluat Sulphur in vaſe figulino ſatis capaci, cui per vices, Mercurius, in tigillo calefactus, addatur; miſceantur fiſtula, qua fumum Tabaci haurimus, exacte; ſolet tum fieri ſubito magnus ſibilus, & exoriri fumus denſus atque cum ſonitu inflammari materies; operculo igitur vas tegendum. Refrigerata poſtea maſſa nigra, immittatur cucurbitæ vitreæ vel vaſi ſublimatorio, cui imponatur alembicus; lutetur luto ex argilla & calce facto, ponatur in furnum ſic, ut vas ſublimatorium fere fundum capellæ attingat, obruatur arena paulo altius, quam materies; adhibeatur ignis per gradus, ad ſummum usque. Aſcendit primo parum phlegmatis, deinde flores ſubalbidi, poſtea nigri, & tandem cinnabaris. Ubi ignis ſummus per tres horas applicatus eſt, frigeſcant ſponte, & cinnabaris ab adhærente nigredine ſeparata ſervetur. Vid. BOERHAAVE Elem. Chem. Tom. II. part. III. proc. 202. p. 431. CARTHEUSER Pharmacol. p. 451. & vid. Chem.

Cinnabaris talis factitia, minori conſtans pretio, ac colore exaltatior, rite præparata, non minores habet virtutes, ac cinnabaris nativa. Datur ſecure in eadem doſi, atque pulveribus addi poteſt, ubi alias cinnabaris nativa adhiberi ſolet. Sed nunquam inde adeo multum effectus vidi, inquit BOERHAAVE, *loco cit.*

Cinnabaris nativa, per Decoctionem, *ſeu* Cremor Cinnabaris.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Cinnabaris nativæ, ſubtiliſſime lævigatæ, quantum placet,

Coquatur in Vaſe terreo, cum Aquæ Fontanæ ſufficienti Quantitate: Supernatans Spuma ſemper amoveatur, & exſiccetur, ac pro uſu, ſervetur.

Viribus pollet Cephalicis, & inſervit præcipue ad pulverem Hannoveranum; uti dicitur. JÜNCKEN *autem, qui in Chym. Experiment. ſect. V. cap. I. p.* 288. *etiam hujus Cremoris Cinnabarini præparationem pari modo, tradit, de ipſius Virtutibus, ſequentia inſuper addit: Prædicatur ceu Specificum, aut Epilepticum, cum Raſura Ungulæ Alceo, &c. exhibita Doſi granor. quinque, ad Scrupul. ſemis. Nec in Febribus malignis, Variolis & Morbillis, contemnendi eſt uſus & effectus. Sit fides penes Auctorem. Forte & illa Spuma, ut omnis alia, levis & inanis. Aliud enim eſt Cremor, aliud Spuma, ut notum.*

Cinnabaris Nativa
Præparata.

Cinnabaris raro vel nunquam ſola præſcribitur, ſed plerumque antiſpasmodicis, diapnoicis, nitro & ſalibus neutris jungitur, atque raro ultra grana tria vel quatuor *pro doſi porrigitur.*

In Cephalæa tamen & rebellibus affectibus ſpasmodicis largior etiam doſis, ad grana duodecim vel quindecim, *conceditur, qualis, ſi frequenter repetatur, & ipſum non nunquam inducere ſolet ſubinde Ptyaliſmum.* Vid. SCHULZ. *Prælect. p.* 61. *ſqq. Sed dubitant tamen de his Virtutibus omnibus hodie merito Celeb. Medici; ut* CARTHEUSERUS, *Diſſ. de Cinnabaris inertia medica,* item *in Pharmacol. p.* 457. HUNDERTMARK *in Diſſert. de Mercurio cum ſal. mixta* TRALLES, *in Examine Abſorbent. rigoroſ. p.* 81. FAKRAT, *in Theſ. de Mat. Med. & alii plures. Conf. ſi placet,* Diſſert. noſtra *de Cortic. peruv. uſu, &c. p.* 7.

Cinnabaris Nativæ
Rectificatio.

Diſp. Vienn. Prag. Wirt. & rel. vid. Chym.

Cinnabaris nativa cruda, in pulverem trita, immittitur vitro ſublimatorio, atque igne arenæ per tres horas adhibito fortiſſimo, ſublimatur, quæ, poſtea ſuper marmore lævigata & aqua pura lota, vocatur.

Cinnabarinum Electuarium.

FULLER. *Pharm. Extemp p.* 69.

℞. Cinnabaris factit. optime lævigat. *unc. ſemis.*
Sacchari albi creti, *unc. unam ſemis.*
Syrup. e Baccis Sambuci, quantum ſufficit.

Miſc. Fiat lege Artis, Electuarium.

Pertinet quidem proprie hoc Electuarium, ad ipſorum Electuariorum Claſſem, infra ſuo loco convenienti, collocatam. Sed quoniam Baſis ipſius præcipua eſt ipſa Cinnabaris; ideo iſtud huc quidem ad Cinnabarina referre, nobis potiſſimum placuit præſertim, quum nihil plane referat, quocunque demum loco legatur; modo legatur aliquo, ſi nempe mereatur.

Ceterum ad Cordis Palpitationem, Tremorem, Syncopen, & febres malignas, Fullerus ipſe commendat hoc Electuarium: an vero ipſa conſentiente Experientia fida? ii demum candide pronunciabunt, qui dictis in Morbis, ipſius periculum fecerunt.

Colcothar.

Eſt Vitriolum viride ad rubedinem calcinatum. vid. BOERHAAVE

Elem. Chem. Tom. II. Diſp. Edinburg. Pharm. Bat. Wirt.

Uſus eſt in emplaſtris ſiccantibus.

Collyrium Anodynum,
BARBETTE, p. 163.

℞. Gummi Tragacanth. *drachm. duas.*
Mucilaginis Semis Pſyllii, *drach. tres.*
Aquar. Roſar. & plantaginis, *ana quantum ſufficit.*

Miſc. Fiat Collyrium mediocris Conſiſtentiæ: Guttatim oculo inſtilletur, & Lintea in eo madefacta extra applicentur.

Hoc Collyrium in dolore maximo, ſemper optimum reperi, inquit ibi, laudatur Auctor Barbette: *& nos quoque ita experti ſumus.*

Collyrium Dn. Boyle.
CHARAS, *loc. cit. p.* 439.

℞. Aquæ ſtillat. Roriſmarin. *libr. duas.*
Aloës Soccotr. pulv. *unc. ſemis.*
Vitrioli albi,
Vitri Antimonii,
Croci Metallorum, *ana drachm. ſex.*

Digere per Menſem, leni calore: Liquor per reſidentiam depuratus, filtretur.

Fiat lege Artis, Collyrium.

Collyrium ad Cataractam,
BARBETTE, *Opp. Chir. Anat. pag.* 66. *& p.* 160.

℞. Aquæ Chelidonii, *unc. unam ſemis.*
Vini albi Gallic. *unc. ſemis.*
Spiritus Vini, *drachm. duas.*
Vitrioli albi, *grana ſex.*
Tutiæ præparatæ, *ſcrupul. unam.*
Vitri Antimonii, *grana quinque.*
Sacchari canti, *drach. duas, ſemis.*
Camphoræ, *grana ſex.*

Miſc. Fiat lege Artis, Collyrium:

Alia collyria vid. apud eundem, p. 67. 204. 231. *ſqq.*

Collyrium Detergens.
Diſp. Pariſ. conf. BARBETTE, *p.* 231. *&* CHARASP. *pag.* 438. *ſqq. T. I.*

℞. Rad. Iridis Florent. pulv. *drach. tres.*
Vitrioli albi, *drachm. unam ſemis.*
Aquarum Roſarum,
Plantagin. *ana libr. unam ſemis.*

Digerantur per biduum: poſtea coletur Liquor, ad uſum oculorum lemoſorum, ſervandus.

Collyrium Exſiccans.
Diſp. Pariſ.

℞. Aquæ Calcis percolatæ, *libr. unam.*
Salis Ammoniaci pulverat. *drach. un.*

Simul mixta in pelvim æneam conjiciantur, ibique per noctem maneant. Liquor percolatus ad uſum opportunum atque idoneum, ſervetur. Similia plura concinnæ & ſalutaris compoſitionis, Collyria vid. in Cl. Carol. BARBEIRAC Tract. de Medicamentorum Formulis, Cap. IV. pag. 350. ſqq. ut & in Nob. CHARAS Pharmacop. Reg. Tom. I. Cap. XV. p. 438. ſqq.

Collyrium ad Pannum, *vel* Unguem Oculorum Conſumendum.
FORESTI, *Obſ. 6. Lib. XI. pag.* 42.

℞. Succorum Fœniculi, *unc. quatuor.*
Chelidonii, *unc. tres.*
Rutæ,
Malvæ, *ana unc. duas, ſemis.*
Aloës, *ſcrupul. unum.*
Vitrioli, *ſcrupulos duos.*
Aeruginis Aeris, *ſcrupul. unum.*
Zinziberis,
Cinnamomi, *ana ſcrupul. ſemis.*

Fellis Anguillæ, *unc. ſemis.*
Tauri, vel bubuli, aut porci, *drach. duas.*
Sacchari Canti, *ſcrupulos duos.*
Mellis optimi, *unc. ſemis.*

Ebulliant Succi, addendo reliqua, & depurentur, & Fiat Collyrium, ſecundum Artem.

Quæ quum ſæpius bis, in die, in Oculum ſtillarentur, licet Cæcus per integrum fere Annum, paullatim viſum recepit, & tandem integre a pterygio liberatus eſt, magno cum noſtro honore, at dei benignitate. Hæc ibi addit ipſe magnus FORESTUS, *p.* 43.

Collyrium Roborans.

Diſpenſat. Pariſ.

℞. Vini Hiſpanici optimi, *libr. duas.*
Aquarum Roſarum, *libr. unam.*
Chelidonii,
Fœniculi,
Euphraſiæ,
Rutæ, *ana unc. duas.*
Taliæ præpar. *unc. unam ſemis.*
Caryophyllor. pulverat. *unc. unam.*
Sacchari Canti, *unciam ſemis.*
Aloës Soccotorinæ,
Myrrhæ,
Macis, *ana drachm. duas.*
Camphoræ,
Croci, *ana ſcrupul. duos.*

Omnia ſimul mixta, Lagena Vitrea, diligenter obturata, excipiantur. Inſolentur per quindecim dies, bis in die agitando. Et ſic ad uſum opthalmicum ſerventur.

Conchæ Citratæ.

Diſp. Rat. Wirt. & paſſim in aliis.

℞. Concharum, a mucore mundatarum & ſubtiliſſime pulveriſatarum, *libram unam.*
affundatur
Succi Citri, *libra ſemis,*
& leni calore in patina vitrea, exſiccatæ ſerventur ad uſum.

Loco ſucci Citri, etiam aceto deſtillato ſaturari poſſunt.

Vires cum ſuccedentium præparatarum conveniunt, magis tamen diureticæ deprehenduntur. Doſis a ſcrupulo dimidio, ad drachmam dimidiam.

Concharum Præparatio.

Diſpenſ. Wirt. & reliqua omnia.

Affundatur teſtis Concharum oblongarum acetum forte, macerentur, ut ſordes atque mucor abradi queant. Mundatæ exſiccentur, pulveriſentur ſubtiliſſime & ſuper marmore lævigentur.

Abſorbentes ſunt, febrifugæ, & ſudorem ac urinam cient, de Virtute tamen antifebrili merito pleriſque dubitatur vid. CARTHEUSERI *Fundam. Mat. Med. p.* 1. *ſect. II. p.* 127. *in contraria tamen eſt ſententia* STAHLIUS, *Mat. Med. Part. II, p.* 61. *Doſis eadem cum citratarum.*

Condita.

Vid. Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Leid. Ratisbon. Edinb. Lond.

Corticibus AURANTIORUM & CITRI recentibus ſuperfundatur lixivium e cineribus clarum, ſic, poſt unam vel alteram ebullitionem in vaſe figulino, molleſcent. Quo facto abluantur aqua fontana calida, &, mundati ab albedine, cribro inverſo imponantur, ut ſuperfluo humore orbentur. Poſtea in vaſe vitreo repoſitis affundatur Saccharum clarificatum, & fere ad conſiſtentiam tabulati coctum, ad ſupereminentiam unius digiti, ſer-

ventur. Vid. SCHULZ. Prælect. p. 63. Quædam tamen condita hic proponere placet *ex Diſp. Wirt.*

Fructus Cydoniorum,
Radices Calami,
Cichorii,
Enulæ,
Satyrii,
Eryrgii,
Scorzoneræ,
& Cæteræ

in aqua fontana coquuntur, usque dum molleſcant, & a ſuperflua humiditate exſiccatis, ſaccharum ſuperfunditur, ad conſiſtentiam tabulati coctum, quantum ſufficit

Fructus vero Berberum,
Ceraſorum,
Ribium, &
Rubi Idæi,

ſine prævia coctione, ſaccharo, ad conſiſtentiam tabulati cocto immerguntur.

NUCES JUGLANDES immaturæ feſtuca perforantur, atque per ſex vel octo dies in aqua frigida macerantur, quotidie aquam recentem ſuperaffundendo. Poſtea ad mollitiem coquuntur, & ſaccharo clarificato, ad conſiſtentiam tabulati cocto, immerguntur. Vid. BÜCHNERI Diſſ. de *Nuce juglande, ejusque uſu medico.*

Caryophylli,
Nuces Indicæ, &
Zingiber

ex Indiis condita advehuntur.

Conditum Cordiale,

Diſpenſat. Med. RENODAEI. *p.* 210.

℞. Corticis Citri Conditi, *drach. duas.*
Conſervæ Bugloſſæ
& Roſarum, *ana unc. ſemis.*
Specier. Electuar. de Gemmis,
Diambræ,
Diamargarit. frigid. *ana ſcr. un.*
Oſſis de Corde Cervi, *ſcrupul ſemis.*
Scobis unicorn.
Lapidis Bezoard. *ana grana ſex.*
Folior. Auri, *No. ſex.*
Sacchari Roſati, *triplum, aut quant. ſuff.*

Fiat lege Artis, Conditum granulatum.

Vires ſunt analepticæ, Cardiacæ & nervinæ, hinc in animi defectionibus, ſyncope & Virium jactura, non ſine fructu, adhiberi poterit hoc Conditum; etiamſi abeſſent ab illius Compoſitione, Oſſiculum Cordis cervi, unicornu, & ipſa illa ſex Auri folia; neque enim ſexaginta, aut, ſi mavis, ſexcenta, quidquam Virtutis analepticæ aut cordialis præſtabunt in corpore ægro: tanto plus vero ejusdem habebunt in ſano corpore & ad vitam commodius lautiusque peragendam, propenſo & ſtudioſo. Recte enim & perquam ſapienter, poſt maximos Medicos Hoffmannum, Boerhavium, Stahlium, Neumannum, *& alios, ita pronunciat doctiſſimus* GEOFFROY, *Tom. I. Mat. Med. P. I. Sect. VII. Cap. II. Artic. II. pag.* 316. Concludere inde poſſumus, Aurum, Metallum omnium nobiliſſimum & pretioſiſſimum, etiam eſſe in Medicina, inutiliſſimum, niſi, in quantum paupertatis Antidotum eſt. *Conf. ſi placet, jam*

ſuperius, ea de re nobis dicta, ad Aurum Diaphoreticum, *& alibi paſſim, in hoc opere. Sed hæc obiter; data rurſus occaſione. Eradicandum enim eſt omni ope, vetus illud & damnoſum præjudicium: Aurum extra uſum politicum, oeconomicum & Coſmeticum, ad quidquam eſſe utile, præſertim vere ad ſanitatem aut conſervandam, aut reſtituendam.* Conf. Diſpenſ. Brand. pag. 48. in Notis, & KUNDMANN. *Rarior. Nat. & Art. Sect. III. p.* 961. *ſqq. & p.* 972. *ſqq. Ceterum ſimile fere* Cordiale *ſeu* Cardiacum magnum, *vid. in pharm. Bat p.* 52.

Conditum contra Nauſeam & Vomitum.

RENOD. *ibidem pag.* 210.

℞. Conſervæ Veteris Roſ. *drach. ſex.*
Symphyti maj. *drach. duas.*
Pulv. Diarrhod. Abbat. *ſcrup. duos.*
Scobis Eboris,
Corallior. rubr. *ana ſcrup. unum.*
cum
Sacchari Roſati, *triplo pondere,* aut *quantum ſufficit.*

Miſc. Fiat lege Artis, Conditum.

Quibus præ imbecillitate, ſubinde nauſeat Ventriculus, vel eſculenta, vel potulenta, ſtatim, ut aſſumta fuerunt, eructat in Inteſtina, feliciter adhibetur hoc Conditum. De quo mane, jejuno Ventre, atque ante, & ſingulos paſtus, drachma una *ſumatur.*

Conditum Radicum Symphyti Majoris.

Diſpenſat. Lugdun.

℞. Radicum Symphyti maj. mundatarum, lotar. & taleolatim conciſ. *Lib. unam.*

Macerentur primum; mox coquantur in Aquæ ſufficienti Quant. ad Mollitiem uſque: deinde autem:

℞ Colaturæ clarificatæ
Sacchari albiſſimi, *ana libras duas.*

Quibus invicem miſtis, coquantur ad Electuarii mollis Conſiſtentiam: cui injiciantur Radices coctae, ac per diem unum, in umbra exſiccatæ: Tuncque fiat denuo coctio mediocris, donec ſcilicet aquea humiditas diſſipata fuerit. Ad hunc vero modum & aliæ Radices, partim jam indicatæ, condiantur.

Vires hujus conditæ Radicis ſunt roborantes, conſolidantes, tonicæ, adſtringentes, contrahentes & cohibentes. Hinc in Vomitu, hæmoptyſi, diarrhœa, dyſenteria, Renum ac Veſicæ exulceratione, aliiſque læſionibus illa admodum prodeſt, tempeſtive nempe, & apto tempore, aptoque modo adhibita. Conf. RENODAEI Diſpenſat. Med. *p.* 425. BOERHAAVE, Hiſt. plant. *Tom. II. p.* 275. ZORN. Botanol. *pag.* 655. *& alii plures.*

Confectio Alkermes Incompleta, *ſive* Sine Moſcho & Ambra.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand.

℞. Succi pomorum borsdorffienſium, *uncias decem.*
Granorum Kermes, Monſpelio allati,
Sacchari albi, *ana uncias ſedecim.*

Mixta ſolvantur unica ebullitione, lento igne; colatis per linteum addantur
Ligni Aloës,
Cinnamomi acutiſſimi, ſubtiliſſime triti, *ana drachmæ ſex.*
Lapidis Lazuli præparati, Margaritarum orientalium præparatarum, *ana drachma una ſemis.*

quibus

quibus ſplendoris gratia addi poſſunt
Foliorum Auri puriſſimi, *numero triginta.*
& coloris ergo
Coccinellæ, cum aliquot guttulis olei Tartari per deliquium tritae, *drachma ſemis.*
Probe mixta aſſerventur.

Confectio Alkermes completa.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Ratisbon. & rel.

℞. Confectionis Alkermes incompletæ, modo præſcriptæ, *libram unam.*
adde
Ambræ gryſeæ optimæ, cum drachmis duabus Sacchari albi tritæ, *ſcrupulum unum.*
Moſchi, in aqua roſata ſoluti, *ſcrupulum ſemis.*
Miſce.

Vim habet ſubadſtringentem, ori & ventriculo haud ingratam, & cum Coccinella & grana Kermes, ex quo ſuccus paratur, qui baſis eſt hujus confectionis, animalis proſapiæ ſint, & ſal blande ſtimulans, ad vires millepedum accedens, poſſideant, facile quilibet deprehendet, unde vis laudata analeptica & aphrodiſiaca derivanda ſit.

Completa a drachma ſemis ad integram, *incompleta* ad drachmas duas *adminiſtrari ſolet.*

De hac celebrata nimis Confectione Alkermes miſero illo & infirmo frigidorum & languidorum aſylo, ſingulares ediderunt diſſertationes Thom. BARTHOLINUS, Laur. EICHSTADIUS & Mich. Bern. VALENTINI. *Conf.* & *ejusdem* BARTHOLINI *Act. Med. Hafn. Vol. I. Obſ.* 43. *pag.* 80. *it.* SCHULZII *prælect. ad Diſpenſat. Brand. p.* 63. *ſqq.* & RIEDLIN. *Lin. Med. An.* 1699. *Menſ. Oct. obſ.* 24 *p.* 1125. *ſqq. inprimis* ZORN. *p.* 372. *Sed ubi defectio Virium adeſt, hæc certe Confectio tantopere fruſtra laudata, nihil quidquam efficiet, nec Vires nervorum nervique ipſius collapſas eriget rurſus ac reſtituet. Præterea ſuſpectum quoque & anceps eſt Remedium, quod Lapidem Lazuli in ſe una continet, cujus uſum internum, ob indolem nempe malignam & venenis ipſis proximam, haud ſatis tutum atque ſecurum eſſe, jam ſupra monuimus, Part. I. Claſſ.* 1. *cap.* 3. *Tit.* Lapis Lazuli. *Inde & ipſi aliquoties obſervavimus, poſt aſſumtam illam Confectionem incompletam adhuc, & Ambra Moſchoque carentem, ſucceſſiſſe anxietates & anguſtias præcordiorum, vomitus æruginoſos, atrocia Ventris tormina, & diarrhœam cum dolore & teneſmo ſæpius conjunctam. Præſertim autem Fœminis hyſtericis, & ex utero laborantibus, Confectio hæc ægre convenit, ſive completa fuerit, ſive incompleta: multo minus vero iſta prior, ob Moſchum nempe & Ambram, quam ſcilicet, ut notum, pauciſſimæ fœminarum impune perferre poſſunt. Hinc tantum abeſt, ut hæc Confectio Alkermes vel ipſos jam mortuos rurſus loqui faciat, uti nonnulli cum Avicenna, temere ac ridicule tradiderunt, ut ne ipſis quidem Vivis multum prodeſſe poſſit. Conf.* HERMANNI *Cynoſuram Mat. Med. Tom. I. pag.* 299. *ibique Notas: item* WEDELII *Amænitat. Mat. Med. Lib. I. Sect. III. cap.* 5. *pag.* 154. *qui nimius Confectionis laudator, contra* Dodonæum, Zwelfferum & Helmontium, *tueri conatur, nihil quidquam ipſi nocere additionem Lapidis Lazuli, quod & operoſius defendere ſatagit* FRICCIUS, *de Virtute Venenor. Med. Cap. XII. pag.* 250. *Sed quum*

contrarium potius doceat experientia, ut ſupra jam monitum: hæc ſane omnia, quantumvis ſat ſpecioſa & ingenioſa, nihil prorſus conficient, pro excuſanda illa tantopere laudata, & incaſſum commendata, Alkermes Confectione. Rectiſſime proinde pronunciavit ipſe HOFFMANNUS, *in Not. ad* Poter. *Pharmac. Spagyr. Lib. III. pag.* 449. Confectionem Alkermes ex multis pretioſis languidis & inconvenientibus conſtare. *Conf.* GEOFFROY *T. I. de Mat. Med. cap.* 7. *pag.* 88. *& diſp. Brand in Not. idem* HEUCHER. *opp. med. T. I. p.* 237.

Confectio Alkermes Regia.

Hujus pretioſam compoſitionem vid. apud CHARAS Pharm. Reg. T. I. pag. 244. & uſus, pag 246. conf. infra, ſuo loco, *Confectio Cinnamomi Regia, Tinctura Regia,* & *Paſta Regia.* Hic ergo omnia regia, & nihil plane plebejum.

Confectio Aniſi Laxativa.

Diſp. Arg. Wirt. Hamb. & paſſim in reliq.

℞. Seminis Aniſi electi, *unc. un. ſemis.*
Sacchari albi, *libram unam.*
Diacrydii ſulphurati, *drachm. unam.*
Mechoacannæ albæ,
Jalappæ reſinoſæ, *ana unciam ſemis.*
Cinnamomi acuti, *drachmam unam.*

Immittitur ſemen Aniſi integrum aheno confectorio, ſuper ignem collocato, atque affunduntur aliquot cochlearia Sacchari clarificati, moxque inſpergitur de purgantium pulvere ſubtiliſſimo non nihil, exſiccato leni calore Aniſo, denuo affunditur Sacchari & inſpergitur pulveris portio, atque labor, Saccharum affundendo, pulverem inſpergendo & Aniſum rurſus exſiccando, continuatur, usquedum omnis pulvis inſperſus, & Aniſum Saccharo probe incruſtatum fuerit. *Ita Wirtenberg.*

Inſervit pueris, atque illis, qui alia medicamenta laxantia reformidant. Datur a drachma, ad unciam dimidiam & ultra.

Confectio Balſamica.

BERNH. HERLINI, *Tab. Smaragd. pag.* 102.

℞. Mannæ elect. *uncias duas.*
Cort. Citri ſuperior. rec. *unc. unam.*
Confect. Alkerm. *unc. ſemis.*
Olei Cinnamomi,
Caryophyllor. *ana gutt. quinque.*
Meliſſæ,
Macis, *ana guttas ſex.*
Elixir. Vitae, *uncias duas.*
Spiritus Roſarum,
Lilior. Convall.
Rubi Idæi, *ana drahmas duas.*

Miſceatur bene, & ſervetur uſui opportuno.

Vires ſunt, ut ipſe Titulus clare indicat, balſamicæ; ſed & analepticæ, cardiacæ, nervinæ atque cephalicæ: item & ſtomachicæ & orecticæ. Quid vero magna illa Mannæ electæ copia ad hunc ſcopum potiſſimum faciat; id equidem, me haud ſatis bene capere poſſe, ingenue confiteor. Mallem quoque illa fruſtra tantopere laudata Confectio Alkermes, *ab hac alioqui ſatis concinna Compoſitione, penitus abeſſet: quæ enim nobis de iſta ſedeat ſententia; ex mox dicendis, ad illam ipſam Confectionem Alkermes, clarius ac manifeſtius, opinor, conſtabit.*

Confectio Cardiaca.

H. BOERHAAVE, *Mat. Med. p.* 133.

℞. Cortic. peruviani, *drachmas duas.*

Magellan. *drachmas tres.*
Conſerv. Anthos, *unciam unam.*
Syrupi Kermes, *quantum ſufficit.*
Ut Fiat Confectio, ſeu conditum.

Capiat æger drach. ſemis, *omni trihorio de die.*

Ceterum conf. infra, Opiatæ, Cardiacæ & pulveris Cardiaci.

Confectio Cardiaca Alia.

ibid. p. 133.

℞. Diaſcord. Sylvii, *drachmam unam.*
Elæoſacchari ex Oleo Citri, *drachm. duas.*
Rad. Helenii Conditæ, *unciam unam.*
Syrup. quinque Rad. aperient. *q. ſuff.*
Ut Fiat Confectio, uſus idem.

Confectio Cardiaca Tertia.

ibid. p. 133.

℞. Radicis Zingiber. condit. *uncias tres.*
Cortic. Arantior. conditor. *unc. duas.*
Nucis Myriſticæ, *drachmas quatuor.*
Syrupi Artemiſ. Fernel. *quantum ſuff.*
M. Fiat Confectio, ſeu Conditum.

Confectio Cardiaca Quarta.

ibidem pag. 134.

℞. Theriacæ Andromachi,
Diateſſar. Meſuæ, *ana unc. unam.*
Conſervae Abſinthii, *unciam ſemis.*
Radic. Angelicae, *drachmas duas.*
Syrupi Tunicæ, *quantum ſufficit.*
Miſc. Fiat Confectio, ſ. Conditum.

Sumat aeger *drachmam unam*, quater, interdiu.

Commendat has elegantis Compoſitionis Confectiones Vir ſummus, potiſſimum in Mania, a ſumma debilitate corporis, Viribuſque pæne exhauſtis atque fractis oborta, ad novum Vigorem corpori ipſi per hujusmodi roborantia & analeptica, ſenſim reducendum. Vid. ejus Aphoriſ. de Cognoſcend. & Curand. Morbis, *Sect.* 1126. ubi conf. Ill. van SWIETEN, in Comment. *Tom. III. pag.* 531. *Ceterum aliam egregiam Confectionem cardiacam vid. apud* VERZASCHAM, Obſ. med. 90. *p.* 233. & PALMAR. de Febre peſtil. *cap.* 20. *pag.* 488. & pharm. Bat. *p.* 52.

Confectio Cathartica, *ſeu* Catharticum Cæſareum.

MYNSICHT. *Armam. p.* 237.

℞. Zingiberis de China, Condit. *unc. unam.*
Magiſt. Scammonii, *unciam ſemis.*
Confect. Alkermes, *drach. un. ſemis.*
Specier. Diarrhod. Abbat. Spiritu Vitrioli irrorat.
Cryſtallor. Tatar. *ana drachm. unam.*
Galliae Moſchatae Verae, *ſcrup. un.*
Olei Cinnamomi, *ſcrupulum ſemis.*
Syrup. ſupra dicti Zingib. Conditi, *quantum ſufficit.*
Miſce in formam Boli, pro Uſu.

Confectio Cathartica, *Vel* Catharticum Regium.

ibid. pag. 238.

℞. Confect. Alkerm. Vitriolat. *drachm. decem.*
Magiſt. Scammon. *unciam ſemis.*
Pulv. Roſar. rubr. Spiritu Vitrioli irrorati,
Acidi Tartari, *ana drachm. unam.*
Nitri praeparati, *ſcrupulum unum.*
Miſce in formam Boli, pro Uſu.

Utrique huic Compoſitioni & magnificum titulum dedit Auctor & magnificas Vires. Ita enim ipſe: In omni-

bus frigidis affectibus, jucundum eſt Catharticum; quod Regibus, Principibus & Magnatibus ordinare ſolemus; Corpus enim humanum magnifice, & ſine omni læſione, perpurgat. Animum recreat: Appetitum excitat: Omnia membra principalia roborat: Fœtorum oris & naſi emendat: Sanguinem rectificat: Flatus diſſipat, & colicis cruciatibus mire confert. Doſis utriusque hujus Confectionis eſt a drachma una ad ſcrupulos quatuor. *Hæc quidem ille.* Certe omnia hic ſunt magnifica, ipſa quoque purgatio, & ipſi denique flatus, nam Principum & Magnatum ſunt ſcilicet. Sed ſit venia quaeſo, joco, ab hoc quidem loco haud alieno.

Confectio Cathartica Caryophyllata.

MYNSICHT. *p.* 240.

℞. Conſerv. Flor. Tunic. Vitriol. *uncias ſeptem.*
Turbith. alb & gum. *uncias duas.*
Scammon. roſati, *drachmas decem.*
Caryophyllor. elect. *unciam unam.*
Cryſtall. Tartari, *drachmas ſex.*
Cinnamomi acuti,
Macis, *ana drachmam unam ſemis.*
Olei Aurantior. *ſcrupulum unum.*

Et cum ſyrupo Cortic. Citri Moſchat. Miſce in Formam Confectionis, ſeu Boli.

Doſ. a drach. una ſemis, ad drach. duas, & drachmas tres, praeſertim in robuſtioribus, plus minusve.

Confectio Cathartica Roſata.

ibid. pag. 239.

℞. Conſerv. Roſ. rubr. Vitr. *unc. ſeptem.*
Scammonii Roſati, *drachmas decem.*
Spec. Diarrhod. Abbat. Spir. Vitr. irrorat. *unciam unam.*
Nitri praeparati, *drach. unam ſemis.*
Olei Cinnamomi, *ſcrupulum unum.*

Cum modico Syrup. Roſat ſolut. Vitriolat. Miſce in formam Boli, aut Confectionis

Doſ. a Drach. duabus, ad drachmas tres.

Confectio Cathartica Violata.

ibid. pag. 239.

℞. Conſerv. Violar. recent. Vitriol. *drach. quatuor.*
Hermodactyl. ver. & a Cort. mund. *unc. tres.*
Magiſt. Scammonii, *drachmas decem.*
Tartari Vitriolati, *drachmas ſex.*
Cinnamom acuti,
Caryophyllorum,
Zingib. albi, *ana drachmam unam.*
Olei Cumini, *ſcrupulum unum.*

Cum Syrupo e ſucco Violar. Vitriolat. Miſce & Fiat lege Artis Confectio, Doſis eſt eadem, quæ in ſuperiore compoſitione *Vires miras* de his confectionibus omnibus, praedicat ipſe *Mynſichtus*, in expurganda utraque bili, item materia febrili, arthritica, podagrica, calculoſa, variisque aliis Morbis curandis.

Confectio Cinnamomi Laxativa.

MYNSICHTI *Arm. Med. Chym. p.* 242.

℞. Sacchari albiſſ. in Aqua Cinnamomi diſſolut, *unc. quatuor.*
Scammonii Roſati, *drachmas ſex.*
Specier Dia Cinnamomi, *unc. ſemis.*
Olei Cinnamom, *ſcrupulum unum.*

Miſce in Formam Boli, pro Uſu.

Bilem utramque & pituitam ex Capite, Thorace, Ventriculo, Epate, Juncturis aliisque partibus, & ſine Moleſtia, elicit. Et hæc Compoſitio poteſt

etiam fieri in forma ſolida. Doſis eſt a drachma una, ad duas, & demum quoque ad tres. *Alia Compoſitio proſtat in* Tabula Smaragd. *p.* 98.

Confectio Cinnamomi Regia, *ſive* Diacinnamomum Regium.

MYNSICHTI. *p.* 38 *Diſp. Wirt. Norimb. Ratisbon.*

℞. Succoladae Indicae, *uncias quatuor.*
Nucum Moſchatarum, in India conditarum, majorum, *numero tres.*
Syrupi Cinnamomi, *libram dimidiam.*
Confectionis Alkermes incompletae, *unciam unam.*
Olei Cinnamomi, *drachmam ſemis.*
Miſce, fiat confectio liquida.

Analepticum gratiſſimum, & ſtomachicum egregium præbet hæc confectio. Datur etiam parturientibus, ad fœtum pellendum, & vires reſtaurandas. Doſis eſt drachma una, ad duas.

Paullo aliter hanc Confectionem Regiam & egregiam ex ipſa pharmacopoea Holmenſi, producit HOFFMANN. *in Not. ad* Poter. *Lib. III. pharm. Spagyr. Sect. III. pag.* 449. *additis nempe Oleo Roſarum, item & Eſſentia ambræ ſicc. ut & denique foliis Auri, ornatus tamen potius, quam neceſſitatis gratia, adjectis: quæ fere eſt* MYNSICHTI *Compoſ. p.* 38.

Viliori haec conſtat pretio, illa, quae a Minſichto traditur, & ipſis hyſtericis fœminis, quia Moſcho & Ambra caret, exhiberi poteſt.

Confectio Citri.

MYNSICHT. *Arm. pag.* 219.

℞. Conſerv. Roſarum rubr. Vitriol. *Libram unam ſemis.*
Rob. de Berberis.
de Ribes. *ana libram unam.*
Syrup. Acetoſitatis Citri,
Oxyſacchari,
de Agreſta, *ana libram ſemis.*
Pulp. Citri Condit.
Conſerv. Cort. Citri,
Spec. Diarrhod. Abbat. Spiritu Vitrioli irrorat, *ana uncias ſex.*
Nitri praeparati, *drachmas tredecim.*
Miſc. & cum modico Aq. Cinnamomi, Fiat lege Art.
Confectio, ſeu Electuarium.

Refrigerando & humectando, æſtuantium Febrium incendium potentiſſime exſtinguit, & ignei caloris vehementiam componit ac mitigat. Choleræ, dyſenteriæ, & contagioſis Morbis medetur. Veneri & Ebrietati reſiſtit. Membra nobiliora, Cor, Ventriculum, Epar, Splenem, Renes & alia Viſcera, ab intemperie calida imbecilla, firmat, roborat, aperit, & a putredine vindicat. Vomitum bilioſum reprimit. Hæmorrhagiam curat, & Exenthemata ſanat. Doſis a drachma una, ad drachmas duas, vel unciam ſemis, *aliquoties in die. Hactenus ipſe Mynſichtus: Quæ maximam quidem partem vera ſunt. Eſt enim hoc Medicamentum odore ſuaviſſimum, ſapore gratiſſimum, et blanda refrigerandi vi valentiſſimum.*

Confectio de Hyacintho.

CHARAS *pharm. Reg. T. I. p.* 246. *Wirt. p.* 37. *& rel.*

℞ Specierum de Hyacintho, *unc. unam.*
Syrupi acetoſitatis Citri, *uncias tres.*
Mixta reponantur in vaſe porcellano ſatis magno, ne ob effervescentiam vas rumpatur.

Attribuuntur vires cardiacæ & ſtomachicæ, atque in nimiis hæmorrhagiis, aliisque fluxionibus moderandis, ad drachmam integram, cum fructu, adhi-

betur. Vid. SCHULZ. *prælect. p.* 304. *& inprimis diſp. Brand. in Not. ubi de exigio uſu, & magno abuſu hujus ipſius Confectionis, docte in utramque partem, diſſeritur. Plura vid. apud.* CHARAS, *loc. cit. p.* 246. *ſqq. Ceterum longe operoſiorem & pretioſiorem hujus Confectionis compoſitionem vid. ſi lubet, in Guil.* PISONIS *Mantiſſ. aromat. pag.* 223. *Conf. infra dicta* ad Species de Hyacintho.

Confectio Magnanimitatis,

MYNSICHT. *Armament. p.* 223.

℞. Eſſent. Satyrii ext. *uncias duas.*
Nucis indic. recent.
Pinear. mundat. *ana unc. unam ſemis.*
Piſtat. virid.
Nucl. Avellanar.
Amygdal. dulc. *ana unciam unam.*
Piperis albi,
Calami aromatici,
Zingiberis albi,
Galangae minoris,
Cardamomi, *ana unciam ſemis.*
Borracis Venet.
Auri potabil. noſtr. *ana drach. tres.*
Seminis Erucae,
  Linguae Avis, ſeu Fraxini,
  Urticae, *ana drachmas duas.*
Magiſt. perlar. oriental.
  Coralliorum rubr.
Salis paſſerum, *ana ſcrupul. quatuor.*
Boleti Cervini,
Priapi Tauri,
  Cervi,
Teſticul. Taxi exſiccat.
Carnis Scinci marin, *ana drachmam unam ſemis.*
Moſchi laudatiſſ.
Ambrae griſeae, *ana ſcrupul. unum.*
Olei Macis, *ſcrupulos duos.*
  Nucis Moſchat.
  Cinnamomi,
  Caryophyllor. *ana ſcrupul. unum.*

Miſc. & cum Syrupo Rad. Satyrii Condit. Fiat lege Artis, Confectio, ſeu Electuarium. conf. infra ſuo loco, *Elixir Venereum, & Eſſent. Aphrodis.*

In confortanda Venere, Secretum eſt, inquit Auctor, Senibus & Natura frigidis mirifice opem præſtat. Virilitatem amiſſam potenter reſtituit; & quæ ibi ſunt plura elogia. Utinam omnia vera eſſent! utinam ſal paſſerum, Boletus cervinus, priapus Tauri & cervi, una cum Teſticulis ipſius Taxi, pigri alias & ſomnolenti animalis, quidquam conferre poſſent ad intermiſſa diu. Veneris gaudia inſtauranda! Sed omnia hæc vana. Ceterum nunc tria ſic dicta Magnanimitatis Medicamenta habemus, nempe ſupra Aquam & Balſamum, & jam Confectionem. Nondum tamen omne trinum perfectum. Nam nulla ex his trinis ſperanda Magnanimitas.

Confectio Narcotica,

ex eodem MYNSICHTO, *p.* 215.

℞. Nucis Moſchatae, *unciam ſemis.*
Boli Armen. praeparat.
Opii Spagyrice ext. *ana drachm. tres.*
Extract. Florum papaveris erratici,
Croci Orientalis,
Trochiſcor. Ramich, *ana drach. duas.*
Croci Martis, per Reverb. fact. *drachmam unam ſemis*
Rad. Tormentillae,
  Biſtortae,
  Zedoariae, *ana drachmam unam,*
Magiſter. Coralliorum rubrorum,
Succini albi praeparati,
Cornu Cervi uſti,
Caryophyllorum, *ana drachm. ſemis.*
Camphorae, *grana quinque.*

Miſc. & cum Syrupo de papav. ſimpl. & de jujubis *ana unc. quatuor,*

Fiat leg. Art. Confectio, ſeu Electuarium Doſis ipſius *a drachma dimidia, ad drachmam unam.*

Confectio Opiata.

ibidem pag. 214.

℞. Opii ſpagyrice praep. & extract. *unciam ſemis.*
Specier. Diamoſch. dulc.
Diambrae, *ana drachmam unam.*
Magiſt. Perlar. oriental.
Corallior. rub *ana drachmam ſemis.*
Extract. Florum papaveris erratici,
Croci oriental.
Mumiae transmarinae, *ana ſcrupul. unum.*
Galliae Moſchatae Verae,
Lapid. Bezoard. oriental.
Offic. de Corde Cervi,
Unicorn animal. *ana ſcrupulum ſemis.*

Cum Confect. Alkerm. Fiat Confectio: Cui immiſc. Olei Cinnamon. Nucis Moſch. Majoran. Salviae, Succin. alb. Caryophyll. *ana gutt. quatuor.* Doſis eſt *a Granis quinque, ad ſex, ſeptem, uſque ad ſcrup. ſemis.*

Virtutes hujus utriusque Confectionis patent ex ipſo Nomine; magis vero ex ipſa Compoſitione: poſterior tamen valentior & efficacior eſt priore: hinc majore cum Circumſpectione eſt adhibenda. Utraque dolores mitigat & ſomnum blande inducit. Inde Hæmoptoicis, Coeliacis, Dyſentericis, Pleuriticis, Ilioſis, Colicis & Nephriticis medetur, ut inquit hic Mynſichtus. *Sed, quod pace ipſius dixerim, Hæmoptoicis & Pleuriticis præſertim, magis obeſt, quam prodeſt: hinc illius uſus vitandus, ut dudum monuimus, in* Tract. de pleuritide, *Cap. III. pag.* 45. *ſq. Narcoticis enim & Opiatis tum non fidendum.*

Confectio Pacifica.

MYNSICHT. *p.* 222.

R. Succoladae Ind. *uncias quatuor.*
Satyrii Teſticulor condit. *uncias duas.*
Teſticulor. Gallor. in lacte coctorum,
Radic. Eryngii condit.
Caſtanear. in Vino Malvat. coet. *ana unciam unam.*
Amygdalar. dulc.
Pinear. mundat.
Piſtat. Virid.
Nucl. Nucis Ind. *ana unciam ſemis.*
Caſſiae Lignea,
Boleti Cervini, *ana drachmas tres.*
Seminis Fraxini, ſeu Ornithogloſſi,
Borracis Venet. *ana drachmas duas.*
Specier. Diamoſch. dulc.
Diambrae, *ana drachmam ſemis.*
Ligni Aloës elect.
Fol. Majoranae,
Croci orientalis,
Nucis Moſchatae, *ana drachm. unam.*
Caryophyllorum,
Galangae minor.
Zingiber. albi,
Cardamom. min.
Piperis longi, *ana ſcrupulos duos.*
Olei Macis,
Cinnamomi, *ana ſcrupulum unum.*

Miſc. & cum Syrup. Conſerv. Nucis Moſchat. Condit. Suff. quant. Fiat lege Artis, Confectio, ſeu Conditum conf. infra, ſuo loco, *Elixir Venereum, & Eſſentia Aphrodiſiaca.*

In coëundi impotentia, magnum eſt Arcanum, pro ſolis Amicis, mihi hactenus reſervatum, inquit ibi liberalis nimis, Auctor: Læſam enim & amiſſam virilitatem reſtituendo, Venerem deſuetam concitando, ſemen utriuſque ſexus augendo &c. impotentes, ſenesque debiles, brevi temporis ſpatio, ad priſtinam Vo-

luptatem reducit. Hæc quidem ille. Sed idem de hac Confectione pacifica cenſendum, quod de ſuperiore Confect. Magnanimitatis, pronunciatum fuit. Conf. Amman. Iren. p.43. Neque enim unquam privata Veneris officia bene procurantur ex publica pharmaceutica officina; neque ex pharmacopoeia oritur facile pædopoeia: etiamſi ſexcenti Galli cum omnibus ſuis teſticulis, lacti pinguiſſimo incoquantur. Gallus enim vivus ſalaciſſimum quidem eſt animal, uti notum; aſt mortuus, ſalacior ſane haud erit quovis lapide frigidiſſimo & rigidiſſimo. Illud vero, quod mox ſubjicit hic Auctor, placet quam maxime, nimirum poſt aſſumtam quamcunque hujus confectionis doſin, ſemper eſſe ſuperbibendum bonum generoſi Vini hauſtum. Quod enim ipſa confectio haud præſtat per ſe; præſtabit certe additum Vinum generoſum, celebratus ille Veneris armiger.

Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos,
Et Venus in Vinis, ignis in igne fuit.

ut eleganter quidem canit tenerorum Luſor amorum, L.I. de Arte. Interea autem, licet nec hac, nec illa altera Magnanimitatis Confectio *proprie Virtutes aphrodiſiacas habeat; habet tamen utraque analepticas ac nervinas. Ceterum pacificam confectionem, alio quidem ſenſu, ex animo apprecamur omnibus diva belli cupidine flagrantibus. Hæc obiter.*

Confectio Pretioſa.

MYNSICHT. *Armament. pag.* 218.

℞. Elaeoſacchari Citri, *drachmas ſex.*
Tinctura Coralliorum Veræ,
Magiſt Perlar. Orient. *ana drach. duas.*
Granor. Tinctorum,
Corn. Alcis ana Spagyr. Calc. *drach. unam ſemis.*
Maſtichis elect.
Ligni Aloës,
Galangæ minoris,
Cardamomi minoris, *ana drach. un.*
Nucis Moſchat in India condit. No. un.
Lapid. quinque pretioſor. præp.
Ambræ griſeæ,
Extract. Croci Orient. *ana ſcrup. duos.*
Moſchi Mexandrin.
Offic. de Corde Cervi, *ana ſcrupulum unum.*
Auri potabil noſtri, *unciam ſemis.*
Oleorum ſtillat. Cinnamomi,
Macis, *ana ſcrupul. unum.*
Caryphyllorum,
Roſarum veri, *ana ſcrupul. ſemis.*
Conſervæ Florum Tunicæ rubr.
Roſarum rubr. ana Vitriol. *unc. octo.*
Miſc. & cum Syrupo Granor. Chermes, F. Confectio.

Cordiale eſt nobiliſſimum, contra tremorem & pulſationem Cordis, item animi deliquia, Medicamentum mirabilius, præſtantius & efficacius in tota Republica Medica non habetur. Verum prophylacticon, cujus Doſis a drachma dimidia, ad drachmam unam, *vel per ſe, vel in vehiculis idoneis. Ita pretioſe quaſi de hac pretioſa confectione, loquitur ipſe Auctor,* Mynſichtus. *Et revera pretioſa eſt illa; quidquid enim in Orbe pretioſum habetur, illa quidem in ſe continet, ut & ſimile Antidotum pretioſum Salæ, nimirum Margaritas orientales, Gemmas, Ambram, Moſchum, Aurum potabile, Olea aromatica præſtantiſſima, aliaque plura. Interea autem, quo magis iſta pretioſa eſt compoſitione; eo minus pretioſa tamen eſt ipſa utilitate: licet, ut ingenue fatear, nequaquam careat Virtute analeptica, cardi-*

cardiaca cephalica ac nervina. Conf. infra, ſuo loco, Elixir pretioſum.

Confectio contra Phthiſin Pulmon.

H. BOERHAAVE, *Mat. Med. p.* 142.

℞. Conſervæ Roſar. rubr. *uncias tres.*
Boli Armen. lævigat. *drachm. duas.*
Syrupi Myrtin. *quantum ſufficit.*
ut

Fiat Confectio, ſive Conditum. De quo capiat phthiſicus *drach. unam.* omni bihorio; tum blande, ſaneſcent fœda pulmonum ulcera.

Confectiones Siccæ, Aniſi, Coriandri, Cubebarum, Fœniculi, Sinapis,

& reliqua non tam a Pharmacopœis, quam ſic dictis Conditoribus parantur, atque pro tragea groſſa expetuntur. *Wirt.*

Semen Cynæ

vero, Saccharo incruſtatum pro pueris, qui reliqua anthelmintica nauſeant, in uſum vocatur. *Vid.* diſp. Argent. Wirt.

Conſerva Hederæ Terreſtris. Compoſ.

ZWELFER. *Animad. in pharm. Aug. pag.* 268.

℞. Folior. Hederæ Terreſt.
Rutæ, *ana unciam unam ſemis.*
Raphani, *unciam unam.*
Rad. Angelicæ,
Leviſtici, *ana drachmas ſex.*
Sacchari albi, *libram unam, uncias quatuor ſemis.*

Ex inciſis & contuſis Fiat lege Artis, Conſerva.

Celeberrimi in peſte ipſa, uſus eſt: mira enim in eliciendo Sudore, præſtat; qua olim feliciſſimo ſucceſſu, Cl. Leonhard. RAUWOLFF, *Reipubl. Auguſt. Medicus olim eximius, ipſo infectionis tempore, utebatur. Hæc ibi in ſubjecta Nota, adjecit ipſe* Zwelferus, *parcus alioquin aliorum laudator, ut ex vaſto illius opere, ubique apparet. Efficacior vero tum erit iſta Conſerva antilœmica, ubi cum modica Aceti cujusdam Bezoardici doſi, ceu vehiculo, fuerit propinata.* Conf. PALMAR. de Feb. peſt. *c.* 18. *pag.* 472.

Conſerva Millepedum.

Diſp. Wirt. in aliis deſideratur.

℞. Millepedum vivorum, *libram unam.*
Sacchari albiſſimi, *libras duas ſemis.*

Contundantur in mortario marmoreo, & in vaſe vitreo vel porcellano ſerventur.

In ictero, tuſſi ferina, aſthmate, febre quartana & nephritide, optimo cum effectu, adhibetur. Doſis drachma una ad duas.

Conſerva in Morbis a Glutinoſo Spontaneo Ortis.

Herm. BOERHAAVE, *Mat. med. p.* 33.

℞. Summitat. recent. Rutæ,
Tanaceti, *ana unc. unam.*
Flor. recent. Mari Syriaci,
Roriſmarini,
Lavend. *ana drach. quatuor.*
Radic. recent. Helenii,
Vincetox. *ana unc. unam.*

Seminum Raphani,
Naſturtii, *ana drach. quatuor.*
Contuſis admiſce, ſecundum Artem.
Sacchari albi, *uncias quatuor.*
Capiat Aeger drachmam unam, *quater, de die, vacuo ſtomacho, ex Vino Gallico albo, vel Hiſpanico, Malvatico, Canarienſi, aut ſimili.*

Conſerva Refrigerans, Styptica, in Phthiſi Pulmonali.

Idem BOERHAAVE, *Mat. Med. p.* 142.

℞. Folior. teneror. Plantagin. *uncias tres.*
Florum papaver. Rhoead. *unc. unam ſemis.*
Semin. Plantaginis recent. *unc. unam.*
Miſce, ſecundum Artem, cum ſufficiente quantitate Sacchari, ut Fiat Conſerva.

Conſervæ Simplices parantur.

Diſp. Leod: Wirt. Ratisbon. Pariſ. Vienn.

E floribus & herbis recentibus minutiſſime inciſis. Singulis libris adduntur libræ duæ Sacchari albi, in pulverem triti, deinde in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, probe contunduntur. Siccioribus herbis & floribus modicum aquæ additur, & omnes in vaſis porcellanis vel vitreis ſervantur. Uſitatiores

Conſervæ, quæ ex herbis ſive foliis parantur ſunt

Abſinthii,
Acetoſæ,
Acetoſellæ,
Beccabungæ,
Cochleariæ,
Euphraſiæ,
Fumariæ,
Hederae Terreſtris,
Majoranæ,
Menthæ,
Scabioſæ,
Veronicæ,

Ex Floribus

Anthos,
Bellidis,
Betonicæ,
Borraginis,
Bugloſſi,
Cichorei,
Farfaræ,
Keiri,

de qua v. GEOFFR. *Mat. Med. T. III. p.* 642.

Papaveris Erratici,
Pæoniæ,
Primulæ Veris,
Roſarum Rubrarum,
Pallidarum,
Vitriolata,

additis ſpiritus Vitrioli drachmis duabus, ad libram conſervæ Roſarum rubrarum. Cujus nimium uſum phthiſicis potius obeſſe, quam prodeſſe, monet SYLVIUS, Prax. Med. Lib. I. c, 34. p. 271. & ex eo, VERZASCHA, Obſ. med. 100. pag. 263. Sed hæc obiter.

Salviæ,
Tunicæ,
Violarum,

CITRI ex PULPA, abjectis ſeminibus, corticoſa albedine, & tunicis, quæ cellulas conſtituunt, parari ſolent. Ita & Conſerva *Aurantiorum* de qua *vid. Pharm. Bat.* p. 29. &c.

Calices nonnullorum florum, e. g. Borraginis, Bugloſſi, Primulæ veris, violarum, demuntur.

Conſervæ vires vegetabilium, ex quibus parantur, retinent, & pro baſi electuariorum inſerviunt.

Conſerva Spagyrica Emmerici.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. JÜNGKEN. *Corp. Pharm. Aug. ren. Ratisbon.*

℞. Salium Abſinthii, *uncias duas.*
Meliſſæ,
Urticæ, *ana unciam unam.*
Tartari vitriolati, *unciam ſemis.*
Arcani duplicati, *uncias duas.*
Miſceantur & fiat pulvis, cui affundantur,
Spiritus Sulphuris per campanam, *drachm. duæ.*
Poſtquam deferbuerint, addantur
Conſervæ florum Roſarum rubrar.
Tunicæ *ana libra una.*
Olei Cinnamomi,
Corticum citri,
Aniſi, *ana drachm. una.*
Fœniculi,
Menthæ *ana drachma ſemis.*
Miſceantur, & ſi completa hæc conſerva deſideretur, addantur,
Ambræ griſeæ *grana quindecim*, in ſpiritu Roſarum ſolutæ.

Per incompletam intelligunt nonnulli, quæ non Ambra modo, ſed & oleis deſtillatis caret.

Laudatur ad obſtructiones viſcerum reſerandas, in Ictero, febribus quartanis chronicis, menſium obſtructione & chloroſi.

Vix ſola præſcribitur, ſed plerumque aliis additur electuariis vel conſervis. Sola vero a drachma una, ad unciam ſemis *dari poteſt. Sed rarius hodie in uſum vocatur; ideo & in omnibus fere diſpenſatoriis deſideratur: nec magna profecto eſt jactura, ut ex ipſa mirabili compoſitione facili negotio cuivis patet. Interim utantur ea, quibus placuerit.*

Conſerva Viſceralis,

Diſpenſ. Argent.

℞. Salis Abſinthii, *uncias duas.*
Tamariſci, *unciam unam.*
Stipitum Fabarum,
Urticæ, *ana drachm. tres.*
Arcani duplicati, *drachm. duas.*
Nitri Vitriolati, *unciam unam ſemis.*
Subtiliſſime pulveriſatis inſperge:
Spiritus Sulphuris per Campanam, *drachm. duas.*
Olei deſtillati Aniſi,
Citri, *ana drachm. unam.*
Fœniculi, *drachm. ſemis.*
Cinnamomi, *ſcrupul. unum.*
Menthæ, *guttas quatuor.*
Miſce exactiſſime, continuo ſpatula lignea agitando, adde
Pulveris Sacchari Candi albi, *unc. octo.*
Cinnamomi, *drachm. duas.*
Macis,
Caryophyllorum,
Zingiberis, *ana drachm. unam.*
Conſervæ Roſarum rubr. *libr. unam,* pond. civil.
Tunicæ, *libr. ſemis,* ponderis civilis,
Miſce, Fiat lege Artis, Conſerva, pro uſu.

Conſerva eſt polychreſta, Viſcerum Obſtructiones, uti LENTILIUS *loquitur, hepatis & lienis, ita aperiens, ut*

ſimul ea, cum primis Ventriculum & Caput roboret: Hinc in Cachexia, Ictero, Hydrope, affectibus ſpleneticis, hyſtericis, hypochondriacis, melancholicis, & quibuscunque, ab acido viſcido provenientibus, item in febribus, uſurpatur cum ſucceſſu. Doſis per ſe, a drachma ſemis, ad drachmam unam. *Notandum autem circa Febres, non tam in acutis, continuis, ardentibus, aut malignis & exanthematicis, quam potius in intermittentibus, veluti Tertiana, & præſertim Quartana, hujus Conſervæ Viſceralis uſum potiſſimum eſſe. In illis enim juſtus utique metus ſubeſt, ne per addita illa in Compoſitione, olea deſtillata aromatica, & aromata ipſa, oleum adjiciatur quaſi Camino, & æſtuoſum ſanguinis incendium internum ſic augeatur magis, quam reſtinguatur.*

Coralliorum Alborum, & Rubrorum Præparatio.

Vid. Diſpenſat. Omnia.

Probe trita cum aqua, ſuper Porphyrite, ſubtiliſſime, usque dum nullum ſtridorem inter dentes edant, lævigentur, & rurſus exſiccata, atque in pulverem redacta, ſerventur ad uſum.

Abſorbent, leniter adſtringunt, & antepileptica vulgo cenſentur. Doſis ſcrupulus unus, ad ſcrupulum unum ſemis.

Cornu Alcis Præparatum.

Diſp. Wirt. p. 39. & reliqua omnia.

Lima in ſcobem redigitur, deinde in pollinem ſubtilem teritur, & ſervatur.

Vires antepilepticas adſcribunt vulgo. Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.

Cornu Cervi Auratum.

Diſpenſ. Norimb. p. 193. Vienn. p. 149.

℞. Croci Solis, *ſcrupul. quatuor.*
Cornu Cervi philoſ. *unc. unam.*
Miſceantur in pulverem.

In variolis, morbillis, febribusque malignis, ſudoriferum & cordiale præſtat Medicamentum, ſed cautius parciusque adhibendum. Vid. infra ad Crocum Solis dicta.

Cornu Cervi Auratum.

Diſpenſ. Brand. Wirt. & rel.

℞. Cornu Cervi uſti præparati *unc. un.*
Foliorum Auri puriſſimi libellos octo.

Miſceantur & terantur in mortario marmoreo, donec Aurum diſpareat; poſtea calcinentur in crucibulo probe tecto, per tres horas, & pulvis purpurei coloris ſervetur.

Adſcribuntur vires cordiales & alexeteriæ, atque in febribus malignis, variolis & morbillis nonnunquam in uſum vocatur, iſtæ vero vires, ſi quæ adſint, ab ipſo potius Cornu proveniunt; quam ab adjecto Auro, cui quippe nullæ prorſus ſunt, ut ſæpius jam monitum. Vid. Diſp. Brand. l. c. in Not. & SCHULZ. *p.* 68. Doſis ſcrupulus dimidius ad integrum.

Cornu Cervi Philoſophice, *ſive* ſine igne, Præparatum.

Diſpenſ. Wirt. & reliqua omnia.

℞. Cornu Cervi, in majora fruſta ſecti quantum placet.

Coquantur in ſufficienti quantitate aquæ fontanæ, donec molleſcant; poſtea medulla & cortex exterior nigricans cultro ſeparetur, & cornu albicans exſiccatum in pollinem ſubtiliſſimum teratur.

Vires habet adſtringentes, abſorbentes, diaphoreticas. Laudatur in variolis, morbillis & aliis febribus malignis. Doſis a ſcrupulo uno, ad ſcrupulos duos.

Cornu Cervi Uſtum.

Diſpenſ. omnia.

Calcinatur C. C. in fruſtra diſſectum, aperto igne, ad albedinem.

Majorem poſſidet vim adſtrictivam, quam philoſophice præparatum; vires etiam anthelminticæ illi tribuuntur: quod Experientia ſæpius confirmavit.

Cornu Cervi Volantis,

ſeu Scarabæi Lucans, aut Cornuti.

Cornua hæc nitida & quaſi polita, *biſulcis dentata forcipibus in cacumine, cum libuit, in morſum coëuntibus,* mirabilis hujus, immo pæne terribilis, Scarabæi, ſuæ gentis maximi, *Infantum etiam Remediis, ex cervice ſuſpenduntur,* inquit acute & eleganter, pro more, PLINIUS, Lib. XI. cap. 28.

Nimirum cornua illa, de collo ſuſpenſa, vel in hunc uſque diem, dicuntur eſſe Remedio pueris ſubmejulis, quando nempe, ut LUCRETIUS ait, Lib. IV.

Sæpe lacum propter, ſe, ac dolia curta,
Somno devincti, credunt extollere veſtem,
Totius humorem ſaccatum ut corporis fundant:
Cum Babylonica magnifico ſplendore, rigantur.

Exterius ergo applicata, urinam cohibere creduntur; interius vero aſſumta, eandem contra, quod maxime mirum, ſi verum, citare, immo Calculos atque arenas propellere, & ipſum denique partum difficilem promovere perhibentur, ipſo affirmante ETTMÜLLERO, *in Adnotat.* ad Schrœder. & *alibi; atque ex eodem referente* BOECLERO, *in Cynoſuræ Mat. Med. Continuat. II. Part. II. p.* 521. *ubi & in ſqq. Oleo horum Scarabæorum cornutorum, per infuſionem, facto, inſignes prorſus Virtutes tribuuntur, in cienda urina, & promovendo calculo, item in affectibus nervorum, ſpeciatim contracturis & paralyſi, nec non denique, in quibusvis Aurium doloribus, & ipſo adeo auditus defectu, ita quidem, ut iſtud oleum Virtutibus & effectibus ſalutiferis, par prorſus cenſeatur laudatiſſimis illis Scorpionum ac Formicarum Oleis. Quæ tamen omnia quousque vera & longa experientia firmata ſint, ii demum ipſi viderint, qui hæc pulchra ſplendidaque commenta primi tradidere. Nos quidem, ut ingenue fateamur, aliquid Virtutis iſti oleo concedimus; nihil vero, aut certe admodum parum, ipſis cornibus, ſive extra appenſis, ſive intra apprehenſis. Hinc ergo nulli fere dubitamus, quin cornigeri iſti Scarabæi pueris otioſis præſtituri ſint potius luſum & Oblectamentum, quam uſum aut Medicamentum, vel pueris, vel adultis; vel fœminis gravidis, vel viro intactis. Conf. infra dicenda ad pulverem Epilepticum Rudolphi II. Imperatoris, qui etiam hæc laudatiſſima ſcil. cornua, inter alia plura, nihil profutura, recipit.*

Cornu Rhinocerotis

Præparatum.

Diſp. Wirt. Vienn. & reliq.

Lima in ſcobem redactum, in ſubtiliſſimum pulverem, qui per linteum tenue trajiciendus, teritur, atque ſervatur.

Venenis reſiſtere, ſudorem movere, & epilepticis prodeſſe creditur. Doſis grana quindecim ad drachmam dimi-

diarr. *Vid.* SCHROEDER & DALE *Pharmacop. p.* 569.

Corvus Epilepticus.

Pharmac. Batean. p. 30

℞. Corvum majorem deplumatum & eviſceratum, abjectis pedibus & roſtro: Immitte in Ventrem
Cor,
Jecur,
Pulmones,
Veſicam fellis, cum
Galangæ, &
Seminis Aniſi, *ana unciis quatuor.*

Coque in Vaſe terreo novo, bene occluſo & lutato, cum pane domeſtico, in Clibano: poſt frigefactionem, a lateribus ſeparetur, & ſecunda, vel tertia vice fiat; cavendo tamen, ne aduratur, deinde Fiat pulvis, ſecundum Artem,

Doſis eſt drachmæ unius, quotidie in Morbo Comitiali.

Ita quidem ſentit Celeb. Auctor. Sed an miſer hic Corvus coctus, aut uſtus, fugare & abigere poſſit dirum illum Morbum epilepticum, præſertim, quum inermis quaſi ſit, & unguibus roſtroque acuto careat, ſi ita quidem jocari non nihil liceat? de eo quidem nos adhuc valde dubitamus; & dubitabunt nobis cum, ſat ſcio, omnes prudentiores & peritiores Medici. Nihil ergo plane præſidii & auxilii, noſtra quidem opinione, ſperandum, aut expectandum fuerit ab omnibus iis egregiis Corvi illius miſere truncati viſceribus, addita etiam amara fellis veſicula, in debellando nempe illo abiminabili Morbo: Quid vero contra eundem, valeat Galanga, atque Aniſum? tam parum profecto eſt, ut mentione vix dignum ſit. Abjecto ergo integro Corvo, ceu fatuo & ridiculo, & improbatis Galanga atque Aniſo, ceu inefficacibus: quid quæſo aliud in hoc novo Remedio antepileptico, reſtabit, quam prorſus Nihil? Interim tamen propter ſingulare Exemplum, fuit adjiciendum: Ceterum varia quoque ex Corvo, Remedia, longa ſerie, recenſet BOECLERUS, in Continuat II. Cynoſuræ Mat. Med. HERMANN. pag. 829. ſqq. *Conf. infra* Oleum Milvinum epilepticum, *ex eadem Pharm. Bat. deſumtum; Sed Milvus & Corvus tantumdem valent, nempe nihil.*

Cranium Humanum
Præparatum.

Diſpenſ. Argent. Wirt. Vienn. & rel.

℞. Cranii hominis, violenta morte perempti, ab integumentis & omni immunditie liberati, quantum volueris, contunde, atque in tenuiſſimum pollinem redige.

Tribuuntur illi vires ſpecifice antepilepticæ, & hinc pulveribus epilepticis additur. Maximas ipſi virtutes, contra Conringium *contrarium forſan rectius, ſtatuentem, tribuit Ol.* BORRICHIUS, *de Hermet. Med. Cap. IV. p.* 332. *& alii olim plures; hodie vero vix credulis noſtris rectioris, judicii & certioris experientiæ Medicis. Conf. Cl.* CARTHEUSERI *Fund. Mat. Med. Part. I. Sect. II. cap.* 9. *pag.* 179 *ſqq. & ſuperius Part. I. nobis dicta ad* Cranium humanum*: item* Tim. a GÜLDENKLEE *Epiſt. Med.* 3. *Lib. I. p.* 547. *ubi & pro Arcano antiphthiſico falſo a quibusdam habetur: vid. & ſequentem* WEISSII *Epiſtolam, p.* 548. *neque enim antepilepticum eſt, neque antiphthiſicum; ſed merum potius Caput mortuum, & ſenſu phyſico, & chemico. Mirum ergo eſt ipſum Cl.* SCHULZIUM, *præl. p.* 68.

fœdam hanc & abominabilem medicinam laudaſſe & contra Epilepſiam commendaſſe. Tantum eheu! valet præjudicium ſemæmenti impreſſum.

Datur infanti tenello a granis tribus, ad quinque; *adultiori* ad ſcrupulum dimidium, & *adultis* a ſcrupulo integro, ad drachmam dimidiam.

Cremor *vel* Cryſtalli Tartari.

Diſp. Wirt. Brand. Hamb. Argent. & rel.

℞. Tartari albi, aqua calida aliquoties a ſordibus externis abluti & in pulverem contuſi, *libras duas.*

Coquendo in libris viginti quatuor aquæ fontanæ, in vaſe figulino, diſſolvantur, & fervens adhuc decoctum trajiciatur per manicam Hippocratis, in aliud vas terreum; ubi refrixerit, cryſtallos exhibet, in ſuperficie autem liquoris cruſtam, *cremoris* nomine notam, qui, cum cryſtallis, frigida fontana aqua abluatur, & exſiccatus, ſuper Porphyrite, in pulverem albiſſimum conteratur.

Cryſtalli Tartari ſal ſunt eſſentiale Vini. Craſſos & viſcidos humores incidunt, alvum blande ſtimulant, appetitum excitant, hypochondriacis, febricitantibus & cachecticis proſunt. Præſertim vero hydropicis, prout id nuperrime, multis adductis exemplis & experimentis, præclare oſtendit Cl. Vincent. MENGHINI, *in Opuſcul. Med. Phyſ. ac Juſtituti Bononienſ.* 1757. *Vol. IV. Purgantibus additi vires eorum augent. Ventriculo tamen eundem non ſemper conducere, obſervat* Vit. RIEDLINUS, Lin. Med. *Ann.* 1696. *Menſ. Febr. Obſ.* 22. *p.* 87. *ſqq.*

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmas duas, imo ad unciam dimidiam. *Difficulter, & non, niſi in liquore calido, ſolvi poſſunt.*

Crocus Jovis.

Pharm. Bat. p. 30. *ſ.* 44.

℞. Jovis opt. Angl. *unc. ſemis.*
Mercurii vivi, *unc. unam ſemis.*

Fiat lege Artis, Amalgama:

A quo, evaporato prius Mercurio, relinquitur tandem CROCUS JOVIS.

Sudoriferum eſt magnum: In Lue Ven. Podagra, peſte, utero ſtrangulato &c. mire valet: doſ. a gran. quatuor, ad decem. *Uſus externus ad ulcera inveterata, Cancros, fiſtulas, &c. probe. Sed de uſu interno perquam ſuſpecto, vid. ſup. ad* Bezoardicum Jovis, *ſeu* Joviale, *& infra ad* Sal. Jovis, *item ad* Pilulas *dominarum, quibus Sal iſtud adjectum. Conf.* SCHULZ. *prælect. p.* 180. & LOESECKE. *Mat. Med. p.* 388.

Crocus Martis Adſtringens.

Diſp. Wirt. & paſſim in reliquis.

℞. Limaturæ ferri, *uncias quatuor.*

Diſſolve in ſpiritus Vitrioli & aquæ fontanæ *ana unciis octo*, ſolutionem ad ſiccitatem in vaſe ferreo evapora & forti igne in pulverem rubicundum calcina.

Vires ex nomine patent; verum ad internum uſum vix commendatur, ſed emplaſtris exſiccantibus & adſtringentibus addi ſolet.

Crocus Martis Aperitivus Antimoniatus Stahlii.

Diſp. Wirt. Mat. Med. P. I. p. 70. *& P.* II. *p.* 12. *in Obſ. phyſ. med. in aliis deeſt.*

℞. Clavorum ferreorum, *libram unam.*
Antimonii, *libras duas.*

Fluant optime in crucibulo, quibus adde,

Cinerum clavellatorum *unc. quinque.*

Cum omnia colliquata fluxerint, effunde in conum fuſorium, & regulum a ſcoriis ſeparatum ſerva.

Scoriæ, fuſci coloris, fruſtillatim contuſæ, ſive aëri umbroſo, humida tempeſtate, vel cellæ expoſitæ, dilabuntur in pulverem ſubnigrum. Hunc pulverem, aqua tepida multa, dilutum & probe agitatum, ita ſepara, ut quicquid ejus, poſt craſſiorum particularum ſubſidentiam, ac aliquam moram, aquæ turbidum adhuc internatat tenuiſſimum, cum hac effundas; craſſiore parte, ſedimenti inſtar, in fundo remanente. Exit vero tenerioris hujus ſubſtantiæ oppido parum, quæ ſeorſim aſſervanda eſt, & cum triplo Nitri puriſſimi, in crucibulo leviſſime candeſcente, detonanda; Maſſa inde nata rubicunda, edulcoretur, atque pulvis dilute rubens, ſub titulo: *Croci Martis aperitivi tenuioris*, ſervetur. Subſidens vero illa altera portio ſimiliter tractanda, edulcoranda, ſiccanda, & cum triplo Nitri detonanda, quæ rurſus edulcorata & ſiccata, dat *Crocum Martis aperitivum*, obſcurioris coloris, quam præcedens tenuior. *Vid.* CARTHEUSER. *Elem. Chym. p.* 183. *ſqq.*

In Hæmorrhagiis uteri, Hæmorrhoidum nimio fluxu, Diarrhæis, febribus intermittentibus, præſertim Quartanis; laudabilem & ſæpe præſentaneam operam navat immo ipſi Cortici peruviano longiſſime ipſum præfert STAHLIUS, Mat. Med. *P. II. p.* 12. *Sed ſi fabula vera.* Vid. *tamen* Commerc. litt. Med. Nor. *Ann.* 1733. *p.* 350. *Dandus tamen vix tenuior ille ultra* quatuor vel ſex grana, *cum effectu ſatis luculento: quemadmodum in lochialibus puerperarum turbis, non tam hæmorrhagicis, quam ſpaſticis flatulentis, perfrequenter Cl. Auctor eo uſus eſt, & non minus, atque in atrophicis affectibus puerorum, quibus tincturam ſuam commendat Ludovici, cum arcano duplicato exhibitum, expectationi ſatisfeciſſe teſtatur. Vid.* SCHULZ. *Præl. & ad diſp. Brand. p.* 69. CARTHEUS. *Pharmac. p.* 527. *ſqq. & Diſpenſ. ipſum Brand. in Not.*

Crocus Martis Aperitivus Vulgaris.

Diſp. Wirt. & in aliis, vid. Chym. & ZWELFER.

℞. Vitrioli Martis *uncias quatuor*, ſolvantur in aquæ fontanæ calidæ *libra una.* Solutioni inſtelletur ſalis alcali vel cinerum clavellatorum lixivii aqua fontana calida facti, & per chartam emporeticam filtrati, *quantum* ad ſaturationem acidi vitriolici, & præcipitationem Martis, *ſatis.* Pulvis præcipitatus aqua fontana calida edulcoretur, & leniter ad rubedinem calcinetur. Liquor ſalinus evaporari ad cuticulam poteſt, qui ad cryſtalliſationem repoſitus, largitur Tartarum vitriolatum, *de quo infra.*

A præcedenti non differt, niſi quod magis adſtringere deprehendatur.

Doſis grana tria, ad quatuor.

Crocus Martis Saccharinus,

Diſpenſat. Lugd.

℞. Limatur. Martis, Oleo Sulphuris, aut Vitrioli, conſpergatur, reponaturque in Cellam. Poſtmodum Aqua abluatur, & ſubſidebit Crocus, deinceps exſiccandus, atque ad Rubedinem, ſolummodo parum calcinandus.

Eandem

Eandem fere hujus ſic dicti Croci Martis aperientis Saccharini præparationem vid. in JÜNGKENII Chym. Experiment. *ſect. V. cap.* 6. *p.* 321. *ſqq. item* Hartmanni, Barneri, Feburii, Tachenii, & *aliorum Chemicorum operibus. Similem fere ejusdem deſcriptionem tradidit Cl.* CARTHEUSERUS, in pharmacologia, *p.* 526. *ubi & ſimul p.* 527. *prudenter monet, Concretum hoc minus recte Crocum vocari, quoniam Calore albicante polleat, ac Verum Vitriolum martiale tenerius exiſtat.*

Crocus Martis Sulphuratus.

GEOFFROY, *Mat. Med. Tom. I. p.* 292. *ex* LEMERY, *vid.* JUNGK. *Corp. Pharm. univ. p.* 217.

℞. Limaturæ Martis, & Sulpheris pulverati, *ana partes æquales.*

Miſceantur, Aqua communi humectentur, & in paſtam non molliorem redigantur. Reponantur ad Fermentationem, ſuper patinam fictilem, in loco moderate calido, per horas quatuor, aut quinque. Senſim incaleſcit paſta, intumeſcit, rimas agit, fumor emittit, exſiccatur, & per ſe calcinatur. Tunc Patina prunis ardentibus imponatur, Maſſam identidem agitando cum Spatula ferrea, donec omne Sulphur deflagratum ſit. Remanebit pulvis purpureus, ſcil. Crocus Martis aperiens, cum Sulphure paratus. *Doſis, a granis quindecim, ad drachmam unam.*

Similes fere hujus Martis Croci Sulphurati deſcriptiones vid. apud laudatos modo Chemicos, & Cl. quoque CARTHEUSERUM, *in Pharmacol. p.* 526. *ubi & p.* 530. *ſqq. de horum Crocorum Martialium vi aperitiva, & ſimul tonica & leviter adſtringente, docte & perite tractat. Conf. &* BOERHAAVE, Elem. Chem, *Tom. II. part. III. proceſſ.* 170. *p.* 392. *ſqq. &* CHARAS, Pharm. Reg. *T. II. p.* 749. *ſqq. præcipue* Collectan. Chym. Leyd. *cap.* 114. *p.* 99. *ſqq.*

Croci Martis Electuarium Simplex.

POTER. *Pharm. Spagyr. Lib. III. Sect. X. pag.* 492.

℞. Cortic. Citr. Saccharo conditi,
Conſerv. pulpæ Cydonior. *ana uncias duas.*
Croci Martis, *unc. dimidiam.*
Miſc. & Fiat Electuarium,
Cujus *Doſis eſt a drachm. ſem. ad duas.*

Croci Martis Electuarium Sol.

POTERIUS, *ibidem.*

℞. Conſervæ Borraginis,
Violarum,
Roſarum, *ana unciam unam.*
Pulvis Sennæ Oriental. *drachm. ſex.*
Croci Martis, *drachmas quinque.*
Syrupi de pomis ſaporis Regis, *quantum ſatis.*
Miſce, Fiat Electuarium,
Cui adde Olei Aniſi, *guttas octo.*
Doſis a drachma una, ad duas, & tres.

Utriusque Electuarii, inquit ibi POTERIUS, *Vires ſunt imperſcrutabiles: In Cachexia quantum valeant, ſatis notum eſt. Obſtructiones tam jecoris, quam Lienis, optime reſerant: quod tamen, me quidem judice, etiam tum facerent, ſi ipſa folia Sennæ non adjecta fuiſſent; quæ quid hic potiſſimum efficere poſſint, haud ſatis bene perſpicio. Ceterum, licet hæ binæ egregiæ Compoſitiones proprie potius pertineant ad Claſſem ſuo ordine & loco, inferius ſequuturam, de* Electuariis; *judicio tamen magis, quam er-*

rore aut negligentia, illis his locum aſſignare maluimus; ut ſcilicet lectores, ad levandum arduum quærendi & revolvendi laborem, ſub uno quaſi conſpectu, haberent, quidquid & de ipſo Croco Martis, *& de ipſius* præparatis *ac* compoſitis, *in Libris pharmaceuticis, paſſim & ſparſim extaret. Inde & merito inducti ſumus, ut tertium quoque* Electuarium de Croco Martis, *ex Fullero deſcriptum, ſtatim his ipſis ſubjungeremus; immo & quartum ex Hartmanno, adjiceremus, quod in primis, egregium eſt Emmenagogum, uti mox docebitur.*

Croci Martis Electuarium.

THOM. FULLER. *Pharm. Extemp. p. 75.*

℞. Conſerv. Abſinthii Romani,
Cochleariæ hort. *ana uncias tres.*
Zinziberis Conditi, *unc. unam ſemis.*
Rubig. Chalybis, in ſubtilem pollinem redactæ, *drachm. ſex.*
Oleor. Caryophyllorum,
Saſſafras, *ana guttas ſex.*
Syrupi e quinque Radicibus, *unc. un.*
Miſce, Fiat lege Artis Electuarium:

Sanguinem depauperatum exaltat, ita nempe ibi ipſe loquitur Autor, (melior certe, ut videtur quidem, Medicus Clinicus, quam Criticus, aut Autor Claſſicus,) Habitumque obſtructum reſerat. Convenit in Chloroſi, Menſium ſuppreſſione, Scorbuto, Ictero, Hydrope, & quacunque demum Cachexia. Doſis trachmas tres. *Mane, & quarta Hora pomeridiana, quotidie, per Menſem integrum, vel ſeſquimenſem. Sed vid. ibi plura de Chalybeatis, & eorum uſu & abuſu, quæ huc non pertinent, legi tamen* digna ſunt. *Ceterum infra, ſuo loco, exhibebimus* Syrupum Martiatum *vel* Chalybeatum Ceylonicum *egregium* Grimmii, *iisdem quidem uſibus deſtinatum: & ejusdem quoque* Oleum Martis, *ſive, ut ipſe vocat,* Martem potabilem, *cujus uſum polychreſtum in multis pertinacioribus Morbis, ſummis laudibus ibidem commendat.* Balſamum *vero* Martiale, *ex pharmac. Bateana jam dedimus ſupra, ſuo loco: &* Electuarium Chalybeatum *mox dabimus infra, in ſequentibus. Conf. interim* RIEDLINI Lin. Med. *An.* 1698. *Menſ. Mart. Obſ.* 10. *p.* 245. *& infra* Eſſentiam Vitrioli Martialis, *potiſſimum vero* Tincturas Martis varias: *item* Extractum Martis, *ſeu* Chalybis.

Croci Martis Electuarium,

ex HARTMANNI *Prax. Chymiatr. p.* 69. *Tom. I. Opp.*

℞. Croci Martis, *unciam ſemis.*
Cinnamomi,
Sabinæ, *ana drachmam ſemis.*
Cortic. Tamariſc. *drachm. unam.*
Spec. aromat Roſat. *drach. unam ſem.*
Nuc. condit. *drachm. tres.*
Mellis Roſat. aut anthoſat, *unc. unam ſemis.*
Sacchari, *uncias duas.*

Miſceantur ſuper lentum ignem & Fiat lege Artis *Electuarium,*

De quo capiat ægrotus, ſeu ægrota, Magnitudinem Nucis juglandis, Mane, tribus, ante prandium, Horis.

Ipſo fatente Claro per Ignem Chemicum, Auctore, hoc Electuarium Martiatum eximiæ plane eſt Virtutis, in provocandis & reducendis Menſibus ſuppreſſis, & in ipſa mœſta ſterilitate expugnanda. Conducit quoque infelicibus puellis pallida Cloroſi fœde albentibus. Præterea etiam ſtomachicum, hepaticum ſplenicum, & anthelminticum eſt, propter ipſum Crocum Martis, item Sabinam, & Corticem Tamariſci, nec non ipſum Mel anthoſatum, Vermibus inprimis inimicum

& peſtiferum; hominibus vero gratum & frugiferum. Unum tamen adhuc monendum circa hanc, alias concinnam ſatis, Compoſitionem. Nimirum, ut ingenue equidem fatear, adjectum hic ad uncias duas, ſaccharum mihi neutiquam probatur, cum, quod nullum hic ſingularem, aut eminentem uſum habet; tum, quod nimia & fæminis præſertim, uteri vitio laborantibus, ingrata & nociva dulcedine perfundit & inficit iſtud Electuarium, Mulierum tamen uſibus potiſſimum dicatum ac deſtinatum. Quare Saccharum hic, me quidem judice, ceu inutile, immo nociturum, plane omittendum, ejusque potius loco, ſi commodum viſum fuerit Medico, & ex uſu futurum, aliquid Croci, Myrrhæ, aut alius remedii emmenagi, debita doſi, adjiciendum.

Crocus Martis, cum Salibus,

MICHAEL. *Med. Famil.* 168. *p.* 100.

℞. Herbas aperientes uſitatas concrema, & cum Vino, vel Aqua aperitiva, ſal e Cineribus extrahe: Lixiviumque Marti tenuiſſime laminato, ſuperfundatur exſiccetur, aliquotiesque repetatur affuſio, donec Limatura ipſa in ſubtilem converſa ſit pollinem, qui ad rubicundum conciliandum calorem, aliquandiu, reverberari poteſt. Hic ipſe Martis Crocus in uſu frequentiſſimo eſt. *Doſis, a Scrupulo uno, ad Scrupulos quatuor.*

Ita quidem inquit ipſe Michaelis. De *hujus autem* Croci Martialis *Virtutibus nihil jam dicere attinet, quoniam jam ex ſupra dictis, putem, notiſſimæ ſunt. Ceterum Vid. in antecedentibus,* Crocus Martis aperitivus Vulgaris: *qui huc potiſſium* ſpectat.

Crocus Metallorum.

Diſpenſat. Lugd. Wirt. Brand. & rel.

℞. Antimonii crudi in pulverem triti,
Nitri crudi puriſſimi & ſicciſſimi *ana libras duas.*

Probe mixta detonentur in mortario, & cum refrixerint, maſſa regulina, a ſcoriis ſeparata, in pulverem teratur. Quæ maſſa, ob colorem, etiam

Hepar Antimonii

vocatur. *Vid.* CARTHEUSER. *Elem. Chym. pag.* 185. GEOFFROY *Mat. Med. T. I. p.* 221. *& alios plures.*

Vehemens eſt emeticum, & nunquam in ſubſtantia præberi debet. Grana tria vel quatuor per noctem in vini unciis duabus infuſa, *virtute emetica vinum imbuunt. Sed vid.* STISSER. & RIEDLINI *Cur. Med.* 38. *Cent. I. p.* 22. *Veterinarii ad equos purgandos, pro una doſi, ad unciam ſemis, imo ad drachmas ſex, devorandum præbent. Paratur etiam ex hoc Croco metallorum,* Tartarus emeticus de quo infra.

Crocus Metallorum Abſinthiacus,

MYNSICHT. *Armament. p.* 12. *Diſp. Norimb.*

℞. Antimonii crudi optimi & perlucidi,
Salis Abſinthii, *ana uncias quat.*

Miſceantur, igniantur, & calcinentur ſingulari diligentia, & debito modo, ut eſt Artis, & Antimonium calcinatum, ſubrubeum, fixum, & Arſenicali ſuo Sulphure penitus ſpoliatum invenies: quod aqua dulci toties ablue, donec nulla amplius ſatis Abſinthii acrimonia guſtu percipiatur: poſtea pulverem ita edulcoratum & exſiccatum, tanquam verum Metallorum crocum ad

uſum ſerva. Cujus *doſis a granis tribus, ad quatuor, vel quinque, aut ſex*, in Conſervis, vel aliis vehiculis appropriatis; vel infundantur tot grana, in Vini albi Rhen. unc. duabus & Aquæ Cinnam. drach. duabus, colentur mane, & abjecto croco ipſo, calide bibatur.

Magnas atque inſignes in variis magnis morbis, Virtutes huic Croci tribuit Auctor, quæ ibi legi poſſunt, a nobis vero vix credi. Certe draſticum eſt Remedium, quod maxima quidem cum circumſpectione adhibendum. Interim tamen, ne quid deſideraretur, illud hic inſeruimus.

Crocus Solis.

Diſp. Wirt. Brand. Ratisb. & rel. vid. Chym.

℞. Auri, per Antimonium depurati, *partem unam.*
Mercurii, e Cinnabari revivificati, *partes ſex.*

Fiat amalgama, cui probe commiſceatur duplum Sulphuris triti, & ſub tegula fulminatoria rudicula ferrea continue movendo, donec omne Sulphur & Mercurius avolarit, igne ſufficienti calcinetur, ſic Aurum in pulverem abibit rufum, ſubtiliſſime ſuper marmore terendum *Wirt.*

Bezoardicas & cordiales vires illi tribui vulgo ſolent. Doſis granum unum, ad duo: *immo præſtat, nullum plane exhibere, ob rationes ſuperius datas.*

Crocus Veneris.

Pharm. Bat. p. 31. Wirt. Vienn. Hamb. & rel.

Ex vitriolo vel cryſtallis Veneris, per calcinationem, paratur, & affuſa aqua calida edulcoratur.

Internus nullus, externe in unguentis & emplaſtris exſiccantibus ejus eſt uſus. vid. HARTMANNI *Tirocin. Chym. Lib. II, c. 15. p. 47. &* SCHULZ. *præl. pag.* 70.

Cryſtalli Martis, *ſeu* Sal Martis.

HARTMANNI *Prax. Chym. p. 38.*

℞. Limaturam Martis puram ac tenuem, ſuperfunde guttatim, Oleum Sulphuris per Campanam; ſtatim incaleſcit, & totus quaſi ſolvitur: Sine quieſcere, & refrigerari, & intra duas noctes, concreſcent Cryſtalli, quæ per Aquam communem deſtillatam ſalutæ, & a fæcibus per filtrationem, ſeparatæ, denuo Aqua evaporata, in Cryſtallos redeunt. Hinc in locum frigidum locatur, & regenerantur Cryſtalli: Aqua reſtitans ulterius, ut prius, evaporatur; colliguntur que Cryſtalli toties, quoties poſſunt. *Doſis* ſunt *grana duo, vel tria.*

In Morbis quidem pectoris, v. g. Aſthmate, Catarrhis, Tuſſi pertinaci, quin & ipſo ſputo cruento, has Martis Cryſtallos commendat HARTMANNUS. *Sed neſcio, quam bene, & quam ſecure? Certe ipſa illa perquam exigua doſis præſcripta ſuſpectum admodum facit ipſius Medicamenti nimium adſtringentis uſum. Hinc, quum varia alia Remedia bechica & pectoralia ſuppetant, & virtute certiora, & uſu tutiora, ab ipſo quoque* Hartmanno, *ibidem, larga quaſi manu, ſuppeditata: Malim equidem hanc operoſam iſtarum Cryſtallorum præparationem, inter Curioſa ſua Chemica, Auctori intactam relinquere; quam nulla prorſus urgente neceſſitate, eandem eventu forſan ſiniſtro magis, quam ſecundo, temere in uſum* advocare. *Ceterum de præpara-*

tione Cryſtallorum Martis dulcium, *vid.* Wilhelm. ten RHYNE, Meditat ad Hipp. *p.* 161. 162. *Aliam quoque Salis Martis præparationem, in* Pharm. Lond. Pariſ. & Edinb. &c. *vid. infra* Vitriolum Martis, *quod idem. conf.* & Flores Martis, & Vitrioli Martis: *item* Salia Chalybis & Martis, *infra.*

Cryſtallum Minerale,

Pharm. Bat p. 31. *p.* 226.

℞. Salis Prunellæ, *quantum* placet, ſolve in Aqua, Filtra & Cryſtalliſa, ſecundum Artem.

Si addas Saccharum, ante cryſtalliſandum, vocatur tum *Saccharatum.* Vid. infra *Lapis prunellæ.*

Cryſtalli Sulphuris Rubræ,

ex JO. ERNESTI *Tract. de Oleis deſtillat. apud* HARTMANN. *pag.* 117. *Opp. Tom. I.*

℞. Florum Sulphuris, *libram unam.*
Spiritus Terebinth. *libram un. ſemis.*

In Vaſe Vitreo, igne lento, invicem ebulliant, &, ne Empyrevma concipiant, diligenter miſceantur. Cum jam ſunt probe mixta, & ab igne remota, fæces Spiritus Vini adjiciantur, & tam diu deſtillentur, donec Spiritus Vini Rubedinem ex Sulphure extraxerit. Hunc Spiritum Vini in Balneo, uſque ad tertiam partem circiter, abſtrahe, & reliquum in Cellam Vinariam pone. Invenies in diebus quatuordecim, Cryſtallos per pulchras, rubicundas, (earum tamen non adeo multum.) & ad affectus pectoris utiliſſimas.

Scilicet contra modo nominatos varios pectoris morbos, has ſuas Cryſtallos rubicundas Sulphuris, plurimum valere, ibi aſſerit Auctor. Neque equidem de eo ipſius effato prorſus dubito. Sed quum ipſum Sulphuris Balſamum & ipſi quoque ejusdem Flores in Morbis pectoris ſanandis, idem, immo plus, præſtent, ut cuivis notum, neque ab ipſo Auctore negatur; præterea quoque largiore copia, & parciore opera, haberi ac præparari poſſint; ac iſtæ quidem Cryſtalli, quæ lentius tantum atque rarius effloreſcunt: inde cauſſæ equidem nihil certe video, cur quis laborem iſtum arduum ac moleſtum ſubire malit plus forte vanæ curioſitatis, quam veræ utilitatis, habiturum. Interea tamen chemicorum potiſſimum in gratiam, nec has pretioſas quaſi Cryſtallos hoc quidem loco, abſcondere voluimus.

Cryſtallus Montana
Præparata.

Sicut de Corallis ſupra dictum eſt, paratur. Vid. Diſpenſ. paſſim.

Uſus ejus in Diarrhæa bilioſa commendatur, & ad lac augendum adhiberi ſolet, pro optimo quoque præcipitante & abſorbente item antacido Remedio illud habet STAHLIUS, Mat. Med. *Tom. I. p.* 239. *Contra vertiginem & Arſenicum aſſumtum vulgo etiam, ſed fruſtra laudant. Vid. tamen* RIEDLINI Cur. Med. 115. *Cent. II. p.* 67.

Doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.

Dens Hippopotami
Præparatus.

In omnibus Diſpenſatoriis.

Eadem ratione præparatur, *easdem habet vires,* eademque *exhibetur Doſi.* Sed & eodem modo nihil prodeſt in pleuritide curanda, ut vidimus.

Dentes Apri.

In pollinem ſubtiliſſimum terantur & ſerventur. *Vid. diſpenſat. plene omnia.*

Specifice in Pleuritide commendantur, & in nimis Hæmorrhagiis frequenter adhibentur. Sed in pleuritide nunquam vidi opis quidquam attuliſſe, aut ſævos dolores mitigaſſe, id quod etiam candite fatetur VERNA, *Tract. de pleurit. Part. V, cap. 7. p. 132. quid inde ipſorum uſum ceu periculoſum, plane interdicit, quod tamen vix crediderim. Nec enim proſunt, nec nocent.* Doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.

Diacrydium Glycyrrhiza Edulcoratum.

Diſp. Wirt. Vienn. Leod. & rel.

Solvitur libra dimidia Scammonii Aleppenſis in mortario, ſub perpetua agitatione, decocto Glycyrrhizæ fervente; ſolutio lactea a fecibus nigricantibus, per inclinationem mortarii, ſeparatur, atque leniſſimo igne, vel in Balneo, ad extracti conſiſtentiam, evaporatur, reſiduum, leni calore exſiccatum, in pulverem teritur. *Wirt.*

Decoctum ex unciis duabus Glycyrrhizæ, in aquæ fontanæ libris tribus, ad conſumtionem libræ dimidiæ coctis, paratur.

Multum, per hanc præparationem, de ſuo nauſeoſo odore & ſapore perdit, nec tamen ſua efficacia purgandi privatur Scammonium. Sed ſervat priſtinum ſuum malignum ingenium: licet contrarium ſtatuat SYLVIUS, Prax. *L. II, c. 4. p. 97. Facile ſolvitur a ventriculi humoribus, & ſine torminibus ſerum. & viſcidos humores educit. Sed & ſimul probos & laudabiles. Hydropicis, omnibusque quibus purgatione opus eſt, convenit. Si ferre nempe impune poſſint. Datur, uti Diacrydium ſulpharatum, verum in aliquantum majori doſi.*

Diacrydium Roſatum.

Diſp. Wirt. Norimb. & paſſim in aliis.

℞. Scammonii triti, *uncias quatuor.*

Tractetur eodem modo, quo de Diacrydio Glycyrrhiza edulcorato dictum eſt, decocti loco, infuſionem Roſarum ſumendo.

Mitius & gratius eſt, quam ſulphuratum. Sed & ſub his blandis Roſis latet ſævus anguis abſconditus, ut in omnibus Scammoniatis. Doſis grana decem, ad quindecim.

Diacrydium Sulphuratum.

Diſp. Brand. Wirt. Argent. & rel.

℞. Scammonii electi uncias tres. In pulverem teratur, & ſupra chartam albam, acu perforatam, tenuiter ac æqualiter expandatur, atque ſupra cratem, cui carbo vivus ſit ſubditus, in quem Sulphuris uncia ſucceſſive injiciatur, ſuffumigetur, & ne liquefiat vel chartæ adhæreat, neque comburatur, Spatula ferrea diligenter moveatur. Vid. GEOFFROY *Mat. Med.* Tom. III. p. 674.

Eſt ingrediens & baſis pulveris Cornachini, ex praxi Medica rationali penitus proſcribendi, ut infra ſuo loco, latius oſtendimus. Purgat ſatis valide, & vel pilulis additur, vel ſale quodam neutro miſcetur. Vid. RIEDLINI Lin. Med. *An.* 1695. *Menſ. Novembr. Obſ.* 19. *p.* 390. & *Ann.* 1698. *Menſ. Decemb. Obſ.* 17. *p.* 1047. *ſqq.*

Doſis a granis quatuor, ad grana

duodecim, raro ultra grana quindecim aſcendendo.

Immo, utinam! penitus proſcriberetur ex officinis pharmaceuticis; eſt enim perquam violentum acre & infidum Medicamentum, quod graviſſima plerumque tormina concitat, item Vomitus, cordis anxietates, ſedes nimium frequentes, & interdum etiam cruentas, ut alios ſiniſtros effectus exinde ſæpius ortos, jam taceam; quorum ex parte, cum ex THONERI obſervat. Epiſt. Med. 26. *Lib. VI. p.* 357. *ſqq. tum ex ſua experientia, meminit quoque* HOFFMANNUS, in Diſſ. de purgant. fortior. ex Prax. Med. ejiciendis, & *in* Med. rat. Syſtem. *Tom. II. Part. II. cap.* 5. *ſqq. & Tom. III. Sect. II. cap.* 5. *& alibi ſæpius. Conf. Laudat.* DÜTTEL. *Tract.* de virulenta purgant. indole, *cap. I. & paſſim, in ſequentibus. Magna ergo circumſpectione opus eſt in præparando Diagrydio, ſeu rectius, Dacrydio,* (*vid.* SALMAS. de Hyl. Jatric. *cap.* 49. *p.* 54.) *majore autem adhuc, in exhibendo, conf.* SCHULZII Prælect. ad Diſp. Brand. *p.* 76. & GEOFFROY, Mat. Med. Tom. II. ſect. I. *p.* 674. *ſqq. item* ZORN. Botanolog. *p.* 616. *& quos ibi laudat Autores plures. Mihi vero ſemper magis placent ea Remedia, quæ ita placida ac ſecura ſunt, ut vel nulla, vel exigua certe circumſpectione indigeant. Conf. ſi placet, quæ ſupra jam, eam in rem, diximus, ad Artic.* Scammonium, *& quæ infra, rurſus dicemus ad famoſum illum* Pulverem Cornachini, *& ad* Pulverem ex Jalappa Compoſitum.

Diaphoreticum Joviale

eſt

Antihecticum Poterii.

quod ſupra, ſuo loco, ſatis ex merito, commendatum.

Diaphoreticum Martiale.

eſt

Antimonium Diaphoreticum Martiale.

Ebur Philoſophice Calcinatum.

Vid. Diſpenſ. omnia.

Eadem methodo, qua cornu Cervi philoſophice paratum eſt, & hoc medicamentum conficitur.

Cum quo viribus & doſi convenit.

Ebur Uſtum Album, *ſeu* Spodium.

Diſpenſ. Argent. Wirt. Leid. & rel.

℞. Eboris, in tenues lamellas ſeu fruſtula diſſecti: *libram unam.*

Igne aperto ad albedinem calcinetur, tandem cum aqua, ſuper marmore, lævigetur, & exſiccetur.

Vires, & doſis quæ cornu Cervi uſti.

Elaterium.

Diſp. Wirt. Lond. Leid. ubi hac methodus & reliq.

℞. Cucumerum agreſtium ſive aſininorum, intra octiduum collectorum, *quantum volueris.*

Scindantur caute apice cultelli, circa petioli inſertionem, ut matura ſemina e fructibus proſiliant, ſemen reliquum & mucago ſuper cribrum proliciantur, quæ poſtea in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, affuſo ſenſim liquoris tenuis, e fructibus conciſis extillantis, & aquæ pluviæ tantillo, contundantur, dum liquor pinguis & oleoſus, e medulla ſeminis in pulpam con-

tritus, per cribrum ſetaceum tenuiſſimum & novum, transmitti poſſit; qui leniſſimo calore evaporatus, redigatur in conſiſtentiam maſſæ pilularis. Vid. RENOD. p. 91.

Violenter, præſertim humores ſeroſos, per alvum educit. In Hydrope aliis purgantibus, ad grana tria vel quatuor, addi ſolet.

Elaterio quidem, defectu nempe tunc mitiorum purgantium, Hipprocratum ipſum, Galenum, alioſque eum ſequutos Medicos Veteres, frequentiſſime uſos fuiſſe, conſtat: Sed noſtra quoque ætate, in tanta ſcilicet meliorum & tutiorum catharticorum copia, anceps hoc violentumque remedium in uſum vocatum eſſe, id vero mirum eſt. Interim tamen vehementa illud laudarunt, præſertim in hydrope & morbis ſeroſis, Wirthius, Schrœderus, Ettmüllerus, Mayerne, Lindanus, Maſſaria, Heurnius, Heerius, *Caſp.* Hofmannus, Lentilius, item SCHULZIUS, *in Hiſt. Med. pag.* 296. Hoffmannus, Pater, Wedelius, *ipſe* SYDENHAMUS, *& alii, quos laudat, & cupide, ut ſolet, ſequitur,* FRICCIUS, *in Tract. de Virtute Venenorum medica, cap. IX. quibus add. inprimis, noſtra quidem ætate,* EVERHARD. in Diſſ. de Elaterio magnis mortalium uſibus parando. *Sed rectius ſapientiusque contrarium tuentur* Rolfincius, Mœbius, Hoffmannus alter, *filius,* BOERHAAVIUS, *ſim.* Paulli *ex parte, & alii, inprimis* Dan. Ludovici, *ita veriſſime ſcribens,* in pharmacia, *diſſ. I. pag.* 117. Elaterium, aliquibus quidem excuſatum; at acre ſatis ac viroſum; etiam dum correctum, aut Extractum datur, immotam acre, ut etiam aliquando tunicas inteſtinorum corrodat; *Conf.* Sim. PAULLI, Quadripart. Botan. *Claſſ. IV. pag.* 525. *Abſtineant ergo, inpoſterum, moneo, cautiores ac prudentiores Medici penitus ab illius uſu periculoſo: eſt enim Elaterium rariſſime Alexeterium, frequentiſſime autem Deleterium. Conf. huc inprimis* GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. III. Sect. II. pag.* 378. *ſqq. &* ZORN. Botanolog. *pag.* 243. *ſqq. & quos ibi pro more, citat Auctores complures. Add.* LOESEKE Mat. Med. *p.* 142. *&* DÜTTEL. de venerat. purg. indole, *Cap. I.*

Elæoſaccharum Errhinum.

Videatur

Pulvis Sternutatorius Albus.

Elæoſacchara,

Aniſi,
Cardamomi,
Carui,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Fœniculi,
Macis,
Meliſſæ,
Menthæ,
Nucis Moſchatæ,
Succini,

Fiunt, oleorum eorundem deſtillatorum *guttas ſedecim, cum uncia una* Sacchari albiſſimi, terendo.

Aurantiorum,
Citri.

Saccharum Canarienſe pomis Aurantiis vel Citreis recentibus affricatur,

tur, donec ſapore & odore bene imbutum ſit.

Praeſtat vero illa, tum expoſcuntur, demum parare. Ceterum de horum *Elæoſaccharorum* facili praeparatione, eorundemque egregio uſu, vid. Boerhaave, Elem. Chem. Tom II. part. I. proceſſ. XXXVIII. pag. 137. ſqq. & in Mat. Med. pag. 149. & paſſim alibi, ut p. 35. &c. item Cl. Gaubius, in Methodo Formul. concinnand. pag. 74. aliisque locis: Schulz. Praelect. p. 76. 77. Geoffroy, Mat. Med. T. II. p. 170. & paſſim. Grimm. Laborat. Ceylon. pag. 159. & ſaepe in antecedentibus. Fuller. Pharm. extemp. p. 64. praeſertim vero vid. pharmacop. pag. 37. ſq. ubi variae Elaeoſaccharorum formulae concinnae.

Vires ex oleis deſtillatis, unde parata ſunt, dijudicantur. Adduntur pulveribus & trageis, doſi ea, quam commodam duxerit medicus.

Electuarium de Aocro.

Diſp. Brand. Wirt. alias rarius occurrit.

℞. Radicum Pſeudoacori recentium, mediante inſtrumento culinari, quod ſcabinam (Reibeiſen) vocant, in raſuram redactarum, *unc. ſex.*
Coque in vaſe figulino addita vini rubri, *libra una.*
ad remanentiam, *unciarum decem*; adde
Sacchari albi, *uncias triginta.*
Radicum Calami aromatici, conditarum & minutim inciſarum,
Zinziberis, in India conditi, minutim inciſi, *ana uncias quatuor.*
Corticum Aurantiorum conditorum,
Citri conditorum, *ana unciam unam ſemis.*
Cardamomi minoris,
Nucis Moſchatæ,
Piperis longi, *ana drachmas tres.*
Caryophyllorum aromaticorum, *drachmas quinque.*
Cinnamomi acuti, *unciam unam.*
Conſervæ Roſarum, *libram unam.*
Miſce, fiat Electuarium.

Electuarium hoc non ſolum ſe commendat gratiſſimo ſapore, ſed & virtute ſua, ventriculum roborandi; digeſtionem juvat, in ſenibus, frigidis, & phlegmaticis, quibus etiam præcipue dicatum eſt. Vid. Schulz. *Prælect. p.* 80.

Dari poteſt ab uncia dimidia, ad integram.

Electuarium Antidotale.

Diſpenſ. Viennenſ. Prag. conf. Verzaschae *obſ. med.* 66. *p.* 140.

℞. Radicis Angelicæ,
Petaſitidis,
Zedoariæ,
Contrajervæ,
Serpentariæ Virginianæ,
Dictamni albi,
Tormentillæ,
Vincetoxici,
Anthoræ, *ana uncias duas.*
Herbar. Rutæ,
Scordii,
Galegæ, *ana unciam unam.*
Seminis Citri,
Aquilegiæ,
Spicæ Indicæ,
Unicornu Veri,
Cornu Cervi, ſine igne,
Lapidis Hyacinthi præparati,
Smaragdi præp. *ana unciam ſemis.*
Terræ Sigillatæ Turcicæ albæ,
Lemniæ Veræ,
Myrrhæ electæ, *ana unciam unam.*
Croci Auſtriaci,
Corticum Citri, *ana drachmas ſex.*

Caſtorei, *unciam ſemis.*
Camphoræ, *drachmas tres.*

Pulveriſentur pulveriſanda; dein probe miſceantur: pulvis hic porro excipiatur:

Rob Juniperi, *libra una.*
Mellis deſpumati, *libris ſex.*

Et conficiatur Electuarium, ad Normam Theriacæ, aut Mithridatii. (conf. Plateri Prax. med. & Obſ. med. L. II. pag. 316. ſqq. item Gesneri Epiſt. L. I. p. 30.)

Venenis, ſeu per os, aſſumtis, ſeu ex morſu; aut ictu, communicatis, reſiſtit; peſtem quoque, febresque malignas præcavet, quantum nempe poteſt. Eſt hæc non contemnenda Compoſitio Compendium quaſi Theriacæ, ſeu Mithridatii, aut Theriaca Veluti in Nuce; immo binis iſtis monſtroſis & cæco quaſi caſu & impetu conflatis compoſitionibus, & concinnitate, & utilitate, multis nominibus, me quidem judice, præferenda. Sublata nempe prius, ut decebat omnino, virulenta illa Anthora. Sed cui quæſo bono, ingens iſta Lapidum pretioſorum moles? Omittatur ergo, & ornet potius lactea puellarum venuſtarum colla, quam fruſtra intret corpora. Aliam Antidoti pretioſi deſcriptionem habet Angel. Sala, *ſingulari Tractat. quam deinde vulgavit* Lud. Combachius.

Electuarium Antifebrile, Bergemanni.

Diſpenſat. Brand.

℞. Rob. Juniperi, *uncias octo.*
Pulv. Cortic. Peruvian. *uncias ſex.*
Rad. Zedoariæ, *unciam unam ſemis.*
Antimonii diaphoret. *unciam unam.*
Syrupi Scelotyrbici, *quantum ſatis,* pro Conſiſtentia Electuarii.

Securum & laudabile merito hoc Electuarium vocat Cel. Schulzius, *in Prælect. pag. 77. Securius tamen ac laudabilius, niſi fallor, adhuc foret, ſi radix illa acris & aromatica Zedoariæ aut plane abeſſet, jure enim abeſſe poterat; aut certe nimia illius, ut & Antimonii diaphoret. quantitas ad parciorem ac temperatiorem doſin redacta & caſtigata fuiſſet. Sequitur ſtatim ibidem, aliud Electuarium antifebrile, ſed longe deterioris, &, ne quid gravius dicam, infelicioris Compoſitionis. Conſtat enim ex quatuor Radicibus alexipharmacis calidiſſimis, Ligno Guajac. & colubrino, herb. Scord. & dictamn. Cret. Cort. peruv. Sale Ammoniaco, &, quod vix credibile, Croci opt. uncia ſemis, immo, ne quid malis deeſſet, hæcque omnia ſic inconſulto permiſta, per ſe minus nocerent, additæ quoque ſunt miræ iſti, aut rectius miſeræ compoſitioni, duæ Opii drachmæ: adeo ut ipſo Cortice peruv. Saleque Ammon. ademtis, Theriaca potius cujusdam ſpecies, aut imitamentum reſtet, quam quidem concinna & appoſita Electuarii antifebrilis Compoſitio. Quare has ſcopas quaſſi diſſolutas merito quoque damnavit* Schulzius, *in prælect. pag. 77. & ipſum etiam, ex parte, Diſpenſatorium Brandenburgicum Verùm in Diſpenſat. Prag. p. 113. duo alia Electuaria antifebrilia occurrunt, non melioris, quin & quodammodo pejoris adhuc commatis: Unum enim, præter nonnulla alia inutilia & inconvenientia, continet etiam deteſtabile illud Antihecticum* Poter. *de quo ſupra, ſuo loco: alterum vero ſuſpectam illam & præter rem, laudatam Confectionem Alkermes, de qua etiam ſuperius ſat dictum. Tertium autem, quod ibidem legitur, Electuarium antifebrile, melioris eſt notæ & ſimplicioris Compoſitionis,*

hincque nobis merito dignum viſum, quod & hic infra, huc translatum, legeretur:

℞. Pulveris Chinæ Chinæ, *drach. ſex.*
Conſervæ Acetoſellæ, *unc. ſemis.*
Syrupi ejusdem, *quantum ſufficit.*
ad Conſiſtentiam Electuarii.

Conf. Fulleri *Pharmacop. extemp. p.*79. *ſqq. &* Geoffroy, *Mat. Med. T. II. p.* 193. *item* Henr. Banyer, *Med. pauper. p.*44. *& Diſp. Vienn. p.* 64. *ut &* Nicolai *de Formul. p.* 210. *ſqq. Quibus nunc denique bina alia Electuaria febrifuga adhuc ſubjungamus, haud minoris Virtutis & efficaciæ, immo exploratiſſimæ & frequentiſſimæ experientiæ:*

Electuarium Antifebrile.

Cl. Gaubii, *de Formul. Med. pag.* 79. *ad Mentem* Boerhaave, *Prax. Med. Tom. III. pag.* 454. *& alibi.*

℞. Cortic. Peruviani optimi, *unc. ſemis.*
Salis polychreſti, *drachmas duas.*
Syrupi quinque Radicum aperientium, *quantum ſufficit.*
Miſc. Fiat lege Artis, Electuarium.

Sumatur, tempore Apyrexias, omni bihorio, octava pars totius, & quidem ex Vino.

Electuarium Antifebrile, Frid. Hoffmanni.

Med. Rat. Syſtem. Tom. IV. p. 24. *& in Diſſ. de recto Cort. peruvian. uſu.*

℞. Rob Sambuci, *unciam unam.*
Cort. Chin. Chinæ, *drachm. quinque.*
Pulv. Flor. Chamomill. vulg. *drachmas duas.*
Extract. Centaur. minoris,
Pulv. Caryophyllorum, *ana drachm. ſemis.*
Syrupi Acetoſit. Citri, *unc. un. ſemis.*
Miſc. Fiat lege Artis Electuarium.

Electuarium Antifebrile Pretioſum.

Diſpenſat. Argent.

℞. Conſervæ Viſceralis, *unc. un. ſemis.*
Pulveris Cort. Chinæ Chinæ, *unciam unam.*
Radicis Ari præparatæ, cum Vino, *ſcrupulos duos.*
Syrupi Corticum Citri, *quantum ſatis.*
Miſc. Fiat ſecundum Artem Electuarium.

Electuarium Antifebrile Noſtrum Conſuetum Præſtantiſſimum, Trilleri.

℞. Cortic. Chin. Chinæ opt. *unc. unam.*
Florum Chamomill. vulg. *drachmas duas.*
Antimonii diaphoret. Martialis,
Nitri depurati, *ana drachmam unam.*
Syrupi Card. Ben. vel Menthæ, vel Cortic. Aurantiorum, aut Citri, *quantum ſatis.*
Miſceantur, Fiat ex Arte, Electuarium.

Hoc perquam eximium Electuarium Antipyrecticum jam per Annos plus minus quadraginta, divina favente gratia, ſemper fere Votis noſtris & expectationi ita reſpondit, ut ſexcenti pane ægroti, omnis generis febribus intermittentibus miſerrime, & ſæpius etiam diutiſſime, conflictati, ipſius ſingulari beneficio ac virtute, ad priſtinam ſanitatem integram & perfectam auſpicatiſſime tandem ſint reverſi. Quod & nobismet ipſis, quin & dilectiſſimæ quondam noſtræ HENRIETTAE, nunc eheu! fatorum inclementiæ, deſideratiſſimæ, tum etiam gravidæ, item Filiæ meæ natu maximæ,

U 2

& omni denique familiæ noſtræ, etiam ſæpius tenerrimæ ætatulæ, ita feliciſſime aliquoties obtigit; dum efficaciſſimum & ſimul ſecuriſſimum hocce Electuarium etiam in febribus pertinaciſſimis, & juſto longiore circuitu, inordinate nonnunquam reverſis, auxilium nobis cunctis tulit præſentiſſimum & præſtantiſſimum: uti tanti divini Beneficii noſtrique officii probe memoros, gratiſſima quidem mente, ut par erat, olim publice faſſi ſumus, in ſingulari Carmine euchariſtico, quod legitur Tom. III. poëmat. noſtror. phyſico-ethicorum, p. 280. ſqq. Conf. ſuperius P. I. ad ipſum Corticem Chinæ Chinæ, *jam a nobis dicta. Ceterum autem alterum illud Electuarium Hoffmannianum ejusdem fere per omnia, eſt Virtutis & efficaciæ, in febribus intermittentibus feliciter expugnandis, uti olim ſæpiſſime, gaudentes, nobiſque & ægrotis juxta gratulantes, experti ſumus. Aliam autem concinnam compoſitionem vid. in diſpenſ. Vienn.*

Electuarium Antifebrile Vulgare.

ibidem, pag. 37.

℞. Pulveris Cortic. Chinæ Chinæ, *unciam unam.*
Salis Ammoniaci, *drach. unam ſemis.*
cum
Rob Juniperi, & Syrup Card. Bened. *ana quantum ſufficit.*
Miſc. Fiat Electuarium.

Anterius Electuar. ſic dictum pretioſum, ita quidem *vocatur, & hocce poſterius tantum* vulgare. *Nihilominus tamen vulgare illud jure, mihi præferendum videtur illi ſic dicto pretioſo, quod & merito ſic quondam viſum Cel.* Schulzio *noſtro, in Prælect. ad Diſpenſat. Brand. pag.* 77. *Quoniam ſcilicet altero illo, ſimplicius, efficacius, ac ſimul tutius cenſendum eſt. Quid enim quæſo, huc faciat conſerva illa Viſceralis, operoſa, pretioſa & calidiſſima? ex tot quippe oleis deſtillatis aromaticis & ipſis aromatibus acerrimis & generoſiſſimis compoſita, ceu manifeſto patet ex ipſa illus deſcriptione, ſuperius ſuo loco, exhibita. Deinde etiam haud ſatis bene perſpicio, quemnam potiſſimum effectum hic habere poſſint duo illi Scrupuli Radicis Ari, cum Vino præparatæ; exiguæ quaſi guttulæ in Vaſto Conſervæ illius Viſceralis, & Syrupi Corticum Citri Pelago, ne quid de Cortice Peruviano ipſo jam dicam. Igitur, meo certe judicio, Electuarium iſtud pretioſum potius habet Titulum, quam pretioſam ſanandi Virtutem: plus eſt in Opinione, quam ipſa re. Conf. infra, ſuo loco,* Opiatæ contra Febres.

Electuarium Antipeſtilentiale Nigrum.

Hoffmann. *Med. Rat. Syſt. T. IV. pag.* 301.

℞. Rob Sambuci,
Mellis puri recent *ana libram ſemis.*
Pulveris Pyrii, *unciam unam.*
Camphoræ, *drachmam unam.*
Miſceantur exacte; *doſis, a drach. una, ad duas,* in vehiculo convenienti, præſertim acido, & Aceto, Succo Citri, Limon. &c.

Ceu Arcanum, Londini communicatum celib. Auctori, a peritiſſimo Chirurgo Sene, qui iſto Elect. nigro in atroci peſte Viennenſi, ſummo cum fructu, olim ſeſe uſum fuiſſe, ſerio affirmaverat. Giſelerus quoque in peſte Brunſvicenſi, pulverem pyrium ſeſe fauſto cum ſucceſſu, adhibuiſſe, idem ibidem adnotavit laudatiſſimus Hoffmannus.

Electuarium Antiſcorbuticum.

Diſp Viennenſ.

℞. Conſervæ Cochleariæ,
Beccabungæ,
Fumariæ,
Trifolii Fibr. *ana uncias duas.*
Corticum Citri conditorum, *unciam unam.*
Pulveris Rad. Aronis,
Armoraciæ,
Pimpinellæ ſaxifrag. *ana unc. ſemis.*

Miſc. Fiat cum Syrupi Cochleariæ ſufficienti quantitate, lege Artis, Electuarium.

Cujus Virtutes Nomini ipſi præfixo apprime reſpondent: Eſt enim contra edacem ſcorbutum natum atque formatum; hinc egregii effectus. Conf. infra Elixir Antiſcorbuticum *&* Eſſentia Antiſcorbut.

Electuarium Antiſcorbuticum.

ex Henr. BANYER *Med. pauper. p. 50.*

℞. Conſervæ Cochleariæ hortenſis,
Sambuci, *ana uncias quatuor.*
Radic. Ari ſiccat.
Milleped. præparat. *ana unciam unam.*
Cort. Winteran. pulver. *drach. duas.*

Syrupi Sambuc. quantum ſufficit, ut lege Artis Fiat Electuarium

In Morbis ſcorbuticis ac pituitoſis, item nephriticis, & lienoſis, atque hepaticis, & ubi præſertim juſto parcius redditur Urina, ſeu Renum, ſeu Veſicæ Vitio, hoc quidem Electuarium Antiſcorbuticum ac diureticum, inſigni cum fructu, in uſum advocari poteſt. Idem enim, immo adhuc plus præſtat, ac Decoctum ſic dictum Antiſcorbuticum, cujus ſcitam Deſcriptionem in ſuperioribus, hujus ſic dictæ Medicinæ pauperum, p. 32. dederat idem laudatus Auctor BANYERIUS, *Medicus potius pauperum, quam pauperis ingenii, aut pauperis* crumenae. *Ceterum aliud præſtantius Electuar. Antiſcorbuticum, ab ipſa Facultate medica Hafnienſi, quondam præſcriptum, vid. in* Thomæ BARTHOLINI *Ciſta medica Hafnienſi, Locul. XLVIII. pag. 515.*

Electuarium Baccarum Lauri.

Diſpenſat. Lugd. Wirt. RENOD. *p.* 810. ZWELF. *Animad. ad pharm. Aug. p.* 255.

℞. Baccarum Lauri, *unc. unam ſemis.*
Foliorum Rutæ,
Menthaſtri,
Origani,
Seminum Ammeos,
Cumini,
Nigellae,
Liguſtici,
Carvi,
Dauci,
Calami aromatici,
Piperis nigri,
longi,
Caſtorei, *ana drachmas duas.*
Sagapeni, *unciam ſemis.*
Opopanacis, *drachmas tres.*

Omnia trita excipiantur
Mellis deſpumati, *unciis quatuordecim.*
Miſceantur.

Uſus raro internus eſt, & non, niſi in clyſmatibus, decocto carminativo mixtum, adhibetur. Vid. SCHULZ. *prælect. p.* 78. *&* RENOD. *p.* 811. *item* ZWELF. *in Pharmac. Regin. p.* 181.

***

Electuarium Caryocoſtinum.

Diſpenſ. Viennenſ. Brand. Lugd. Lond.

℞. Coſti amari,
Seminis Cumini,
Zinziberis albi,
Caryophyllorum, *ana unciam ſemis.*
Diacrydii ſulph. oleo Amygdalar. dulc. ſubacti,
Hermodactylorum, *ana unc. unam.*
Mellis deſpumati, *libram unam.*

Miſceantur omnia probe, ut Fiat lege Artis, Electuarium.

In Affectibus cachecticis, Viſcerumque obſtructionibus, reſerando, & ſubducendo, opitulatur. Crederem equidem & hoc ipſe, niſi nimia quantitas Hermodactylorum, & præſertim ſuſpecti & inviſi illius Dacrydii Sulph. me terreret, & in contrariam ſententiam ſeduceret. Vid. ſuperius ſuis locis dicta, ad Scommonium & Diacrydium Sulphuratum. *Ceterum vid. de hoc Electuario,* SCULZII *prælect. pag.* 79.

Electuarium Catarrhale cum Speciebus.

Diſp. Brand.

℞. Conſervae Roſarum rubrar. *uncias duodecim.*
Pulveris Maſtichis,
Olibani, *ana drachmas ſex.*
Nucis Moſchatae, *ſcrupulos quatuor.*
Specier. aromaticar. roſatar. *unc. un.*
Syrupi de Roſis ſiccis, *quantum ſatis.*

Miſce, Fiat lege Artis, Electuarium. Demtis Speciebus aromat roſatis, eodem modo fit, Electuarium catarrhale, ſine Speciebus. De quo vid. SCHULZ. prael. p. 79.

* * *

Electuarium Catharticum Regium.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Confectionis Alkermes incomplet. *drachmas ſex.*
Magiſt. Scammon cum pinear. *ſcrup. duob.* ſubact. *unc. ſemis.*
Conſervae Florum Tunicae, *drachmas ſex.*
Cremoris Tartari, *drachm. unam.*
Nitri praeparati, *ſcrupulum unum.*

Miſceantur omnia optime, ut Fiat Electuarium.

Blandum eſt Bilis Laxativum, humoresque tartareos ad Articulos, Renes, & Veſicam tendentes, educit, ſanguinem purificat, partesque principaliores roborat. Ita quidem ſcribitur: Sed quid huic Electuario potiſſimum inſit, quod partes corporis ſic dictas principales roboret, id equidem bene perſpicere haud ſatis valeo. Certe terribile illud Scammonii Magiſterium partes illas potius debilitat; quam roborat, ut ſupra aliquoties monitum: neque porro Cremor Tartari, aut Nitrum, Virtute roborandi pollet. Sola ergo reſtat Confectio Alkermes, & Conſerva Florum Tunicæ. Sed huic per quam exigua vires reficiendi, ineſt facultas, illi vero, vix ulla, licet multum, ſed fruſtra, laudetur. Vid. ſuperius dicta, ad Confect. Alkermes. *Conſ. ceterum infra,* Extractum Catharticum.

Electuarium Catholicum.

Diſp. Brand. Wirt. Pariſ. Prag. Argent. Vienn. & rel.

℞. Polypodii querni, *libram ſemis.*
decoquatur in
Aquæ communis, *libris quatuor.*
ad conſumtionem quartae circiter partis. In decocto colato diſſolvantur

Pulpae Caſſiae,
Tamarindorum, *anà unc. quat.*
Sacchari albi, *libræ quataor.*
quibus, leni igne, ad mellis conſiſtentiam redactis, pulveres ſubtiliſſime tritos cribratosque
Radicum Polypodii,
Rhabarbari veri, *ana unc. duas.*
Glycyrrhizae, *drachmas duas.*
Foliorum Sennae orientalium, *uncias quatuor.*
Florum Violarum,
Seminis Aniſi, *ana uncias duas.*
paulatim inſperge, & miſce pro Electuario.

A majoribus noſtris valde æſtimatum fuit, & pro purgante univerſali habitum; blande laxat alvum, ab uncia dimidia, ad integram exhibitum.

Admiſcetur etiam clyſmatibus in eadem doſi. Vid. SCHULZ. *præl. p.* 80.

Electuarium Chalybeatum.

Diſp. Wirt. Brand. Vienn. Conf. RENOD. *p.* 801.

℞. Limaturae Chalybis, in alcohol. redactae, *uncias ſeptem.*
Cinnamomi,
Nucis Moſchatae, *ana drachmas ſex.*
Rhabarbari electi, *drachmas quatuor.*
Specierum aromaticarum roſatarum, *drachmas ſex.*
Sacchari albi, in ſucci Cydoniorum unciis ſex ſoluti & rurſus ad tabulati conſiſtentiam cocti,
Mellis deſpumati, *ana libram unam.*
Fiat miſcendo Electuarium.

Laudatur ad virginum morbos, retentionem menſium, Cachexiam; & ad drachmam unam, quæ Martis grana duodecim continet, præſcribi ſolet. Vid. SCHULZ. *præl p.* 79. FULLER. *Pharm. extemp. p.* 75. *ex quo vid. ſupra, ſuo loco,* Croci Martis Electuarium: *& infra,* Extractum Martis.

Electuarium Cinnabarinum.

Vid. ſupra, ſuo loco, Cinnabarinum Electuarium.

Electuarium de Croco Martis.

Vid. ſuperius, ſuo loco, Croci Martis Electuarium.

Electuarium ad Dentes.

Cl. GAUBII, *de Formul. p.* 332.

℞. Conſerv. Roſarar. rubrarum, *unciam ſemis.*
Off. Sepiae praeparat. *drachmas duas.*
Sanguinis draconis,
Cortic. Granatorum, *ana drach. un.*
Aluminis uſti, *ſcrupulos duos.*
Mellis Roſac. *quantum ſuffic.*
Ut Fiat Electuarium. Detur ad Fictile.

Electuarium ad Dentes & Gingivas.

Pharmacop. Batean. pag. 61.

℞. Pulv. Aquileg.
Salviae,
Menthæ,
Nucis Moſch. *ana unc. ſemis.*
Aluminis uſti, *unciam unam.*
Mellis puri, *uncias quatuor.*
Miſc. Fiat lege Artis, Electuarium, ad eosdem uſus. Sed plura ejusmodi Electuaria ad Dentes, vid. ibidem, pag. 36.

Electuarium ad Fœtorem Dentium.

BARBEIRAC, *Medic. Conſt. p.* 456.

℞. Aluminis rupei, *unciam unam.*

Sanguinis Draconis, *uncias tres.*
Myrrhae,
Santali rubri,
Aloës,
Roſar. rubrar. *ana drachmas tres.*

Miſc. Fiat lege Artis, pulvis, qui excipiatur Syrupo de Roſis ſiccis, vel Cydoniorum, &c. & Gingivis male olentibus apponatur, hora ſomni.

Omnium horum Electuariorum idem eſt ſcopus, idemque effectus; nempe dentes tremulos firmandi, putridas gingivas emendandi, orisque fœtorem emundandi, ceu notum. Aliud præſtans Electuarium vid. in diſp. Vienn. p. 61.

Electuarium Diaſatyrium.

Diſp. Wirt. Vien. & rel.

℞. Radicum Satyrii recentium, ſucculentarum, *uncias quatuor.*
Minutim inciſis & contuſis in mortario lapideo adde
Sacchari albi, ad conſiſtentiam tabulati cocti, *uncias duodecim.*
Nucis Indicae conditae,
Zinziberis conditi,
Pinearum recentium,
Piſtaciorum non rancidorum, omnium minutim inciſorum, *ana unciam unam.*
Caryophyllorum aromaticorum,
Cinnamomi acuti,
Stincorum marinorum, *ana unciam ſemis.*
Brodii Zinziberis conditi, quantum ſatis ad conſiſtentiam Electuarii.

Analepticum, venerem languidam excitans, ſemenque augens venditatur. Doſis uncia dimidia, ad drachmas ſex. *Alia extat compoſitio in diſp. Argent. Sed venditatur eheu! fruſtra.*

***

Electuarium Diaſcordii ex Fracaſtorii. Lib. III. de Morb. Contag.

Diſp. Arg Wirt. Edinburg Amſt. Pharm. Reg. CHAR. *T. I. pag.* 248.

℞. Radicum Biſtorrae,
Tormentillae,
Gentianae,
Herbarum Dictamni Cretici, *ana unciam ſemis.*
Scordii noſtri, *unciam unam.*
Seminis Acetoſae, *drach. unam ſemis.*
Cinnamomi acuti,
Caſſiae ligneae, *ana unciam ſemis.*
Piperis longi,
Zinziberis, *ana drachmas duas.*
Opii Thebaici, *drachm. unam ſemis.*
Gummi arabici,
Galbani,
Styracis, *ana unciam ſemis.*
Boli Armenae, *unciam unam ſemis.*
Terrae Lemniae, *unciam ſemis.*
Conſervae Roſarum rubrarum, *libram unam.*
Mellis deſpumati, *uncias triginta.*

Opium, Gummi Arabicum & Galbanum in unciis tribus vini albi ſolvantur, & optime cum melle miſceantur, poſtea reliqua, in pollinem ſubtilem trita, adjiciantur, tandem conſerva Roſarum addatur, atque omnia, probe agitando in electuarium redigantur.

Egregium eſt pharmacum, & ſudorifera, ac inprimis alexipharmaca, anodyna & ſtyptica virtute commendabile; hinc ad Diarrhœam quoque ſiſtendam laudatur. Conf. PALMAR *de Febre peſt. cap.* 20. *p.* 477. *Quælibet uncia hujus electuarii circiter grana duo habet Opii. vid.* SCHULZII *prælect. pag.* 83.

Doſis Drachmae duae vel tres.

Electua-

Electuarium Diaſcordium Roſatum.

MYNSICT. *Armament. p. 236.*

℞. Conſerv. Roſar. rubr. Vitriol. *uncias undecim.*
Boli Armen. praeparat. *drachm. tres.*
Scordii Veri, *drachmas duas.*
Diptamni Cretici,
Radicis Tormentillae,
Biſtortae,
Gentianae,
Terrae Lemniae,
Cinnamomi,
Caſſiae ligneae,
Gummi Arabici,
Galbani,
Styrac. calam. *ana drachm. unam.*
Piperis longi,
Zingiberis albi, *ana drachm. ſemis.*
Opii ſpagyr. prap. & in Vino aromat. diſſolut.
Seminis Acetoſae, *ana grana viginti tria.*

Et cum Syrupo Acetoſit. Citri, Miſce in formam Electuarii craſſi.

Utimur ſecundum mentem Hieronymi Fracaſtorii, feliciter in iis, in quibus Theriaca locum non habet, ut pueris, & gravidis. In peſte, & Mortis Epidemicis correptis, & extreme deſperatis, ſequenti modo, exhibere & propinare ſolemus:

℞. Succi Citri expreſſ. *unciam unam.*
Aceti Florum Sambuci,
Syrupi, e ſucco Acetoſell. *ana unc. ſemis.*
Diaſcordii Roſat. *drach. unam ſemis.*
Pulv. Bezoard. noſtri, *ſcrupul. ſemis.*

Miſce, & Fiat Hauſtus, qui mirabiliter operatur, & omnia venenata valentiſſime per ſudorem, expellit. Ipſa hæc ſunt ipſius Auctoris Mynſichtii, *Verba, quibus mirum in modum, commendat hoc ſuum diaſcordium Roſatum. Neque ſane negandum, admodum concinnam & appoſitam eſſe hanc ipſam Compoſitionem; præſertim, quum acceſſerit Acetum Sambucinum & Syrupus Succi Acetoſellæ, quibus omnino ingens ineſt Virtus antiſeptica & antiloemica, ut alibi a nobis jam monitum, & ubique cognitum. Ceterum hæc ipſa Mynſichti compoſitio in omnibus fere convenit cum ipſo illo diaſcordio Fracaſtorii, ut manifeſto patet.*

Electuarium Diaſcordii Spagyr.

GRIM, *Laborat. Ceylon. pag.* 83.

℞. Cornu Cerv. ſpagir. praeparati,
Cornu Cerv. uſt. & praep.
Oſſ. Elephant calcinat. & praep.
Gumm. ex Arb. Bolang. *ana unc. duas.*
Terrae Sigill. Ceylon. *unc. un. ſemis.*
Croci Martis,
Folior. Cinnamom. *ana unc. unam.*
Cinnamomi acuti,
Cortic. Rad. Cinnam. *ana unc. duas ſemis.*
Opii ſpagyr. praep. *drachmas duas.*
Olei ſtillat Fol. Marmelle,
Bolang *ana drachm. ſemis,*
Extract. Rad. Cinnam. *libras duas.*
Syrup. Cydon. Bengalenſ. *libras duas ſemis.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem, Electuarium, Doſis ipſius eſt a drachma una, ad drachmas duas, in Vino, vel Aceto.

Eundem habet uſum alexipharmacum atque cordiacum, imo majorem & valentiorem, ſi fides habenda ipſi Auctori, Grimmio, *hoc* Diaſcordium Spa-

gyricum Ceylonicum, *ac quidem vulgo habere dicitur ipſum illud celebratiſſimum* Fracaſtorii, *ſummi medici iuxta ac Vatis, Diaſcordium. Vix vero, quod dolendum, omnem quidem partem, in noſtris officinis pharmaceuticis, præparari poteſt; quoniam nempe in illis deſunt Gummi & olea deſtillata Arborum illarum pretioſarum & odoriferarum,* Bolangae *atque* Marmelle, *ut &* Terra Sigillata Ceylonica, Cydonia Bengalenſia, Folia & Cortices Rad. Cinnamomi, *& alia. Interea tamen dignum nobis viſum hoc ipſum* Diaſcordium, *cui locum ſuum honoroficum in hoc noſtro magno opere merito, aſſignaremus. Conf. infra, ſuo loco,* Tinctura Bez. Ceylonica. *item* Theriaca Ceylon. *&* Emplaſtrum cephalicum Ceylon.

Electuarium Diaſcordium Sylvii.

Prax Med. Lib. I. cap. 58. p. 335. & ex eo, Diſpenſ. Brand. Hamb. CARTHEUS. *Pharmacol. p. 667. ſq.*

I. ℞. Radicum Gentianae, *unc. ſemis.*
Angelicae, *drachmas duas.*
Foliorum ſiccorum Scordii, *unc. duas.*
Cardui Benedicti,
Dictamni Cret. *ana unciam ſemis.*
Croci optimi, *drachmas duas.*
Acaciae Verae, *drachmam un. ſemis.*

Conciſis & craſſe contuſis affundatur Spiritus Vini rectificatus, ad trium, vel quatuor digitorum transverſorum ſupereminentiam: ſtent per horas Viginti quatuor, in loco tepido: Tinctura tunc effundatur; aliusque Spiritus Vini toties affundatur, digeratur, effundaturque, quoties ad Tincturae omnis, atque virtutis extractionem, fuerit opus.

Tincturae omnes confuſae per chartam bibulam, a fœcibus ſeparentur; Vini ſpiritus in Maris Balneo, ad Extracti liquidioris conſiſtentiam, iterum evocetur, qui aut eidem uſui ſervire poterit, aut loco ſpiritus aromatici, aliis medicamentis admiſceri.

II. ℞. Opii Thebaici, quantum libet, huic comminuto ac blande ſiccato affunde Acetum ſtillatitium, ad digitorum quatuor ſupereminentiam; ſtent in loco tepido, tamdiu, quoad Tinctura rubicunda eliciatur, quae effundenda, & ſeorſim ſervanda, donec eodem modo, ex Opio reliquo reliqua Tinctura extrahatur: Tincturae omnes Emporetica a fœcibus ſeparentur, & deinde ad Extracti mollioris, aut Syrupi Spiſſioris Conſiſtentiam, igne leni exhalentur.

III. ℞. Radicis Imperatoriae, *unc. un.*
Caſſiae ligneae,
Cinnamomi optimi, *ana unc. ſem.*
Nucis Moſchatae, *drachmas tres.*
Miſce, Fiat pulvis tenuiſſimus.

IV. ℞. Boli Armenae verae, ſeorſim tritae, & in pollinem ſuper porphyrite, redactae, *unc. un. ſemis.*

V. ℞. Gummi Arab. Vermicularis, *unciam ſemis.*
Solvatur Aquae Fœniculi, *uncia una ſemis.*

VI. ℞. Extractum prius totum,
Extracti Opii, *drachmas duas.*
Pulverem utrumque.

Miſce, addendo paullatim Gummi Arabicum ſolutum, ſimulque terantur exacte, & ſi Conſiſtentia videa-

tur nimis ſpiſſa, adde Syrupi Myrtini quantum ſufficit.

Fiat ſecundum Artem, Electuarium.

Operoſæ huic ſui Electuarii Diſcordii novi Compoſitioni multas magnasque Virtutes, præſertim autem alexipharmacas, diaphoreticas ac cardiacas, tribuit ibi Inventor, SYLVIUS; *quæ & ex parte, veræ eſſe poſſunt: Interim tamen & hoc* Sylvii Diaſcordium, *æque, ac illud alterum* Fracaſtorii *ipſius, cum grano ſalis, & debita cum circumſpectione, ſemper & ubique eſt adhibendum, ne intempeſtivus ejus uſus, præſertim in Morbis acutis, plus damni ac periculi inferat, quàm emolumenti. Ceterum de utriusque differentia & præſtantia unius, præ altero, vid.* SCHULZII *prælect. pag.* 84. *ubi & ſimul monet,* doſin *Diaſcordii Sylviani, eſſe* a Granis Quindecim, ad Scrupulum unum; *Vehiculum vero ipſius commodiſſimum & ſaluberrimum fore Acetum. Conf. Cl.* CARTHUSERI, *Pharmacol. pag.* 669.

Electuarium contra Dyſenteriam.

Diſpenſ. Edinb. Conf. Diſpenſ. Brand.

℞. Pulveris japonici, *unciam unam.*
Balſami Lucatelli, *ſemiunciam.*
Pulveris ſtyptici, *ſeſquidrachmam.*
Lapidis Hæmatit.
Corall. rubri, *ana drachmam unam.*
Opii, *ſemidrachmam.*
Syrupi Myrtini, vel Balſamici, *quantum ſufficit.*

Miſce, Fiat ex Arte, Electuarium.

Vires hujus pulveris, in Electuarium redacti, ſunt, ut ipſa ejus compoſitio ſtatim indicat, potiſſimum ſtypticæ, tonicæ & anodynæ: Hinc in longis alvi ſordidæ fluxionibus, cum doloribus colicis conjunctis, item in ipſa torminoſa dyſenteria, repurgato prius ipſo corpore, ſenſim & modice, in uſum vocari poteſt. Sumendum vero tum hoc Electuarium, in Lacte Chalybeato, aut juſculo pingui non ſalito; neutiquam autem cum Vino.

Electuarium Dyſentericum Cnoeffelii.

Tabul. Smaragd. p. 127.

℞. Succ. Acac. ſive prunor. Silveſt. inſpiſſ. *libram ſemis, uncias tres.*
Conſerv. Roſarum antiq.
Flor. papav. errat.
Cond. Cydon. *ana uncias quatuor.*
Mellis ad ſpiſſitud. cocti, *libr. ſemis.*
Rad. Tormentill. ſubtil. pulv.
Gland. immatur. pulv. ſubtil.
Nucis Moſchat. *ana uncias tres.*
Cum
Miva Cydoniorum, *quantum ſufficit.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem, Electuarium med. Conſip.

In Dyſenteria, Diarrhœa, Lienteria, aliisque fluxibus deſperatis, potenter adſtringendo, Remedium eſt infallibile; barbare ibi ait Auctor. Sed vereor utique contrarium; præſertim, ubi mox ab initio diri illius Morbi, & nondum bene præparato & expurgato corpore, illud Elect. in uſum intempeſtive advocatum fuerit: tum enim non ſolum non infallibile eſt, ſed plane peſtiferum & maxime fallibile, ut ſic loquar. Præterea quoque adjectum ipſi Mel ſuſpectum & minus tutum illud facit, de quo mox in antecedentibus. Ceterum doſis eſt a drachma una, ad drachmas duas, *ſuperbibendo hauſtum Aquæ Spermatis Ranarum deſtillat. Bella vero & delicata potio! abſit invidia! & ſtomachus. Ego vero potius malim hic commendare Lac Chalybea-*

tum aut juſculum pingue inſulſum, ſucco citri, vel Limonum nonnihil conditum, aut ipſum denique ſuaviſſimum potum Caffeæ.

Electuarium Dyſentericum.

Myns. *p. 235.*

℞. Conſerv. Flor. papav. errat.
Roſar. antiq. *ana uncias tres.*
Confect. Narcotic. noſtr. *uncias duas.*
Theriacæ Venet recent.
Tincturæ Corallior. rubr.
Lapid. Hæmatit.
Eſſ. Croci Martis, *ana drachm. duas.*
Trochiſc. de Carabe,
de Terra Sigill.
de Spodio, *ana drachmam unam.*
Olei Nucis Moſchatae,
Caryophyllorum, *ana ſcrup. unum.*
Miſc. & cum Diacodio noſtro Crocato, Fiat lege Art. Electuarium.

Magnas quidem Virtutes, pro more, ipſi tribuit Auctor: Verum etiam illud habet ſuas Virtutes, ſed & ſua Vitia, ut reliqua præcedentia. *Aliud* Electuarium *vid. in Diſpenſ. Brand. p. 55.*

Electuarium Dyſentericum Purgans.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Pulv. Rhabarbari electi, *uncias octo*
Myrobalanor. citrin. *unc. quatuor.*
Maſtichis electæ, *drachmas tres.*
Pulpæ Tamarindorum, *libram unam.*
Mivæ Cydoniorum, *libras duas.*
Miſceantur exacte, ut Fiat lege Artis, Electuarium.

Electuarium Dyſentericum Stypticum.

ibidem.

℞. Radicis Tormentillæ,
Radicis Biſtortæ, *ana uncias tres.*
Symphyti, *uncias duas.*
Glycyrrhizæ, *unciam ſemis.*
Herbæ Scordii,
Florum Roſarum,
Papav. errat. *ana unciam un. ſemis.*
Seminis Sumach,
Myrtillorum, *ana drachmas ſex.*
Coquantur omnia, in Aquæ chalyb. *libris octo.* Ad conſumtionem tertiæ partis: Colatura fortiter exprimatur, & cum Mellis deſpum. *libris quatuor*, decoquantur ad *Syrupi* craſſioris Conſiſtentiam. Demum addantur pulveriſata:
Boli Armen. *unciæ tres.*
Terræ Sigillatæ albæ,
Catechu,
Coralliorum rubrorum,
Cornu Cervi uſt. *ana uncia una ſemis.*
Sanguinis Draconis,
Unicornu foſſilis,
Nucis Moſchatæ,
Gummi Arabici, *ana uncia una.*
Maſtichis,
Myrrhæ rubr. *ana uncia ſemis.*
Opii præparati, *drachmæ tres.*
Ex perfecte mixtis, Fiat lege Artis, Electuarium.

Non inutiles quidem ſunt horum Electuariorum ambæ compoſitiones. Præmittendum vero prius Electuarium, ad expurgandam ab impuris & acribus ſordibus, alvum torminoſam: deinde autem adhibendum hoc poſterius ſtypticum, ad cohibendum ſenſim nimium alvi ſolutæ fluxum ſordidum, fibrarum laxarum tonum reſtituendum, Vireſque collapſas erigendas & reficiendas. Interim tamen, ut ingenue fatear, nec in diarrhœa, nec ipſa præſertim dyſenteria, mihi multum placent Electuaria, ob adjecta nempe dulcia Mellis, aut Syruporum, quæ tormina

potius augent, & alvum magis ſtimulant. Conf. PLATERI *Obſ. Med. Lib. III. pag.* 802. 809. *Quare hæc bona alias Ingredientia in ipſa potius ſubſtantia, & forma ſicca, ſi fieri poſſit, meo certe conſilio, dyſentericis offerenda.*

Electuarium Gingivale.

Diſpenſat. Argent.

℞. Pulv. Sanguinis Draconis,
Gummi Laccæ, *ana drachm. unam.*
Myrrhæ,
Caryophyllor. *ana drachm. ſemis.*
Salis Ammon. *ſcrupulum unum.*
cum
Rob diamoron, & Mellis Roſat. *quant. ſuff.*
Fiat lege Artis Electuarium.

Idem præſtat, ac alterum præcedens Electuarium Gingivale, ut vel ipſum Nomen indicat. Elegantius autem Electuarium ſimile vid. in diſp. Vienn. p. 64.

Electuarium Gingivale.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Laccæ pictoriæ in globulis, *uncias duas.*
Terræ Japonicæ,
Maſtichis,
Myrrhæ electæ,
Caryophyllorum aromaticorum,
Aluminis uſti,
Tabaci Hiſpanici,
Seminis Cochleariæ, *ana drachmas duas.*
Salis armoniaci, *drachmam unam.*
Balſami Peruviani, *ſcrupulos duos.*
Optime in pulverem tritis & Balſamo Peruviano irroratis, adde
Mellis roſati, *uncias octo.*
Fiat Electuarium.

Dentes firmat, mundat, & a carie præſervat, gingivarum laxitati & Scorbuto oris medetur.

Gingivæ & dentes mane & ante ſomnum hoc electuario fricandi, & os aqua Salviæ vel fontana eluendum.

Electuarium ad Gingivas Firmandas.

Carol. BARBEIRAC, *Medicament. Conſtit. p.* 455.

℞. Terræ Sigillatæ,
Boli Armeniæ,
Coralliorum rubr. præparat. *ana unc. tres.*
Oſſis ſepiæ,
Santali rubri, *ana drachmas duas.*

Cum Syrupo Cydoniorum, q. ſ. Fiat Electuarium, Gingivis admovenda per Menſem, & ultra, ſi opus, hora ſomni.

Electuarium ad Gingivas Aliud.

Ejusdem Auctoris, ibidem, pag: 456.

℞. Chelarum Cancrorum,
Concharum marinarum, *ana uncias tres.*
Oſſis ſepiæ,
Raſuræ Eboris,
Cornu Cervi, *ana drachm. unam.*
Conſervæ Roſar. rubrar. *uncias duas.*
Cum Syrupo de Roſis ſiccis, Fiat Electuarium. Conf. infra ſuo loco, *Pulvis Gingivalis.*

Electuarium ad Gingivas, Noſtrum Trilleri.

℞. Pulv. Herb. Salviæ,
Abrotan.
Rutæ,
Fol. Aquileg.
Flor. Roſar. rubr.

Flor. Balauſt. *ana drachm. unam.*
Rad. Tormentill. *drach. un. ſemis.*
Caryophyllat. *drachmam unam.*
Ireos Flor. *drachmam ſemis.*
Sem. Cochlear.
Aquileg. *ana drach. unam ſemis.*
Mum. Veræ,
Myrrhæ elect. *ana drachmam unam.*
Gummi Maſtich.
Laccæ, *ana drachmas duas.*
Sanguin. Dracon. *drach. un. ſemis.*
Aluminis uſti, *drach. ſemis.*
Mellis Roſati, *quantum ſufficit.*
Miſc. Fiat ex Arte, Electuarium.

Hoc quidem Electuario noſtro Ulotico, aut Epulotico, ſæpius inſigni cum ſucceſſu, olim uſi ſumus, in dentibus vacillantibus & male fidis, firmandis, gingivis tabeſcentibus ac cruentis, conſolidandis & ſanandis, fœdis oris tetri ulceribus abſtergendis, & anima denique fœtida, corrigenda ac purificanda. Addidimus quoque, ubi opus fuit, propter malum inveteratum & fere inexpugnabile, nonnunquam iſti Electuario aliquot drachmas Eſſentiæ Summitatum pini, item Spiritus Cochleariæ & Nitri dulcis, exoptato cum effectu. Conf. de Spiritu Nitri dulc. Herm. BOERHAAVE. *Elem. Chem. Tom. II. part. III. proc.* 135. *p.* 345. *& infra dicto, & Spirit. Nitri dulc.*

Electuarium Hiera Picra Simplex.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. Arg. Prag. & rel.

℞. Aloës Succotrinæ, *uncias duodecim.*
Aſari,
Cinnamomi,
Croci,
Maſtiches,
Spicæ Indicæ,
Xylobalſami, aut ejus loco Ligni Aloës, *ana drachmas ſex.*
Mellis, *libras quatuor cum ſemiſſe.*

Miſce pulveres melli fere refrigerato pro electuario.

Nullus ejus hodie fere uſus eſt, præterquam in clyſteribus. vid. SCHULZ. *prælect. p.* 85. & CARTHEUSER. *pharmacolog. p.* 670.

Doſis uncia ſemis, ad drach. ſex.

Electuarium Hydropicum.

Diſpenſ. Vienn. conf. ZWELF. *Pharm. Reg. p.* 52.

℞. Rob Ebuli,
Juniperi, *ana uncias novem.*
Specierum diajalappæ,
Diaturbith, cum Rhabarb. *ana uncias tres.*
Spiritus Salis coagulati,
Pulv. Bufonum ſiccatorum,
Aſellorum præparat. *ana drachm. ſex.*
Olei Fœniculi,
Cumini, *ana drachmam ſemis.*

Miſceantur, & cum ſufficienti Quantitate Syrupi de Spina Cervina, Fiat lege Artis Electuarium.

Quod in Aſcite, Hydrope, & conſimilibus obſtructionibus, mirandi eſt effectus. Sed & miſerandi ſæpius & funeſti, Viſceribus præſertim admodum jam Vitiatis, & maximam partem, putridis. Non ſolum enim collectas ſordidas aquas vehementer movet; ſed &, qua data quaſi porta, per alvum atque Veſicam, potenter expellit, cum illis autem, animam quoque ſæpius ipſam. Quare maxima cum circumſpectione, iſto quidem utendum eſt. Melioris autem & ſecurioris uſus eſt ſequens Williſii Electuarium.

***

Electuarium Hydropicum *ſeu* Hydragogum Sylvii, Prax. Med. L. I. c. 7. p. 170.

Diſpenſ. Leid.

℞. Pulpæ Baccarum Juniperi,
Tamarindor. *ana uncias quatuor.*
Radic. Jalappae, *unciam un. ſemis.*
Scammonii electi, *unciam unam.*
Cinnamomi acuti,
Seminis Fœniculi dulc. *ana drachm. duas.*
Sacchari clarificati, *uncias decem.*
Miſc. Fiat lege Artis Electuarium.

Blandum, efficax, nec ingratum exiſtit Medicamentum, inquit ibi ipſe Sylvius, Auctor, poteſt Aqua conveniente, petroſelini, Fœniculi, aliave diſſolvi, & potionis forma, exhiberi, aut per ſe aſſumi, ac deglutiri. Doſis *eſt in Adultis*, a drachmis tribus, ad unciam ſemis.

Electuarium Hydropicum.

Thom. WILLISII, *de Medicament. Operat. pag.* 194.

℞. Conſervae Cochleariae,
Abſinth. marin.
Flaved. Aurant. *ana uncias duas.*
Cortic. Winterani, *drachmas duas.*
Specier. diacurcum. *Drach. un. ſemis.*
Chalybis praeparat. Cum Sulphur. *drachmas tres.*
Salis Abſinthii, *ſcrupulos duos.*
Syrupi Corticum Citri, *quantum ſatis.*
Miſc. Fiat lege Artis, Electuarium, cujus *doſis a drach. duabus, ad tres.*

Hæc magni Viri compoſitio concinna, in Hydrope ſanando, viſceribus nempe adhuc integris, quo ſemper reſpiciendum, egregium haud dubie uſum præſtare poteſt. Aquas enim putres & ſtagnantes valide quidem, haud tamen violenter, movet, & educit, urinam pellit, & laxos denique nervos fibrasque remiſſas & ipſa Viſcera flaccida denuo corroborat; quod ipſi aliquoties læti conſpeximus.

Ceterum aliud egregium Electuarium Hydropicum *vid. apud.* Fel. PLATERUM, *Obſ. med. Lib. III. p.* 594. *ſqq.*

Electuarium Ictericum Magnum REYNERI BONTII.

Hujus diffuſam Deſcriptionem, cum ſummis laudibus, dedit ipſius Frater, *Jacobus* BONTIUS, in Methodo Medendi, Cap. X. pag. 153. ubi legatur, ſi cui volupe fuerit.

Electuarium Lenitivum Florenzolæ.

Diſp. Argent. Wirt. Brand. Vienn. Prag. Pariſ. Lond. Lugd. Leid. Amſtel.

℞ Polypodii querni, *uncias duas.*
Glycyrrhizae, *unciam ſemis.*
Herbae Adianthi nigri.
Mercurialis, *ana unciam unam.*
Florum Violarum, *unciam ſemis.*
Hordei decorticati,
Paſſularum minorum, *ana unc. duas.*
Jujubarum,
Sebeſten, *ana unciam unam.*
Inciſa coquantur in
Aquae fontanae, *libris duabus ſemis.*
ut remaneat libra una, in qua colata diſſolvantur,
Pulpae Caſſiae,
Prunorum,
Tamarindorum,
Sacchari albi, *ana unciæ ſex.*
Coquantur ad juſtam Electuarii conſiſtentiam, addantur
Conſervae Violarum, *unciæ ſex.*
Foliorum Sennae electae, ſubtiliſſi-

me pulveriſatorum, *unc. tres ſemis.*
Exacte miſceantur.

Hodie quidem rarus hujus Electuarii eſt uſus, niſi in enematibus; blande tamen alvum laxat, bilem educit, & in renum affectibus dari poteſt. Doſis uncia dimidia, ad integram. Drachmæ decem hujus Electuarii drachmam unam foliorum Sennæ continent. Vid. SCHULZ. *prælect. pag.* 89. & CARTHEUSER. *Pharmacol. p.* 671.

Electuarium Lenitivum de Manna.

Diſpenſat. Argent.

℞. Prunorum Damaſcen. *numero trigint.*
Florum Violarum, *Manipulos duos.*
Rhabarbari electi,
Foliorum Sennae, *ana unc. un. ſemis.*
Decoquantur in ſuffic. quant. Aquae: poſtea

℞. Decocti hujus,
Sacchari albi, *ana libras quatuor.*
Addendo, debito tempore,
Mannæ, *uncias octo.*
Pulpae Caſſiae, *uncias quatuor.*
Fiat lege Artis, Electuarium.

Tanquam laxans, & lene univerſi Corporis purgans, commendatur, ad bilioſos & melancholicos ſuccos educendos; ad jecoris, renum, viarumque urinalium calidam intemperiem mitigandam, obſtructionemque reſerandam. Doſis ad unciam unam, & duas.

Ceterum aliud ejusmodi *Electuarium Lenitivum de Manna*, vulgo notum eſt ex Pharmacop. Auguſtan. p. 78. aliisque hinc inde Diſpenſatoriis. Sed id propter ineptam & inconditam compoſitionem, merito vocat Medicamentum parum concinnum SCHULZIUS, in Praelect. p. 89. ubi & rationes liquidas ſui judicii adjicit. Hinc & omiſſum fuit in Diſp. Brand. & in aliis recentioribus Diſpenſat. Neque nos ipſi hic locum dare voluimus; quin potius praeſtantius Electuarium ſubſtituimus e Diſpenſat. Argentorat.

Electuarium de Manna.

Diſp. Wirt. in reliquis alia ſubſtituuntur.

℞. Mannae electae,
Sacchari albi, *ana uncias duas.*
ſolvantur in
Aquae florum Acaciae, *unc. duabus.*
per linteum colatis addatur
Radicis Iridis Florentinae, in tenerrimum pulverem tritae, *drach. una.*
Olei Amygdalarum dulcium, *uncia. una.*
Miſceantur, fiat Electuarium.

Alvum leniter laxat. Tenellis, & præſertim recens natis, ad educendos humores vitioſos & meconium datur. Doſis drachma una, ad quatuor. Conf. infra Syrupus de Manna.

Electuarium de Manna.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 75.

℞. Spermatis Ceti, *drachmas duas.*
Vitell. Ovi, *unum.*
Ductis in Mortario, & aequabiliter Commiſtis adde deinde,
Mannae electae,
Extract. Caſſiae,
Sacchari Penid. *ana unciam ſemis.*
Olei Amygdal. dulc. *quantum ſufficit.*
Miſc. Fiat Electuarium.

Confert ad Apthas, & ad Tuſſim ſiccam.

Electuarium Magnum.

FULLER, *ibidem, pag.* 74.

℞. Conſervae Florum Tunicae,

Flaved. Aurant.
Limon *ana unciam unam.*
Cortic. Citri Condit.
Nucis Moſchat. Condit.
Zinziber. Condit.
Elect. e Saſſafras,
Succi Chermes col.
Spiritus Lavendul. compoſ. *ana unc. ſemis.*
Oleor. Cinnamomi,
Caryophyllorum, *ana guttas tres.*
Aniſi,
Menthae,
Abſinthii, *ana guttam unam.*
Syrupi de Rubo Idaeo, *quantum ſufficit.*
Fiat lege Artis, Electuarium.
quod per Setaceum (inſtar pulpae) trajiciatur, & deinde uſui ſervetur.

Qui eſt analepticus, cephalicus, nervinus atque ſtomachicus ac carminativus; adeo, ut hinc hoc Electuarium inter ſumme Cardiaca, ſedem jure poſtulet, ut Auctor ipſe hic loquitur. Ob magnas ergo virtutes, haud injuria vocatum fuit Electuarium Magnum, *ut cuivis, putem, liquet. Simile fere Electuarium confortativum magnum* Henrici CUSTERI, *etiam occurrit apud* Thom. BARTHOLIN. *in Ciſta Med. Hafn. Loc.* 31. *p.* 359.

Electuarium Maſtichinum.

FULLER. *Pharmac. extemp. p.* 76.

℞. Conſerv. Roſarum rubrar. *unc. duas.*
Pulpæ paſſul. ſol. *unciam unam.*
Pulvis Maſtichis, *drachm. unam ſemis.*
Nucis Moſchatæ, *drachm. ſemis.*
Syrupi de Meconio, *quantum ſufficit.*
Miſc. Fiat Electuarium.

Gulæ & Laryngis partes ſuperiores lentore quodam Emplaſtico obducit, atque ita ſenſum earum, exquiſite irritabilem, aliquo modo obtundit, & ſeri, nimis tenuis acrisque, extillationem prohibet. Confert ad Tuſſim humidam, veſperi præſertim, moleſte importunam. Capiatur quanto. Nucis Moſchatæ, quotiescunque Tuſſis redierit; in ore diſſolvatur, ſenſimque deglutiatur. Hactenus ipſe Fullerus.

Electuarium de Mentha.

Idem, ibidem, p. 77.

℞. Conſervæ Menthæ, *uncias quatuor.*
Olei Cinnamomi, *guttas quatuor.*
Caryophyllorum, *guttas duas.*
Aniſi,
Abſinthii, *ana guttam unam.*
Miſc. Fiat lege Artis, Electuarium.

Vomitiones ſiſtit, inquit ibi Fullerus, *Cibi faſtidia diſcutit, Appetentiam invitat; Concoctionem adjuvat; Ructus nidoroſos corrigit; diſſolutumque Ventriculum adſtringit, & corroborat. Sed conceptioni reſiſtere creditur. De quo tamen ipſe dubito. Et ego omnino cum ipſo. Licet enim vulgari errore nonnulli ex priſcis philoſophis & Medicis, ut Hipp. Ariſtotel. & alii, olim tradiderint, Mentham majorem Mentæ puſillæ, ut ipſe* Cicero *lepide jocatur, officere, promtaque lætæ Veneris officia impedire ac retardare, de quo, præter alios plures, vid.* Balduini RONSSEI *Epiſt. Med. XXI. p.* 63. *ſqq.* & BEVEROVICII *Epiſt. Quæſt. p.* 151. *ſqq. tamen vel ipſe ſuaviſſime hujus plantæ fragrantiſſimus odor & aromaticus acutusque ſapor quemvis contrarium potius docere facile poſſunt. Conf. omnino* Simon. PAULLI *Quadripartit. Botan. Claſſ. III. p.* 395. *ſqq.* BOERHAAVE *Hiſt. plant. Tom. I. p.* 267. *ut alios plures Auctores jam taceam; apud* ZORN. *Botanol. p.* 433. *ſunt enim hæc alterius loci.*

Electuarium, *ſeu* Sotirella Parva MINDERERI.

Diſpenſ. Vienn. Argent. Brand. ZWELF. *pag.* 266. *& p.* 186.

℞. Olei Nucis Moſchat. expreſſi, *drach. drachm. duas.*
Opii Thebaici,
Specier. diambræ incomplet. *ana drachm. unam.*
Camphoræ,
Extracti Croci, *ana grana duodecim.*
Olei Caryophyllorum deſtillat. *guttas triginta.*

Fiat ex permixtis, Electuarium.

Dolores dentium atrociſſimos, ad tempus, auffert, ſi cavernis eorum, Goſſypio exceptum, indatur. Conf. infra, ſuo loco, Tinctura Odontalgica Maurit. Hoffmanni: *item* Emplaſtra ad Dentium dolores, *pro eodem nempe uſu & ſcopo; ſed externo, uti notum; atque etiam* Emplaſtra Odontalgica, *quæ & re, & nomine, eadem ſunt.*

Electuarium Mithridatium Damocratis.

Diſpenſ. Wirt. Brand. Vienn. Hamb. & ſic in reliquis fere omnibus, excepto Pragenſi, in quo ſtudio omiſſum fuit, cujus rei, ratione vid. ibi. p. 123.

℞. Radic. Ariſtolochiæ rotundæ veræ,
Phu pontici, *ana unc. quatuor ſemis.*
Calami aromatici, *uncias quinque drachmas tres.*
Gentianæ, *unc. ſeptem ſemis.*
Mei athamantici, *unc. tres, drachmas ſex.*
Zingiberis albi, *uncias quindecim.*
Herbarum Dictamni Cretici, *uncias ſeptem ſemis.*
Polii montani,
Scordii Cretici, *ana uncias decem ſemis.*
Foliorum Indorum, *unc. duodecim.*
Florum Hyperici, *uncias tres ſemis.*
Stœchadis Arabicæ, *unc. duodecim.*
Roſarum rubrarum,
Spicæ Celticæ, *ana unc. ſeptem ſemis.*
Nardi Indicæ, *unc. quindecim.*
Schœnanthi, *uncias tredecim.*
Seminum Thlaspios, *unc. quindecim.*
Seſeleos, *uncias duodecim.*
Dauci Cretici, *unc. decem ſemis.*
Petroſelini Macedonici,
Fœniculi, *ana unc. ſeptem ſemis.*
Aniſi, *uncias quatuor ſemis.*
Baccarum Juniperi, *unc. unam.*
Piperis longi, *unc. duodecim.*
albi,
Carpobalſami, *ana unc. decem ſemis.*
Cardamomi minoris, *unc ſept. ſemis.*
Croci optimi, *unc. quindecim.*
Cinnamomi, *unc. quindecim ſemis.*
Coſti veri, *unc. duodecim.*
Caſſiæ lieneæ, *unc. decem ſemis.*
Agarici trochiscati, *unc. quindecim.*
Caſtorei, *unc. duodecim.*
Stincorum marinorum, *unc. tres ſem.*
Myrrhæ electæ, *unc. ſedecim.*
Olibani, *unc. quindecim.*
Bdellii, *unc. decem ſemis.*
Gummi Arabici, *unc. ſeptem ſemis.*

Radices, herbæ & ſemina, leni calore ſiccata, cum aromatibus & reliquis mixta, in ſubtiliſſimum pulverem rediguntur, & per cribrum trajecta, ſeorſim ſervantur; his peractis

℞. Gummi Galbani,
Opopanacis, *ana unc. duodecim.*
Sagapeni, *unc. quatuor ſemis.*
Succi Hypociſtidis, *unc. duodecim.*
Acaciæ, *unc. quatuor.*
Opii electi, *unc. ſeptem ſemis.*

Solvantur in

Vini generoſi, *libris octo.*
ſoluta commiſceantur cum
Mellis deſpumati, *libris centum & ſedecim.*

Et ſucceſſive, inter perpetuam agitationem, pulvis reliquorum inſpergatur, tandem,
Styracis in granis *unciæ duodecim*, in
Terebinthinæ claræ, *unc. quatuordec.*
liqua is, addantur
Opobalſami, *unc. duodecim.*

Atque agitatio, ad perfectam ingredientium mixtionem, per aliquot horas continuetur. Denique in vaſe ſatis magno, ut fermentare & commode ſingulis octiduis, ſpatula magna lignea, agitari ac commoveri queant, reponantur.

Pro alexipharmaco inſigni, & fere univerſali medicina habetur. Stomachicum, confortans & anodynum haud contemnendum præbet. Quælibet uncia grana habet duo Opii, & grana quatuor Croci. Ita quidem Cl. Editores diſpenſ. Wirtemberg.

Doſis a drachma una, ad drachmas quatuor.

De Mithridatio atque ſequenti Theriaca, duabus *illis magnis, & pæne dixiſſem, monſtroſis compoſitionibus, quæ fere univerſam officinam pharmaceuticam complectuntur, adeo, ut Apotheca pauperum dici mereantur, innumeri fere Auctores poſt Galenum & Dioſcoridem, ſcripſerunt, quorum ingentem Catervam vid. apud* Linden. Mercklinum & alios: *quo & pertinent* Marc. ODDI *Medit. in Theriac. & Mithridat.* DRAGOIÆVI *Tract. de Theriaca & Mithridat.* Flamin. EVOLI *Idea Theriacæ & Mithridat. &* IESSENII *quondam noſtratis Diſſ. de Theriaca & Mithridat. Conf. &, præter alios,* Cl. CARTHEUSERI *Pharmacologia, p. 674. & Cl* SCHULZ. *prælect. ad Diſpenſat. Brand. pag.* 190. *ſqq. qui tamen, quod pace ipſius manium, dictum ſit, nimius pæne eſt in laudando Mithridatio: ſed ſeveriorem, & tamen juſtam, Cenſuram in illud ipſum exercuit* POTERIUS, *Pharmac. Spagyr. Lib. III. p.* 460. *ſqq. Conf.* Gottl. BUDAEI *Exercitat. de Mithridatio Damocratis &* RIEDLINI *Lin. Med. Ann.* 1695. *Menſ. Jun. Obſ.* 28. *p.* 186. *& Ann.* 1700. *Menſ. Octobr. Obſ.* 25. *p.* 1202. *ſqq. Ceterum de hac mirabili, immo rectius forſan, miſerabili, compoſitione, ex tot diverſis & inter ſeſe ſæpius pugnantibus rebus, cæco veluti impetu, & fortuito concurſu, temere conflata, commode, niſi fallor, dici poteſt illud Homericum:*

φαρμακὰ πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Nempe ſunt bona ibi mixta malis, atque alia ſalutaria inſunt, alia contraria: corrumpuntur vero bona, ut fit, mixtura malorum. Vid. mox dicenda ad Tit. THERIACA.

Electuarium Opticum.

MYNSICHT. *Armament. pag.* 231.

℞. Rad. Helenii condit.
Myrobal. Chebul. condit. *ana uncias duas.*
Piperis longi,
Caryophyllor. *ana unciam unam.*
Macis,
Galangæ minoris,
Zingiber. alb.
Cubebar. *ana unciam ſemis.*
Fabar. marin. præp.
Ocul. Luciorum,
Euphraſiæ,
Pulegii,
Chamædryos,

Flor. Tunicæ,
Anthos, *ana drachmas tres.*
Semin. Sileris montan.
Fœniculi, *ana drachmas duas.*
Aniſi,
Petroſelini,
Apii,
Anethi,
Saxifragiæ alb. *ana drach. unam ſem.*
Omnia pulveriſata Miſc. cum Sacchar. alb. *uncis viginti quat.*
in Spirit. Juniperi, & Succorum depurator. Salviæ,
Rutæ, Chelidoniæ, Hyſſopi, *ana ſuffic. quantit.*
diſſolut. & ad juſtam Conſiſtentiam coct.
Fiat lege Artis, Electuarium, cui deinde adde:
Olei Cinnamomi,
Nucis Moſchat. *ana drach. unam.*
Denuo Miſce, & ad uſum ſerva.

Stomachum confortat, inquit ipſe Mynſichtus, *ſuperfluos humores conſumit, Renes mundificat, & ad omnem Ventoſitatem expellendam valet. Maxime autem lumen debile reſtituit, & in viſus imbecillitate, undecunque etiam proveniente, & ſuffuſionibus, Experimentum eſt mirabile. Quia hoc utentes, claro & libero viſu, ſine oculariis, parvas etiam litteras, uſque ad finem Vitæ, perfecte legere debent. Si nempe poſſunt, quod ego merito addo: Nimis enim magnifice de hoc ſuo Electuario, alias ſat bono, ſentire mihi videtur Autor. Ecquid enim huc inter alia, faciant oculi Luciorum ad viſum acuendum? forte quod iſte Lupus aquaticus iis acutum cernit ſub aquis, ut ſpe prædæ nunquam excidat. Sed quæ, qualis, quanta? Ceterum aliud Elect. Opt. habet* VERZASCHA, *Obſ. med.* 83. *p.* 200.

Electuarium de Ovo.

Diſpenſ. Brand. Hamb. Lond. Auguſt. RENOD. *p.* 818. *Prag.*

℞. Ovum Gallinæ recens, & educto per apicem, Albumine, id quod vacuum eſt, Croco Orientali pulveriſato, quantum capere poteſt, imple, Vitellum non auferendo: poſtea cum alio putamine iterum occlude, ne quid transpiret, & lento igne, tam diu aſſa in Ollula, donec tota ovi teſta nigreſcere incipiat, diligenter cavendo, ne Crocus comburatur.

Exemta a Teſta, materia exſiccetur, ut in Mortario exquiſitiſſime contundi, & in pulverem redigi queat, addendo pulveris Sinapi albi, quantum prædicta omnia ponderant: poſtea

℞. Radicum Angelicæ, *unciam ſemis.*
Dictamni albi, *drachmas duas.*
Pimpinellæ, *unciam ſemis.*
Tormentillæ, *drachmas duas.*
Zedoariæ,
Camphoræ,
Cornu Cervi præparati,
Granorum Juniperi,
Myrrhæ ſelectæ, *ana unciam ſemis.*
Nucis Vomicæ, ab ext Cort. liberat. *drachm. unam.*

Omnibus accurate mixtis, junge tandem Theriacæ Andromach. ad pondus omnium, ac fortiter piſtillo, integrum trihorium, ſubigendo, Fiat ex Arte, Electuarium.

Hoc notiſſimum Electuarium ex ovo quidem prodiit, *ut proverbium tenet; nec tamen pulchrum eſt: Sed* natum *potius* infelicibus ovis, *ut vulgo dicitur: quin rectius infelici illa & funeſta Nuce Vomica inquinatum & nocivum plane factum: quidquid etiam dicant contra Au-*

ctores quidam Medici, haud infimi quidem ſubſellii, laudati jam fruſtra a FRICCIO, *de Virtute Venenor. Med. c. 22. p. 373. ſqq. item in Diſpenſat. Brand. & ab ipſo* SCHULZIO, *in prælect. p. 90 qui, quod equidem vehementer miror, Nucem iſtam vel canibus ipſis faſtiditam & abominatam, in hoc quidem Electuario, adeo* non formidandam cenſet, ut potius magnam partem bonarum, quas poſſidet, Virium, inde pendere credat. *Hæc quidem ille: Sed nollem profecto factum. Pendet potius ab iſta, & Canum & Hominum ipſorum exitium, non auxilium: Nux iſta ſemper noxia eſt, quamvis magnis ſeſe Auctoribus tueatur, heu fruſtra! licet vel ipſum maximum Imperatorem, Maximilianum primum Auctorem & juventorem habeat, ut vulgo quidem traditur: tametſi denique ipſe* Wepferus *in dira peſtilentia, hujus Electuarii uſum ſalutarem expertus fuerit, aliique pauci ſint experti. Conf.* TIMAEI *a* Güldenklee *Conſil. de peſte: &* GESNER *Epiſt. Med. L. III. Sed nec una, nec duæ, aut tres Hirundines unquam faciunt Ver, ut vulgo recte dicitur. Quod millies nocuit, & ſemel tantum, bis, vel ter, aut aliquoties, caſu fortuito, aut beneficio validioris Naturæ, aliusve occultæ cauſſæ ratione, utcunque profuit; ſemper tamen erit ſuſpectum, ſemper vitandum ac rejiciendum.* Si enim ſemel bene ceſſit, *veriſſime & prudentiſſime inquit* Caſp. HOFMANN. *de Med. Offic. Lib II. cap. 162. p. 402.* non ob id tutum eſt experimentum. Quæ cauſa mihi fuit hactenus, cur *Electuario de ovo*, Maximiliano I. Imper. obtruſo ab impudenti quodam Empirico, nunquam uti voluerim: Ut in politicis, qui ſemel malus, ſemper præſumitur talis: Ita in Medicina, non utar incertis, quum certa præ manu habeo. *Verba certe cedro & auro digna! Sed & eadem ſanior mens fuit* Franciſco JOELI, *Med. Oper. Tom. V. Sect. 3.* Paull. AMMANO, *Manuduct. ad Mat. Med. p 55. & p. 38. aliisque. Conf.* ZORNII *Botanolog. p. 238. & p. 474. Mirum ergo eſt, ipſum* STAHLIUM, *mitiorum & ſecuriorum Remediorum aliis amantiſſimum Medicum, approbare tamen & commendare potuiſſe hoc ipſum Electuar. & quidem præcipue, propter adjectam Nucem Vomicam, Mat. Med. part. II, 139. p. 107. cujus doſin, quod magis mirum, in hac Compoſitione duplicandam quondam cenſuit* GESNERUS *Epiſt. Med. Lib. III. p. 87. b. Rectiſſime proinde & ſapientiſſime pronunciavit Cel.* GEOFFROY, *Tom. II. de Mat. Med. Sect. I. p. 456.* Verum in medendo, illa Nuce Vomica non utendum eſſe cenſemus: in dubiis enim mitiorem & tutiorem ſemper ſequimur viam. *Quam & nos hucuſque ſequuti ſumus, ſequamurque circumſpecte ſemper in poſterum, donec vivamus: id quod jam ſupra, part I. ad ipſius* Nucis Vomicæ deſcriptionem, *pluribus teſtati ſumus, ubi uſum ipſius medicum, ceu peſtiferum ac funeſtum, maximis Auctoribus, ibi laudatis, ſuffragantibus & conſpirantibus, plane damnavimus ac foro medico furcillis quaſi, ejecimus. Neque ideo hoc* Electuarium de Ovo, *ut & illud alterum, ipſi pæne par,* Camphoratum *dictum, de quo vid Diſpenſ. Brand. p. 52. in officinis, tolerandum eſſe cenſemus, niſi ex utroque damnata illa & abominata Nux Vomica abjiciatur, prout probe jam fecerunt Auguſtani, vid.* ZWELFER. *Animadvers. p. 260. item Hamburgenſes, Diſp. p. 42. ut & Londinenſes, Diſp. p. 248. Prag. p. 124. Argent. p. 56. ut alia jam diſpenſatoria taceam: Conf. &* ACT. NAT. CURIOS. *Decur. I.*

Ann. VI. & VII. Append. p. 29. Alias enim, quod non inficiamur, utrumque hoc Electuarium *tam illud* Camphoratum, *quam hoc* de Ovo, *egregiis pollet Virtutibus alexipharmacis, adeo, ut, demta tamen prius illa nociva Nuce, in Morbis contagioſis & malignis, Theriacæ, aut Mithridatii vices commode præſtare poſſit. Sed ſatis jam de Nuce, vix nuce caſſa digna.*

Electuarium Pectorale.

Diſpenſ. Vienn. VERZASCHA, *Obſ. Med.* 100. *p.* 262.

℞. Jujubarum,
Caricarum pinguium, *ana unc. unam.*
Pulmonis Vulpini,
Radicis Glycyrrhizæ, *ana drach. ſex.*
Enulæ,
Polypodii,
Plantaginis,
Ireos Florentinæ,
Florum Sambuci,
Herbæ Veronicæ,
Salviæ,
Hepaticæ nobilis,
Pulmonariæ arboreæ,
Rutæ hortenſis,
Murariæ,
Scolopendrii,
Hyſſopi,
Farfaræ,
Saniculæ,
Scabioſæ,
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Paſſularum minorum, *ana unc. ſemis.*

Fiat ex omnibus pulvis ſubtil. dein addantur:

Sacchari, cum Aqua Veronicæ,
Hyſſopi,
Farfaræ,
Scabioſæ, *quant. ſuff.*
Soluti, *libræ tres.*

Et permiſceantur exacte, Fiat lege Artis, Electuarium.

In phthiſi, Hectica, aliisque Thoracis affectibus, laudabilem effectum præſtat, Acrimoniam Humorum demulcendo, & partes conſolidando. Sed hæc omnia præſtabit, ſi præſtare quidem poſſit, etiamſi abſit pulmo Vulpinus, & quidem tam exigua doſi, ſex tantum drachmarum. Immo, ſi omnium Vulpium, a Samſone olim captarum, pulmones in unum conferantur, haud tamen, ſat ſcio, ne unius quidem hominis pulmonem ulceroſum, aut tabe exeſum ſanabunt: Conf. ſuperius dicta part. I. ad Vulpis Pulmones. *In Diſpenſat. Prag. p. 125. ſimile fere proſtat Electuarium pectorale a* Wincklero *compoſitum, quod pariter continet ſex pulmonis Vulpini drachmas; ſed ſimul, ut jucundum ſcilicet ſocium haberet Vulpes, Hepatis Lupi præparati unciam ſemis. Sic nempe Vis unita fortior, immo hic longe debilior & ad juvandum ineptior. Turpe ſane eſt Medico eleganti, in cruenta harum beſtiarum viſcera graſſari, quæ potius ſordidis Canibus relinquenda. Ceterum brevior & concinnior Electuarii pect. deſcriptio extat in Diſp. Edinburg. & aliud etiam Electuarium pectorale laxativum ab Henning.* Arniſæo *quondam compoſitum occurrit in* Thom. BARTHOLINI *Ciſta Med. Hafn. Loc. 34. p. 386. & in ipſo Diſpenſat. Hafnienſi.*

Electuarium *ſive* Philonium Romanum.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Prag. Brand. & rel.

℞. Piperis albi,
Seminum Hyoſcyami albi, *ana drachmas decem.*
Apii, *drachmas duas.*

Petroſelini Macedonici,
Fœniculi,
Dauci Cretici, *ana ſcrup. quat.*
Caſſiæ ligneæ,
Cinnamomi, *ana drachmas tres.*
Caſtorei,
Myrrhæ, *ana drachmas duas.*
Croci orientalis,
Spicæ Indicæ,
Zedoariæ,
Pyrethri, *ana ſcrup. duos.*
Opii, *drachmas quinq.*
Mellis deſpumati, *unc. octodecim.*
Opium in
Vini albi, *uncia una ſemis.*

Solutum cum reliquis, optime tritis, melli admiſcetur, & ſic probe mixta ſervantur.

Quælibet drachma hujus electuarii ultra granum unum & ſemis Opii continet, ex hoc & reliquorum pondere facile doſis *conſtitui poteſt, adulto ſcilicet* nunquam ultra drachmas duas in ſummo.

Somniferum eſt, & dolores ſedat; hinc in Colica flatulenta a nonnullis adhiberi ſolet? vid. SCHULZ. *præl. p.* 225. *ubi ſingulare exemplum, veteres etiam tuſſi vehementi, & imminenti hinc vaſorum Pulmonis crepaturæ deſtinabant. Sed nec hoc, nec ſequens Electuarium* NICOLAI *ſecuri eſt uſus, præſertim propter Semen Hyoſcyami, conf. ſupra notata, ad* Semen Hyoſcyami. *Ceterum ſimile fere huic* philonium Avicennæ, perſicum, *dictum, cujus deſcriptionem habet* Proſper ALPINUS, *de Med. Aegyptior. Lib. IV, cap.* 13. *p.* 311. *ſqq. & nos infra ſuo loco, ex ipſo, fideliter exhibebimus: conf.* KAEMPFERI *Amœn. exot. Faſcic. III. Obſ.* 15. *p.* 544. *& infra dicta, ad* Eſſentiam Nephrocatharticam Lentilii.

Electuarium Purificans,

Diſpenſat. Vienn.

℞. Radicis Saſſaparillæ inciſæ,
Mercurii vivi, *ana libram unam.*
Infundantur per Noctem, in Vaſe terreo Vitreato, cum
Aquæ fontanæ, *libris viginti quat.*

Mane coquantur ad Librarum trium Remanentiam. Ablato Mercurio, in Colatura diſſolvantur:
Mellis deſpumati, *libræ ſex.*

Coquantur rurſus ad Conſiſtentiam Mellis, addendo:
Pulveris Radicis Saſſaparillæ, *uncias novem,*
Foliorum Sennæ, ſine ſtip. *uncias quat.*
Hermodactylorum, *uncias tres.*
Rad. Polypodii,
Herb. Trifolii fibrin. *ana unc. unam ſemis.*
Seminis Aniſi, *drachmas ſex.*

Miſceantur, & fiat, lege Artis, Electuarium.

Virtutes ſunt eximiæ, in Lue Venerea contaminatis, item & ad necandos & expellendos Vermes, propter adjectum Mercurium Vivum, cujus ſubtiles virtutes anthelminticæ, haud imminuto tamen pondere, aut qualitate, communicantur cum hoc Electuario, uti in Aqua contra Vermes, Laureoli, *cujus deſcriptio extat ſupra, ſuo loco, ſub Aquis, ex Diſpenſ Hamb. vid. huc inprimis,* Thom. BARTHOLINI *Ciſt. Med. Hafn. Loc.* 52. *p.* 549. *ſqq. &* KOENIG. *Regn. Veget. p.* 74. *& Min. p.* 54. *&* Wilh. ten RHYNE, *Medit. in Hipp. p.* 289. *item Pharmac. Bat. p.* 14. *&* LOESEKE, *Mat. Med. p.* 308. *Conf, inf.* decoctum Mercuriale anthelminticum. *Ceterum, ut ingenue fatear, mihi nimia adjecta Quan-*

titas Folior. Sennæ, & præſertim Hermodactylorum, ſæva plerumque tormina excitantium, in hac quidem Compoſitione, haud uſquequaque probatur.

Electuarium, *ſive* Requies NICOLAI.

POTER. *Pharm. Wirt. Hamb. Vienn. Leid. Prag.*

℞. Florum Roſarum rubrarum,
Violarum, *ana drachmas ſex.*
Seminis Hyoscyami albi,
Papaveris albi,
Lactucæ,
Pſyllii, *ana unc. dimidiam.*
Corticum radicum Mandragoræ,
Nucum Moſchatarum,
Cinnamomi,
Zingiberis albi,
Opii depurati, *ana drachmas tres.*
Sandali albi,
rubri,
Tragacanthi,
Spodii ex Ebore, *ana drachmas duas.*
Sacchari albi, *uncias viginti.*
Opium in
Vini albi, *unciis tribus* diluatur,
reliqua in pulverem terantur, & Saccharum in
Aquæ florum Roſarum, *unciis decem* ſolvatur,
Atque omnia optime permiſceantur.

A longo tempore in noſtris officinis in uſu eſt hoc electuarium, atque infantibus, ad conciliandum ſomnum, dari ſolet; hanc ob cauſam haud quicquam in ejus compoſitione immutare, multo minus plane proſcribere voluimus. Ita Celeb. Editores Diſpenſ. Wirtenberg.

Uncia una habet Opii grana quinque. Infanti tenero non ultra grana duo, vel tria, *facile adhibentur. Letales effectus ex majore doſi natos retulit* Thom. BARTHOLINUS, *in Act. Med. Hafn. Vol. II. Obſ.* 20. *p.* 49. *ſqq. conf.* STAHLII *Diſſ. de Impoſtura Opii &* HOFFMANNI *Med. Rat. Syſtem. T. II. part. II. cap.* 7. *p.* 278. *& alibi in Opp. paſſim.*

Electuarium Reſumptivum.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Radicum Glycyrrhizæ,
Herbæ Hederæ terreſtris,
Veronicæ, *ana unciam ſemis.*
Infundantur in
Aquæ fontanæ ferventis, *libris quinq.*
Macerentur per noctem, mane colentur, in colatura coquantur
Radicum Farfaræ recentium, minutim inciſarum,
Paſſularum minorum, *ana unc. ſedec.*
usquequo molleſcant; contundantur in mortario marmoreo atque per cribrum trajiciantur. Magmati vel pulpæ addantur
Sacchari albi, *unc. triginta duæ.*
coquantur leni igne, ad juſtam conſiſtentiam; refrigeratis admiſceantur
Amygdalarum dulcium, minutim inciſarum, *unciæ ſeptem.*
Flavedo Citri a tribus pomis recentibus deraſa,
Cinnamomi acuti, *uncia ſemis.*
Caryophyllorum aromaticorum, *drachmæ tres.*
Fiat Electuarium.

Hecticis, tabidis, nec non tuſſi acri ſicca laborantibus convenit. Doſis uncia ſemis, ad integram, *bis vel ter per diem ſumenda. Ceterum Conf. infra,* Syrupus de Teſtudinibus reſumtivus. *Aliud vero* Electuarium reſumtivum Nicolai, *extat in Diſpenſat. Val. Cordi, p.* 24. *& non-*

nonnullis aliis Vetuſtioribus. Notum denique eſt Electuarium reſumtivum *ſeu* analepticum Fernelii, *deſcriptum ab ipſo Lib. VII de Method. Med. quod a* Bauderono, *Pharmacop. p. 82. & aliis nonnullis, exhibetur.*

Electuarium Sanans Fulleri.

Pharmacop. extemporan. p. 82. Wirt.

℞ Spermatis ceti recentis, *drach. unam.*
Ceræ citrinæ odoratæ, *drach. tres.*
Olei Amygdalarum dulcium *unc. un.*
Liquentur leni igne, atque ab igne remotis & probe, usque refrixerint, agitatis, addantur
Conſervæ Roſarum rubrarum *unciæ duæ.*
Mellis deſpumati *uncia una.*

Commendabile eſt ad primarum viarum eroſiones, tuſſim acrem, nec non in Dyſenteria, & Aphthis.

Doſis drachmæ duæ vel tres *quater de die.*

NB Quia facile rancorem contrahit hoc electuarium, non, niſi dum expetitur, parandum.

Electuarium Stomachicum.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Specierum Imperatoris, *libr. ſemis.*
Radicis Aronis,
Calami aromatici, *ana unc. unam.*
Granorum paradiſi, *unc. ſemis.*
Rob Juniperini, *libr. unam ſemis.*
Syrupi Menthæ, *quant. ſatis.*

Fiat exacta Incorporatio, ut ſic dicam, & Mixtio, atque ſic uſui opportuno ſervetur.

Ventriculum roborat, inappetentiam tollit, humores viſcidos Tunicæ villoſæ impactos reſolvit, atque ſenſim eliminat.

Electuarium Stomachicum, cum Cinnamomo.

Diſp. Brand.

℞. Acori conditi, *unc. tres.*
Conſervæ Meliſſæ,
Menthæ, *ana unc. duas.*
Roſarum rubrar. *unc. quat.*
Caryophyllorum, *unc. ſemis.*
Cinnamomi electi,
Zingiberis albi, ſcindendo comminuti, *ana unc. unam.*
Sacchari albiſſimi *in ſufficienti quant.*
Aquæ Roſarum diſſoluti, *unc. ſex.*
Miſce, Fiat ex Arte, Electuarium.

Virtute roborante ſtomachali pollet, verba ſunt Cl. CARTHEUSERI, *in Pharmacologia, p. 673. & in Vitiis adpetitus & digeſtionis, v. g. Anorexia, Dyſorexia, Dyſpepſia, itemque in Febribus intermittentibus, præſertim quotidiana, & quartana, ut & in Affectibus flatulentis, frigidis, & Diarrhoeis Mucoſis, non contemnendum auxilium præſtat.* Datur a drachmis aliquot, ad unciam dimidiam. *Add.* SCHULZII *prælect. p. 92. In Febribus tamen, quod hic adjicere liceat, circumſpecte adhibendum, & non, niſi ſub declinatione earum, repurgato prius bene corpore, & materia febrili maximam partem, jam opportune egeſta. Calidiſſimæ enim eſt indolis, propter adjecta nempe Aromata, hoc ipſum Electuarium: Quare fomitem febrilem accendere magis poteſt, quam extinguere. Igitur præmiſſo divino Cortice peruv. commodius tutiusque tum in uſum advocabatur, mea certe opinione.*

Electuarium Tamarindorum.

Diſp. Ratisbon. Vienn. Wirt. aliud extat in Diſp. Norimb. de quo Vid. SCHULZ. *p. 92.*

℞. Pulpæ Tamarindorum, *unc. quat.*

Paſſularum minorum,
Prunorum, *ana unc. unam ſemis.*
Miſceantur; poſtea adde foliorum
Sennæ electæ pulveriſatorum, *unciam unam ſemis.*
Cremoris Tartari. *drach. ſex.*
Cinnamomi acuti,
Seminis Fœniculi, *ana drach. duas.*
Olei Nuciſtæ deſtillati, *guttas decem.*

Miſce, fiat, addita ſufficienti quantitate ſyrupi roſati ſolutivi, electuarium.

Biliosos humores blande educit. Inde mitiſſimum & ſecuriſſimum & Medicamentum laxans. Doſis ab uncia dimidia, ad integram.

Electuarium Theriacæ Andromachi.

Diſp. Wirt. Brand. Leid. Lugd. Lond. Hamb. Vienn. & ſic in reliquis fere omnibus.

℞. Radicum Dictamni albi, ſive Fraxinellæ,
Scillæ præparatæ, *ana libras duas.*
Iridis Florentinæ, *libram unam.*
Pentaphylli, *uncias ſex.*
Calami aromatici,
Phu pontici, *ana uncias quinque.*
Rhabarbari veri,
Zingiberis albi, *ana uncias ſex.*
Angelicæ,
Gentianæ, *ana uncias quatuor.*
Ariſtolochiæ longæ veræ, *unc. duas.*
Aſari, *drach. quinq. ſcrup. un.*
Herbarum Scordii Cretici, *libr. unam.*
Dictamni Cretici, *uncias ſex.*
Chamædryos, *uncias quatuor.*
Marrubii albi,
Calaminthæ montanæ, *ana unc. ſex.*
Polii Cretici,
Chamæpityos, *ana uncias quat.*
Centaurii minoris, *uncias duas.*
Majoranæ,
Mari veri, *ana unc. ſem. ſcrup. quat.*
Foliorum Indorum, *uncias quinq.*
Florum Roſarum rubrarum, *libr. un.*
Stœchadis Arabicæ, *uncias ſex.*
Hyperici, *uncias quatuor.*
Seminum Napi, *libram unam.*
Amomi racemoſi, *uncias octo.*
Petroſelini Macedonici, *unc. ſex.*
Aniſi,
Fœniculi Cretici,
Ameos,
Seſeleos,
Thlaſpios, *ana unc. quatuor.*
Dauci Cretici, *uncias duas.*
Schœnanthi, *uncias ſeptem.*
Spicæ vel Nardi Indicæ, *uncias octo.*
Celticæ, *uncias quat.*
Piperis longi, *libras duas.*
albi,
nigri, *ana uncias ſex.*
Cardamomi minoris,
Carpobalſami vel Cubebarum *ana uncias quat.*
Cinnamomi, *acuti uncias octo.*
Coſti aromatici, *uncias ſeptem.*
Ligni Aloës ſive Xylobalſami, *unc. unam.*
Aſphalati *drachm. quinq. ſcrup. un.*
Agarici trochiſcati, *libram unam.*
Myrrhæ electæ, *uncias octo.*
Olibani electi, *uncias ſex.*
Maſtiches, *ſcrup. octo.*
Gummi Arabici, *uncias quatuor.*
Bituminis judaici vel Aſphalti, *unc. duas.*
Terræ Lemniæ, *uncias quat.*
Caſtorei, *uncias duas.*
Viperarum Italicarum, *libras duas.*

Eligantur ſimplicia præſcripta optimæ notæ, quæ herbis, floribus, radicibus, & aliis ſiccationis indigis, leni calore ſiccatis, admiſceantur, & ſi-

mul in pulverem ſubtiliſſimum redacta, ſeorſim ſerventur.

Squinanthum & Spica Indica minutim inciſa, cum Gummi Arabico, in aqua ſoluto, probe pinſentur, & leni calore rurſus exſiccata, in pulverem redacta, reliquis addantur.

Flores Roſarum ſeorſim terantur, & cum

Chalcitidis vel Vitrioli Martis, ad albedinem calcinati, *unciis quat.*

Croci Auſtriaci, optime triti, *unc. octo.*

Vino diluantur; ſequentia vero in Vini Malvatici ſufficiente quantitate ſolvantur:

Opii Thebaici, *libræ duæ.*

Succi Liquiritiæ, *libra una.*

Hypociſtidis,

Acaciæ,

Sagapeni, *ana unciæ quatuor.*

Galbani, *unciæ duæ.*

Soluta & colata commiſceantur cum

Mellis optime deſpumati triplo, vel *libris centum & ſedecim;*

Addantur Crocus, Chalcitis, & flores Roſarum vino diluta, agitentur diligenter, ſemper de pulvere priori inſpergendo per cribrum. Tandem

Styracis in granis, *unciæ quat.* in

Terebinthinæ claræ, *unciis ſex* ſolutæ, &

Opobalſami veri, vel in ejus defectu Olei Nuciſtæ expreſſi, *unciæ tredec.*

Adjiciantur, & per horæ unius ſpatium, ut exactiſſime miſceantur, agitentur, atque in vaſe capaciori, ut fermentare, & aliquoties per menſem moveri queant, reponantur.

Virtutes hujus electuarii etiam plebi ſunt notiſſimæ; (Verba ſunt Celeb. Editorum præſtantiſſimi Diſpenſat. Wirtenbergenſ. quorum deſcriptionem retinuimus, pro more noſtro) olim pro panacea habebatur, & hodie etiam vulgus multa ac crebiori experientia edoctum, bono cum effectu, eo in plurimis morbis utitur. Nec etiam revera laude ſua privandam eſſe hanc confectionem cenſemus, etiamſi nonnulli hujus ſeculi doctiſſimi Medici, tanquam ex nimis calidis & ſanguinem incendentibus ingredientibus compoſitam, raro, caute & circumſpecte in uſum vocare jubeant, quod mæſto inprimis ac funeſto Exemplo Reginarum Angl. maximæ, optimæ & Virtutibus Eminentiſſimæ MARIÆ, liquido demonſtrat Gualt. HARRIS, *Obſervat. Med. VII. p.* 172. *ſqq. ex quo, manifeſto patet, ipſam Theriacam, incautius præſumtam, interitum potius attuliſſe, quam ipſas diras Variolas, atque hinc Medicinam longe quidem pejorem fuiſſe ipſo Morbo. Conf. &* BOERHAAVE, *Prax. Med. Tom. V. p.* 314. *Nobis eſt alexipharmacum, adſtringens, balſamicum, ſtomachicum & anodynum: nunquam tamen in Morbis acutis adhibendum. Ceterum etiam eſt Anthelminticum, vid.* GASSENDI *Vit.* Peireſcii, *Lib. II. p.* 141. *&* CHARAS, *deſcript. Theriac. cap.* 75. *p.* 220.

Quælibet uncia continet Opii grana ſex, & Croci grana duo.

Datur vel per ſe, vel cum commodo quodam vehiculo. Doſis eſt a drachmis duabus, ad tres.

De hac Theriacæ compoſitione, ſive rectius, plauſtro Compoſitionum variarum innumeri quoque propemodum ſcriptores, veteres & novi, laudati Lindenio, Mercklino Lippenio, *& aliis, diſerte ſatis atque diffuſe egerunt, quibus add. ſi placet,* Thom. BARTHOLINI *Diſſertat. II. de Theriaca, & ejuſdem Ciſt. Med. Hafn. Locul. XVI p.* 149. *ſqq.* LIBARII *Diſſ. de Theriaca Andromachi,* Gottl. BUDAEI *Relat. de eadem, &*

Frid. Gottl. HAUPTII *Diſſ. de Compoſit. Mithridat. & Theriacæ Andromachi*, Moyſ. CHARRAS *de plantis, mineralibus & animalibus, quæ compoſitionem Theriacæ Andromachi ingrediuntur; aliosque, quos ſupra jam allegavimus ad Tit.* Mithridatium, *quibus adjicias Viros Clariſſ.* CARTHEUSER. *in Pharmacologia, p.* 675. *ſqq.* & SCHULZ. *Prælect. ad Diſpenſ. Brand. p.* 372. *ſqq. quibus inprimis Theriacæ plurimum laudis tribuere placuit. Sed juſtam in ipſius Compoſitionem, imo rectius, confuſionem, exercuit cenſuram* POTERIUS, *Pharmac. Spagyr. Lib. III. Sect. IV. p.* 160. *Appoſitiſſime autem, opiner, & Theriacæ, & Mithridatio, propter mirabilem nempe illam, peregrinam, contrariam & incompoſitam compoſitionem, cæco quaſi acervo temere conſociatam, aptari poſſunt illa Ovidiana:*

Obſtabatque aliis aliud: quia corpore in uno,
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere, habentia pondus.

Hinc igitur ego tam Mithridatium, quam Theriacam ipſam, propter diffuſam, immo & confuſam, ut dixi, compoſitionem, ſeu colluviem, per ſerium quaſi jocum, vocare conſuevi Aes Corinthium officinarum medicinalium: *De notiſſimo enim illo ære Corinthio, ita* Plinius, Florus, *& præſertim* PETRONIUS, *Cap. L.* Ex omnibus ſtatuis æneis, & aureis, & argenteis, in unum rogum congeſtis, & incenſis, facta ſunt in unum æra miſcellanea. Sic Corinthia nata ſunt ex omnibus, in unum, nec hoc, nec illud. *Sed hæc pace lectorum, & Clariſſ. Medicorum ſecus ſentientium Venia, ut ſperamus: ad oblectandum ſorte animum, hic adjecta ſunto.*

Electuarium Theriaca Bezoardica Lentilii.

℞. Herb Scordii, *manip. duos.*
Rutæ, *manip. un.*
Rad. Angelicæ,
Carlinæ,
Helenii,
Zedoariæ, *anc unc. unam ſemis.*
Petaſitidis,
Anthoræ,
Contrayervæ,
Pimpinellæ,
Valerianæ, *ana unciam unam.*
Calami aromat. *drachmas ſex.*
Myrrhæ, *drachm. ſeptem, ſcrup. duos.*
Caſtor. *drachmas tres, ſemis.*
Baccarum Juniperi, *drachmas decem.*
Nucis Moſchatæ,
Cinnamomi acuti,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cardamom. minor, *ana drachm. ſex.*
Croci optimi, *drachmas tres.*
Camphoræ, *drachm. unam ſemis.*
Conciſ. & Contuſis affunde Spiritus Vini Juniperini *q. ſuff.* ut Fiat Elixir.
Quod deinde Filt. & in Balneo Maris deſtilletur:
Deſtillato denique addantur:
Opii Thebaici, aceto correcti, *drachmæ ſex.*
Trochiſcor de Viper. *uncia ſemis.*
Florum Sulphuris,
Terræ Sigillatæ, *ana drach. una ſem.*
Corallior. rubr. præp. *drachmæ tres.*
Margaritar. præparat. *drachmæ duæ.*
Lapidis Bezoar. Orient. *ſcrup. unus.*
Olei deſtillati Angelicæ,
Caryophyllorum,
Zedoariæ, *ana guttæ octo.*

Miſc. Fiat lege Artis, Electuarium, ſeu Opiatum.

Operoſa hæc quidem, concinna tamen Compoſitio uſum egregium præſtabit in Morbis epidemicis malignis, præſertim autem cum Aceto, aut ſucco Citr. vel Limonum, opportune ſumta.

Electuarium Theriaca Ceylonica.

GRIM. *Laborator. Ceylon. p.* 39.

℞. Mellis deſpumat. *libras quinq.*
Pulv. Viperar. præparat. *unc. quat.*
Spin. Viperar. Calcinat.
Terræ Sigillat. Ceylon. *ana unc. duas.*
Radic. Zerumbeth,
Zedoariæ,
Calami arom. *ana libram ſemis.*
Cortic. Radicis Cinnamomi,
Cinnamom. ſilv. *ana uncias quat.*
Ariſtolochiæ longæ,
Citri,
Arantiorum,
Fol. Cinnamomi, *ana unc. unam.*
Sal. Volat. Oleoſ. Zerumbeth, *unciam ſemis.*
Volat. & fixi Viperin. *ana dr. duas.*
Camphoræ ex Rad. Cinnamom *dr. unam.*
Sulphur. Philoſ. præparat. *unc. unam.*
Olei Rad. Cinnamomi, *drachm. tres.*
Miſcentur, & Fiat lege Artis, Electuarium.

Hæc quidem eſt recta Venenum expellens Theriaca, ibi, recte & vere ita inquit Celeb. Auctor, cujus Scrupulus unus tam magnum effectum producet, quam vulgaris apud nos, Theriacæ Libra integra. Non eſt Theriaca ſomnum inducens: ſed Spiritus ipſos exhilarans. Non ſane eſt negandum, hanc quidem Ceylonicæ Theriacæ Compoſitionem immane quantum præſtare omnibus fere aliis Theriacæ Compoſitionibus, hucuſque quidem uſitatis: Sed ad eam comparandam, requiruntur quoque ipſa illa beatior Terra Ceylonica, feraces Cinnamomi & pretioſorum Odorum Silvæ Ceylonicæ, & ipſum etiam denique Aurum Ceylonicum. Alias enim hæc pretioſiſſima Theriacæ Compoſitio in his noſtris ſterilioribus & egentioribus Terris, vix ære mercabilis, putem, fuerit. Interea tamen egregiæ hæc Theriacæ exoticæ Compoſitio digna omnino nobis viſa fuit, cui in hoc noſtro opere, meritum honoris locum daremus. Conf. infra, Tinctura Bezoardica Ceylonica & Emplaſtrum Cephalicum Ceylonicum, *& ſupra* diaſcordium.

Electuarium Theriaca de Citro.

Diſp. Brand. Conf. Tab Smaragd. p. 408.

℞. Corticum Citri Conditorum, *uncias duas.*
Theriacæ Andromachi,
Mithridat. democrat *ana drach. duas.*
Specier. de Gemmis frigid. *ſcr. un.*
Lapidis Smaragdi præparati,
Terræ ſigillat. præparat. *ana drachm. ſemis*
Cum ſufficienti Quantitate Syrupi Corticum Citri,
Fiat lege Artis, Electuarium.

Non mala Compoſitio, inquit hic Cl. SCHULZIUS, *in prælect. p.* 375. *quæ ad unciam dimidiam, offerri poteſt, uticunque vel tormina alvi a cauſſa frigida, vexant, vel nauſea ac Vomituritio ſedari debet. Conveniet etiam gravibus temporibus, vel locis, verſantibus, ad tranſpirationem liberam conſervandam, alvique fluxus compeſcendos. Non mala, inquam & ego, hæc eſt Compoſitio; ſed nec*

pejor, addo ego, futura, ſi frigida illa Specierum de Gemmis frigidarum nugamenta, una cum ipſo lapide Smaragdo, externo potius cultui, quam uſui interno, dicato, omittantur. Conf. Cl. SCHULZII *prælect. laudat. p.* 304. *qui nobiscum ſentit.*

Electuarium Theriaca Diateſſaron.

Diſpenſ. Brand. Argent. Prag. Lond.

℞. Radic. Ariſtolochiæ rotundæ,
Gentianæ,
Baccarum Lauri,
Myrrhæ electæ, *ana uncias duas.*
Mellis deſpumati, *libras duas.*
Fiat lege Artis Electuarium.

Quatuor pulveres, Melle excipiendi Nomen διὰ τεσσάρων, ipſi impoſuerunt. Opium non habet; ſed alexipharmaca, Carminativa, & excretiones provocantia. Jumentis ſat commode datur, atque pro his potiſſimum parata proſtat. Sed & hominibus eſt utilis, ſi temporibus, locisque gravibus, capiant drachmam unam, vel alteram. Ventriculum quoque & inteſtina, flatulentiis divexata, juvat. Veterinariæ Medicinæ Auctores addere præcipunt ſcobem Eboris, & ſic uno auctiorem, vocant Theriacam diapente, *quaſi per quinque, id eſt, ex quinque rebus compoſitam, cui mirificas vires tribuunt adjumenta, tam a Morbis ſervanda; quam eadem curanda. Hactenus iterum Cl.* SCHULZIUS, *prælect. laudat. p.* 378. *Conf.* CARTHEUSER. *Pharmacolog. p.* 679. *Vid. inf.* Extractum Diateſſaron.

Electuarium Theriaca pro Familia.

Diſpenſat. Brand.

℞. Pulveris Radicum Angelicæ,
Gentianæ,
Olſenichii,
Petaſitidis,
Zedoariæ, *ana unc. unam.*
Herbarum, Cardui Benedicti,
Fumariæ,
Scordii; *ana drachm. ſex.*
Baccarum Lauri, *unciam ſem.*
Roob Juniperi, *libram unam.*
Sambuci,
Ebuli, *ana libram ſemis.*
Mellis deſpumati, *quant ſufficit.*
Miſce, Fiat lege Artis, Electuarium.

Etiam hæc Theriaca opio deſtituta, adeoque Scopo anodyno non apta eſt. Continet pulveres Vegetabilium, alexipharmacorum, & Carminativorum ſatis laudabilium, qui Craſſamento, ex fructibus Juniperi, Sambuci & ebuli, adjecto etiam Melle, excipiuntur. Conducet ergo omnibus iſtis, quibus præcedens, ſubjectis, & Conditionibus. Optimum videtur cum Aceto, aut Succo Citri, dilutum, exhibere, quod etiam de Theriaca Andromachi, tenendum eſt. Malui hic iterum Cl. & amiciſſimi quondam, eheu! quondam, SCHULZII *mei Verbis loqui, p.* 378. *Præl. quam meis, plus haud dubie apud Lectores, ponderis habituris. In quibus illud in primis mihi eximie placet, quod ſuadet Vir clariſſimus, loco idonei vehiculi, adhibere Acetum, vel Succum Citri; In omni enim ambitioſo iſto apparatu pharmacevtico, nullum pæne potentius & excellentius alexipharmacum, antiſepticum, immo & antiloemicum reperiri, his quidem binis Liquoribus acidis; adeo frequenti fidaque experientia dudum ubique comprobatum eſt, ut nemo ſanus de hac veritate, ſpero dubitaverit. Vid.* PALMAR. *de Feb. peſt. p.* 472 *Conf. ſuperius dicta, ad* Aceta Bezoardica, &

Cortices Citri. *Ceterum vid. & Cl.* CARTHEUSERI *Pharmacol. p. 679.*

Electuarium Theriaca Febrilis.

MYNSICHT. *Armament. pag.* 230.

℞. Spec. Febrifug. noſtr. *uncias tres.*
Conſerv. Abſinthii pontici,
Cardui Benedicti,
Flor. Centaur. min *ana unc. duas.*
Theriacæ Andromach. *unc. un. ſemis.*
Corn. Cervi ſine Igne, calcinati,
Diaphoretic. min.
Zingiberis albi, *ana drachm. tres.*
Spec. diamoſch. dulc.
Diambræ, *ana drachm. unam ſemis.*
Camphoræ in Spec. Angelicæ diſſolutæ, *drachm. ſemis.*
Miſc. cum Rob Sambuci, Fiat Electuarium.

Curat fere omnes Febres, & in ipſa peſte etiam valde utilis eſt. Doſis a drach. una, ad drach. duas, *cum Aqua febrifuga noſtra, vel cum Aqua Card. Bened. vel Scabioſæ, vel Calendulæ &c. Bibat horis duobus, ante acceſſionem; cooperiatur, & in lecto maneat, & ſudet; hoc enim pacto, multas Febres præcipitat. Ita ipſe* Mynſichtus: *Sit fides penes Auctorem. Utut enim lubens concedam, non inutilem penitus fore hujus Theriacæ uſum in Febribus Epidemicis a nocenti & gravi Cælo potiſſimum obortis, ad expellendum nempe per blandam ſudationem, miaſma illud viroſum venis intus conceptum: In febribus tamen proprie ſic dictis acutis, ardentibus, ac continuis, ab ipſo ſanguinis turgentis ac ferventis incendio interno concitatis, nociturum potius eſſe hoc egregium alias, Remedium, quam profuturum, pronunciare haud vereor quoniam nempe ſic ignis quaſi additur igni, & morbus tum major & ſævior fit medendo. Inde in Febribus pleuriticis acutiſſimis, Theriacam, & omnia Theriacalia, ceu peſtifera immo mortifera, vitanda eſſe, experientia ipſa edoctus, dudum monui,* in Lib. de pleuritide, *Cap. III. p.* 44. & *Cap. V. p.* 84. *In Febribus contra ſic dictis intermittentibus, Tertianis potiſſimum atque Quartanis, probe repurgatis prius a nocivo morbi fomite ibi latente, primis viis, hanc quidem Theriacam antifebrilem, parcius & opportunius ſumtam, uſum haud contemnendum præſtare poſſe, equidem haud penitus negaverim. Sed ſumma tamen Medici experti prudentia & hic requiritur, ne intempeſtiva Medela, ex Febribus intermittentibus, fiant continuæ & ardentes: quod triſtis ſæpe experientia, ineluctabili ægrotorum damno manifeſtius edocuit.*

Electuarium Theriaca Metallorum.

POTER. *Pharmac. Spagyr. L. III. p.* 494.

℞. Mercurii reſuſcitati, *partes quatuor.*
Reguli ſtellati Antimonii, *partes duas.*
Auri puriſſimi, *partem unam.*

Liquetur Aurum cum Regulo, cui adde Mercurium concalefactum ſeorſum: Miſceantur invicem, & fiat Maſſa; quæ pulverizetur ſuper lapidem porphyreticum. Hæc Materia coquatur lento Calore, in ſufficienti quantitate Balnei Hermaphroditici, donec omnia probe fixentur. *Doſis* erit *Grana ſex, ad decem.*

Theriacam Metallorum improprie fere ſic loquendo, miram hanc & pretioſam Compoſitionem vocat Auctor, quod ex ejus quidem opinione, Medicina quaſi Theriacalis Metallis inſit, adverſus venena, & quæ peſti ipſi, morbisque peſtilen-

tibus conveniat. Verum, licet huic Theriacæ ſingulares prorſus atque inſignes virtutes paſſim tribuantur ab ipſo inventore Poterio: *Tamen mihi, ut ingenue quidem fatear, iſta Medicina Metallica, ex Mercurio, Antimonio atque Auro parata, nec ſatis blanda, nec ſatis tuta videtur, quod vel ipſa ejus exigua nimis atque parca doſis ſatis manifeſte, niſi fallor, indicat. Præſtantiora enim atque ſecuriora mihi, cum* Hoffmanno, Boerhaavio, Sydenhamo, *& aliis magnis Medicis, ea ſemper videntur Medicamenta, quæ larga potius manu offerri poſſunt, quam quæ parca, ob metuendum ſcilicet ex quantitate, periculum. Quare, me quidem ſuaſore, hæc ipſa Metallorum Theriaca curioſitatis potius gratia, tantiſper notetur; quam neceſſitatis cauſſa, in uſum medicum temere advocetur: quem interim tamen haud prorſus negaverim. Poteſt enim forte hæc Theriaca quidquam opis adferre in diris morbis Venereis mitigandis, nec non aliquid valere ad necandos & expellendos Vermes; licet ne tunc quidem tenerioris ætatis & corporis pueris præſertim, impune, & ſine ancipitis eventus metu, exhiberi poſſit. Sed adjectum hic fruſtra Aurum nec Venerem ut ceroſam ſanat, nec Vermem coenoſum necat.* Aurum enim amat quidem, *ut ille ait,* per medios ire ſatellites, & ſaxa ipſa perrumpere: at non poteſt ægroto domini corpore deducere febres, *aut vermes, ut ſæpius jam in hoc opere, monuimus. Sed hæc obiter.*

Electuarium Theriaca Mulierum.

Mynsicht. *l. c. p.* 228.

℞. Theriacæ Andromach. *uncias tres.*
Bezoard. Jovial. *unc. ſemis.*
Corn. Alcis & Cervi, una ſpagyr. calcinat. *drachm. unam ſemis.*
Extracti Radicis Angelicæ,
Enulæ Campan. *ana drachm. unam.*
Eſſent. Caſtorei, *drachm. ſemis.*
Magiſt. Matris perlarum,
Corallior. rubr. *ana ſcrup. un.*
Olei Succini albi, *ſcrup. ſemis.*

Miſc. & cum Rob Sambuci, Fiat lege Artis, Electuarium.

Per ſudorem, fere omnes Mulierum, tam calidas, quam frigidas infirmitates, occulta quadam proprietate, curat: Et pro ſexu foeminino, vix præſtantius & nobilius diaphoreticum datur. Doſis a Scrupulo uno, ad drachmam unam, *in Aquis appropriatis, Morbum proprie reſpicientibus: In cauſſa autem calida, in vehiculis frigidis offerre ſolemus. Ita ipſe quidem* Mynſichtus. *An vero laudata vehicula ſic dicta frigida ipſam illam Theriacæ Naturam calidam temperare & immutare poſſint? de eo quidem vehementer dubito. Quare, me certe judice, hæc Theriaca tutius ac ſalubrius, Mulieribus ex cauſſa frigida laborantibus, quam ex calida languentibus, exhibebitur. Inde in fluore albo, chloroſi, colica hyſterica flatulenta, & ſimilibus venuſtioris ſexus infirmitatibus a cauſſa potiſſimum frigida ortis, non inutile præſtabit officium & auxilium: demto tamen prius* Bezoardico Joviali, *fruſtra quamvis a magno alioqui* Baglivo, *laudato. Suſpecta enim & exoſa merito ſunt prudentioribus Medicis omnia Medicamenta Jovialia, uti* Antihecticum Poterii, *& ipſi compar* Bezoardicum Joviale, *quoniam lentum Venenum tabificum continent, conf. ſupra copioſius dicta ad* Antihecticum Poterii, *add. Cl.*Cartheuseri *Pharmacolog. p.* 517.

ELECTU-

Electuarium Theriaca Saxonica.

MYNSICHT. *loc. cit. p.* 229. *conf.* SCHULZII *Prælect. p.* 11.

℞. Rob Baccar. Sambuci,
Chamæactes, *ana unc. duas.*
Corn. Cervi, ſpagyrice calcinati, *unciam unam.*
Succi inſpiſſati Fumariæ,
Syrupi de papav. ſimpl.
Spiritus Juniperi, *ana unc. ſemis.*
Boli rubr. orient. *drachm. duas.*
Olei Seminis Angelicæ,
Zedoariæ, *ana drachm. unam.*
Miſce flamma imbecilli, in Formam Opiatæ.

Eſt Antidotus nobiliſſima, inquit ibi Auctor, per ſudorem, & inſenſibilem tranſpirationem efficaciſſime operans, ſervat & liberat homines, a quam plurimis & graviſſimis Morbis. In profligandis omnis generis Febribus, ſive ſint intermittentes, ſive continuæ, aut malignæ; item in Hydrope, igne ſacro, Scorbuto, Icteritia, peſte, ſuffocatione Matricis, aliisque uterinis affectibus, Lue Venerea, Scabie, pruritu, Lepra, &c. ſuam adeo promeretur laudem, ut a nullo ſatis ejus Virtutes prædicari poſſint.

Doſis, Nucis Moſchatæ Quantitas, *plus minusve, pro ſumentium ætate, ſexu & Conſtitutione, proque affectus ipſius exigentia, & cum Liquore aliquo idoneo, & congruo, atque Morbo præſertim, cujus medendi gratia, adhibetur, appropriato. Ego in multis affectibus, purgata prius alvo, veſperi, horis quatuor, vel quinque, poſt Cœnam, eundo cubitum, cum ſufficienti quantitate Aquæ de Cornu Cervi noſtræ, exhibeo: unde verſus diluculum vehementes ſudare ſolent. Sed ohe! jam ſatis eſt, immo plus ſatis. Multa quidem ex his elogiis, largiſſima manu effuſis, vera eſſe, non penitus negaverim: præſertim autem poſtremum iſtud, de vehementi ſudatione. Illud vero de hujus Theriacæ promiſcuo uſu, in omnis generis Febribus, ſive intermittentibus, ſive continuis, aut malignis, propter imminens periculum, haud facile conceſſerim. Licet enim ſponte largiar, iſtam in febribus, præſertim intermittentibus, materiam pravam per blandam diaphoreſin, evocando, quidquam opis adferre poſſe; eundem tamen ſalutarem effectum in Febribus quoque continuis, aut malignis, pari modo, ab eadem expectandum eſſe; id vero nego, immo pernego, ex rationibus nimirum modo indicatis, ac præcedentem* Theriacam Febrilem.

Electuarium Theriaca Smaragdina.

Diſpenſat. Ratisbon. Prag. ex Pharmacop. Auguſt. Renov.

℞. Smaragdi præparati, *drach. tres.*
Hyacinthi præparati,
Radicum Pœoniæ,
Seminum ejusdem,
Viſci querçini,
Cinnamomi,
Zedoariæ, *ana drachm. duas.*
Croci, *drach. ſemis.*
Dictamni Cret.
Seminum Citri, *ana drach. tres.*
Acetoſæ,
Corallior. rubr. præp. *ana drachmam unam ſemis.*
Raſuræ Unicornu,
Eboris, *ana drach. duas.*
Syrupi e ſucco Limonum,
Mellis deſpumati, *ana quant. ſuff.*
Miſc. Fiat lege Artis, Electuarium molle.

Epilepticis, Vertiginoſis, ulterinis affectibus, Alvi profluviis, Ventriculo debilitato, & Vomitionibus ſymptomaticis, maxime eſt proficua hæc Theriaca, ad aliquot drachmas, pro natura & ætate ægrotorum, exhibita. Has quidem inſignes Virtutes haud plane denegamus huic Theriacæ. Eas ipſas tamen omnes etiam tum haud dubie habitura foret, tameſi Smaragdi & Hyacinthi ab ipſa plane abeſſent, a quibus quippe pretioſis Gemmis, merum potius Nomen habet, quam miras Virtutes; quibus nempe omnino carent pulchri quidem illi, ut frigidi, & inertes effœtique lapides, qui potius adornandum exterius corpus nati ſunt, quam ad curandum interius. Conf. ſuperius modo dicta ad Theriacam de Citro, *& infra ad* Pulverem Epilepticum, Species lætificantes, *&* alibi paſſim.

Elixir Antaſthmaticum.

FURSTII, *Tab. Smar. p.* 140.

℞ Sulphuris vivi,
Salis Tartari, *ana uncias tres.*

Pulveriſata, liqueſcant ad Ignem, Spatula continuo movendo, uſque dum Colorem ſubrubeum adquiſiverint: Tum remove ab igne, & frigefacta in pulverem redige: Huc pulveri deinde adde:

Gummi Ammoniaci,
Aloës Succator.
Myrrhæ rubræ, *ana unciam unam.*
Croci orientalis, *unciam ſemis.*
Spiritus Vini Tartariſat. *uncias viginti octo.*
Eſſent. Meliſſæ, *uncias novem.*
Spiritus Salis Ammon. urinoſ. *unc. unam ſemis & drachm. duas.*

Stent optime clauſa, in digeſtione, ad plenam ſpecierum reſolutionem, Tincturæque extractionem, deinde filtretur, atque opportuno uſui ſervetur.

Ipſe Titulus promittit, quid ſperandum ſit de hoc quidem Elixirio, aut potius optandum. Poteſt quidem, non nego, lentum viſcidumque Mucum bronchiis atque pulmonibus tenacius infixum, nonnihil reſolvere, attenuare, atque ad faciliorum exſcreationem ſollicitare. An vero multum valeat in mitigando gravi illo Aſthmate ſpaſtico, ſeu convulſivo, affirmare vix auſim.

Elixir Anticolicum Crocatum.

Videatur
Elixir Cordiale & Stomachicum, vulgo Garrus.

Pharmacop. Pariſienſ. Reg. CHARAS *Part. II. p.* 868.

Elixir Antifebrile.

Diſp. Vienn. p. 77. *Wirt. p.* 50 *in rel. fere deeſt.*

℞ Radicum Gentianæ rubræ, *unc. un.*
Serpentariæ Virginianæ,
Herbarum Cardui Benedicti,
Centaurii minoris,
Trifolii fibrini,
Abſinthii pontici, *ana drachm. tres.*
Corticis Peruviani, *unciam un. ſemis.*
Chaquerillæ,
Winterani, *ana unciam ſemis.*
Florum ſalis armoniaci martialium, *drachmas ſex.*
Inciſa infunde in
Spiritus vini rectificati, *libr. duab.*
poſt digeſtionem per quatuor dies, exprimantur, & Elixir per chartam filtratum uſui ſervetur.

In declinatione febrium intermittentium, ad tonum reſtaurandum, & appetitum excitandum, inſervit. Doſis a drachma ſemis, ad ſcrupulos duos.

Elixir Antifebrile Aliud.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Herbæ Cardui Benedicti,
Centaurii minoris,
Trifolii Fibrini, *ana unc. un. ſemis.*
Abſinthii Romani, *unciam unam.*
Radicis Gentianæ, *uncias duas.*
Zedoariæ,
Galangæ,
Corticis Winterani,
Caſcarillæ,
Aurantiorum recent. *ana unc. ſemis.*
Peruviani, *uncias tres.*
Salis Tartari fixi, *unciam ſemis.*
Florum Salis Armoniaci martialium,
Nucis Moſchatæ, *ana drachm. duas.*
Inciſa infundantur in Spiritus Vini, *libris quinque.*
Stent in digeſtione, per triduum, deinde lege Artis, fiat per filtrationem, Elixirium.

In profligandis Febribus, præſertim Intermittentibus, effectum perquam laudabilem præſtat. Elegans ſane & reliquis hactenus commemoratis deſcriptionibus, jure merito præferenda hæc eſt compoſitio, præſertim, quod tres integræ uncias laudatiſſimi Corticis Peruviani, complectitur. Interim tamen ne quid poſteris aliquando profuturum, temere celemus, candide hic pronunciare, vi ipſius veritatis, impellimur, nec hoc, nec aliud Elixirium antifebrile, multum ſperati auxilii præſtare in febribus, præſertim diu jam inveteratis & pertinacioribus; quoniam ſcilicet potior illa virtus antifebrilis balſamica, aut reſinoſa, quæ in Cortice peruviano hæret, per affuſum Spiritum Vini, & tam brevem digeſtionem, haud penitus reſolvi & ex Voto, extrahi prorſus poteſt; ſed potius in reſidua Maſſa tenacius reſtat. Inde & ex eadem ratione, ſpem Medici conceptam ſæpiſſime fallunt decocta, infuſa & extracta, de Cortice peruviano præparata, quorum deſcriptiones vid. apud Boerhaave, *de Mat. Med. p.* 109. *ſqq.* Geoffroy, *Tom. II. Mat. Med. pag.* 185. *& ſæpius apud alios, præſertim Gallos. Hinc ſemper præſtat, Corticem illum totum, & in ſubſtantia ipſa, ut dicitur, exhibere, præcipue autem in appoſitis Electuariis, ægrotantibus opportune offerre, quorum concinnas aliquot & diuturno uſu comprobatas compoſitiones, ſupra, ſuo loco, propoſuimus. Idem vero dudum monuerunt Viri maximi,* Hoffmannus, Bergerus, Mortonus, Sydenham, Werlhofius, *& alii, ſupra laudati, quibus accedit* Geoffroy, *l. c. p.* 185. *ſqq. &* Schulzius, *in prælect. ad Diſpenſ. Brand. p.* 134. *Conf. infra* Extracta febrifuga.

Elixir Antifebrile Wedelii.

Diſpenſat. Argent. Ratisb.

℞. Radicum Galangæ,
Zedoariæ,
Summitatum Abſinthii, *ana unc. un.*
Acori veri, *drachmas ſex.*
Chinæ Chinæ,
Ligni Colubrini,
Caſſiæ Caryophyllatæ,
Florum Centaur. min. *ana drach. tres.*
Corticum Citri,
Aurantiorum,
Rhabarbari electi, *ana drachm. duas.*
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum, *ana drachmam unam ſemis.*
Coſti veri,
Schœnanthi, *ana drachmam unam.*
Inciſis & mixtis affunde Spiritus ſalis unciam unam, & cum Spiritus

Vini rectificatiſſimi *libris quatuor*. Lege Artis, extrahe Tincturam.

Laudat quidem B. SCHULZIUS *in prælect. pag.* 93. *hoc ipſum Elixirium Antifebrile Wedelianum, præ altero illo Elixirio Mynſichti, cujus deſcriptio extat in ipſius Armament. Sect.* 18. *p.* 272. *& in Diſpenſat. Brand. Prag. alibique ſæpius. Conf.* CARTHEUSER. *Pharmacol. p.* 360. *ſqq. Neque ſane ego magni Wedeliani Nominis auctoritate permotus, quidquam laudis derogare v lim alias ſat concinnæ compoſitioni hic propoſitæ. Interim tamen pro candore meo, diffiteri nequeo, juſto largiorem ipſi quidem ineſſe aromatum quantitatem, & æquo parciorem contra divinæ Chinæ Chinæ doſin; quid enim quæſo, hic valeant tres tantum ipſius drachmæ, quæ quippe a reliquo magno ſpecierum conjunctarum apparatu penitus hauriuntur & abſorbentur? Quum tamen, ceu notiſſimum, omnis febres profligandi virtus unice pendeat a præſtantiſſimo illo Cortice peruviano. Quare ſine omni metu periculi quin immo cum certiore ſpe venturæ ſalutis, & abituræ febris, ipſius doſis, in hoc Elixirio, ad duas aut tres uncias, omnino erat extendenda, quod & dudum monuit Ill.* WERLHOFIUS, *in abſolutiſſimo opere de Febribus: Hic enim vix locum illud habet tritum:* Ne quid nimis. *Melioris ergo eſt compoſitionis & certioris efficaciæ illud Elixir. quod hic ex Diſp. Wirt. propoſuimus, & quod jam exhibebimus ex Diſpenſ. Vienn. quod & ipſum Wirtenbergicum virtute adhuc ſuperare videtur.*

Elixir Antipodagricum

Tim. a GULDENKLEE, *Deſcript. Med.* 914.

℞. Rad. Artemiſiae, *uncias duas.*
Rhapontici electi,
Ariſtolochiæ rotund. *ana unc. un.*
Semin. Petroſelini Macedon. *drachm. ſex.*
Comar. Chamædryos,
Centaurii minoris,
Hyperici, *ana drachmas quinque.*

Pulveriſata & mixta extrahantur Spiritu Vini Tartariſato; Spiritum Vini aufer per Inclinationem, & ad medietatem, abſtrahe, reliquum ſervetur pro uſu.

Aliquem, non nego plane, forte uſum hæc ipſa Compoſitio præbebit in diriſſima duriſſimaque podagra, purificando nempe ipſam Maſſam ſanguineam vapidam, & pellendo ſimul urinam craſſam, Tartaream & jumentoſam. An vero verum ſit contra inexpugnabilem podagram, ſpecificum, ut vulgo dicitur, de eo equidem valde dubito, Conf. Diſſ. noſtr. de Veritate paradoxi Hipp. &c. p. 19. ſqq. *Ceterum vid. infra*, Eſſentia Antipodagrica.

Elixir Antiſcorbuticum
Amarum.

Diſpenſ. Brand. pag. 59. *& ibi* SCHULZ. *pag.* 97.

℞. Herbar. Abſinthii,
Beccabungæ,
Borraginis,
Bugloſſi,
Cochleariæ,
Fumariæ,
Naſturtii Aquatici, *ana drachmas tres.*
Radicum Enulæ, *drachmas duas.*
Filicis, *unciam ſemis.*
Corticum Aurantiorum, *drachmas duas.*
Tamariſci, *drachmas ſex.*

Inciſis & Contuſis affunde Spiritus Cochleariæ & Naſturtii, *ana quantum ſufficit*, ad trium digitorum circiter eminentiam, aut plurium, Vaſis amplitudinis, aut anguſtiæ habita ratione. Stent in digeſtione aliquamdiu, ut fiat lege Artis Elixir. quod merito laudat Cl. CARTHEUSER. in Pharmacolog. p. 366.

Elixir Antiſcorbuticum Bontokoe.

℞. Cinnamomi elect. *uncias duas.*
Nucis Moſchatæ, *unciam ſemis.*
Maceris, *drachmas duas.*
Caryophyllorum, *drachmam unam.*
Cortic. Citri, *unciam unam.*
Aurantiorum, *unciam ſemis.*
Calami aromatici,
Croci, *ana drachmas tres.*

Inciſis & Contuſ. affunde Spiritus Vini, *uncias viginti quatuor*; ſtent in digeſtione, per aliquot dies, & deinde filtrentur, ac fiat leg. Art. Elixir.

Polychreſtes, immo panchreſtas tantum non Virtutes huic ſuo Elixirio tribuebat Auctor, portentoſis ſuis opinionibus, puſillus quaſi Helmontius, aut Paracelſus, qui omnes pœne Morbos ex Scorbuto, ſed ſine ullo fundamento, ut ſolidiſſime oſtendit Hoffmannus, *deducebat. Quod ſi etiam verum eſſet, ponamus enim tantiſper, non concedamus ullo modo; tamen hoc ipſum Elixirium falſo ſic dictum Antiſcorbuticum, ex virtute ſua calida & aromatica ſcilicet, longe aptius eſt, ad augendum ipſum Scorbutum, quam ad eundem infringendum. Quare præter vires ſtomachicas ac roborantes, ipſi nullæ concedendæ ſunt partes aut Virtutes. Tanto melius vero fortiusque putridum Scorbutum expugnabit alterum illud Elixir antiſcorbuticum ſuperius e Diſpenſ. Brand. poſitum, quoniam herbas optimas ſcorbuto oppoſitas compleplectitur. Ceterum conf. infra,* Eſſentia Antiſcorbutica. *& ſupra,* Electuarium Antiſcorbuticum. *item* Tinctura Scorbutica *&* Vinum Scorbuticum.

Elixir Antivenereum.

Diſpenſat. Vienn. conf. Diſpenſ. Edinburg. pag. 53.

℞. Balſami Copaivæ, *unciam unam.*
Peruviani, *unciam ſemis.*
Reſinæ Ligni Guajaci veri, *drachm. duas.*
Olei Ligni Saſſafras deſtill. *drachm. ſemis.*
Salis Tartari, *drachmas duas.*
Spiritus Vini Alcoholiſati, *libr. ſemis.*

Stent infuſa, ad Diſſolutionem, dein filtratum ſervetur Elixirium, conf. mox *Elixir polychreſtum.*

Cujus uſus ab ipſa Denominatione indicatur.

Nempe iis prodeſt, qui in caſtris venereis, nimis acriter, & vix ſatis cognito hoſte, cœca nocte, infeliciter depugnarunt, atque ex illo conflictu, opima quidem, ſed non optima, ſpolia reportarunt, quæ perdidiſſe ſatius erat, quam accepiſſe. Conf. infra, Extractum antivenereum. *Nunc autem contrarium apponamus Elixirium, pro iis, qui malo aſtro nati, in palæſtram veneream, vel ſine armis venerunt, vel armis haud ſatis ſtrenue uti potuerunt.*

Elixir Venereum.

Tim. a GULDENKLEE, *p.* 914.

℞. Confect. pacificæ Mynſichti, *uncias duas.*
Magnanimitatis, ejusdem,
Satyrii,

Alkermes, *ana unciam unam.*
Chocolat. Indorum, *uncias duas.*
Spiritus Vini Malvat. ad eminentiam *quatuor digitorum.*

Digerantur, in Balneo Mar. per dies ſeptem, poſtea filtrentur per Chartam Emporeticam: add.

Eſſent. Satyrion. *uncias tres.*
Ambræ, *grana tredecim.*
Moſchi, *grana novem.*

Miſce omnia, & ſerva pro uſu, Elixirium.

Sat ſpecioſa quidem ac generoſa videtur hæc ipſa compoſitio, continet enim magnificas illas & pretioſas confectiones, Magnanimitatis *nempe, atque* pacificam *ſic dictam, quarum deſcriptiones ſupra, ſuo loco, dedimus ex ipſo Mynſichto. Habet & præterea, laudatam toties, heu fruſtra!* Confectionem Alkermes, *item* Satyrii, *cum ipſa* Indorum chocolata, *nec non* Moſchum *atque* Ambram: *Sicque omnia complectitur, quæ languentes in latam venerem vires ſuſcitare, vulgo quidem creduntur. An vero hæc omnia, vel conjunctim ſumta, unquam re ipſa, efficere poſſint, ut quis in venerem frigidus & effoetus, puellis prurientibus idoneus ſit, & non ſine gloria, militare queat? de eo quidem & nunc vehementer dubitamus, & jam ſupra maximopere dubitavimus, ad* Confect. pacificam, *atque* Magnanimitatis. *Ceterum vero, nimia hic etiam eſt doſis* Moſchi *atque* Ambræ.

Elixir Aperitivum Clauderi.

Diſp. Vienn. Wirt. Prag.

℞. Salis Tartari, vel cinerum clavellatorum depuratorum, *unciam unam.*
Solvantur in
Aquæ florum Sambuci,
Cochleariæ,
Naſturtii, *ana unciis quinque;*
ſolutio filtretur, & affundatur
Aloës,
Myrrhæ, *ana unciæ uni,*
Croci, *unciæ ſemis.*

Per triduum digerantur, filtretur & ad uſum ſervetur Elixir. quod ipſe deſcribit CLAUDERUS, Tract. de Balſamat. cap. 7. p. 204. ſqq. conf. infra, *Eſſentia aperitiva.* & *Extractum aperitivum.*

Ad obſtructiones viſcerum reſerandas, & menſes pellendos inſervit. Hypochondriacis, ſcorbuticis, atque obſtructione alvi laborantibus convenit. Sed Hæmorrhoidariis, tanto minus: Ceterum miras, niſi forſan nimias, virtutes huic Elixirio aperitivo tribuit. RIEDLINUS, *Lin. Med. Ann.* 1696. *Menſ. Nov. Obſ. XI. pag.* 545. *ſqq.*

Doſis drachma dimidia, ad integram.

Elixir Balſamicum Pectorale Edinburgens.

Vid. Pharmacop. Edinburgenſ. p. 53.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Balſami Tolutani,
Benzoës electæ,
Styracis calamit.
Myrrhae electae, *ana drachmas tres.*
Croci optimi, *drachmas duas.*
Spiritus vini rectificati, *uncias viginti,*

Digerantur atque poſt ſufficientem extractionem filtrentur.

Vere balſamicum eſt hoc Elixir & tam ad internos quam externos uſus commendabile.

Doſis guttae tringinta ad quadraginta usque.

***

Elixir Balſamicum
Spirituoſum Hoffmanni.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt. ſed vid. Tab. Smaragd. p. 143.

Conf. ipſius Tract. de Febribus, in Append. ad *Poterii* Opp. pag. 605. in fine & praeſertim in Not. ad *Poter.* Obſervat. Cent. II. cap. 39. pag. 139.

℞. Herbae Scordii, *unciam unam.*
Centaurii minoris,
Flavedinis corticum Aurantiorum,
Myrrhae electae, *ana unciam ſemis.*
Zedoariae,
Nuciſtae, *ana drachmas tres.*
Ligni Aloës, *drachmam unam ſemis.*
Croci Auſtriaci, *drachmam unam.*
Succini, *drachmas tres.*
Inciſiis & contuſis ſuperfundatur
Spiritus Vini rectificati, *libra una ſemis.*
digerantur, poſt ſufficientem digeſtionem exprimantur, & liquori per filtrum trajecto addantur
Olei Cardamomi,
Caryophyllorum, *ana guttæ decem.* in ſpiritus ſalis armoniaci vinoſi *uncia una* ſolutae.

Alexipharmacum & anticatarrhale eſt, ventriculum roborat, Chylificationem promovet, & ab Illuſtri Auctore, præſertim ad Diarrhœas chronicas, ex inteſtinorum lævitate, commendatur.
Doſis guttae 60. his in die.

Elixir Balſamicum
Stomachicum Temperatum Hoffmanni.

Diſp. Vienn. Wirt. Prag. Brand.

℞. Extracti Abſinthii,
Cardui Benedicti,
Centaurii minoris,
Gentianae, *ana unciam unam.*
Flavedinis corticum Aurantiorum amarorum, ab omni albedine mundatorum, *uncias quatuor.*
Affunde
Vini Hungarici optimi, *libras duas.*
Spiritus corticum Aurantiorum rectificati, *uncias duas.*
Stent per triduum infuſa in digeſtione, poſtea filtrata reponantur.

Tonum ventriculi roborat, appetitum, & concoctionem auget, atque imprimis iis, qui ſpirituoſa non ferunt, inſervit. Vid. Klein. ſelect. rat. Med. p 72.
Doſis drachma una, ad duas.

Elixir Cachecticum
Ettmulleri.

Diſpenſat. Argent.

℞. Aloës, *unciam unam.*
Gummi Ammoniaci, *drachmas ſex.*
Myrrhae, *unciam ſemis.*
Croci, *drachmas duas.*
Tincturae Tartari, *quantum ſufficit.*
Digere, & extracte Elixirium
Datur ad guttas triginta, quadraginta, & ultra.

Vires ex Nomine patent; obſtructiones reſerat, humoresque viſcidos & pituitoſos incidit. Ceterum hæc Compoſitio haud longe abit a ſic dictis Elix. proprietatis, quorum aliquot deſcriptiones hic ſtatim legantur, ut liquido apparet.

Elixir Cephalicum Wedelii.

Diſpenſ. Hamburg.

℞. Radicum Paeoniae, *unciam ſemis.*
Galangae,
Doronici,
Valerianae,
Foliorum Roriſmarini,

Salviae,
Mari Veri, *ana drachmas duas.*
Florum Anthos,
Betonicae,
Lavendulae,
Liliorum Convallium,
Stoechados Arabicae,
Paeoniae, *ana drachmam unam.*
Cubebarum,
Succini, *ana drachmas tres.*
Viſci Corylini,
Ligni Aloës,
Ladani, *ana drachmam unam ſemis.*
Coſti Veri,
Anacardiorum, *ana drachmam ſemis.*

Conſcinde, & extrahe, cum Spiritu Vitrioli Cephalico Wedelii, & fiat, ſecundum Artem, Elixirium.

Cephalicam a Celeb. Auctore inſcribitur, & Inſcriptionis dignitatem etiam quodammodo tueri poſſe videtur: Compoſitum enim eſt, ut apparet, ex ſpeciebus nervinis, Cardiacis & roborantibus. Inde in variis Morbis Capitis, inprimis a Ventriculi debilitate & digeſtionis officio turbato, ſubnatis, v.g. Cephalalgia, ſtupore ſenſuum, Vertigine, Scotodinia, ſimilibusque, vino generoſo dilutum, commode adhibendum. Miror vero, cur ſuſpecta illa exoſa & abominanda, Anacardia *in hanc ſuam, alias ſat concinnam, compoſitionem, nimis profecto ſecure, nimisque liberaliter, receperit Cl. Auctor, quorum tamen ſævæ nocendi vires ubique ſat cognitæ ſunt, ut & ſupra oſtendimus, part. I. ad* Anacardium. *Male vero ſequutus hic Auctor videtur bonum* Schroederum, *qui in Pharmacop. Med. Chym. Lib. IV. p.* 16. *his Anacardiis uſum aſſignat Cephalicum, & Memoriam ac ſenſus acuentem & confortantem; quem & alii poſtea ſequuti vid.* Geoffroy, Mat. Med. *T. II. p.* 397. *Sed non ego Credulus illis. Ejiciatur igitur ex hac ſcita compoſitione tetrum iſtud* Anacardium, *ceu peſtiferum. Ceterum aliud Elixirium Cephalicum, cujus Auctor habetur Michaelis, paſſim extat in Diſpenſ. & in* Tab. Smaragd. *p.* 144. *Sed illud longioris potius & operoſioris eſt compoſitionis, quam melioris; hinc hic a nobis merito fuit omiſſum. Conf. infra,* Eſſentias Cephalicas.

Elixir Cordiale
& Stomachicum vulgo Garrus.

Pharmacop. Pariſ. Reg. Charas, *P. II. p.* 868.
Diſp. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Aloës ſuccotrinæ, *uncias duas ſemis.*
Myrrhae, *unciam ſemis.*
Croci orientalis, *drachmas duas.*
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatae, *ana ſcrupul. unum.*
Pulveriſatis affunde:
Spiritus vini rectificati, *libras duas.*
Aquae fontanae, *uncias duas.*

Digerantur per viginti quatuor horas, poſtea ex M. B. ad ſiccitatem deſtillentur.

℞. Spiritus hujus prolecti,
Syrupi capillorum Veneris, *ana libr. unam.*
Aquae Naphae, *unciam unam.*
Miſceantur.

Vires ſunt anodynæ, ſtomachicæ, & carminativæ, præſertim vero, in colica, a menſtruo fluxu mulierum non rite ſuccedente orta, commendari poteſt. Doſis cochlear unum, vel duo.

Elixir Maſtichinum.
Vid. infra.
Spiritus Maſtichinus.

Elixir

Elixir Menſtruale.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Herbarum Roriſmarini ſilveſtris.
Artemiſiae,
Rutae,
Pulegii,
Sabinae,
Matricariae,
Croci Liliorum alborum,
Florum Chamomillae Romanae,
Seminis dauci,
Leviſtici,
Caſſiae ligneae,
Croci Auſtriaci, *ana unciam ſemis.*
Myrrhae rubrae, Liquoris Nitri fixi, *ſufficienti quantitate irroratæ.*
Baccarum Lauri,
Radic. Leviſtici, *ana unciam unam.*
Florum Salis Armon. Martial. *drach. duas.*
Spiritus Meliſſae, *libras tres.*

E conciſis & contuſis, per aliquot dies, facta digeſtione, extrahatur lege Artis, Elixir.

Cujus Vires in Menſibus, & Fœtu mortuo, pellendis, Torminibusque ſedandis, perutiles deprehenſæ ſunt. Operoſioris & pretioſioris compoſitionis hoc quidem eſt Elixirium, quam illud, quod mox hic ſequitur, Elixir uterinum, aut Crollianum, aut aliud plura enim in Diſpenſat. proſtant; interim tamen horum omnium eædem pæne ſunt virtutes: adeo, ut tam pretioſo & ambitioſo apparatu vix opus eſſe videatur. Conf. infra Extractum Emmenagogum.

Elixir Myrrhæ Londinens.

Diſp. Lond. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Extracti Sabinæ, *unciam unam.*
diſſolvatur in
Eſſentiæ Myrrhæ, *libra una.*
Caſtorei, *libra dimidia.*

poſt ſufficientem digeſtionem Elixir filtretur.

Multum cum Elixir uterino Crollii convenit, atque ad menſium & uteri vitia commendatur.

Doſis guttæ quadraginta ad quinquaginta usque.

Elixir Pæoniæ.

Diſpenſ. Vienn. ex MYNSICHTO, *p.271.*

℞. Radicum Pæoniæ,
Angelicæ,
Pyrethri, *ana unciam unam.*
Viſci quercini,
Seminis Fœniculi,
Anacardiorum, *ana drachmas ſex.*
Florum Roriſmarini,
Stœchadis Arabicæ,
Lavendulæ, *ana drachmas tres.*
Summitatum Majoranae, *unc. ſemis.*
Caſtorei Veri, *drachm. unam ſemis.*
Spiritus Liliorum Convallium, *libras duas.*

Inciſa & Contuſa, vaſe vitreo probe clauſo, infundantur, loco tepido, per triduum, per Alembicum: dein fiat, ubi in deſtillato

Radicum, Florum & Seminis Pæoniae diligenter collectorum, *ana uncia una.*
Specierum diamoſchi dulcis,
Diaxyloaloës, *ana uncia ſemis.*

Infundantur, & digerantur, leni Calore; poſtea coletur forti expreſſione Elixirium, filtretur, & addendo demum:

Liquoris Bezoardici, *uncias tres.*
Servetur tempeſtivo uſui.

In Epilepſia, Apoplexia, Paralyſi, Vertigine, Suffocatione uterina & Colica, ſummopere excellit, inquit Mynſichtus, qui longe plura elogia ibi addit,

quod nec nos negamus penitus, præſuppoſitis nempe præſupponendis, ut vulgo dicitur, & circumſtantiis omnibus probe ponderatis & examinatis. Interim vero, ne nimis forte prodeſſet hæc alias ſatis egregia Compoſitio, adjecta ipſi, neſcio, quo malo Conſilio, aut ſiniſtro fato, fuerunt abominanda illa & perniciem illatura Anacardia, *de quorum maligna & violenta natura & indole, modo in antecedentibus, nonnihil diximus, ad* Elixir Cephalicum Wedelii: *plura vero ſupra, Part. I. ad ipſum* Anacardium. *Igitur, ne reliquæ bonæ & utiles Species Vitium Contagiumque quaſi contrahant ex mala peſſimorum Anacardiorum immiſtorum ſocietate, inde iſta prorſus abjicienda eſſe, cenſemus. Ceterum ſimile fere* Elixir Epilepticum *compoſuit olim Timæus a Guldenklee, quod extat in ipſius deſcript. Medicamentor. p.* 912.

Elixir Pectorale Bajeri.

℞. Radicum Scillæ præparat. *unc. unam ſemis.*
Glycyrrhizæ,
Chinæ, *ana unciam unam.*
Ireos Florentinæ,
Trifolii fibrini, *ana drachmas ſex.*
Enulæ, *drachmas quinque.*
Herbæ Hyſſopi,
Hederæ Terreſt. *ana Manip. duos.*
Gummi Ammon. pur.
Styracis Calamit.
Milleped. praeparat.
Seminis Aniſi ſtellati,
Croci optimi, *ana unciam ſemis.*
Spiritus Vini rectif. vel Spiritus Aniſi, *quantum ſufficit.*
Miſc. Fiat lege Artis, Elixirium;

Cujus *Doſis erit a Guttis triginta, ad Guttas ſexaginta.*

Utriusque hujus Elixirii pectoralis idem ſcopus eſt, idemque effectus; in Morbis præſertim pectoris humidis, ſeroſis ac frigidis. Plurimum enim tum valebunt, ad incidendam, reſolvendam, movendam & egerendam denique pituitam lentam ac viſcidam, in ipſis pulmonibus atque Bronchiis pertinacius hærentem & reluctantem. In dira vero pleuritide, & hac, & generatim, omnia Elixiria ſic dicta pectoralia, calidioris naturæ, ob adjectum nempe plerumque, Crocum, ſummopere vitanda eſſe, expertus ipſe, dudum jam monui, in libro noſtro, de Pleuritide, *Cap. III. pag.* 45. *& Cap. V. pag.* 84. *& alibi paſſim. Conf. infra* Eſſent. pectorales, *&* Extractum pectorale.

Elixir Pectorale Eisneri.

Diſpenſat. Hamb.

℞. Radicum Enulae,
Angelicae,
Ireos Florent.
Glycyrrhizae, *ana unciam unam.*
Croci Orientalis, *unciam ſemis.*
Seminis Aniſi,
Fœniculi, *ana unciam unam ſemis.*
Gummi Benzoës, *drachmas ſex.*
Mellis Virgin. *uncias duas.*
Spiritus Hyſſopi, *libras duas.*
Miſce, Fiat lege Artis, Elixirium.

Elixir Pectorale Reg. Dan.

Diſp. Hafn. Wirt. in reliquis non exhib.

℞. Radicis Angelicae, *uncias tres.*
Leviſtici, *unciam ſemis.*
Florum Chamomillae Romanae, *unciam unam ſemis.*
Seminis Aniſi, *uncias octo.*
Fœniculi, *uncias quinque.*
Macis, *drachmas tres.*
Nucum Moſchatarum,
Myrrhae electae, *ana unciam unam.*

Cinerum clavellatorum, *uncias octodecim.*

Inciſis & contuſis affundantur, in cucurbita vitrea,

Spiritus Vini rectificati, *libræ quatuor.*

Aquae Fœniculi, *libra una.*

Stent in digeſtione per triduum. Tunc adde

Salis armoniaci pulveriſati, *libram unam.*

deſtillentur, juncturis vitri probe clauſis, lento igne, ad reſiduum *libræ unius*, liquor prolectus volatilis ſuperfundatur

Succi Liquiritiae Hiſpanicae, *unciis quinque.*

Croci Orientalis, *drachmis duabus.*

Digerantur per aliquot dies, poſtea Elixir, per chartam filtratum, ſervetur.

Eſt ſpiritus vini ſale volatili & oleis vegetabilium imprægnatus, ſucco Liquiritiæ edulcoratus, & multum convenit cum ſpiritu ſalis armoniaci aniſato & liquore oleoſo Sylvii, *tonum pulmonum roborando, & decubitum humorum tenacium diſſipando. Excellens etiam eſt remedium carminativum, atque ad colicos dolores mitigandos, ventriculum roborandum, & urinam pellandam, commendabile.*

Doſis guttae triginta ſex, ad quinquaginta. *Ceterum aliud* Elixir pectorale Ducis Saxoniae, *Vid. in* HOFFMANNI *Theſ. Pharm. p.* 60.

Elixir Pectorale Volatile Dulce.

Diſpenſat. Prag.

℞. Seminis Aniſi, *uncias tres.*

Fœniculi, *uncias quinque.*

Radicis Angelicae, *uncias tres.*

Leviſtici, *unciam ſemis.*

Florum Chamomillae Romanae,

Hypericonis,

Myrrhae electae,

Benzoës, *ana unciam unam.*

Radic. Ireos Florentinae,

Enulae, *ana uncias ſex.*

Nucis Moſchatae, *uncias octo.*

Maceris, *unciam ſemis,*

Croci Orientalis, *drachmas duas.*

Salis Tartari, *uncias octodecim.*

Ammoniaci, *unciam unam ſemis.*

Spiritus Vini optimi, *Libras tres.*

Vini generoſi, *libras duas.*

Aquae Foeniculi, *libram unam ſemis.*

Inciſa incidenda, & contuſa contundenda miſce: ſtent in digeſtione, per aliquot dies; dein deſtillentur, lege Artis: Ad Recipientem pone:

Succi Liquiritiae Hiſpan. in fruſta inciſi, *uncias quatuor.*

Quia deſtillantibus Guttis ſolvetur: Tandem filtratum Elixir ſervetur uſui.

Hujus deſcriptionis meminit piæ memoriæ D. D. GEELHAUSEN, (*Amicus hêu! quondam noſter, Argentorati*) *in Theſibus, inaugurali diſſertatione expoſitis, de Affectibus, aut defluxionibus Catarrhoſis, An.* 1731. *editis, fol.* 109. *Cum magno effectu & gratia, exhibitur in Aſthmate flatulento, humido, frigido, & in omnibus pectoris Affectibus, a cauſſa frigida exortis.* Datur *cum particula Sacchari, vel Thêe appropriato,* a drachma ſemis, ad drachmam unam. *Ita ibi Pragenſes. Nec eſt, quod reprehendam in hac ipſa alias ſat concinna Compoſitione, niſi hoc unum, quod haud ſatis equidem perſpiciam, cui ſcopo & uſui potiſſimum hic inſerviat nimia illa, immo pæne dixerim, monſtroſa Quantitas Nucis Moſchatæ, ad uncias nempe octo, præſcripta; quum tamen affatim ſufficiant*

unciæ duæ, aut tres, aut ad ſummum quatuor.

Elixir Pectorale Wedelii,

Amoen. Mat. Med. p. 141.

Diſp. Prag. Hamb. Wirt. Brand. Argent. & alia.

℞. Radicum Helenii,
Iridis Florentinæ,
Scillæ præparatæ, *ana unc. unam.*
Liquiritiæ, *unciam ſemis.*
Ligni Sandali rubri, *unciam unam.*
Herbæ Rorellæ, *unciam unam ſemis.*
Seminis Aniſi, *unciam ſemis.*
Benzoës, *drachmas ſex.*
Myrrhæ, *unciam ſemis.*
Gummi Ammoniaci, *drachmas duas.*
Croci, *drachmas tres.*
Extrahantur
Spiritus Vini rectificati, *libr. duabus,*
Exprimantur & filtrentur.

Commendatur ab Authore ad aſthma, catarrhos, tuſſim & raucedinem. Reſolvit, & in hujus generis morbis non ſine fructu adhibetur.

Doſis guttæ quadraginta ad ſexaginta.

Nota. Gummi ammoniacum, Myrrha & Benzoë ſeorſum infundi, atque poſt ſufficientem digeſtionem & expreſſionem, ambæ extractiones commiſceri debent.

Elixir Peſtilentiale Crollii.

Diſpenſ. Hamb. Brand. Vienn.

℞. Florum Sulphuris, *uncias tres.*
Affunde,
Olei Juniperi, e Baccis deſtillati, ad eminentiam, *trium* vel *quatuor digitorum.*
Succini, ab odoris vehementia liberati, *quartam partem,* reſpectu olei Juniperi.
Stent in Arena, ſæpius movendo, ut Flores lente, ſine aduſtione, ſolvantur: poſtea

℞. Theriacæ electæ, *libram unam.*
Extrahe cum Spiritu Vini optimo, Tincturam, quam a Spiritu Vini ſeparatam ſerva.

℞. Radicum Enulæ,
Angelicæ,
Baccarum Juniperi contuſar. *ana uncias tres.*

Cum eodem Spiritu Vini extrahe Tincturam, quam miſce cum Tinctura Theriacali, atque affunde Oleum Juniperinum, & Succini, Floribus Sulphuris impprægnatum, & per Chartam bibulam prius filtratam, omniaque circula, leniſſimo Calore, per dies quatuordecim, & uſui opportuno ſerva. Conf. infr. *Elixir prophylacticum,* quod eidem ſcopo inſervire debet, ſi poteſt.

Generales quidem, nec unquam fallaces, virtutes alexipharmacas & antilœmicas in atrociſſima peſtilentia, huic ſuo Elixirio, ceu pulcherrimo Reperto, tribuit Auctor ipſe, Crollius. *Sed prudenter contra monet Cl.* CARTHEUSERUS, *in Pharmacolog. p.* 362. *Calidum hoc Medicamentum in peſte ipſa, ubi ſemper putredinoſa humorum reſolutio adeſt, ſæpius nociturum, quam profuturum: Hincque ſalutarius tutiusque præſidium ab ipſo quidem expectandum, in Mortis frigidis, ex craſſa impuritate, & pituitoſo-tartarea humorum dyſcraſia, &c. obortis: a qua veriſſima quoque ſententia haud longe abit B.* SCHULZIUS, *in prælect. pag.* 95. *ne* Hoffmannum, Stahlium, Boerhavium, Diemerbroeckium, *& alios magnos Viros, jam advocem. Ceterum ejusdem fere compoſitionis, ejusdemque virtutis eſt alterum illud Elixir*

peſtilentiale, quod cœleſtis illa & ſublimis anima, TYCHO BRAHEUS, *ipſe præparavit, præparatumque, ceu ingens quoddam ſacrumque Arcanum, ad ipſum Auguſtiſſ. Imperatorem,* RUDOLPHUM II. *cum longa Epiſtola commendatitia, quondam tranſmiſit, quæ adhuc integra legitur; in Vita* Tychonis, *a magno Petro* GASSENDO, *doctiſſime conſcripta, pag.* 242. *ſqq. extat quoque hujus Elix.* Tychonis *deſcriptio in* SCHROEDERI *Pharmacop. L. II. c.* 57. *p.* 210. *ſqq. in Diſpenſ. Hafn. Loculo X. p.* 89. *ſqq. ubi & ipſa illa Tychonis Epiſtola iterum exhibetur, & alia præterea, leguntur, quæ ad illud laudatum nimis Elixir ſpectant.*

Elixir Pneumoniacum Meibomii, *vel* Fiſcheri.

Tab. Smaragd. p. 150.

℞. Gummi Ammoniaci,
Aloës hepat.
Myrrhæ rubræ electæ, *ana unc. unam.*
Crocii opt. *drachmas duas.*
Florum ſulphuris, *uncias quatuor.*
Extrahatur cum Spirit. Vini rectif. *quantum ſufficit.*

Fiat lege Artis Elixir, & ad uſum ſervetur.

Iisdem pollet virtutibus antaſthmaticis & pectoralibus, quales jam ſupra, in diverſis Elixiriis pectoralibus, merito laudavimus. Ceterum nimia hic, niſi fallor, eſt quantitas Florum Sulphuris, ad uncias quatuor aſſurgens: certe, mea quidem opinione, illorum unciæ duæ, aut uncia una ſemis, forte ſuffecerint, atque idem, nempe parum admodum, præſtiterint. Conf. FREIND, Comment. VII. in Hipp. Epidem. Lib. I & III. p 91. ſqq.

***

Elixir Polychreſtum.

Diſp. Edinburg.

℞. Gummi Guajac. *Seſquiunci. m.*
Balſam. peruv. *Seſquidrachm.*
Spirit. Vini rect. *libr. unam.*
Dig. in Baln Aren. per quatrid.
& Tincturæ colatæ adde:
Olei ſtillat. Saſſafras, *drachm. unam.*
Miſc. Fiat lege Ar. is Elixir.

Uſus eſt præſertim antiſcorbuticus & antivenereus. Conf. ſupra, Elixir Antivenereum.

Elixir Polychreſtum Halenſe.

Diſp. Wirt. in reliquis non legitur.

℞. Extracti Panchymagogi, *unc. unam.*
Spiritus Vini rectificati, *uncias ſex.*
Vitrioli, *drachmas tres.*

Miſceantur, digerantur & ſerventur. Sed aliam, longeque certiorem, non meliorem, hujus *Elixirii polychreſti* compoſitionem proponit B. SCHULZIUS, in prælect pag. 95. quæ ſcilicet conſtat ex *pulpa Colocynthidis, Helleboro, Agarico, Scammonio, Trochiſcis Alhandal, Diacrydio Sulph.* atque *Aloe Succotar.* & *hepatica.* Exoptatiſſimos quidem effectus, a tempeſtivo hujus Elix. uſu, editos, ſe ſæpius obſervaſſe, aſſerit ibi Cel. Auctor, qui hinc, ceu ipſe ibidem candide fatetur, eodem ſubinde familiariter utebatur. Mihi contra, ſi dicere quidem liceat, iſta familiaritas merito admodum ſuſpecta videtur, neque proinde familiariter uti velim doloſis quaſi illis ac malignis ſanitatis & Vitæ humanæ hoſtibus, nempe *Colocynthide, Scammonio, Diacrydio, Elleboro, Trochiſcis Alhandal,* & reliquis, præſertim in tanta quantitate, & conjunctis quaſi in unum, omnibus nocendi viribus. Omnia enim fere Cathartica draſtica hic ſunt conſociata,

adeo, ut nihil niſi *Aſarum, Eſula, Turpethum, Gummi Gutta,* paucaque alia, ad hanc facinoroſam veluti ſocietatem, adhuc deeſſe videantur. Conf. infra dicta, ad *Eſſentiam Aloeticam.*

Vim habet Catharticam, tam ad alvum ſtimulandam, in minori doſi ad guttas triginta vel quadraginta, quam in majori, ad alvum ducendam, a guttis ſexaginta, usque centum.

Doſis guttæ ſexaginta, ad octoginta.

Elixir Polychreſtum Roſin. Lentilii.

℞. Aloës Succotorinæ,
Myrrhæ rubræ, *ana unciam unam.*
Croci Orientalis, *unciam ſemis.*
Caſtorei optimi, *drachmas duas.*
Opii Thebaici, *ſcrupulos duos, vel drachmas ſemis.*

Conc. Contuſ. affunde Spirit. Cochleariæ, ad Eminentiam trium digitorum. Digere per octo dies & noctes, calore leni: Hinc affunde
Spiritus Vini rectificatiſſ. Tartariſ. tantundem,
Salis Ammoniaci, *drachmas ſex.*
Tartari, *unciam ſemis.*
Camphoræ in Spirit. Vini ſolutæ, *ſcrup. ſemis.*

Rurſum per octo dies & noctes, digere & filtra, Fiat lege Artis Elixir, cujus *Doſis guttæ viginti, triginta, & ultra, ſi opus.*

Eſt & hoc Elixirium Species, ſeu imitamentum Elixirii vulgaris, ſub proprietatis *nomine, alias cogniti. Ceterum ipſi virtutes ſuæ non denegandæ, quin potius concedendæ, polychreſtæ nempe, non autem panchreſtæ; ſcilicet alexipharmacæ, cardiacæ, anodynæ, emmenagogæ atque etiam anthalminticæ. Sed unum adhuc monendum: Nimirum nimis liberalem Cl. Auctorem fuiſſe, in præſcribendo Croco, & nimis contra parcum, in addenda Camphora, cujus doſis ad ſcrup. duos, & ultra, extendi omnino poterat.*

Elixir Pretioſum Hannekenii.

Diſpenſat. Hamb.

℞ Ol. deſtillat. Aniſi,
Anthos,
Aurantiorum,
Calami aromatici,
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Citri,
Dauci,
Fœniculi,
Lavendulæ,
Macis,
Majoranæ,
Meliſſæ,
Menthæ,
Salviæ,
Saſſafras,
Zedoariæ, *ana drachm. unam ſemis.*
Anethi,
Angelicæ,
Juniperi,
Pulegii,
Succini,
Thymi, *ana drachmam unam.*
Abſinthii,
Carvi,
Rutæ, *ana drachmam ſemis.*

His Oleis affunde Aquæ Roſarum libram unam, vel quantum ſufficit, & deſtilla ex Cucurbita; & accipies Oleum & Aquam. Oleum ſepara per Tritorium, & adde Spiritus Vini Alcoholiſati *libras duas ſemis:* ſtent in digeſtione, per quatuordecim dies; & deinde

ex Balneo, abſtrahe Spiritum, & Roſtro Alembici impone

Ambræ gryſ. *drachmas duas.*
Moſchi opt. *drach. unam ſemis.*
Zibethi, *drahmam ſemis.*

Cum Spiritus Vitrioli ſufficienti Quantitate irroratas; poſtea tingatur cum ſucco Granorum Chermes. Præparatur etiam ſine Moſcho, Ambra & Zibetho, & absque Tinctura, quod vocatur, Elixirium pretioſum Album.

Eſt quidem, non nego, pretioſum, magis tamen ex operoſa & diffuſa compoſitione, & rariorum oleorum aromaticorum, etiam Alphabetico, quod mirum, ordine poſitorum, pondere & copia; quam quidem ex Virtute Medica, & ſanitatis præſidio inde forſan petendo. Licet enim Virtutes cephalicas nervinas, Cardiacas, analepticas & ſtomachicas huic Elixirio generatim haud plane abjudicemur: tamen, ut ingenue fateamur, nondum ſatis bene perſpicimus, quid illud magis præſtare poſſit in viribus collapſis erigendis & reficiendis, quam quod a generoſo & ſalutari effectu Balſami Vitæ Hoffmanni, *vel* Teichmeyeri, *vel alius ejusmodi Balſami, ad hanc quidem normam ac formam compoſiti, ſit ſperandum, aut expectandum, & quidem in longe minore doſi. Accedit his denique, nimiam, immo pæne monſtroſam eſſe hic Ambræ, Moſchi & Zibethi quantitatem adjectam, bonis præſertim Mulierculis, moleſtam, ingratam & intolerabilem. Interea tamen, propter Exempli quaſi raritatem, nec huic* Elixirio pretioſo Hannekeniano *locum hic denegare voluimus; inprimis, quum illius ſpatioſa deſcriptio in plerisque, quæ quidem vidimus, Diſpenſatoriis Pharmaceuticis, deſideretur, exigua profecto, ſi quid recte judicem, jactura, & defectu laudabili. Supra ſimilem fere Confectionem pretioſam ex Mynſichto, exhibuimus, ſed de qua ſimile quoque judicium ex veritatis ipſius teſtimonio, tulimus, quod ibi, ſuo loco, videndum. Nos quidem, ut ſemel iterumque moneamus, magis amamus & æſtimamus Remedia facile parabilia, ubi vis obvia, & ante pedes quaſi nata; &, ut ſic dicam, inemtas veluti dapes, quam quidem operoſa, pretioſa, peregrina, ex alio orbe petita, atque hinc pauperum deſideriis denegata, quorum tamen major ubique gentium copia, quam opulentorum. Ceterum in eandem fere claſſem referri meretur Antidotum illud pretioſum, quod, ne nimis, forte prodeſſet, velatum potius procul oſtendit inventor,* Angelus Sala, *quam revelatum communicat: cujus tamen deſcriptionem deinde candide publicavit Lugd.* CORBACHIUS, *vix ullus autem approbavit.*

Elixir Prophylacticum contra Peſtem.

Diſp. Brand.

℞. Aloës, *unc. unam.*
Rhabarbari,
Mithridat. damacrat. *ana drach. duas.*
Croci,
Myrrhæ,
Camphoræ,
Agarici, *ana drach. unam.*
Zedoariæ,
Gentianæ albæ, *ana drach ſemis.*

Inciſis & Contuſis affunde Spiritus Vini rectificatiſſimi, quantum ad eminentiam trium, vel quatuor digitorum, ſufficit, digerantur per octiduum: Filtretur, & ſervetur pro Elixir. prophylactico.

Conſtat ex laxantibus & alexipharmacis, inquit hic Cl. SCHULZIUS,

in Prælect. p. 96. neque contemnendum eſt, tempore catarrhali, in ſubjectis frigidis: ſtatim vero his laudibus prudenter ſubjungit: Nimis frequenti uſu, hæmorrhoides concitat; ut & Mulieribus intempeſtive datum, in Menſtruorum negotio, turbas excitare valet. Et hæc quidem veriſſime. Quando vero creditur illud corpus humanum contra ipſam irruentem peſtilentiam vulgivagam, valide defendere, & quaſi potenter præmunire: id quidem creditu perquam difficile eſt: præſertim, quum celeberrimi & expertiſſimi Medicorum hodie merito dubitant, an ulla dentur in Rerum Natura, ejusmodi Remedia prophylactica generalia? de qua nobili controverſia, ut alios plures jam ſtudio præteream, doctiſſime & ſolidiſſime quondam egerunt præceptores mei magni & fideliſſimi, BOHNIUS *atque* RIVINUS, *ille in eximia diſſert.* de prophylaxi peſtis dubia; *hic vero in eleganti Diſſert.* de peſte Lipſienſi, *ubi plura, quæ huc ſpectant. Ceterum vid. ſupra,* Elixir. peſtilentiale Crollii, & Thom. BARTHOLINI *Ciſt. Med. Hafn. p.* 164. *ubi patris Caſparis,* Electuarium prophylacticum *extat, ex iisdem fere ingredientibus conſtans, quibus hoc præſens Elixirum gaudet. Sed de utroque idem judicandum. Idem vero* BARTHOLINUS & *aliud* Elixir prophylacticum Joël. Langelotti, *exhibet in Epiſt. Med.* 44. *Cent. II. p.* 537. *ejusdem forſan dubii effectus. vid. & Pharm. Bat. p.* 40. *Conf. infra,* Extracta antipeſtilentialia.

Elixir Proprietatis album Helmontii.

Diſpenſ. Hamb. Wirt. Brand.

℞. Aloës Succotrinæ lucidæ,
Myrrhæ electæ,
Croci optimi, *ana unc. unam.*

In pulverem trita indantur cucurbitæ vitreæ, quæ alembico cæco munita, ad digeſtionem in Mariæ Balneum reponatur; augeatur ignis per gradus, ut aqua ebulliat & materia in maſſam coaleſcat, atque guttulæ flavæ ad latera cucurbitæ in conſpectum veniant. Frigeſcant & maſſæ affundatur.

Aquæ Cinnamomi ſpirituoſæ, *libr. un.* poſt digeſtionem, e Balneo deſtillentur, & liquor prodiens, ſub nomine Elixirii albi, ſervetur.

Vires ſunt balſamicæ, ſtomachicæ & carminativæ. vid. BOERHAAVE *Elem. Chem. T. II. p.* 245. & SCHULZ. *prælect. p.* 97.

Doſis drachma una, vel duæ.

Elixir Proprietatis cum Acido Boerhaave.

Elem. Chem. Tom. II. part. I. proceſſ. 81. p. 240. ſqq.

Diſp. Wirt. Prag. Brand.

℞. Myrrhæ,
Aloës,
Croci Auſtriaci, *ana unc. unam.*
Tritis affunde
Aceti vini albi, *libr. quatuor.*

Immittantur cucurbitæ vitreæ, ebulliant leniſſimo igne, per aliquot horas. Frigefacta requieſcant, ut fæces ſubſideant; liquorem clarum per inclinationem a fecibus effunde, reſiduo adde

Novi aceti, *libr. duas.*

Ebulliant iterum, ut prius; frigeſcant, quieſcant, effundatur clarum, & cum priori extractione per telam raram coletur.

Tincturas miſtas leni igne, ex cucurbita vitrea, deſtilla, ut unciæ decem reſtent, quibus adde

Spiri-

Spiritus Vini rectificatiſſimi, *unc. dec.*
Digerantur, filtrentur & ſerventur.

Egregium celeberrimo Autori eſt remedium, acidum, aromaticum, in praxi medico infiniti uſus. In febre intermittente, ſcorbuto, hypochondriaco malo, ictero, cachexia, ſanguinem ſua balſamica virtute imbuit, putredini reſiſtit, vermes necat. Externe ulcera putrida, ſanioſa, fœtida, fiſtuloſa emendat, depurat, labiorum, gingivarum, linguæ & faucium ulcera ſanat. Conf. SCHULZ. *Prælect. p.* 97.

Dari poteſt, *juxta Auctorem*, a drachma dimidia, ad drachmas duas, *ex vino, vel alio vehiculo; qui & vel mane vacuo ventriculo, vel ad minimum, duodecim horis a paſtu, ſumere jubet.*

Elixir Proprietatis cum Acido, Paracelſi.

Diſp. Brand. Wirt. Prag. & rel.

℞. Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ, *ana unc. duas.*
Croci optimi, *unc. unam.*
In pulverem tritis affunde,
Spiritus Vini rectificati, per octiduum cum ſpiritus Sulphuris *unciis tribus* digeſti, *libr. unam ſemis.*
Stent in digeſtione per aliquot dies; liquorem tinctum effunde, atque ſpeciebus denuo
Spiritus ejusmodi, *libram dimidiam* ſuperfunde.

Poſt digeſtionem extractiones conjunge, atque per chartam bibulam filtratas ſerva.

Multum de hoc Elixirio autor Paracelſus, pro more ſuo, promittit, vid. BOERHAAVE, *Elem. Chem. T. II. part. I. proc.* 81. *p.* 241. *ſqq. & Diſp. Brand. p.* 60. *ſqq. in Annotat. item Prag. p.* 130. *in Not.* SCHULZ. *præl. p.* 98. *ad vitam ſanam & longam, ad pleroſque morbos, etiam peſtem, vincendos. Ventriculum roborat, digeſtionem adjuvat, vermes necat, menſes & hæmorrhoides movet. Caute igitur hoc & aliis medicamentis aloëticis, uti debent hypochondriaci, bilioſi, hæmorrhoidarii, & ad hæmorrhagias diſpoſiti: item fœminæ & Virgines.*

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Vid. STEPHENS *Diſſ. de Elixir proprietatis, &* WEDELII *Diſſ. de eodem.*

Elixir Proprietatis ſine Acido, *ſive* Dulce.

Diſp. Vienn. Wirt. Batean. & rel.

℞. Myrrhæ electæ,
Aloës Succotrinæ,
Croci optimi, *ana unc. unam ſemis.*
In pulverem redactis addantur
Olei Tartari, per deliquium parati, *unciæ duæ*, miſceantur
ut pultis conſiſtentiam induant, & digeſtis in vitro commodo, probe obturato, per viginti quatuor horas, affunde
Spiritus Vini rectificatiſſimi, *lib. duas;*
Stent in digeſtione balnei quatuor dies, vaſe exactiſſime clauſo, agitando aliquoties de die vas, donec ſaturate rubens extractum ſit Elixir. Simile huic Elix. viſcerale BOECLERI, in Diſpenſ. Argent. p. 69.

Satis efficax remedium eſt ad morbos ventriculi, a cauſa frigida ortos, alvum ſimul ſtimulat, digeſtionem promovet; ſanguinem autem exagitat, uti reliqua aloëtica.

Doſis guttæ quadraginta, ad ſexaginta.

Elixir Proprietatis ſine Acido Boerhave.

Chem. Elem. l. c. Proc. 84. *Pharm. Bat. Wirt.*

℞. Aloës optimæ,
Croci,
Myrrhæ, *ana unc. unam.*

Trita immittantur cucurbitæ vitreæ, affundatur liquor paratus ex
Tartari tartariſati, *unciis tribus*, in
Aquæ fontanæ, *unciis ſex* ſolutis.

Digerantur per triduum in Balneo, & ſpeciebus integre ſolutis ſuperfundantur
Spiritus vini rectificatiſſimi, *libræ duæ.*

Denuo digerantur, eo calore, ut ad finem ebulliant. Frigeſcant, & poſtquam per quietem ſpiſſum ſubſederit, clarum effundatur, novaque
Spiritus Vini, *libra una* ſuperfuſa

Digeſtio continuetur; ſeparetur dehinc clarum, & repetatur, donec omnia fere ſoluta ſint, omnes liquores filtrentur per chartam bibulam, & ſpiritus ſuperflui eo usque, per deſtillationem evocentur, donec unciæ viginti reſtent, quæ ſerventur pro Elixirio.

Elixir hoc ſale medio paratum prodeſt in obſtructionibus chronicis & inveteratis morbis; potenter reſolvit, nec acido, nec alcalino ſuo principio, noxium eſt.

Doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam dimidiam.

Elixir Proprietatis Helvetii.

Diſpenſ. Wirt.

℞. Myrrhæ electæ
Aloës Succotrinæ, *ana unciam unam.*

pulveriſatis ſuperfundantur Tincturæ
Tartari, *unciæ octo.*

Poſt ſolutionem & ſufficientem digeſtionem clarum a ſpiſſo ſeparetur, atque cum tinctura ex uncia una croci Orientalis & tinctura Tartari, unciis quatuor, parata permiſceatur addantur
Olei Cinnamomi, *ſcrup. duo.*
ſerventur.

Vires cum Elixis Proprietatis dulcis conveniunt, gratius tamen eſt propter Oleum cinnamomi, & penetrantius propter Tincturam Tartari.

Doſis guttæ triginta ad quadraginta *cum vino vel vehiculo aquoſo exhibendæ.*

Elixir Proprietatis cum Rhabarbaro.

Diſpenſ. Hamb. Wirt. Brand. Vienn.

℞. Aloës Succotrinæ, *drachm. ſex.*
Myrrhæ electæ *drachm. duas.*
Croci orientalis, *drachm. unam ſemis.*
Rhabarbari optimi, *unciam ſemis.*

Conciſis & contuſis, in phiala capaci affunde
Vini Malvatici generoſi, *uncias octo.*
Spiritus Salis rectificati, *unciam unam.*

Stent, vaſe optime obturato in loco tepido per octiduum, tum filtrentur & ſerventur.

Ad ventriculum & inteſtina expurganda & roboranda, hepatis & hypochondriorum obſtructiones expediendas, appetitum excitandum, mulierum menſtruas purgationes in ordinem redigendas, & vermes necandos atque expellendos commendatur.

Doſis guttæ quinquaginta, ad octoginta.

Elixir Purgans,

Diſpenſ. Brand.

℞. Foliorum Sennæ, ſine ſtip. *unc. duas.*
Aloës Hepaticæ, *unciam ſemis.*

Zingiberis, *drachmas tres.*
Colocynthidos, *drachm. unam ſemis.*
Liquoris Terræ Fol. Tartari, *uncias quatuor.*
Spiritus Vini rectificati, *unc. duodec.*
Extrahantur lege Artis, ut fiat Elixir.

Eſt ſatis elegans Compoſitio, ait hic Cl. SCHULZIUS, *in Prælect. p.* 99. *poteſtque ad Drachmam dimidiam, brevibus intervallis, repetendo doſin, & large ſuperbibendo, donec ſatis operetur, exhiberi. Et ego, quod pace amiciſſimi Viri manium, dictum ſit, hanc Compoſitionem ſatis elegantem lubens vocarem, niſi eam aliquanto inelegantiorem redderet adjecta tetra atque inviſa Colocynthis, quam propter atrocem ſæpius atque funeſtum ipſius effectum, merito hodie damnant ac reformidant cautiores Medici, ut ſupra jam oſtendimus, Part. I. ad* Colocynthidem. *Mirum vero in modum amabat ac defendebat, quod equidem ſæpe mirabar, Medicamenta ex Colocynthide parata, B.* SCHULZIUS, *ut luculentiſſime patet ex ipſius Diſſert.* de Colocynthide, *item in prælect. ad Diſpenſ. Brand. p.* 96. *& alibi: Conf. ſupra, a nobis jam dicta, ad* Elixir Polychreſtum Halenſe. *Igitur hoc cetera ſat elegans Elixirium purgans, ſi purgans quidem elegans eſſe poteſt, vires ſuas alvum blande laxandi & ſolvendi, me quidem judice, longe mitius tutiusque exſeret, etiamſi amariſſimum illud & ingratiſſimum abominatæ Colocynthidis Condimentum fuerit ejectum: quod licet ſummis laudibus ab ipſo* PLINIO *ornetur, Lib. XX, cap.* 3. *ut nihil jam dicam de* Dioſcoride, Theophraſto, Galeno *& aliis; tamen nunquam deſinet eſſe Remedium triſte, ingratum, ſuſpectum, dubium, violentum, immo pæne virulentum, atque hinc merito, proſcribendum potius, ex officinis, quam in easdem præſcribendum: quod vel ex iſtis illis perquam funeſtis exemplis, de atrociſſimis & peſtilentiſſimis Colocynthidis effectibus, luculentius patet, quæ fideliter adnotavit* Felix PLATERUS, *Lib. III. Obſervat. Med. p.* 805. *ſqq. Ceterum aliud* Elixirium purgans Herbipolenſium *proſtat in* Append. Medicam. BIERLINGII, *p.* 75. *quod vero tanto pejus, continet enim utrumque Helleborum, Aſarum, &, ne quid malis deſit, ipſam quoque Eſulam. Apage!*

Elixir Purgans, de Citro,

Diſpenſ. Argent. Aliud Michaël. Vid. apud Bierling. *Append. Med. p.* 74.

℞. Reſinæ Gialappæ, *unciam unam.*
Flavedinis Cortic. Citri recent *unc. unam ſemis.*
Spiritus Vini rectificatiſſimi, *unc. ſex.*
Fiat Diſſolutio, in loco calido, ſervetur; Tempore uſus, edulcoretur, ſufficienti Quantitate Syrupi Corticum Citri.

Gratum hoc Elixirium, humidioris & robuſtioris Conſtitutionis Hominibus, qui alias Remediorum formulas averſantur ad Drachmam unam uſque, & *paullo ultra, pro ratione Circumſtantiarum, exhiberi poteſt. Drachmæ Spiritus Vini reſpondent decem Grana Reſinæ Gialappæ. Quod profecto ſatis eſt, ad alvum vehementer movendam, tormina concitanda, & ſæpe quoque vomitus moleſtos provocandos, quod olim aliquoties vidimus ipſi. Simile Elixir de citro, habetur apud* MOELLENBROCC. *Tr. de Varis, p.* 100. *&* GRULING. *in Florileg. Chym. p.* 125. *& aliis. Conf. inf.* Eſſentia Citrina & Extract. Diacitri.

Elixir Purgans, ſeu Catharticum.

THOM. FULLER. *Pharm. extemp. p.* 88.

℞. Foliorum Sennæ mund. *drachm. ſex.*
Rhabarb. opt. *drachm. duas.*
Glycyrrhizæ, *drachm. unam ſemis.*
Semin. Aniſi,
Carvi, *ana drachm. unam.*
Coccinellæ, *ſcrup. unum.*
Croci, *ſcrup. ſemis.*
Spir. Vini Gallic. *unc. duodecim.*
Aquæ Mirabil.
Cinnamomi, *ana uncias duas.*

Poſt debitam Infuſionem, Col. & adde:

Syrupi Roſar. ſolut. *uncias duas.*

Miſceantur, & Fiat lege Artis, Elixir.

Doſis, Cochlear. duo, Veſperi, & tria, mane ſequenti, ſi opus fuerit.

Hæc revera elegans, & longe elegantior mitiorque Compoſitio eſt, reliquis omnibus hactenus deſcriptis, multis utique nominibus, præferenda. Nihil enim non placidum, temperatum, caſtigatum atque ſecurum, in ea conſpicitur, adeo, ut, vel tenerrimæ naturæ corpora, & fœminæ ipſæ molliores & delicatiores, ſine ullo periculi metu, decenti ſub moderamine, & juſta doſi, ipſa commode uti poſſint. Exulant enim ex ea, quod impenſe gaudemus, omnia illa inviſa, ſuſpecta, aſpera ac damnoſa ingredientia, quæ ſuperiores horum Elixiriorum catharticorum Compoſitiones inquinaverant, nempe Reſina Jalappæ & Scammonii, tetra Colocynthis, & abominabile Gummi Gutta. Hanc igitur elegantiorem & tutiorem Compoſitionem notent ſibi præſertim Medicinæ tirones, immo & practici. Ceterum, Coccionellam adjectam eſſe cenſeo, non tam, ut uſum hic habent quendam Medicum, quam potius, ut ſuavem fucum faciat, & amœno colore rubello ac coccineo inficiat utiliſſimum hoc Elixirium, purpura atque cocco non indignum. Ceterum Aqua *illa* Mirabilis *dicta, cujus deſcriptio extat in Diſpenſ. Lond. p.* 96. *& Edinburg. p.* 37. *vel plane omitti poteſt, propter Aquam Cinnamomi, vel ejus loco, ſubſtitui Aquæ Meliſſæ compoſ. aut Carminativa* Ettmulleri, *aut* Dornervilii, *aut ſimilis Aqua aromatica quævis.*

Elixir Purgans Herlini,

Tab. Smaragd. p. 151.

℞. Gummi Gutta,
Scammon. elect.
Colocynthid. *ana drachm. duas.*
Aloës Succotrinæ, *unciam ſemis.*
Salis Tartari, *drachm. unam ſemis.*
Spiritus Vini opt. rectificati, *unc. quat.*

Miſc. ſtent in digeſtione, per dies octo: poſtea coletur, & ſervetur pro uſu.

Immo, meo certe qualicunque judicio, nunquam vocetur in uſum. Habet enim in ſe hoc quidem Elixirium omnia, quæ ad ſubvertendum ſtomachum, fundendam, ſine modo & intermiſſione, alvum, & excitandas fœdas & perículoſas hypercatharſes, torminaque ſæviſſima ſuſcitanda, ne de aliis malis jam dicam, nata quaſi & apta ſunt; nimirum Gummi Gutt. Scammonium *atque* Colocynthidem. *Pertinet igitur inde ad* Elixir *illud* polychreſtum, *immo rectius oligochreſtum, de quo vid. ſuperius ſuo loco, dicta. Hinc itaque, non tam ad imitandum, quam potius, ad vitandum, hoc* Elixirium Catharticum *huic operi inſervimus, ne autoritate clari in Arte Viri inducti, Medicinæ tirones fallerentur & in graves errores abriperentur. De Co-*

locynthyde vid. præſertim PLATERI *Obſ. Med. L. III. p.* 805. *ſqq.*

Elixir Rhabarbari cum Spiritu Arack.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Rhabarbari electi, ſubtil. pulv. *uncias duas ſemis.*
Salis Abſinthii, optime ſiccati,
Pulv. Cortic. Aurantior. *ana unc. ſem.*
Nucis Moſchatæ, *drachm. unam.*
Coccionellæ, *drach. ſemis.*

Infundantur, per biduum, loco tepido, in Spiritus Arack, *libra una ſem.* ad Tincturæ extractionem, F. Elixir.

In diarrhœa, aliisque Alvi laxæ profluviis, Materiam acrem ſeroſam blande ſubducit, & Tonum inteſtinorum roborat. Ipſius autem Spiritus ſic dicti Arack, *deſcriptio extat inferius, in eodem Diſpenſat. p.* 194. *ex quo eandem, infra, ſuo loco, in hoc noſtrum opus generale transferemus, quoniam ipſa in pauciſſimis Diſpenſatoriis alias occurrit, ut obſervavimus.*

Elixir Sacrum.

Diſpenſ. Edinb.

℞. Aloës Succotrinæ, tritæ,
Rhei electi inciſi,
Baccarum Lauri contuſ. *ana unc. un.*
Spiritus Vini Gallici, *libras duas.*

Digere per Biduum, & Cola, Fiatque lege Artis, Elixirium.

Cur Sacrum hoc Elixirium dicatur, equidem ut ingenue fatear, iſtius denominationis ſacræ & magnificæ, rationem plane ignoro. Quare enim magis illud ſacrum ſit, quam alia ſimilia Elixiria ſic dicta Proprietatis, ad quorum claſſem haud dubie pertinet, ex ipſa certe Compoſitione, ut pote ſimpliciſſima, & humana magis, quam ſacra, aut divina, haudquaquam apparet. Sed in verbis ſimus faciles! Interim tamen haud contemnendum eſt Remedium, & idem præſtat, quod reliqua præſtant Elixiria proprietatis; immo adhuc mitioris videtur indolis, ac pleraque reliqua. Hinc ſacrum, per me, eſto.

Elixir Salis, Herlini.

Tab. Smaragd. p. 151.

℞. Cryſtallor. Tartari, *unciam ſemis.*
Maſtichis,
Myrrhæ optimæ, *ana drachm. tres.*

Miſc. Subtiliſſime pulveriſatis affunde,
Spiritus Salis, *unciam unam.*
Juniperi, *unciam ſemis.*

Digere, in Vaſe bene clauſo, & ſerva pro uſu, Elixirium.

Quod eſt antiſcorbuticum, diureticum, antinephriticum, & quodammodo etiam hydragogum & lithagogum: inde haud penitus ſpernendum Remedium.

Elixir Salutis.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Edinb. Leid. Hamb. Batean pag. 40. *Amſtel.*

℞. Radicum Enulæ,
Liquiritiæ,
Rhabarbari veri, *ana unc. unam.*
Foliorum Sennæ Orientalium, *uncias duas.*
Seminis Aniſi,
Carvi,
Coriandri, *ana unciam unam.*
Uvarum paſſarum, absque acinis, *uncias quatuor.*
Salis Tartari, *drachm. duas.*

Inciſis & contuſis affunde
Aquæ fontanæ ferventis, *libr. unam,* refrigeratis adde

Spiritus Vini rectificati, *libras duas.*
Digerantur & poſt ſufficientem extractionem, exprimantur & filtrentur.

Commendatur illis, qui a tarditate alvi & flatibus vexantur. Conf. infra Eſſentia Salutis, *&* Salutifera.

Doſis drachmæ duæ, ad unciam ſemis.

Elixir Stomachale,

Tim. a GULDENKLEE, *Deſcript. Med. p.* 913.

℞. Rad. Calami aromat. *unc. duas.*
Galangæ,
Zedoariæ, *ana unc. unam.*
Caſſiæ Ligneæ, *unc. unam ſemis.*
Zinziberis albi, *drachm. ſex.*
Piperis longi, *drachm. ſex.*
Nucis Moſchatæ,
Maceris, *ana drach. duas ſemis.*
Caryophyllor. *drach. unam ſemis.*
Sem. Aniſi,
Fœniculi, *ana unc. ſemis.*

In pulverem redacta, extrahantur Spirit. Vini, Tinctum Spiritum ſepara, & recentem affunde, tam diu, donec omnis Tinctura extracta ſit. Tandem S. V. in Balneo Maris ad Medietatem, abſtrahe, & remanentem Spiritum, una cum Tinctura, per Chartam emporeticam filtra, & in Vaſe Vitreo, ad uſum ſerva.

Qui eſt ſtomachicus, Orecticus, Carminativus & Anticolicus, nec non Antihyſtericus, ſi nempe Cauſſa frigida, pituitoſa & flatuoſa ſubſit, quæ turbas ac tumultus cieat. Quod ſi vero aut ſanguinis abundantia, aut alia denique cauſſa calida, vel ſtomachum turbaverit, vel tormina in abdomine, concitaverit, vel uterum denique afflixerit; tum ſane & ab hoc Elixirio Calido, ſicut ab omnibus calidis generatim, ceu nocivis & periculoſis, eo quidem tempore, penitus eſt abſtinendum: ut doctis Medicis notum.

Elixir Stomachicum,

Diſpenſ. Edinburg.

℞. Radicis Gentianæ,
Cort. exter. Aurant. rec. *ana unc. duas.*
Cochinillæ, *ſemidrachmam.*
Inciſis & Contuſis poſtea affunde,
Spiritus Vini Gall. *libras duas.*

Macera per triduum, & Cola, ut Fiat lege Artis, Elixirium.

Ipſe Titulus jam per ſe, Vires hujus Medicamenti ſatis indicat, quod quaſi Compendium eſt laudatiſſimi illius Elixiris Balſamici Stomachici, a magno quondam Hoffmanno noſtro compoſiti, cujus deſcriptionem ſupra, ſuo loco, dedimus. Et quoniam facilis atque parabilis hæc ipſa eſt Compoſitio, inde & pauperum ſtomachis ſuo tempore, commode inſervire poteſt, qui alias, propter egeſtatem, haud bene concoqunt ſcilicet, ſumtuoſa & ægre mercabilia Medicamenta. Nunc vero non nihil pretioſiora ac ſumtuoſiora Elixiria Stomachica præſcribamus, pro ditioribus Heluonibus; quorum nempe onuſti ſemper ex nimia ferculorum copia, atque hinc nutantes, & pæne ruentes, Stomachi fultura indigent. Vid ſqq. & infra Eſſentias *&* Tincturas Stomachicas *&* HEINS. *Pharm. rat. p.* 124. *ubi plures ejusmodi Compoſitiones.*

Elixir Stomachicum,

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Spiritus Carminat. Sylvii, *unc. tres.*
Aquæ Cinnamomi,
Florum Arant. *ana unc. unam.*
Spiritus Menthæ, *unc. quinque.*
Tincturæ Abſinthii, *unc. quatuor.*

Miſceantur, Fiat lege Artis, Elixirium.

Quod & odore & ſapore juxta gratum. *Per* Tincturam *autem* Abſinthii, *intelligenda hic mihi quidem videtur* Eſſentia *illa nota* Abſinthii Compoſita, *ut pote gratioris ſaporis, & fortioris Virtutis ſtomachicæ, quam quidem altera* ſimplex *dicta: quarum deſcriptiones infra, ſuo loco, habentur.*

Elixir Stomachicum,

Thom. FULLER. *Pharmac. Extemp. pag.* 89.

℞. Elixir Propr. Tartariſat. *drach. tres.*
Oleorum Caryophyllor.
Nucis Moſchat. *ana guttas ſex.*
Menthæ, *guttas tres.*
Abſinthii, *guttam unam.*
Miſc. Fiat Elixir.

Doſis, Guttæ quindecim, vel viginti, *aut plures, ex hauſtu vini Xeroenſis, aut alius generoſi.*

Elixir Stomachicum de Caryophyllis.

Thom. FULLER. *ibidem p.* 88.

℞. Elixir. propriet. Tartariſati,
Spiritus Lavendulæ compoſ. *ana unc. ſemis.*
Caryophyllorum contuſ. *drach. unam & grana duodecim.*
Granorum Paradiſ. *grana quadraginta octo.*

Miſc. ſtent in Frigido, per tres dies, Fiat ſecundum Artem, Elixir.

Doſis eadem, ac in præcedenti Compoſitione.

Elixir Stomachicum de Cinnamomo.

Pharmac. Extemp. FULLERI, *p.* 88.

℞. Elixir. prop. Tartariſ. *drachm. tres.*
Spiritus Lavendulæ Compoſ. *drach. unam.*
Olei Cinnamomi, *guttas, a duodec. ad ſeptendecim.*

Miſceantur, & Fiat lege Artis, Elixir.

Cujus doſis, & Vires quoque ſunt eadem, ac in præcedentibus deſcriptionibus Fullerianis.

Elixir Sulphuris

MYNSICHTI, Armament. *Sect. XVIII. pag.* 270.

℞. Croci Orientalis,
Myrrhæ rubræ, *ana unc. unam & ſemis.*
Maſtichis elect.
Benzoini,
Cardamom min.
Cinnamomi, *ana unc. unam.*
Succ. Glycyrrhiz. ext.
Conf. Alkermes,
Rad. Enulæ Camp.
Aliptæ Moſchat. *ana drachm. ſex.*

Miſc. & Fiat pulvis, cui deinde add.

Sacchari Canti albi, *unc. duas.*

Et humectetur Spiritu Vini rectif. ut fiat quaſi paſta: poſtea Spiritus Sulphuris optime rectif. ad eminentiam quatuor digitorum, affunde, digerantur, & circulentur, per Menſem. Tandem, quod tinctum & extractum fuerit, per Inclinationem, ſepara: Materiam in fundo reſtantem Spiritu Vini extrahe: ſepara, ac priori liquori colorato immiſce, & ad uſum repone.

In affectibus Thoracis & pulmonis, miranda præſtat, inquit hic Auctor Elixirii hujus Sulphurati, Mynſichtus, pectus ab impuritatibus & Catarrhis mundificat. Tuſſim tam inveteratam, quam recentem, tollit. Phthiſicis, Melancholicis, ſupra rationem, mæſtis, Car-

diacis, &c. in genere ſubvenit, Lætitiam adfert. Valet quoque ad Coarctationem Anhelitus antiquam, & Aſthma chronicum. Inſuper Cor confortat, & ea putredine conſervat; Vitam prolongat, & canitiem retardat. Ita quidem ille Cymbalum quatit. Sed ohe! jam ſatis eſt, immo plus ſatis. Quid enim Virtutis, Tincturis Auri & Vitæ, Auro potabili, panaceis, aliisque laudatis vulgo Arcanis polychreſtis & panchreſtis, reſtabit, ſi hæc omnia ſolum præſtare poſſit Elixirium hoc Sulphureum? Quis ergo nunc

Dictaque ceſſantem nervis elidere Morbum
Sulphura contemnat?

Elixir Uterinum.

Diſpenſ. Wirt. Prag. Argent.

℞. Herbæ Artemiſiæ, *unc. tres.*
Inciſis affunde,
Spiritus Vini rectificati, *unc. quindec.*

Extracta per digeſtionem, exprime, & colatam hanc eſſentiam affunde,
Caſtorei Orientalis, *unciæ uni ſemis.*
Croci pulveriſati, *unciæ ſemis.*

Digerantur leni calore, exprimantur, & per chartam bibulam filtratis, adde
Olei deſtillati Aniſi,
Angelicæ,
Succini *ana guttas quadraginta.*
Serventur.

Perſpicit B. L, præcipua *Elixiris Crolliani* ingredientia heic ſervari, reliqua, ex juſtis rationibus, partim omitti, partim ipſum præparationis modum mutari. Conf. CARTHEUSERI *Pharmacol.* p. 369.

Commendatur ad uteri morbos, menſium retentionem, fluorem album, &c.

Doſis guttae quadraginta, ad ſexaginta.

Elixir Uterino-Spaſmodicum.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Radicis Pæoniæ,
Raſuræ Succini citrini,
Myrrhæ electæ,
Caſtorei, *ana unc. unam.*
Galangæ minoris,
Zedoariæ,
Herb. Dictamni Cretic. *ana unc. ſem.*
Baccarum Lauri,
Anthophyllorum, *ana drach. duas.*
Croci,
Camphoræ, *ana drachm. unam.*

Conciſis & Contuſis groſſo, quod dicitur, modo, deinde affundantur,
Spiritus Anthos, *libræ duæ.*

Extrahatur, exprimatur, filtretur, & ſervetur uſui, Elixirium.

Magnas huic Elixirio Virtutes in Morbis uterinis tribuit magnus ipſius Auctor Wedelius; quæ nec ipſi plane denegandæ, ſi nempe opportuno tempore & juſta doſi, aliis circumſtantiis neceſſariis non neglectis, adhibeatur. Prodeſt igitur egregie in paſſionibus hyſtericis a cauſſa potiſſimum frigida ac flatuoſa, obortis, item in Suppreſſione Menſium, fluore albo, & Chloroſi virginum, funerea quaſi facie pallentium, præparato tamen & expurgato prius corpore. Ceterum ſimilia fere Elixiria uterina poſt ipſum Crollium, *compoſuerunt Clariſſimi in Arte noſtra, Viri,* Rolfincius, Michaëlis, Mœbius, Dolæus, *& alii: Conf. ipſum hunc* DOLAEUM, in Encyclopæd. Med. *Lib. V. cap.* 2. *p.* 230. *Neque ſane difficile videtur, alias plures ejusmodi Compoſitiones ad hanc quidem normam, efformare. Vid.* MICHAELIS Medicament familiar. *XXI. p.* 83. *& alibi, item infra, ſuo loco,* Eſſentiam Antihyſtericam.

ELIXIR

Elixir Vitæ Matthioli,

Juxta Diſpenſ. Vienn. p. 23. *Wirt. Hamb. Prag. Argent. Amſtel. & rel.*

℞. Radicum Galangæ minoris,
Zinziberis,
Zedoariæ, *ana unc. unam.*
Calami aromatici,
Foliorum Majoranæ,
Menthæ,
Thymi,
Serpilli,
Florum Roſarum,
Salviæ,
Rorismarini, *ana unc. ſemis.*
Seminis Aniſi,
Fœniculi, *ana drach. duas.*
Cinnamomi acuti, *unc. tres.*
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ,
Macis, *ana unciam unam.*
Cubebarum,
Ligni Aloës,
Sandali citrini,
Cardamomi minoris, *ana unc. ſemis.*
Corticum Citri recentium, *unc. tres.*

Inciſa & contuſa macerentur in Spiritus Vini rectificati libris duodecim per triduum, poſtea addantur, aquæ fontanæ, *libræ quatuor.*
& lento igne ex Balneo deſtillentur circiter libræ tredecim.
Si completum deſideretur Elixir, Ambræ gryſeæ &
Moſchi, *ana ſcrup. duo.*
addantur, atque pro lubitu,
Croco tingatur.

Singularis efficaciæ prædicatur hæc aqua ſpirituoſa, Elixir Vitæ dicta, tam interne, quam externe adhibita. Epilepticis, animo deficientibus, præcipue autem in morbis a cauſa frigida ortis, commendatur. Flatus diſcutit, ventriculum roborat. Sed alias plures laudes, etiam fere immenſas, huic ſuo pulchro Reperto tribuit ipſe Auctor, in Comment. ad Dioſcorid. Lib. V. p. 907. *conf.* SCHULZ. *Prælect. p.* 99. & CARTHEUSERI *Pharmacol. p.* 368. *Multas quidem laudes meretur; ſed non nimias, nedum omnes. Conf.* Joſeph LANZONI *Obſ. Med. IX. p.* 31. *Ceterum aliud* Elixir Vitæ Bononienſe, *longæ, immo diffuſæ Compoſitionis, Vid. in* BIERLINGII Append. Medicam. *Cap. XIII. p.* 75. *ſqq. quod totum fere pharmacopolium continet: de quo tamen incredibilia, quin & ridicula, ibidem promittuntur.*

Doſis a drachma una, ad unciam ſemis.

Elixir Vitrioli Mynſichti.

Diſpenſ. Wirt. Argent. Armament. Sect. 18. *p.* 269. *Batean. p.* 41.

℞. Calami aromatici, *unc. unam.*
Galangæ minoris, *unc. unam ſemis.*
Zinziberis albi, *drachm. tres.*
Menthæ criſpæ,
Salviæ acutæ, *ana unc. ſemis.*
Caryophyllorum,
Cinnamomi electi, *ana drach. tres.*
Cubebarum,
Nucis Moſchatæ, *ana drachm. duas.*
Ligni Aloës ponderoſi,
Corticum Citri, *ana drachm. unam.*
Inciſis & contuſis ſuperfunde,
Spiritus vini rectificati, *libram unam ſemis.*
Macerentur per quatuordecim dies, deinde addantur
Spiritus Vitrioli, *unciæ duæ.*
Digerantur per ſex dies, tum expreſſa per emporeticam colentur.
Reſiduo
Spiritus Vini, *uncias quinque vel ſex* affunde,

Digere, & eſſentiam reliquam extrahe, quam cum priori conjunge, &

Sachari albi, parum toſti, *unc. quatuor* ſuperfunde,

Atque poſt digeſtionem, a fecibus mediante filtro ſeparatam, ſerva.

Stomachicum eſt egregium, præſertim frigidis, pituitoſis, & flatuoſis, convenit, & appetitum excitat: Sed plura alia elogia, his ipſis longe majora & ſplendidiora ipſe larga manu, congeſſit Mynſichtus, *loc. cit. pag.* 270. *Conf.* SCHULZ. *Præl. pag.* 100. & CARTHEUS. *Pharmac. p.* 369.

Doſis guttæ quinquaginta ad ſexaginta quinque.

Emplaſtrum Abbatis *de Grace.*

Diſpenſat. Pariſ.

℞. Olei Roſati, *uncias ſedecim.*
Succi Roſarum pallidarum defaecati,
Lithargyrii præparat. *ana uncias octo.*
Plumbi albi præparati, *uncias duas.*

Coquantur ex Arte, in Emplaſtri conſiſtentiam; poſtea his ipſis adde:

Ceræ flavæ, *uncias quatuor.*

Fiat Emplaſtrum, ſecundum Artem.

Blande refrigerat, dolores acres obtundit, ſordida ulcera ſiccat, & ad cicatricem perducit, & idem fere præſtat, ac Emplaſtrum album, ſeu de Ceruſſa, de quo mox, ut & Emplaſtrum de lithargyrio. Hinc plurimum valet ad membra ambuſta. Vitandus vero vel maxime ipſius uſus, propter vim nimis refrigerantem & ſtypticam, in podagra, Eryſipelate, Morbo articulari & rheumatico, & omnibus iis tumoribus & inflammationibus, quæ ſine ſummo vitæ & ſanitatis diſcrimine, refrigerantia & repellentia ferre non poſſunt, ceu notum.

Emplaſtrum contra Abortum, Umbilico Applicandum.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Maſtichis,
Mumiæ,
Olibani,
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Florum Balauſt.
Roſarum, *ana unciam unam.*
Sanguinis Draconis,
Boli Armenæ,
Lapidis Hæmatit. *ana unciam ſemis.*

Pulveriſata Miſceantur, & cum

Ceræ Citrinæ,
Reſinæ, *ana libra una.*

Liquatis, fiat Emplaſtrum, & exinde formentur Magdaliones,

Uſus in denominatione ipſa indicatur.

Conf. infra, ſuo loco, *Emplaſtrum Gravidarum,* ex FULLERI Pharm. Extemp. pag 96. ad eundem ſcopum. Alia hujusmodi *Emplaſtra contra Abortum,* Vid. in RIVERII Praxi Med. Lib. XV. cap. 17. pag. 479. opp.

Emplaſtrum contra Abortum, Lumbis Applicandum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Emplaſtri præcedentis, *libram unam.*
Unguenti Comitiſſæ, *unc. un. ſemis.*

Miſceantur, & Fiat lege Artis, Emplaſtrum. Cujus Virtutes Nomen jam indicat.

Emplaſtrum Adhæſivum.

Diſpenſat. Edinburg.

℞. Emplaſtri Diachyl. ſimpl. *libr. duas.*

Picis Burgundicæ, *libram unam.*

Liqueſcant ſimul, ut Fiat Emplaſtrum: quod aliquanto auctius deſcriptum extat in Pharm. Bat. pag. 41.

Emplaſtrum Album Coctum.

Diſp. Vienn. Wirt. Arg. Prag. Brand. Hamb. & rel.

℞. Olei, *libras duas.*
Ceruſſæ, *libram unam ſemis.*
Ceræ albæ, *uncias quatuor.*

Ceruſſam cum oleo, leni igne, ad debitam conſiſtentiam coquendo, ſub coctione modicum aquæ fontanæ continuo inſtillando, & tandem ceram in eo liquefaciendo, fiat emplaſtrum.

Leves cutis exulcerationes, intertrigines ſanat; ſiccat, refrigerat, & vulneribus ac ulceribus cicatricem inducit.

Emplaſtrum Album Frigidum.

GRIM, *Laborat. Ceylon. pag. 69.*

℞. Ceruſſæ, *libram ſemis.*
Salis Saturni, *unciam unam.*
Ceræ ex Bacc. Cinnamom. *lib. ſemis.*
Citrinæ, *libram unam.*
Olei Nymphææ,
Ranar. *ana quantum ſufficit.*

Miſc. Fiat Emplaſtrum.

Iſtud non ſuo deerit officio, inquit ibi Cl. Auctor. in phlegmone, Eryſipelate, calidis ulcerationibus, & inflammationibus, circa ulcera. Non penitus equidem nego. Interim tamen iſto ſuo officio, officiet magis in Eryſipelate; ut ſupra jam monuimus, ad Emplaſtrum Abbatis. *Aliud* Emplaſtrum, *ſeu* Ceratum album *vid.* in Pharm. Bat. p. 26.

Emplaſtrum de Ammoniaco.

Diſp. Vienn. Wirt. Lond. Arg. Prag. Brand. Hamb. & reliq.

℞. Unguenti Dialtheæ, *unciam un. ſemis.*
Ceræ citrinæ, *uncias quatuor.*
Reſinæ Pini, *unciam unam.*

Super ignem colliquatis & colatis adde

Pulveris radicis Bryoniæ,
Iridis Florentinæ,
ſeminis Fœni græci, *ana drachm. ſex.*

Miſceantur, & in fine addantur,
Gummi Ammoniaci, in Aceto ſoluti, *unciæ duæ.*
Emplaſtri de Meliloto, *uncia una.*

Fiat Emplaſtrum.

Emollit & diſcutit, maturat & dolores mitigat.

Emplaſtrum Anodynum Rubrum.

Diſpenſ. Viennenſ.

℞. Ceræ flavæ,
Gummi Elemi,
Picis Burgund. *ana uncias ſex.*
Colophoniæ, *uncias quatuor.*
Boli Armen.
Minii, *ana ſemiunciam.*
Maſtichis,
Olibani,
Petrolei,
Styracis liquidae, *ana drachmas ſex.*
Croci, *drachmas duas.*
Terebinth. Venet. *unciam unam.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Aliud Emplaſtrum anodyn. haud rubrum, vid. in Diſp. Hamb. & alias, in Diſp. Argent.

Emplaſtrum Anodynum Aliud.

FULLER. *Pharm. extemp. pag. 91.*

℞. Emplaſt. de Minio, *uncias quatuor.*
Olei Lilior. *unciam ſemis.*

Terebinth. Venet. *drachmas duas.*
Opii,
Camphoræ,
Sacchari ſaturn. *ana ſcrupulos duos.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Utrique huic Emplaſtro vires inſunt anodynæ & paregoricæ; inſigniores tamen poſteriori Fulleriano, quoniam adjectum opium habet, quod etiam externe adhibitum, ſummum eſt anodynum, licet, quod equidem vehementer miror, de eo effectu notiſſimo, dubitet hic ipſe Fullerus: *contrarium tamen multis docente* WEDELIO, in Opiologia, *Lib. II. Sect. III. cap. I. pag.* 132. *ſqq. & p.* 126. *& alibi paſſim; aliisque liquido oſtendentibus, qui de opio ſcripſerunt, ſupra part. I. ad* opium, *laudatis, iſtas intra*, Emplaſtrum Barbarum magnum.

Emplaſtrum Antifebrile Michaelis.

Medicament. Famil. pag. 85. *Tab. Smaragd. p.* 153. *&* BOECLER. *Mat. Med.* Hermann. *Continuat. I. pag.* 702.

℞. Fuliginis Furni ſplendentis,
Telarum Aranear.
Terebinthinæ, *ana drachmas duas.*
Camphoræ, *ſcrupulos duos.*
Olei Aranearum, *drachmas duas.*

Miſc. Fiat lege Art. Emplaſtrum. Manuum Carpis applicandum.

Solo hoc Emplaſtro, ſe Senem 80. *Annorum, a febre quartana liberaſſe, gloriatur ibi* Michaëlis, *quod merito nobiſcum, mirantur Cl. Editores Diſpenſ. Brand. p.* 64. *ubi & aliæ ejusmodi Emplaſtrorum Antifebrilium compoſitiones habentur: conf. Diſp. Hamb. p.* 47. *& Vienn. p.* 110 *Prag. p.* 141. *Bat. p.* 42. *& p* 46. *quibus multum Virtutis tribuit plebs inprimis ruſtica ac pagana, ſæpius auxilium experta, quod ipſi aliquoties vidimus. Hinc ipſe quoque magnus* HOFFMANNUS *noſter, experientiæ veritate inductus, commendat ejusmodi Emplaſtra epicarpia, ex Terebinthina, Fuligine, Sale Ammoniaco, Araneis contuſis, pipere atque Theriaca, lege Artis, concinnanda,* Med. Syſtem. Rat. *Tom. IV. part. I. Sect. I. cap.* 2. *pag.* 69. *Item Cl.* SCHULZIUS, in prælect. *pag.* 102. *vidit olim Senem practicum, qui fœminæ gravidæ Tertiana laboranti, & termino partus propinquæ, poſt varia incaſſum adhibita Remedia præſtantiſſima, hoc ſolo Emplaſtro Antifebrili, in ſupprimenda febre, egregie profuit, quod infra hic adſcribemur.*

Emplaſtrum Antifebrile.

SCHULZII *Prælect. p.* 102.

℞. Theriacæ Veteris, *drachmas duas.*
Terebinthinæ, *drachmam unam.*
Florum Sulphuris,
Aluminis crudi,
Piperis, *ana ſcrupulum unum.*
Olei Rutæ deſtillati, *Guttas decem.*
Camphoræ, *Grana decem.*

Ex quibus probe mixtis, fiebant Emplaſtra duo, in Forma Thaleri, ad Carpum utriusque manus, applicanda.

Non dubito equidem, eximium hujus egregii Emplaſtri antipyrectici uſum eſſe poſſe, præſertim in mollioris & laxioris habitus ſubjectis, quali inſtructæ potiſſimum ſunt amabiles fœminæ, unde tanto citius tantoque facilius, ipſius Emplaſtri vis antifebrilis per apertos cutis tenerioris poros, cum fauſto ſucceſſu, penetrare poteſt. Ceterum idem præſtare ſolas Ranunculi Radices contuſas, vel plantis pedum ſuppoſitas, vel inter digitos applicatas, ruſticis & militibus eſt notiſſimum, uti obſervat BOERHAAVE, Hiſt. plan-

tar. *Tom. I. pag.* 51. *conf. infra* Emplaſtrum Thuris compoſit.

Emplaſtrum Antihyſtericum.

Diſpenſat. Edinburg,

℞. Galbani, *uncias duodecim.*
Tacamahacæ,
Ceræ flavæ, *ana uncias ſex.*
Aſſæ fœtidæ, *uncias quatuor.*
Folior. Rutæ,
Florum Matricariæ,
Seminis Cumini, *ana uncias duas.*
Terebinthinæ, *uncias ſeptem.*

Miſc. Fiat Emplaſtrum, ſecundum Artem, Herbæ vero & ſemen, terenda ſunt in pulverem.

Emplaſtrum Antihyſtericum, Sydenhami.

Cl. GAUBIUS, *de Formul. pag.* 335.

℞. Galbani, in Tinct. Caſtor. ſoluti & colati, *drachmas tres.*
Tacamahacæ, *drachmas duas.*

Miſc. Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Vires utriuſque hujus Emplaſtri ſunt eædem, nempe anthyſtericæ & anodynæ; ſi hoc brevioris quidem, vel illud longioris compoſitionis, prout ſcilicet lubet, ſuper Aluta orbiculata, pro umbilicali regione, extenſum, calidum admoveatur ipſi Umbilico, ſicut & ſequens.

Emplaſtrum Antihyſtericum, de Mayerne.

℞. Galbani puriſſimi, *uncias duas.*
Gummi Tacamahac.
Carannæ depurat. *ana drach. tres.*
Pulver. Cumini,
Nepetæ, *ana drachmam unam.*
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ, *ana drach. ſemis.*
Balſami Peruviani parum, *quantum ſatis.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Cujus Virtutes ſunt tales, quales præcedentium.

Emplaſtrum Antipleuriticum, Sylvii.

Diſpenſat. Hamburg.

℞. Emplaſtri diachyl. compoſ. *libr. un.*
de Cumino,
Meliloto, *ana uncias duas.*
Foliorum Tabaci,
Summitatum Flor. Hyperici,
Abſinthii, *ana unc. ſemis.*
Aloës,
Myrrhæ, *ana drachmas duas.*
Mercurii dulcis, *ſcrupulos duos.*
Gummi Tacamahacæ,
Anime, *ana drachmas tres.*
Lapidis Magnetis,
Camphoræ, *ana unciam ſemis.*
Fellis Tauri, *quantum ſufficit.*
Olei Terræ,
Hypericonis, *ana quantum ſatis.*

Miſceantur, Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Quod ſimulac operoſe compoſitum fuit, ſtatim in cœnum publicum projiciendum & a pleuriticorum lateribus dolentibus, quam longiſſime removendum. Quid enim mirabile, immo rectius, miſerabile Crama hoc, quæſo, faciat, ad acutos pleuritidis dolores obtundendos & pacandos? Quid ibi obſecro, Aloe & Myrrha, Lapis Magnes, Fellis Tauri quantitas, immo, ne quid ridiculæ ſcenæ deſit, ipſe quoque Mercurius dulcis, potiſſimum efficiant? Forte ergo, ut ex his quidem videtur, Auctor cum Fabro, Langio, Kirchero, Paullini, *aliiſque Vermium pa-*

tronis, pæne dixiſſem, Vermibus, crediderit, pleuritidem ipſam Morbum eſſe Verminoſum, quod huic ſuo Emplaſtro antipleuritico immiſcuit quoque anthelminthica amara & mercurialia. Si ergo ſola Emplaſtra, diachylon compoſ. de Cumino, ac Meliloto, excepta fuerint, reliqua omnia, ceu inutilia, immo & ex parte, nociva, ſunt abjicienda: licet nec illa ipſa Emplaſtra ſatis idonea ſint ad morbum lateralem mitigandum. Longe mitiora ſane, certiora ac tutiora Topica Remedia ſunt, in pleuritide ſopienda, Oleum Amydal. dulc. vel, quod melius adhuc, Oleum Lini, vel Semen lini lac contuſum & lacti, ad pulticulæ conſiſtentiam, incoctum, paucaque alia, fideliter jam olim a nobis relata, in Comment. de pleuritide, Cap. IV. pag. 53. ſqq. Ceterum aliud Emplaſtrum Antipleurit. hoc ipſo paullo melius, exhibit HOFFMANN. *ſenior, in* Theſauro Pharmaceut. *pag.* 64. *& Pharm. Bat.* 42. *conf. infr.* Unguentum pectorale.

Emplaſtrum Antipodagricum.

Diſp. Wirt. Leod. & in paucis aliis.

℞. Olei ſeminis Hyoſcyami,
Papaveris,
Lini, *ana uncias quatuor.*
Minii rubri, *libram unam.*
Aquæ Sambuci, *libram ſemis.*

Coque lento igne, ad ſolutionem Minii; adde

Saponis Veneti, *uncias tres.*

Hoc ſoluto adjiciantur,

Ceræ citrinæ, *unciæ duæ.*

Fiat lege artis emplaſtrum.

Viribus paregoricis hoc præfertur emplaſtro ſaponato Barbette, tenuiter ſuper lintea extenſum, partibusque dolentibus & ſpaſmo affectis ſuperpoſitum, dolores mitigat. Aliam Emplaſtri antipodagrici compoſitionem operoſiorem ex Zwelfero *depromtam, vid. in Diſp. Brand. & aliam, ibidem, p.* 67. *de qua infra, ſuo loco: aliam vero ſimpliciorem vid. in Pharm. Bat. p.* 43.

Nobis tamen, uti tantum non omnia, maxime vero repellentia, emplaſtica, contra dolores podagricos minus tutum videtur: Vid. Diſp. Brand. p. 65. *in Not. &* Diſſ. noſtr. de Veritate paradoxi *Hippocr.* 4. *pag.* 22. *ſqq. Conf. infra dicenda, ad* Emplaſtrum de Fuligine, antipodagricum.

Emplaſtrum Antitophicum.

Diſpenſat. Brand.

℞. Gummi Carannæ, *uncias duas.*
Tacamahacæ, *unc. unam ſemis.*
Ammoniaci,
Bdellii, *ana unciam unam.*
Benzoës, *unciam ſemis.*
Pulveris Succini, *drachmas ſex.*
Saponis Veneti, *drachmas duas.*
Ceræ, *uncias octo.*
Terebinthinæ Venetæ, *unciam unam.*
Olei Hypericonis, *quantum ſufficit.*

Miſceantur, Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Ad Tophos Nodosque Articulorum, qui longo temporis tractu, ſaxeam & quaſi inexpugnabilem duritiem nondum induerunt, ſenſim emolliendos ac reſolvendos, hoc quidem Emplaſtrum haud infelicis compoſitionis multum valiturum, haud dubitamus. Conf. infra Emplaſtrum Capucinorum.

Emplaſtrum pro Apoplecticis.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt: Vid. tamen JÜNGKEN. *Corp. Pharm. p.* 550.

℞. Gummi Galbani,
Opopanacis, *ana drachmas duas.*
Radicum Pyrethri,

Piperis longi,
Caſtorei, *ana drachmam unam.*
Terebinthinæ Venetæ, *drachm. tres.*
Olei deſtillati Succini, *ſcrup. unum.*
Fiat emplaſtrum.

In morbis ſoporoſis, Apoplexia & Paralyſi, capiti raſo applicari poteſt.

Emplaſtrum Arthriticum.

MYNSICHTI, pag. 514.

Diſpenſat. Brand.

℞. Olei Olivarum recentis, *libr. unam.*
Minii tenuiſſime triti, *uncias duas.*
Coquantur mixta, ad Conſiſtentiam Emplaſtri mediocrem, quibus adde
Ceræ Citrinæ, *libram unam.*
Seminis Hyoſcyami, ſubtiliſſ. pulveriſati,
Colophoniæ,
Terebinthinæ albæ, *ana unc. quatuor.*
Miſce, & Fiat, ut Artis eſt, Emplaſtrum juſtæ Conſiſtentiæ.

Anodynum eſt, inquit hic ipſe Mynſichtus, *inventor, propterea, præmiſſis prius univerſalibus, Arthriticis, podagricis; nec non aliis cruciatibus, quovis Tempore, utiliſſimum: Quia omnes fere dolorum injurias mire ſedat atque placat. Quod quidem verum eſſe poteſt, inprimis propter Minium & Semen Hyoſcyami, de cujus virtutibus externis anodynis, vid. ſupra Part. I. dicta: interim tamen in ipſa podagra, & hoc, & omnia ſimilia Emplaſtra refringerantia & paregorica, rectius tutiuſque omittuntur, quam admittuntur. Vid ſuperius dicta, ad* Emplaſtrum Antipodagricum: *& infra* Emplaſtrum *de* Hyoſcyamo.

Emplaſtrum de Baccis Lauri.

Diſpenſ. Florent. p. 280. Wirt. Brand. & rel.

℞. Baccarum Lauri, *uncias quatuor.*
Cyperi rotundi,
Coſti amari, vel corticis Winterani,
Thuris,
Maſtiches,
Myrrhæ, *ana unciam unam.*
Fiat omnium pulvis; poſtea
℞. Ceræ citrinæ, *uncias octo.*
Reſinæ, *uncias duas.*
Super ignem liquatis adde
Olei laurini,
Terebinthinæ, *ana uncias duas.*
Quibus pulverem reliquorum immiſce, ut fiat emplaſtrum.

Diſcutit & reſolvit; hinc in Tympanitide, Hydrope, & affectibus a flatibus ortis, abdomini ſuper imponitur.

Emplaſtrum Balſamicum.

FULLER. *Pharm. extemp. p. 93.*

℞. Emplaſt. diapalmæ, *uncias duas.*
Terebinthinæ Cypr.
Ceræ citrinæ, *ana unciam ſemis.*
Liquatis his probe, adde:
Olei Nucis Moſchat. Chym. *guttas ſedecim.*
Balſami Tolutani pulver. *unc. unam.*
Miſce Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Ad Lumborum debilitatem, dolorem, & Fluorem album, dorſo adhibeatur: Quod ſi pruritum valde moleſtum excitaverit; aliquando ſeponatur, per dies aliquot, & poſtea rurſus, ſi opus, applicetur.

Emplaſtrum Barbarum Magnum.

Diſpenſ. Lond. conf. MYREPS. de Emplaſt. *cap.* 35.

℞. Picis ſiccæ, *libras octo.*
Ceræ Citr. *Libras ſex, uncias octo.*

Reſinæ Pini, *Libras quinque, unc. quatuor.*
Bituminis Judaic. vel Mumiæ, *libr. quatuor.*
Olei, *Libram unam ſemis.*
Aeruginis æris,
Lithargyrii,
Ceruſſæ, *ana uncias tres.*
Thuris, *libram ſemis.*
Aluminis liquidi, vel Rochæ non uſti, *unc. unam ſemis.*
Sciſſilis, vel Rochæ combuſt. *uncias quatuor.*
Opoponacis,
Squamae æris,
Galbani, *ana drachmas duodecim.*
Aloës,
Opii,
Myrrhæ, *ana unciam ſemis.*
Terebinthinæ, *libras duas.*
Succi Mandragoræ, vel Cort. Rad. ſicc. *drachmas ſex.*
Aceti, *libras quinque.*

Lithargyrus, ceruſſa, oleum coquantur, ad mellis ſpiſſitudinem: pix liquefacta, cum pulvere Bituminis incorporetur: addantur & coquantur alia, donec Acetum conſumatur, nec manus inquinentur.

Vires habet refrigerandi, ſiccandi, conſolidandi, & conſolandi, ſeu mitigandi dolores, propter opium & Mandragoram. Vid. ſupra dicta, ad Emplaſtrum Anodynum.

Emplaſtrum, ſive Ceratum de Betonica.

Diſp. Prag. Wirt. Lond. Edinb. & rel.

℞. Ceræ flavæ,
Reſinæ Pini,
Terebinthinæ, *ana uncias duas.*

Liquefactis reſina & cera, colatisque, ac aliquantum refrigeratis Terebinthinam adde, hisque unitis pulveres ſubtiliſſimos

Betonicæ, *unciam unam.*
Maſtiches,
Mumiæ,
Thuris, *ana drachmas duas.*
Miſc. Fiat Emplaſtrum.

Chirurgi hoc emplaſtro ſive Wirzii, *ſive* Andernaci, *ſive denique* Hildani, *utuntur in contuſionibus & vulneribus capitis; eſt etiam ad cephalalgiam, catarrhos & alios capitis morbos utile; capillis prius deraſis vertici imponitur, & temporibus applicatur. Vid.* SCHULZII Prælect. *pag. 59. præſertim autem* Simon. PAULLI Quadripart. Botan. *pag. 223. ubi admirandum enarrat hujus Emplaſtri effectum, in profundiſſimo & periculoſiſſiſſimo ſincipitis vulnere, feliciter perſanando, quem ipſe præſens, vidit.*

Emplaſtrum ad Bubones Venereos Diſſipans.

Herm. BOERHAAVE, *Mat. Med. pag. 117.*

℞. Florum Sulphuris, *uncias duas.*
Mercurii nigri, *drachmas duas.*
Sacchari Saturni, *drachmas tres.*
Emplaſtrum, de Meliloto,
Cumino,
Galbano,
Ammoniaco,
Sagapeno, *ana unciam ſemis.*

Miſceantur, Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Emplaſtrum Simile Ejusdem.

Mat. Med. pag. 177. & GAUB. *de Formul. pag. 335.*

℞. Florum Sulphuris, *unciam ſemis.*
Sacchari Saturni, *drachmam unam.*
Picis Sutoriæ, *uncias duas.*

Miſce.

Miſc. Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Bina hæc egregia plane viri maximi Emplaſtra, præſertim autem prius poſitum, fortiter potenteſque reſolvunt diſſipantque tetros Bubones venereos, nimium inveteratos, atque hinc cedere fere neſcios. Quare eximii plane & explorati ſunt uſus utraque, quod ipſum condide grateque hic publice fatemur, aliquoties re ipſa, in pluribus ægrotis Venerea labe tabeque infectis, læti quondam experti. Reſolvimus quoque plus ſimplici vice, ingentia & ſaxea quaſi Teſticulorum, horrendum in modum, turgidorum, pondera, iisdem præſtantiſſimis Emplaſtris, potiſſimum vero priori, cui quippe ob adjecta illa egregia quinque Emplaſtra emollientia diſſipantia, major utique vis ineſt reſolvendi & diſcutiendi, uti nempe cuivis notum. Conf. infra dicenda, ad ejusdem viri maximi Emplaſtrum ad Contuſa, *dictum.*

Emplaſtrum Cæſaris.

Diſpenſat. Lond. p. 373.

℞. Roſarum rubrarum, *unc. unam ſemis.*
Radicis Biſtortæ,
Nucum Cupreſſi,
Santalorum omnium,
Menthæ,
Seminis Coriandri, *ana drachm. tres.*
Maſtichis, *unciam ſemis.*
Hypocyſtidos,
Acaciæ,
Sanguinis Draconis,
Terræ Sigillatæ,
Boli veræ,
Corallii rubri, *anc drachmas duas.*
Terebinthinæ, Aqua plantaginis lotæ, *uncias quatuor.*
Olei Roſacei, *uncias tres.*
Ceræ albæ, *uncias duodecim.*
Reſinæ Pini, *uncias decem.*
Picis, *uncias ſex.*
Succorum Plantaginis,
Sempevivi,
Telephii, *ana unciam unam.*

Ceræ, Reſinæ, Pici, ſimul liquatis, adde Terebinthinam & Oleum: Inde Hypociſtidem & Acaciam, in dictis Succis, diſſolutas, & tandem pulveres, ut Fiat ex Artis Regulis, Emplaſtrum.

Magnificum imo Cæſareum adeo, Nomen habet hoc Emplaſtrum, utinam & magnificas atque Cæſareas quaſi virtutes, etiam haberet! Interim tamen, ut ſerio quidem loquamur, uſibus ſuis egregiis haud prorſus deſtituitur, qui nempe ſunt refrigerantes, mundantes, leniter adſtringentes, ſanantes atque conſolidantes. Quid vero ſemen Coriandri, & quidem tam exigua doſi, in hoc longæ compoſitionis Emplaſtro, potiſſimum faciat; id equidem vix divinare valeo. Ceterum vid. infra, Emplaſtrum Imperiale.

Emplaſtrum de Calaminari Lapide, Chirurgorum Pamphilus Dictum.

Diſpenſat. Brand.

℞. Lapidis Calaminaris,
Lithargyrii, *ana libram unam.*
Olei Olivarum, *uncias undecim.*

Lapide Calaminari & Lythargyrio, in tenuiſſimum pollinem redactis, ſubige Maſſam cum Oleo, & leni igne, coque, ad Conſiſtentiam Emplaſtri.

Habet virtutem refrigerantem & exſiccantem, veluti Emplaſtrum illud alterum, Griſeum, *vulgo dictum, cujus deſcriptio infra, ſuo loco, extat.*

***

Emplaſtrum Camphoratum Stahlii.

Diſpenſat. Brand. Aliud extat in Pharm. Bat. pag. 41.

℞. Olei Olivarum, *libram unam.*
Minii cribrati, *libram ſemis.*

Coquantur ad Diſſolutionem Minii; adde refrigeſcenti,
Camphoræ pulveriſatæ, *uncias duas.* tumque formentur ſtolones.

Virtus huic eleganti Emplaſtro ineſt refrigerans, reſolvens atque anodyna; hinc opportune applicatum, proderit: & eſt longe experientia commendatiſſimum, inquit Schulzius, *in* prælect. *p.* 105.

Emplaſtrum Capucinorum.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Gummi Ammoniaci,
Olibani,
Maſtichis,
Tutiæ præparatæ, *ana unciam unam.*
Euphorbii,
Pyrethri,
Salis communis, *ana uncias duas.*
Picis navalis, *uncias tres.*
Terebinthinæ, *unciam.*
Ceræ flavæ, *uncias tres.*

Pix, therebinthina & cera leni igne fundantur, quibus colatis reliqua in pulverem trita immiſceantur.

Rev. Patres Capucini, qui preces per multas horas, genibus flexis exſequuntur, hoc emplaſtro uti ſolent, ad nodos duros reſolvendos; unde nomen.

Potenter reſolvit & diſcutit. Propter Euphorbium etiam rubefaciens eſt, hinc cum circumſpectione & caute applicandum. Conf. ſupra Emplaſtrum Antitophicum.

Emplaſtrum Carannæ,

Seu

Emplaſtrum ad Tempora.

Diſpenſat. Hamb.

℞. Gummi Carannæ, *libram ſemis.*
Aſphalti, *unciam unam.*
Colophonii, *uncias quinque.*
Terebinthinæ optimæ, *unciam unam.*

Miſce omnia, & Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Quod temporibus, ex more applicatum, Catarrhos creditur a capite ipſo arcere, oculos a lippitudine cuſtodire, minaces Capitis dolores avertere, vel præſentes jam, compeſcere, aurium tinnitum abigere, & alia plura commoda capiti ipſi, & dentibus præſtare, quæ vulgo jactant bonæ Aniculæ edentulæ, aut re ipſa, jamjam expertæ, aut blandula ſpe inductæ, ſeſe aliquando eſſe experturas. Ceterum aliud pro Temporibus, Emplaſtrum operoſioris, & pretioſioris compoſitionis extat in Diſpenſat. Brand. p. 75. *& aliud elegantioris præparationis, apud* Hoffmann. *in Not. ad* Poterii *Pharmac. Spagyr. Lib. III. pag.* 486. *Edit. Venetæ.*

Emplaſtrum Carminativum.

Fuller. *Pharm. Extemp. pag.* 93.

℞. Terebinth. Venetæ, *drachm. unam.*
Salis Volat. Salis Armon. *ſcrup. duos.*
Camphoræ, *ſcrupulum unum.*
Olei Cymini, *guttas ſedecim.*

Miſceantur, & tum adjiciantur ſequentia.

Emplaſtri, de Cymino, vel Baccis Lauri, *unc. ſemis.*
Reſinæ commun. *drachmam unam.*
Ceræ Citrinæ, *drachmam ſemis.*

Simul liqueſiant ad ignem; & quum

ferme refrixerint, ceteris, ſecundum Artem, commiſceantur.

Humores viſcidos, in membro aliquo impactos, illudque gravantes, corrigit & removet: partes nervoſas, tono fractas, & impotentes, roborat & reſtituit. Doloribus Articulorum medetur. Fulleri *ipſius hæc eſſe Verba, vel, me tacente, ex ipſa Latinitate ſingulari, haud dubie, patebit. Sed in verbis quidem ſimus faciles; modo in re ipſa conveniamus, ut vulgo dicitur.*

Emplaſtrum Carminativum Sylvii.

In Prax. Med. Lib. I. cap. 14. *p.* 188.
Diſpenſ. Leod. Brand. Hamb.

℞. Gummi Galbani,
Ammoniaci,
Bdellii, pulveriſator. *ana unciam ſemis.*
Thuris maſculi,
Myrrhæ rubræ, *ana drachm. duas.*
Opii Thebaici, *drachmam unam.*
Ceræ Citrinæ,
Colophoniæ, *ana drachmas tres.*
Balſami Peruviani,
Olei philoſophorum, *ana drachmam unam.*
Petræ, *drachmam ſemis.*
Carvii ſtillatitii, *ſcrupulum ſemis.*
Terebinthinæ Venetæ, *quant. ſatis.*

Miſceantur, & Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Cujus Virtutes, flatus diſcutiendi, & ſtomachum mentem fulciendi, vel ex ipſo inſcripto nomine, latis opinor, patent. Conf. ſupra, Ceratum ſtomachicum, *& infra,* Emplaſtrum ſtomachicum: *quæ ſimiles præſtant, effectus. Ceterum & ad Tumores externos, ab internis Inteſtinorum flatibus, obortos, diſcutiendos, hoc ſuo Emplaſtro feliciter uſus eſt* Sylvius, *ceu ibidem, adnotavit. conf.* Schulzii prælect. *pag.* 105.

Emplaſtrum Catagmaticum Primum.

Diſpenſat. Lond. Leod.

℞. Succi Radicis Althææ, *uncias ſex.*
Cort. Rad. Fraxini, & Foliorum ejus.
Rad. Conſolidæ majoris, & minoris, una cum foliis, *ana unc. duas.*
Baccarum Myrtill. *unciam unam ſemis.*
Foliorum ſalicis,
Summitatum Hyperici, *ana manip. unum ſemis.*

Contuſis contundendis, bulliant ſimul in Vini rubri adſtringentis, & Aquæ Fabarum, *ana libris duabus,* ad medias: deinde Colaturæ adde,
Oleum Myrtini,
Roſacei,
Omphacini, *ana libram un. ſemis.*
Sevi Hircini, *uncias octo.*

Denuo coquantur, ad Conſumtionem Decocti, iterum colentur, & tum Colaturæ denuo adde:
Lithargyri Auri,
Argenti,
Minii, *ana uncias quatuor.*
Ceræ flavæ, *libram unam.*
Colophoniæ, *libram ſemis.*

Coquantur, ad Conſiſtentiam Emplaſtri; tum adde:
Terebinthinæ claræ, *uncias duas.*
Myrrhæ,
Thuris,
Maſtiches, *ana unciam ſemis.*
Boli Armenæ,
Terræ Sigillatæ, *ana unciam unam.*

Baculo optime agitentur, dum decoquuntur, & Fiat Emplaſtrum, ſecundum Artem.

Uſus ejus potiſſimum eſt in oſſium fracturis ſanandis & conſolidandis, unde

eſt Nomen ipſi etiam impoſitum, & cuivis, opiner, notum, Græcæ præſertim Linguæ haud experti. Juſto tamen operoſior & pretioſior mihi videtur Compotio hujus Emplaſtri, ex Veterum ſcilicet ſolito more. Sed nec adſtrictior ac parcior altera, quæ nunc ſequitur, deſcriptio.

Emplaſtrum Catagmaticum Secundum.

Diſpenſ. Lond. Argentorat.

℞. Rad. Symphyti majoris,
Althææ,
Viſci Quercini, *ana uncias duas.*
Plantaginis,
Chamaepytios,
Hyperici, *ana manipulum unum.*

Fiat decoctio, in aequis partibus Vini nigri & Aquae Fabrorum, ad Medias. Colaturae adde:

Mucilaginis Seminis Cydoniorum, in decocto Ariſtolochiae rotundae, extractae,
Olei Maſtichini,
Roſacei, *ana uncias quatuor.*

Coquantur denuo, ad Humiditatis abſumtionem; deinde rurſus Colaturae adde:

Lithargyri Auri, *uncias quatuor.*

Coque ad Conſiſtentiam Emplaſtri, tum adde:

Cerae Citrinae, *uncias quatuor.*
Terebinthinae, *uncias tres.*
Colophoniae, *drachmas ſex.*
Picis navalis, *uncias decem.*
Pulveris Balauſtiorum,
Roſarum,
Myrtillorum,
Acaciae, *ana unciam ſemis.*
Mumiae,
Seminis Hyperici,
Maſtiches,
Succini, *ana drachmas ſex.*
Boli Armenae,
Farinae Volatilis,
Thuris, *ana drachm. duodecim.*
Sanguinis draconis, *uncias duas.*

Fiat ex his, ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Easdem habet Virtutes cum præcedenti Emplaſtro, inde & idem Nomen. Hinc ad Fracturas oſſium ſanandas, & Callum facilius producendum, eſt apprime utile & idoneum. Ceterum conf. infr. Emplaſtrum *ad* Fracturas.

Emplaſtrum Catarrhale,

Diſpenſat. Brand.

℞. Gummi Carannae, *drachmas duas.*
Elenci,
Tacamahacae,
Maſtiches electae, *ana unc. unam.*
Opii Thebaici, *drachmas duas.*
Terebinthinae Venetae, *quantum ſufficit.*
Olei Nucis Moſchatae, *drachm. un.*
Balſami Indici, *ſcrupulos duos.*

Miſceantur, Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Cujus præcipuus uſus vel ex ipſo Nomine patet. Vid. SCHULZ. prælect. *pag.* 106. *ubi exemplo probat hujus Emplaſtri virtutes.*

Emplaſtrum Catarrhale aliud.

Diſpenſat. Hamb.

℞. Gummi Tacamahacæ, *libram unam.*
Ceræ Citrinæ, *unc. octo.*
Olei Amygdalar. dulc. *uncias quatuor ſemis.*

Miſce, & Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Cujus vires nempe ſunt eædem, ac in præcedenti. Aliud Emplaſtrum Catarrhale vid. in Pharm. Bat.

Emplaſtrum Cephalicum,

Diſpenſat. Brand.

℞. Gummi Tacamahacæ,
Benzoës,
Styracis Calamitæ,
Maſtiches,
Hederæ,
Olibani,
Ladani puri, *ana unc. duas.*
Cinnamomi,
Terebinthinæ Venetæ, *ana unc. unam.*
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ, *ana unc. ſemis.*

Cum ſufficienti quantitate Styracis liquidæ, Fiat lege Artis, Emplaſtrum,

Emplaſtrum Cephalicum,

Diſpenſ. Edinburg.

℞. Tacamahacæ, *unc. duas.*
Labdani,
Styracis Calamit. *ana ſemiunciam.*
Ceræ flavæ, *unc. tres.*
Reſinæ albæ, *unc. unam.*
Myrrhæ,
Caſtorei, *ana drachm. duas.*
Terebinthinæ Venetæ, *unc. tres.*
Olei ſtillatitii, Lavendulæ,
Succini, *ana drach. unam.*

Miſce; Fiat Emplaſtrum, ſecundum Artem, Olea vero ſtillatitia addenda ceteris, ab igne remotis, & fere refrigeratis.

Emplaſtrum Cephalicum, Collegii Lugdunenſis.

Diſp. Lugd.

℞. Gummi Pini, *libram unam.*
Tacamahac. *libram ſemis.*
Ladani puri,
Maſtiches,
Myrrhæ electæ,
Succini, *ana unc. unam ſemis.*
Caryophyllorum,
Granorum Kermes,
Nucis Moſchatæ,
Santali citrini,
Semin. Nigellæ Rom. *ana drach. ſex.*
Florum Anthos,
Chamæmeli duplicis,
Stœchados Arabicæ, *ana unc. ſem.*

Fiat, ut Artis eſt, Emplaſtrum.

Vires utriusque hujus Emplaſtri ſunt Cephalicæ, nervinæ, anodynæ, roborantes & reficientes. Simile fere maximam quidem partem, Emplaſtrum Cephalicum extat in Diſpenſ. Lond. quod ut magis ſcilicet placeret delicatioribus, & minus juvaret ægrotos, adjectum quoque habet ſtercus columbinum. Sed turpe profecto eſt Medico honeſto, tractare fimum. Conf. infra dicenda, ad Emplaſtrum Hydropicum.

Emplaſtrum Cephalicum,

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 93.

℞. Emplaſtri de Betonica, *unc. ſemis.*
Gummi Carannæ,
Tacamahacæ, *ana drachm. tres.*
Pulv. Balſ. Tolutani, *ſcrup. duos.*
Balſ. peruv. vel Copaivæ, *ſcrup. unum.*

Miſce: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Caput calefacit & roborat, inquit ibi Fullerus, convenire creditur in Cephalalgia, Vertigine, incubo, Epilepſia, Paralyſi, & Surditate, atque ad præcavendos Affectus convulſivos & ſaporoſos, præſcribi ſolet. Et juvat in his, vel omnibus, vel ſingulis, ſi poteſt: quod ego hic merito addiderim.

***

Emplaſtrum Cephalicum Grimii.

Laborat. Ceylon. p. 67.

℞. Baccarum Cinnamomi,
Foliorum Cinnamomi, *ana libr. ſemis.*
Gummi Elemi, *unc. duas.*
Olei ſtillat. Baccarum Cinnamomi, *drach. unam.*
Coct. Baccar. Cinnamomi, *libram ſemis.*
Ceræ citrinæ, quantum ſufficit, ad Emplaſtrum.

Iſtud Virtutem laude dignam continet, reſpectu Caſuum atque Contuſionum Capitis, quæ magnum mirantur periculum. Grim. Invideo fere Ceylonenſium felicitati, quibus, ob Terram beatam, ſolis pæne datum eſt, hoc præſtantiſſimum habere Emplaſtrum. Nobis vero haud licet eſſe tam beatis, quia omnia fere nobis deſunt. conf. ſupra dicta, ad Theriacam *&* Diaſcord. Ceylon. *& infra, ad* Tinct. Bez. Ceylonicam.

Emplaſtrum, *ſive* Ceratum Citrinum.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Norimb. & reliq.

℞. Reſinae, *libram unam.*
Cerae citrinae, *unc. octo.*
Sevi cervini, *unc. quatuor.*
Terebinthinae, *unc. duas.*

Fiat Emplaſtrum, omnia liquando & colando, atque pro colore pulveris
Curcumae, *unciam ſemis* addendo

Ad ulcera & vulnera maturanda, valet. Hinc non contemnendum, in vulneribus præſertim recentibus, ubi nulla alia re opus eſt, quam ut labia juncta ſint, & æris liber acceſſus prohibentur. Ita SCHULZ. prael. *p.* 106.

Emplaſtrum, *ſeu* Ceratum Defenſivum Cœruleum.

Diſpenſat. Leid. Amſtel.

℞. Olei Olivarum, *libram dimidiam.*
Unguenti Nutriti,
Cerae flavae, *ana unc. quatuor.*
Smalthi, *uncias tres.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem Emplaſtrum, ſeu Ceratum.

Quod in eosdem uſus, ubi neceſſe, adhibendum, ac ſubſequent. rubrum & viride. Ab ipſo vero Smalto, *Nomen ſuum hoc Emplaſtrum traxit, ut* Cœruleum *appellaretur, quoniam iſtud* Smaltum, *ceu notum, ex chemicis, cæruleum potius habet colorem, quam cæleſtem virtutem. Tria ergo diverſi coloris Emplaſtra defenſiva in officinis pharmaceuticis proſtant,* Cœruleum *nempe* Rubrum *atque* Viride: *ne quid ſcilicet pompæ, aut ſcenæ deſit. Sæpius tamen notiſſimum illud pactæ & hic locum habet:* Nec defenſoribus iſtis Tempus (*immo &* Ulcus, *vel* Vulnus) eget.

Emplaſtrum Ceroneum.

Diſpenſat. Pariſ.

℞. Reſinæ Pini, *libras duas & ſemis.*
Picis navalis, *uncias decem.*
Ceræ flavæ, *unc. duodecim.*
Sebi vervecini, *unc. quatuor.*
Boli communis præp. *unc. decem.*
Myrrhæ,
Olibani,
Minii, pulveratorum, *ana unc. duas.*

Miſce; Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Quod ſiccandi, refrigerandi, ſanandi & conſolidandi Virtute pollet, ceu cuivis notum. Ceterum alia longe operoſior & copioſior ejusmodi Emplaſtri Ceronei Compoſitio extat in Diſpenſ. Lug-

dunenſi, ut & in nonnullis aliis Diſpenſatoriis: quam vero, ceu ſuperfluam, huc transferre, haud libuit.

Emplaſtrum de Ceruſſa.

Videatur

Emplaſtrum Album Coctum.

Emplaſtrum de Cicuta, cum Ammoniaco SCHROEDERI.

Diſp. Argent. Wirt. Prag. Leod. & rel.

℞. Succi Cicutæ, *unc. ſedecim.*
Aceti ſcillitici,
Gummi Ammoniaci, *ana unc. octo.*

Diſſolvatur Gummi ammoniacum in aceto ſcillitico, coletur, & addito ſucco cicutæ, rurſus inſpiſſetur ad pultis conſiſtentiam, addantur.

Pulveris Cicutæ, *unciæ octo.*
Ceræ liquatæ, *libra una.*
Olei Capparum, *unc. quatuor.*

Miſceantur leni calore, ut fiat Emplaſtrum. Conf. infra *Emplaſtrum Spleneticum.*

Potentiſſimum eſt reſolvens & emolliens, hinc in ſcirrhis & tumoribus, præcipue lienis, adhibetur. De quo effectu, ſingulare refert exemplum SCHULZ. *in* Prælect. *p.* 106.

Emplaſtrum ad Clavos & Verucas Pedum.

Diſp. Argent. Wirt. & reliq.

℞. Galbani, *unciam unam.*
Picis navalis, *unc. ſemis.*
Diachyli ſimplicis, *drach. duas.*
Viridis æris,
Salis armoniaci, *ana ſcrup. unum.*

Galbano in aceto diſſoluto, & ad ſpiſſitudinem evaporato, addatur pix & emplaſtrum diachylon, in fine ſal armoniacum & viride æris pulveriſata. Fiat Emplaſtrum.

Super verrucas & clavos in pedibus, dolorem & impedimentum inceſſui adferrentes, poſitum, tertio aut quarto die juviſſe, deprehenſum eſt.

Emplaſtrum ad Contuſa.

Herm. BOERHAAVE, *Mat. Med. p.*69.

℞. Rad. Bryoniæ, in farinam redactæ, *unc. duas.*
Florum Sulphuris, *unc. unam.*
Mercurii nigri, *drachm. tres.*
Galbani puri, & ſecund. Art. ſoluti, *unc. quatuor.*
Emplaſtri de Meliloto, *unc. novem.*
Olei Chamæmel. quantum ſufficit, ut
Fiat ex Arte, Emplaſtrum.

Laxans eſt, penetrans atque reſolvens; hincque in durioribus contuſionibus, & pertinacioribus Tumoribus reſolvendis & emolliendis, egregii prorſus eſt uſus. Inde & magna cum efficacia, adhibendum quoque erit in Bubonibus Venereis induratis, nec non Teſticulis, in ſcirrhum proxime abituris, relaxandis atque mitigandis: adeo, ut idem fere præſtet, ac alterum illud ejusdem Viri maximi Emplaſtrum, ad Bubones Venereos, diſſipans, *cujus deſcriptionem ſupra, ſuo loco, dedimus: quod ideo videndum. Ceterum aliud non minus egregium & efficax ad membra luxata & Nervos Contuſos, Emplaſtrum compoſuit Cel.* Jo. LANGIUS, *cujus deſcriptionem vid. in ejus* Epiſtolis Med. Lib. III. cap. 12. *p.* 869. *dignum omnino, quod in uſum revocetur.*

Emplaſtrum de Cruſta Panis.

Diſp. Flor. Maſſau. Wirt. Lond. Vienn. Brand. & rel.

℞. Cruſtæ panis, abunde fermentati,

mediocriter toſtæ, in pulverem tritæ, & aceto forti maceratæ, *uncias duas.*

Tacamahacæ, *unc. unam.*
Maſtiches electæ,
Caryophyllorum aromaticorum,
Nucis Moſchatæ,
Menthæ, *ana unc. ſemis.*
Ceræ citrinæ, *unc. ſex.*
Terebinthinæ,
Olei Maſtiches,
Cydoniorum, *ana unc. unam.*

Ceræ, cum terebinthina colliquatæ, olea & reliqua commiſcendo, fiat emplaſtrum.

Stomachale eſt, inque vomitionibus puerorum, & ubi concoctio non recte ſuccedit, ventriculi regioni applicatur. Vid. SCHULZ. *p.* 107. *conf. ſupra, Aqua panis, ſeu de Cruſta panis, pro uſu interno.*

Emplaſtrum de Cumino.

Diſpenſ. Leid. Wirt. Brand. Hag. Lond. & reliq.

℞. Ceræ citrinæ,
Emplaſtri Diapalmæ,
Olei Olivarum,
Seminis Cumini, *ana unc. ſex.*
Baccarum Lauri, *uncias duas.*
Olei deſtillati Cymini, *drach. unam.*

Cera, oleum & emplaſtrum leni igne liquentur, quibus pulvis ex cumino & lauri baccis optime immiſceatur; tandem oleum deſtillatum Cymini addatur & emplaſtrum, veſicæ bubulæ involutum, reponatur.

Reſolvit, flatus diſcutit, roborat, tympaniticis & hyſtericis prodeſt: item duros Mammarum ſcirrhos blande emollit. Vid. SCHULZII *Prælect. p.* 60. *ubi* Erudelii *teſtimonium & experientiam provocat.*

* * *

Emplaſtrum Defenſivum Rubrum.

Diſp. Wirt. Vienn. & reliq.

℞. Ceræ flavæ, *libras duas.*
Reſinæ, *unciam unam.*
Olei Roſarum, *unc. quatuor.*
Calcis vivæ, in aqua roſarum lotæ, & iterum exſiccatæ
Laterum, vel tegularum,
Boli Armenæ, *ana drachm. decem.*
Minii ſubtiliſſimi, *unc. ſemis.*
Camphoræ, in oleo ſolutæ, *dr. duas.*

Calx, tegulæ & bolus in pollinem ſubtiliſſimum edacta, immiſceantur ceræ & reſinæ cum oleo liquefactis, quibus ſemi refrigeratis camphora additur & fiat emplaſtrum.

Imponitur ad inflammationes arcendas, præcipue in vulneribus & ulceribus, ad præcavenda ſymptomata, & partes roborandas.

Emplaſtrum Defenſivum Rubrum.

BOERHAAVE, *Mat. Med. p.* 56. *Gaub. pag.* 336.

℞. Olei Roſacei,
Ceræ albæ, *ana unc. ſex.*
Boli Armen.
Sanguin. drac. *ana unc. unam ſemis.*
Roſar. rubr. pulv. *unc. ſemis.*

Miſc. & agita, donec frigefacta fuerint, Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Aliud Emplaſtr. defenſ. operoſioris Compoſ. vid. in Diſp. Edinb.

Emplaſtrum Defenſivum Rubrum Hamburg.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Olei Roſarum,

Myrtill.

Myrtill. *ana unc. tres.*
Ceræ, *unc. ſedecim.*
Farinæ Hordei,
Fabar. *ana unc. ſemis.*
Boli Armen.
Terræ ſig. rubr, *ana unc. unam.*
Sanguin. draconis,
Santali albi,
Citrini,
Rubr. *ana unc. ſemis.*
Miſc. Fiat Emplaſtrum.

Emplaſtrum Defenſivum Rubrum Wepferi.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Butyri recentis,
Olei Lini, *ana unc. ſex.*
Corticum viridium Sambuci recentium, *unc. quatuor.*
Coquantur leni igne, ad humiditatis conſumtionem; exprimantur. Expreſſo addantur
Cerae flavae,
Minii rubri, *ana unciæ ſex.*
Miſceantur, fiat emplaſtrum.

Uſus eſt in ulceribus antiquis, & per veſicatoria excitatis, ubi inflammationis metus eſt; in cancro ipſo exulcerato palliative confert, & dolores mitigat.

Emplaſtrum Defenſivum Viride Felicis Wurzii.

Diſp. Hamb. Wirt. Argent. Ratisb. Vienn.

℞. Ceræ citrinæ, *libram unam.*
Reſinae, *uncias duas.*
Sevi hircini, *unc. ſex.*
Terebinthinae, *unc. unam.*
Pulveris herbae Alchimillae, *unc. ſex.*
Miſce, fiat emplaſtrum.

NB. Si viridius deſideretur, ſingulis libris emplaſtri hujus adjicito Indici coloris cœrulei, optime triti, *ſcrupulum unum, vel drach. dimidiam.*

Leniter adſtringit, refrigerat, & nimium affluxum humorum a partibus affectis arcet.

Emplaſtrum Diabotanum Blondelli.

Diſpenſ. Pariſ. Wirt. Argent. Vienn. Pharm. Reg. CHARAS, *P. I. p.* 422. LEMERY, *Pharm. Univ. p.* 734.

℞. Herbarum recentium, cum radicibus, Bardanae,
Petaſitidis,
Calendulae,
Cicutae,
Chamaepytheos,
Leviſtici,
Valerianae majoris,
Angelicae hortenſis,
Enulae campanae,
Raphani ruſticani,
Cucumeris ſilveſtris,
Scrophulariae,
Illecebrae, ſive Sedi teretifolii,
Chelidonii majoris,
Chelidonii minoris,
Gratiolae, *ana uncias tres.*
Coque in aquae fontanae libris viginti, ad dimidias, cola, & expreſſis adde
Succorum Cicutae,
Chelidonii majoris,
Hormini, *ana libras duas.*
Illecebrae, *libram ſemis*
Evapora ad extracti mollioris conſiſtentiam; hujus extracti
Recipe libram ſemis, admiſce
Gummi Galbani,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Sagapeni, omnium in aceti ſcilli-

tici ſufficienti quantitate ſolutorum, & iterum inſpiſſatorum, *uncias duas*, repone.

Dehinc ℞. Lithargyrii pulveriſati, *libram unam.*

Olei Lumbricorum, de Catellis,
Meliloto,
Mucilaginibus, *ana unc. qnatuor.*
Aquae fontanae, *uncias decem.*

Coque una ad emplaſtri conſiſtentiam, cui ſucceſſive admiſce extractum, cum gummis permixtum, &

Sulphuris vivi, tenuiſſime triti, *uncias ſeptem ſemis.*
Radicum Iridis Florentinae,
Cyclaminis,
Ranunculi tuberoſi,
Coronae imperialis,
Serpentariae,
Ellebori albi, *ana drachm. tres.*
Sigilli Salomonis,
Ari, *ana unciam ſemis.*
trium Ariſtolochiarum, *ana drachmam unam.*
Baccarum Lauri, *drachm. duas.*
Seminum Angelicae,
Naſturtii, *ana drachm. tres.*
Cumini, *unc. unam ſemis.*
Fimi columbini, *unciam ſemis.*
Pulveris Bituminis judaici,
Olibani,
Maſtiches, *ana uncias quatuor.*
Tacamahacae, *uncias ſex.*
Bdellii,
Myrrhae, *ana unc. unam ſemis.*

His permiſcendo adde ſucceſſive
Cerae citrinae &
Picis liquatae, *ana libram ſemis.*

tandem admiſce
Styracis liquidae repurgatae, *unc. ſex.*
Camphorae, *drachmas ſex.* in
Olei Caryophyllorum, *unc. ſem. ſolutæ.*
Olei de Lateribus, *drach. decem.*

Fiat Emplaſtrum.

Nomen habet ab inſigni vegetabilium quantitate, ex quibus componitur.

Reſolvit tumores pituitoſos & ſcirrhoſos, & præfertur a nonnullis emplaſtro de ranis. Vid. SCHULZ. *Præl. p.* 108.

Emplaſtrum Diachalciteos

vide

Emplaſtrum Diapalmæ.

Emplaſtrum Diachylon Simplex.

Diſp. Brand. Wirt. Edinb. CHAR. *T. I. p.* 394. *Hag & rel.*

℞. Mucilaginum Fœni graeci,
Lini,
Radicum Altheae, *ana libr. unam.*
Olei clari Olivarum, *libras tres.*
Lithargyrii, in ſubtiliſſimum pulverem triti, *libras duas.*

Coque Oleum & Lithargyrium leni igne, perpetua agitatione, ſemper unciam unam aut alteram aquae fontanae inſtillando, ad ſolutionem Lithargyrii, & emplaſtri albi, ſubgriſei conſiſtentiam.

Poſtea addantur mucilagines, & continuata lenta coctione, ad juſtam emplaſtri conſiſtentiam redigantur.

Juvat maturationem tumorum durorum, ad ſuppurationem tendentium.

Emplaſtrum Diachylon Compoſitum, *ſive* cum Gummi.

Diſp. Brand. Wirt. Edinb. CHAR. *T. I. p.* 395. *Roterod.*

℞. Emplaſtri Diachyli ſimplicis, *libram unam*, adde
Gummi Ammoniaci,
Galbani, in aceto ſolutorum, *ana unciam unam.*

Croci pulveriſati, *drach. unam ſemis.*
Miſceantur.

Emollit, maturat, & digerit abſceſſum naſcentem, jam vero nati atque rupti reliquam duritiem reſolvit, ac emollit egregie.

Emplaſtrum Diagalbani,

Vid. Pharmac. Bat. & CHARAS, *Pharm. Reg. Part. I. p.* 404.

Emplaſtrum Dialthææ,

Hujus uſitatiſſimi & utiliſſimi Emplaſtri, in plerisque tamen diſpenſatoriis, neſcio quare, omiſſi, deſcriptionem & concinnam compoſitionem, vid. apud HOFFMANN. *in Not.* ad Poter. *Pharm. ſpag. Lib. III. p.* 487. *Convenit autem, excepto Lithargyrio, cum notiſſimo alias* Unguento Althaeae, *cujus deſcriptio infra, ſuo loco, habetur.*

Emplaſtrum Diapalmæ,

ſive Diachalciteos.

Diſp. Leod. Wirt. Lond. & rel.

℞. Axungiae porcinae,
Olei Olivarum,
Foliorum Quercus teneriorum, *ana libras duas.*
quae conſcindantur & impaſtentur cum axungia & oleo; poſtea coquantur ad humiditatis conſumtionem, colentur & exprimantur. Colaturae adde
Lithargyrii, in ſubtiliſſimum pollinem triti, *libras duas.*
Lentiſſimo igne, ſub perpetua agitatione, una coquantur, ſemper de ſolutione
Vitrioli unciarum trium, in Aquae fontanae, *libris duabus*
facta, parum inſtillando, donec conſiſtentiam emplaſtri acquiſiverint, coloris albi ſubcinerei.

Deſiccat; hinc ac ulcera ſordida, œdemata & contuſiones, abs Chirurgis adhibetur.

Emplaſtrum Diaphœnicon Calidum.

Diſpenſ. Lond. Florent.

℞. Cerae Citrinae, *uncias duas.*
Reſinae Pini,
Picis, *ana uncias quatuor.*
Olei Roſacei,
Nardini, *ana unciam unam.*
Simul liquatis omnibus, adde:
Pulpae Dactylorum, in Vino odorato maceratorum, *uncias quatuor.*
Carnis Cydoniorum, in Vino rubro coctorum, *unciam unam.*
Dein pulveres ſequentes adjice:
Panis bis cocti, in Vino odorato macerati & exſiccati, *uncias duas.*
Maſtiches, *unciam unam.*
Thuris,
Abſinthii,
Roſarum rubrarum,
Spicae Nardi, *ana drach. duas ſemis.*
Ligni Aloës,
Macis,
Myrrhae,
Aloës lotae,
Acaciae,
Trochiſc. Galliae Moſchatae,
e Terra Lemnia,
Calami aromat. *ana drachm. unam.*
Labdani, *uncias tres.*
Miſceantur: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Hoc & ætate, & inventore Meſue, & præclaris ſuis quoque Virtutis, venerabile & commendabile Emplaſtrum ſto-

machum ruentem fulcit, nauſeam cohibet. Vomitum compeſcit, alvi Tormina demulcet, diarrhœam ſiſtit, appetitum dejectum erigit ac reducit, & Vermes quoque ſenſim nido ſuo recondito exturbat: Adeo, ut multis nominibus, utile ſit, ac idem præſtat, quod expectari poteſt de Emplaſtro, de Cruſta panis, *dicto, de quo ſupra.*

Emplaſtrum Diaphœnicon Frigidum.

Diſpenſ. Brand. Florent. Lond. ZWELF. Animad.

℞. Ceræ, *uncias quatuor.*
Picis Navalis, *uncias quinque.*
Labdani, *uncias tres ſemis.*
Terebinthinæ, *unciam unam ſemis.*
Olei Roſacei, *unciam unam.*
Hiſce una liquatis, adde:
Pulpæ dactylorum, maturitati proximorum, in Vino auſtero coctorum, *uncias quatuor.*
Carnis Cydoniorum pariter coctorum,
Panis bis cocti, in Vino rubro ſæpius macerati & exſiccati, *ana unc. unam.*
Styracis Calamitæ colatæ,
Acaciæ,
Omphacii,
Balauſtiorum,
Santali citrini,
Trochiſc. e Terra Lemnia,
Myrrhæ,
Lign. Aloës, *ana unciam ſemis.*
Maſtiches,
Roſarum rubr. *ana unc. unam ſemis.*
Vini auſteri, quantum ſufficit, ad Succorum plenam ſolutionem.

Miſceantur: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Addit his idem Auctor vetuſtus Arabs Meſue, operoſam illam Trochiſcorum de Ramich, Arabice dictorum, compoſitionem, quæ extat in Diſp. Florent. p. 232. & *Pharmacop. Auguſt. aliisque Diſpenſ. antiquis; quam tamen, ceu ſuperfluam, aut certe aliquanto difficilius habendam, rectius omittunt Diſpenſat. Lond. Brand. & alia, item* ZWELFERUS, *in Animadverſ. ad Pharmac. Auguſt. loco ſupra citato.*

Ceterum autem hoc Emplaſtrum Diaphœnic. frigidum & Compoſitione ipſa, & effectu, multum convenit cum præcedenti Emplaſt. Diaphœnic. calido, ejusdem Auctoris, item cum Empl. de cruſta panis, ſupra laudato, ut & obſervat. SCHULZIUS *in prælect. p.* 111. *Ventriculum enim pariter roborat, Vomitum, choleram, lienteriam, dyſenteriam hepaticam, colicam & alia Abdominis mala ſanat, opportune adhibitum.*

Emplaſtrum Diaphoreticum Mynſichti pag. 509.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Ceræ flavæ, *uncias undecim.*
Colophoniæ,
Bdellii, *ana uncias quatuor.*
Succini citrini, *uncias tres.*
Gummi Ammoniaci,
Terebinthinæ puræ, *ana unc. duas.*
Galbani,
Sandarachæ, *ana unciam unam.*
Maſtiches,
Thuris electi, *ana unc. ſemis.*

Cera cum Colophonia liquetur & coletur; quibus, ab igne ſepoſitis & ſemirefrigeratis, Terebinthina & reliqua in pulverem contrita immiſcendo, fiat ſecundum artem emplaſtrum.

Potenter diſcutit ac extrahit humo-

res, tonum confortat, in iſchiadico malo, parotidibus, tumoribus œdematoſis pedum, & luxationibus applicari ſolet. Vid. de magnis hujus Emplaſtri Virtutibus, præter ipſum MYNSICHTUM, *p.* 510. *Cl.* CARTHEUSERI *Pharmacolog. p.* 735. *& B.* SCHULZII, *Prælect. p.* 111.

Emplaſtrum Diapompholygos.

Diſpenſ. Roterod. Brand. Wirt. Leod. Hag. & rel.

℞. Olei Solani, *libras duas ſemis.*
Ceræ albæ, *uncias triginta.*
Ceruſſæ,
Plumbi uſti, *ana libram ſemis.*
Pompholygos,
Olibani, *ana unc. quatuor.*
Ceruſſa & oleum leniſſimo igne, una cum
Aquæ Solani, *libra una.*

Coquantur, ad unguenti ſpiſſioris conſiſtentiam; quibus addatur Cera alba, &, cum ſub perpetua agitatione fere refrixerint, reliqua ſubtiliſſime trita, admiſceantur.

Refrigerat, exſicccat & dolores lenit.

Emplaſtrum Diapompholygos Hamburgenſium.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Olei Saniculæ, *libras tres.*
Ceræ flavæ, *libras ſex.*
Ceruſſæ, *libras duas.*
Plumbi uſti, *libras tres.*
Pompholygos,
Thuris, *ana libram unam.*
Terebinthinæ, *drach. ſex, vel quat. ſufficit.*

Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Cujus Virtutes ſunt eædem, ac præcedentis vulgo uſitati Emplaſtri diapompholygos, nempe refrigerantes, exſiccantes, mitigantes & anodynæ; hinc utrumque in ipſo diro cancro, quod ipſi experti ſumus, dolorum quidem præſtat levamen, non autem ipſius Mali juvamen.

Emplaſtrum Diaſulphuris Camphorat. Grimii. Laborat. Ceyl. p. 66.

℞. Ceræ ex Baccis Cinnamomi, *libr. ſem.*
Balſami Sulphur. Camphorat. *uncias duas.*

Ceræ citrinæ, quantum ſufficit ad Emplaſtrum.

Illud Emplaſtrum maximam efficaciam demonſtrabit, quoad tenaces, viſcoſos, & œdematoſos juncturarum tumores, vel alios ejusdem generis. Ita ipſe loquitur Grimius, *vere, ut videtur, & candide.*

Emplaſtrum Diaſulphuris Rulandi.

Diſp. Pariſ. Wirt. Batean. p. 42. *Roterod. & reliq.*

℞. Balſami Sulphuris Rulandi,
Ceræ citrinæ,
Colophonii, *ana uncias ſex.*
Pulveris Myrrhæ, *unc. octodecim.*
Miſce, fiat Emplaſtrum.

Reſolvit, mundat, exſiccat, & conſolidat; atque inprimis ad reſolvendas Strumas laudatur. Vid. SCHULZII, *prælect. p.* 111. 112. *ubi & neceſſarias cautiones circa hujus Empl. uſum addit.*

***

Emplaſtrum Divinum.

Jac. le Mort.

Diſp. Lugd. Wirt. Argent. CHARAS, *P. I.* p. 408. *Paris.*

℞. Lithargyrii optime triti, *libr. unam ſemis.*
Olei Olivarum, *libras tres.*
Coquantur lento igne, ſub perpetua agitatione, ad emplaſtri conſiſtentiam, adde
Cerae flavae, *uncias octo.*
Lapidis Magnetis praeparati, *libram dimidiam.*
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Bdellii, *ana unc. tres.*
Myrrhae,
Olibani,
Maſtiches,
Aeruginis,
Ariſtolochiae rotundae, omnium ſubtiliſſime tritorum, *ana unc. unam ſemis.*
Terebinthinae, *unc. quatuor.*
Probe mixta ſerventur.

Cum emplaſtro Opodeltoch convenit, & nomen videtur ſortitum eſſe ob egregias vires reſolventes, detergentes & confortantes. Vocatur & Manus Dei, *quaſi* divinum *haud ſatis eſſet, quod tamen nimium. Sed nec divinum eſt nec Dei Manum monſtrat, præſertim, ubi res jam conclamata eſt Verum aliud Empl. Man. Dei dictum, vid. apud* CHARAS, *P. I. p.* 406.

Emplaſtrum ad Dolores Dentium.

Diſpenſat. Argorat. Ratisbon.

℞. Gummi Carannae,
Maſtiches,
Elemi,
Tacamahacae, *ana unciam unam.*
Storacis Calamitae, *unciam ſemis.*
Olei Nuciſtae expreſſi, *ſcrupulos octo.*
Opii Thebaici, *unciam unam.*
Terebinthinae, *unciam ſemis.*
Miſce: Fiat, lege Artis, Emplaſtrum.

Ipſa Inſcriptio vires Emplaſtri hujus ſatis indicat: Applicatur vero ipſum temporibus, & pone aures, item &, ſi neceſſitas exegerit, ipſis Maxillis. Conf. ſupra, ſub Electuariis, Sotirella parva, *& infra ſuo loco,* Tinctura Odontalgica Maurit. Hoffmanni, *quæ ipſa nempe exeſis dentium dolentium cavernis, ad temporarium quoddam ſævorum cruciatuum lenimen procurandum, induntur, uti ibidem, ſuis locis, adnotatum. Ceterum* Odontalgicum Emplaſtrum, *infra ſuo loco, poſitum, eandem fere compoſitionem habet, eundemque uſum, & Nomen denique idem, licet græce expreſſum, uti vulgo quidem notum.*

Emplaſtrum ad Dolores Dentium, *ſeu* Odontalgicum.

HOFFMANN. *ad* POTERII *Pharmac. Spagyr. Lib. III. pag.* 487.

℞. Gummi Elemi,
Anime,
Storacis,
Ladani optimi, *ana drachm. unam.*
Olei Nucis Moſchat. expreſſi, *drachmas duas.*
Balſami peruviani, *ſcrupulum unum.*
Olei Ligni Rhodii,
Succini,
Majoranae, *ana guttas tres.*
Miſceantur: Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Egregia ſane & concinna hæc Vi-

ri maximi eſt Compoſitio, qui nihil unquam moliebatur inepte, ut ille ait, & ceteris fere palmam præripit: quamvis optarem, ut illi placuiſſet, non nihil Opii, vel Croci, vel Camphoræ, vel omnia hæc ſimul, adjicere. Sed præclare inventis, perquam facile eſt, aliquid addere, uti vulgo notum. Vid. interim Diſpenſ. Pariſin. uti ſimile fere Emplaſtrum odontalgicum *ad votum noſtrum occurrit, quod infra adjiciamur.*

Emplaſtrum ad Dolores Dentium.

Laz. RIVER. *Prax. Med. Lib. VI. Cap. I. pag. 285. Opp.*

℞. Nucum Cupreſſi,
Roſarum rubrarum,
Seminis Naſturt. torrefacti,
Maſtichis,
Terrae Sigillatae, *ana drachm. unam ſemis.*

Macerentur, in Aceto Roſarum, per horas quatuor, poſtea ſiccentur, & tum adde:

Opii in Aqua Vitae diſſolut. *dr. tres.*
Picis Navalis,
Colophoniae, *ana drachmam unam.*
Cerae flavae, in oleis expreſſis ſeminum Hyoſcyami & Papav. alb. liquatae, *quantum ſufficit.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Locis dolentibus, ut præcedens, applicandum.

Emplaſtrum Domeſticum.

HARTMANN. *Prax. Chym. pag. 87. Opp.*

℞. Colophoniae,
Cerae, *ana uncias quatuor.*
Terebinthinae lariceae, *unciam unam.*

Eliquatis ſuper igne lento, deinde adde:

Unguenti popul. *uncias duas.*

Diligenter miſce: poſtea his omnibus adjice:

Pulver. Succini,
Thuris,
Maſtichis,
Myrrhae,
Aloës, *ana unciam unam.*
Rad. Dictamni,
Gentianae,
Ariſtoloch. rot. *ana drach. duas.*
Aluminis uſti,
Salis, *ana drachmas ſex.*
Camphorae, *drachmam unam.*

Miſceantur, ſecundum Artem, perfecte, & formentur deinde, ad futuros uſus, Magdaleones.

Conducit, inquit ibi inventor & laudator inventi, forſan nimius, Hartmannus, in omnibus ulceribus, & ſciſſuris quibuslibet: In vulneribus ambuſtis multum facit: Vulnera punctim & cæſim inflicta ſine omni pure, curat; Excreſcentiam carnis impedit, ejus, quantum tantum opus eſt, producendo: Ulcera etiam antiqua, prius mundificata, hoc Emplaſtro ſanantur. Ideoque non alium ad finem, idem Nominis obtinuit, nempe domeſtici, quia ejus uſus intra privatos parietes, hactenus invaluit. Hæc quidem ipſe Hartmannus, quam vere, ex omni quidem parte; ii demum candide pronuncient, qui miros & multiplices ejus uſus re ipſa, opere faciundo, experti fuerunt.

Emplaſtrum Domus Miſericordiæ, *vuldo dictum,* Emplatre Commune de Baviere.

Diſpenſat. Leodienſ.

℞. Minii, *libram unam.*

Olei Olivarum, *libras duas.*
Reſinae Pini,
Cerae Citrinae,
Sevi Ovini, *ana uncias duas.*
Terebinthinae Venet. *unc. un. ſemis.*

Minium coque cum Oleo; tum cetera appone, & coquantur ſecundum Artem, donec colorem fuſcum induere incipiat, & juſtam Emplaſtri ductilis conſiſtentiam adquirat, addendo tantummodo ſub finem, Terebinthinam: deinde in Aquam effunde, donec tractabilis fiat, ut manibus malaxetur, & formentur Magdaleones, ad libitum.

Mirum magis hujus Emplaſtri eſt Nomen, quam ipſum per ſe Emplaſtrum, quod nihil plane miri aut reconditi habet; quin potius, in omnibus fere convenit, cum Cerato de Minio, *de quo ſupra, aut* Emplaſtro de Minio, *de quo mox infra, ſuo loco. Neſcio igitur, an domus quaedam publica Miſericordiæ, ſeu Noſodochium, tam ſplendidum & humanum, immo rectius, divinum Nomen huic quidem Emplaſtro, dederit, in qua forte frequentiore in uſu fuerit, uti ſane propemodum videtur: An vero Emplaſtrum ipſum, neſcio qua ſingulari & occulta de Cauſſa, magnificum quidem illum, ſed tamen ſimul, ut ingenue quidem fatear, per quam alienum & incongruum domus Miſericordiæ, Titulum acceperit? Tum vero idem eſſet, quaſi dictum fuiſſet* Bethesda, *hoc eſt* Domus Miſericordiæ, *veluti* Beth-Chaſida, *quomodo ſalutiferas illas Thermas Hieroſolymitanas, dictas fuiſſe, obſervant Interpretes, ad Jo. V. de quo vid.* WOLFII Curas philol. ad N. T. *pag.* 835. *& nos ibidem. Quis vero, obſecro, ſine temeritatis nota, Emplaſtrum vile ac parabile vocaverit* Domum Miſericordiæ? *Sed nusquam fere plus ſibi indulſerunt Medici Chemici & Pharmacopœi, quam in miris, ambitioſis ac pæne ridiculis Emplaſtrorum Nominibus confingendis. Ita habuimus ſupra,* Emplaſtrum divinum, *ſeu* Manus Dei, *& mox habebimus,* Emplaſtr. de Gratia Dei, *item* Miraculoſum, Mirabile, Incognitum, *& quæ ſunt alia id genus portentoſa Emplaſtrorum Nomina; præſertim apud Nicol.* Myrepſum, *larga copia occurrentia, qualia & pilulis præſertim, ad nauſeam fere uſque, impoſita fuiſſe, infra, ſuis locis, notabimus.*

Emplaſtrum Epilepticum.

Diſpenſat. Brand.

℞. Succini albi,
Thuris,
Maſtiches, *ana drachm. unam ſemis.*
Galbani,
Opopanacis, *ana ſcrupulum unum.*
Viſci querni, *drachmas duas.*
Seminis Paeoniae maris, *drach. ſemis.*
Ladani, *drachmam unam ſemis.*
Olei Nucis Moſchatae, parum.

Miſce, Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Solet virtiginoſis & epilepticis, deraſo prius capillo, ſupra ſuturam coronalem, & verticem poni. Extenſo ſuper alutam adſpergi debet pulvis Cubebarum: Vid. Obſervat. WEPFERI, *pag.* 229. *Hæc* SCHULZIUS, in Prælect. *p.* 112. *plures vero laudes huic Emplaſtro tribuit Cl.* CARTHEUSERUS, in Pharmacol. *pag.* 740 *quæ ibi cum fructu, legi poſſunt. Ceterum idem fere Emplaſtrum epilept. occurrit apud* MICHAELEM, *in* Med. Famil. *XXVIII. pag.* 85. *in eo ſaltim ab hoc diverſum, quod Moſchi atque Ambræ aliquot grana ſimul continet, quæ tamen merito abeſſe poſſunt, imo debent. Nec multum ab his binis abit Emplaſtrum*

plaſtrum Epilept. Mynſichti, pag. 502. *licet non nihil operoſioris compoſitionis ſit, pro more nempe Auctoris ſolito. In eo vero, ut ingenue fatear, diſplicet, quod Cornu Alcis & ipſum Cranium humanum calcinata, & quidem ad ſcrupulos duos, ne ſcil. nimium prodeſſent, una complectitur: quæ omni medendi virtute caſſa & inania, quid hic, exterius præſertim applicata, efficere poſſint, nemo peritiorum Medicorum, ut equidem putem, facile dixerit.*

Emplaſtrum Epiſpaſticum.

Diſpenſat. Edinburg. FULLER. *p.*94.

℞. Emplaſtri, de Meliloto,
Picis Burgundicae, *ana unc. octo.*
Terebinthinae Venetae, *uncias tres.*
Cantharidum, *uncias quinque.*

Miſce, Fiat Emplaſtrum, ſecundum Artem Cantharides vero terantur in pulverem tenuiſſimum, & addantur ceteris ſimul liquefactis.

Ujus horum Emplaſtrorum Epiſpaſticorum, vel Veſicatoriorum lippis quoque ac tonſoribus hodie notiſſimus eſt. Vid. infra, ſuo loco, aliam Emplaſtri Veſicatorii Compoſitionem: & aliam denique multo operoſiorem & fortiorem Emplaſtri Epiſpaſtici deſcriptionem, in Diſpenſat. Lond. Sed & in Diſpenſ. Leod. alia occurrit brevior & concinnior. ut & in Pharmacop. Batean.

Emplaſtrum Filii Zachariæ.

Diſp. Vienn. Wirt. Hamb.

℞. Ceræ albæ,
Sevi cervini, *ana libram unam.*
Axungiæ Anſeris,
Gallinæ, *ana libram ſemis.*

Fundantur lento igne, fiat Emplaſtrum.

Anodynum eſt, reſolvit, ad pleuriticos & ſpaſticos dolores, pectori applicitum, commendatur: & revera prodeſt: Interim tamen Oleum ſimplex Amyg. dulc. vel, quod melius, Oleum lini, vel Seminis lini farina lacti incocta, idem commodius, immo certius, præſtant. Vid. Libell. noſtr. de Pleuritide, *cap. IV. pag.* 53. *& ſupra dicta, ad* Emplaſtrum antipleuriticum Sylvii.

Emplaſtrum, Flos Unguentorum, Vulgo, ab Anglis Dictum.

Diſpenſat. Lond.

℞. Reſinæ,
Reſinæ Pini,
Ceræ Citrinæ,
Sevi ovilli, *ana libram ſemis.*
Olibani, *uncias quatuor.*
Terebinthinæ, *uncias duas ſemis.*
Myrrhæ,
Maſtiches, *ana unciam unam.*
Camphoræ, *drachmas duas.*
Vini albi, *libram ſemis.*

Coque, ſecundum Artem, in Emplaſtrum.

Emplaſtrum Fœtidum Mynſichti.

Armament. Sect. XXXVIII. pag 516.

℞. Aſæ foetidae, *uncias tres.*
Gran. Antirrhini, quæ Sceleton. repræſentant, *Num. ſeptem.*
Folior. Quercinorum, *Num. tria.*
Coralliorum rubrorum,
Pulveris Magnatis, *ana drachmam unam ſemis.*

Miſceantur, & Fiat cum Oleo Hyperici, lege Artis, Emplaſtrum.

Ad quævis Maleficia, Experimentum eſt ſtupendum, & quaſi cœlitus de-

miſſum: Super centrum enim, ubi cruciatus, perſequendo, poſitum, non duntaxat Maleficium ipſum; verum etiam omnia phantaſmata & incantationes, ſine ſuperſtitione, confeſtim fugat, propulſat atque debellat. Hæc ipſius potius Mynſichti *ſunt verba, quam noſtra; ſed nimis magnifica, minus vera & magis abſona atque ridicula. conf.* MERCKLIN. de Incantat. *p.* 224. *in* Mantiſſ. *Quid enim obſecro, in his omnibus eſt, quod potiſſimum terreat & abigat malos dæmonas, eorumque fidas miniſtras, ſagas, earumque nodos magicos & Hæmonios ſolvat, dirumque Maleficium tollat? Num forſan, Aſa fœtida, quod vehementer nempe foetet? an ſeptem illa grana Antirrhini, quod ſceleti figuram utcunque repræſentat? an denique Folia quercina, Corallia rubra & Magnes? illa ſcil. propter cultum olim ſub Quercu, magicum, hæc, propter virtutes cardiacas, nervinas & antepilepticas, vulgo quidem ipſis tributas, & hic demum, ob miram & incomprehenſibilem in duriſſimum quoque ferrum, attrahendi potentiam, & invictum veluti robur? Certe nec ſingula, nec omnia, vel cum ipſo illo ſanctiſſimo quaſi Oleo Hyperici, junctim ſumta, nihil quidquam unquam, credo, valebunt, ad ferales ſtygiarum Theſſalarum incantationes & ſævas nocendi artes expugnandas & infringendas: adeo, ut miſellus profecto & meticuloſus admodum ille ſit diabolus, qui his quidem ineptiſſimis & infirmiſſimis armis contra ipſum imbelli dextra directis, cedere cogatur. Interea tamen mirabile hoc, niſi rectius, miſerabile Emplaſtrum antimagicum ſcil. hic proponere voluimus, ut nimirum haberent Lectores, quod riderent. Conf. ſupra, ad* Herb. Hyperici *dicta.*

Emplaſtrum ad Fonticulos Album.

Diſpenſat. Vienn. Pragenſ.

℞. Ceræ albiſſimæ, *libram ſemis.*
Sevi Cervini, *uncias quatuor.*
Terebinthinæ Claræ, *unciam unam ſemis.*
Olei Roſarum, *quantum ſatis.*

Miſceantur omnia, & Fiat Lege Artis, Emplaſtrum Charta ſubductum, etiam ſparadrappum vulgo dictum.

Emplaſtrum ad Fonticulos Rubrum.

Diſpenſ. Vienn. & Prag.

℞ Ceræ Flavæ, *uncias ſex.*
Sevi Cervini, *uncias duas.*
Olei Liliorum alborum,
Terebinthinæ clarae, *ana unciam unam ſemis.*
Minii, *uncias quatuor.*

Miſceantur omnia: & Fiat, linteo ſubducto, lege Artis, Emplaſtrum.

Utriuſque hujus Emplaſtri vires & uſus ab ipſa denominatione, deſumi poſſunt. Sed nimius profecto, & intempeſtivus, in quibusdam locis, Fonticulorum eſt uſus: unde ſæpius, quod nobis quidem compertum, hoc fonte derivata clades in patriam populumque fluxit, *ut cum poëta loquar. Sunt enim iſti Fonticuli ſæpius, morborum potius Mortisque fontes, quam quidem ſalutis, aut vitæ. Sed hæc obiter. Ceterum varia alia* Emplaſtra *pro* Fonticulis, *paſſim proſtant in Diſpenſat. item & Chirurgorum libris, ut* Sculteti, Agricolae, Würzii *& aliorum: quorſum & pertinet notum illud, ſed operoſum & præter rationem, diffuſum, Stegmanni, cujus deſcriptio extat in* Tabula Smaragd. *p.* 163.

& alibi: ſed quam exſcribere, & in hoc noſtrum opus transferre, propter perquam exiguam utilitatem, exinde forſan ſperandam, merito noluimus.

Emplaſtrum ad Fracturas & Luxationes.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Cerae, *libram ſemis.*
Picis, *libram unam.*
Terebinthinae, *uncias duas.*
Super ignem inſpergantur
Pulveres radicum Conſolidae majoris,
Barbae caprinae,
Boli Armenae, *ana unciæ duæ.*
Probe mixta ſerventur.

Luxationibus ac fracturis oſſium a Chirurgis imponitur. Conf. ſupra Emplaſtra Catagmatica.

Emplaſtrum de Fuligine, Antipodagricum.

Diſpenſat. Brand.

℞. Olei Roſarum, *unc. duas, cum ſemiſſe.*
Cerae novae, *uncias quinque.*
Saturni cryſtallini, *unciam ſemis.*
Fuliginis, *drachmas ſex.*
Olei Olivarum, *drachmas duas.*
Miſce: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Hoc Emplaſtrum Antipodagricum perhibetur, & potiſſimum nititur Saccharo Saturni, quod eſt valde adſtringens & repellens, quare cautiſſime cum eo mercandum fuerit, ne, quod funeſtum eſſe ſolet, podagra omnino retro pellatur. In Pharmacopœja Auguſtana legitur aliud Emplaſtrum de Fuligine, a noſtro toto Cœlo diverſum, quod magnis encomiis, ad Carbunculos peſtlentiales maturandos, commendatur: de quo Vid. ZWELFERI Animadverſ. *pag. 375. & Diſp. Hamb. Hæc rectiſſime* SCHULZIUS, *in præ*lect. *ad Diſpenſ. Brand. p.* 108. *conf. ſupra,* Emplaſtrum Antipodagricum, *& ibi notata.*

Emplaſtrum de Galbano Crocatum Mynſichti.

Diſp Wirt. Vienn. & rel.

℞. Gummi Galbani in aceto ſoluti,
Emplaſtri de Meliloto,
Diachyli ſimplicis, *ana uncias tres.*
Cerae,
Terebinthinae, *ana unciam unam.*
Croci Orientalis pulveriſati, *drachmas ſex.*
Miſce, fiat Emplaſtrum: quod multum convenit cum *Emplaſtr. de Ammon. Foreſti,* obſervante Schulzio.

Tumores duros emollit, reſolvit, dolores mitigat. Vid. ipſe MYNSICHT. *loc. cit. &* SCHULZ. prælect. *p.* 112.

Emplaſtrum Gratia Dei Dictum.

Diſpenſat. Leid. Leod.

℞ Cerae novae,
Reſinae,
Sevi hircini, *ana uncias quatuor.*
Terebinthinae, *uncias duas.*
Maſtiches,
Olibani, *ana drachmas tres.*
Miſce: Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Emplaſtrum Gratia Dei Aliud.

Diſpenſ. Prag. Hamburg. POTER. *Pharmacop. Spagyr. Lib. III. p.* 488.

℞. Terebinthinae, *libram ſemis.*
Reſinae, *libram unam.*
Cerae albae, *uncias quatuor.*

Maſtiches, *unciam unam.*
Herbarum Verbenae,
Betonicae,
Pimpinellae, *ana manipul. unum.*

Ceram & Reſinam invicem liquando; poſtea Terebinthinam, & reliquorum pulveres immiſcendo,

Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Emplaſtrum Gratia Dei, cum Aerugine.

Diſpenſat. Amſtelod. Roterod. Groning.

℞ Cerae novae,
Reſinae,
Sevi hircini, *ana uncias quatuor.*
Terebinthinae, *uncias duas.*
Aeruginis,
Maſtiches,
Olibani, *ana drachmas tres.*

Miſceantur: Fiat ex Arte, Emplaſtrum.

Uſurpantur hæc Emplaſtra de Gratia Dei, *ad ulcera ſordida repurganda, & inflammationem leniendam: præterea duritiem emolliunt, vulnera conſolidant, nervorum inciſiones glutinant, & furunculos mitigant.*

Pulchri quidem & ſalutares ſunt horum Emplaſtrorum effectus, ſi veri modo ſemper ſint & expectationi reſpondentes. Interim tamen haud ſatis intelligo, cur illis ſolis tam magnificum, venerandum & divinum plane Nomen præ reliquis omnibus, interdum multo præſtantioribus & efficacioribus, ab Auctore Nicolao, *impoſitum fuerit, ut de* Gratia Dei, *denominarentur: quum tamen omnia generatim Remedia, quotquot ex tribus ſic dictis regnis aut promuntur, aut diverſis modis, præparantur, de* Gratia Dei *ſint & ſine iſta adjutrice, nihil quidquam efficere valeant, in morbis profligandis, ſecundum notiſſimos illos ubique, vulgo, verſiculos:*

Ni Deus adfuerit, viresque infuderit Herbis;
Quid, rogo, Dictamnus, quid Panacea juvet?

*Conf. Poëm. noſtr. Tom. I. p.*133. *Edit. III unde & ab ipſo magno, ſentium Apoſtolo,* φάρμακα *&* ἰάματα, *ſeu Medicamenta & ſanationes in univerſum vocantur rectiſſime & efficaciſſime,* χαρίσματα, dona gratiæ divinæ, *ſeu* dona gratioſa: *de quo vid.* Stephan. *le* MOYNE *varia ſacra pag.* 1049 *ſqq quin & ab ipſis paganis, pari modo, eximie dicuntur,* Munera deorum, θεῖα δῶρα, *&* Θεῶν χάριτες, *ab* Hipp *ipſo in Epiſt. p.*904 *qua de re plura* RHODIUS, *ad* Scribon. Larg. *pag,* 14. *Cur ergo tantum Nomen tantillo Emplaſtro inditum? Sed hac quidem hactenus, data nempe occaſione.*

Emplaſtrum Gravidarum.

FULLER. *Pharmac. Extemp.*

℞ Emplaſtr. ad Hernias, *unciam unam.*
Cerati Santalin.
Unguent. Comitiſſ. *ana drachm. tres.*
Olei Myrtini, *drachmas tres ſemis.*
Ceræ, *unciam ſemis.*
Liquefactis adde:
Pulv. Sanguinis Draconis,
Maſtiches,
Boli,
Rad. Biſtortæ,
Gallarum, *ana drachmam ſemis.*
Succini,
Coralliorum rubrorum,
Nucis Moſchat. *ana ſcrupul. duos.*
Tandem adjice his omnibus:
Terebinthinæ Cypr. *quantum ſuff.*
Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Lumborum regioni applicetur, &

continuo geſtetur, ad Abortum præcavendum, quantum per humanam artem & opem fieri poſſit.

Conf. ſupra ſuo loco, *Emplaſtrum, contra Abortum,* ex Diſpenſat. Vienneñſi.

Emplaſtrum Griſeum.

Diſp. Leid. Wirt. Pariſ. Amſtel. Lond. Brand.

℞. Lapidis calaminaris præparati *unciam unam.*
Lithargyrii, *uncias duas.*
Thuris electi,
Maſtiches, *ana unciam ſemis.*
Myrrhæ, *drachmas duas.*
Tutiæ præparatæ, *unciam ſemis.*
Ceræ, *uncias tres.*
Sevi cervini, *uncias quatuor.*
Terebinthinæ, *unciam unam ſemis.*
Camphoræ, *drachmam unam ſemis.*

Cera & ſevo liquatis, Terebinthina addatur, quibus ſemi-refrigeratis pulveres, ſub perpetua agitatione piſtillo ligneo, admiſceantur, tandem Camphora, cum pauxillo Spiritus vini trita, adjiciatur. Fiat Emplaſtrum.

Siccat ulcera, & cicatricem acceleret. Conf. ſupra Emplaſtrum de Lapide Calaminari.

Emplaſtrum pro Hernioſis.

Diſp. Vienn. Argent. Wirt.

℞. Terebinthinæ Venetæ, *unc. quatuor.*
Maſtiches electæ, *unciam unam ſem.*
Liquefiant invicem, quibus adde
Ceræ flavæ, *uncias ſex.*
Pulveris Myrrhæ,
Olibani,
Sanguinis Draconis, *ana dr. ſex.*
Radicis Symphyti majoris,
Seminis Perfoliatæ, *ana unc. unam.*
Lapidis Hæmatitæ præparati,
Vitrioli ad flavedinem calcinati, *ana unciam ſemis.*

Fiat Emplaſtrum: Vocatur & *Emplaſtrum de Barba Caprina,* cujus variae extant in Diſpenſatoriis, deſcriptiones, de quibus vid. Diſp. Prag. in Not. Aliud vero *Emplaſtrum pro Hernioſis,* operoſioris Compoſitionis, vid. in Diſpenſ. Lond. & in Diſpenſ. Brand. item Prag & Argent. & Hamb. Conf. BARBETTE, *Chirurg.* Part. I. Cap. 7. pag. 33.

Plus emolumenti infantibus, quam adultis, ab ejusmodi Emplaſtris expectare licet, & adultioribus, niſi bracherio commodo muniti ſint, vix quidquam proderit. Vid. SCHULZ. Prælect. *p.* 113.

Emplaſtrum Hydropicum.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 96.

℞. Emplaſt. de Sapone, *uncias duas.*
Olei Aniſi,
Petrolei, *ana drachmam ſemis.*

Miſc. Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Lympham intra Corporis habitum, aggeſtam & coagulatam, attenuat, commovet, & per diaphoreſin expellit. Applicetur vero ſuper totum Abdominis ambitum.

Emplaſtrum Hydropicum.

Diſpenſat. Brand.

℞. Stercoris Columbini aceto deſtillato macerati, *libram unam.*
Sulphuris Vivi, *unciam unam.*
Pulveris Radicum Enulæ,
Ebuli,
Baccarum Lauri,
Seminis Anethi,
Florum Chamomill. *ana drach. ſex.*
Sambuci,

Nitri, vel Salis Gemmæ, *ana unciam ſemis.*
Seminis Cumini, *drachmas tres.*
Carvi,
Aniſi,
Fœniculi, *ana drachmam unam.*
Naſturtii, *drachmas duas.*

In pulverem redacta omnia cum Vino decoque, ad Conſiſtentiam quandam; quibus adde:

Mellis puri, *uncias duas.*
Terebinthinæ, *uncias tres.*
Succi Ebuli, *uncias duas.*
Iridis, *unciam unam.*
Farinæ Fabarum, *unciam un. ſemis.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Eosdem habet uſus, immo majores, in Expellendis pigris & putridis aquis. Sed Stercus Columbinum *pondus addit ipſi compoſitioni, non compoſitionis virtuti. Quot enim quæſo, bonæ ſimplicesque Columbulæ requirantur, ad tanti ponderis tantæque copiæ Theſaurum colligendum & componendum? Verum licet etiam maximo niſu, & diligentiſſima opera, ab ipſis tandem aliquando congeſtus fuerit; quid obſecro, tum proderit fatuum illud & omne fere virtute medica orbum ſtercus columbinum? Igitur, me quidem judice, turpe hoc ſordidumque condimentum penitus merito abeſto ab hac alias ſat eleganti & concinna Compoſitione: Conf. ſupra, ſuo loco, dicta, ad* Emplaſtrum Cephalicum Lugdunenſium.

Emplaſtrum de Hyoſcyamo.

LUDOVICI, *Pharm. Diſp. Brand. Argent. Wirt.*

℞. Olei e ſeminibus Hyoſcyami expreſſi,
Succi Hyoſcyami ex herba, *ana libram unam.*

Coquantur ad humiditatis conſumtionem; colaturæ adde

Ceræ citrinæ, *uncias quindecim.*
Terebinthinæ, *unciam unam ſemis.*
Pulveris herbæ Hyoſcyami, *uncias duas.*

Miſceantur, fiat Emplaſtrum.

Ad rhevmaticos dolores, tumores partium glanduloſarum, earum inflammationes, atque ſplenis affectus laudatur. Mitigat quoque acerbos ex pernionibus & clavis pedum, exortos dolores, nec non ſævos cruciatus ex duris Hæmorrhoidum cæcarum tuberculis, ſeu Condylomatis atque Exochadiis, prognatos, quod nobiſmet ipſis aliquoties compertum fuit. Plura de hujus egregii Emplaſtri meritis laudibus, vid. in SCHULZII Prælect. *p.* 114. *Ceterum Conf. infra,* Unguentum *de* Hyoſcyamo, *iisdem uſibus paregoricis dicatum.*

Emplaſtrum Imperiale.

Diſpenſat. Brand.

℞. Balſami Sulphuris externi, *dr. ſex.*
Camphoræ, *drachmas tres.*
Ceræ Citrinæ recentis, *uncias tres.*
Ceruſſæ, *unciam ſemis.*
Emplaſtri Triapharmaci, *libr. ſemis.*
Gummi Ladani, *drachmas tres.*
Lithargyrii aurei, *unciam unam.*
Myrrhæ, *drachmas duas.*
Sryracis Calamitæ, *drachmas tres.*

Miſce, Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Conf. ſupra, ſuo loco, Emplaſtrum Cæſareum, *quod ſi non pares forte virtutes; & par tamen ſplendidum & magnificum Nomen habet. Ita ſolent Emplaſtra Titulis ſuperbire. Ceterum convenit cum Empl. diaſulphuris Ruland. obſervante* SCHULZIO, *pag.* 114.

Emplaſtrum Incognitum

Videatur

Emplaſtrum Santalinum.

Emplaſtrum Ireatum.

Diſpenſ. Vienn. Lugd.

℞. Emplaſtri diachyl. cum Gummat. *libram ſemis.*
Pulveris Rad. Ireos Florentinae,
Seminis Cumini, *ana drach. ſex.*

Cum Olei Chamaemeli *ſufficienti quantitate*, Fiat perfecta Mixtio, & Emplaſtrum.

Vires ſunt in pleuritide, emollientes, diſcutientes, pariter flatus & obſtructiones reſolventes. Vid. BARBETTE *Prax. Med. L. III, c.* 1. & *ibi* Deckers, *in Not. p.* 78. 79.

Emplaſtrum Iſchiadicum.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis fere deeſt: Sed dabimus mox alia ex variis Diſpenſat.

℞. Picis navalis, *uncias duas.*
Gummi Galbani, *unciam unam.*
Sulphuris vivi,
Succini citrini, *ana drachm. duas.*
Seminis Cymini,
Florum Chamomillae, *ana drachmam unam ſemis.*
Olei petrae rubri, *unc. dimidiam.*

Galbanum in aceto ſolvatur, atque cum pice optime permiſceatur, quibus addantur reliqua in pulverem trita, & denique oleum petrae inſtilletur; praeſtat tamen Emplaſtrum tempore uſus demum Petroleo malaxare.

Diſcutit, reſolvit & roborat, atque egregie in doloribus iſchiadicis aliisve rhevmaticis conducit.

Emplaſtrum Iſchiadicum.

Diſpenſat. Vienn. Pharm. Reg. CHARAS, *Part. I. p.* 410.

℞. Gummi Ammoniaci, *libr. unam.*
Picis navalis,
Cerae Citrinae, *ana unc. quinque.*
Olei Spermatis Ranarum, *libr. ſemis.*
Terebinthinae clarae, *unc. tres.*
Pulveris Rad. Ireos Florent. *unciam unam ſemis.*

Redigantur lege Artis, in Emplaſtrum.

Humores ad Coxas & Vertebras Lumborum delatos diſcutit & exſiccat: ſicque iſchiadicos dolores ſenſim blande mitigat.

Emplaſtrum Iſchiadicum Bezæ.

Diſpenſ. Argent.

℞. Gummi Ammoniaci, *unc. ſemis.*
Galbani, *unc. unam ſemis.*
Maſtiches, *unciam unam.*
Tacamahacae, *drach. ſex.*
Carannae, *unc. ſemis.*
Reſinae Pini, *libr. unam.*

Miſce: Fiat lege Artis Emplaſtrum, ad eosdem uſus, quibus praecedentia Emplaſtra deſtinata. Vid. & HOFFMANN. in Not. *ad Poter.* Pharm. Spagyr. L. III. p. 487.

Emplaſtrum Iſchiadicum.

FULLER. *Pharm. Extemp. p* 97.

℞. Picis Burgund. *unc. duas.*
Galbani, *unc. unam.*
Sulphuris vivi, *drach. duas.*
Succini, *drach unam.*
Hermodactyl.
Rad. Ireos Florentinae,
Semin. Cumini,

Florum Chamaemel *ana drach. ſemis.*
Petrolei, *quantum ſufficit* ad formandum Emplaſtrum.

Emplaſtrum de Labdano.

Diſpenſ. Leod. Leid.

℞. Olei Olivarum,
Lithargyrii, *ana unc. quindecim.*
Cerae Citrinae,
Colophoniae,
Reſinae Pini,
Gummi Ammoniaci,
Labdani, *ana unc. unam ſemis.*
Herbarum Sabinae, *drach. tres.*
Thymi, *drachm. unam ſemis.*
Olei Anethini,
Chamaemelini,
Liliorum alborum,
Lauri, *ana drachm. ſex.*
Axungiae porci, *unc. tres.*
Sevi hircini, *unc. quatuor.*

Miſce: Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum. Ceterum paullo operoſior hujus Emplaſtri compoſitio eſt in Diſpenſ. Leidenſi.

Emplaſtrum Laterale.

FULLER. *Pharm. Ext. p. 97. Batean. ubi nonnihil differt.*

℞. Emplaſtri de Cumino, *unc. unam.*
Camphorae, *Scrup. unum.*
Olei Aniſi, *guttas quindecim.*

Miſceantur: Fiat ex Arte, Emplaſtrum.

Penetrat, ſecundum ipſum, Fullerum, *attenuat, diſcutit, flatus diſſipat, dolores ſedat. Ideo uſus ejus magis convenit in pleuritide ſpuria & potiſſimum ſeroſa, catarrhali, flatuoſa, & ſtomachica, ſeu, ut ſic dicam, ingluvioſa; quam in pleuritide vera inflammatoria, & cum febre acutiſſima & ſputo cruento conjuncta. Vid. ſi placet,* Libell. noſtr. de pleuritide, *Cap. III. p. 47. & in Appendice, ibidem, pag. 145. præſertim autem p. 207. ſqq. ubi de hac pſeudopleuritide, pro inſtituti ratione, ſatis diligenter, ni fallor, tractavimus.*

Emplaſtrum de Lauri Baccis.

Videatur
Emplaſtrum de Baccis Lauri.

Emplaſtrum de Linamento.

Diſpenſ. Pariſ. Leod. Lugd. ubi auctior Compoſitio.

℞. Linamentor. Veterum, minutim inciſorum, *libr. unam.*
Olei Olivarum, *libras tres & ſemis.*
Plumbi albi, *libram ſemis.*
Lithargyri, *unc. decem.*
Cerae flavae, *libram ſemis.*
Myrrhae, *unc. duas.*
Thuris, *unc. tres.*
Aloës Soccotorinae, *unc. unam.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Emplaſtrum ad Lumbaginem.

FULLER. *Pharm. ext. p. 97.*

℞. Emplaſtri de Minio Vigonis, *unc. duas.*
Diapalm. Oleo Roſar. loco Axungiae parat. *unc. unam ſemis.*
Gummi Carannae, Aceto Roſac. ſolutae & Col. *unc. ſemis.*
Boli verae,
Terrae ſigillatae,
Maſtiches, *ana ſcrup. quatuor.*
Terebinthinae Cypr. *unc. unam.*

Miſceantur & formentur, lege Artis, in ductile Emplaſtrum.

Humorum affluxum inhibet & diſſipat; nec non partes nervoſas roborat, & novo vigore induit.

Empla-

Emplaſtrum ad Lupiam.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Gallarum Turcicarum,
Gummi Galbani, aceto ſoluti,
Viridis aeris,
Farinae Frumenti, *ana unc. unam.*
Reſinae, *uncias quatuor.*
Terebinthinae clarae, *unc. duas.*
Miſceantur, & redigantur lege Artis, in Emplaſtrum.

Emplaſtrum Magneticum Angel. Salæ.

Tract. II. Anatom. Vitrioli, cap. 379. *Diſp. Prag. Vienn. Brand. Hamb. Wirt.* BARBETTE, *de peſte, pag.* 433. DIEMERBROECK, *de Peſte, Lib III, cap* 12. *p.*183. *&* POTER. *Pharm. Spag. L. III, Sect.* 10. *p.*491. HOFFMANN *Method. Med. L. II. c.* 2. *p.* 427. *ſqq.*

℞. Sagapeni,
Ammoniaci,
Galbani, *ana unc. tres.*
in aceto diſſolutis adde
Cerae flavae,
Terebinthinae, *ana unc. quinque.*
Magnetis arſenicalis ſubtiliſſime triti, *unc. tres.*
Terrae Vitrioli dulcis,
Olei Succini rubri, *ana unc. unam.*
Miſceantur exacte & ſerventur.

Maturat & attrahit. Uſus præcipuus eſt in carbunculis peſtilentialibus. Vid. SCHULZ. *Prælect. p.* 114. *ſqq. & Diſpenſ. Prag. in Not. &* Barbette, *loc. cit p* 434. *uſus tamen Arſenici, etiam externus, admodum ſuſpectus merito eſt: Vid. ſupra Part. I monita, ad* Arſenicum album. *Conf* DIEMERBROECK, *de peſte Lib. II, c,* 11. *p.* 119. *ſqq. Lib. IV, Hiſt.* 44. *p.*217 *& Lib. VI. Hiſt.* 99. *p.*255. *ad B.* Rich. MEAD. *de Venenis, Eſſay IV. of poiſonous Minerals, p.* 220. *ſqq. item* VALENTINI, Polychreſt. exot. Diſput. VI. p. 86.

Emplaſtrum de Majorana.

FULLER. *Pharm. Ext. p.*98.

℞. Picis Burgund. *unc unam ſemis.*
Pulvis herb. Majoranae, *dr. un. ſemis.*
Euphorbii, *ſcrup unum.*
Miſceantur; Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Ad Catarrhum, Odontalgiam uvulæ inflammationem, Ophthalmiam & Cephalalgiam, applicetur Nuchæ, vel pone Aures.

Emplaſtrum Mamillare.

Diſp. Wirt. Batean. alia non habent.

℞. Spermatis Ceti, *uncias duas.*
Emplaſtri de Spermate ranarum, *unc. unam ſemis.*
Olei chamomillæ cocti, *drach. ſex.*
Fundantur leni igne; addantur
Pulveris ſeminis carvi, *uncia.*
Olei deſtillati carvi *drach. duæ.*
Camphoræ, *drach. una.*
Miſceantur fiat Emplaſtrum.

Tenſiones doloroſas mammarum, a lactis abundantia, mitigat, coagulationem lactis impedit & coagulatum reſolvit. Conf. infra, Emplaſtrum de Spermate Ceti, *quod & inde* Mamillare *dicitur.*

Emplaſtrum Mamillare Rubrum.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Emplaſtri, de Mucilaginibus,
de Minio, *ana libr. ſemis.*
Pulveris Lithargyrii aurei,
Minii, *ana unc. unam ſemis.*
Olei Liliorum alborum,

Ovorum,
Momordicæ,
Seſami,
Butyri recentis,
Spermatis Ceti, *ana unc. unam.*
Camphoræ, *unc. ſemis.*

Miſceantur omnia, & Fiat lege Artis Emplaſtrum mollioris Conſiſtentiæ.

Ad grumoſum Lac in Uberibus, reſolvendum, & diſcutiendum: item ad tumores, rimas & inflammationes præcavendas, ſalubriter adhibetur hoc Emplaſtrum. Paris igitur, immo & aliquanto majoris, eſt Virtutis, ac alterum iſtud Emplaſtrum Mamillare album, cujus deſcriptio ſuperius extat: quin etiam concinnioris adhuc eſt Compoſitionis, adeo, ut, me quidem judice, alteri illi variis de cauſſis, jure ſit præferendum. Conf. & infra, Emplaſtrum de Spermate Ceti: *quod, ubi forſan deſunt ambo iſta Emplaſtra Mamillaria, eorum loco, commode adhiberi poterit. Quorſum & pertinet egregium illud Hoffmanni* Emplaſtrum ad Mammas induratas, *quod in publica commoda benigne propoſuit, in Notis ad* POTERII Pharmac. ſpagyr. *Lib. III. Sect. X. pag.* 486. *Edit. Venetæ. Conf. Pharm. Batean. p.* 42.

Emplaſtrum Malacticum cum Gummi.

Diſp. Vienn. Wirt.

℞. Ceræ citrinæ, *unc. tres.*
Terebinthinæ, *drachm. decem.*
Sevi cervini,
Reſinæ, *ana unc. unam.*
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Pulveris Curcumæ,
Fœni græci,
Lini, *ana unc. ſemis.*
Altheæ, *drach. duas.*
Farinæ Fabarum,
Tritici, *ana drach. tres.*

Ceræ, ſevo & reſinæ liquefactis, colatis, poſtea ab igne ſepoſitis & ſemi refrigeratis, pulveres ac terebinthinam immiſcendo, fiat Emplaſtrum.

Emollit, reſolvit & maturat.

Emplaſtrum Malacticum ſine Gummi.

Diſp. Wirt. in aliis abeſt.

℞. Ceræ citrinæ, *unc. octo.*
Terebinthinæ,
Colophonii, *ana unc. tres.*
Olibani, *uncias duas.*
Tartari albi, *drach. duas.*
Myrrhæ,
Seminis Fœni græci,
Lini, *ana unc. unam.*
Radic. Altheæ,
Curcumæ,
Farinæ Fabarum, *ana unc. duas.*
Olei Lini, *unc. unam ſemis.*

Miſceantur, fiat Emplaſtrum.

Viribus cum antecedente convenit.

Emplaſtrum Matricale.

Diſp. Vienn. Wirt. Hamb. Brand. & rel.

℞. Gummi Galbani,
Sagapeni,
Aſæ fœtidæ, *ana unc. unam ſemis.*
Solvantur in aceti Rutæ ſufficienti quantitate, atque ad ſpiſſitudinem pultis redigantur; adde
Terebinthinæ venetæ, *unc. unam ſem.*
Ceræ citrinæ, ſeorſim liquatae & aliqualiter refrigeratae, *unc. quatuor.*
Myrrhae, *unc. unam.*
Caſtorei, *drach. unam.*
Olei deſtillati Angelicae,
Succini, *ana ſcrup. unum.*

Miſce.

In uteri affectibus prodeſt; calefacit, flatus diſcutit, & dolores ſedat, abdomini impoſitum. · *Conf. ſupra*, Emplaſtra Antihyſterica.

Emplaſtrum Maſtichinum Hamburg.

Diſpenſ. Hamburg.

℞. Maſtichis, *unc. novem.*
Thuris, *unc. quatuor.*
Santalorum omnium, *ana ſcrup. duos.*
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatae,
Abſinthii,
Menthae,
Galangae, *ana drach. duas.*
Reſinae,
Cerae citrinae,
Terebinthinae, *ana unc. novem.*
Olei Maſtichini, *unc. duas.*

Liquefactis Reſina, Cera, cum Terebinthina, & Oleo Maſtichino, adde pulveres ſupra dictos, & tum fiat lege Artis, Emplaſtrum. Aliud vid. in Diſp. Lugd. & aliud in Lond.

Emplaſtrum de Meliloto.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Groning. Lond. & reliq.

℞. Herbae & florum Meliloti, *unc. quat.*
Florum Abſinthii,
Chamomillae,
Baccarum Lauri,
Seminis Apii, *ana drach. ſex.*
Styracis, *unc. ſemis.*
Gummi Ammoniaci, *unc. unam.*
Optime in pulverem trita excipiantur
Cerae citrinae, *unciis octo.*
Sevi hircini, *unciis quatuor.*
Terebinthinae,
Reſinae, *ana unc. una ſemis.*
Olei Chamomillae, *unciis duabus.*
Fiat Emplaſtrum.

Ad inflammationem & tumores glandularum maxillarium, & parotidum reſolvendos adhibetur. Vid. WEICKARD. Theſ. Pharm. *L. IV. cap. I.* THONER. Obſ. Med. *L. II. p.* 126. ZORN. p. 128.

Emplaſtrum de Meliloto.

Jo. LANGII, *Epiſt. Med. Lib. III. cap.* 12. *pag.* 869.

℞. Meliloti triturati, *drach. tres ſemis.*
Florum Chamomillae,
Verbaſci,
Anethi, *ana drach. quinque.*
Radicum Althaeae, *drach. duas.*
Seminis Lini, *unc. unam.*
Paſſularum enucleatar. decoctar. & cribellatarum, *unc. unam.*
Omnia haec cum Sapa decoquantur, ad Spiſſitudinem Mucilaginis: quibus tandem addantur:
Oleorum Chamomillae,
Liliorum alborum,
Florum Verbaſci, *ana unc. unam.*
Pinguedinum Gallinae,
Anſeris, *ana drach. duas ſemis.*
Medullae Vituli, *drach. ſex.*
Terebinthinae clarae, *unc. unam.*
Reſinae Abietis, *drach. quinque.*
Croci, *ſcrup. quatuor.*
Cerae albae, cum Oleis liquefactae, *uncias ſex.*

Decoquantur ad Spiſſitudinem Emplaſtri.

Alia operoſior hujus Emplaſtri de Meliloto, Compoſitio extat in Diſpenſ. Hamb. alia in Lugd. alia in Argent. alia in Leid. & binæ aliæ, in Pariſ. & Lond. alia quoque in Vienn. & Pharm. Reg. CHARAS, *part. I. p.* 404. *Sed omnium optimam Emplaſtri de Meliloto, compoſitionem* Sim. PAULLI *cenſet eam, quam*

dedit ipſius ſocer, Jac. FABRICIUS, *in* Annotat. Crollianis: *& ipſe denuo exhibet in* Quadripart. Botan. *p.* 392.

Emplaſtrum Mercuriale.

Diſp. Wirt. in reliquis fere deeſt: ſed vid. Chirurg.

℞. Emplaſtri diachyl. ſimpl. *libr. unam.*
Gummi ammoniaci, *libr. ſemis.*
Mercurii vivi, *unc. octo.*
Terebinthinae, *unc. unam.*
Styracis liquidae, *unc. ſemis.*
Miſc. ſec. Artem.

Cum emplaſtro de ranis cum mercurio convenit, & breviori manu paratur.

Emplaſtrum Metroproptoticum, *ſeu* Contra uteri Prolapſum.

Diſpenſ. Lond.

℞. Maſtiches, *unc. unam ſemis.*
Galbani purioris, in Vino rubro ſoluti & Colati, *drach. ſex.*
Terebinthinae Cypriae, *drach. duas.*
Nucum Cupreſſi,
Gallarum, *ana drach. unam ſemis.*
Olei Nucis Moſchat. per Expreſſ. *drach. unam.*
Moſchi, *grana duo.*
Picis, ex navibus Vetuſtis, deraſae, *drach. duas ſemis.*

Contundantur leviter Galbanum, pix, Terebinthina & Maſtix, cum Piſtillo & Mortario calidis: Sub finem, miſcendo, Oleum Nucis Moſchatae: Tum demum paullatim adjiciantur pulveres, & Moſchus ſuper marmore, cum modico Olei Maſtichini, diſſolutus; & poſt exactam Miſtionem.

Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Laudant hoc, aut certe huic perquam ſimile, Emplaſtrum contra fœdam Uteri procidentiam, Paraeus, Mercurialis, Mercatus, Rod. a Caſtro, Scultetus *& alii Medici ac Chirurgi, qui de Morbis Mulierum ſcripſere.*

Emplaſtrum contra Mictum Cruentum Welſchii.

Tabul. Smaragd. p. 167. *& alibi.*

℞. Pulv. Maſtichis electae, *unc. tres.*
Boli Armen. vēr. cum Vino rubro lotae, *unc. unam ſemis.*
Roſarum rubrarum, *drach. ſex.*
Scobis Eboris,
Coralliorum rubror. *ana unc. ſemis.*
Terebinthinae Venetae, *drach. duas.*
Cerae albae, *uncias ſex.*
Olei Myrtillorum, *uncias tres.*
Miſc. Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

In Mictione cruenta, a Calculo, utiliter interdum applicatur; ubi nulla nempe Inflammatio Renum, aut Veſicæ, adeſt.

Emplaſtrum, *ſive* Ceratum de Minio Rubrum.

Diſp. Brand. Wirt. Lond. Vienn. & rel.

℞. Cerae citrinae,
Sevi cervini,
Olei Roſarum, *ana libr. ſemis.*
Cera & Sevo liquatis atque fere refrigeratis, adde
Minii rubri, cum Oleo roſato optime triti, *unc. ſex.*
Camphorae, *drach. unam ſemis.*

Fiat Emplaſtrum molle. Conf. ſupra ſuo loco, *Ceratum de Minio,* & *Emplaſtrum, domus Miſericordiæ* item *ſequens Emplaſtrum de Minio Vigonis.*

Ad partes inflammatas, ambuſtas, & e veſicatorio applicito ſuppurantes & dolentes, demulcendas, leniendas atque conſolidandas inſervit. Vid. SCHULZ. Praelect. ad Diſpenſ. Brand. *p.* 116.

Emplaſtrum de Minio Vigonis.

Diſp. Brand. Hamb. Lugd. Lond. Paris. Prag.

℞. Ceruſſae ſubtiliſſime tritae,
Lithargyrii utriusque,
Minii, *ana unc. quatuor.*
Olei Myrtini,
Roſar. *ana libram unam ſemis.*
Pinguedinis Gallinae, *unc. duas.*
Porcinae, *unc. ſeptem.*
Sevi Cervini,
Hirci caſtrati, *ana libr. ſemis.*
Terebinthinae,
Unguenti popul. *ana unc. quatuor.*
Cerae Citrinae, quantum requiritur.

Ceruſſam, Lithargyrium & Minium Oleis, convenienti igne, coquendo, admixtis poſtea & colliquatis pinguedinibus, Terebinthina & Unguento. Fiat lege Artis, Emplaſtrum juſtae Conſiſtentiae, pro uſu.

Quid idem fere eſt, ac Cerati de Minio, *item* Emplaſtri ſimplicis de Minio, *&* Emplaſtri domus Miſericordiae, *dicti, de quibus ſupra, ſuis locis, tractatum. Ceterum vid. ipſum* VIGONEM, *de hoc ſuo præclaro invento, in* Chirurgia parva, *Lib. V, Cap. ult. & in ejusdem* Practica copioſa *dicta, Lib. VIII. cap.* 16. *& ex eo* SCHULZ. *in* Praelect. *p.* 116.

Emplaſtrum Miraculoſum.

Alias Mauritii, Principis Naſſovia, item Comitis Digby, *vel Barbette, aut Tachenii.*

Diſpenſ. Brand. Wirt. Hamb. & rel.

℞. Ceruſſae, *libr. duas.*
Lithargyrii,
Minii, *ana libr. ſemis.*
ſubtiliſſime tritis adde
Olei Olivarum, *libr. tres.*
Coquantur leniſſimo igne, addantur
Saponis Veneti raſi, *unc. quatuor.*
ſolutis, & ad Emplaſtri paulo durioris conſiſtentiam coctis, admiſceantur
Camphorae, *unc. una.*
Baccarum Lauri, ſubtiliſſime tritarum, *unc. ſemis.*

Polychreſtum & miraculoſum quaſi habetur ad ulcera antiqua & vulnera etiam noviter inflicta. Convenit vero plurimum cum Emplaſtro Saponato Barbette, *de quo infra ſuo loco. Conf.* SCHULZ. Praelect. *p.* 120. *quem & de hoc ipſo* Emplaſtro miraculoſo *vid. ibidem, p.* 116. *ſq. ubi illud inprimis laudat in ictero curando, quod tamen aliis Medicis, uti ſcimus, non æque ſucceſſit. Neque unquam miracula tanta de hoc Emplaſtro vidimus, ut magnificum* Miraculoſi *Nomen jure promeruiſſe videretur. Interea tamen laude ſua non indignum eſt, quod emollit, refrigerat, mundat, ſiccat, & ſanat; Sed hoc etiam alia Emplaſtra, hactenus paſſim, hoc opere, laudata, faciunt, quæ tamen nemo inde miraculoſa dixerit. Unde ergo hoc ſolum meruit, ut miraculoſum appellaretur, quam nulla alia miracula præſtat, quam ea, quæ ab aliis vulgo exhiberi ſolent? Conf. ſuperius ſuo loco, dicta, ad* Emplaſtrum domus Miſericordiae, *dictum.*

Emplaſtrum Mitigativum Mynſichti.

Armament. p. 512.

℞. Emplaſtri Oxycroc. *unc. duas.*
Diachyl. ſimpl.
Compoſ.
de Meliloto, *ana unc. unam.*
Miſc. & cum Oleo Chamomill.
Fiat Emplaſtrum.

In Hypochondriis, pectore, Ventriculo, jecinore, Liene, & aliis partibus, omnem duritiem, & ſcirrhoſos

tumores emollit, reſolvit, diſcutit, extrahit, maturat, & dolores varios mitigat, vehementesque ſedat. Ita vehementer quaſi, ipſe loquitur, ſeu declamat rectius, Mynſichtus. *O ſi tantum dimidia horum magnorum Elegiorum vera & certa eſſet!*

Emplaſtrum de Mucilaginibus.

Diſp. Vienn. Leid.

℞. Olei Olivarum, cum Mucilaginibus,
Radicis Althaeae,
Seminis Fœnugraeci,
Lini, *ana* decocti, *libr. ſemis.*
Cerae flavae, *unc. viginti.*
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni, *ana* aceto ſolutorum, *unciam ſemis.*
Terebinthinae clarae, *unc. duas.*
Croci Auſtriaci, *drach. duas.*
Miſceantur: & Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Virtutes horum Emplaſtrorum, ſunt, uti notum, emollientes, digerentes, maturantes, & ſuppurantes.

Emplaſtrum de Mucilaginibus.

Jo. Langii, *Epiſt. Med. Lib. III. c.* 12. *pag.* 872.

℞. Radic. Althaeae, *drach. tres ſemis.*
Seminum Lini,
Cydoniorum, *ana drach. tres.*
de quibus conquaſſatis extrahatur Mucilago, cum Aqua Malvarum & Chamomillae, ſingul. quantum ſuff. *unc. trium.*
quibus deinde adde:
Medullae crurum Vituli, *unc. unam.*
Croci, *ſcrup. duos.*
Maſtichis, *drach. unam.*
Myrrhæ rubræ, *ſcrup. duos ſemis.*
Pulv. Chamomillæ, *drach. tres ſemis.*
Spermatis Ceti, *unc. unam ſemis.*
Olei Liliorum, *unc. unam.*
Terebinthinæ, *unc. unam ſemis.*
Cum Cera alba, *quantum ſufficit,*
Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Habentur ibidem, & duæ aliæ Compoſitiones ſimilis Emplaſtri, non minoris Virtutis, nec minoris elegantiæ.

Emplaſtrum Nervinum Grimii.

Laborat. Ceylon. p. 68.

℞. Folior. Cinnamomi, *libr. unam.*
Olei ſtillat. Fol. Cinnamom. *dr. duas.*
Radic. Cinnamomi,
Oſſis Elephant.
Olei Cocti Baccarum Cinnamomi, *libram ſemis.*
Ceræ Citrinæ, *quantum ſufficit.*
Miſce: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Omnia ſane hic merum Cinnamomum ſpirant; atque inde hoc quidem Emplaſtrum ad nervos flaccidos & infirmos roborandos, haud dubie efficaciſſimum; ſed ſolis gentibus beatoribus Eois relinquendum, nobis quippe ob triſtius ſolum, cœlumque gravius, denegatum, uti aliquoties jam monuimus, ubi Remedia Ceylonica pretioſa paſſim recenſuimus. Conf. infra dicta, ad Emplaſtrum Stomachicum Ceylonicum. *Ceterum vero omnia hæc Emplaſtra nervina, hic deſcripta, nervoſas partes roborant, viſcoſas particulas digerunt, reſolvuntque emolliendo & temperando.*

Emplaſtrum Nervinum Hoffmanni.

Diſp. Wirt. in reliquis non occurrit.

℞. Gummi Ammoniaci,
Reſinæ Elemi, *ana unc. ſemis.*
Tacamahacæ,
Maſtiches,
Olibani, *ana drach. tres.*
Carannæ, *drach. ſex.*
Succini citrini, *drach. duas.*
Omnia pulveriſata excipiantur
Terebinthinæ Venetæ, *unciis duabus.*
Ceræ flavæ, *libra ſemis.*
Fiat Emplaſtrum.

Ad nervorum, artuum & iſchiadicos dolores utile eſt, roborat & attrahit; hinc etiam ad luxationes adhiberi poteſt. Ceterum aliud Hoffmanni Emplaſtrum Nervinum *in ſequentibus, occurret.*

Emplaſtrum Nervinum, Hoffmanni.

Not. ad POTER. *Pharm. Spag. p.* 486.

℞. Axungiæ humanæ, *unc. unam.*
Picis albæ,
Ceræ, *ana unc. duas.*
Olei Juniperi,
Succini, *ana drach. duas.*
Miſceantur: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Ceterum aliud Emplaſtrum Nervinum operoſioris tamen aliquanto Compoſitionis, magni quoque olim Medici, ſcil. Joannis LANGII, *lege, his, in ipſius* Epiſt. Medicinal. *Lib. III, Cap XII. p.* 870. *Aliud vero ejusdem* Hoffmanni Emplaſtrum Nervinum *ſupra legitur.*

Emplaſtrum Nervinum Placcii.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Foliorum Lauri,
Anthos,
Betonicæ,
Chamæpityos,
Primulæ veris, *ana unc. duas.*
Florum Lavendulæ, *unc. unam.*
Hyperici, *unc. duas.*
Lumbricorum terreſt. in Vino lotorum, *unc. tres.*
Omnia in Vino bono coquantur, addendo:
Olei Chamomillæ, *unc. tres.*
Irini, *unc. unam ſemis.*
Terebinthinæ, *unc. tres.*
Sevi hircini, *unc. unam ſemis.*
Gummi Elemi, *unc. tres.*
Tacamahacæ,
Picis navalis,
Reſinæ, *ana unc. duas.*
Lithargyrii, *unc. tres.*
Ceræ, *unc. viginti quatuor.*
parato Emplaſtro poſtea adde:
Olei deſtillati Baccar. Juniperi, *uncias duas.*
Salviæ,
Anthos, *ana drach. unam.*
Miſceantur diligenter: Fiat ex Arte, Emplaſtrum.

Emplaſtrum Nervinum Vigor.

Diſpenſ. Vienn. Brand. Lond. Prag.

℞. Rad. Rubiæ Tinctorum, *unc. duas ſem.*
Herbar. recent. Roriſmarini,
Betonicæ,
Summitatum Centaurii minoris,
Florum Chamæmeli,
Hyperici,
Roſarum, *ana unc. unam.*
Lumbricorum terreſtr. recent. *libram ſemis.*
Coquantur *in ſufficienti quantitate* Vini,

Colaturæ expreſſæ poſtea addatur:
Olei Olivarum,
Lithargyrii, *ana libra una ſemis.*
Minii, *libra ſemis.*
Coquantur denuo, lento igne, ad Emplaſtri Conſiſtentiam: cui addantur poſtea, ſequentia liquata, & depurata:
Ceræ Citrinæ,
Terebinthinæ claræ,
Reſinæ, *ana libra ſemis.*
Sevi hircini, *unc. octo.*
Gummi Elemi, *unc. duæ ſemis.*
Sagapeni,
Ammoniaci,
Galbani, *ana ſuperiori* Terebinthina ſolutorum, *drach ſex.*
Pulveris Maſtichis, *unc. tres ſemis.*
Miſceantur: & Fiat lege Artis Emplaſtrum.

Emplaſtrum de Nicotiana,

le Mort. in Pharm.

Diſpenſ. Wirt.

℞. Nicotianæ, *unc. quatuor.*
Olei Olivarum, *libr. unam.*
Vini rubri, *unc. quinque.*
Coquantur leni igne ad conſumtionem humiditatis, exprimantur, & expreſſo addantur
Ceræ Citrinæ,
Colophonii, *ana libra una.*
Admiſceatur
Tacamahacae,
Elemi,
Myrrhae,
Aloës, *ana uncia una.*
Olei Tabaci per deſcenſum deſtillati, *unciæ duæ.*
Fiat Emplaſtrum.

Commendatur ab Authore ſpleneticis. Abdomini impoſitum, alvum obſtructam reſerare expertum eſt.

Emplaſtrum Nigrum,

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Plumbi albi pulverati,
Olei Olivarum, *ana libr. unam.*
Coque ſimul igne forti, addendo per vices, Aceti paululum, dum Conſiſtentiam Emplaſtri, & nigricantem Colorem adquiſierint. Demum his adde.
Cerae flavae, *unc. quatuor.*
Miſc. Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Aliud Emplaſtrum Nigrum Bezae, *longe operoſioris compoſitionis, vid. in Diſpenſ. Argent. & Prag.*

Emplaſtrum Noricum.

Diſpenſ. Norimb. Wirt. Brand. & rel.

℞. Olei roſati, *libr. unam.*
Minii rubri, *unc. octo.*
Aceti Vini, *unc. quatuor.*
Coque ad Emplaſtri, brunei coloris & mollioris conſiſtentiam; adde
Cerae citrinae, *unc. unam ſemis.*
Camphorae, *drach. duas.*
Miſce, effunde in ſcatulas.

Conf. infra Emplaſtrum Triapharmacum, quod fere idem.

Ulcera exſiccat, & nervoſas partes roborat. Vid. SCHULZ. Praelect. *p.* 117. *In Arthritide tamen vix ſecure adhibetur. Vid.* RIEDLINI *Lin. Med. An.* 1698. *Menſ. Dec. Obſ.* 9. *p.* 1023 *ſq.*

Emplaſtrum Ophthalmicum.

HOFFMANN. *Theſaur. Pharm. p.* 64.

℞. Radicum Conſolidae majoris,
minor. *ana libr. ſemis.*
Florum Chamaemel.
Melilot. lut.
Croc. *ana drach duas.*
Farinae Fabarum, *unc. quatuor.*
Fœn. graec. *unc. unam ſemis.*

Butyri

Butyri recentis, *drach. ſex.*

Coquantur ſecundum Artem, tandem terantur, & Fiat Emplaſtrum.

Si addideris ei Succi Abſinthii & Cymini, ana unciam unam, *Medicinam ei parem, non facile invenies. Facit ad Contuſiones & Concuſſiones Oculorum, reſolvens & exſiccans Materiam, in parte affecta, circa oculos contuſos, dolorem inſuper mitigans. Pulchra, fateor, hæc ſunt, utinam vera ſemper ac certa etiam eſſent!*

Emplaſtrum Opodeldoch.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Argent. Pariſ. & rel.

℞. Lithargyrii triti *libr. unam ſemis.*
Olei Olivarum, *libras duas.*
Coque lento igne, additis
Aceti Vini, &
Aquae fontanae, *ana unciis quatuor.*
ad colorem dilute fuſcum.
His adde
Cerae flavae, *libram ſemis.*
Terebinthinae, *unc. quatuor.*
agitentur piſtillo ligneo, ut citius refrigeſcant & ſpiſſeſcant, adde
Gummi Ammoniaci,
Bdellii, *ana uncias duas.*
Galbani,
Opopanacis, *ana unc. unam.*
in Aceto ſolutis, & in mellis conſiſtentiam redactis
Pulveris Ariſtolochiae rotundæ veræ,
Ariſtolochiae longae verae,
Lapidis calaminaris praeparati,
Thuris,
Myrrhae,
Maſtiches, *ana unc. unam.*
Olei Laurini, *unc. unam ſemis.*

Commiſceantur, ſemper agitando, usque dum refrigeſcant.

Vulnera ſanare, ſpicula, tela, aut vulneribus illapſa extrahere, affluxus humorum arcere, & ſymptomata periculoſa præcavere credunt. Auctore famoſo illo Paracelſo, *qui barbarum illud Nomen ipſi impoſuit ipſe Barbarus; Ceterum vid.* SCHULZ Prael. *p.* 118. *Quomodo vero famoſum hoc Emplaſtrum correxerit, & in nonnullis auxerit, id quidem* Vid. *apud* BIERLING. Append. Med. *p.* 136.

Emplaſtrum Opodeldoch, Hamburgenſium.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Cerae Citrinae, *libr. tres.*
Colophonii, *unc. unam ſemis.*
Terebinthinae, *libr. unam.*
Olei Hyperici, *unciis ſex.*
Gummi Elemi,
Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis, *ana drach. ſex.*
Olibani,
Sarcocollae,
Myrrhae,
Maſtichis,
Mumiae,
Succini,
Sanguinis Draconis, *ana drach. tres.*
Aloës,
Lapidis Magnetis praep. *ana unciam unam ſemis.*
Croci Martis,
Tutiae Praeparat. *ana unc. duas.*
Lapidis Calaminar. praeparat. *unc. dec.*
Lithargyrii, *unc. duas.*
Terrae Vitrioli edulcoratae, *uncias quatuor.*
Olei Olivarum, *libr. ſemis.*

Miſceantur omnia exacte: Tum vero Fiat ſecundum Artem Emplaſtrum.

Magna operoſaque, non nego, hujus quidem Emplaſtri eſt Compoſitio, adeo,

ut hinc longe abeat a reliquis illius deſcriptionibus, in variis Diſpenſatoriis, paſſim obviis. Interim tamen, quod ſine cujuscunque fraude, aut invidia, modeſte dixerim, varia hic præter neceſſitatem, adjecta videntur, quæ hanc ipſam quidem Compoſitionem longiorem potius reddunt, quam meliorem, & diffuſiorem, quam efficaciorem. Conf. SCHULZII Praelect. ad Diſpenſ. Brand. *p.* 118.

Emplaſtrum Odontalgicum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Gummi Tacamahacae, *unc. duas.*
Ladani,
Maſtichis, *ana unc. unam.*
Olei Nucis Moſchatae expreſſi,
Balſami nigri Jndici,
Cerae Citrinae, *ana unc. ſemis.*
Succini albi praeparati,
Pulv. Cubebarum, *ana drach. unam.*
Caſtorei, *drach. ſemis.*

Miſceantur, lege Artis, in Emplaſtrum. Nuchae, & pone aures adhibitum, Nominis Inſcriptioni ſaepius, quoad licet, ſatisfacit.

Ceterum vid. aliud Emplaſtrum Odontalgicum *infra, & plures ejusmodi Compoſitiones, ſub* Emplaſtris, ad Dolores dentium.

Emplaſtrum Odontalgicum.

Diſp. Wirt. Pariſ. in reliquis non invenitur.

℞. Tacamahacae,
Elemi,
Maſtiches electae, *ana unc. unam.*
Opii, *drach. duas.*
Omnia probe trita excipiantur
Terebinthinae clarae Venetae, *drach. duabus.*

Miſce, fiat Emplaſtrum.

Non ſolum ad dolores dentium, ſed & Cephalalgiam & defluxiones catarrhales inſervit. Spatula calefacta ſuper ſericum extenditur, atque temporibus applicatur. Ceterum Conf. ſupra, Emplaſtra ad dolores dentium, *iisdem ſcil. uſibus inſervientia.*

Emplaſtrum Odontalgicum.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Gummi Tacamahacæ,
Elemi, *ana drach. duas.*
Olibani,
Maſtiches, *ana drach. unam.*
Reſinæ Pini, *drach. ſex.*
Camphoræ, *ſcrup. duos.*
Opii pulverati, *ſemidrachmam.*
Petrolei, quantitatem ſufficientem.

Lento igne liquefiat Reſina; dein admiſce Gumm. Elemi: poſtea pulveres ceterorum Gummi & Opii: ultima, Camphoram in petroleo diſſolutam.

Fiat Emplaſtrum, ſecundum Artem, cui Olei Caryophyllorum *Guttæ aliquot* admiſcebuntur.

Emplaſtrum Oxycroceum.

Diſpenſ. Wirt. Brand. Vienn. & in rel. vid. Chirurg.

℞. Cerae,
Picis,
Colophoniae, *ana libr. unam.*
Croci,
Terebinthinae,
Galbani,
Ammoniaci,
Myrrhae,
Olibani,
Maſtiches, *ana unc. quatuor.*

Cera, Pix & Colophonia invicem liquentur & colentur, quibus dein, ab igne ſepoſitis & ſemirefrigeratis, Terebinthina addatur, poſtea reliqua, in

pulverem ſubtiliſſimum redacta, Ammoniacum, Galbanum & Crocus, aceto ſoluto, jungantur, fiatque Emplaſtrum. Vid. HOFFMANN. ad *Poter.* Pharm. Spag. L. III. p. 487. ubi de recta praeparatione hujus Emplaſtri Oxycroc.

In luxationibus, & doloribus inde ortis, reſolvendo & vi paregorica efficax deprehenditur; vid. FORESTI Obſ. 11. *Lib.* 20. *p.* 386. & *in ſeqq. paſſim propter calorem vero, quem conciliat, ab uſu diuturno abſtinendum eſſe, nonnulli monent. vid.* SCHULZII Praelect. *p.* 118. *ubi & de uſu, & abuſu hujus Emplaſtri, diſſerit, & memorabile ſimul exemplum affert pueri, in Colli vertebris fuſte, graviſſime læſi, & hujus Emplaſtri beneficio, poſt omnia alia incaſſum prius adhibita, demum feliciter reſtituti: quod utique notari meretur. Ceterum vero hoc Emplaſtrum cum Emplaſtro Diaphoret.* Mynſicht *ſuperius laudato, valde convenire, recte obſervat Cl.* CARTHEUSERUS, in Pharmacol. *p.* 736.

Emplaſtrum de Panis Cruſta.

Videatur
Emplaſtrum de Cruſta Panis.

Emplaſtrum Pectorale.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 99.

℞. Gumm. Tacamahac. colat. *unc. ſem.*
Cerae Citrinae, *drach. duas.*
Liquefactis adde:
Pulv. Benzoin.
Styracis Calamit. *ana drach. unam.*
Croci, *ſcrup ſemis.*
Olei Aniſi, *guttas octo.*
Nucis Moſchatae,
Caryophyllorum, *ana guttas quat.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Calefacit, attenuat, diſcutit, roborat. Muſculos Thoracicos, colluvie viſcida frigidaque impeditos, liberat, levat & conſolatur. Uſui eſt ad Tuſſim, cum pectoris gravitate & infirmitate, conjunctam. Ita Fullerus, *quam vere, ipſe viderit.*

Emplaſtrum Pleuriticum.

FULLER. *ibidem, p.* 99.

℞. Emplaſtri Paracelſi,
de Sapone, *ana unc. unam.*
Unguenti Popul. *unc. unam ſemis.*
Camphorae, *drach. tres.*

Liquefiant lento Igne, perpetuo agitando, cum Spatula: quando frigeſcere incipiunt, addatur demum Camphora, & tum Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum Molle.

Valde anodynum eſt: dolores pleuriticos & podagricos, placat: Tumores inflammatorios diſſipat: Anginam ipſam abſque Repercuſſione, ſolvit, ſi nempe humanior fuerit. Ita quidem ipſe Fullerus: Nec inficior ego, in mitigandis ſævis pleuritidis doloribus, uſum inſignem præſtare poſſe hoc ipſum quidem Emplaſtrum, utque hinc longiſſime præferendum eſſe inſulſo illi & maximam partem nocivo Emplaſtro antipleuritico Sylviano, *ſuperius, ſuo loco, ad vitandum magis atque vetandum; quam ad imitandum, propoſito. Interim tamen multo ſimpliciora & ſecuriora Remedia topica antipleuritica, diuturno uſu comprobata, tradidimus, Cap. IV.* Libelli de pleuritide, *pag.* 53. *adeo, ut nec hoc Emplaſtro opus ſit. Ceterum alia* Emplaſtra antipleuritica *etiam profutura, habet* BARBETTE, Prax. Med. *Lib. III. cap.* 1. *p.* 78 *ſqq.* & *ibi* DECKERUS, in Notis, & Pharm. Bat. *pag.* 42.

Emplaſtrum Polychreſtum.

Hoffmann. ad Poterii.

Pharm. Spagyr. Lib. III. p. 486.

℞. Axungiæ humanæ, ſeu equinæ, *unciam unam.*
Minii,
Ceruſſæ, *ana unciam ſemis.*
Saponis Veneti, *drachmas ſex.*
Camphoræ parum,

Miſc. Fiat ex Arte, Emplaſtrum, cui commode addi poteſt oleum Hyoſcyami.

Uſus in Catarrhis, ulceribus ſalſis, ambuſtis & inflammatis partibus, in Tumoribus, Hydrope, Vulneribus. &c. Ita quidem ipſe Hoffmannus. Ceterum hoc Emplaſtrum polychreſtum, compoſitione ipſa, atque etiam Virtute, exacte convenire cum Emplaſtris, Saponato Barbette, *& dicto* Miraculoſo, *nemo, credo, negabit, qui horum quidem Emplaſtrorum compoſitiones, ſuperius, ſuis locis, attente legerit.*

Emplaſtrum Puniceum.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 100.

℞. Gumm. Galbani colat *drach. un. ſemis.*
Pulvis Maſtich. *drachmas tres.*
Terebinthinæ Cypriæ, *drach. ſemis.*
Picis navalis, *ſcrupulos duos.*

Ducantur cum piſtillo calido, in Mortario pariter calido: Mox illis addantur:

Olei Macis expreſſi, *grana quindec.*
Pulv. Balauſtiorum, *grana quadraginta quinque.*

Intime commiſceantur omnia, & Conficiatur ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Hoc elegans Emplaſtrum, inquit ibi Fullerus, Auctor, Caput, Stomachum, Abdomen, uterum optime roborat, & conſolatur: quantum poteſt ſcilicet puniceum *vero, ſive rubrum, vocatur, quod nemo forſan neſcit, a colore puniceo, ſeu elegantiſſime rubro, adjectorum Florum Balauſtiorum, Mali punicæ.*

Emplaſtrum Purgans

Admirabile Cnoefelii.

in Miſcellan. Naturæ Curioſorum.

℞. Semin. Cataputiæ,
Colocynthid. *ana uncias duas.*
Rad. & Fol. Helleb. nigr.
Eſulæ,
Succ. Tithymali,
Cucumeris aſinini agreſt.
Radic. Sambuci recentis,
Ebuli, *ana drachmas ſex.*
Aloës hepaticæ,
Scammon. *ana drachmam unam ſemis.*
Terebinthinæ, *drachmas tres.*
Mellis deſpumat. *quantum ſufficit.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Emplaſtrum hoc, miræ, ut creditur, Virtutis, quondam Sacr. Reg. Majeſtati Uladislao IV. a Palatino Pomerelliæ, Illuſt. Dn. de Doenhof. *eſt communicatum. Primo autem ſolvit potenter Alvum, umbilico impoſitum: enecat Vermes, eosque ſimul cum excrementis, expellit: Regioni Stomachi ſuperiori applicatum, vomitum ciet: Renibus & Lumbis, urinam ſtimulat: Mammis Mulierum, Menſtrua ſollicitat: & Abdomini, partum promovet: Expellit & ipſum Fœtuum mortuum, ſi diutius geratur.* Vid. Tabul. Smaragd. *p.* 170. *Hæc omnia quidem de hoc Emplaſtro, vera ſunt, aut certe maximam partem: Sed quoniam draſticum, violentum & acre eſt, tot etiam ex adverſo, vitia & damna habet, quo virtutes & emolumenta habere creditur.*

Scilicet non ſatis caute & circumſpecte adhibitum, enormes vomitus ſuſcitat, Ventriculum ſubvertit, ſæviſſima abdominis tormina creat, alvum nimis fluxam reddit, & non ſolum diarrhoeam; ſed & ipſam denique fœdam dyſenteriam ſenſim inducit; adeo, ut hinc hoc ipſum Emplaſtrum purgans *& ipſa fere Compoſitione, & Virtutibus, & Vitiis denique ipſis, par omnino ſit celebri illi* Unguento purganti de Arthanita, *vulgo dicto, cujus deſcriptio infra, ſuo loco, producetur: de quo vid.* BOERHAAVE, Prax. Med. *Tom. V. pag.* 290. *Hic quoque referendum* Emplaſtrum contra Vermes, *quod in ſequentibus, mox hic exhibetur, cui ſimilis Virtus ineſt, & alvum movendi, & Vermes necandi, & expellendi: uti &* Oleo Colocynthidis, *de quo infra, ſuo loco, &* Unguento ad Lumbricos, *cujus deſcriptionem ex Pharmacop. Bateana, infra dabimus. In qua & pag.* 44. *ſimile* Emplaſtrum Vermifugum *occurrit. Conf. & hic in ſqq.* Extractum umbilicale purgans, *& Emplaſtrum umbilicale purgans; apud* HARRIS, *de* Morbis Infantum, *pag.* 60.

Emplaſtrum de Pyrethro.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 100.

℞. Galbani col.
Sagapeni,
Ammoniac. Vino albo ſolut. & colat. *ana unciam unam.*
Pulv. Rad. Pyrethri,
Seminis Sinap. *ana unciam ſemis.*
Ceræ, *unciam unam ſemis.*
Terebinthinæ Venetæ, *quant. ſuffic.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Partes nervoſas calefacit, obſtructiones vaſorum reſerat, & ſpiritus animales in motum ſtimulat. Convenit inde paralyticis & reſolutis. Pertinet ergo hoc Emplaſtrum præcipue ad phœnigmos atque Sinapiſmos, quorum ope, membris ſtupidis & veluti præmortuis, torpor excutitur, atque deſuetus quaſi ſenſus vigorque, vellicando, admordendo, & rubefaciendo, ſenſim reducitur, uti notum.

Emplaſtrum de Ranis, ſine Mercurio.

Diſp. Argent. Wirt. Vienn. Brand. Lond. Groning. & rel.

℞. Ranarum viventium, *decem.*
Lumbricorum terreſtrium viventium, *uncias quatuor.*
Schœnanthi,
Stœchadis Arabicæ,
Matricariæ,
Croci orientalis, *ana drachm. quat.*
Radicum Enulæ,
Ebuli, *ana uncias tres.*
Vini albi, *libras duas.*
Aceti Vini optimi, *libram un. ſemis.*

Incidantur incidenda, & lento igne ad dimidias coquantur & colentur; colaturam ſerva. Poſtea recipe
Olei Olivarum, *uncias duodecim.*
Lithargyrii optime triti, *totidem.*

Coquantur leniſſimo igne, ſpatula ſemper agitando, & decocti ſuperioris ſubinde addendo, ad conſiſtentiam emplaſtri durioris. Ab igne remotis adde
Olei Laurini expreſſi,
Terebinthinæ claræ,
Ceræ flavæ, *ana uncias duas.*
his liquatis
Pulveris Olibani, *drachmas ſex.*
Euphorbii, *drachmas quinque.*
Styracis liquidæ, *unciam ſemis.*
probe piſtillo ligneo commiſcendo, fiat Emplaſtrum.

Commendabile eſt ad ſolvendos & emolliendos tumores frigidos, & ad dolores a cauſa frigida ortos mitigandos.

Emplaſtrum de Ranis, cum Mercurio Simplo.

Fit, ſi
Emplaſtri modo præſcripti, *libr. uni.*
additur
Mercurii vivi, in Terebinthina extincti, *uncia una ſemis.*

Ad tumores & dolores glandularum, præſertim ex iniquinamento venereo ortos, adhibetur. Vid. SCHULZ. *pag.* 119. *&* CARTHEUSER. Pharmacol. *p.* 738. *hujus tamen Emplaſtri uſum, ceu fatuum & nocivum, plane damnat* STAHLIUS, Mat. Med. *P. II. p.* 48. *quam recte, ipſe viderit. Nos certe in bubonibus Venereis diſcutiendis, & teſtibus quoque ſcirrho induratis, ſenſim emolliendis, egregios & ipſius opportuno uſu, effectus aliquoties læti, deprehendimus. Ceterum Conf. ſupra* Emplaſtrum Mercuriale.

Emplaſtrum Regium Burrhi.

Diſp. Wirt. in reliquiis fere deſideratur.

℞. Ceræ citrinæ, *libram unam ſemis.*
Reſinæ Pini, *libram ſemis.*
Terebinthinæ Venetæ, *libram unam,*
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Bdellii,
Aſæ foetidæ,
Hederæ,
Tacamahacæ,
Elemi,
Olibani,
Sanguinis Draconis, *ana unc. unam.*
Tragacanthæ, *uncias decem.*
Caſtorei, *unciam ſemis.*
Extracti Opii,
Croci, *ana drachmas duas.*
Salis volatilis Ammoniaci,
Cornu Cervi, *ana drachm. ſex.*

Cera & reſina lento igne liquentur & colentur, quibus, ex parte refrigeratis, admiſceantur Tacamahaca, Elemi, Olibanum, Sanguis Draconis, omnia in ſubtiliſſimum pollinem trita; poſtea Gummi Ammoniacum, Galbanum, Opopanax, Bdellium, Aſa foetida, Hederæ, cum extractis, in aceto ſoluta, & expreſſione per linteum colata, atque leni igne in mellis conſiſtentiam redacta, addantur. Tandem Terebinthina Veneta, Tragacantha, Caſtoreum & ſalia volatilia adjungantur, & perpetua ac diligenti mixtione fiat Emplaſtrum, quod in cylindros craſſiores formatum, veſicæ bubulæ involvatur & ſervetur.

Nervinum eſt, reſolvit, dolores ſopit; in tumoribus inprimis oedematoſis commendatur. Conf. ſupra Cera Catholica Burrhi.

Emplaſtrum Roborans, ad Luxationes.

BARBETTE, *Chirurg. P. I. C.* 5. *p.* 20.

℞. Thuris,
Maſtiches,
Boli Armen.
Sanguinis Draconis, *ana unc. ſemis.*
Farinæ Volat. molendin. *unc. unam.*
Rad. Conſolidæ majoris, *drach. duas.*
Sevi arietini, *uncias tres.*
Ceræ albæ, *quantum ſufficit.*

Miſce: Fiat lege Artis Emplaſtrum.

* * *

Emplaſtrum Roborans
Aliud Ejusdem.

℞. Lithargyrii,
Ceræ,
Reſinae, *ana uncias tres.*
Liquefactis ſuper Igne, adde:
Symphyti majoris,
Farinae Fabarum,
Boli Armen. *ana* in aceto macerat. & ſiccat. *uncias tres.*
Tragacanth. *uncias duas.*
Miſceantur: Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Uſus horum Emplaſtrorum potiſſimum eſt, ut influxum humorum & inflammationem ipſam prohibeant, ſimulque partem male affectam ac luxatam roborent, quod ibi pluribus docet ipſe Auctor, Barbette.

Emplaſtrum Roborans,

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 100.

℞. Emplaſtr. Stomach. Magiſtr. *drachmas tris.*
Oxycroc. rite praep. *drachm. duas.*
Gummi Carannae,
Tacamahac. *ana drachm. unam.*
Pulver. Balſam. Tolut. *ſcrupul. unum.*
Balſami Peruvian. *ſcrupul. unum.*
Olei ſtillat. Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Nucis Moſch. *ana gutt. duas.*
Menthae,
Abſinthii, *ana guttam unam.*
Miſceantur: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Ad Ventriculum infirmum roborandum, & ad meliorem appetitum reducendum, vix reperiatur præſtantius.

***

Emplaſtrum Roborans
Rubrum Antimoniatum.

Diſpenſ. Argent. Ratisbon.

℞. Emplaſt. diapalmae, *uncias quatuor.*
Boli Armen.
Cretae purae, *ana unciam ſemis.*
Antimonii diaphoret. *drachm. duas.*
Olei Laurini, *unciam ſemis.*
Tartari, per deliq. *drachm. unam.*
Miſceantur: Fiat ex Arte, Emplaſtrum.

Ubi exſiccandum, & roborandum, atque abſtergendum, conducere hoc Emplaſtrum poteſt. Ceterum, me quidem judice, Nomen potius externum traxit ab Antimonio; quam virtutem internam. Quid enim Antimonium diaphoreticum, & quidem tam exigua, drachmarum duarum, doſi, exterius adhibitum, conferre poſſit, ad roborandum, exſiccandum & abſtergendum; id equidem me haud ſatis bene perſpicere, palam profiteor: pace tamen clariſſ. hujus Emplaſtri alias, uſu ſuo haud carituri, Auctorum, hoc ſit monitum decenti cum modeſtia.

Emplaſtrum *ſive* Ceratum
Sandalinum, *alias* Incognitum.

Diſp. Wirt. Vienn. Brand. Argent. & rel.

℞. Cerae novae,
Reſinae, *ana uncias quatuor.*
Sandali rubri, *unciam unam ſemis.*
Croci, *drachmas duas.*
Olibani,
Maſtiches,
Myrrhae,
Aluminis, *ana drachmam unam ſemis.*
Cera cum reſina liquefactae & colatae, iterumque ſemi-refrigeratae, Sandalum & Crocum trita, atque Vini ſpiritu diluta, cum reliquis in pulve-

rem redactis, immiſcendo, fiat Emplaſtrum.

Hepatis induratione & obſtructioni dicatum olim fuit. Prodeſt etiam ad iſchiadicos dolores. Conf. ſupra ſuo loco, Ceratum Santal.

Emplaſtrum Saponatum Barbettæ.
ſive
Emplaſtrum Comitis Digby Saturninum.

Prax. Med. Lib I. Cap. IV. pag. 42.

Diſp. Brand. Wirt. Argent. & rel.

℞. Olei roſati *libram unam.*
Ceruſſae,
Minii rubri, *ana uncias quatuor.*

Coquantur, ſub perpetua agitatione & additione aliquot unciarum aquae fontanae, ad ſolutionem Ceruſſae & Minii promovendam, atque aduſtionem Emplaſtri præcavendam, in Emplaſtri mollioris conſiſtentiam; addantur

Saponis Veneti raſi, *unciæ quatuor.*
quibus ſolutis, ab igne removeantur, &
Camphorae, in ſpiritu Vini ſolutae, *uncia ſemis.*
admiſceantur:

Ad dolores arthriticos & ſpaſticos leniendos communiter laudatur; Vid. Nenter. *&* Diſp. Brand. *p.* 74. *in Not.* & Riedlin. Lin. Med. *Ann.* 1697. *Menſ. April. Obſ. XI. p.*229. *alvum quoque infantibus, abdomini impoſitum, reſeraſſe obſervatum eſt. Reſolvit tumores frigidos, & ictericis, ubi durities ſub hypochondriis ſentitur, commendari ſolet. Ceterum maximam partem, convenit cum Emplaſtro Miraculoſo, de quo ſupra.* Conf. Schulz. *p.*120.

Emplaſtrum Saturninum
Mynsichti. p. 513.

Diſp. Wirt. Prag. Argent. & reliq.

℞. Sevi hircini,
Cerae citrinae, *ana uncias quinque.*
Terebinthinae clarae,
Plumbi uſti, optime loti & ſubtiliſſime triti, *ana uncias duas.*
Lapidis Calaminaris præparati,
Ceruſſæ albæ, *ana unciam ſemis.*
Nihili albi,
Tutiæ præparatæ, *ana drachm. duas.*
Myrrhæ,
Maſtiches,
Olibani,
Aloës,
Nitri, *ana drachmam unam.*
Camphoræ, *drachmam ſemis.*

Omnia in ſubtilem pulverem redacta, Ceræ, Sevo & Terebinthinæ liquatis, & ab igne remotis, admiſceantur. Fiat Emplaſtrum.

Ab Authore Mynſichto ad ulcera fœtida exeſa, inflammationes & ambuſta commendatur. Aliud vero Emplaſtrum Saturnin. Vid. in Pharm. Bat. Conf. infra Unguentum Saturninum.

Emplaſtrum de Scrophularia.

Diſp. Wirt. in reliq. deſideratur.

℞. Foliorum Scrophulariæ,
Digitalis purpureæ recentium, *ana uncias octo.*
Axungiæ ſuillæ, *libram unam.*

Coque ad humiditatis conſumtionem, expreſſo adde
Ceræ citrinæ,
Reſinæ pini, *ana uncias ſex.*
Terebinæ Venetæ,
Aeruginis, *ana unciam.*

Miſceantur, fiat Emplaſtrum.

Laudatur ad ulcera antiqua &

ſcrofulas etiam exulceratas: Ceterum aliud adhuc efficacius contra ſcrofulas, Emplaſtrum vid. in DECKERI Not. ad Prax. BARBETT. *Lib. II. Cap. 2. p. 65. Conf.* HOFFMANN. Theſ. Pharm. *p. 68.*

Emplaſtrum Somniferum.

Jo. LANGII, *Epiſt. Med. Lib. III. cap. 12. p 870.*

℞. Unguenti Popul. *unciam unam.*
Seminum Hyoſcyami, *ſcrup. quatuor.*
Opii puri, *ſcrupulos quinque.*
Croci, *grana ſex.*
Caſtorei, *ſcrupulum ſemis.*
Radic. Mandragorae, *drachmas duas.*
Olei papaveris, *drachmas tres.*

Cum ſufficienti quantitate Cerae, Fiat Emplaſtrum ſuper Tempora,

Ex his, absque Cera, etiam fieri poteſt Linimentum. Conf. infra, ſuo loco, *Unguentum Sommiferum.*

Cur vero præſtantiſſimus Auctor ſex tantum grana Croci, & ſcrupulum ſemis Caſtorei, hic præſcripſerit, haud poſſum divinare. Nihil ergo peccaſſet, quin potius magis profuiſſet, ſi utriuſque ſcrupulum adjeciſſet, aut certe Croci ſcrupulum ſemis, & Caſtorei ſcrupulum unum addidiſſet. Ceterum operoſius & pretioſius, haud vero melius & juvandi virtute valentius Emplaſtrum ejusmodi ſomniferum, ſeu hypnoticum compoſuit MYNSICHTUS, *quod vid. ſi lubet, in ejus* Armament. *Sect. XXXVII. p 503. Aliud autem longe ſimplicius, in* Pharm. Bat.

Emplaſtrum de Spermate Ceti.

MYNSICHTI. *pag. 520.*

Diſp. Prag. Wirt. Vienn. Brand. Hamb. & reliq.

℞. Ceræ albæ, *uncias quatuor.*
Spermatis Ceti, *uncias duas.*
Olei Amygdalarum dulcium,
Gummi Galbani, *ana unc. ſemis.*
Terebinthinæ claræ, *unc. unam.*

Cum cera liquata commiſceantur, oleum, terebinthina, ſperma ceti & tandem gummi galbanum tritum. Fiat Emplaſtrum.

Dicitur etiam mammillare, quia mammis puerperarum & lactantium imponi ſolet. Vid. ſupra, Emplaſtrum Mammillare. *Lac coagulatum reſolvere, & tumores, glandularum duros emollire creditur: niſi jamjam in ſaxeum quaſi ſcirrhum induruerint: tum omnis fere medela inefficax. Conf.* Diſſert. noſtr. de Veritate Paradoxi Hippocr. *p. 18. item de* nociva Cancri inveterati Extirpatione, *ut &* de fame letali, ex colloſa Oris Ventriculi anguſtia, &c.

Emplaſtrum de Spermate Ranarum.

Diſp. Prag. Wirt. Vienn. Brand. & rel.

℞. Olei ſpermatis ranarum,
Ceruſſae tritae, *ana libras quinque.*

Coquantur perpetua agitatione, leniſſimo igne, ſemper aliquid aquæ fontanæ & aceti deſtillati addendo, tam ob aduſtionem præcavendam, quam ſolutionem ceruſſæ promovendam, ad Emplaſtri albi conſiſtentiam; cui, ab igne remoto & piſtillo ligneo probe agitato, adde

Aluminis crudi, *uncias quinque.*
Camphoræ, *unciam unam* in ſpiritu Vini ſolutæ.

NB. Præſtat Alumen in aquae fontanæ, *libra una ſemis vel duabus* diſſolvere, & inter coquendum ſemper parum hujus ſolutionis addere; ita per-

fectius uniuntur, & citius ceruſſa ſolvitur.

Ad ulcera ſordida antiqua mundificanda & curanda, inflammationes & dolores arcendos laudatur; refrigerat, adſtringit, & exſiccat.

Emplaſtrum Spleneticum.
Fabric. ab Aquapendente.

Diſp. Brand. Wirt. Prag. Argent. & rel.

℞. Cicutæ,
Foliorum Ebuli, *ana uncias duas.*
Nicotianae,
Florum Geniſtæ, *ana unciam unam.*
Aceti Vini, *libram unam.*

Macerentur per biduum, ebulliant, & exprimantur. In colatura diſſolve

Gummi Ammoniaci, *libram unam.*

Solutioni per pannum colatæ, & ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatæ, adde

Ceræ citrinæ, *libram ſemis.*
Reſinæ Pini,
Terebinthinæ,
Olei Capparum, *ana uncias duas.*

Quæ, ſeorſum in ſartagine liquata, & ſemirefrigerata, miſceantur exactiſſime.

Uſus ex nomine cognoſcitur. Reſolvit, diſcutit, & cum Emplaſtro de Cicuta convenit. Vid. SCHULZ. *p.* 121.

Emplaſtrum Sticticum, *ſive* Stipticum.
CROLLII. *Baſil. Chym. p.* 269.

Diſp. Arg. Wirt. Lond. Brand. & reliq.

℞. Lithargyrii,
Lapidis Calaminaris,
Minii, *ana libram ſemis.*
Olei Lini,
Olivarum, *ana libram unam.*
Vitrioli albi, *unciam unam.*

Oleum Lini & Olivarum, cum Lithargyrio, Minio, & Lapide calaminari tritis, leniſſimo igne, perpetua agitatione coquuntur; quibus Vitriolum, in *libra una*, aquæ fontanæ ſolutum, ſucceſſive additur, donec juſtam acquiſiverint conſiſtentiam; adjiciantur

Colophoniæ,
Ceræ citrinæ, *ana libra una.*
Terebinthinæ claræ,
Olei Laurini expreſſi, *ana libra ſemis.*

Mixtis addatur

Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Bdellii,
Myrrhæ,
Aloës hepaticæ,
Mumiæ,
Ariſtolochiæ longæ veræ,
Sanguinis Draconis,
Lapidis Hæmatitæ præparati, *ana uncia una.*

Probe miſceantur, & fiat Emplaſtrum, coloris ſpadicei.

Non ſolum ad recentia vulnera, ſed etiam ad antiqua ulcera, egregium eſt remedium. Exſiccat, mundificat, ac in rhevmaticis doloribus bono effectu non deſtituitur. Vid. SCHULZ. *pag.* 121.

Emplaſtrum Sticticum Poterii.

Pharmac. Spagyr. Lib. III. pag. 489.

℞. Maſtiches, *unciam unam ſemis.*
Succini, *unciam ſemis.*
Camphorae, *drachmas duas.*
Cerae Citrinae, *uncias quatuor.*
Olei Balſami Vulnerar. *quantum ſuff.*

Liquentur ſimul: Sub finem adde:

Terebinthinae,
Picis nigrae, *ana unciam unam.*
Thuris,.

Rad. Ariſtolochiae rotundae,
Mumiae, *ana drachmas ſex.*
Miſceantur: Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Habet ibidem Clariſſ. Auctor & alias plures hujus quidem Emplaſtri compoſitiones, cum ſuas, tum vero ipſius Crollii, Theophraſti, *& aliorum, quae ibi, ubi otium ſupereſt, commode videri poſſunt.*

Emplaſtrum Stomachicum Grimii.

Laborat. Ceylon. pag. 67.

℞. Baccar. Cinnamomi,
Folior. Cinnamomi,
Menthae, *ana libram ſemis.*
Radicis Calami aromatici, *unc. unam.*
Oleor. ſtillat. Fol. Cinnam. *dr. duas.*
Baccar. Cinnam. *drachm. unam.*
Cerae, ex Baccis Cinnam. *libr. ſemis.*
Citrinae, *quantum ſufficit.*
Miſceantur: Fiat ſecundum Artem, Emplaſtrum.

Iſtud ſummopere potens, in ſedandis & ſanandis, Torminibus Ventris, Colica, Hydrope, Tympanitide, Vomitu, atque aliis Abdominis paſſionibus.

Sed ſolis potius Ceylonenſibus prodeſt, quam nobis, qui illa uberrima & inemta fere Cinnamomi copia, fatorum invidia, aut inclementia, deſtituimur: ut ſupra jam monuimus, ad Emplaſtrum Nervinum Ceylonicum, *& paſſim, alibi, in hoc noſtro opere.*

Emplaſtrum Stomachicum

Hoffmanni ad Poterii *Pharm. Spag. Lib. III. Sect. X. p.* 486.

℞. Emplaſtri de Cruſta Panis,
Oxycrocei, *ana unciam ſemis.*
Oleorum Menthae,
Caryophyllor. *ana guttas quindec.*
Balſami Peruviani,
Olei Nuciſtae expreſſi, *ana drachmam ſemis.*
Miſceantur: Fiat ex Artis lege, Emplaſtrum.

In morbis Ventriculi, Nauſea, Vomitu, Febribus intermittentibus, diarrhoea, Dyſenteria, &c. prodeſt. Conf. infra Unguentum contra Vomitum.

Emplaſtrum Stomachicum Magiſtrale.

Diſpenſ. Lond. Brand.

℞. Herb. Menthae,
Abſinthii,
Stoechados Arabicae,
Fol. Lauri, *ana drachmam unam.*
Majoranae,
Roſarum rubrarum,
Santali Citrini, *ana drachmas duas.*
Calami aromatici,
Ligni Aloës,
Florum Lavendulae,
Nucis Moſchatae,
Cubebarum,
Galangae,
Piperis longi,
Macis, *ana drachmam unam.*
Maſtiches, *drachmas tres.*
Caryophyllorum, *drachm. duas, ſem.*
Olei Menthae, *unciam unam ſemis.*
Nardini, *unciam unam.*
Spicae, *drachmam unam.*
Reſinae,
Cerae, *ana uncias quatuor.*
Labdani, *uncias tres.*
Styracis Colatae, *unciam ſemis.*
Miſceantur omnia: Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

Emplaſtrum Stomachicum de Tacamahaca.

Diſp. Wirt. Vienn. Brand. & reliq.

℞. Ceræ citrinæ, *uncias octo.*
Tacamahacae, *uncias quatuor.*
Terebinthinæ, *unciam unam.*
Balſami Peruviani,
Olei deſtillati Menthæ, *ana drachmas duas.*
Caryophyllorum, *drach. unam.*

Cerae cum Terebinthina liquefactae & ſemirefrigeratae admiſceatur Tacamahaca trita, ac tandem Balſamum cum oleis.

In vomitu, Diarrhoea & aliis ventriculi morbis, ex imbecillitate ortis, ad ventriculum roborandum convenit, flatus etiam diſſipat. Conf. ſupra ſuo loco. Ceratum Stomachicum, & Emplaſtrum Carminativum.

Emplaſtrum Suppedale Mitius Boerhaave.

Mat. Med. pag. 172.

℞. Emplaſtri de Meliloto,
Galbani,
Sagapeni, *ana unciam unam.*

Miſce, & forma exinde, ut par eſt, Emplaſtrum, cavis pedum, ex uſu, applicandum.

Neceſſarii uſus ſunt hæc, aut ſimilia Emplaſtra, in Febribus continuis, Cephalalgia, Torpore, Vigiliis, Delirio, &c. ſtipatis; quando ſcilicet ſanguis inæqualiter circulatur, & magis impetuoſe verſus caput, quam inferiores corporis partes, fertur. Summopere etiam proſunt in ipſis Variolis, ad revocandam nempe a Capite potiſſimum atque pectore, Materiam varioloſam malignam. Vid. Boerhaav. Aphoriſ. *pag.* 334. & Prax. Med. *T. V. pag.* 316. *item* Sydenham.

Emplaſtrum Suppedale Fulleri.

Pharmac. Extemp. pag. 102. *Batean. ubi tamen in nonnullis ab hoc Emplaſtro differt.*

℞. Emplaſtri Cephalici, *drachmas tres.*
Picis navalis, *drachmas duas.*
Euphorbii, *ſcrupulos duos.*
Camphorae,
Olei Succini, *ana ſcrupulum unum.*

Miſceantur: Fiat, ut decet, Emplaſtrum.

Emplaſtrum Strumale Bezae.

Diſpenſat. Argent. Aliud Batei *Vid. in* Pharm. Bat.

℞. Galbani aceto ſoluti, *uncias duas.*
Picis navalis, *unciam ſemis.*
Radicis Scrophulariae, *drach. quinque.*
Florum Salis Armon. *drach. un. ſemis.*
Pulveris ſtrumalis, *drachmas duas.*
Emplaſtri diachyli gummoſi, *unc. un.*

Miſce, Fiat, ut Artis eſt, Empl.

Cujus vires ſi quas habeat, nomen ipſum indicat.

Emplaſtrum de Thea.

Diſpenſ. Leodienſe.

℞. Gummi Galbani,
Sagapeni, *ana drach. tres.*
Ammoniaci, *drachm. tres.*
Elemi, *drach. unam ſemis.*
Tacamahacæ, *drach. duas.*
Olei Cornu Cervi, *drach. ſex.*
Tartari fœtidi, *drach. unam.*
Camphoræ, *drach. unam & ſemis.*
Spermatis Ceti, *drach. duas.*
Picis navalis, *drach. ſex.*
Myrrhæ, *drach. tres.*
Theæ, *unc. ſemis.*
Salis Volatilis Cornu Cervi, *dr. unam.*
Tartari, *drach. ſemis.*

Cum ſufficienti quantitate Ceræ,
Fiat lege Artis, Emplaſtrum.

In ſolo illo Diſpenſatorio Leodienſi, ſi recte quidem memini, ſingulare hoc & inſolitum Emplaſtrum de Herba Thea, *dictum, deprehendi, inde propter Novitatem, iſtud huic noſtro operi inſerendum merito cenſui. Tribuitur vero illud ipſum vulgo* Dolæo, *qui illius quidem Deſcriptionem in Encyclopædia Chirurgica, & alibi, dederat: quam tamen, quoniam in nonnullis, aliquanto longius abit, ab hac ipſa Compoſitione Diſpenſatorii Leodienſis, hinc infra, adſcribere, placuit.*

Emplaſtrum de Foliis Theæ, Dolæi, Encyc. Chir. L. V, c. 7.

Diſpenſ. Prag.

℞. Gummi Galbani, *unc. tres.*
Ammoniaci,
Sagapeni, *ana unc. duas.*
quibus in Oleo Therebinth. ſolutis, adde:
Olei Cornu Cervi, *unc. ſex.*
Tacamahacæ, *unc. duas.*
Tartari fœtidi, *unc. unam.*
Camphoræ, *drach. unam ſemis.*
Myrrhæ, *unc. tres*
Pulveris Foliorum Theæ, *unc. quat.*
Spermatis Ceti,
Picis, *ana unc. duas.*
Terebinthinæ, *unc. quinque.*
Colophon. *unc. tres.*
Salis Volatilis ſuccini, *unc. unam.*
Tartari, *unc. ſemis.*
Ceræ, quantum ſufficit, ad formandum Emplaſtrum.

Hæ igitur ſunt notabiles illæ compoſitiones mirabilis iſtius Emplaſtri, ſi dis placet. Scilicet non ſufficiebat, Theæ ipſius Infuſum in gulæ torpentis blandum irritamentum, ſanitatis vero ipſius damnum, juſto largius effuſiusque potare; niſi etiam tota illa Sinenſium herba ſub Emplaſtri forma, vel ipſi corpori exterius applicaretur. Sed cui quæſo emolumento, & cui obſecro fini? Dicitur quidem vulgo illud Emplaſtrum omnis generis tamoreos duriſſimos, & ſcirrhos ipſos pertinaciſſimos potenter emollire, reſolvere ac diſſipare: Verum, ſi etiam forſan omnibus illis Virtutibus polleat, licet adhuc valde dubitemus, tamen iſti Salutares effectus reliquis potius ſpeciebus ingredientibus per ſe quidem Valentiſſimis, adſcribendi erant, quam ſoli illi imbecillæ admodum viribus, herbæ Theæ, quæ quippe exterius, corpori ad mota, nihil quidquam valet, nec valere unquam poteſt: adeo, ut hinc plus forte auxilii præſtaret Emplaſtrum e ſuaviſſimo Caffæo paratum, ſi quis iſtius periculum facere vellet. Solum ergo inane Nomen ab herba Thea traxit hoc Emplaſtrum; nihil vero prorſus Virtutis, qua nempe illa caret.

Emplaſtrum Thuris Compoſitum.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 103.

℞. Thuris, *drach. duas.*
Tacamahacæ, *drach. unam.*
Croci pulverati, *ſcrup. ſemis.*
Terebinthinæ Venetæ, *quant. ſufficit.*
Miſceantur: Fiat lege Artis, Emplaſtrum elegans.

Febricitantium Corpis admoveatur, ceu antifebrile: quod febres ſupprimat, ſi nempe poſſit. Supra vero, ſuo loco, alia ejusmodi Emplaſtra antifebrilia propoſuimus, hoc quidem multo valentiora & effectu ipſo aliquanto certiora, quæ videantur, ſi lubet: Conf. & Pharmac. Batean. *p.* 42. & *p.* 46. & BIERLINGII Append. Medicam. *Cap. XXIII. p.* 138.

Emplaſtrum Tonſoris,

ex Aetio, Tetrabibl. III. Serm. II, cap. 22. p. 538. & Galeno Lib. IX. c. 3. de Comp. Med. ſec. Loc.

Diſpenſ. Lond.

℞. Picis ſiccæ, *libr. duas.*
Ceræ, *libram unam.*
Reſinæ Pini, *libr. ſemis.*
Farinæ Fœni græci,
Pollinis Radicis Chamæleontis nigræ, vel Bryoniæ, *ana unc. quatuor.*
Seminis Cymini, tenuiſſime triti, *uncias duas.*

Miſceantur: Fiat ex Arte, Emplaſtrum.

Tonſori cuidam ex Bithynia, Nomen ſuum hoc Emplaſtrum debet, qui eo ipſo ſolo, in omnibus fere morbis, præſertim vero, ſplenicis, iſchiadicis & hydropicis, ſæpius feliciſſime uſus fuiſſe dicitur, referente ibidem Aetio, e Galeno, qui ipſe iſtud Tonſoris Emplaſtrum, *ceu eximii, in iisdem morbis, uſus, impenſe commendat. Quod etiam poſt ipſum, fecit* Jo. RENODAEUS, in Diſpenſat. Med. *Lib. VI, cap. IX. p.* 959. *ubi, poſtquam ipſam hujus Emplaſtri Compoſitionem accurate exhibuit, ſequentem in modum, commentatur, quæ lectorum quidem, ut ſpes eſt, pace, varietatis & oblectationis gratia, hic inſerere liceat:* Tonſor quidam *ex Bithynia, a Medicis ſibi coætaneis, Emplaſtrum habuit, quo ſolo quum ſæpe feliciter uteretur,* Emplaſtrum Tonſoris, *vocatum eſt. Sic adhuc Textor quidam Pariſinus, a viginti annis, unguentum quoddam nigricans, Baſiliconi vulgari ſimile, habuit: & ad omnes plagas adhibuit: Eo mortuo, Filius ejus ſimiliter parat, & dat: Vixque ſemeſtre quiſpiam Lutetiæ degit, qui non viderit, aut expertus fuerit* Unguentum Textoris. *Hactenus quidem Renodæus.* Nondum vero, *quod ipſi candide teſtari poſſumus, Pariſiis, exolevit hujus unguenti fama, aut ipſius Textoris Nomen: Quum enim ante hoc viginti quinque, præter propter, Annos, in Regia illa Urbe, immo omnium urbium Regina, per longius tempus, ſummo cum animi gaudio & ſtudiorum fructu, verſaremur, multa quoque præclara de hoc Textoris unguento, Elogia aliquoties inaudivimus. En ergo nobile par fratrum, inter Medicos, Tonſorem nempe, atque Textorem! Sed hæc joci honeſti cauſſa, hactenus.*

Emplaſtrum Triapharmacum.

Dipſ. Norimb. Argent. Ratisb. Lond. Wirt. Brand. Vienn. & rel.

℞. Minii optime triti,
Aceti Vini albi, *ana libr. unam.*
Olei Roſarum, *libras duas.*
Coquantur, leni igne, ad Emplaſtri conſiſtentiam, coloris fuſco-ſpadicei, cui nonnihil refrigerato adde
Camphoræ, cum ſpiritu Vini tritæ, *unc. unam ſemis.*

Miſceantur, & in ſcatulas effundantur.

Cum emplaſtro Norico ſuperius exhibito, convenit, ſiccat, & ad ulcera antiqua commendari meretur. Vid. SCHULZ. Prælect. *p.* 117. & *p.* 122. & STAHL. Mat. Med. *Part. I. p.* 85.

Emplaſtrum contra Vermes.

Diſpenſ. Hamb. Wirt. Batean.

℞. Pulveris Aloës hepaticæ,
Trochiſcorum Alhandal,
Radicis Aſari,
Herbarum Tanaceti,
Sabinæ,
Abſinthii,

Myrrhæ, *ana drach. tres.*
Fellis Tauri recentis, *unc. tres.*
Miſce, ut fiant pultis inſtar, cui ſucceſſive, una liquata, ſub perpetua agitatione, addantur
Ceræ citrinæ, *unciæ tres.*
Olei Abſinthii coćti
Terebinthinæ Venetæ, *ana drach. ſex.*
Tandem adjiciatur
Olei deſtillati Sabinæ,
Petræ albi, *ana drach. una.*
Fiat Emplaſtrum.

Pueris alia medicamenta reformidantibus præſcribitur. Abdomini nimirum impoſitum vermes necat, atque alvum movet. Conf. ſupra, Emplaſtrum purgans, *&* *infra,* Unguentum de Arthanita, *item* Oleum Colocynthidis *&* Unguentum ad Lumbricos. *&* contra Vermes, *infra. Alia Emplaſtra contra Vermes,* vid *in* BIERLING. Append. Med. *p.* 140. *& p.* 142. add. ſupra, Extractum umbilicale purgans.

Emplaſtrum Veſicatorium.

Diſp. Wirt. Edinb. & rel.

℞. Cantharidum in pulverem tritarum, *uncias quatuor.*
Ceræ flavæ, *unc. decem.*
Terebinthinæ Venetæ,
Olei Roſarum, *ana unc. duas ſemis.*
Camphoræ, *drach. tres.*
Miſce, fiat Emplaſtrum.

Ad veſicas excitandas, ſupra corium extenſum, imponitur; globuli exinde formati, atque fonticulis impoſiti fluorem promovent. Vid. SCHULZ. Præl. *pag.* 123. *alias autem Compoſitiones in* Pharm. Reg. CHARAS, *Part. I. p.* 418. *ſqq. Conf. ſupra* Emplaſtrum Epiſpaſticum.

***

Emulſio, Alcalinæ Putridæ Acrimoniæ Oppoſita.

BOERHAAVE, *Mat. Med. p.* 51. GAUBIUS. *p.* 196.

℞. Avenæ excortic *unc. tres.*
Fiat cum Aquæ puræ *ſuffic. quant.*
Emulſio, cujus *libræ uni ſemis*, admiſce:
Nitri puri, *drach. ſemis.*
Syrupi Violarum, *unc. unam.*
Aceti ſquillitici, *drach. duas.*
Utatur æger hac Emulſione, pro potu familiari.

Emulſio Alexipharmaca & Expulſiva.

Diſpenſ. Viennenſ.

℞. Seminum Cardui Benedićti,
Papaveris albi,
Napi,
Aquilegiæ, *ana drach. unam.*
Citri, *ſcrup. unum.*
Melonum, *drach. duas.*
Aquarum Cardui Benedićti,
Scorzoneræ,
Scordii, *ana unc. duas.*
Fiat lege Artis, Emulſio; cui addatur,
Syrupi Acetoſitatis Citri, *unc. una.*
vel
Alius Syrupi, minus acidi,

Virtutes hujus Emulſionis, per ſe, ex Nomine ipſo patent: prodeſt namque hæc Emulſio in Variolis, Morbillis, utraque purpura, & omnibus generatim Morbis exanthematicis, ubi materia maligna a Centro quaſi Cordis intimo, ad peripheriam Corporis externam, ſalutariter eſt propellenda & evocanda. Aliam vero Emulſionem Expulſivam breviorem, vid. in SCHROEDERI Pharmac. *Lib. II. c.* 54. *p.* 199. *&* PLATERI, Obſ. Med.

Lib. II. pag. 311. *ſqq.* & *in* Pharm. Bat. *p.* 44. *item* BIERLING. Append. Med. *p.* 22. *ubi eſt* Aqua expulſ. Weckeri.

Emulſio Analeptica.

Cl. GLAUBIUS, *p.* 196.

℞. Amygdal. dulc. excortic. *unc. duas.*
Amar. excortic. *num. duas.*
Aquæ puræ ferventis, *unc. decem.*
Fiat lege Artis, Emulſio: Colaturæ fortiter expreſſæ admiſce:
Aquæ ſtillat. Cinnamomi, *unc. unam.*
Sacchari albiſſimi, *drachm. ſex.*
Miſceantur.

Eſt egregium analepticum, cardiacum & demulcens Remedium, utiliſſimum in languore & Virium defectu.

Emulſio Anodyna & Narcotica.

BOERHAAVE, *Mat. Med.* p. 64.
GAUB. *p.* 197.

℞. Semin. papaveris albi contuſ. *uncias duas.*
Cum Aqu. decoct. Hord. Fiat Emulſio, cujus *unciis decem* admiſce:
Syrupi diacod. *unc. unam ſemis.*
Tinctur. Opii cum Spirit. Vin. rectificat. *guttas viginti.*
Aquæ ſtillat. Cinnamom. *drach. duas.*
Cort. Citr. *drach. decem.*

Dolores acerrimos lenit & obtundit, blandum ſomnum ſenſim inducit, & corpus ipſum longis Vigiliis fractum, mire reficit; ſi nempe parce & circumſpecte, per intervalla temporis, adhibeatur.

Emulſio Antiphlogiſtica.

BOERHAAVE, *Mat. Med. pag.* 73.

℞. Semin. contuſ. Bardanæ, *dr. quatuor.*
Petroſelini, *drach. ſex.*
Cichorii, *unc. unam.*
cum Aqua ſtillat. petroſelini Fiat Emulſio, cujus *unciis duodecim* admiſce:
Nitri depurati, *drach. unam.*
Syrupi quinque Radic. aperient. *unciam unam*

Hæc egregia Emulſio diluit, reſolvit, refrigerat æſtum ſitimque ſedat, blandum ſudorem movet, urinam pellit, & ſuavem tandem ſomnum invitat: inde in omnibus morbis inflammatoriis uſui eſſe poteſt.

Emulſio Antiphlogiſtica alia,

Diſpenſ. Pariſ. Edinb.

℞. Quatuor ſem. frig. Maj. mund. *drachmas duas.*
Papaveris albi,
Lactucæ, *ana drach. unam.*
Amygdal. dulc. excortic. *numero quat.*
Tere in Mortario marmoreo, piſtillo ligneo, inſtillando primum Aquæ limpidæ pauxillum: Tum exquiſite ſubactis ſenſim affunde
Aquæ fluviatilis, *libr. duas.*
Cola deinde, & edulca,
Sacchari Candi, *drachm. ſex, aut quatuor.*

Eosdem uſus habet, cum præcedenti Emulſione Boerhaviana: mitior tamen eſt illa effectu, & ſuavior ſapore: ideo vulgo frequentius expeti ſolet. Ceterum ſimilem fere Emulſionem refrigerantem, vid. in FULLERI Pharm. Extemp. *p.* 105.

Emulſio Antipleuritica,

BOERHAAVE, *Mat. Med. p.* 120.

℞. Quatuor. Semin. frigidor. majorum, minor. *ana drach. tres.*
Papav. albi, *unc. duas.*
Cum Aqua decoct. Hord. Fiat Emulſio,

Cujus

Cujus *quatuordecim unciis* admiſce:
Nitri puriſſimi, *drach. unam ſemis.*
Syrupi Capill. Veneris, *unc. unam.*

Lenit dolores, & mitigat, refrigerat, expectorationem juvat, atque propter adjectam ingentem papaveris albi quantitatem, ſomnum potentius advocat: Quare, ſi mei quidem arbitrii res eſſet, mallem, ſi liceret quidem, parciorem iſtius ſeminis Soporiferi doſin, *ſcilicet* ad unciam dimidiam, vel drachmas ſex, ſeptemve, *hic ſubſtituere. Quoniam plus damni, ac periculi, quam quidem emolumenti ac ſalutis, in pleuritide curanda, intuliſſe ejusmodi anodyna & narcotica, nimia nempe quantitate, ſubinde ingeſta, ſæpius compertum fuit: ceu olim monuimus, Cap. III.* Libelli de pleuritide, *p.* 45. *quod tamen pace maximi Viri manium, dictum eſto. Conf. quæ quondam decenti cum reverentia, blandiſſime notavimus,* in præfat. *utiliſſimo Celeberrimi* GAUBII *Libro,* de concinnandis Formulis, *præfixa; quæ modeſtiſſima monita noſtra neque ipſe ille excellentiſſimus Vir, quod impenſe gaudemus, immo gloriamur, ægre aut moleſte tulit: unde ipſi publice hic gratias agere decet.*

Emulſio Antipleuritica.

MYNSICHT. *p.* 346.

℞. Seminum Cardui Mariæ, *unc. unam.*
Cardui Benedict. *unc. ſemis.*
Papaveris albi, *drach. duas.*
Aquarum Card. Mariæ, *unc. ſex.*
Cardui Benedicti,
Florum papaveris erratici,
Chamæmel.
Scabioſæ, *ana unc. quatuor.*

Fiat lege Artis, Emulſio, quæ poſtea edulcoretur Saccharo cando, in Syrup. Violar. concreto.

Curat pleuritidem, inquit ibi ipſe Mynſichtus, *& illico omnes latentes dolores, non ſine Adſtantium ſtupore, ſedat. Sed æger omni die, habeat evacuationes, vel Alvus aſſidue ſit ſubducta Clyſteribus lenioribus.* Doſis ab unciis duabus, ad uncias tres, aut quatuor.

Bene eſt, quod addit hic Auctor, de alvo blandius ſubducenda: Sed hoc artis, laboris & felicitatis eſt, ne diarrhœa ſubſequatur. Vid. ea de re nobis olim dicta, in Lib. de Pleuritide, *Cap. III. p.* 43. *Cæterum alium Emulſ. antipleuriticam commendat ill.* WERLHOF, in Commerc. Med. Nor. *An.* 1734. *p.* 259. 260.

Emulſio Arabica,

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 104.

℞. Gummi Arabici, *unc. unam.*
Coq. in Aquæ Hord. *libr. duabus.*
Cum hac ſolutione, & deinde,
Semin. papaveris albi,
Malvæ,
Amygdal. dulc. excort. *ana unc. ſemis.*
Fiat ſecundum Artem, Emulſio, cui adde:
Sacchari Saturni, *grana ſedecim.*
Syrupi Althææ, *unc. tres.* Miſc.

In quolibet ardore Urinæ, vel ab Acrimonia ſanguinis, vel ab Epiſpaſticis, vel ab Arenulis, excitato, Remedium fidum merito habeatur. Immo infidum, perfidum & pernicioſiſſimum, addo ego, merito, ob deteſtabile nempe illud & viroſum Saturni Saccharum, *& quidem largiſſima copia, hic adjectum; de cujus ſæviſſimis noxis & irreparabilibus damnis, Vid. inferius, ſuis locis dicta, ad* Saccharum Saturni, Pilulas Saturninas, & Tincturam Antiphthiſicam Gramanni. *Ejecto igitur hic & proculcato, inviſo illo & abominato Saturno, tum demum bona, concinna & ſalutaris eſſe incipiet hæc ipſa Emulſio, quæ alias laudem meretur.*

Emulſio Balſamica, Fulleri.

Pharm. Extemp. p. 104.

℞. Balſami Tolutani, *drach. ſex.*
Decoq. in Aquæ Hord. *libris duabus ſemis.*
Cum. Colat. & Amygdal. dulc. excort. *drach. ſex.*
Fiat lege Artis, Emulſio: cui adde:
Balſami Gilead. cum Sacch albi, *uncia una*, bene triti, *guttas ſedec.*
Miſc.

Phthiſicis apte præſcribitur: Lenit enim demulcet: Tubercula diſcutit: putredine,m delet & ſanat.

Emulſio Brunneri Aſthmatica.

Fuller. *Pharm. Ext. p.* 105.

℞. Gummi Ammoniaci, *drach. un. ſemis.*
Diſſolv. in Mortario, in Aq. Hyſſop. frig. *unc. quatuor.*
& Vini Rhenani opt. *unc. duabus.*
Colat. ſit, pro duobus Hauſtibus.

In Aſthmate extremum & nunquam fallens, Remedium habetur: tantaque efficacia, a Suffocatione liberat, ut præclarius non viderim, inquit ipſe Auctor. Conſil. XXXIV. Vidimus tamen Catarrhos ſuffocativos, ubi Votis non reſpondit hæc concinna alias & efficax Emulſio. Ubi nempe Malum potentius Arte, & Morbus major Medicina.

Emulſio Cannabina Ettmülleri.

℞. Semin. Agni Caſti, *unc. ſemis.*
Cannabis, *drach. duas.*
Cum Aq. Nymph. q. ſ. Fiat Emulſio, cui adde
Oſſis ſepiæ præparat.
Succini albi præparat. *ana drach. ſemis*, vel *ſcrup. duos.*
Edulcoretur pauco Saccharo.

Iisdem uſibus inſervit, ubi Venus propitia non fuit. Conf. Hermanni Cynoſur. Mat. Med. *Part. I, cap.* 5. *p.* 367. *ſqq.*

Emulſio Cannabina Viennens.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Semin. Cannabis, *unc. ſemis.*
Seminum quatuor frigid. major. *ana drach. unam.*
Aquæ Nymphææ,
Malvæ, *ana unc. duas ſemis.*
Fiat inde lege Artis, Emulſio, cui addantur,
Oſſis ſepiæ, *drach. ſemis.*
Nitri Antimoniati, *ſcrup. ſemis.*
Magiſterii Saturni, *grana quinque.*
Syrupi Nymphææ, *drachm. tres.*
Miſceantur, & exhibeatur hæc Emulſio *pro una doſi.*

In Gonorrhœa, pollutione, priapiſmo, aliisque Conſimilibus affectibus medetur: Sed tum demum, quando clandeſtinum illud Venenum, Magiſterium *nempe* Saturni, *ejectum fuit: Alias enim plus nocebit, quam juvabit: Vid. modo dicta ad* Emulſionem Arabicam & *infra dicenda, ad* Magiſterium Saturni *Conf.* Hermann. Cynoſ. Mat. Med. *p.* 368. *ubi ſimilis ſuſpecta Emulſio.*

Emulſio Cordialis,

Fulleri, *p.* 106.

℞. Aquæ Epidemicæ,
Pæoniæ Compoſitæ, *ana unc. quat.*
Seminis Citri, *unc. ſemis.*
Fiat lege Artis, Emulſio; cui adde:
Sacchari perlati, *drach. tres.*
Olei Nucis Moſchatæ, *guttam unam.*
Miſceantur.

Sed plures diverſarum ejusmodi Emulſionum Formulæ occurrunt apud

eundem Fullerum, *item* Mynſicht. Michaël. Ettmüller. Renod. Morell. Hoffmann. Schrœderum, Bœrhaavium, *Cel.* Gaubium, Nicolai, Junckerum, Fraundorfferum, Mercklinum, Wedelium, *aliosque plures Formularum ſcriptores. In pleriſque autem Diſpenſatoriis, quæ nos quidem vidimus, multa vero vidimus, neſcio quare, deſiderantur.*

Emulſio Cordialis Perlata.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Semin. Melonum, *drachmas duas.*
Aquilegiæ, *ſcrupulum unum.*
Citri, *ſcrupulum ſemis.*
Amygdalarum dulcium, *Num. octo.*
Aquæ Scorzoneræ,
Borraginis, *ana uncias duas.*
Totius Citri, *unciam ſemis.*
Fiat lege Artis, Emulſio; dein addantur:
Margaritarum præparatarum,
Cornu Cervi, ſine Igne, parat. *ana ſcrupulus unus.*
Manus Chriſti perlatæ, *drachm. una.*

Emulſio Externa e Nucleis.

Diſp. Wirt. in reliquis alia ſubſtituuntur.

℞. Nucleorum Perſicorum, *unc. unam.*
Seminis Cannabis,
Papaveris, *ana unciam dimidiam.*
Aquæ Meliloti,
Nymphææ, *ana uncias quatuor.*
Fiat Emulſio. Adde
Spiritus Vini camphorati, *unc. ſem.*

Uſus eſt externus. Linteis quadruplicatis fronti & temporibus impoſita, in dolore capitis ex febri & catarrho, bonam præſtat opem.

Emulſio Violata Mynſichti.

Pag. 345.

Diſpenſ. Argent. Wirt.

℞. Amygdalarum dulcium, *unciam unam ſemis.*
Seminum Violarum, *drachmas tres.*
Papaveris albi, *drachm. un. ſemis.*
Contundantur cum
Aquæ Nymphææ,
Lactucæ, *ana unciis ſex.*
Violarum, *libra una.*
Expreſſæ Emulſioni addantur
Julepi violati, *drachmæ du decim.*

Refrigerat & humectat, dolores mitigat, ſomnum conciliat, & in febribus malignis, ad æſtum temperandum nec non in Nephritide & pectoris vitiis, feliciter adhibetur: nec infelicius in Gonorrhoea & ardore urinæ, ſimilibusque Renum & Veſicæ querelis.

Doſis unciæ quatuor ad ſex.

Eſſentia Abſinthii Simplex.

Diſp. Vienn. Wirt. Batean. & rel.

℞. Summitatum Abſinthii floridarum, & ad maturitatem proxime accedentium, cum foliis minoribus, in umbra ſiccatarum, *unc. quatuor.*
Spiritus Vini rectificati, *libras duas.*
Poſt digeſtionem exprimantur, expreſſum aliis ſuperaffundatur
Abſinthii, *unciis duabus.*
atque, poſt ſufficientem digeſtionem exprimantur & filtrentur.

Vires Abſinthii habet, ſtomachicas, carminativas, anthelminticas, & antifebriles, vid. RIEDLINI Lin. Med. *Ann.* 1695. *Menſ. Jun. Obſ.* 22. *p.* 179. *ſed vid. quæ monet.* SCHULZ. *p.* 123. & BOERHAAVE Hiſt. Plant. *p.* 186. *T. I.*

Doſis drachma una ex vino.

Eſſentia Abſinthii Compoſita.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Brand.

℞. Comarum Abſinthii vulgaris, *unciam unam.*
Radicum Zedoariæ, *unciam ſemis.*
Caryophyllatæ, *drachmas duas.*
Foliorum Cardui benedicti,
Florum Centaurii minoris, *ana unciam ſemis.*
Corticum Aurantiorum,
Citri, *ana drachmas duas.*
Caryophyllorum aromaticorum, *drachmam unam.*
Inciſis & contuſis affunde
Spiritus Vini rectificati, *libr. unam.*

Stent in digeſtione per dies quatuor, in vaſe optime clauſo; poſtea prelo exprimantur, expreſſum per chartam bibulam filtretur & ſervetur. Ceterum aliam Eſſent. Abſinth. compoſ. *Bayeri*, Vid. *in Tab. Smaragd.* p. 182.

Stomachica & carminativa eſt. it. & uterina & anthelmintica, ut & antecedens Eſſentia Abſinthii ſimplex.

Datur a drachma dimidia, ad integram. *Vid.* SCHULZ. Præl. *p.* 124.

Eſſentia Acuſtica.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Ovorum Formicarum, *unciam unam*
Caſtorei, *unciam ſemis.*
Pulpæ Colocynthidos,
Seminis Leviſtici,
Baccarum Lauri decorticatarum,
Juniperi, *ana drachm. duas.*
Herbarum Majoranæ,
Sabinæ,
Serpilli,
Radicis Hellebori nigri, *ana dr. tres.*
Raphani recentis,
Ceparum mediocrium, *ana unciam unam ſemis.*
Camphoræ, *drachmam unam.*
Inciſis & Contuſis affundantur:
Spiritus Vini ſimplicis, *libræ duæ.*

Extrahatur inde Eſſentia, quæ forti Expreſſione, filtretur.

Ad Auditus læſiones, Tinnitum & Sibilum, Goſſypio excepta, interdum, cum fructu, adhibitur, Conf. ſupra, ſuo loco, Aqua Acuſtica, *iisdem uſibus deſtinata. Sed caute tamen & circumſpecte his quidem Remediis ſic dictis acuſticis utendum, ne nimium infundendo & adhibendo, plus noceant, quam proſint, atque inde ex ſurdaſtris, reddant plane ſurdos, ſicque Medicina pejor fiat ipſo Morbo, uti probe monuerunt* Alexander TRALL. *Lib. III. Cap. II. p.* 175. *ſqq. ex* Galeno, *item* ZACUTUS *Luſitanus,* Hiſt. Med. 61. *Lib. I.* BALLONIUS, *Lib. II.* Epidem *pag.* 270. SEPTALIUS, Caut. Med. *Lib. VI. p.* 174. *ſqq. & ibi copioſe* RHODIUS, *in* Analect. *pag.* 305. *ſqq. & alii quorum ſententiam veriſſimam citavimus & approbavimus ipſi in* Diſſ. de Veritate Paradoxi Hippocrat. Nullam Medicinam interdum eſſe optimam, *pag.* 8. *Ceterum ſimilem fere* Eſſentiam Acuſticam, *Vid. in* MICHAEL. Medicament. famil. *XXXIII. p.* 85. *Conf. &* VERZASCHÆ Obſ. Med. 91. *pag.* 336.

Eſſentia Aegagropilarum Cephalica.

Diſpenſat. Pragenſe.

℞. Lignorum Aloës,
Saſſafras,
Santali Citrini, *ana unciam ſemis.*
Radic. Doronici Veri, *unciam unam.*
Myrrhæ,
Thuris,
Maſtichis,
Ladani,

Storacis Calamitæ,
Baccarum Lauri, *ana unciam ſemis.*
Cinnamomi,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cubebarum,
Maceris,
Nucis Moſchatae, *ana drachmam unam ſemis.*
Aegagropilarum, *drachmas duas.*
Balſami Indici, *drachmam ſemis.*
Cerebri humani, *unciam unam ſemis.*
Miſc. Inciſis & Contuſis affunde:
Spiritus Liliorum Convall. *unc. ſex.*
Cerebri humani, *uncias octo.*
Vini rectificat. *uncias novem*, vel *quantum ſufficit.*

Digere per aliquot dies, in Calore: dein deſtilla: hoc repete ter; & tum habebis Eſſentiam, quam pro lubitu, Ambra, Moſcho, aliisque ſimilibus, nobiliorem reddere potes, ac tingere Extracto, vel infuſione Radicis Alkannæ. &c.

Poſteaquam vero hæc omnia diligenter ita peracta fuere, tum illam præclaram Eſſentiam debes abjicere, aut certe abominabile iſtud Cerebrum humanum, una cum ipſius ſpiritu, ipſi adimere, illudque potius ad inhumanos Anthropophagos, ore cruento horridos, in deteſtabilem cœnam Thyeſteam, ablegare, quod noto contra HARTMANNUM, in Præt. Chym. *p.* 19. *& alios. Multum quidem, immo nimium profecto, Cerebri humani, in hac Compoſitione, video; & tamen, ſi dicere impune liceat, ipſum Cerebrum humanum adhuc in eadem, valde deſidero. Mirum enim & prodigioſum pæne eſt, in tanta quidem variorum Aromatum & aliorum Ingredientium mole & copia, binas tantum exiguas Aegagropilarum drachmas inveniri, immo rectius non inveniri; ſed potius a reliqua illa ingenti Maſſa, quaſi guttulas ab Oceano, abſorberi, & veluti in profundiſſimam abyſſum, penitus demergi. Quid enim quæſo, periculi exinde ſubnatum fuiſſet, ſi una, aut duæ unciæ Aegagropil. adjectæ eſſent, & unum tantum granum cerebri humani, ſupereſſet? tum ſane meliori jure Nomen Eſſentia Aegagropilarum gerere ac tueri poſſet hæc ipſa ſingularis & operoſa compoſitio: quæ tantum Græcii, in Styria, publice venalis proſtare dicitur, in peculiari ſchedula, in magnificas & ambitioſas ipſius laudes, olim publicata. Neque ſane beatioribus iſtis Gentibus invidemus illum ſuum quantivis pretii Theſaurum, iſtam inquam, ſuam Eſſentiam polychreſtam, niſi forſan panchreſtam: quin potius illis ſolis eam intactam & illibatam relinquimus. Sed, ut ſerio tandem loquamur, non denegamus huic quidem Eſſentiæ ſuas virtutes cephalicas, analepticas, nervinas ac ſtomachicas: Illæ autem debentur potius generoſioribus illis Aromatis, ceteriſque ſpeciebus Balſamicis; neutiquam vero inefficacibus iſtis Aegagropilis; & multo minus, fœdo illi vetitoque cerebro humano, ipſiusve ſpiritui: uti fatebitur, qui cerebrum modo habet.*

Eſſentia Alexeteria,
Mercklini Fil.

℞. Radicum Angelicæ,
Carlinæ,
Tormentillæ,
Zedoariæ,
Contrayervæ, *ana unciam ſemis.*
Serpentariæ Virgin. *drach. duas.*
Cum Spirit. Vin. rectif. *quant. ſuff.* digerantur lege Artis, in Eſſentiam.

Quæ opportune adhibita, ac Eſſentia illa Alexipharmaca Stahliana, ſuperius, & ubivis, laudata.

Eſſentia Alexipharmaca Stahlii.

Diſp. Vienn. Wirt. Prag.

℞. Radicum Angelicæ,
Imperatoriæ,
Helenii, *ana unciam unam.*
Carlinæ,
Hirundinariæ,
Pimpinellæ, *ana unciam un. ſemis.*
Herbæ Scordii, *uncias tres.*
Spiritus Vini rectificati, *libras duas ſemis.*

Poſt ſufficientem extractionem exprimantur, & per filtrum trajecta Eſſentia ſervetur.

Medicamentum eſt vere polychreſtum. Ventriculum roborat, flatus diſſipat, urinam & tranſpirationem, promovet; hinc in omnibus fere morbis, febribus etiam malignis, catarrhalibus & intermittentibus, lymphæ & ſanguinis vitiis prodeſt. Vid. SCHULZ. Prælect. *p.* 124. *ubi de uſu & abuſu hujus Eſſ.* egregie *tractat.*

Commendatur a guttis quadraginta, ad quinquaginta.

Eſſentia Alexipharmaca. Temperata Stahlii.

Diſp. Wirt.

℞. Radicum Pimpinellæ albæ,
Hirundinariae, *ana uncias tres.*
Herbæ ſcordii, *uncias duas.*

Inciſa infundantur & extrahantur Spiritus Vini rectificati, *libris tribus.*

Exprimantur & filtrentur, atque tertia pars Spiritus per deſtillationem ex Mariæ Balneo evocetur, reſiduum ſervetur.

Temperatior & mitior eſt ordinaria, ideoque ſecure, etiam ad exæſtuationem ſanguinis pronis, dari poteſt.

Doſis guttæ quadraginta ad ſexaginta.

Eſſentia Aloës Ligni.

Diſpenſat. Vienn. Brand. Wirt. Angel. Sal.

℞. Ligni Aloës reſinoſi, *uncias tres.*
Conciſis affundatur,
Spiritus Vini Tartariſati, *libra una.*

peracta digeſtione, extrahatur lege Artis, & filtretur Eſſentia.

Cerebrum, cor & uterum roborat, vitales & animales ſpiritus recreat: Sed ditiorum tantum ac beatiorum: Eſt enim hæc Eſſentia, uti notum, pretioſiſſima, & vix ære mercabilis, propter immenſum pæne ipſius Ligni Aloës, pretium, de quo vid. GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. II. pag.* 217. *ſqq.* KAEMPFER. Amoenit Exot. VALENTINI, RUMPF. *& alii, item quæ ſupra dicta Part I. ad* Lignum Aloës. *Ceterum vid. infra,* Extractum Ligni Aloës*: &* SCHULZ. Præl. *p.* 139.

Eſſentia Aloëtica Purgans.

Diſpenſat. Brand.

℞. Aloës Soccotorinæ, *unciam unam.*
Solve in Aq. Cichorii, *quant. ſuffic.* ad diſtemperandum: Solutioni huic poſtea affunde Spiritus Vini Tartariſati *ſufficientem quantitatem*; digere per Biduum; Tum per Chartam filtra, & Fiat lege Artis, Eſſentia, pro uſu, ſi quis minus nauſeet.

Ingrata Medicina eſt & nauſeoſa, recte hic inquit B. SCHULZIUS, in Prælect. ad Diſpenſ. Brand. *pag.* 126. *Melius & prudentius ſub pilulari forma, datur. Si omnino placeret Alvum per Aloëtica, cito laxare; non incommodum uſum præberet* Elixir polychreſtum Halenſe. *Ita Vir ille laudatiſſimus.*

Sed vid. ſi placet, quæ ſuperius ad illud ipſum Elixir polychreſtum Halenſe, *tantis Elogiis, vulgo ipſi tributis, vix dignum, modeſte quidem, ut decebat nempe, ſed vere tamen & candide, monuimus. Nec enim iſtud ſapore ſuavius eſt hac ipſa* Eſſentia Aloëtica; *quin potius longe ingratius atque tetrius eſt iſta, quoniam ob adjectam nimiam fœdæ Colocynthidis copiam, multo amarius atque inde intolerabilius eſt: Nec denique ipſisque viribus illa, mitius aut ſecurius; quin potius vehementius & periculoſius eſt, quoniam omnia purgantia potentiora & atrociora uno quaſi circulo, complectitur: nempe Scammonium, Diacrydium, Aloën, Helleborum, Agaricum, & tandem jam laudatam ſcil. Colocynthidem, una cum ipſius Trochiſcis Alhandal. Quare inutile illud eſt Elixirium, nec utilis hac Eſſentia. Conf. infra,* Extractum Aloës Gummoſum, & Tinctura Aloës.

Eſſentia Amara.

Diſp. Wirt. Brand. & al.

℞. Herbarum Tanaceti, *unciam unam.*
Scolopendrii,
Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Radicis Gentianæ
Lapathi acuti, *ana drachm. tres.*
Corticum Aurantiorum recentium viridium, *unciam ſemis.*
Inciſa macerentur in
Spiritus Vini tartariſati, *unc. duodec.*

Poſt ſufficientem extractionem exprimantur, & expreſſum per chartam filtretur.

Digeſtionem promovet, ventriculum roborat, flatus diſſipat, vermes necat: fluorem album emendat, chloroſin corrigit, ictericis & leucophlegmaticis prodeſt.

Dari poteſt a guttis quinquaginta, ad ſeptuaginta, *ex vino. Vid.* SCHULZ. *pag.* 126.

Eſſentia Amara Noſtra.

TRILLERI.

℞. Herbarum Abſinthii,
Centaur. minor.
Fumariæ,
Cardui Bened.
Trifolii Fibrin.
Millefol.
Florum Chamomill. vulg. *ana uncia ſemis.*
Radicum Gentianæ,
Caryophyllat. *ana unc. unam.*
Corticum Aurantior. virid. *unc. ſemis.*
Conciſis affundantur Spiritus Vini Rectificati, *libræ duæ.*

Stent in digeſtione, per aliquot dies, donec lege Artis, extrahatur Eſſentia.

Hæc Eſſentia noſtra Amara, longo jam uſu, admodum probata, non ſolum ſtomachica & orectica, itemque carminativa & anticolica eſt: Sed & præterea, in aliis Morbis, eximio cum fructu, adhiberi poteſt, nimirum in Cachexia, & ictero aliisque affectibus, a Bilis vitio potiſſimum obortis, unde & in ipſo Hydrope prodeſt, nec non in morbis Hepatis, Lienis & Meſenterii, item in omnibus febribus intermittentibus, nec non in tetro fluore albo fœminarum, & pallida Virginum chloroſi: denique etiam egregium plane Remedium Anthelminticum præbet, fœdamque diverſorum Vermium pullitiem potentiſſime expellit. Adeo, ut hinc hæc Eſſentia Amara *dulcem ante omnia, ſanitatem diverſa quidem ratione, aut reſtituat amiſſam, aut conſervet præſentem. Conf. infra,* Eſſentia noſtra Carminativa. *Aliam vero* Eſſentiam ama-

ram, *vid. in Diſpenſ. Leod. Conſ. infra,* Extracta amara.

Eſſentia Ambræ Balſamica Dippelii.

Diſp. Wirt. in aliis deſideratur.

℞. Ambræ griſeæ,
Balſami Peruviani, *ana drachm. duas.*
Salis Tartari, *drachmas ſex.*

Terantur & exacte miſceantur in mortario marmoreo, addantur
Spiritus Vini rectificatiſſimi, *unciæ novem.*

Digerantur, in fine augeatur calor, ut mixtura ebulliat, refrigeſcant, & liquor tinctus a fæcibus ſeparetur, atque filtretur.

Vires ſunt analepticæ, ſtomachicæ & balſamicæ. Præſcribitur cum aliis eſſentiis tonicis & ſtomachicis.

Doſis guttæ quindecim, ad triginta.

Eſſentia Ambræ Liquida.

Diſp. Brand. Wirt. Argent. BIERL. *p. 65.*

℞. Ambræ veræ griſeæ, *ſcrup. unum.*

Immittatur phialæ, & leniſſimo igne carbonum liquetur, affundantur poſtea
Liquoris anodyni pariter calefacti, *unciæ duæ.*
addantur
Moſchi orientalis, *grana quatuor.*
Servetur uſui.

Analepticum, cordiale & cephalicum eſt medicamentum. Vid. RIEDLIN. Lin. Med. *Ann.* 1700. *Menſ. Nov. Obſ.* 23. *Commendabile in Apoplexia, vertigine, memoria conſervanda; additur etiam aphrodiſiacis: Sed incaſſum: plus enim hic ipſa Amoris arma præſtant, quam inermis Ambra.*

Doſis guttæ viginti, ad quadraginta, & ultra.

Eſſentia Ambræ Sicca.

Diſp. Brand. Wirt. Argent.

℞. Ambræ griſeæ, *drachm. unam.*
Moſchi in ſpiritu Roſarum ſoluti, *ſcrupulum ſemis.*
Olei Cinnamomi deſtillati, *guttas quinque.*
Sacchari albiſſimi, *uncias duas.*

Miſce & aſſerva in vaſe vitreo, bene clauſo.

Analepticum eſt, & cum pulvere cordiali, ſive Elæoſaccharo Cinnamomi cinnabarino, mixta, in apoplexia feroſa, & aliis capitis morbis, illis qui Ambram & Moſchum perferre queunt, dari poteſt. Trageis etiam additur. Vid. SCHULZ. Praelect. *pag.* 127. & RIEDLIN. *loc. cit.*

Doſis a granis decem, ad ſcrupulum unum.

Eſſentia Ambræ Vera Hoffmanni.

Obſ. Phyſ. Chym. 18. *Lib. I. p.* 68.
Diſpenſ. Brand.

℞. Ambrae optimae,
Salis Alcali acerrimi, *ana dr. duas.*

Triturentur ac miſceantur haec exacte in Mortario: Tum immittantur in Cucurbitam Vitream, & hiſce affundatur:
Spiritus Roſarum cum Alcali rectif. *quantum ſufficit.*

Digerantnr leniter, per duos dies, & tandem rite filtrentur.

Hæc ſolutio, ſeu Eſſentia Ambræ, ita inquit ibi Celeberrimus Auctor, inter Remedia confortantia, & quæ debilitatum

tum Nervorum ſyſtema roborant, adeoque inter Medicamenta, quæ Morbis, ex deficiente robore nervoſarum partium oriundis, dicata ſunt, facile principem locum obtinet: neque vapore ita replet Caput, vel commotiones atque agitationes in debili corpore, provocat, ut quidem ea, quæ vulgo, ex Ambra, admixto Moſcho, vel Zibetho, præparatur: Siquidem ejusmodi fragrantia debiles Viros, & fœminas, ſpaſmis obnoxias, minus commode ferre, ex practicis notum eſt. Conf. Cl. CARTHEUSERI Pharmacol. *pag.* 327. *& B.* SCHULZII Prælect. *pag.* 127. *ubi & ſimul faciliorem methodum proponit, Eſſentiam illam præparandi, ſuperfundendo nempe Ambræ fruſtillatim diſcerptæ, & in filtro ex charta emporetica, poſitæ, Spiritum a Tinctura Antimonii acri, abſtractum. Quæ Methodus ſane non diſplicet.*

Eſſentia Anagallidis, Flore Purpur.

MICHAEL. Med. fam. *p.* 87.
Diſpenſat. Brand.

℞. Anagallidis, flore purpureo, juſto tempore collectae, & in umbra, parum ſiccatae, *quantum velis.*
Spiritus Vini, ab Anagallide, recens abſtracti, *quantum ſufficit ad eminentiam trium digitorum.*

Digere, pertriduum, Vaſe optime clauſo; tum decanta, exprime, & filtra.

Contra Maniam, Melancholiam & ſæviſſima deliria quævis, hanc potiſſimum Eſſentiam potentiſſime valere, ibidem in Nota, pag. 78. *uberius docetur, ex* Rolfincio, Quercetano, Bierlingio, Dolæo, Hoffmanno, *ad* Poterium, Actis Nat. Curioſ. *& aliis ſcriptis & ſcriptoribus. Sed audiamus tamen Cl.* SCHULZIUM, *pag.* 128. *ita in contrarium differentem: Hæc Eſſentia ſpecificam efficaciam habere perhibetur, ad Manicos curandos. Utrum ſola ullum hominem curaverit, neſcio. Decoctum autem hujus plantæ, idque copioſe ſumendum, & continuandum, a multis egregiis Viris inſigniter commendatur; quod certe convenientius erit, quam Eſſentia ſpirituoſa. Conf.* HARTMANNI Chymiatric. *p.* 16. *Tom. I. Opp.* PAULLI Quadripart. Bot. *pag.* 195. BOERHAAVE, Hiſt. Plant. *Tom. I. p.* 286. ZORN. Botanolog. *p.* 64. *ſqq.* HOFFMANNI Method. Med. *L. I. Cap.* 20. *p.* 291. *ſqq. & alios. Inprimis* Carol. Ludov. BRUCHII *Diſſert. de* Anagallide, *Argentorat.* 1758. *noviſſime edita. Ceterum Conf. infra* Oleum Anagallidis.

Eſſentia Angelicæ,

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Radicum Angelicæ, *unc. tres.* in Spiritus Vini optime rectificati, *unciis quindecim.*
macerentur per aliquot dies, ut extrahatur eſſentia, filtranda & ſervanda.

Vires habet Angelicæ radicis alexipharmacas, ſtomachicas, diureticas, carminativas.

Doſis a drachma ſemis, ad ſcrupulos duos.

Eſſentia Anodyna Langelotti.

KOENIGII Theſ. Rem. III. Regn. WEDEL. Opiolog. *pag.* 58.
Diſp. Brand.

℞. Extracti Laudani Cydoniati, *drachmas duas.*
Spiritus Cydoniorum, *unciam unam.*
Leni Calore miſceantur.

Egregium eſt Remedium roborans,

anodynum & leniter adſtringens, in nauſea, vomitu, ſingultu, & præcipue, in mitiganda & ſiſtenda torminoſa diarrhœa & ſæva aſperaque dyſenteria, ea tamen ſub perquam neceſſaria cautione & circumſpectione, ne prius, aut hæc ipſa Langelottiana, aut aliæ ſimiles præparatiove, Eſſentiæ Anodynæ, quales multæ paſſim proſtant, in uſum advocentur, quam ipſum corpus ab impuris ſordibus probe expurgatum præparatumque fuerit, Morbique illi ipſi in fine jam laboraverint, id quod etiam recte obſervatum fuit in ipſo Diſpenſ. Prag. *pag.* 165. *in Annotatione. Conf. infra,* Extractum Opii Cydoniatum. *Vid.* BARTHOL. Ep. med. 37. *Cent. III. p.* 139. & *Ep.* 45. *p.* 189. *ſqq.* JUNGKEN. Pharm. Univ. *p.* 635.

Eſſentia Anodyna Ludovici.

Pharm. *p.* 532.

Diſp. Brand. Wirt. & reliq.

℞. Extracti Opii, aqua fontana parati, *unciam unam.*

Aquæ apoplecticæ ſpirituoſæ,

Spiritus Vitrioli roridi, cum ſpiritu volatili mixti, *ana uncias quatuor.*

Extrahe, ut artis eſt, eſſentiam, filtra & ſerva.

Vires ex nomine patent, anodynæ ſcilicet, dolores mitigat, ſomnum conciliat. Vid. SCHULZ. *p.* 128. & CARTHEUS. *pag* 333. & *Not. in Diſpenſ. Brand. ubi præclaræ & neceſſariæ cautiones, circa rectum hujus generoſi Remedii anodyni uſum, adjectæ leguntur.* Conf. WEDELII Opiolog.

Doſis guttæ ſeptem, duodecim, ad quindecim. Drachma una hujus Eſſentiæ grana ſex & dimidium habet opii.

***

Eſſentia Anodyna Officinalis.

Diſp. Wirt. item Arg. Brand. Prag. &c.

℞. Extracti Opii, aqua fontana parati, *unciam unam.*

Aquæ Cinnamomi ſpirituoſæ, *uncias novem.*

Poſt ſufficientem digeſtionem filtrentur.

Dolores ſedat, ſomnum conciliat, & easdem, quas Laudanum opiatum, virtutes poſſidet. Conf. infra Laudana Liquida.

In ſcrupulo uno, duo ſunt grana Opii.

Doſis guttæ quinque, decem, quindecim, ad viginti.

Eſſentia Antarthritica, J. M. Hoffmanni, ſine Opio.

HOFFMANNI Act. labor. Chym. p. 282.

Diſp. Wirt.

℞. Lumbricorum terreſtrium præparatorum, *uncias tres.*

His affunde

Olei, ſive liquoris Salis Tartari per deliquium, *uncias duas.*

Stent in vitro bene clauſo per viginti quatuor horas, poſtea affundantur

Spiritus Vini rectificatiſſimi, *unciæ duodecim.*

addantur

Caſtorei, *drachmæ duæ.*

Croci, *drachma una.*

Stent denuo per triduum in digeſtione. Liquor tinctus, per chartam emporeticam filtratus, ſervetur.

Eſſentia Antarthritica cum Opio Ejusdem.

HOFFMANN. Act. labor. Chym. *proceſſ.* 192. *p.* 282.

Diſpenſat. Wirt. pag. 74.

℞. Lumbricorum terreſtrium præparatorum, *uncias duas.*

Radicis Cynogl[illegible]æ, *unciam unam.*
Caſtorei, *drachmas duas.*
Croci auſtriaci, *drachmam ſemis.*
Opii, *drachmam unam.*
Affunde tritis
Spiritus Vini rectificati, *libr. unam.*
Poſt ſufficientem extractionem & filtrationem adde
Spiritus Cochleariæ, *unciam unam.*

Ambæ commendantur a Clariſſimo Autore in doloribus arthriticis, aliisque ſcorbuticis & ſpaſmodicis mitigandis; ad Icterum, Aſthma convulſivum, retentionem urinæ: item malum nephriticum & calculum.

Doſis *prioris, ſine Opio,* guttae quinquaginta, ad ſeptuaginta: *poſterioris, cum Opio,* guttæ quindecim, ad triginta.

Uncia una habet Opii circiter grana quinque. Vid. de his Eſſent. Antarthrit. Hoffm. SCHULZ Præl. *p.* 129. *& maxime. pag.* 389.

Eſſentia Anthelmintica Michaëlis.

Medicam. Famil. *XLIII. pag* 87.

℞. Flor. Perſicor.
Hyperici,
Tanacet. *ana manipulos tres.*
Radic. Filicis, *uncias quatuor.*
Graminis, *uncias duas.*
Semin. Portulacæ, *unciam ſemis.*
Hyperici, *drachmas duas.*
Santonici, *drachmas quinque.*
Naſturtii, *drachmas tres.*

Inciſa & Cont. extrahe cum Spiritu Graminis, Abſinthii, vel Tanaceti, & Fiat lege Artis, Eſſentia.

Ad Vermes corpore expellendos, hanc plurimum valere Michaëlis *Eſſentiam, per ſe, putem, liquet: Sed nauſeoſi eſt nonnihil ſaporis & odoris ingrati; ideo magna cum circumſpectione, & bono cum dolo, tenellis infantibus propinanda & ingerenda eſt:*

Ut puerorum ætas improvida ludificetur,
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptaque non capiatur;
Sed potius tali facto recreata, valeſcat

Ceterum ſimiles alias Eſſentias anthelminthicas vid. in HEINS. Pharm. Rat *pag.* 107. *ſqq.*

Eſſentia Anthydropica Joh. Maur. Hoffmanni.

Act. Labor. Chym.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Radicum Hirundinariæ,
Bryoniæ, *ana drachmas ſex.*
Herbæ Abſinthii,
Florum Sambuci, *ana unciam ſemis.*
Aloës Succotrinæ, *drachmas ſex.*
Myrrhæ, *drachmam unam.*
Gummi Ammoniaci, *drachm. tres.*
Macis,
Caryophyllorum aromaticorum, *ana drachmas duas.*
Millepedum,
Lumbricorum terreſtrium, *ana drachmam unam ſemis.*
Croci, *drachmam unam.*
Salis armoniaci,
Salis Tartari, *ana drachmas duas.*
Inciſis & contuſis ſuperfundantur,
Aquæ Flor. Sambuci, *unciæ quatuor.*
Digerantur per aliquot horas, poſtea addatur
Spiritus Vini optime dephlegmati, *libra una ſemis.*

Fiat, lento calore digerando, Eſſentia.

Mm 2

Celeberrimus Autor hanc eſſentiam in Cachexia, Levcophlegmatia & Hydrope commendat. Sed & ſimul eſſe commode poteſt emmenagoga, anthelmintica, nec non in fluore albo, et chloroſi virginum, uſui eſſe poterit.

Doſis ſunt ſcrupuli duo, *mane ſumendi.*

Eſſentia Antihyſterica.

Diſpenſat. Pariſ.

℞. Caſtorei optimi,
Aſæ fœtidæ, *ana unciam ſemis.*
Oleorum eſſentialium, Sabinæ,
Rutæ, *ana drachm. ſemis.*
Succini, *drachmam unam.*
Camphoræ, *ſcrupulum unum.*
Spiritus Vini rectificati, *uncias decem.*

Digere Balneo Maris, per tres quatuorve dies: deſtilla eodem Balneo. Materiæ ſuperſtiti affunde ſpiritum elicitum, addendo:

Spiritus Cornu Cervi, ſuo Sale Volat. fœti, *uncias duas.*

Iterum deſtilla fere ad ſiccitatem. Liquorem deſtillatum ſerva ad uſum.

Qui eſt Anodynus, Hyſtericus, Carminativus et analepticus. Medetur vero hæc Eſſentia potiſſimum Morbis ex frigida et flatuoſa uteri intemperie, obortis. Subjectis vero calidioribus ac plethoricis haud ſatis bene ac tuto convenit, ut ex ipſa compoſitione patet. Conf. Cl. CARTHEUSERI Pharmacol. *pag.* 342. *ſqq. ubi aliam* Eſſentiam Antihyſtericam Officinalem, *non minus utilem, exhibet. Vid. et* Diſp. Brand. *et ſupra* Elixiria uterina.

Eſſentia Antipodagrica Hoffmanni.

Tab. Smaragd. p. 184.

℞. Herb. Anagallidis purpur. *unc. duas.*
Radicum, Acori aquatici,
Caryophyllatæ,
Calami aromatici,
Rhapontici, *ana unciam ſemis.*

Miſc. & affund. Vini optimi, *quantum ſufficit,* ut aliquantulum ſupernatet, additis aliquot guttulis Spiritus Vitrioli. Fiat lege Artis, Extractio: Poſtea abſtrahe dimidiam partem, & adde deinde:

Spiritus Vitrioli, *unciam ſemis.*
Salis, *uncias duas.*

Circula aliquandiu, et reſerva ad uſum. Doſis a guttis quinque aut ſex, ad decem, *et ultra, in juſculo. Juvat, ſi poteſt, aut, quantum poteſt. Vid. ſupra* Elixir Antipodagricum, *atque ibi dicta.*

Eſſentia Antiſcorbutica.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Herbarum, Beccabungae,
Cochleariæ,
Fumariæ,
Naſturtii, *ana unciam unam.*
Radicum, Galangæ,
Zedoariæ, *ana drachmas ſex.*
Seminis Aniſi, *unciam ſemis.*
Florum Centaurii minoris, *unc. ſemis.*
Spiritus Cochleariæ, cum Spiritu Vini Gallic. ſaturati, *uncias duodec.*

Miſc. Fiat lege Artis, Eſſentia.

Eſſentia Antiſcorbutica.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur: Sed ibi alia.

℞. Radicum Ari,
Lapathi acuti, *ana unciam unam.*
Herbæ Trifolii fibrini, *unc. unam.*
Sedi vermicularis,
Centaurii minoris,
Seminis Lapathi acuti, *ana dr. ſex.*
Corticis Winterani, *uncias duas.*

Fraxini,
Saſſafras, *ana unciam unam.*
Myrrhæ electæ, *unciam unam.*
Salis Tartari, *unciam unam ſemis.*
Inciſa & contuſa infundantur in
Spiritus Cochleariæ, *libris tribus.*
Digerantur per aliquot dies, poſtea exprimantur, expreſſo addantur
Eſſentiæ Succini, *unciæ tres.*
Spiritus Vitrioli dulcis, *unc. un. ſem.*
Digerantur & filtrentur

Vires ſunt antiſcorbuticæ, incidentes, attenuantes, reſolventes, diureticæ, ſtomachicæ. Conf. ſupra Elixir Antiſcorbuticum, *&* Electuarium Antiſcorbuticum.

Doſis guttæ triginta, ad quinquaginta.

Eſſentia Antiſcorbutica Michaëlis.

Medicament. Famil. *L. III. pag.* 88.

℞. Summitatum Fumariæ, *manipulos quatuor.*
Epithymi, *manipulos duos.*
Radicum Polypodii querni,
Helenii,
Lapathi majoris, *ana unc. quatuor.*

His conciſis affunde Spiritus Vini rectificati, *quantum ſufficit,* & poſtea, lege, Artis, extrahatur Eſſentia.

Ipſum harum Eſſentiarum Nomen jam indicat, quid de earum Virtute ſperandum ſit, in expugnando fœdo putridoque Scorbuti. Præſertim vero poſterior Michaëlis compoſitio laudem eximiam meretur ob adjectum larga quantitate, Lapathum, cujus quippe egregium plane effectum, in pertinaciſſimo Scorbuto curando, ſeſe ſexcenties expertum fuiſſe, ingenue teſtatur Vir graviſſimæ auctoritatis, Herm. BOERHAAVE, *in* Hiſt. Plant. *Tom. II. pag.* 539. *Add. et* PAULLI, Quadripart. Bot. *pag.* 361. *et* ZORN. Botanolog. *pag.* 377. *ſqq.*

Ceterum aliam Eſſentiam Antiſcorbuticam, *vid. ib. apud.* MICHAEL. *No. LVII. pag.* 88. *et aliam egregiam, in* Pharm. Potean. *pag.* 123. *quam infra exhibebimus ſub* Tincturis. *Plures vid. apud* HEINS, Pharm. rat. *p.* 364. *ſqq.*

Eſſentia Aperitiva, D. Erbeni.

Diſpenſat. Prag.

℞. Salis Tartari, *uncias duas.*
Ammoniaci, *unciam unam.*
Spiritus Vini optimi, *uncias tres.*
Corticum Aurantiorum,
Citri, *ana* recent. *uncias quatuor.*

Digerantur per viginti quatuor Horas: dein deſtillentur per Alembicum; cujus collo imponantur Cortic. Aurantiorum & Citri, *quantum ſufficit.*

Vires & uſus ex Titulo patent: datur ad guttas quadraginta & ultra, in vino, aut juſculo.

Eſſentia Aperitiva, Michaëlis.

Med. Famil. *No. XXXVI. p.* 86. *Opp. &* BIERLING. Append. Medicament. *p.* 66.

℞. Herbarum Agrimoniæ,
Scolopendr.
Cuſcut,
Meliſſ.
Ceterach.
Fumariæ,
Cichorii,
Taraxaci,
Marrubii,
Capill. Veneris,
Adianthi aurei, *ana manip. duos.*
Florum Hyperici, *manipulum unum.*
Radicum, Rhabarbari Monachorum,

Filicis,
Taraxaci,
Cichorii,
Fragor.
Graminis, *ana uncias duas.*
Curcumæ, *unciam unam.*
Florum, Cichorii,
Bellid. minor.
Epatic. nobilis,
Geniſtæ, *ana pugillos tres.*
Cortic. Cappar.
Tamariſc.
Fraxin. *ana uncias duas.*
Seminum, Aſparagi,
Fraxini, *ana unciam ſemis.*
Aniſi,
Fœniculi, *ana drachmas duas.*
Gummi Laccæ, *drachmam unam.*

Inciſa & Contuſa extrahantur, cum Spiritu aperitivo vegetabili compoſito, quant. ſuff. addendo Extracti aperitivi, *quantum ſat erit:* Fiat lege Artis, Eſſentia.

Operoſa quidem, more Veterum conſueto, hæc eſt compoſitio, nec tamen male formata, aut inconcinna, ſed uſum potius haud levem habitura, in obſtructionibus hepatis, lienis & Meſenterii, Malo hypochondriaco, nephritico & iſchiadico: item in vitiis viarum mictualium, veluti dyſuria, iſchuria & ſtranguria: Habet & præterea Virtutem pellendi vermes, provocandi Menſes, & extergendi luridam Chloroſin, a cereis puellarum genis.

Ceterum Conf. ſupra Elixir Aperitivum. & *infr.* Extractum Aperitivum. *Notiſſima quoque eſt* Eſſentia, *ſive* Tinctura aperitiva Mobeii, *ex qua plurimum lucri hauſit olim inventor, cujus deſcriptionem aperuit* HOFFMANNUS, Obſ. Chym. 5. *Lib. II. p.* 134. *poſt* WEDELIUM, Amoen. Mat. Med. *Lib. I. Sect.* 3. *Cap.* 8. *pag.* 179. & LUDOVICUM, Pharmac. Diff. *I. p.* 364. *ubi vid. in* Comment. ETTMÜLLER. *illique meliorem a ſe ipſo præſcriptam, ſubſtituit. Conf.* SCHULZII Prælect. *pag.* 382. *Aliam Eſſ. Aperitiv.* Cnœffelii *vid. in* Tab. Smaragd. *pag.* 413.

Eſſentia Aphrodiſiaca.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Radicum Ninſing,
Pyrethri, *ana drachmas ſex.*
Vanigliæ optimæ, *drachmam unam.*
Seminis Ammeos,
Cardamomi minoris,
Cubebarum,
Cantharidum, a Capitibus & aliis liberatarum, *ana drachmam ſemis.*

Contuſa Miſceantur, & dein cum Spiritus Formicarum, *libra una.*

Extrahatur Eſſentia, cui addatur.
Coccinellæ, *drachma una.*

Digeratur rurſus, & poſt Colaturam, filtretur.

Eſſentia Aphrodiſiaca Wedelii.

℞. Chocolad. Indor. *uncias tres.*
Confect. Alkermes, *unciam unam.*
Pulveris Cantharidum, *ſcrup. unum.*
Spirit. Magnanimitatis, *quant. ſuffic.*

Miſceantur, & Fiat lege Artis, Eſſentia.

Quis uſus, aut abuſus, harum Eſſentiarum ſit, per ſe patet ex Titulo. An vero ſemper ipſe effectus reſpondeat expectationi, aut eventus opinioni; ii demum candide pronuncient, quibus malo quaſi aſtro natis, ad hæc talia ambiguæ fidei & dubiæ efficaciæ præſidia, miſere confugiendum fuit. Id vero neceſſario his monendum: ex utraque harum Eſſentia-

rum penitus eſſe abjiciendas tetras illas viroſasque Cantharidas, quarum quippe internum uſum nemo adhuc, quantum equidem ſciam, impune tulit, ob mictum nempe cruentum, acerbiſſimum Renum dolorem, urethræ ardorem, vertiginem aliaque mala, relata a LANGIO, Epiſt. Med. 47. *Lib. I. pag.* 208 *ſqq.* & VERZASCHA, Obſ. Med. 51. *pag.* 107. *item* BARTHOL. Cent. *V.* Hiſt. 82. *ut &* LAUZON. Obſ. Med. 28. *pag.* 159. *ſqq.* & PLATER. *Vid. ſupra dicta, ad* Balſamum Magnanimitatis, *& infra ad* Tinctur. Cantharid. *Ceterum eidem ſcopo, languidam nempe venerem ſuſcitandi, inſervire quoque creduntur* Confectiones *illæ*, Magnanimitatis, *atque* pacifica, *dictæ*, *item* Elixirium Venereum, *de quibus ſupra, ſuis locis. Hæc obiter.*

Eſſentia Aromatica.

Diſpenſ. Brand.

℞. Cinnamomi longi, *unc. unam.*
Macis,
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum, *ana unc. ſemis.*
Zinziberis,
Piperis longi,
Galangæ minoris, *ana drach. duas.*
Contuſa extrahe cum *ſufficienti Quantitate* Spiritus Vini rectificatiſſimi.
Fiat lege Artis, Eſſentia.

In Affectibus frigidis Ventriculi & inteſtinorum, conveniet, mixta ſtomachicis & carminativis aliis. Offerri poſſunt guttæ triginta, ad quinquaginta, aut plures, habita tamen ratione temperamenti & conſuetudinis. Ita inquit Cl. SCHULZIUS, *in* Prælect. ad Diſpenſ. Brand. *p.* 129. *In Colica ergo biblioſa, aut ſanguinea, ac hæmorrhoidali, hæc Eſſentia aromatica nequaquam conducit; ſicut generatim in ejusmodi affectibus calidis & acribus, nulla prorſus conveniunt Remedia aromatica calidiora, ceu ubivis jam notum, & a nobismet ipſis, in ſuperioribus, aliquoties dudum monitum fuit. Interea vid. ſupra* Aquam aromaticam Boerhaavii, *& infra,* Tincturam aromaticam Londinenſium; *quæ ejusdem quidem, cum hac Eſſentia, ſunt Virtutis; ſed & eadem cum cautione & providentia, quam modo indicavi, adhiberi & adminiſtrari debent.*

Eſſentia Arthritica.

Diſpenſ. Brand.

℞. Radicum Ariſtolochiæ rotundæ,
Gentianæ albæ,
Helenii,
Saſſaparillæ elect. *ana unc. unam.*
Herbarum Betonicæ, cum floribus,
Chamædryos veræ, cum floribus,
Chamæpityos,
Trifolii aquat. *ana manip. un. ſem.*
Florum Anagallidis purpureæ,
Centaurii minoris,
Hyperici, recens ſiccat. *ana manip. unum.*
Roriſmarini,
Salviæ, *ana manip. ſemis.*
Ligni Sancti,
Saſſafras, *ana unc. ſemis.*
Coſti Arabici Veri, *drach. duas.*

Conciſa & Contuſa infundantur in *ſuffic. quantitate*, Spiritus Lumbricorum Terreſt. volatilis, ad eminentiam quatuor digitorum: digerantur octiduum circiter, ad extractionem Eſſentiæ: poſtea exprimantur fortiter, & filtrentur per Emporeticam, cui poſtea addantur.

Salis Viperarum Volatilis *drachmæ duæ*, & tum ſervetur Eſſentia, in Vitro exactiſſime clauſo.

Hac Eſſentia, Cl. SCHULZIUS

hic inquit, p. 129. *peculiare, præ pluri- mis aliis, hoc habet, quod Menſtrui loco, inſervit Spiritus Lumbricorum Terreſtrium Volatilis, qui vegetabilibus quibusdam non contemnendis, extrahendis earum Virtutibus, affunditur, addito in fine, ſale volatili Viperarum. Quemadmodum vero Lumbricorum Virtutem antiſpaſmodicam & antarthriticam multi egregii Viri confirmant, eaque efficacia in pulvere eorum, ſuccoque conſpicitur: ita merito Experientiæ ſuffragium expectatur, an eadem vis, poſt putrefactoriam alterationem, in liquore ſalſo volatili, per deſtillationem, prolecto, amplius ſuperſit, de quo infra, ſuo loco diſpiciemus, p.* 326. *Nihil itaque de uſu ac viribus hujus Medicinæ, determinare audeo. Nec ego profecto, poſt hunc eximium Virum: Interim tamen, quod pace ipſius manium, dixerim, haud ſatis bene perſpicio, qui Spiritus Lumbricorum terreſtrium volat. per lenem aliquot dierum, digeſtionem, Vaſe inprimis bene clauſo, aliquid Virium perdere poſſit. Sed hic peritiores judicent!*

Eſſentia Arthritica Externa.
STAHLII.

Diſpenſat. Brand.

℞. Foliorum Sideritidis, *manip. duos.*
Florum Stœchadis citr. *manip. unum.*
Tenuiter inciſa infunde, cum
Aqua Arquebuſata externa, ſeu ſpirituoſa,
Ad eminentiam, parem Sedimento:
Digeratur, & Colatura, cum Expulſione, reponatur.

Commendat illam Auctoris Jll. fama & experientia, tot annorum felicis Artis exercitio, comparata. Ita hic vere inquit Cl. SCHULZIUS, *p.* 130. praelect. ad Diſpenſ. Brand.

Eſſentia Aſæ Fœtidæ.

Diſpenſ. Brand. Ratisbon. Lond. Amſtel.

℞. Aſæ fœtidæ, *unc. duas.*
Spiritus Vini Tartariſ. *libram unam.*
Extrahe, digerendo triduum, calore leni, Eſſentiam, quam filtratam ſerva.

In Pharmacop. Bateana, p. 118. *ſeu p.* 173. *celebratur ut uterina, travmatica & ſplenetica: doſisque præſcribitur Drachma una, vel altera, in liquore convenienti, præbenda. Exterius etiam, ad odorandum offerri poteſt. Ita Cl.* SCHULZIUS, *in* Prælect. ad Diſpenſat. Brand. *p.* 130. *Conf.* GEOFFROY Mater. Med. *Tom. II. p.* 621. *ubi plures ex* Aſa fœtida, *Compoſitiones egregiæ una leguntur. Add. ſupra dicta, ad* Aſam fœtidam. & *infra, ad* Trochiſcos hyſtericos, *quæ pariter ex parte, etiam conſtant ex hac* Aſa fœtida: *ut &* Aqua *ſic dicta* fœtida Pragenſis, *cujus deſcriptionem ſupra, ſuo loco, exhibuimus.*

Eſſentia Aſthmatica,
Angl. le Mort.

Diſpenſ. Brand. JUNGKEN, Corp. Pharmacevt. *p.* 620.

℞. Mellis optimi,
Rad. Glycyrrhiz. *ana unc. quatuor.*
Flor. Benz.
Opii præparat. *ana drach. unam.*
Camphor. *ſcrup. duos.*
Olei Aniſi, *drach. ſemis.*
Salis Tartari, *unc. unam.*
Spiritus Vini rectif. *quant. ſufficit.*
Digere, & per Alembicum deſtilla.

Doſis a ſcrupulo ſem. ad duos ſcrup.

Uſus hujus Eſſentiæ Aſthmaticæ, haud plane contemnendæ, ex ipſo Nomine jam

jam patet; in Aſthmate potiſſimum humido, & Tuſſi inveterata ac rebelli non ſine fructu, adhiberi poterit. Vid. SCHULZ. Prælect. in Diſp. Brand. *p.* 143.

Eſſentia Balſamica Gmelini.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Corticum Aurantiorum,
Citri, *ana uncias duas.*
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ, *ana drach. quinque.*
Caryophyllorum aromaticorum, *dr. duas.*
Salis Ammoniaci, *unc. quindecim.*
Cinerum clavellatorum, *tantundem.*
Spiritus Vini non dephlegmati, *libr. quatuor.*

Deſtillentur ex cucurbita, & ſpiritus volatilis, *libræ duæ cum dimidia* proliciantur, in quibus infundantur
Corticum Aurantiorum,
Citri, *ana unciæ tres.*

Digerantur per octiduum, poſtea clarum a ſpiſſo, per inclinationem, vaſis ſeparetur. Reſiduum exprimatur, &, poſt filtrationem claro admiſceatur.

Stomachica & carminativa eſt. Doſis guttæ triginta, quinquaginta.

Eſſentia Balſamica Frid. Hoffmanni.

Videatur ſupra ſuo loco
Elixir Balſamicum Hoffmanni.

Eſſentia Balſami Peruviani.

Diſpenſ. Brand. Wirt. & rel.

℞. Balſami Peruviani optimi, *unciam ſemis*, cum
Spiritus Vini optime dephlegmati, *unciis tribus.*

Per dies aliquot, loco tepido digere, eſſentiam extractam per bibulam cola ac ſerva.

Revera balſamicum eſt, calidum tamen medicamentum, quod cum circumſpectione, offerri debet; vid. SCHULZII Prælect. *p.* 131. *Ventriculum roborat, & vitia lymphæ corrigit, hinc in fœda Gonorrhæa, modica quidem doſi, per intervalla, dari poteſt.* Externus uſus *eſt ad ulcera, abſceſſus & vulnera etiam partium tendinoſarum.* Interne, doſis guttæ triginta, ad quinquaginta.

Eſſentia Benzoës Simplex.

Diſp. Wirt. in reliquis rarius occurrit.

℞. Florum Benzoës, *drach. tres.*
Spiritus Aniſi, *uncias tres.*

M. lentiſſimo calore, atque ſolutio ſive Eſſentia flavi coloris ſervetur.

Pectoralis, ſtomachica, carminativa & alexeteria eſt. Doſis guttæ octo ad viginti. *Conf. infra* Lac Benzoini.

Eſſentia Benzoës Compoſita.

Diſpenſ. Wirt. Argent. Vienn. & reliq.
JÜNGK. Corp. Pharm. *p.* 620.

℞. Benzoës electæ pulveriſatæ, *unciam unam.*
Styracis calamitæ, *unc. ſemis.*
Balſami Peruviani, *drachmam.*
Affunde
Spiritus Vini rectificati, *unc. octo.*
digerantur, & poſt ſufficientem ſolutionem, filtrentur.

NOTA. Balſamum Peruvianum cum pulvere Benzoës commiſceri debet.

Uſus externus eſt cosmeticus innocens, nimirum aquæ calidæ inſtillata reddit eam lacteam, quæ nitorem gratum cuti conciliat, & eam mollem ſervat. vid. BOERHAAVE, Element. Chem. *Tom. II. part. I. Proc.* 59. *p.* 203. & SCHULZ.

Præl. *p.* 383. *Interne pectorale præbet medicamentum non contemnendum.*

Eſſentia Bezoardica Alba, Hamburgenſium.

Diſp. Hamb.

℞. Spiritus Cornu Cerv. rectificat.
Vini Gall. alcohol. *ana libr. unam.*
Salis Cornu Cervi, *unc. tres.*

Deſtilla per Alembicum, ſecundum Artem.

Uſus hujus Eſſentiæ, ut vel ex ipſo Titulo, manifeſtum, eſt alexipharmacus, cardiacus ac nervinus; Securius autem adhibetur in Morbis Chronicis, pituitoſis & ſeroſis; quam quidem acutis, continuis & ardentibus, propter ſummam nempe Volatilitatem & acrem penetrandi vim.

Eſſentia Bezoardica alia.

Diſpenſ. Brand.

℞. Radicum Angelicæ,
Carlinæ,
Enulæ,
Meu,
Oſtrutii,
Petaſitidis,
Tormentill. *ana unc. ſemis.*
Valerianae,
Vincetoxici, *ana drach. tres.*
Herbarum Galegae,
Rutae,
Scordii, *ana manip. ſemis.*
Flavedinis Cort. Citri, *unc. ſemis.*
Myrrhae rubrae, *unc. unam ſemis.*
Camphorae, *drach. tres.*
Croci Orientalis, *unc. ſemis.*
Ligni Aloës,
Santalorum omnium, *ana drach. tres.*

Contuſis omnibus affunde
Spiritus Juniperi rectificati,
Sambuci rectificati,
Theriacalis Camphorati,
Cornu Cervi rectif. *ana unc. quat.*

In phiola optime clauſa, digere quatriduum circiter, Extractionem deple, & exprime reſiduum fortiter: Reſiduo ab expreſſione, Spiritus Vini Tartariſat. ad eminentiam digiti transverſi, quantitatem ſufficientem affunde: rurſus digere biduum ad minimum; demum Extractionem utramque confunde, filtra, & ad uſum ſerva.

Radices & herbæ hanc Eſſ. ingredientes ſatis probæ ſunt & convenientes, inquit hic Cl. Schulzius *p.* 131. *modo Myrrha, Camphora & Crocus, tanquam humores valde exagitantia, abeſſent, quæ faciunt, ut Eſſ. hac in multis febribus & ſubjectis, locum omnino nullum inveniat. Ad prophylaxin, tempore contagioſo, & in genere, gravi ac nebuloſa tempeſtate, phlegmaticis convenit, ibique* doſis *eſſe poſſunt* guttæ triginta.

Ita ille vere ac ſapienter. Ceterum plures ejusmodi Eſſ. Bez. *vid. infra ſub* Tincturis.

Eſſentia Calami Compoſita Stahlii.

Diſpenſ. Brand.

℞. Radic. Calami aromatici,
Seminis Coriandri, *ana unc. duas.*

Pulveriſatis groſſo modo, affundatur Spiritus Vini rectificati, ad eminentiam quatuor digitorum transverſorum; ponatur ad lenem digeſtionem, ut extrahatur Eſſentia.

Eſt hæc Eſſentia, judice eodem Schulzio, *in* Praelect. *p.* 131. *Carminativa & ſtomachica, minime calida.* Dari poſſunt guttae triginta, & amplius. *Vel ſola ſua ſimplicitate ſeſe cuivis, ſpero, commendabit hæc ipſa egregia Eſſentia.*

Eſſentia Cardamomi.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Lond. & paſſim.

℞. Cardamomi minoris in pulverem triti, *uncias tres.*

affunde

Spiritus Vini rectificatiſſimi, *uncias ſedecim.*

Digerantur, exprimantur & filtrentur.

Flatus potenter diſcutit, ventriculum & cerebrum roborat, urinam movet.

Doſis drachma ſemis, ad drachmam unam, *cum vehiculo idoneo: nempe Vino potiſſimum, ceu notum.*

Eſſentia Cardui Benedicti.

Paratur ad normam Eſſentiae Abſinthii ſimplicis, ſuperius deſcriptae, cum qua etiam viribus convenit, & in eadem doſi exhiberi poteſt. Et ſic etiam aliae Eſſentiae praeparantur, quarum major nunc copia ac numerus eſt, quam neceſſitas ipſa exigit.

Eſſentia Carminativa Janſonii.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Corticum Coſtidulcis, *uncias duas.*
Citri,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Macis,
Cardamomi minoris,
Seminis Carvi, *ana unc. unam.*

Affunde Spiritus Vini rectificati, *uncias viginti:* digerantur, donec Spiritus omnem Eſſentiam extraxerit: Exprimantur & filtrentur.

Haec Eſſentia Carminativa, & odore, & ſapore juxta ſuavis ac grata, ſimul tamen calida eſt propter aromata ingredientia. Ideo igitur potius tutiusque convenit in Colica flatulenta a cauſſa potiſſimum frigida humidaque orta, quam quidem in Colica biliosa, ſanguinea, aut hæmorrhoidali. Tum enim potius nocere eam, quam juvare, per ſe palam liquet.

Aliam Eſſentiam Carminativam aliquanto operoſiorerem vid. in *Diſpenſat. Brand.* & de ea judicium ſatis benignum SCHULZII, in *Prælect.* p. 132. & alias plures *Timæi, Michaëlis* & aliorum, in JUNGKENII *Corp. Pharmac. univerſal.* p. 620. ſqq. item apud HEINE, *in Pharm. rat.*

Eſſentia Carminativa noſtra, TRILLERI.

℞. Herbarum, Millefolii,
Menthae criſpae,
Meliſſae,
Anthos,
Majoranae,
Salviae hortenſis,
Florum Chamomillae vulgaris,
Roman. *ana unc ſemis.*
Corticum Aurantior. recent. *unc. tres.*
Semin. Cardamomi optimi, *unc. duas.*
Fœniculi, *unc. unam.*
Carvi,
Cumini, *ana unc. ſemis.*
Conciſis affundantur Spiritus Vini rectificati, *libræ quatuor.*

Stent in Digeſtione, per tot dies, quot ſufficiant ad plenam ac perfectam Eſſentiae extractionem.

Hæc ipſa Eſſentia, a nobismet ipſis, olim compoſita, non ſolum ſuaviſſimi eſt odoris, & jucundiſſimi ſaporis; Sed etiam eximiæ inprimis Virtutis & efficaciæ, in omnibus morbis Ventriculi, & inteſtinorum, a cauſſa præſertim frigida, ac flatibus exitum fruſtra molientibus, obortis. Nauſeam enim tollit, Anorexiam expel-

lit, dyſpepſiam & Bradypepſiam corrigit, flatus diſcutit & explodit, colica tormina mitigat, ac compeſcit, Cephalalgiam ex Ventriculi intemperie potiſſimum generatam lenit, ſingultus, ructusque ſiſtit & ſubigit: roburque amiſſum, aut infractum, ipſi Ventriculo, & inteſtinis, item & nervis ipſis rurſus conciliat: ut centies immo pæne millies, & in nobismet ipſis, & in aliis fere innumeris, per complures jam Annos ſumus experti. Quare hanc Compoſitionem noſtram forſan etiam poſteris olim non nihil profuturam, publico quidem Bono hic invidere noluimus. Conf. ſupra, Eſſentia noſtra Amara.

Eſſentia Carminativa Wedelii.

Deſcripta in ipſius Opiologia, *p.* 119. *conf. ejusdem* Amoen Mat. Med. *p.* 358.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Prag. Hamb. Ratisbon. Arg.

℞. Radicum Zedoariae, *unc. quatuor.*
Carlinae,
Calami,
Galangae, *ana unc. duas.*
Florum Chamaemeli Romani,
Seminum Aniſi,
Carvi, *ana unciam unam.*
Caryophyllorum aromaticorum,
Baccarum Lauri, *ana drach. ſex.*
Macis, *unciam ſemis.*
Corticum Aurantiorum, *unc. unam.*

Macerentur, conciſa & contuſa groſſo modo, in
Spiritus corticum Citri, *libr. quatuor ſemis.*
Spiritus Nitri, *unciis duabus ſemis,* per ſex dies,

Expreſſa & filtrata Eſſentia uſui ſervetur.

Vires ſunt ſtomachicæ, carminativæ, & diureticæ: ut & emmenagogæ.

Doſis drachma dimidia, ad ſcrupulos duos.

Eſſentia Caſtitatis,
Jo. MICHAELIS.

Medicament. Famil. 59. p. 86. *& paſſim in Diſpenſ antiq item* BIERLING. Append. Med. *p.* 67. JUNCKEN. Corp. Pharm. *p.* 632.

℞. Herbarum, Rutæ,
Menthæ, *ana manip. duos.*
Folior. Salicis,
Agni Caſti,
Dictamni cret. *ana manip. unum.*
Florum Nymphææ, *manip. unum ſem.*
Millefol. *manip. unum.*
Radic. Iridis Flor. *uncias duas.*
Biſtortæ,
Nymphææ,
Tormentill. *ana uncias tres.*
Semin. Rutæ,
Agni Caſti, *ana drach. duas ſemis.*
Lactucæ,
Acetoſæ,
Portulac.
Endiv.
Plantag. *ana drach. duas.*

Extrahe cum Aqua & Spiritu Rutæ, ut Fiat lege Artis, Eſſentia.

Caſtitatem vel conſervare, vel reddere creditur quidem vulgo hæc Eſſentia, atque inde contra ſalacitatem & acres Veneris æſtuantis ſtimulos, paſſim præſcribitur. Sit fides penes Auctorem, & fidei affirmatio penes ipſum Expertum. Interim aliam meliorem & certiorem Eſſentiam Caſtitatis *novi ego, quæ ſcilicet componitur ex precibus, vigiliis, laboribus, Victu ſimplici & parco, potu aquæ, abſtinentia a Librorum obſcœnorum lectione, laſcivarum imaginum contemplatione, & denique Venuſtarum Puellarum frequentiore converſatione. Quæ certe* Eſſentia

Caſtitatis, *ethica potius, quam medica ac pharmacevtia, plus præſtabit, ſat ſcio, in coërcenda libidine, quam quidem hæc a* Mich. *operoſe compoſita; quam tamen huic noſtro Operi inſerendam ideo cenſuimus, quod eam in nonnullis pharmacopoliis, præſertim Saxonicis, adhuc venalem proſtare & paſſim in uſum vocari, bene novimus.* Vid. WEDEL. Amoen. Mat. Med. *Lib. II. Sect. II cap.* 18. *p.* 491. & *quæ contra bene & facite monet* AMMAN. *in* Iren. *p.* 40. *Ceterum conf. infra* pilulæ Caſtitatis.

Eſſentia Caſtorei.

Diſp. Wirt. Leod. Argent. & rel.

℞. Caſtorei orientalis veri, minutim inciſi, *uncias tres.*
Spiritus Vini rectificati, *unc. quindec.*

Per octiduum macerentur, exprimantur & poſtea filtretur eſſentia,

Commendatur ad effectus ſpaſticos, hyſtericos & colicos, ad odoratum præbetur mulieribus; Clyſteribus etiam in Colica hyſterica, ad drachmam integram, *addi poteſt.* Interne exhibetur a guttis triginta, ad quinquaginta. *Vid.* RIEDLINI Lin. Med. *Ann.* 1696. *Menſ. Auguſt. Obſ.* 2. *pag.* 361. *ubi de Virtute hujus Eſſentiæ anticolica, ſingulare extat Exemplum. ut & apud* SCHULZ. Praelect. in Diſpenſ. Brand. *p.* 132. *Conf.* CARTHEUSER. Pharmacol. *p.* 330.

Eſſentia Catechu.

Videatur

Eſſentia Terræ Catechu.

Eſſentia Catarrhalis.

MERCKLINI Fil.

℞. Balſam. Copaib. *drach. duas.*
Salis Tartari, *drach. unam ſemis.*
Olei Ligni Saſſafras, *drach. unam.*
Serpilli, *drach. ſemis.*
Spiritus Salis Ammoniaci,
Succinat. *unc. duas.*

Stent infuſa, donec tingantur: Hinc ſeparentur per inclinationem, & aſſerventur uſui: quem ipſum nempe Nomen impoſitum indicat? In Catarrhis ergo *lentis ac pituitoſis, ubi viſcida potiſſimum & tenax Materia eſt incidenda, digerenda & attenuanda, non ſine inſigni fructu, commode adhiberi poterit hæc ipſa* Eſſentia Catarrhalis. *Aliæ ejusmodi Eſſentiæ & Tincturæ Catarrhales leguntur apud* MORTONIUM, *in* Phthiſiologia, BENETTUM, *in* Theatro Tabidorum, SCHNEIDERUM *noſtratem. Tract.* de Catarrhis, *item* Rolfincium, Mœbium, Wedelium, & *paſſim, apud alios plures. Vid.* & Thom. FULLERI Pharmacop. Extemporan. *p.* 363.

Eſſentia Catholiconis Purgans

Diſpenſ. Hamb.

℞. Radicum Jalappae, *unc. tres.*
Seminis Carthami, *unc. duas.*
Gummi de Peru,
Scammonii Roſati, *ana unc. ſemis.*

Inciſa & contuſa groſſo modo, infunde in Spirit. Corticum Citri, *quantum ſufficit,* & Fiat lege Artis, Eſſentia.

Quæ tamen caute ſemper & circumſpecte eſt adhibenda, & in exigua praeſertim doſi: *Exceptis enim ſolis Jalappæ Radicibus, reliqua omnia, quæ ejus compoſitionem ingrediuntur, ſunt maxime draſtica & violentiſſima purgantia, ut ſupra parte prima, ſuis locis, affatim oſtendimus. Quare in ſolo diro Hydrope, ſed viſceribus adhuc integris, & nondum tabidis, aut putridis, ad potenter*

educendas aquas inertes, auxilii quid præſtare poterit hæc ipſa Eſſentia, utpote maxime hydragoga. Interim tamen, me quidem judice, præſtat ab ipſa abſtinere, quam ejus periculum cum ægrotorum periculo, facere. Hinc & eam hic noſtro Operi inſeruimus, non tam, ut ſalutarem ejus effectum Medicis commendaremus, quam potius, ut ambiguum ex ipſius temerario uſu, eventum oſtenderemus, & de vitando periculo, jure exinde metuendo, omnes Medicinam facturos candide admoneremus, per hoc enim Remedium

Fit via vi, rumpuntur aditus.

Conf. ſuperius dicta ad Elixir. purgans Herlini. Ceterum aliam, & quidem longe mitiorem ac tutiorem Eſſentiam hydragogam purgantem vid. ſi lubet, in Pharmacop. Amſtelædamenſ. *Conf. infra,* Extracta Catholica *varia.*

Eſſentia Centaurii Minoris.

Ut Eſſentia Abſinthii ſimplex, ſpiritu Vini optime rectificato, parari ſolet.

Doſis eadem.

Stomachica eſt & anthelmintica, atque in febribus intermittentibus conducit. Vid. RIEDLIN. Lin. Med. *An.* 1698. *Menſ. April. Obſ.* 10. *pag.* 286. *ſqq.*

Ad drachmas duas exhibita *alvum movere compertum eſt: quod & ipſa facit Eſſent. ſimplex Abſinthii, & plures aliæ Eſſentiæ amaræ.*

Eſſentia Cephalica.

Diſpenſ. Edinburg.

℞. Radicum pæoniæ, *unc. duas.*
Caſmunar.
Dictamni alb. *ana drach. ſex.*
Valerianæ Sylveſtris,
Viſci quercini, *ana unc. unam.*
Stercoris pavonis,
Anthus, *ana unc. ſemiſſem.*
Vivi albi Gallic. *libras ſex.*

Digerantur per quatriduum, & coletur Eſſentia, ſive Tinctura.

Eſſentia Cephalica Purgans.

Ibidem.

Fit addendo præcedenti Eſſentiæ
Fol. Sennæ ſ. ſ. *unc. duas.*
Rad. Hellebori nigri, *unc. unam.*
Vini albi Gall. *libras duas.*

Et in binis his Eſſentiis Cephalicis, alias uſu ſuo haud carentibus, eſt omnino, quod tollere velim. Ex priore nempe ſordidum illud pavonis ſtercus, quod quid valeat ad Caput corroborandum, equidem divinare non poſſum: quid enim obſecro, Anus ad Caput, aut Excrementum ad Cerebrum? ſit Venia dictis? Ex altera vero Eſſentia purgante, mallem demere Ellebori nigri Radicem, vel ejus largam Oppido doſin ad dimidiam ſaltim pertem reducere, vel denique ipſi juſtam Rhabarbari quantitatem, aut aliud quodcunque mitius & ſecurius Catharticum Remedium ſubſtituere. Nusquam enim ſatis tutus Ellebori nigri uſus, multo minus vero albi: de qua re ſupra jam Part. I. & alibi, in hoc opere, diſertius actum eſt. Vid. præſertim infra, ad Extractum Melampodii, & Eſſentiam Melampodii &c.

Eſſentia Cephalica.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Nucis Moſchatæ,
Galangæ, *ana unc. unam ſemis.*
Macis,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Herb. Roriſmarini,
Majoranæ,
Origani, cum flore,
Betonicæ,

Florum Lavendulæ, *ana unc. unam.*
Inciſis & Contuſis affundantur
Spiritus Meliſſæ citratæ, *libræ quatuor.*
Forti expreſſione, poſt digeſtionem, peracta, filtretur Eſſentia. Conf. ſupra, Elixir. Cephalicum, *&* JUNGKEN. *loc. cit. p. 621. ſqq. ubi plures Eſſentiæ, Cephalicæ.*

Eſſentia Cephalica.

Diſpenſ. Wirt.

℞. Radicis Calami aromatici, *dr. tres.*
Herbarum Betonicæ,
Mari veri,
Salviæ,
Florum Lavendulæ, *ana drach. duas.*
Ligni Aloës ponderoſi,
Sandali citrini odoratiſſimi,
Corticum Culilawan, *ana drach. tres.*
Cinnamomi acuti,
Nucis Moſchatæ,
Cubebarum,
Cardamomi minoris,
Cariophyllorum, *ana drach. duas.*
Inciſis & contuſis ſuperaffundantur
Aquæ apoplecticæ ſpirituoſæ,
Elixirii vitæ Matthioli incompl. *ana unciæ octo.*

Digerantur, & ſufficienter extracta, exprimantur, atque filtrentur.

Senibus & phlegmaticis conducit, quibus cerebrum & ventriculum corroborat; ad Colicam flatulentam, eructationes & Cardialgiam valet, atque eſſentiis vel elixiriis ſtomachicis admiſceri poteſt.

Doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.

Eſſentia Cephalica Balſamica.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Olibani,
Maſtichis,
Aloës Socotorinæ,
Myrrhæ electæ,
Styracis Calamitæ,
Ladani,
Balſami peruviani,
Baccarum Lauri, *ana unc. ſemis.*
Spicæ Jndicæ,
Ligni Aloës,
Rhodii,
Santali citrini,
Radic. Zedoariæ,
Doronici Romani,
Cubebarum,
Aegagropilar. *ana drach. duas.*
Salis Armoniaci,
Tartari, *ana unc. unam.*
Inciſis & contuſis affundantur
Spiritus Vini rectificati, *libræ duæ.*
Deſtillentur ex Arena: deinde addantur:
Olei deſtillati Anthos,
Macis,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ,
Corticum Aurant.
Citri,
Cinnamomi,
Lavendulæ,
Rutæ,
Majoranæ,
Chamæmeli Romani,
Saſſafras,
Succini, *ana ſcrup. unus.*

Mixta ſtent in digeſtione, ad ſolutionem Oleorum, & pro lubitu, tingatur
Coccinellæ, *drach. ſemis.*
Si completa deſideretur, addatur:
Moſchi,
Ambræ, *ana ſcrup. unus.*

In memoria labefactata, Capitis gravedine, Cerebri opilatione, & Spirituum languore, conducit aperiendo, ex-

ſiccando & corroborando. Ita quidem laudati Diſpenſatorii Editores clariſſ. quantum autem infirmo capiti forte conducat hæc ipſa Eſſentia Cephalica; tantum contra nocebit crumenæ, præſertim infirmæ aut egenæ; eſt enim admodum pretioſa & ſumtuoſa, propter aromata ac peregrinas merces; præcipue vero, propter multa, immo nimia illa Olea deſtillata, ingentis plerumque pretii: adeo ut hæc ipſa ardua Compoſitio integrum fere Myropolium ac pharmacopolium in ſe continere videatur. Interim tamen hæ deliciæ ditioribus ægrotis non invidendæ ſunt, licet pauperioribus haud natæ ſint. Præſertim, quum nullum ſit dubium, quin egregium præſtituræ ſint uſum in iis potiſſimum Capitis Morbis, qui a cauſſa frigida & humida, fibraque laxa ortum ſuum traxerint. Ceterum me quidem judice, completa tamen erit hæc ipſa Eſſentia, etiamſi Moſchus atque Ambra plane omittantur; quibus nempe vehementer offenduntur fœminæ, nec multum delectantur Viri, ut notum. Ceterum Conf. ſupra Aquas Cephalicas.

Eſſentia Cephalica Cnœffelii,

JUNGK. *Corp. Pharm. p. 622. & alibi.*

℞. Radic. pœoniæ, *unc. duas.*
Summitat. Herb. Betonic.
Meliſſ.
Lavendul.
Baſilici,
Rutæ,
Origani, *ana manip. unum.*
Confect. Ana Card.
Theriac. Andromach. *ana unc. unam.*
Viſci quern.
Ligni Aloës, *ana unc. ſemis*, inf.
Spiritus Vini Junip. *libr. unam ſemis.*
Sambuc. *libr. ſemis.*

Stent per octo dies, in digeſtione poſtea Colat. adde:
Spiritus Vitrioli, *libr. ſemis.*
Raſuræ Cranii humani,
Magiſt. Corn. Alcis.
Nucis Moſch. præp *ana unc. unam.*
Eſſent. Nucis Moſch. *drach. un. ſemis.*
Coriandri, *ſcrup. duos.*
Citri, *drach. duas.*
Miſc. digerantur per tres Menſes, & Fiat lege Artis, Eſſentia.

Cephalicum, Epilepticum & Apoplecticum Medicamentum eſt inſigne, inquit ejus Auctor. Quod equidem haud penitus negaverim. Interim tamen & Virtus, ſi qua ipſi ineſt, & honos, ſi quem meretur, ipſi plene conſtabit, etiamſi Confectio Anacardina, Raſura Cranii humani, & Magiſterium Corn. Alcis *plane ex eo abjiciantur: Illius enim Confectionis uſus damnoſus & de Veneno ſuſpectus eſt, ut ſupra Part. I. latius oſtendimus: hujus vero, Cranii nempe humani & Magiſterii Corn. Alc. fatuus, ſordidus ac prorſus inefficax, ut pariter ſupra monuimus. Denique nulla juſta eſt proportio inter Scrupulos tantum duos Eſſ. coriandri, & drachmas duas Nucis Moſch. ac Citri, & inter reliquam ingentem Compoſitionis Maſſam, ut quivis perſpicit.*

Eſſentia Chinæ Chinæ Simplex.

Diſpenſ. Wirt. Vienn. Brand. Arg. Leod.

℞. Corticum Chinæ Chinæ pulveriſatorum, *unc. tres.*
Spiritus Vini rectificati, *unc. duodec.*
Digerantur aliquamdiu, poſtea eſſentia bene ſaturata expreſſa filtretur.

Præſtat quidem Corticem Peruvianum in ſubſtantia exhibere; conf. ſupra dicta, ad Elixir. Antifebrile, *quia vero multi*

multi pulveres & electuaria reformidant, eſſentia ex illo parata dari poteſt, non ſolum autem in febribus, ſed etiam ubi tonum relaxatum oportet roborare. Vid. SCHULZII prælect. in Diſpenſ. Brand. *p,* 134.

Doſis guttæ ſexaginta, ad octoginta.

Eſſentia Chinæ Compoſita Helwig.

Diſpenſ. Wirt in reliquis deſideratur.

℞. Corticum Chinæ Chinæ, *unc. tres.*
Serpentariæ Virginianæ, *unc. duas.*
Contra yerv. *unciam.*
in pulverem tritis affunde
Spiritus vini rectificati, *unc. ſedecim.*

Poſt ſufficientem extractionem exprimantur, & Eſſentia per chartam bibulam filtrata reponatur.

Alexipharmaca, antifebrilis, tonica & carminativa eſt. In febribus tamen, præſertim diuturnis, parum certi & conſtantis auxilii præſtat, ut omnes fere Eſſentiæ antifebriles, uti ſupra jam notavimus.

Doſis guttæ quinquaginta ad ſexaginta.

Eſſentia Cinnamomi.

Diſpenſ. Prag. Leod. Lond.

℞. Cinnamomi acuti, groſſo modo pulveriſati, *unc. tres.*
Spiritus Vini Tartariſati, *libr. unam.* vel quantum ſufficit,

Stent in digeſtione, octo diebus circiter; tum extrahatur Eſſentia, filtretur, & uſui ſervetur.

NOTA hæc ubivis & vulgaris hæc eſt Eſſentia;

Sed aliam Cinnamomi Eſſentiam longe præſtantiorem & Viribus eximiis valentiorem ita deſcribit GRIMMIUS, *in* Laborat. Ceylon. *p.* 72. *primo talis tibi componendus eſt* Spiritus Cinnamomi, *qualis ſequitur. Spiritus cinnamomi rectificatus per aliquot vices. Tunc accipe Liquorem* Salis Cinnamomi, *cui affundes Spiritum illum. Et tunc deſtillationem facies, multoties cohobando. Accipe deinceps iſtius Spiritus* Libram unam, *Cinnamomi* Unciam unam: *exagita totum ſimul, & fiet jucundiſſima Conjunctio. Tum adjicies huic Eſſentiæ* unciam unam *Cinnamomi ſubtiliter pulverizati, & facta Extractione, Tincturam Regiam atque Mirabilem recuperabis, quæ in ſe ipſa Virtutes omnes Cinnamomi continet: Eam igitur claram effundes, & ad uſum ſervabis. Eſſentia iſta veriſſimum eſt* Balſamum Vitæ, *& optime medetur morbis capitis Stomachi & Matricis: Menſtruorum Obſtructiones aperit, & præſtantiſſimos producit effectus in partubus difficilibus, in Colica, & etiam in ea, quæ exinde provenit, paralyſi, Spiritus Vitalis corroboratur, cor ipſum confortatur, atque reſpectu Morborum, qui vel a frigidis, vel a phlegmaticis Humoribus Originem ſuam deducunt, multo plus efficit, quam viginti aliæ decoctiones herbarum, quæ ſæpiſſime nullius ſunt utilitatis. Hujus autem Eſſentiæ vel* minima doſis ſufficit, *ſcilicet a* 3. *ad* 5. *vel denique ad decem guttas.*

Hactenus *Grimmius*, inventor & laudator: Vere quidem & ſapienter. Utinam vero & nos tam benignam & uberem Cinnamomi Ceylonici copiam haberemus! ut ſæpius jam optavimus.

Eſſentia Citrina Laxans.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 138.

℞. Tincturæ Salis Tartari, *libr. ſemis.*
Pulveris Jalappæ, *unc. duas.*

Caryophyllorum, *grana triginta duo.*
Croci Orientalis, *grana ſedecim.*

Stent Vaſe ſubere & veſica obturato, in loco moderate calido, aliquot dies.

℞ Tincturæ filtratæ doſis drach. duarum, ad unciam ſemis.

Salutari ſcopo, alvum blande ducendi, hæc quidem Eſſentia, a ſolo flavo Croci colore, Citrina *dicta, commode inſervire poteſt. Ceterum vid. ſupra,* Elixir purgans de Citro, *quod excepta flavedine Corticis Citri recent. ejusdem fere eſt Compoſitionis, & ejusdem ſimul uſus, ſecundum Diſpenſat. Argent. p.* 65. *Conf. infra* Extract. diacitri & Electuarium de Citro ſolutivum, *apud* CHARAS. pharm. Reg. T. I. *p.* 274.

Eſſentia Clareti.

Diſp. Hamb.

℞. Cinnamomi optimi, *unc. duas.*
Caryophyllorum, *unc. ſemis.*
Cardamomi, *unc. unam.*
Zingiberis, *drach. unam.*

Infunde in Spiritus Vini optime rectificati, *unciis viginti,* vel quantum ſufficit, pro Extractione Eſſentiæ; poſtea filtretur.

Vires ſunt ſtomachicæ, carminativæ, analepticæ, nervinæ & Cephalicæ, in ſubjectis præſertim frigidioris & humidioris Naturæ, ac fibræ laxioris, ut ex ipſa calida Compoſitione jam per ſe patet. Ceterum ſimile fere Claretum, *vid. in eodem Diſpenſ. Hamb. pag.* 31. *& aliam* Aquam Cinnamomi Claretam, *ſupra ſuo loco, ex Diſpenſat. Lond. pag.* 104.

Eſſentia Cochleariæ.

Diſpenſ. Hamb. Prag.

℞. Herbæ recentis Cochleariæ inciſ. *uncias ſex.*
Spiritus ejusdem, *libr. unam.*

Digerantur ſimul, Vaſe bene clauſo, in leni Calore: poſtea filtrentur.

Uſus hujus eximiæ Eſſentiæ eſt potiſſimum antiſcorbuticus, ut omnia alia medicamenta, quæ ex Cochlearia, illo uno Nautarum tabeſcentium aſylo, & ſacra quaſi anchora, parantur. Plurimum quoque ipſi Virtutis & laudis merito tribuebat Cel. Stahlius, in morbis præſertim pituitoſis, ſeroſis, Catarrhalibus & pectoralibus, in quibus & Voto ſæpius reſpondet. Aliam Eſſent. Cochlear. compoſ. vid. *in* Pharm. Batean. p. 119.

Eſſentia Colubrini Ligni.

Paratur, ut reliquæ Eſſentiæ e diverſis Lignis aromaticis confectæ, quæ hic recenſentur.

Huic vero præſertim Eſſentiæ Ligni Colubrini, *inſignem plane Virtutem in febribus intermittentibus compeſcendis, tribuit* BOERHAAVE, Elem. Chem. *Tom. II. proc.* 61. *pag.* 206. *quod & ipſi experti ſumus.*

Eſſentia Corticum Aurantiorum Spirituoſa.

Diſpenſat. Brandenb. Wirt. & aliq.

℞. Corticum Aurantiorum, ab interiori albedine ſeparatorum, *libr. un.*
affundantur
Spiritus Vini rectificati, *libr. tres. ſem.*

Poſt ſufficientem extractionem exprimantur; & per chartam emporeticam filtrentur.

Egregium eſt ſtomachicum, carminativum tonicum & analepticum. Vid. SCHULZ. Prælect. *p.* 130.

Doſis guttæ triginta, ad ſexaginta in Vino generoſo.

NOTA. E corticibus fructuum

Aurantiorum immaturorum recentibus, vel ex ipſis tenellis fructibus pari modo Eſſentia parari poteſt, quæ, ſi ordinariæ e ſiccis maturis corticibus non præcellit, tamen haud inferior eſt virtutibus: immo ipſi omnino par eſt, ob inſignem, & ſuavem tamen ſimul, amaritiem, ceu nomen unde & a multis illi vulgari e Corticibus maturis, longiſſime præfertur: idem nobiſcum fere ſentit SCHULZIUS, loco modo laudato.

Eſſentia Corticum Aurantiorum cum Vino Malvatico.

Diſp. Wirt. Brand. Hamb.

℞. Vini Malvatici, *libram unam ſemis.*
Flavedinis corticum Aurantiorum ſiccatorum, *uncias tres.*

Macerentur per biduum, colentur & filtrentur.

Stomachica, tonica & carminativa eſt.

Doſis uncia ſemis, ad integram.

Eſſentia Corticis Chacarillæ.

Diſp. Wirt. Ratisbon. Arg.

℞. Corticum Chacarillæ griſeæ & reſinoſæ, *uncias quatuor.*
In pulverem groſſum tritis affunde
Spiritus vini rectificatiſſimi, *libram unam ſemis.*

Digere per quatriduum, filtra & ſerva.

Ventriculi vitiis medetur & pulmonibus prodeſt, tonum viſcerum relaxatum inſtaurat, ſedativum eſt, & ſtricturas partium dolentes blande reſolvit: in febribus quoque intermittentibus uſum interdum præſtat, quantum nempe, poſt ipſum Corticem peruvianum, qui primas ſemper tenet, & tenebit, præſtare poteſt, uti notum. Plura de ipſius virtutibus vid. apud SCHULZ. in Prælect. *pag.* 133.

Doſis guttæ triginta, ad ſeptuaginta quinque.

Eſſentia Corticum Citri.

Diſpenſat. Brand.

E Flavedine Corticum Citri recens abſtracta, parumque ſiccata, ac ſcindendo comminuta, cum Spiritu Vini, a Corticibus Citri abſtracto, juſta proportione digerendo, paratur ad inſtar *Eſſentiæ Corticum Aurantiorum*, cujus deſcriptio habetur in antecedentibus

Si Spiritum Liliorum Convallium, Spiritui illi Citrato ſubſtitueris, habebis *Eſſentiam Citri correctam*, nonnullis dictam.

Eſſentia Corticum Citri. Compoſita.

Diſpenſat. Brand.

℞. Flavedinis Corticum Citri recentium, *uncias duas.*
Pomorum Sinenſium recent. *drachmas duas.*

Inciſis affunde:
Spiritus Vini rectificati, *unc. duodec.*
Cum Spiritus Salis rectificati, *drachmas duabus cum ſemiſſe.*

Per iterata Cohobia, junge; ſicque unita & infuſa, ſtent diem & noctem: Tum per chartam bibulam colentur & uſui ſerventur.

Tam ſimplex hæc Eſſentia, quam multo magis compoſita, inquit hic Cl. SCHULZIUS, *pag.* 135. *eſt incomparabile Medicamentum ſtomachicum, tonicum & alexipharmacum.* Doſis & uſus *conveniunt cum* Eſſentia Aurantiorum, *de qua in præcedentibus dictum. Sed plu-*

res alias ejusmodi Eſſentias Citri variis modis præparatas, ex Zwelffero *& aliis Auctoribus, diligenter collectas, exhibet* JÜNGKEN, *in* Corpore pharmaceut. univerſali, pag. 623. ſqq.

Eſſentia Croci,

vid. infr.

Tinctura Croci.

Eſſentia Culilawan.

Eodem modo, quo præcedens Eſſentia Chacarillæ, paratur.

Aromatica eſt, ventriculum roborat, flatus diſcutit. Vid. Cl. CARTHEUSERI *Diſſ. de* Cortice Culilawan VALENTIN. Ind. Litt. *p.* 450. *ſqq. & al.*

Eſſentia Cydoniorum.

Hujus Deſcriptionem Vid. in Bennat. Theatro Tabidorum, pag. 184.

Eſſentia Dialaccæ ex Speciebus.

Diſpenſ. Prag.

℞. Specierum Dialaccæ, *quantum vis.*

Irrorentur Liquore Nitri fixi, aut Spiritu Nitri: dein cum ſufficienti quantitate Spiritus Vini rectificati extrahatur, ut Artis eſt, Eſſentia.

In Ventriculi & Hepatis intemperie frigida commendatur, ſiquidem concoctionem adjuvat, ructus acidos compeſcit, flatus diſſipat, & oris halitum ingratum emendat: (quæ virtus inter reliquas adhuc nonnihil dubias, potiſſimum eminet,) Doſis a guttis 30. ad 60.

Eſſentia Diuretica Furſtii.

℞. Baccarum Junip. Contuſ. *unc. quat.*
Salis Tartari,
Ammoniaci, *ana drachm. unam.*
Mixtis affunde in Cucurbita,
Aquæ Florum Sambuci,
Cochleariæ, *ana unc. tres.*
Spiritus Juniperi, *uncias duas.*
Tartari fœtidi, *unciam unam.*

Stent per noctem, vitro bene clauſo, infuſa, in loco moderate calido; Sequenti die, poſtquam frigefacta, cola, cum Expreſſione, filtra, & uſui ſerva.

Qui, ut ipſum jam Nomen indicat, potiſſimum eſt diureticus, pellendis urinis, una cum ſabulo ac calculis, apprime inſerviens.

Eſſentia Dulcis.

Diſpenſ. Wirt. Brand. ZWELFER. Pharmac. Aug. *p.* 435. *& p.* 438.

℞. Terræ foliatæ Tartari, *drachm. duas.*
Sacchari albiſſimi, *uncias duas.*
Aquæ fontanæ, *unciam unam ſemis.*

Coquantur in vaſe figulino probe vitreato, ſub perpetua agitatione, usquequo colorem acquiſiverint ſubnigrum vel fuſcum; removeantur ab igne & affundantur

Menſtrui infra deſcripti, *unc. duodec.*

Digerantur, & bis vel ter in Mariæ Balneo cohobentur, atque Eſſentia per chartam emporeticam filtrata ſervetur.

Menſtruum pro Eſſentia Dulci.

℞. Spiritus vini gallici, vel alius puriſſimi rectificati, *libras quatuor.*
Aluminis vulgaris puri, in pulverem triti, *uncias octo.*
Aquæ fontanæ, *libram unam.*

Miſceantur & deſtillentur e cucurbita vitrea, atque libræ tres primo prodeuntes ſeorſum ſerventur pro menſtruo.

Fuerunt, qui medicamentum corroborans, ſapore & odore gratum, quodque delicatioribus atque infantibus, alia medicamenta reformidantibus, in parva doſi exhiberi poſſet, expetiverunt; quibus ut ſatisfaciamus, Eſſentiam hanc, quæ virtutem non ſolum habet corroborantem, ſed & aperientem, balſamicam, diureticam & expulſivam, ac quæ ſapore & odore grato ſe commendat, adponere voluimus. Hæc Cl. Wirtenberg. De Eſſentia *vero* dulci, *ubique notiſſima, cui non dictus Hylas?* Aurea *vulgo dicitur, nonnullorum opinione, non tam, quod Aurum habet, quam quod Aurum ex ejus nundinatione haberi affatim poteſt. Inde &* Dulcis *vocatur, non tantum, ob dulcem Saporem Sacchari nempe cocti, ex quo præcipue conſtat; ſed etiam potiſſimum ob dulce lucrum: puod potius ad præparantes & vendentes redit, quam ad ementes & adhibentes. Sicut enim exigua ipſius doſis parum prodeſt; ita & magna ejusdem nihil nocet, ut exemplis conſtat. Ita quidem Medicorum nonnulli de hac* Eſſentia dulci *judicant; quam male, aut bene, quam juſte, aut injuſte, ego jam non diſquiro; ipſi illi interim viderint. Ceterum vero de* Eſſentia dulci, *Medicamento innocuo & blando, ſuavi & miti, atque ad delicatioris palati blandimenta potius, quam ad Morborum levamenta, invento, ejusque præparatione, ex Saccharo potiſſimum adornata, ſingulare ſcriptum, Regiomont.* 1722. *edidit D.* Chriſt. Erneſt. KLEINFELD, *ex quo ampliſſima Excerpta protulit* WOLFIUS, *in portentoſo alias Libro, quem inſcripſit,* detectum Falſarium & Plagiarium, *p.* 713. *ſqq. Conf. huc etiam maxime* Annal. Med. Phyſ. Wratislav. *Ann* 1723. *Menſ. Dec. Claſſ. VI. Art.* 3. Jo. Ad. RAIMANNI Obſervat, de dubia Eſſentiæ dulcis Hal. efficacia, *in* Commerc. litt. Med. Norimb. *An.* 1734. *pag.* 222. HOFFMANNI Obſ. Chym. 21. *Lib. III. p.* 375. *ſqq.* Diſpenſat. Brand. *pag.* 84. *in Not. & tandem, ut plures alios, qui de hac Eſſentia dulci acerbe ſcripſerunt, jam ſtudio taceam,* ERNSTINGII Lexicon Pharmaceut. *p.* 346. *ſqq. Sed ſit aliis Eſſentia dulcis, mihi vero dulces ante omnia, Muſæ, in quibus vera Eſſentia dulcis.*

Doſis *pro adultis* guttæ triginta ad ſexaginta; *infantibus & pueris* guttæ tres, quatuor, vel duodecim *ſufficiunt. Datur in vehiculo aquoſo, vel ſi libet, adultis in vino.*

Eſſentia Dulcis Rubra.

BIERLING. Append Med. *p.* 69.

℞. Sacchari albi pulveriſ. *libram. unam.*
Pone in cucurbit. ſuperaffundendo:
Aceti deſtillati, *uncias duas.*

Digere per tres dies, in Baln. Mar. dein ſuperaffund. Spirit. Vin. rectif. ut ſupernatet ad duos digitos; digere in cineribus calidis, per quatuor dies, donec Spiritus coloretur: Tinctum ſpiritum effunde, & in Baln. Mar. ad medietatem, evoca, & Eſſentia in fundo manebit, quæ cum a. p. Aq. Roſar. per octo, vel viginti dies circulari debet.

Cor & facultates vitales exhilarare & corroborare creditur: pulmoniacis, aſthmaticis, & pectoris doloribus conferre dicitur: In phthiſi, pleuritide, & raucedine vocis, magna efficacia ipſi tribuitur, (ſed in pleuritide haud magna eſt).

Doſis, a drach. ſemis, ad unam, *& ultra.*

Eſſentia Enulæ, *ſeu* Helenii.

Cujus deſcriptio habetur in *Diſpenſat. Prag. Argent. Ratisbon.* & alibi ſæpius, paratur vero, ceu notum, ex Rad. Enulæ Spirit. Vini infuſis, ut Eſſent. Angelicæ, Gentianæ, Galangæ, & aliæ id genus Eſſentiæ.

Uſus vero ejus eſt antiſcorbuticus, & maxime pectoralis.

Eſſentia Fuliginis Clauderi in Tract. de *Balſamat.* Cap. VII. pag. 189. ſqq. alias Hæmato - Cathartica & Alexipharmaca Dicta.

Vid. LEUTWEIN *Diſſ. de* Fuligine.
Diſp. Wirt. Brand. Prag.

℞. Cinerum clavellatorum puriſſimorum, *uncias ſex.*
Salis Armoniaci, *unciam unam.*
Solve ſeparatim, & quidem Cineres clavellatos in *libris duabus*, & Sal Armoniacum in *libra una* aquae fontanæ puræ vel pluviæ; liquores ſalinos ſeparatim per chartam emporeticam filtra, filtratos commiſce, atque ſuperfunde
Fuliginis ex camino ſplendentis pulveriſatæ, *unciis duabus.*

Digere in vitro probe clauſo, per aliquot dies, poſtea liquorem tinctum, per chartam bibulam filtratum, ſerva.

Liquor ſalinus eſt oleo fuliginis impregnatus, & præbet medicamentum reſolvens, atque excretiones omnis generis promovens. In morbis chronicis, febre quartana, Ictero, Cachexia, fauſto cum ſucceſſu adhibenda. Magnas atque inſignes plane virtutes in variis Morbis atrociſſimis profligandis, huic Eſſentiæ Fuliginis, poſt Clauderum *ipſum, tribuit* JÜNCKEN, *in* Chym. Experimental. *Sect. III. C. XI. p.* 180. *ſqq. inprimis* Wilhelm. ten RHYNE, Meditat. ad Hipp. *pag.* 96. *nec non* SCHULZIUS, *in* Prælect *pag.* 137. *Sed merito de iis dubitat Cl.* CARTHEUSERUS, *in* Pharmacolog. *pag.* 342. *Noſque cum eo. Nusquam enim obſervavimus, expectationi reſpondiſſe effectum. Vid. vero de uſu Fuliginis medico* BOERHAAV. Elem. Chem. *Tom. II. part. I. proceſſ.* 87. *pag.* 248. & ten RHYNE, *loc. cit.*

Eſſentia Fumariæ.

Paratur, ut Eſſentia Abſinthii.

Ad ſanguinis & lymphæ vitia commendatur.

Doſis guttæ quinquaginta, ad octoginta.

Eſſentia Fumariæ Compoſita.

Diſpenſat Prag.

℞. Extracti Fumariæ,
Chamædryos,
Veron. *ana drachmas duas.*
Radic. Sarſaparillæ,
Putamin. Nuc. jugland. *ana unc. un.*
Salis Fumariæ,
Sarſaparill. *ana drachm. unam.*
Herbar. Fumariæ,
Chamædryos,
Scolopendr.
Veronic. *ana manip. ſemis.*
Spirit. Fumariæ, *libr. duas ſemis.*

Extrahatur lege Artis, Eſſentia.

Vires hujus Eſſentiæ ſunt ſtomachales, carminativæ, antiſcorbuticæ, & ſanguinem purificantes. Datur a guttis 30. ad 60. *Plurimum Fumariæ, haud equidem diffiteor, in hac eſt compoſitione; ſed forte etiam, ſi dicere impune liceat, multum Fumi. Sed taceo. Aliam vero*

Eſſ. Fumar. comp. *vid. in* Michael. Med. Fam. 53. *p.* 88.

Eſſentia Galangæ.

Diſp. Wirt. in aliis deeſt.

℞. Rad. Galangæ minor. minutim inciſarum, *uncias duas.*
Spiritus Vini rectificati, *uncias octo.*

Extrahatur Eſſentia leni calore, exprimatur, & per chartam filtretur.

Commendatur interne, ad ventriculum corroborandum & humores viſcidos reſolvendos: Externe ad cariem oſſium, membra tabida & paralyſin linguæ.

Eſſentia Gentianæ.

Fit eodem modo, quo Eſſentia radicum Angelicæ. Vid. Fuller. *Pharm. Extemp.* pag. 362.

Amarum quidem, præſtantiſſimum tamen ſtomachicum, tonicum, anthelminticum & antifebrile eſt medicamentum. Vid. Schulzii Prælect. *p.* 137.

Datur a guttis quinquaginta, ad octoginta.

Eſſentia Guajaci.

Diſp. Brand. Collectan. Chym. Leyd. *p.* 86.

℞. Raſuræ ſubtilis Ligni Sanct. *unc. duas.*
Spiritus Vini rectificatiſſimi, *unc. octo.*

Digere octiduum; vaſe optime clauſo; tum Menſtruum decanta, & per emporeticam trajice.

Uſum ejus late patentem, præſertim in ulceribus vetuſtis, ſordidis ac malignis, item & venereis, merito commendat Boerhaave, Elem. Chem. *T. II. Part. I. Proc.* 60. *p.* 203 *ſq. Conf. infra,* Tinctura Guajaci, & Extractum Guajaci, *Ceterum alia* Eſſentia, *ſeu* Tinctura Guajacina Volatilis, *deſcripta extat in* Pharmacop. Lond. *pag.* 74. & *alibi:* & *alia ab hac longe diverſa, in* Pharm. Batean. *pag.* 120. *Compoſitam quoque exhibet & contra foetorem & putredinem oris, mire laudat* Mynsicht. Armament. Med. *pag.* 51. *Guajaci tamen decoctum* Schulzius, *pag.* 139. *magis laudat, quam vel Eſſentiam, vel Reſinam.*

Eſſentia Gummi Ammoniaci.

Diſpenſat. Vienn. Prag.

℞. Gummi Ammoniaci, *uncias tres.*
Liquoris Nitri fixi, *unciam unam.*
Spiritus Vini rectificatiſſ. *libram un.*

Stent per Tempus, in Infuſione, ut extrahatur Eſſentia.

In doloribus arthriticis, viſcoſitate pulmonum & Meſenterii, ut & Uteri, Obſtructionibusque Lienis & Hepatis, opitulatur.

Eſſentia Hyperici.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Florum Hyperici, *uncias quatuor.*
Spiritus Vini rectificati, *libram unam & uncias tres.*

Digerantur per triduum, poſtea exprimantur & filtrentur.

Commendatur ſpecifice melancholicis, vulneratis, verminoſis, nec non ad morbos faſcino imputatos, & tum dari debet ſub ortum ſolis, in aurora, ſeu diliculo, alias ſcilicet ſine effectu futura, ex præcepto paracelſi, portæ & *aliorum, referente,* &, *quod valde mirum, ſimul credente & approbante* Wedelio, Amoen. Mat Med. *L. II. Sect. II. Cap.* 17. *p.* 486. *Conf. ſupra dicta ad* Flores Hyperici. *Add.* Zorn. Botanol. *p.* 357. *ſqq.* & *infra,* Tinctura Hyperici Florum, *ibique dicta. Etiam externe vulneribus applicatur. Vid.* Schulz. Praelect. *p.* 138. & *p.* 388.

Doſis guttæ quinquaginta, ad ſeptuaginta quinque.

Eſſentia Juniperi.

Diſpenſ. Brand.

℞. Baccarum Junip. maturar. *unc. quat.*
Rob earundem, *unciam unam.*
Spiritus Baccarum Juniperi rectificati, *quantum ſufficit, ad eminentiam quinque digitorum:* Digerantur in Balneo, donec Eſſentia ſufficienter ſit extracta: Spiritus tum tinctus per filtrum ſeparetur.

Audiamus hic, ſi placet, B. SCHULZIUM, *ita in hujus præſtantiſſimæ Eſſentiæ laudes excurrentem, in* Prælect. *pag.* 139. *Vocatur etiam* Elixir Juniperinum, *magnisque laudibus effertur a* SGHRODERO, *in* Pharm. Med. Chym. *Lib. IV. pag.* 102. *ob inſignes virtutes diureticas, lithonthrypticas & ſtomachicas.* Datur cochlear unum. *Aliqui loco ſpiritus Juniperi baccarum, adſumunt Vinum Malvaticum, ſicque acquirunt Medicamentum ſuaviſſimum, longeque minus calidum, quod* Malvaticum Juniperinum *vocatur, cujuſque cochlearia plura aſſumere licet. Eadem plane cum Cl.* SCHULZIO, *ſentit Cl.* CARTHEUSERUS, *in* Pharmacologia, *pag.* 345. *Conf. huc &* BOERHAAVE Elem. Chem. *T. II. P. I. Proc.* 31. *pag.* 116. *Edit. Lipſ. item* Benjam. SCHARFFII *Deſcriptio Juniperi curioſa, ſuperius jam laudata, &* ZORN. Botanol. *p.* 370. *ſqq. Vid. & infra* Eſſentia Succini Juniperina.

Eſſentia Leviſtici.

Diſp. Wirt. alia non habent.

℞. Radicum Leviſtici, *uncias duas.*
Seminis ejusdem, *unciam unam.*
Inciſa & contuſa infundantur in Spiritus vini, *unciis decem.*

Digerantur & poſt ſufficientem extractionem exprimantur, atque eſſentia per chartam filtrata ſervetur.

Alexipharmaca, carminativa & diuretica eſt, atque in hydrope, nec non doloribus poſt partum commendabilis.

Eſſentia Ligni Aloës.

vid. ſupra

Eſſentia Aloës Ligni.

Eſſentia Ligni Saſſafras Simplex.

Diſp. Wirt. & in reliquis.

℞. Corticum ligni Saſſafras, *unc. unam ſemis.*
Spiritus Vini rectificati, *uncias octo.*

Macerentur per triduum, poſtea filtrentur & ſerventur.

Anticatarrhalis eſt, & ad vitia lymphæ & ſanguinis commendatur.

Eſſentia Ligni Saſſafras Compoſita.

Diſp. Wirt. Pharm. Batean. p. 123.

℞. Corticum ligni Saſſafras, *unc. quat.*
Salviæ nobilis, *uncias duas.*
Nucis Moſchatæ, *unciam unam.*
Cinnamomi, *unciam ſemis.*
Aniſi ſtellati, *drachmas tres.*
Spiritus Vini rectificati, *libras duas.*

Digerantur per triduum, exprimantur; expreſſum filtretur & ſervetur.

Ad catarrhales affectus, Arthritidem, flatulentias & ſcabiem humidam laudari meretur. Conf. infra Tinctura Saſſafras.

Doſis guttæ quinquaginta, ad ſeptuaginta quinque.

Eſſentia

Eſſentia Lignorum.

Diſp. Wirt. Vienn. Brand. Prag. Arg. & rel.

℞. Ligni Saſſafras cum cortice, *uncias duas.*
Sancti, *uncias tres.*
Rhodii, *unciam ſemis.*
Sandali rubri,
citrini, *ana unciam unam.*
Inciſa, & in
Spiritus Vini, *libris duabus* infuſa, per octiduum digerantur, poſtea exprimantur & filtrentur.

Ad maſſam ſanguinis purificandam & lympham corrigendam, ad Gonorrhoeam etiam & luem veneream inſervit. Vid. Cartheuser. Pharmacol. *pag.* 346. & Schulz. Prælect. *pag.* 140.

Doſis drachma ſemis, ad integram, in idoneo vehiculo.

Eſſentia Lignorum Compoſita.

Diſpenſ. Hamburg.

℞. Radicum Saſſaparillæ,
Helenii,
Chinæ,
Ligni Saſſafras,
Sancti,
Summitatum Fumariæ, *ana unc. un.*
Santali rubri, *drachmas ſex.*
Rhabarbari, *unciam ſemis.*

Incidantur & contundantur groſſo modo; Extrahe cum Spiritu Fumariæ, vel Helenii, Tincturam, acuendo cum Spiritu Salis.

Egregiæ Compoſitionis, & eximii plane uſus, in Morbis præſertim ſordidis ac ſcorbuticis feliciter abigendis, hanc quidem eſſe Eſſentiam, nemo eſt, opinor, Medicorum, quin ſtatim ipſi liquido perſpiciat. Quare profecto non eſt, quod plura, præter rem, addam, in ejus meritam commendationem.

Eſſentia Lignorum, D. Schleet.

Diſpenſat. Hamb.

℞. Raſuræ Ligni Saſſafras, *unc. tres.*
Guajaci,
Radicum Chinæ opt. *ana unc. unam.*
Florum Hyperici,
Anthos, *ana pugillos ſex.*

Conciſa & optime contuſa, infundantur in ſufficienti quantitate Spiritus Vini rectificatiſſimi, in quo diſſolve:

Salis Volat. Cornu Cervi, *drachmam unam.*
Succini, *drachmam ſemis.*

Stent per aliquot dies, noctesque in loco calido: deinde exprimatur Tinctura, ſeu Eſſentia, & ſervetur ad uſum, qui ex præcedentibus jam notus eſt.

Eſſentia Lumbricorum Terreſtrium.

Diſp. Brand. Wirt. & al.

℞. Lumbricorum terreſtrium exſiccatorum, in pulverem tritorum, *uncias quatuor.*
affunde
Olei Tartari per deliquium, *unciam unam.*
Miſceantur, addatur
Spiritus Vini rectificati, *libra una.*
Digerantur & filtrentur.

Commendatur arthriticis, ſcorbuticis & ictericis, urinam & ſudorem ciet.

Doſis guttæ quinquaginta, ad ſexaginta.

Eſſentia Macis.

Diſp. Argent. Prag. Ratisbon.

℞. Macis, *uncias quatuor.*
Liquoris Nitri fixi, *uncias duas.*
Spiritus Vini rectificatiſſ. *libras duas.*

Digere per tempus, & Eſſentiam ſaturatam filtra.

Vires obtinet ſtomachicas, carminativas, & anticolicas: conducit in cruditatibus acidis & viſcidis: Anorexiæ & Dyſpepſiæ medetur. Datur ad guttas viginti, quadraginta, & ultra.

Eſſentia Mari Compoſita.

Wedel. Diſſ. de Maro, *pag.* 40. & *Diſpenſ. Ratisbon.*

℞. Mari Veri,
Xylaloës,
Cardamomi minoris,
Cinnamomi acuti, *ana unciam ſemis.*

Fiat Extractio, cum Spiritu Vini rectificato, addendo, pro re nata, *Eſſentiam Ambræ.*

Virtutes ſuaviſſimæ hujus Eſſentiæ ſunt Cephalicæ, nervinæ, cardiacæ, analepticæ, tonicæ & uterinæ, plures vero ipſi tribuit Wedelius *loco cit. Malim tamen in hac Compoſitione, Ambram demere, quam addere, ex rationibus, jam ſæpe indicatis.*

Eſſentia Martiata Aperitiva.

Diſp. Wirt. in reliquis non obſervatur.

℞. Radicum Galangæ,
Calami aromatici,
Zedoariæ,
Cinnamomi acuti, *ana drachm. duas.*
Flor. Hyperici,
Tanaceti, *ana drachmam unam.*
Limaturæ Martis, *unciam ſemis.*

Minutim inciſis ſuperaffundantur Spiritus Vini rectificati, *unciæ ſex.*
Vitrioli, *uncia ſemis.*

Digerantur leni calore, & poſt ſufficientem extractionem exprimatur & filtretur Eſſentia.

Eſt Tinctura Martis aromatiſata atque lienoſis & atonia viſcerum laborantibus commendari meretur, nec non inter anthelmintica locum invenit. Vid. infra varias Martis Tincturas.

Doſis guttæ triginta, ad quinquaginta.

Eſſentia Maſſæ Pilularum de Cynogloſſo Stahlii.

Diſp. Brand.

℞ Extract. e Specierum pro Maſſa pilular. de Cynogloſſo, *unciis duabus.*
cum
Spiritus Vini rectificatiſſimi, *unc. ſex.*

Vires Eſſentiæ anodynæ ex Laudano, *æmulatur; ſed aliquanto mitior eſt, inquit hic* Schulzius, *p.* 141. *Hinc in Tuſſi, præſertim ferina ac rebelli, aliiſque pertinacioribus & anxiferis Morbis, parce tamen, & debita cum Circumſpectione, cum ſperato ſucceſſu, exhiberi poteſt. Conf. infra,* Pilulæ de Cynogloſſo.

Eſſentia Maſtiches.

Diſp. Brand.

℞. Granorum Maſtich. elect. pulveriſat. *unciam unam.*
Spiritus Vini optimi & rectificatiſſimi, *uncias tres.*

Digerantur quatriduum; poſtea filtrentur.

Ventriculo & inteſtinis roborandis, alvique fluxibus cohibendis deſtinata eſt, inquit hic Cl. Schulzius, *in* Prælect. *pag.* 141. *poteſt addi aliis ſtomachicis, præſertim Aurantiorum & Citri Eſſentiis, ut & Carminativis.*

Dantur Guttæ triginta, ad Sexaginta, &c.

Eſſentia Melampodii.

Diſpenſ. Lond.

℞. Radicis Hellebori nigri, *unc. quatuor.*
Coccinellæ, *ſcrupulos duos.*
Spiritus Vinoſi tenuioris, *libr. duas.*
Digere, & cola per Chartam.

Melancholicis quidem hæc inprimis Eſſentia prodeſſe creditur. Sed quid de hujusmodi Eſſentiis, Tincturis, & Elixiriis Helleborinis ſit ſentiendum, qualeque pretium illis ſit ſtatuendam, jam ſupra, data occaſione, aliquoties candide monuimus. Nusquam hic tuta fides. Hellebori uſus, præſertim in largiore doſi, ſemper cordato Medico debet eſſe ſuſpectus. Ceterum de ipſo Melampodio, *nos olim plura diximus, in* Diſſertat. noſtra, *de* Moly Homerico detecto, *Lipſiæ,* 1716. *Aliam vero Eſſentiam, ſeu Tincturam Melampodii compoſitam, vid. in* Pharmac. Batean. *pag.* 121. *quæ certe melioris & mollioris compoſitionis, & tutioris uſus: Conf. ibidem, pag.* 49. Extractum Melampodii: *cujus Deſcriptionem infra, ſuo loco, dabimus.*

Eſſentia ad Melancholiam.

W. F. D.

Tabul. Smaragd.

℞. Extr. Martis ſimpl. *unc. unam ſemis.*
Rhabarbari,
Hellebori nigri,
Vitrioli Martis, *ana unciam ſemis.*
Arcan. Tartari liquid. *unc. un. ſemis.*
Spiritus Naſturtii aquat. *libram ſemis.*
Cochlear. opt. *uncias tres.*
Miſc. & extrahe lege Artis, Eſſentiam, & uſui ſerva.

Doſis eſt a guttis triginta, ad ſexaginta.

Nonnihil melior ac concinnior hæc eſt Compoſitio, præcedenti. Uſus idem eſt in iisdem Morbis melancholicis, & ab atrabile, ut vulgo dicitur, prognatis. Sed & in Affectibus, a lenta ac tenaci pituita obortis, item & Scorbuticis, ubi ipſa Maſſa ſanguinea ſero putrido & corrupto inquinata eſt, commode in uſum vocari poteſt. Conf. Wedelii Amoenit, Mat. Med. *Lib. I. Sect. III. Cap.* 8. *pag.* 178. *& ejusdem* Pharmac. acroamat. *Lib. II. Sect. V. Cap.* 5. *pag.* 512. *ubi ſimiles fere deſcribuntur Eſſentiæ, ut & apud* Williſium, Rolfincium, Michaëlem, Jüngken. *& alios plures. Multæ enim ejusmodi formulæ ubivis, in Diſpenſatoriis & Libris pharmaceuticis proſtant, ceu notum: unam ergo ſi noris, omnes fere noris.*

Eſſentia Millefolii.

Diſpenſat. Wirt. Argent. Brand.

℞. Millefolii, *uncias tres.*
Spiritus Vini rectificati, *unc. ſedec.*
Infundantur, & poſt digeſtionem per triduum, exprimantur; in expreſſo denuo
Millefolii, *unciæ duæ.*
macerentur, & poſt ſufficientem extractionem, expreſſa Eſſentia per chartam bibulam filtretur.

Commendatur præcipue a Stahlio, *et Stahlianis, vid.* Stahl. Mat. Med. *Part. II. pag.* 143. *ad motus hæmorrhoidales moderandos, ad nimium fluxum menſium, nephriticorum vomitum, et reliquos morbos viſcerum, cum vena portæ connexorum. In Dyſenteria vero illam quidquam prodeſſe, experientia edoctus, Cl.* Degnerus *negat. Tract. de* Dyſent. *Cum eſſentia Croci mixta, dolores et tormina, a quibus menſtruatæ ſæ-*

pius vexantur, mitigat. Vid. SCHULZII Prælect. *pag.* 141.

Doſis guttae quinquaginta, ad ſexaginta quinque.

Eſſentia Millepedum

Diſp. Wirt. in reliquis fruſtra quæritur.

℞. Millepedum in pulverem ſatis tenuem tritorum, *unc. tres.*

Irrorentur

Olei tartari per deliquium, *drachmis duodecim.*

poſtea ſtatim affundantur

Spiritus Vini rectificati, *unc decem.*

In vaſe bene obturato digerantur per triduum; Eſſentia filtrata ad uſum reponatur.

Vires eaſdem, quas Millepedes habent, poſſidet, potenter reſolvit, urinam pellit; hinc in Ictero, Aſthmate, & obſtructionibus viſcerum utiliter adhibetur. Conf. infra, Liquor Milleped. Willisii.

Doſis a ſcrupulo uno, ad ſcrupulum unum ſemis.

Eſſentia Mumiæ Purificans

CLAUDERI, Tract. *de* Balſamat. *cap.* 7. *p.* 195. *ſqq.*

Diſpenſ. Prag. Wirt. Ratisbon. Vienn.

℞. Mumiæ Aegyptiacæ, in pulverem tritæ,

Salis Tartari, *ana unc. unam.*

Aquæ Fumariæ, *libr. unam.*

Miſceantur & digerantur per triduum, poſtea filtrentur.

Ab auctore ad ſanguinem depurandum magnopere laudatur. Vid. ſuperius Part. I. dicta, ad ipſam Mumiam, & SCHULZ. *p.* 144.

Doſis drachma dimidia, ad ſcrupulos duos.

***

Eſſentia Myrrhæ.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Hamb. Prag. Arg. Pharm. reg. CHARAS, *T. II. p.* 555.

℞. Myrrhæ rubræ electæ, *unc. duas.*

tritæ affunde

Spiritus Vini rectificatiſſimi, *uncias decem.*

Digere, filtra & ſerva.

Alexipharmaca eſt, balſamica & anthelmintica, ſanguinem valde expandit, ejusque modum accelerat, datur igitur ad menſtrua pellenda præſertim vero in fluore albo, mira præſtare, a magno teſte traditur BOERHAAVIO, Element. Chem. *Tom. II. part. I proc.* 57. *p.* 201.

Doſis guttæ triginta, ad quinquaginta. *Externus uſus eſt vulnerarius, ad ulcera purganda & conſolidanda. Vid. plura apud* SCHULZ. prælect. *p.* 141. *ſqq.* & CARTHEUSER, Pharmacol. *p.* 348. *item* STAHL. Mat Med. *part II. p.* 120.

Eſſentia Myrrhæ Alcaliſata.

Diſpenſ. Wirt. Argent.

℞. Myrrhæ electæ, in pulverem tritæ, *libram dimidiam.*

Salis alcali, ſive Cinerum clavellatorum, *unc. octo.*

Aquæ fontanæ, *libr. unam ſemis.*

Digerantur per ſex vel octo dies, poſtea aqua ex cucurbita, lento igne, ad mellis conſiſtentiam abſtrahatur, reſiduo autem unciæ viginti Spiritus Vini rectificati affundantur, atque eſſentia per digeſtionem, extrahatur, quæ filtretur.

Magis recluditur Myrrha alcali, quod & Eſſentiam ſaturatiorem reddit. Cum præcedente ejusdem eſt virtutis, ad vulnera vero non facile adhiberi debet, propter alcali, quod dolores excitat.

Eſſentia Nephrocathartica, Roſin. Lentilii.

JUNCKEN. *Corp. Pharm. univ. p. 626.*

℞. Rob Alkekeng.
Cynosbati,
Juniperi, *ana unc. ſemis.*
Spiritus Baccar. Junip *unc. ſeptem.*
Fragorum, *uncias tres.*
Aquæ Cinnamomi, *unc. duas.*
Syrupi Granor. Chermes *dr. unam.*
Philon. Romani, *unc. ſemis.*
Miſc. ſtent in digeſtione, per viginti quatuor horas,
Eſſentiæ decantatæ adde:
Tincturæ Tartari, *unc unam.*
Miſc. Fiat lege Artis, Eſſentia.

Ipſum jam ſplendidum Nomen huic quidem Eſſentiæ a præſtantiſſimo Auctore & Inventore, impoſitum, ſatis indicat, quid de ejus Virtutibus ſperandum ſit in Renibus potiſſimum ab inutili ſarcina & vitioſa ſaburra expurgandis. Eſt enim egregium plane Remedium ſapore quoque atque odore, non ingratum, diureticum, hydragogum, &, ſi non lithonthrypticum, tamen lithagogum, ſimul quoque ſtomachicum. Interim, ut ingenue quidem fatear, omnes has virtutes, ipſi merito tributas tueri utique poſſet, etiamſi abeſſet, quod vehementer quidem velim, philonium *illud* Romanum, *cujus uſum haud adeo tutum eſſe, dudum cognitum eſt. Conf. ſi placet, ſupra jam monita, ad ipſum* Philonium Romanum, *ſub* Electuariis. *Ceterum vero vid. infra,* Nephrocatharticum Foreſti, *ſub Tit. Specierum Decocti Antinephritici: plures autem nephriticarum & lithonthrypticarum Eſſentiarum ſeu Tinctur. compoſitiones vid. in* Commerc. litt. Med. Norimb. *Ann.* 1735. *p.* 43. *ſqq.*

***

Eſſentia Oculorum Cancri.

Pharmac. Batean. p. 122.

℞. Oculor. Cancror. pulverat. *unc. quat.*
Aceti optimi, *unc. ſedecim.*
Extrahe Tincturam, & filtra.
Dentur Cochlear. 2. ter in die, ad ulcera varia ſordida &c. curanda.

Non diſplicet hæc Eſſentia, improprie ſic dicta, Cl. SCHULZIO, in Prælect. ad Diſpenſat. Brand. *p.* 143. *neque cuiquam, credo, doctiorum Medicorum diſplicebit, cui Aceti atque Oculorum Cancri eximiæ ſiccandi, refrigerandi, abſorbendi, temperandi atque denique roborandi & adſtringendi Vires notæ ſatis atque perſpectæ fuerint. Siquidem nec in febribus acutis putridisque, immo neque in ipſa dira peſtilentia, uſus hujus Eſſentiæ unquam noxius eſſe poterit, ut ex ipſa Compoſitione liquet.*

Nota alias eſt alia *Ocul. Cancri Eſſentia Mangati,* cum Ol. Tartari p. d. parata, deſcripta a JUNGKEN, p. 621. & aliis: quam autem merito inconcinnam vocat SCHULZIUS, loco citato.

Eſſentia Odontalgica, STAHLII.

Diſpenſat. Brand.

℞. Myrrhæ rubræ opt. *unc. unam.*
Spiritus Cochleariæ, *unc. ſex.*
Mixta digerantur, atque Eſſentiæ ultimo addantur:
Eſſentiae Succini, *unciæ duæ.*

Uſibus externis videtur deſtinata, inquit hic Cl. SCHULZ. *p.* 143. *ore detinenda, cavo denti inſtillanda: ut & addi poterit Linimentis, quibus gingivæ Scorbuticorum facile cruentandæ, defricantur. Conf. infra* Tinctura Odontalgica, *atque ibi notata.*

Eſſentia Pareiræ Bravæ.

Paratur ad normam Eſſentiae Angelicae. Vid. LOCHNERI *Schediaſma de Parreira Brava*, p. 61.

Vires ſunt diureticæ & anticatarrhales, nephriticæ, hydragogæ & lithonthrypticæ.

Doſis guttae quinquaginta, ad ſeptuaginta.

Eſſentia Pareiræ Bravæ Compoſita.

Auctore eodem LOCHNERO.
ibidem.

℞. Raſurae Rad. pareir. Brav. *unc. ſem.*
Ligni Guajaci, *drach. ſemis.*
Tincturae Tartari compoſit, *unc. quat.*
Fiat ſecundum Artem, digeſtio, & Filtr. deinde addantur:
Olei Ligni Saſſafras deſtillati, *guttæ octo.*
Miſc. & Eſſentia ſervetur uſui.

Eſſentia Pareiræ Bravæ Nitroſa.

Ejusdem.

℞. Raſur. Rad. Pareirae Brav. *unc. ſemis.*
Spiritus Nitri dulc. Caſtoriſ *unc. quat.*
Fiat lege Artis, digeſtio & Filtr.

Quoniam prior Eſſentia calidioris eſt indolis, quam ut omnibus ſubjectis, præſertim calidioribus, ſanguineis & bilioſis, convenire poſſit; ideo hanc nitroſam Eſſentiam illi merito præfert Cl. Auctor. An vero magnificum Medicaminis divini *Nomen, quod ipſi quidem impoſuit, jure mereatur, de eo vid. ſuperius dicta, Part. I. ad ipſam* Radicem Pareirae Bravae. *Conf.* Balſam. Pareir. Brav.

***

Eſſentia Pectoralis Saccharata.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Herbae Capillorum Veneris,
Rorellae,
Hederae Terreſt. *ana drach. duas.*
Radic. Enulae,
Ireos. Florentinae,
Glycyrrhizae, *ana unc. ſemis.*
Styracis in lachrymis,
Croci Auſtriaci, *ana drach. unam.*
Inciſa & Contuſa, infundantur in Spiritus Aniſi, *libra una.*
poſt aliquot dierum digeſtionem, Fiat fortis Expreſſio: dein adde:
Sacchari canti rubri ſubtiliſſime pulveriſati, *uncias tres.*
Quibus in patena ampla affundantur Praedicti Liquoris, *unciæ tres.*
Incendantur, & deflagrent, ſemper agitando, ad penitiſſimam Sacchari ſolutionem:
Miſceantur cum priori Reſiduo: Filtretur, & ſervetur uſui Eſſentia.

In pectoris affectibus, a cauſſa tenaci, viſcida & mucoſa ortis, Levamen non minimum affert.

Ceterum aliam *Eſſentiam pectoralem*, ſeu *Aſthmaticam Anglicam*, vid. ſupra, ſuo loco, ex Diſpenſ. Brand. Alias vero, eundem fere in modum, paratas, in JUNGKEN. *Corp. Pharmacevt. univerſ.* p. 626. ſq. Conf. & FULLER. *Pharmac. Extemp.* p. 363. item noviſſime Cl. *Heins*, in *Pharm. rat.* p. 163. item ſupra *Elixiria pectoralia*, & infra *Extractum pectorale*, & *Spiritus pectoralis.*

Eſſentia Pimpinellæ Albæ.

Spiritu Vini optime rectificato, Eſſentiae Angelicae inſtar, paratur. Diſp. Argent. Wirt. & rel.

Diaphoretica, alexipharmaca &

diuretica eſt, in torminoſis colicis affecti- bus, a cauſſa frigida pendentibus, & lymphæ vitiis corrigendis, convenit: item in faucium affectibus, aliisque morbis, ut obſervat SCHULZIUS, *laudator hujus Eſſentiæ polychreſtæ maximus, in* Prælect. *p.* 144.

Doſis a guttis quadraginta, ad ſeptuaginta.

Eſſentia Pini.

Diſpenſ. *Vienn. Wirt. Prag. Brand.*

℞. Extracti turionum Pini aqua fontana parati, *unc. tres.*
Spiritus Cochleariae, *libr. unam.*
Fiat digerendo eſſentia.

Scorbuticis convenit atque arthriticis commendatur. vid. RIEDLINI Lin. Med. *An.* 1697. *Menſ. Jun. Obſ.* 24. *p.* 408. *ſqq.* & AMMAN. Med. Crit. *Caſ. XC. p.* 458. *etiam in gingivis putridis ſanandis, & dentibus vacillantibus firmandis, Electuario immixta, egregie prodeſt. Conf. ſupra, ſuo loco,* Electuarium ad Gingivas, noſtrum. Doſis guttae ſexaginta, ad ſeptuaginta quinque. Conf. SCHULZ. *prælect.* p. 144.

Eſſentia Piperis Indici.

Diſpenſ. Brand.

℞. Piperis, una cum folliculis, mature ſiccati & in pulverem redacti, *unciam unam.*
Salis Tartari ſicciſſimi, *drach. unam.*
Mixtis & affuſis ſpiritus Vini Gall. rectificatiſſimi, *unc. ſex.*

Stent in Digeſtione moderati caloris, Vaſe optime clauſo, diem unum & alterum. Extractam ſic Eſſentiam filtratam, ſollicite ſerva.

Eſt revera bonum ſtomachicum, inquit hic. Cl. SCHULZ. *in* Prael. p. 144.

quod ſalinam potius, quam Oleoſam, ebullitionem ſanguinis inducere aptam, qualitatem poſſidet. Dari poſſunt Guttae Triginta.

Eſſentia Populi Vulneraria.

Diſpenſ. Wirt. in aliis deeſt.

℞. Oculorum Populi arboris, recentium *libram ſemis.*
Spiritus Vini rectificatiſſimi, *libram unam ſemis.*

Digerantur per aliquot dies, exprimantur, & filtretur Eſſentia, cui adde
Eſſentiae florum Hyperici, *libr. ſem.*

Atque poſt digeſtionem, ſpiritus dimidia pars abſtrahatur in Balneo, liquor reſiduus ſervetur.

Commendari meretur hæc Eſſentia, non ſolum ad externos uſus in vulneribus, ſed etiam interne in ulceribus pulmonum, renum & aliarum partium, alvi fluxione diuturna, gonorrhœa & fluore albo conducit.

Doſis guttæ triginta, ad quinquaginta & ultra.

Eſſentia Salutis.

Diſpenſ. Brand.

℞. Radic. Scorzoneræ Hiſpanicae,
Zedoariae,
Gentianae, *ana unc. unam.*
Enulae Camp. *unc. unam ſemis.*
Contrayervae,
Serpentariae Virginianae,
Imperatoriae,
Angelicae, *ana unc. ſemis.*
Herbar. Abſinthii,
Card. Ben. *ana manip. unam ſemis*
Centaur. minoris,
Rutae,
Scordii,

Veronicae,
Meliſſae,
Rorismarini, *ana manip. ſemis.*
Baccarum Juniperi, *unc. unam.*
Corticum exteriorum Citri,
Aurantiorum,
Myrrhae rubrae elect. *ana drach. duas.*

Craſſe conſciſſa & Contuſa Miſce, & affuſis Spiritus Vini Gallici optimi Menſuris ſex, ſtent loco tepido, Vaſe optime clauſo, per Menſem; Tunc per chartam bibulam filtra, ac ſolicite obturato Vaſe, ſerva.

Titulus eſt virium abundantiſſimus præco, inquit hic Cl. SCHULZ.*p.* 145. *Eſt Medicina ſtomachica, pectoralis, alexipharmaca, diuretica.* Dari poteſt ad Guttas Triginta, & ultra.

Aliud Elixir. Salutis, *ad alvum blande ſubducendam, vid. in* Pharmacop. Batean. *&* in Edinburg. Wirt. Vienn. Hamb. *& ſupra ſuo loco.*

Eſſentia Salutifera.

Diſpenſ. Edinb.

℞. Radicum Angelicae,
Calami aromatici,
Galangae,
Gentianae,
Zedoariae,
Baccarum Lauri,
Cardamomi minoris,
Cinnamomi acuti,
Piperis longi, *ana drach. unam.*
Inciſis & Contuſis affunde:
Spiritus Vini Gallic. *libr. duas.*

Macera per triduum, & tum cola, ut Fiat lege Artis, Eſſentia, ſeu Tinctura.

Idem egregiæ huic Compoſitioni ſplendidus eſt Titulus, eædemque pæne vires ac Virtutes, in Morbis præſertim ſtomachicis, a cauſſa frigida ac flatulenta, item a fibra laxa, ortis. Ideo par omnino erat, ut binas has Eſſentias ſic dictas Salutiferas hic opportune conjungeremus.

Eſſentia Scammonii,

Jo. BAPT. ZAPATA,

Mirabil. Med. Chirurg. pag. 173.

℞. Scammonii, *unc. unam.*
Cui affunde:
Spiritus Vini optime dephlegmat. *unc. octo.*

Digere, donec omnia ſolverit.
Tunc Cola, & ad uſum ſerva.
Seorſim vero ſolve:
Sacchari, *quantam libet portionem.*
quanta fieri poterit minima Aquae quantitate. Uſus tempore, Miſce
Eſſentiae illius, *drachmam unam.*
quae mediocris doſis eſt, cum
Soluti Sacchari, *uncia una.*
Conjungentur, absque eo, ut Eſſentia Scammonii turbetur, edetque haec Mixtura facilem & optatum effectum.

Laudandum in hac Eſſentia, judice Cl. SCHULZIO, *in prælect. p.* 146. *quod accurate ſcire licet, quantum Scammonii, in uncia, vel Drachma, contineatur, & quod, ob Sacchari adjectionem, jucunde bibitur, & absque metu, quod reſinoſum ejus, inter aſſumendum, faucibus & œſophago, cum graviſſima nauſea, facile adhæret, uti & in Eſſentia Jalappæ, & aliis ejusmodi Eſſentiis reſinoſis, fieri ſæpius conſuevit.*

Ceterum aliam ſimpliciorem *Scammonii Eſſentiam*, ſeu Tincturam, ſine ſaccharo, deſcribit, & quod mirum, Commendat BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. I. proc. 61. p. 205. Alias vero praeparationes, vid. apud SCHROEDER. *Pharmacop.* Lib. IV. p. 291.

pag. 291. ſqq. & in aliis Diſpenſatoriis, paſſim. Nobis vero, ut ingenue fateamur, omnia *Scammoneata* jure ſuſpecta & doloſa videntur, ut ſupra jam part. I. ad ipſum *Scammonium*, candide monuimus. Interim tamen fatendum eſt, hanc ipſam *Zapatæ* Eſſentiam omnium mitiſſimam, &, ſi non tutiſſimam, tamen minus noxiam ac periculoſam eſſe.

Eſſentia Scillæ.

Diſp. Wirt. in reliquis deficit.

℞. Salis tartari, *unc. ſemis.*
Aceti ſcillitici, per infuſionem aceto deſtillato parati, & probe ſaturati, *uncias duodecim.*

M. & evaporetur acetum leni igne ex vaſe figulino probe vitreato ad mellis ſpiſſitudinem. Maſſa ſalina reſidua, diſſolvatur in ſpiritus Vini rectificatiſſimi, *unciis ſex.*

Stent in digeſtione per aliquot dies, poſtea clarum a ſpiſſo, per inclinationem vaſis, ſeparetur & ſervetur.

Cenſetur antaſthmatica, reſolvens & diuretica, atque hydropicis commendari meretur. Conf. infra Syrupus de Scilla.

Doſis guttae quadraginta ad ſexaginta.

Eſſentia Scordii.

Ad modum eſſentiae Millefolii paratur. Vid. Diſp. Prag. Wirt. Arg. Vienn.

Egregium eſt alexipharmacum & diaphoreticum. Doſis guttæ ſexaginta. *vid.* SCHULZ. prælect. *p.* 146. & *præcipue* STAHL. Mat. Med. *part. II. pag.* 147.

***

Eſſentia de Scordio Compoſita, *ſive* Diaſcordium Liquidum.

Joh. Maur. HOFFMANNI. *in Laborat. Chym.*

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Radicum Angelicæ,
Vincetoxici,
Leviſtici,
Zedoariæ,
Contrayervæ,
Tormentillæ,
Valerianæ, *ana unc. ſemis.*
Gentianæ, *drach. ſex.*
Herbæ Scordii, *uncias duas.*
Florum Sambuci, *drach. duas.*
Myrrhæ electæ, *drach. ſex.*
Croci, *drach. duas ſemis.*
Corticum Citri, *unc. unam.*
Succini,
Ligni Aloes, *ana drach. tres.*
Opii, *drach. unam.*

Miſce, fiat omnium pulvis; ſuperaffundantur
Spiritus Vini a baccis Juniperi abſtracti, *libræ tres.*

Digerantur loco calido in vitro probe clauſo; poſt ſufficientem extractionem filtrentur, & ſerventur.

Virtutes ſunt alexipharmacæ, anodynæ, ſtomachicæ, feliciter in febribus epidemicis, dyſenteria, & ubi tinctura bezoardica locum habet, adhibetur.

Uncia una Eſſentiæ continet duo circiter grana Opii.

Eſſentia Seminis Santonici Compoſita.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Semin. Santonici, *unc. unam.*
Florum Tanaceti,

Hyperici,
Perſicorum,
Corallinæ,
Radic. Dictamni albi,
Zedoariæ, *ana drach. duas.*
Infundantur conciſa in
Spiritus Juniperi, *unciis octo.*
Vini generoſi, *unciis quatuor.*

Digerantur per octiduum, loco tepido, deinde extrahatur & filtretur Eſſentia.

In Lumbricis necandis, & e Corpore eliminandis, Virtutis eſt primariæ.

Ceterum eadem fere Eſſentia ſantonici, extat in Diſpenſat. Brand. hac ſaltim differentia intercedente, quod ibi adhuc adjiciantur Vitriolum Martis ad albedinem calcinatum, & Flores Vitrioli Veneris, ſecundum Methodum Zwelfferianam, *parati,* Mantiſſ. Spagyr. p. 344. *quæ tamen bina ingredientia metallica, ceu inutilia, in hoc paſſu, ac minus ſelecta, merito rejicienda cenſent Viri clariſſimi,* Schulz. *in* prælect. ad Diſpenſ. Brand. *p.* 146. & Cartheuserus, *in* pharmacologia, *p.* 351.

Eſſentia Seminis Santonici Compoſita.

Michaelis, *Med. Famil.* 43. *p.* 87.

℞. Florum perſicor. *manip. tres.*
Hyperic. *manip. duos.*
Tormentill. *manip. unum.*
Radicum Filicis, *unc. quatuor.*
Graminis, *uncias duas.*
Seminum portulacæ, *unc. ſemis.*
Hyperici, *drach. tres.*
Santonici, *drach. quinque.*
Naſturtii, *drach. tres.*

Fiant lege Artis, Species, quae extrahantur Spiritu Abſinthii, & Tanaceti, aut Graminis.

Eadem ſunt Virtutes anthelminticæ, ut ex ipſa quidem compoſitione facile patet.

Eſſentia Seminis Santonici Compoſita, Scharffii.

Jungken. *Corp. Pharm. univerſ. p.* 627.

℞. Semin. Santonici,
Coriandri, *ana drach. ſex.*
Corallin. *unc. unam ſemis.*
Baccarum Junip. *unc. duas.*
Herbarum Abrotani,
Scordii,
Tanacet. *ana manipul. unum.*
Radicum Filicis,
Zedoariæ,
Dictam. *ana unc. ſemis.*
Florum Centaur. minoris, *manip. un.*
Perſicor. *pugill. duos.*
Myrrhæ,
Theriacæ, *ana unc. ſemis.*

Conciſis affunde Spirit. Junip. rectif. quant. ſuff. & decant. repete conjunctis Liquoribus: addendo:
Spiritus Corn. Cerv. Sale ſuo acuat. *unc. duas.*

Miſc. Fiat lege Artis, Eſſentia.

Quæ Anthelmintica eſt, & hærentes in inteſtinis Lumbricos fœdos potenter ſedibus ſuis expellit.

Eſſentia Sennæ.

Diſpenſ. Lond.

℞. Uvarum paſſar. detractis interioribus granis, *unc. ſedecim.*
Foliorum Sennæ S. ſt. *libr. unam.*
Seminum Carvi, *ſeſcunciam.*
Cardamomi minor. decorticat. *unc. dimidiam.*
Spiritus Vinoſi tenuioris, *Congium unum.*

Digere, ſine Calore, & Cola, ut fiaEſſentia.

Mite & blandum eſt Remedium Catharticum, inprimis pro mollioris Naturæ ſubjectis; præſertim, quum adjecta ſint ſemina Carvi ac Cardamomi, ut nempe cohibeantur tormina, quæ alias plerumque concitare ſolent Sennæ Folia, ut ſupra jam monuimus Part. I. ad ipſa Folia Sennæ *Conf. huc inprimis* Angel. SALAE *Eſſent. Vegetab. Anat. Sect. IV. cap.* 3. *pag.* 25. & *infra* Extractum Foliorum Sennæ.

Eſſentia Serpentariæ Compoſita.

Diſpenſ. Edinburg.

℞. Rad. Serpentar. Virgin. *unc. duas.*
Theriacæ, *unc. unam.*
Cochinillæ, *drach. unam.*
Vini albi Hiſpanici, *libras duas.*

Digere leni Calore, quatriduum, & Cola, ut Fiat lege Artis, Eſſentia.

Iisdem pollet Virtutibus alexipharmacis, ſtomachicis & diureticis &c. ac ſequens Eſſentia ſimplex, immo adhuc majoribus propter adjectam Theriacam, & ex parte quoque, Cochinillam. Parciore ergo doſi, hæc Eſſentia compoſita offerenda erit, quam quidem ſimplex.

Eſſentia Serpentariæ Virginianæ.

Diſpenſ. Lond. Wirt. Batean.

℞. Radicum Serpentariæ Virginianae, minutim inciſarum, *unc. duas ſemis.*
affunde
Spiritus Vini rectificati, *libr. unam.*

Poſt digeſtionem & ſufficientem extractionem exprime, & eſſentiam, per chartam filtratam, ſerva.

Alexipharmaca, ſtomachica, ſudorifera & diuretica eſt; in febribus tam malignis, quam intermittentibus atque catarrhalibus feliciter adhibetur.

Doſis guttæ triginta, ad quinquaginta.

Eſſentia Spicæ Indicæ.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Spicæ Indicæ, *unc. unam ſemis.*
Spiritus Vini rectificati, *uncias ſex, vel ſeptem.*

Stent in digeſtione ad ſufficientem extractionem, exprimatur & filtretur Eſſentia.

Alexeterica, carminativa, diuretica & uterina eſt.

Doſis guttæ quadraginta ad ſexaginta.

Eſſentia Splenetica Stahlii.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Herbarum Verbenæ,
Rutæ hortenſis,
Murariæ,
Salviæ,
Plantaginis acutæ, *ana unc. ſemis.*
Florum Hyperici, *unc. unam.*
Inciſa infundantur in
Spiritus Vini, *libra una.*

Poſt ſufficientem extractionem exprimantur & filtrentur.

Vires ex nomine cognoſcuntur; prodeſt hypochondriacis, reſolvit, urinam movet. vid. SCHULZ. prælect. *p.* 147.

Doſis guttæ ſexaginta ad octoginta.

Eſſentia Stomachica,

Diſpenſ. Brand.

℞. Radicum Calami aromatici,
Galangæ minoris,
Jreos Florentinæ,
Zedoariæ,

Zinziberis albi,
Cardamomi minoris,
Cubebarum,
Ligni Aloës opt. *ana drachm. unam.*
Cinnamomi, *drachmas duas.*
Flavedinis Cortic. Citri, *drachm. tres.*

Inciſa & craſſe contuſa, infunde in Spiritus Vini rectificati optimi quantitate convenienti; Stent in digeſtione, vaſe optime obturato, triduum: Tum per bibulam transcoletur.

Eſt ſat laudabilis Compoſitio, inquit SCHULZ. *pag.* 147. *&* *Titulo ſuo congrua. Sumi poſſunt* guttæ triginta, ad ſexaginta. *Conf.* CARTHEUSERI Pharmacolog. *pag.* 352.

Eſſentia Stomachica Amara. D. Biſteri.

Diſpenſat. Hamb.

℞. Herbar. Abſinthii, *uncias duas.*
Cardui Benedicti,
Centaur. minor. *ana unc. unam.*
Corticum Aurantiorum,
Ligni Colubrini, *ana uncias duas.*
Saſſafras,
Guajaci, *ana unciam ſemis.*
Corticum Tamariſci, *drach. quinque.*
Chinæ Chinæ, *unc. ſemis.*
Radicum Gentianæ,
Angelicæ,
Valerianæ, *ana drachm. duas.*

Conciſis & Contuſis ſuperaffunde:
Spiritus Vini rectificatiſſ. *unc. ſedecim.*
poſtea adde:
Salis Abſinthii,
Scordii,
Cardui Bened. *ana unc. ſemis.*
Tartari, *unciam unam.*

Salia prius diſſolvantur in ſufficienti quantitate Aquæ Cardui Benedicti: Digerantur per octiduum, exprimantur & colentur.

Eſſentia hæc, licet haud gratiſſimi ſaporis, tamen præſtantiſſimæ eſt Virtutis, non ſolum in vitiis ventriculi, corrigendis; ſed et in febribus intermittentibus curandis, præſertim, propter adjectum Corticem Chinæ Chinæ, quem tamen majore quantitate additum vellem, item propter Sales illos antifebriles eximios, ne quid jam de ipſis herbis et Radicibus amaris dicam: quæ omnia conjunctim ſumta, febri oppoſita ſunt.

Ceterum longe plures ejusmodi Eſſentiæ ſtomachicæ, quibus omnia fere Diſpenſatoria abundant, uti notum, adferri huc poſſent, ſed profecto majore opera, quam uſu; præſertim quum multæ jam infra legantur ſub Tincturis Stomachicis, *&* *ſupra, ſub* Elixiriis Stomachalibus. *Quare hæ quidem jam ſufficiant. Infra tamen ſuo loco iterum occurret* Tinctura Stomachica, *ejusdem Biſteri.*

Eſſentia Stomachica Ambrata.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Spiritus Vini Tartariſat. *unc. duas.*
Confect. Alkerm. Complet. *dr. duas.*
Olei de Cedro, *ſcrupulos duos.*
Cinnamomi cum Sacch. trit. *gutt. quinque.*

Stent per quatuor horas, leni calore infuſa; dein add.
Spiritus Corn. Cerv. ad albed. rectif. *unc. ſemis.*
Ambræ gryſ. Spiritu Roſ. ſolut. *ſcrup. ſemis.*

Stent adhuc per horam, frigide: dein colentur, & filtrata ſervetur uſui Eſſentia.

Ad ſtomachi vitia, inappetentiam, debilitatemque corrigendam, Virtute inſigni pollet.

Polleret ſane iſta inſigni virtute, etiam tum, quum abeſſet Spiritus Cornu Cervi, *&* Ambra; *quæ quid huc potiſſimum faciant, equidem haud ſatis intelligo, præſertim, quum Ambra in ipſa Confectione Alkermes compl. jam ex parte, contineatur, uti notum. Gratioris ergo eſſet Saporis hæc quidem Eſſentia, ſi deficeret Spiritus Cornu Cervi, & tutioris uſus, inprimis pro fœminis, ſi Ambra deſideraretur, licet tum ſplendidus* Eſſentiæ Ambratæ *Titulus, levi facilique jactura, periret.*

Eſſentia Stomachica Polychreſta Gundelsheimeri.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Piperis longi,
nigri,
albi, *ana drachmas duas.*
hiſpanici, ſive Capſici, *unc. unam.*
Cardamomi, minoris, *drachm. decem.*
Tritis affundantur
Liquoris terræ foliatæ Tartari,
Spiritus Salis Armoniaci vinoſi, *ana libra ſemis.*

Digerantur, exprimantur & filtrentur.

Potenter reſolvit atque cachecticis, hydropicis & phlegmaticis convenit; cholerici & ſanguinei vero ab ejus uſu caveant.

Doſis guttæ triginta, ad quadraginta.

Eſſentia Succini.

Diſp. Edinb.

℞. Succini Citrini triti, *uncias duas.*
Olei Tartari, per deliq. *quant. ſatis.*
Ut fiat paſta: Cui leniter exſiccatæ affundantur
Spiritus Vini rectif. *unciæ viginti.*

Dig. in Baln. Aren. per octiduum; dein filtra Eſſentiam. Vulgaris hæc Methodus eſt, uti notum.

Ceterum uſus hujus Eſſentiæ, idem eſt, ac reliquarum, quæ e Succino puro parantur, de quibus hactenus actum. Vid. & Diſp Argent. & Leod.

Eſſentia Succini Alcaliſata.

Diſp. Wirt. Leod.

℞. Succini flavi, probe triti, *uncias quatuor.*
Salis, ex duplo Nitri & una parte Tartari crudi per detonationem parati, *uncias ſex.*
Tere invicem, affunde
Spiritus Vini non rectificati, *uncias ſedecim.*

Stent in digeſtione per aliquot dies, poſtea e cucurbita vitrea deſtilla, & ſpiritus circiter uncias octo prolice; reſiduum lento igne ad ſiccitatem evapora, & ſpiritum per deſtillationem prolectum denuo affunde, poſt digeſtionem, clarum a ſpiſſo ſeparatum filtra & ſerva.

Saturatior eſt ſuccedenti, ſed, propter ſal alcali, in vulneribus minus convenit. Vid. Diſp. Brand. *pag.* 85. SCHULZ. Præl. *pag.* 148.

Doſis guttæ triginta, ad quinquaginta.

Eſſentia Succini. G.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Succini citrini optime triti, *unc. duas.*
Spiritus vitrioli dulcis ſive Liquoris anodyni, *uncias ſeptem.*

Digerantur in vaſe optime clauſo leniſſimo calore, atque poſt ſufficientem extractionem, clarum a ſpiſſo, per inclinationem vaſis, ſeparetur, & in vitro epiſtomio clauſo, ſervetur.

Optimam ac balſamicam partem ſuccini, hæc Eſſentia continet, ſaporis eſt amaricantis, odoris grati, & paucæ guttæ, aliquot nncias aquæ, ſapore & odore inficiunt.

Vires ſunt nervinæ, anticatarrhales, uterinæ &c.

Doſis guttæ quindecim ad viginti, *vel ſacchari fruſtulo exceptæ, vel vehiculo aquoſo.*

Eſſentia Succini Juniperina.

Diſpenſat. Brand.

℞. Nitri depurati & Cryſtall. *unc. ſemis.*
Succini albiſſ. præp. *unc. unam.*

Mixta, in pollinem ſubtiliſſimum tere, & Aquæ pluvialis *uncias tres* affunde: digere loco calido, bene tecta, octiduum: Tunc adde Spiritum Juniperi e Baccis, per fermentationem, deſtillatum, & optime rectificatum: Stent una dies octo, vel decem, in Arena calida, ad extrahendam Eſſentiam, quam filtra & ſerva.

Nota: Quid Aquæ pluvialis trium unciarum Additamentum Eſſentiæ huic extrahendæ conferre queat, non ſatis liquet.

Interim tamen hæc ipſa Eſſentia Remedium haud ineptum præbere poteſt antiſcorbuticum, nephriticum, diureticum & lithagogum. Conf. ſuperius, Eſſentia Juniperi.

Eſſentia Succini Ordinaria.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Ratisbon. Prag. & rel.

℞. Succini flavi ſubtiliſſime triti, *unc. unam & ſemis.*
Spiritus Vini rectificatiſſimi, *unc. ſex.*

Leni calore in phiala optime clauſa per aliquot dies digerantur, & aliquoties moveantur, tandem liquor tinctus filtretur.

Anticatarrhalem, balſamicum & nervinum edit effectum; ac in vulneribus etiam locum habet. Vid. Schulz *p.* 147 & Cartheuser. Pharmac. *p.* 329.

Doſis guttæ quadraginta, ad ſexaginta.

Eſſentia Terræ Catechu.

Diſp. Wirt. Vienn. Prag.

℞. Terræ Catechu ſive Japonicæ, *unciam unam.*
Spiritus Cydoniorum, *unc. quatuor.*

Solutione per digeſtionem peracta filtretur. *Vid.* Hagendornii *Tractat. de Terra Catechu*, Sect. III. Cap. 3. p 42. ſqq. ubi plures hujus Eſſentiae compoſitiones proponit.

In Hæmoptyſi atque nimiis Hæmorrhagiis, Diarrhœa, vel ubi adſtrictione opus eſt, utiliter adhibetur. Vid. Hagendorn. Lib. Cit. Sect. *IV. Art. 2. pag. 56. ſqq. conf. infra* Trochiſci de Terra Catechu.

Doſis a guttis triginta, ad quinquaginta.

Eſſentia Theriacalis.

Diſp. Wirt. in reliquis hac deſideretur.

℞. Radicum Angelicæ,
Calami,
Serpentariæ Virg.
Spicæ Indicæ,
Herbarum Scordii,
Dictamni Cretici, *ana drach. tres.*
Cinnamomi acuti,
Cardamomi minoris,
Cubebarum,
Caryophyllorum, *ana drachmam unam ſemis.*
Opii Thebaici,

Croci Orientalis, *ana drachm. unam.*
Spiritus Vini rectificati, *libr. unam.*
Digerantur ad ſufficientem extractionem, exprimantur, & Eſſentia per chartam bibulam filtrata, ſervetur.

Vires ex titulo patent, ſcil. theriacales, i. e. bezoardicæ, ſtomachales. Uncia una hujus Eſſentiæ, grana quinque opii habet fere.

Doſis guttæ quadraginta ad ſexaginta uſque.

Eſſentia Theriacalis.

Diſp. Brand. Hamb.

℞. Theriacæ Andromachi, med. ætat. *unciam unam.*
Spiritus Vini rectificati, *libr. ſemis.*
Stent in digeſtione, viola arcte clauſa, per quatriduum: Tandem Eſſentia extracta per Emporeticam deſtilletur.

Compoſitio eſt ſimpliciſſima, & facile parabilis: Uſus eſt alexipharmacus, uti notum, præſertim vero conducit in affectibus catarrhalibus & rhevmaticis. Vid. SCHULZ. *in* Prælect. *p.* 148. & CARTHEUSER Pharmacol. *pag.* 357. *Conf. infra* Extractum Theriacale.

Eſſentia Theriacalis Camphorata.

ZWELFER. *Animad. in Pharm. Aug.* p. 430.

℞. Myrrhæ opt. *uncias duas ſemis.*
Croci Auſtriaci, *unciam ſemis.*
Quibus inciſis & contuſis affunde:
Spiritus Vini rectificati, *uncias ſex.*
Digerantur aliquandiu: Tinctura decantata filtretur: poſtea ex reſiduo, (Myrrha ſcill. & Croco jam ſemel extractis) affuſo recenti Spiritu Vini rectificati, paretur *Extractum*, quod ad juſtam conſiſtentiam abſtractum, ſuperiori Eſſentiæ addatur. Tandem etiam adjiciantur:
Theriacæ Andromachi, *unc. quinque.*
Cui poſtea ſuperinfundantur
Spiritus Vini, vel Spiritus Junip. *uncias quinque.*
Factaque digeſtione, ſeparetur Liquor, qui, ſi poſſibile eſt, filtretur, & ſuperiori Eſſentiæ, ex Myrrha & Croco paratæ, jungatur. Poſtea ſolvantur in
Spiritus Vini rectificati, *uncia una.*
Camphoræ, *drachmæ duæ.*
Quæ ſimiliter cum prioribus mixtis Eſſentiis uniantur. Unitæ hæ Eſſentiæ omnes leniſſimo ſaltim calore, vel tepore, in vaſe optime clauſo & alto, ſeptimana una, vel altera, digerantur, factaque colatura, & iterata filtratione, Eſſentia denique uſui ſervetur.

Operoſa quidem hæc eſt compoſitio; interim tamen concinna & uſu eximio alexipharmaco haud deſtituta, præſertim propter adjectam Camphoram. Vid. HOFFMANN. & TRALLES.

Eſſentia Travmatica.

Diſpenſat. Brand. Wirt. Ratisbon.

℞. Radicum Tormentillæ,
Herbæ Saniculæ, *ana unciam ſemis.*
Rorellæ,
Florum Hyperici,
Roſarum rubrarum, *ana drachmas duas.*
Sanguinis Draconis puriſſimi,
Mumiæ,
Terræ Catechu,
Myrrhæ electæ, *ana drachmas tres.*
Sandali rubri, *drachmas duas.*
Nucis Moſchatæ, *drachmam unam.*
In pulverem redacta miſce, & affuſis

Spiritus Vini, *unciis ſedecim.*

Triduana leni digeſtione, vaſe optime clauſo, elice eſſentiam, quam, poſt modicam expreſſionem, per chartam emporeticam filtra ac ſerva.

Similem fere, etſi breviorem, Eſſentiæ Travmaticæ deſcriptionem, cui plurimum virtutis in curandis vulneribus & ulceribus, tribuit, exhibet Vit. RIEDLINUS, *Lin. Med.* A. 1695. Menſ. Sept. Obſ. 12. pag. 755.

Vulneraria eſt, in Hæmoptyſi, Hæmorrhagia, uteri profluviis & Diarrhoea adhibetur.

Doſis guttæ quinquaginta vel ſexaginta.

Eſſentia Travmatica, *ſeu* Vulneraria.

Diſpenſ. Brand.

℞. Radicum Alkannæ, *drachmas duas.*
Rubiæ Tinctorum,
Symphyti majoris,
Tormentillæ, *ana unc. ſemis.*
Herbarum Alchimillæ,
Hederæ terreſtris,
Perfoliatæ,
Plantag. *ana manipul. ſemis.*
Pyrolæ,
Saniculæ, *ana manip. unum.*
Florum Hyperici,
Conſolidæ majoris,
Saracenicæ,
Bellidis min. *ana manip. ſemis.*
Mumiæ Aegyptiac. *unciam un. ſemis.*
Spiritus Lumbricorum terreſt. volat. *unc. ſex.*
Vini Malvat. aut Canar. *unc. octo,* aut *quant. ſufficit.*

Conciſa & Contuſa, digerantur, vaſe bene clauſo, loco tepido, octiduum: Poſtea exprimantur & filtrentur per chartam bibulam.

Ceu mitiorem, minus calidam, atque hinc tutiorem, hanc quidem Eſſentiam Vulnerariam, ſuperioribus travmaticis, haud præter rationem, præfert. Cl. SCHULZIUS, *pag.* 149. *ubi plura in laudes ipſius legenda.*

Eſſentia Vulneraria. Roſin. Lentilii.

JUNGKEN. *Corp Pharm. univ.* p. 628.

℞. Foliorum Nicotianæ,
Pyrolæ,
Saniculæ,
Perſicar.
Millefol.
Florum Hyperici,
Summitatum Virgæ aur. *ana manip. ſemis.*
Radicum Symphyti, *unciam unam.*
Biſtortæ,
Sigilli Salom. *ana unc. ſemis.*
Nitri fixi, *unciam unam.*
Contuſ. ſuperfund. in Cucurbita,
Vini rubri, *menſur. unam.*
Aquæ plantag. *libram unam ſemis.*

Stent in digeſtione, per octo dies & noctes, Col. & exprimatur Menſtruum.

Et hic effectus ſuo Titulo eximie reſpondet, eſt enim elegans & concinna compoſitio, multum haud dubie, in vulneribus ſanandis, profutura. Sed hæc hactenus de Eſſentiis travmaticis, *ſeu* vulnerariis. *Quæ quidem in omnibus fere diſpenſatoriis, longo intervallo, a ſe invicem disjunguntur, quaſi vero diverſæ eſſent Eſſentiæ* travmaticæ, *atque* vulnerariæ: *quum tamen & ratione nominis ipſius inter ſe conveniant, licet unum græcum, alterum latinum ſit, ceu omnibus notum: ipſa quoque compoſitione, & ingredientium indole ac natura, parum inter*

ter ſe differant; & ſcopum denique finemque unum eundemque ſibi præfixum habeant, vulnerum ſcilicet ſanandorum ac conſolidandorum. His ergo rationibus haud contemnendis, opinor, inducti, Eſſentias travmaticas & vulnerarias *hic denuo ſub unam eandemque claſſem merito revocavimus, ne ſcilicet ordo præter rationem, turbaretur, & diverſis locis, male quærendum eſſet, quod ad unum locum bene pertineret.*

Eſſentia Vulneraria Rolfincii.

℞. Florum Hyperici,
Chamomill. Roman.
Conſolid. reg.
Vincæ pervinc. *ana manip. unum.*
Balauſtiorum, *manip. ſemis.*
Herbarum Saniculæ,
Pyrolæ,
Alchimill.
Scabioſæ,
Lapathi ſang. *ana manip. unum.*
Radicum Tormentillæ,
Symphyti maj.
Betæ rub. *ana unc. tres.*
Ligni Fraxini, *uncias duas.*
Contuſ. irrig Spiritu Vin. *quant. ſufficit.*

Digerantur per ſex dies, & Fiat lege Artis, Eſſentia.

Uſus idem eſt, quem ipſum nomen indicat. Ceterum aliam huic non abſimilem Eſſentiam travmaticam ſeu vulnerariam, a ſe compoſitam, deſcribit MICHAELIS, *in* Medicament. Famil. 42. *pag.* 87.

Eſſentia Travmatica.
ſeu Vulneraria.
item Balſamus Vulnerarius Stahlii.

Diſpenſat. Brand.

℞. Eſſentia Succini, ſine Sale, *uncias duas.*
Myrrhæ, *unciam unam.*
Spiritus Terebinth. opt. *unciam ſemis.*

Miſce, digere loco calido, & fiat leg. Art. Eſſentia.

Multum fructum in Chirurgia, præbet hic Balſamus, inquit hic Cl. SCHULZIUS, *pag.* 150. *præcipue in ſinubus abſceſſuum repurgandis & conſolidationi aptandis. Uſus eſt externus, ut immediate inſtilletur, vel ſiphone injiciatur. Plura in meritas ipſius laudes, vid. in ipſo* Diſpenſat. Brand. *loco citato. Conf. ſupra,* Balſama Vulneraria, & *infra* Liquor vulnerarius, *ſeu* Balſamum Vulnerarium Dippelii.

Eſſentia Travmatica Wedelii.

Diſpenſ. Vienn. Argent. Hamb.

℞. Mumiæ,
Sanguinis Draconis, *ana unc. unam.*
Terræ Japonicæ,
Myrrhæ rubræ,
Radicis Tormentillæ, *ana unc. ſemis.*
Florum Roſarum rubrarum,
Hyperici, *ana drachmas duas.*
Santali rubri, *drachmas tres.*
Nuciſtæ, *drachmam unam.*

Inciſa & Contuſa, extrahantur Spiritu Vini Tartariſato, ad Tincturæ extractionem, leni calore: Tum decantetur Eſſentia.

Vires ſunt celebratæ a Wedelio, *in hæmoptyſi, vomitu ſanguinis, dyſenteria, & immodico Menſium fluxu.* Vid. CARTHEUSERI Pharmacol. *pag.* 359, & SCHULZII Prælect. *pag.* 148. *qui tamen ſimul prudenter monet, parce & caute utendum eſſe hac ipſa Eſſentia, in ſiſtendis, aut ſupprimendis ſubito hæmorrhagiis, exemplo funeſto ſimul opportune*

adducto, e SCHMIDLI *Diſſ. de* Apoplexia, ex Hæmorrhoidibus inconſulte ſuppreſſis, *Altdorff.* 1723. *cui alia facile poſſent adjungi ejusmodi exempla calamitoſa, paſſim obvia, ſi hic quidem locus & inſtitutum noſtrum id pateretur.*

Eſſentia Trifolii Fibrini.

Ad normam Eſſentiæ Abſinthii, ſpiritu proprio abſtractitio paratur. Vid. *Diſp. Prag. Argent. Brand. Hamb.*

Antiſcorbutica, ſtomachica & antifebrilis eſt. Vid. SCHULZ. *pag.* 149.

Doſis guttæ quinquaginta, ad ſexaginta.

Eſſentia Valerianæ Compoſita.

Diſp. Wirt. ex HERMANNO.

℞. Rad. Valerianæ,
Serpentariæ Virginianæ, *ana unciam unam.*
Camphoræ, *drachmam unam.*

Infundantur in Spiritus Vini rectificati, *unciis octo.*

Poſt ſufficientem extractionem exprimatur & filtratur Eſſentia.

Vires ſunt alexetericæ, uterinæ &c. commendatur etiam ab HERMANNO *epilepticis, in* Cynoſur. Mat. Med. *Part. I. Cap.* 1. *pag.* 34.

Doſis guttæ quadraginta ad ſexaginta.

Eſſentia Valerianæ Volatilis.

Diſpenſ. Lond.

℞. Radicis Valerianæ ſilveſtr. *unc. quat.*
Spiritus Volatilis aromat. *libras duas.*

Digere ſine calore, in vaſe bene clauſo, & cola, ut Fiat lege Artis, Eſſentia.

Vires ſunt antepilepticæ, nervinæ, cephalicæ, analepticæ & uterinæ, fere, ut in ſequenti Eſſentia Valerianæ compoſita, *Vid. ſuperius, Part. I. dicta ad ipſam* Rad. Valerianæ.

Eſſentia Vincetoxici.

Paratur ut Eſſentia Angelicæ, & aliæ ſimiles.

Viribus cum Eſſentia Pimpinellæ convenit, & in eadem doſi exhibetur.

Eſſentia Viperarum.

Diſpenſ. Vienn. Prag.

℞. Jecinorum & Cordium Viperar. No. quinquaginta, recenter exſiccat. & contuſ. cum
Spiritu Vini rectificati, *libra una.*

Infundantur octo diebus, ad perfectam Extractionem: deinde addatur:
Spiritus Viperarum volatilis, *libra ſemis.*
Salis volatilis viperarum, *unc. ſemis.*

Miſceantur, digerantur, & filtretur, ad uſum, Eſſentia.

In Melancholia, Podagra, Calculo, obſtructionibus viſcerum, & viribus ex Morbo deperditis, præſentem affert Medelam: ſi non ſemper; tamen ſæpe; quod in his ſatis, immo plusquam ſatis.

Ceterum aliam *Viperarum Eſſentiam*, viribus valentiorem, ſed & ipſa compoſitione pretioſiorem, a Grimmio concinnatam, vid. infra, ſuo loco, ſub *Tinctura Bezoardica Ceylonica:* Conf. ſupra, ejusdem *Theriaca Ceylonica,* ſub *Electuariis*: & BIERLINGII *Append. Medicament.* pag. 69. ubi alia extat Eſſentia Viperarum, concinnæ pariter compoſitionis.

* * *

Eſſentia Vitrioli Martialis Antiſcorbutica.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Vitrioli Martis,
Florum Salis Armon. Mart. *ana unciam ſemis.*
Spiritus Cochleariæ, *uncias octo.*

Miſceantur, & extrahatur Eſſentia.

In obſtructionibus viſcerum, Cachexia, hypochondriaco & ſcorbutico affectu, ſummopere commendatur.

Conf. ſupra *Electuaria Croci Martis,* ſub *Croco Martis* & infra, *Tincturas Martis varias,* item *Eſſentias antiſcorbut.* Ceterum aliam *Eſſentiam Vitrioli Nitratam,* operoſioris compoſitionis, & minoris forſan effectus, vid. ſi lubet, in eodem Diſpenſat. Vienn.

Eſſentia Vivifica.

Diſpenſ. Prag.

℞. Spermatis Ceti, *libram ſemis.*
Raſuræ Cornu Cervi,
Ciner. clavellator. *ana unciam unam ſemis.*
Spiritus ſanguinis humani, *libr. duas.*

Miſce, fiat deſtillatio per Retortam: poſtea adde Cor, pulmones, & Hepar Cervi, cum cruore.

Infunde cum Spiritu priore deſtillato, per aliquot dies, dein repetatur deſtillatio: qua peracta, calcina caput mortuum, & ex relictis cineribus, extracto ſali ſuperaffunde ultimum deſtillatum ſpiritum: Stent in digeſtione, per octo dies: Tandem filtrata Eſſentia ſervetur uſui.

Qui inſignis plane eſſe creditur in affectibus apoplecticis, epilepticis, hyſtericis & comatoſis. Sed ohe! jam ſatis, immo plus ſatis eſt. Unde autem quæſo, tanta virtus, ut hæc quidem Eſſentia eminentiſſimum illum & præſtantiſſimum Titulum vivificæ, *mereretur? Num forte a fatua illa Spermatis Ceti copioſi deſtillatione? an ab exigua Raſuræ Cornu Cervi, doſi? an ab immundo Sanguinis humani ſpiritu? an denique a cruentis illis dapibus cervinis, Corde nempe, pulmonibus, atque hepate? quod quidem recens cruentumque evulſum, arteque Apiciana ſcite coctum & nitide præparatum, delicatiſſimi ſaporis ferculum ingenioſæ gulæ præbere, urbanioris notæ hominibus ſatis notum eſt; quod hinc equidem ſolum mallem, quam totam illam compoſitionem ſimul. Quæ ſane præter ſplendidum Titulum, nihil prorſus habet, quo ſeſe commendat. Jactata enim nimis ſanguinis humani virtus hodie a multis magni nominis Medicis merito in dubium vocatur: Conf.* BOERHAAVE, Elem. Chem. *T. II. Part. II. Proc.* 120. *pag.* 315. & STAHL. Mat. Med. *Part. I. pag.* 300. *ne plura jam de reliquis dicam. Igitur hæc Eſſentia nec* vivifica *eſt, nec* mortifica: *hoc eſt, neminem in vitam revocabit, & neminem in mortem præcipitabit.*

Euphorbii Correctio.

Diſp. Lond. Wirt.

℞. Euphorbii triti, *uncias quatuor.*
affunde
Succi Citri depurati, *libram.*

Digere, ut Euphorbium ſolvatur, cola per linteum, & ad extracti conſiſtentiam evapora.

Acrimonia cauſtica eſt in Euphorbio, quam per acidum Citri infringere voluerunt auctores; haud potuerunt; nec per opium quod placuit GESNERO, Epiſt. ult. Libri I. *violenter purgat alvum, & non niſi hydropicis præſcribi debet. Veteres etiam philoniis ad corre-*

ctionem Opii addebant. Vid. plura ſupra, Part. I. ad ipſum Euphorbium, *& infrà ad* Philonium Perſicum.

Doſis grana octo, ad quindecim.

Extractum Abſinthii.

Pharm. Bat. Wirt. Brand.

℞. Summitatum Abſinthii, in umbra ſiccatorum, *libram unam.*

Conciſæ macerentur in

Aquæ fontanæ, *libris ſex.*

Per quatriduum, in loco calido, poſtea leniter ebulliant, exprimantur, liquor inde expreſſus & colatus coquatur igne lento ad juſtam extracti conſiſtentiam.

Vires habet Abſinthii ſtomachicas, tonicas, anthelminticas.

Pilulis hoc & alia extracta ſunt deſtinata, quibus pro neceſſitate pulveres adduntur.

Doſis a ſcrupulo dimidio, ad unum.

Eadem methodo parari debent:

Extractum Artemiſiæ,
Borraginis,
Bugloſſi,
Cardui Benedicti,
Centaurii Minoris,
Chamædryos,
Chamæpytios,
Cichorii,
Cochleariæ,
Fumariæ,
Gratiolæ,
Hederæ Terreſtris,
Meliſſæ,
Lupuli,
Plantaginis,
Roſarum,
Rutæ,
Scordii,
Tanaceti,
Trifolii Fibrini,
Veronicæ,
omnia ex plantis floreſcentibus;
Papaveris Erratici,
ex floribus;
Pini &
Sabinæ,
ex ſummitatibus.

Vires habent ſimplicium, ex quibus parata ſunt, & pro pilulis conficiendis inſerviunt.

Extractum Agarici.

Diſp. Brand. Wirt. Argent. Prag. & rel.

℞. Raſuræ Agarici albi & levis, *libram unam.*

Affundatur ſpiritus vini ſufficiens quantitas, digerantur, in vaſe vitreo arctiſſime clauſo, in loco calido per dies tres; poſtea exprimantur, expreſſum filtretur, & in Balneo Mariæ, lenta deſtillatione, Vini ſpiritus evocetur, ac reſiduum extractum ſervetur.

Libra una Agarici, ut plurimum uncias quatuor extracti reſinoſi largitur.

Agaricus, pectoris affectibus, tuſſi & aſthmati convenire cenſetur, ita etiam extractum ejus, pilulis laxantibus additur, ubi ejusmodi affectibus correptis ſuccurrendum eſt. Reſinoſum eſt extractum, & vi purganti admodum debili præditum, hanc ob cauſam nunquam ſolum, ſed vel

trochiſcis Alhandal, vel alio acri purgante atque extracto quodam commixtum in forma pilulari, vel amygdalis tritum, in pulvere dari ſolet. Vid. SCHULZ. prael. *p.* 151.

Datur vero a ſcrupulo dimidio, ad grana quindecim.

Extractum Agarici Compoſitum.

Diſp. Vienn.

℞. Extracti Agarici ſimpl. *unc. duas.*
Rhabarbari, *unc. unam.*
Olei deſtill. Macis,
Aniſi, *ana gutt. decem.*
Miſceantur, pro Extracto.

Pituitam viſcidam ac craſſam e Ventriculo, Venis meſaraicis, hepate, liene, pulmonibus & utero expurgat, vermesque inteſtinorum pellit. Multæ magnæque Virtutes de exigui pretii & affectus Compoſitione, ut mihi quidem videtur.

Extractum Alkermes,

HARTMANN. *Pract. Chym. p.* 12.

Duplicem parandi modum ibi proponit Auctor: Sed quoniam, quantum mihi quidem conſtat, hoc Extractum parum hodie in uſu eſt, adeo, ut in nullo Diſpenſatorio inveniatur, & præterea idem præſtare poteſt, ſi quid nempe poſſit, notiſſima illa ubivis Confectio Alkermes, præſertim incompleta dicta; ideo maluimus, ut illud ibi apud ipſum Auctorem, ſuo loco, legeretur, quam huic noſtro Operi, præter urgentem neceſſitatem, inſereretur.

Extractum AloësGummoſum.

Diſpenſ. Wirt. Brand. Vienn. Argent.

℞. Aloës Socotorinæ optimæ, *unc. ſex.*

Redige in pulverem ac in cucurbita vitrea affunde
Aquæ fontanæ, *libr. duas.*

In vaſe tecto, loco calido, duos vel tres dies digere, ut ſolvatur; ſolutionem a fecibus ſeparatam, leni igne, ad extracti conſiſtentiam evapora. Conf. ſupra, *Eſſentia Aloetica Purgans.*

Alvum laxat, & pro baſi pilularum inſervit purgantium.

Doſis ſcrupulus ſemis.

Extractum Amarum Compoſitum.

Diſp. Prag.

℞. Radic. Cichorii,
Gentianæ,
Herbar. Cichorii,
Cochleariæ,
Trifolii Fibrini,
Cardui Benedicti,
Summitat. Abſinthii pontici,
Centaurii minoris,
Rhabarbari elect. *ana libr. ſemis.*
Salis Tartari, aut Ciner. clav. *drach. ſex.*

Inciſa macerentur, in ſufficienti quantitate Vini albi, tribus diebus, in fine addendo, conſervationis gratia, Spiritus Vini rectificati proportionatam quantitatem: Fiat lege Artis, Extractum.

Vires ſunt ſtomachicæ, antiſcorbuticæ, anticolicæ & antifebriles, in Forma pilularum, a ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum, in Vino, aut alio convenienti Vehiculo.

Ceterum ſimile fere *Extractum amarum*, paucis ſaltim exceptis herbis, extat in *Diſpenſ. Vienn.* quod ideo, ne actum ageremus, de induſtria, hic omiſimus. Conf. ſupra, *Eſſentias amaras.*

***

Extractum Angelicæ.

Diſp. Brand. Wirt. Prag. &c.

℞. Radicum ſiccarum Angelicæ, *libr. unam.*
Inciſis ſuperfundantur
Spiritus Vini rectificati, *libræ quinque vel ſex.*

Digerantur ad ſufficientem extractionem, exprimantur; atque ſpiritus tinctus, per filtrum colatus, ſervetur.

Radices vero
Aquæ fontanæ, *libris tribus* denuo infundantur, digerantur, & poſt unam aut alteram ebullitionem exprimantur.

Expreſſum albumine ovi clarificetur, & cum ſpirituoſo commiſceatur, lentoque igne, ſpiritu per alembicum abſtracto, ad conſiſtentiam extracti inſpiſſetur.

Carminativas, anodynas, alexipharmacas & pectorales habet virtutes; additur pilulis catarrhalibus, vel Laudano mixtum in Colica exhibetur.

Doſis grana duodecim, ad viginti.

Præſcripto modo etiam parantur:

Extractum Ariſtolochiæ
Clematitidis,
Ariſtolochiæ Longæ,
Ariſtolochiæ Rotundæ,
Aſari,
Calami Aromatici,
Corticum Chacarillæ,
Corticum Chinæ Chinæ,
Hyperici *ex* Floribus,
Mechoacannæ Albæ,
Turpethi,
Zedoariæ,

Extractum Anodynum.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis vix occurrit.

℞. Extracti Angelicæ,
Calami aromatici, *ana unc. unam.*
Cardui benedicti, *drach. quinque.*
Opii, aqua fontana parati, *drachmas tres.*
Olei Caryophyllorum, *guttas decem.*
Miſceantur & ſerventur.

Vires ſunt anodynæ, ſudoriferæ, leniter adſtringentes. Quælibet drachma grana ſeptem ſemis habet Opii.

A granis octo, *quæ granum unum habent opii,* ad grana duodecim, dari poteſt.

Extractum Antipeſtilentiale.

Jo. HARTMANNI, *pract. Chymiatr. pag.* 86.

℞. Radicum Angelicæ,
Imperatoriæ,
Zedoariæ,
Enulæ,
Valerianæ,
Vincetoxici, *ana unc. ſemis.*
Tormentillæ,
Diptamni Cretici,
Gentianæ,
Petaſitidis,
Morſus diaboli,
Pimpinellæ, *ana unc. unam.*
Seminum Leviſtici, *unc. tres.*
Angelicæ,
Meliſſæ, *ana drach. duas.*
Citri, *drach. unam.*
Granorum Juniperi, *manip. duos.*
Summitatum Veronicæ,
Meliſſæ,

Scordii,
Scabioſæ,
Carduibened. *ana manip. un. ſemis.*
Florum Hyperici,
Verbaſci, *ana manip. unum.*

Mediocriter confracta, in ſufficienti Quant. Spiritus Vini, infundantur, in loco calido, Vaſe bene clauſo, Fiatque lege Artis, Extractum.

Cui plurimum Virtutis antilœmicæ tribuit Auctor.

Plura quidem alia ejusmodi *Extracta antipeſtilentialia* paſſim proſtant in Libris pharmacevt. præſertim bina, apud ZWELFER. *in Pharmacop. Regia*, p. 81. quæ magnis ab ipſo encomiis efferuntur, unde & ea in ſuum *Corpus pharmacevt. univerſ.* intulit JUNGKEN. p. 642. Sed quoniam illorum pleraque ex iisdem fere ſpeciebus ingredientibus conſtant: ideo plura incaſſum hic allatis jam, addere, merito dubitavimus. Ceterum conf. ſupra, *Elixir. peſtilentiale*, & *Elixir. prophylacticum contra peſtem.*

Extractum Antipeſtilentialæ,

HOFFMANNI, *in Notis ad Poter.*

℞. Radicum Angelicæ,
Vincetoxici,
Leviſtici,
Zedoariæ,
Contrayervæ,
Tormentillæ,
Valerian. *ana unc. unam.*
Gentianæ, *unc. ſemis.*
Herbæ Scordii, *manip. quatuor.*
Florum Sambuci, *pugillos quatuor.*
Myrrhæ, *unc. unam ſemis.*
Croci, *drachm. quinque.*
Corticum Citri, *unc. duas.*
Succini,
Ligni Aloës, *ana drach. ſex.*
Camphoræ, *drach. tres.*
Opii, *drach. duas.*

Contuſa & mixta Melli, ita, ut Libra una hujus capiat *unc. quatuor.*

Fiat lege Artis, Extractum, inſtar Diaſcordii.

Uſum hujus haud contemnendi Extracti Titulus ipſe ſatis indicat. Datur in Vino, nec multarum, nec nullarum Virium, aut quod melius eſt, in Aceto, vel ſimplici, vel Bezoardico, Theriacali, aut antipeſtilentiali, quorum aliquot deſcriptiones jam ſupra, ſuo loco, exhibuimus. Ceterum præſtantiſſimum Bezoardicum & alexipharmacum hoc quidem Extractum haud immerito vocat laudatiſſimus Hoffmannus, *ejusque in morbis contagioſis, uſum ſub varia forma ac præparatione, ibidem pluribus docet: quod neminem, ſpero, pœnitebit, diligentius legiſſe.*

Extractum Antipeſtilentiale.

POTERII, *Pharmac. Spagyr. p.* 321.

℞. Radicum Tormentillæ,
Scorzoneræ,
Vincetoxici,
Valerian. *ana unc. tres.*
Herbarum Galegæ,
Meliſſæ,
Succiſæ,
Cardui benedicti,
Scabioſæ,
Veronicæ,
Pimpinell. *ana manip. tres.*
Florum Borraginis, *pugillos duos.*
Sulphuris, *unc. unam.*
Antimon. per octo dies. reverb. *unc. ſemis.*
Theriacæ, *unc. duas.*
Spiritus Vini rectificat. *quant. ſuff.*

Fiat Tinctura, quæ in craſſitiem Mellis coquatur, donec in Formam Extracti coëat.

Ceterum aliud Extractum adverſus peſtem, *in antecedentibus, pag.* 320. *idem exhibet* POTERIUS; *Sed quoniam parum illud differt ab hoc ipſo, jam hic propoſito: ideo maluimus iſtam quidem compoſitionem ibi in ſede ſua relinquere; quam hic ipſi locum. præter neceſſitatem, aſſignare.*

Extractum Antivenereum,

POTERII. *pharm. Spag. Lib. I p.* 322.

℞. Cortic. Ligni Guajac. parum contuſ. *unc. ſex.*
Raſuræ ejusdem Ligni, *libras tres.*
Chinæ electæ, in taleolas diſſectæ,
Saſſæparillæ, minutim inciſ. *ana lib. duas.*
Baccarum Juniperi, *libr. ſemis.*
Seminum Cardui benedicti,
Carvi, *ana unc. tres.*
Foliorum Succiſæ,
Scabioſæ. *ana manip. tres.*
Radicum Cyperi,
Vincetoxic. *ana unc. duas.*

Infundantur omnia, parum contuſa, octiduo, in ſufficienti quantitate Vini albi generoſi, fiatque Extractum, cui ſalem ex fæcibus factum adde. Doſis eſt a drachmis duabus, ad uncias tres.

Mox ibidem, Auctor aliud proponit.

Extractum Antivenereum Purgans.

Quod ex iisdem pæne conſtat ingredientibus, additis ſaltem Radicibus Mechoacan. & foliis Sennæ, pro ſcopo nempe purgandi. Tam exigua igitur differentia inter utrumque hoc Extractum intercedente; maluimus hoc poſterius Nomine tantum indicare: quam re ipſa, hic operoſe inducere. Ceterum Conf. ſupra ſuo loco, *Elixir Antivenereum*, ejusdem nempe nominis, & effectus.

Extractum Aperitivum, ROTHII.

Tab. Smaragd. p. 198. BIERLING. *Append. Var. Med. p.* 60.

℞. Summitat. Abſinth. vulg. *man. quat.* Pontic.
Cortic. Sambuc. interior. *ana manip. duos.*
Incid. & Contund. Groſſo modo: Infund. in
Vini Rhenan. ſ. q. *ad eminentiam quatuor digitorum.*

Per duos dies & noctes: poſtea exprime, Expreſſum per Balneum Mariæ evapora, & Fiat lege Artis, Extractum.

Hydragogum eſt & diureticum, item & Antictericum & anthelminticum, ut patet. Conf. ſupra Elixir. aperitivum, Eſſentia aperitiva.

Extractum Bezoardicum Camerarii.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Extracti ſpecierum Elixirii vitæ, *uncias quatuor.*
Ligni Aloës,
Radicum Angelicæ, *ana unc. unam.*
Meliſſæ,
Salviæ,
Tormentillæ,
Opii, *ana unc. ſemis.*
Papaveris erratici,
Caſtorei, *ana drach. duas.*
Lapidum quinque pretioſorum præparatorum,
Succini albi præparati, *ana ſcr. quat.*
Unicornu Marini,

Bezoar

Bezoar Orientalis,
Occidentalis, *ana ſcrup. duos.*
Confectionis Alkermes completæ,
de Hyacintho, *ana drach. duas.*

Miſceantur exactiſſime, quod fit, extracta omnia in aqua Menthæ ſolvendo, & denuo in debitam conſiſtentiam reducendo.

Alexipharmacum & ſudoriferum eſt, lene etiam præbet anodynum.

Doſis per ſe grana octo, ad quindecim adultioribus.

Drachma continet circiter grana tria & ſcrupulus granum unum extracti Opii.

Extractum Bezoardicum

QUERCETANI, *pro Laudano ſuo.*

ex SCHROEDERI *Pharm. pag.* 209. *&* JUNGKEN, *Corp. Pharm. univ. p.* 643.

℞. Radicum Angelicæ,
Zedoariae,
Galangae,
Tormentillae,
Corticum Citri,
Lign. Aloës,
Santal. rubr.
Citrin. *ana unc. unam.*
Granorum Alkermes,
Dictamni,
Spicae Nardi,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatae,
Macis,
Cinnamomi,
Been albi,
rubri, *ana unc. unam ſemiſs.*

Miſc. Fiat lege Artis, Extractum cum Aquae Vitae Juniper. *ſuff. Quant.*

Eximiarum dicitur eſſe Virium, in arcendo Veneno, Morbisque contagioſis, qualis ipſa peſtis, Febres malignæ, exanthematicæ, & id genus aliæ humanæ Vitæ calamitates.

Ceterum Conf. ſupra *Balſamum Bezoard. Eſſentia Bezoard.* & infra, *Tinctura Bezoardica.* Ceterum aliud *Extractum Bezoardicum* ſic dictum *Solare* MYNSICHTI, operoſiſſimae & diffuſiſſimae, paene dixiſſem, confuſiſſimae compoſitionis, vid. in ipſius *Armament. Med. Chym.* p. 56. ſqq. & in JUNGKEN. *Corp. Pharm. univerſ.* p 644. Sed malim illud ibi legi, quam hic: quoniam integrum fere pharmacopolium, cum omnibus tribus ſic dictis Regnis Medicorum, complectitur.

Extractum Bryoniæ.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur, nec cum damno.

℞. Radicum Bryoniae inciſarum, *libr. un.*
infunde in
Aquae fontanae ferventis, *libr. ſex.*

Macerentur per triduum, poſtea leniter ebulliant, exprimantur & colentur, expreſſum, leni igne, ad extracti conſiſtentiam evaporetur. Conf. ſupra, *Aqua Bryoniæ compoſita.*

Pari modo parantur:

Extractum Enulæ.

Eſulæ,
Gentianæ,
Glycyrrhizæ,
Hellebori Nigri,
Iridis Florentinæ,
Iridis Noſtratis,
Pimpinellæ,
Pæoniæ,

Rhabarbari,
Sarſæparillæ,
Saſſafras,
Tamariſci,
Tormentillæ,

Omnia ex radicibus. vid. plura in Diſpenſ. Vienn. & Argent. aliisque.

Hæc, & alia ex ſimplicibns parata extracta, vim habent vegetabilium, e quibus parata ſunt.

Extractum Contra Calculum.

SPARRII, *pharm. Francof. Tab. Smaragd. pag.* 199.

℞. Radicum Ononidis, *unc. unam.*
Petroſelini,
Althææ,
Aſparagi, *ana drach. tres.*
Cucum. Aſin. recentis,
Calami aromatici,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Squillæ præp. *ana drach. duas.*
Herbarum Herniariæ,
Fragariæ,
Saxifragiæ,
Naſturtii, *ana drach. tres.*
Equiſeti, *drach. duas.*
Florum Sambuci, *drach. duas ſemis.*
Baccarnm Alkekengi,
Juniperi,
Cynosbati, *ana drach. tres.*
Hederæ arboreæ, *drach. duas.*
Semin. Sinapi, *drach. tres.*
Florum Geniſtæ,
Violarum, *ana drach. unam ſemis.*

Miſc. & cum Spiritus Vini *ſuff. Quant.* Fiat lege Artis, Extractum.

Urinam, ſabulum, calculos & mucum lentum ex Renibus atque Veſica potenter pellit: ſimul quoque eſt egregium Remedium anthydropicum & antiſcorbuticum, ut ex ipſa concinna ſatis Compoſitione, manifeſtius patet. Ceterum conf. ſupra, *Aqua contra Calculum.*

Extractum Caſtorei.

Ang. SALAE *Exeg. Chym. p.* 725. *Diſp. Wirt.*

℞. Caſtorei, *libram ſemis.*

Per repetitam ſpiritus Vini affuſionem extrahatur eſſentia; reſiduo addantur

Aquæ fontanæ libræ duæ, & lento igne ad dimidias coquantur, decoctum exprimatur, coletur, ac clarificetur, atque cum ſuperioribus per ſpiritum vini factis extractionibus commiſceatur, & ſpiritu leni igne abſtracto, in extracti conſiſtentiam reducatur.

Specificum creditur eſſe Caſtoreum antihyſtericum & antiſpasmodicum, quas etiam vires habet ipſum extractum; Sed vid. quæ ſupra, part. I. circa has laudatas vulgo Virtutes, jam monita ſunt, ad ipſum Caſtoreum *vid.* SCHULZ. *p.* 153. *admiſcetur pilulis nervinis, antiſpasmodicis, narcoticis, atque anticolicis.*

Doſis grana tria, vel ſex.

Extractum Catharticum,

Pharmacop. Londineuſ. Wirt. Reg. CHARAS. *T. II. p.* 581.

℞. Aloes ſuccotrinæ, *unc, unam ſemis.*
Colocynthidis, *drach. ſex.*
Scammonii electi,
Cardamomi minoris, *ana unc. ſemis.*

Infundantur in Spiritus Vini rectificati ſufficiente quantitate, & repetitis vicibus liquor a fecibus, mediante filtro, ſeparatur, Spiritus leni igne abſtrahendo in Extracti formam redigitur.

Cum Extracto Catholico convenit. Vis draſtica ſcammonii & colocynthidis per additionem Cardamomi, quodammo-

do, corrigitur. Ceterum Conf. ſupra Electuarium Catharticum regium.

Doſis grana decem ad quindecim in forma pilulari.

Extractum Catholicum.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Arg. Vienn. & reliq.

℞. Extracti Aloës Succotrinæ,
aqua fontana parati, *unc. unam.*
Ellebori nigri, *drach. duas.*
Colocynthidis, *ſcrup. tres.*
Reſinæ Jalappæ,
Scammonii, *ana drach. unam ſem.*
Miſce.

Ex inſcriptione patet, univerſale eſſe alvum ducens. vid. SCHULZ. *p.* 153. CARTHEUS. Pharm. *p.* 555.

Doſis ſcrupulus ſemis, ad grana quindecim.

Extractum Catholicum.

HOFFMANNI, *ad Poter. p.* 325.

℞. Extracti Aloës Succotr. *unc. unam.*
Colocynthidis,
Reſinae Jalappae,
Scammonii,
Gummi gutt. *ana drach. tres.*
Florum Martis, *drach. duas.*

Exactiſſime haec tuſa Miſceantur. Pilulae hoc modo paratae, praeter vim purgantem, etiam ſudoriferam cuſtodiunt, quae ſaepius obſervata fuit ab Auctore.

Huic Extracto adjici poteſt, pro Circumſtantiarum & judicationum ratione, Gummi Ammoniacum, Myrrha atque Crocus: Sic ſuſpirioſis & hypochondriacis jucunde medentur: Caſtoreum, ad hyſtericum affectum; Mercurius dulcis, in lymphæ malignæ & benignæ coagulo: Sal Succini, ad renes purgandos: oleum Sabinæ & Succini, ad profluvium fœminarum ſuſcitandum. Hactenus quidem magnus ille Hoffmannus.

Quæ omnia veriſſima & ex tripode quaſi dicta ſunt. Interim tamen mallem, ſi mei quidem arbitrii res eſſet, & a tanto Auctore impune diſſentire liceret, ut Extractum *illud* Colocynthidis, *ut &* Gummi Gutt. *ab hac eleganti alioqui Compoſitione, plane abeſſet: quorum quippe Virtus, aut virus rectius, jam ſupra merita ſua elogia ſcilicet, a nobis, pro candore noſtro, obtinuit. Sed haud mitioris fere ſunt indolis* Reſinae Jalappae *ac* Scammonii; *ut pariter ſuperius jam monuimus. Interim tamen iſtæ, pro recepto vulgo more, in ejusmodi pilularum Extractis, ſive Maſſis, tolerandæ potius ſunt, quam tollendæ, tanquam neceſſarium nempe quoddam Malum, ſine quo vix commode componi & formari poteſt Maſſa pilularum, ceu ubivis notum.*

Extractum Catholicum.

POTER. *Pharm. ſpag. Lib. I. p.* 325.

℞. Aloës Succotrin. clarae, *unc. unam.*
Myrrhae Troglodyt. cum Spiritu Vini correctae, *unc. ſemis.*
Extracti Folior. Sennae, *drach. ſex.*
Extracti Colocynth. vel ejus loco,
Gummi Cathart. Vegetab. *dr. un.*
Extracti Croci, *ſcrup. unum.*
Sulphuris magnetici meteoriſati, *dr. unam ſemis.*

Miſce, cum Syrupo Roſarum, ſi liquore opus fuerit, Fiat lege Artis, Maſſa.

Doſis eſt granor. Quindecim, ſedecim, & octodecim: in delicatulis vero, *decem, vel duodecim.*

Multas magnasque Virtutes huic quidem Extracto Catholico Cathartico tribuit ibi Auctor: quæ ipſi etiam haud omnes abjudicandæ ſunt. Multum vero

convenit cum Elixir. proprietatis, quod ad Compoſitionem, de quibus ſupra, ſuo loco. Conf. & Eſſent. Catholiconis, *ſupra. Ceterum Sulphur magneticum meteoriſatum* Poterii, *alias fere incognitum, judice ibi in Notis,* Hoffmanno, *ſunt Flores Hæmatitis, cum Sale Ammoniaco ſublimati, qui ad ſcrupulum ſemis, vel ulterius dati, tenacem humorum ſaburram non tantum incidunt; ſed & ſæpius, feliciſſimo cum ſucceſſu, educunt. Inde commodiſſime hi flores adjiciuntur purgantium Extractis; quoniam nempe latitat in illis etiam ſingularis Virtus corrigendi acre horum principium, quod nonnunquam in diſpoſitis, ſævos ſpaſmos torminaque ciet.*

Hactenus laudatiſſimus *Hoffmannus.* Aliud vero *Extractum Catholicum* occurrit apud eundem POTER. p. 324. quod tamen in eo diſplicet, quod adjectum ſimul habet *Extractum Eſulæ,* cujus vim viroſam ac draſticam merito ſupra parte I. ſuo loco, deteſtati ſumus, cum prudentioribus Medicis.

Extractum Colocynthidis.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Argent. & rel.

Paratur, fructum Colocynthidis ſpiritu vini extrahendo, poſtea aqua fontana coquendo, & ambas extractiones clarificatas, leni calore, in extracti conſiſtentiam evaporando.

Fortiter purgat, & ſtimuli loco aliis purgantibus additur; hydropicis præſertim conducit: item & Melancholicis, de quo vid. GARMANNI Obſ. in Act. Nat. *Cur. Dec. I. An. III. Obſ.* 202. *Citant. Diſpenſ. Brand. p.* 88. *in Not. laudatur quoque ab aliis, in arthritide, podagra, Rhevmatiſmis, & aliis Morbis articularibus, vid.* CHARAS, Pharm. Reg. *Tom. II. pag.* 572. *Sed quid generatim de Colocynthide, & Medicamentis ex eadem paratis, ſtatuendum; jam ſupra, Part. I. Candide ac vere pronunciavimus, Conf. maxime* ZORNII Botanol. *p.* 222. *ubi plura de Vitiis, & Virtutibus, ſi quas habeat colocynthis, legenda.*

Doſis grana tria, ad octo.

Extractum Croci.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Argent. & reliq.

℞. Croci Orientalis optimi, *libram ſemis,* vel *quantum libet.*

Aquæ fontanæ puræ, *libr. duas.*

Digere loco tepido, vaſe optime clauſo per biduum, liquorem tinctum decanta, aliam aquam affunde, digere, idque continua, donec omnis vis & tinctura extracta ſit; extractiones omnes commiſce, ac in balneo abſtrahe ad juſtam conſiſtentiam. Aliud generoſius Croci Extractum cum Alcohol. paratum, deſcribit BOERHAAVE *Elem. Chem. T. II. proc.* 65. *pag.* 211. *ſqq.* & aliud BONTIUS, *Med. Method.* cap. 4. p. 131. & SCHULZ. *præl.* p. 135. & p. 155.

Easdem vires, quas crocus, poſſidet; anodynas, alexipharmacas, cordiales & antihyſtericas. Conf. inf. Tinctura Croci.

Doſis grana duo, ad quatuor.

Extractum Diacarthami,

Jo. GUINTHERII Andernaci, *ſive* Cnico-Pharmacum.

Diſpenſ. Arg. Wirt. Prag. Ratisbon. Brand. Hamb. Vienn. Norimb.

℞. Seminis Carthami excorticati, *unc. quatuor.*

Rhabarbari veri, *unc. unam.*

Polypodii querni, *unc. duas.*

Zingiberis albi, *drach. duas.*
Turbith albi reſinoſi,
Foliorum Sennæ electorum, *ana uncias duas ſemis.*
Myrobalanorum chebularum, *uncias tres.*
Agarici albi; *drach. ſex.*
Scammonii Aleppenſis, *drach. decem.*
Mannæ electæ, *unc. duas ſemis.*

Agaricus, Scammonium & Turbith infundantur in
Spiritus Vini, *libris duabus*, & repetita affuſione extrahantur; reliqua vero interim in
Aquæ ferventis *libris tribus* macerentur, leni igne coquantur ad tertiæ partis conſumtionem, & in fine coctionis adjiciatur reſiduum prioris ſpirituoſæ extractionis; exprimantur & colentur, atque in colatura Manna diſſolvatur, ſolutio clarificetur, & cum ſuperiori ſpirituoſo extracto permiſceatur, atque lento igne ſpiritus evocetur; reſiduum vero ad extracti mollioris conſiſtentiam inſpiſſetur.

NB. Pro pilulis etiam absque
Manna parari debet.

Ad vitioſos humores evacuandos accommodatiſſimum & multimoda experientia comprobatum celebratur. Cachecticis, ſcorbuticis & hydropicis convenit. Vid. SCHULZ. *pag.* 155. & CARTHEUS. Pharm. *pag.* 559. & ZORN. Botanol. *p.* 218.

Doſis *absque Manna*, ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis; *cum Manna*, ad drachmam integram, vel ſcrupulus quatuor *exhiberi poteſt. Quo & pertinet Electuarium Diacarthami Villanovarii, deſcriptum a* RENOD. *p.* 742. *& aliis multis.*

***

Extractum Diateſſaron.

Pharm. Batean. p. 69.

℞. Specier. Diateſſar. *unc. tres.*
Radic. Angelicæ, *unc. unam.*
Zedoariæ, *unc. ſemis.*
Semin. Cardui, *drach. duas.*
Aquar Scordii Compoſit.
Cardui,
Meliſſ.
Angelic. *ana libr. unam.*

Extrahe Tincturam, ſecundum Artem, & exhala, ad debitam Conſiſtentiam.

Confert ad affectus frigidos, tum Cerebri, ut paralyſin, &c. tum Ventriculi, ut Inflationem, & ab ea, dolorem, tardam coctionem: tum hepatis, ut Hydropem, Cachexiam, obſtructiones. Valet etiam efficaciter, ad Morſus venenatos, & potionem Veneni. Vid. ſupra, Theriaca Diateſſaron.

Extractum Diacitri.

ZWELFFERI, *Animadverſ. p.* 133.
Diſpenſ. Argent.

℞. Succi pulpæ pomor. Citri depurati,
Sacchari albi, *ana libr. ſemis.*

Decoquantur, in Vaſe reneo, in Syrupum, Conſiſtentiæ craſſioris: poſtea adde:
Scammonii optimi, *unc. duas.*
Mechoacanæ albæ,
Turbith. electi, *ana unc. unam.*
Rhabarbari electi, *unc. ſemis.*
Galangæ, *drach. ſemis.*

Fiat ex iis omnibus, beneficio Spiritus Vini, iterata affuſione, Extractio, quam in Balneo Mar. prope modum ad remanentiam quartæ partis, abſtrahe, & Reſinam reſiduo Extracto innatantem, (quæ ſi non ſatis bene præcipitata eſſet, affundatur illi adhuc pa-

rum aquæ frigidæ,) probe ſepara, exſiccatamque in pulverem redige. Relictum autem Extractum liquidum ad craſſam conſiſtentiam, leniter exhalare ſine; cui pulveriſatam & nonnihil amygdalis ſubactam ſuam Reſinam adde, atque ſic unita cum ſuperiori parato Citri Syrupo exacte permiſce: poſtremo denique

Ol. ſtillat. Cinnamomi, *gutt. ſex vel octo.*
Nucis Moſchatæ,
Caryophyll. *ana gutt. quatuor, vel ſex.*

Aromatizando, Fiat Extractum, uſui aſſervandum.

Qui eſt potiſſimum directus ad humores bilioſos & ſeroſos expurgandos, in Cachexia, hydrope, ictero, obſtructionibus Hepatis & Lienis, &c. item & in febribus intermittent. Correctio vero hæc eſt alius Extracti Diacitri ab Hieronymo Reuſnero, *quondam compoſiti, quod ibidem exhibet, ſed cum acri cenſura,* ZWELFFERUS; *utrumque vero* JUNGKEN. in Corp. Pharm. univ. *p.* 667. *Sed ex utroque exturbandum mihi adhuc videtur turpiſſimum illud & nocentiſſimum Turpethum, de cujus violentis Viribus, ſupra jam Parte I. ſatis dictum. Ceterum conf. ſuperius, ſuis locis,* Elixir purgans de Citro, *item* Eſſentia Citrina laxans, & Electuarium de Citro *ſolutivum, apud* CHARAS, Pharmac. Reg. *Tom. I. p.* 274. *Omnia ejuſdem Nominis, ſed & ejuſdem uſus.*

Extractum Draſticum.

Pharm. Bat. p. 70.

℞. Scammon. pulverat. *unc. tres.*
Succ. Aurant. cum Cort. expreſſ. *libr. duas.*

Digere tepide, per dies ſex; Fiat Expreſſio, & exhala ad pilularum Conſiſtentiam.

Doſis eſt a ſcrupulo ſemis, ad drachmam ſemis.

Eſt Extractum hoc Catharticum, ut per ſe patet: Cur vero draſticum, metuendo Nomine, vocetur, vix divinare valeo; præſertim quum longe draſticotera Medicamenta purgantia habeamus, ex Euphorbio, Eſula, Gummi Gutta, Colocynthide, Helleboro, Aſaro, & id genus aliis violentis & nocivis ſpeciebus parata; de quibus ſupra plura, ſuis locis. Interim tamen & Scammonium jure ſuo, ob malignam indolem, inter draſtica referri meretur, ut ſuperius part. I. jam monuimus ad Scammonium, *& hic, in antecedentibus, ad Diacrydium.*

Extractum Ecphracticum.

Pharm. Batean. p. 70.

℞. Xylaloës,
Galangæ,
Caryophyllorum, *ana unc. ſemis.*
Cinnamom.
Gentian.
Cortic. Winteran. *ana unc. unam.*
Radic Raphan. ruſtic. *unc. duas.*
Folior. Calaminth.
Puleg.
Abſinth. *ana manip. unum.*
Martis, cum Sulph. præp. *unc. octo.*
Vini albi,
Decoct. Tartari albi, *ana libr. duas ſem.*

Macerentur ſecundum Artem; Colat. exhal. ad debitam Conſiſtentiam, addendo:

Aloës, *unc. unam.*
Myrrhæ, *drach. duas.*
Miſc.

In Morbo Virgineo ac Scorbuto eſt efficaciſſimum: Magnas enim Vires obtinet in aperiendis Obſtructionibus, præſer-

tim Lienis, Hepatis, Uteri ac Meſenterii; adeoque Morbis inde natis ſubvenit. Conf. infra, Pilulæ Ecphracticæ, & Mixtura Ecphractica.

Extractum Emmenagogum.

Diſpenſ. Vienn. JUNGKEN. *p.* 657.

℞. Extracti Sabinæ,
Matricariæ,
Artemiſiæ, *ana unciam unam.*
Myrrhæ, *drachmas duas.*
Croci, *drachmam unam ſemis.*
Caſtorei, *drachmam unam.*
Fæcul. Bryoniæ,
Flor. Salis Ammon. Mart. *ana drach. un. ſemis.*
Balſami aloëtici, *unciam unam.*

Miſceantur probe invicem, & redigantur in Extractum.

Ad Menſes, & ſecundinam, ut & Lochia promovenda, inſignis virtutis deprehenditur.

Ceterum Conf. ſupra *Elixir Menſtruale*, item *Uterina Elixiria*, nec non *Eſſentiam Emmenagogam*, ejuſdem uſus. Item *Extracta hyſterica*, apud POTER. *Pharm. Spag.* L. I. p. 322. ſqq.

Extractum Epilepticum.

Diſpenſ. Brand.

℞. Radic. Angelicæ,
Pæoniæ,
Pyrethri, *ana unciam unam.*
Florum Majoranæ, cum ſumit. *manip. unum.*
Rutæ,
Scordii, *ana manipulum ſemis.*
Florum Lavendulæ,
Lil. convall.
Pæoniæ,
Rorismarin.
Stœchadis Arabicæ,
Ligni Sancti,
Viſci Corylini, Tiliacei, aut quercini,
Raſuræ Cornu Alcis,
Cervi,
Cranii humani non humati,
Specierum Diamoſchi dulcis, *ana unciam ſemis.*
Caſtorei recentis, *drachm. un. ſemis.*

Conciſ. & Contuſis affund. Vini Rhenani, aut ſaltim Gallici Spiritus, ad eminentiam quatuor digitor. digere vaſe probe obturato & munito, loco calido, &c. Tumque lege Artis, Fiat Extractum. Sed quod merito diſplicet SCHULZIO, *Præl.* pag. 156. & CARTHEUS. *Pharm.* pag. 560.

Extractum in Fibra Laxa Adſtringens.

BOERHAAVE *Mat. Med. pag.* 6.

℞. Acetoſæ, *manipulos octo.*
Lapathi hortenſis, *manipul. quatuor.*
Quinquefolii, *manipulos ſeptem.*

Minutim ſciſſa, bene pura, in Aquæ *quantum ſuffic.* cocta, fortiter preſſa per Prelum, in vaſe amplo, exhalent in Spiſſitatem Extracti, a granis decem, ad drachmas duas; vel adde huic Extracto

Radic. Biſtortæ ſiccæ, *quant. ſuffic.* ad Maſſam idoneam formandis pilulis.

Doſ. a granis quatuor, ad gran. quindecim.

Extractum Febrifugum.

Pharm. Batean. JUNGKEN. p. 656.

℞. Pulv. Cortic. Peruviani, *unc. quat.*
Centaur. minor.
Radicis Gentianæ, *ana uncias duas.*
Serpentar. Virgin. *unciam unam.*

Spiritus Vini, *libras quatuor, vel quantum ſuffic.*

Extrahe Tincturam, & exhala ſecundum Artem.

Titulus Vires indicat.

Doſis a ſcrup. ſem. ad drachm. ſemis.

Extractum Febrifugum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Corticis Peruviani,
Caſcarillæ, *ana uncias quatuor.*
Herbar. Trifolii fibrini,
Centaurii minoris,
Radic. Gentianæ, *ana uncias duas.*
Serpentar. Virgin. *unciam unam.*
Salis Tartari, *unciam ſemis.*

Cum ſufficienti Quantitate Vini fiat, leg. Art. Extractum.

Eadem virtute antifebrili pollet, ac præcedens Extractum; immo adhuc aliquanto majore. Ceterum idem fere de hujusmodi Extractis febrifugis ſentiendum, quod ſupra jam ad varia Elixiria Antifebrilia, *pari fere modo compoſita, candide monuimus. Aliud vero Extractum febrifugum, ſed his ipſis virtute minus, quia Cortice peruv. deſtituitur, vid. in* Diſp. Brand. *pag.* 88. *&* JUNGKEN. *p.* 656.

Extractum contra Glutinoſa Stimulans.

BOERHAAVE, *Mat. Med. pag.* 32.

℞. Folior. recent. Abſinthii,
Eupatorii,
Cannabis,
Marrubii albi,
Tanaceti, *ana quant. ſuff.*

Conſciſſis minutim, contritis dein, per prelum, ſuccum exprime: Hinc leni igne, depura, per ſeceſſum fœcis: deinde exhala ad ſpiſſitudinem Mellis craſſi: cui denique adde:

Salis Abſinthii Tacheniani $\frac{1}{40}$

Doſis, drachma ſemis, bis de die, vacuo ſtomacho, ex Vino Gallicano.

Extractum Hydragogum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Succi inſpiſſati Bryoniæ,
Ireos noſtratis,
Elaterii, *ana uncias duas.*

Liqueſcant probe mixta, modica Spiritus Vini rectificati quantitate: deinde addantur:

Magiſterii Jalappæ, Oleo Amygdalarum dulcium ſubacti,
Gummi Guttæ, *ana uncia una.*
Tartari Vitriolati, *uncia ſemis.*
Olei Aniſi, *drachma una.*

Ex quibus mixtis, fiat lege Artis, Extractum.

Quod ſpecificas Virtutes ſuas in Hydrope, & analogis affectibus demonſtrat. Viſceribus nempe ſanis & adhuc integris, viribusque valentibus. Alias enim non ſolum Aquam corpore tumido educet, ſed etiam ſimul Animam, propter draſtica nempe illa & violenta remedia, Elaterium ſcil. & Gummi Guttæ, de quibus vid. ſuperius, ſuis locis, jam ſatis dicta. Aliud Extr. Hydragog. vid. ap. ZWELFF. *&* JUNGKEN.

Extractum Hyſtericum Roborans.

POTER. *Pharm. Spag. L. I. pag.* 323.

℞. Artemiſiæ ſiccæ,
Abſinthii utriusque, *ana Faſcicul. quatuor.*
Menthæ, *Faſcic. duos.*
Abrotani, *Faſcic. unum.*
Zingiberis,
Galangæ, *ana uncias quatuor.*
Macis,

Myrrhæ,

Myrrhæ,
Succini, *ana unciam unam.*

Cum Aquæ Vitæ optima, more Artis, fiat Extractum, cui ſub fine, adde:

Liquoris Succini, *drachmam unam.*
Vitrioli Martis, *drachmas tres.*
Sacchari albi, *unciam ſemis.*

Doſis erit a drachma una, ad ſcrupulos quatuor, mane, jejuno adhuc ſtomacho, convenienti vehiculo.

Alia Extracta hyſterica ſimul cathartica, tum commode uſurpanda, quando purgatione longa opus fuerit, vid. ibid. pag. 322. *Conf. infra* Laudanum Hyſtericum: & Extracta Uterina.

Extractum Jalappæ.

Diſpenſ. Lond. Wirt. Pharm. Reg. CHARAS, *T. II. p.* 575.

Eodem modo, quo Agarici extractum, paratur, in fine reſinam cum extracto diligenter miſcendo, ut gummoſæ partes reſinoſis interponantur.

Vires cum reſinæ conveniunt, & vix majori doſi dandum eſt extractum hoc; ſufficiunt grana ſex, vel decem, *extracto alii laxanti, Aloës ſcilicet, vel pilulis de Succino, pro una doſi, ſcopo laxandi, admixta.*

Extractum Ictericum.

Pharm. Batean. p. 71.

℞. Stercoris Ovilli recent. *unc. quatuor.*
Radic. Chelidonii, *drachmas decem.*
Curcumæ, *unciam unam ſemis.*
Lumbricorum præparator. *dr. ſex.*
Centaurii minoris, *manipulos duos.*
Martis præparati, *uncias duas.*
Succi Limon *uncias ſex.*
Aquæ Cichorii, *libras quatuor.*

Infundantur omnia, per horas quadraginta octo: Fiat Expreſſio, quæ exhal. ad pilular. Conſiſtent. addendo

Lumbricor. præparat. *drach. un. ſem.*
Coralliorum rubrorum,
Eboris,
Succini, *ana drachmas duas.*

Miſceantur: *Doſ. drachma ſemis, ter in die*, ſuperbibendo Decocti Icterici uncias quatuor.

Tollatur modo ſordidum illud & ſtercoreum initium, & tum concinna & multum profutura erit hæc ipſa compoſitio. Sordent enim hodie merito fœda illa condimenta ex immunda iſta animalium Culina, aut rectius ſentina, petita. Vid. ſupra, ad Regnum Animale dicta, potiſſimum autem Lib. de pleurit. *Cap. III. pag.* 47. *item* RIVINI Cenſur. Medicament. Officinal. *Cap. II. pag.* 80. *ſqq.* Syllog. Diſſ. Med.

Extractum Ligni Aloës.

Diſp. Prag. Wirt. & reliq.

Paratur extrahendo lignum Aloës rectificatiſſimo Vini ſpiritu, & ſpiritum rurſus in Balneo abſtrahendo. Conf. ſupra, *Eſſentia Ligni Aloës.*

Additur pilulis & pulveribus cephalicis & analepticis Sufficit granum unum, *vel* duo pro doſi.

Extractum Ligni Guajaci.

Diſp. Lond. Wirt. Brand. Reg. CHAR. *T. II. pag.* 580.

Lignum Guajacum fortiter coquitur in ſufficiente quantitate aquæ fontanæ; decoctum lento igne in extracti formam redigitur.

Extractum exigua quantitate tali modo & ex libra una ligni vix drachmæ duæ obtinentur; ſpiritu Vini vero rectificatiſſimo ex libra una ad minimum unciæ tres extracti reſinoſi extra-

huntur. Exactam hujus Extracti præparationem vid. in POTERII *Pharmac. Spagyr.* pag. 321. ibique in Not. HOFFMANNI. Conf. ſupra *Eſſentia* & infra *Tinctura Guajaci.*

Uſus eſt in pilulis arthriticis, catarrhalibus, antivenereis, vel ubicunque ſanguinem & lympham depurare volumus.

Doſis grana octo, ad duodecim.

Naribus exceptum ſternutationes inſignes, citra capitis imbecillitatem efficit.

Extractum Maltæ Compoſitum.

Pharm. Batean. pag. 71. conf. FULLER. *Pharm. Extemp. pag* 144.

℞. Foliorum Tuſſilaginis,
Pulmonar. maculoſ. recent. *ana uncias ſex.*
Glycyrrhizæ, *uncias octo*
Uvarum paſſar. ex acin. *libras duas.*
Cereviſiæ illupulat. fort. debitæ ætatis, *congios ſex.*

Coquantur ad Conſumtionem congiorum quatuor, Fiat Expreſſio fortis, & exhal. ad Mellaginem.

Doſis ad drachmas duas, bis, vel ter, in die, in phthiſi & morbis pectoris, egregie prodeſt.

Extractum Martis Pomatum.

Diſp. Wirt: Argent. Leod. Vien.

℞. Limaturæ Martis, ſive ferri, puriſſimæ, *libram unam.*
ſuperfunde
Succi Pomorum acidorum recens expreſſi & depurati, *libr. quatuor.*

Stent in digeſtione loco calido, in cacabo ferreo, per plures dies. Poſtea coquantur, ſpatula perpetuo agitata, lento igne, ad dimidiæ partis conſumtionem; clarum a ſpiſſo colando ſeparetur, & ad extracti conſiſtentiam inſpiſſatum reponatur.

Tonicum excellens eſt, atque hypochondriacis, cachecticis, ac ubi ſuſpicio vermium eſt, convenit. Prodeſt & in fluore albo, ut & Chloroſi Virginum, & generatim, ubi fibræ nimis laxæ ſunt. Vid. infra, Tinctura Martis pomata.

Datur in forma pilulari, cum aliis, a granis quindecim, ad viginti.

Extractum Martis, *ſeu* Chalybis.

Pharm. Bat. pag. 48. *ſeu pag.* 69.

℞. Succi Oxalidis depurat. *libr. quatuor.*
Tamarind. *unciam unam.*

Coque parum, & clarif. In iſto macera tepide:
Limat. Martis, *uncias quinque.*

Per dies quatuor, ſæpius agitando, fiat Colat. quæ in Balneo Mar. inſpiſſetur ad debitam Conſiſtentiam.

Vocatur & *Magiſterium Martis.* Aliter paratur cum ſucco pomorum, Vice Oxalidis, & Tamarindorum, de quo in præcedenti Compoſitione.

Vires ſunt aperientes & roborantes. Inde in Morbis ſorbuticis, hypochondriacis, pituitoſis, & cachecticis egregie prodeſt, præſertim uti metus eſt de obſtructionibus hepatis, lienis & Meſenterii: tum ſane inſigni cum fructu, exhiberi per commoda temporis intervalla, ægrotis poteſt.

Ceterum aliud Extractum Chalybeatum, *a Schwalenbergero operoſiſſime quondam compoſitum, exhibet* BIERLINGIUS in Append Medicament. *Cap. X. pag.* 61. & Tab. Smaragd. *pag.* 199. & *dudum* SCHROEDERUS Pharmacop. *Lib. II. Cap.* 57. *pag.* 209. *qui*

magnas ipſi vires tribuit in reſerandis Hepatis, Lienis, Uteri & Meſenterii obſtructionibus. Sed ſit fides penes Auctores. Interim, quum illud notum ſit nimis, & diffuſius ſua ſpatioſa compoſitione, quam ut cum Lectorum commodo & voluptate, hic inſeri potuerit, maluimus potius verbis indicare, quam re ipſa deſcriptum, proponere.

Ceterum Conf. ſupra, Bolus Chalybeatus, *& infra* Syrupus Chalybeatus Ceylonicus Grimmii: *item ſupra, ſuo loco,* Electuaria Chalybeata, *&* de Croco Martis *varia: quæ omnia iisdem virtutibus aperiendi obſtructa, & roborandi laxa, pollent, ac quidem hæc* Extracta Chalybeata, *ceu omnibus notum. Conf.* JUNGKEN. Corp. Pharm. univerſ. *pag.* 655. *ubi & melius* Extractum Chalybeatum Hoffmanni, *exhibetur.* Oxymel *quoque* Chalybeatum *extat in* FULLERI Pharm. Extemp. *pag.* 270.

Extractum Marocoſtinum.

MINDERERI *in Aloëdario Marocoſtino.*

Diſp. Wirt. Vienn. Brand. Prag. Batean.

℞. Aloës Succotrinæ, *libram unam.*
diſſolve in
Succorum depuratorum
Abſinthii,
Apii,
Fœniculi, *ana unciis tribus.*
Cichorei,
Fumariæ,
Pimpinellæ, *ana unciis octo.*
Roſarum,
Citri, *ana unciis viginti.*

Stent in digeſtione, ut clarum a ſpiſſo ſeparetur, & feces ſubſideant; ſolutionem claram ſepara, & lento igne evapora ad mellis conſiſtentiam; adde
Extracti Rhabarbari, *drachm. ſex.*
Croci, *drachmam ſemis.*
Myrrhæ, *unciam ſemis.*
Gummi Ammoniaci, in aceti ſcillitici quatuor unciis ſoluti, *unciam unam ſemis.*

Redigantur in extractum, mollioris conſiſtentiæ, cui adde
Mari veri optime triti, *unciam ſemis.*
Coſti corticoſi, *drachmas ſex.*

Exacte mixta ſerventur.

Nunquam ſolum, vel ſine additione activorum purgantium præſcribitur. Inſervit potius pro baſi pilularum cephalicarum; Aloë enim, per ſolutionem in ſuccis, corrigitur, atque, additione Mari veri & Coſti, aromatiſatur, hinc pilulæ laxantes inde compoſitæ nunquam, vel rariſſime, tormina excitant. Vid. huc præſertim SCHULZ. *pag.* 159. *Animad.* ZWELFFERI, *pag.* 137. *ſq.*

Doſis eſt grana duodecim, ad viginti & ultra.

Extractum Melampodii.

Pharm. Bat. p. 71.

℞ Rad. Hellebori nigri veri, cum fibris craſſius pulverat. *uncias ſex.*
Seminis Aniſi, *unciam unam.*
Spiritus Vini, *libras tres.*

Infunde tepide per dies ſex: Fiat Expreſſio & Exhalatio, ex Arte, *Doſis a ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum.*

Uſus potiſſimum creditur antimelancholicus. Conf. ſupra, Eſſentia Melampodii, *& ad eam dicta. Corrigitur vero vis draſtica & cauſtica Hellebori nigri, nonnihil, adjecto opportune ſemine Aniſi: ſed & ſimul infringitur ipſo Spiritu Vini, ut notum. Interim tamen ſemper remanent quædam innatæ & inexpugnabiles quaſi nocendi & turbandi vires. Quare Helleboro caute & parce*

ubique utendum, ut ſupra jam candide monuimus; ad ipſum Helleborum, & alibi, in hoc noſtro opere, paſſim. De ipſo vero Hellebori nigri Extracto, ejusque funeſtis ac letiferis effectibus, vid. Tim. a GÜLDENKLEE, Caſ. Med. 6. *Lib. VII. pag.* 312. *& ex eo* WEDEL. Amoen. Mat. Med. *Lib II. Sect I. C.* 5. *pag.* 251. *item* Plater. Foreſt. Schenck. Dodon. Hildan. Gabelchover, Grüling. Welſch. Bruno. *& alios plures laudatos jam* ZORNIO, *magna copia,* Botanol. *pag.* 276.

Extractum Melanagogum Quercetani.

Diſpenſ. Prag. ex Pharm. Aug. Ref.

℞. Folliculor. Sennæ, *uncias ſex.*
Radic. Hellebori nigri præp. *unc. duas.*
Turbith,
Myrobalanor. omnium, *ana unciam unam ſemis.*
Trochiſcor. Alhandal, *drachm. ſex.*
Florum Violarum,
Roſarum rubr.
Epithymi, *ana pugillos duos.*
Specier. lætificant. Galeni, *dr. duas.*
Succor. optime depurat. Fumariæ,
Pomor. redolentium,
Seri Lactis, *ana quantum ſatis eſt.*

Inciſæ & Contuſæ Species in Liquoribus jam dictis, digerantur, in Balneo; poſtea colentur, exprimantur, depurentur, & in Extractum denique reducantur. Species vero lætificantes non immerito, potius Extracto jam parato admiſceri poſſent, quum alias in Extractione, parum de qualitatibus, communicant.

Atram Bilem, ac ſalſos, aduſtos & retorridos humores evocat: Pſoræ, Scabiei & Elephantiaſi medetur. Datur a ſcrupulo ſemis, ad drachm. dimidiam. *Conf.* POTERII Pharm. Spag. *Lib. I. pag.* 324.

Sed, ne quid diſſimulem, diſplicent omnino in hac compoſitione, folliculi Sennæ, potiſſimum vero turpe illud Turpethum & Trochiſci Alhandal, ne quid de ipſo Helleboro dicam: de quibus cunctis ſuperius ad cavendum, abunde actum. Fortiora igitur & ſaniora illa utique poſtulat hoc ipſum Extractum Melanagogum, *quam ut cuivis, ſine diſcriminine ſexus, ætatis & naturæ, impune exhiberi poſſit. Id moniti, quæſo, obſervent juniores Medici.*

Extractum Nephriticum.

POTER. *Pharm. Spag Lib. I. p.* 326.

℞. Radicum Ononidos, *libras tres.*
quinque aperientium,
Raphani, *ana lib. unam ſemis.*
Seminum Hyperici,
Milii Solis,
Ameos *ana uncias quatuor.*
Foliorum Pimpinellæ,
Betonicæ,
Ceterach,
Artemiſiæ,
Argentinæ,
Piloſellæ, *ana manip. tres.*
Fructuum Alkekengi, *libram unam.*

Infundantur omnia, minutim inciſa, in ſufficienti quantitate, una cum Succi Limonum depurati, *libra una.*

Fiatque ſic lege Artis, Extractum. Antequam vero perfecte craſſeſcat; adde

Sacchari albi, *circiter libr. un. ſemis.*

& tum efficies Extractum Ventriculo gratum. Sine Saccharo autem reducitur in formam pilularum. Utrumque per ſe, vel cum Liquore convenienti, de ſimplici, *drachma ſemis, ad drachmam unam,* exhibetur: cum Saccharo

vero, *uncia dimidia, uſque ad unciam unam.*

Uſus eſt, ut ex ipſo nomine digne impoſito, liquido patet, nephriticus, diureticus, lithagogus & lithonthrypticus: item & antarthriticus & antiſcorbuticus; adeo, ut in cunctis his duris & pertinacibus affectibus, inſigni haud dubie præſidio & levamento dolorum, eſſe poſſit.

Extractum Nicotianæ.

Diſp. Wirt. Brand.

Folia Nicotianæ integra exſiccata, per noctem, in aqua fontana (ſcilicet *libra una* Nicotianæ in *ſex libris* aquæ) macerentur; mane infundantur cribro, ut aqua effluat; folia ita macerata atque aqua abluta in libris decem aquæ fontanæ, magna ebullitione, ad dimidiæ partis conſumtionem, coquantur. Decoctum, albumine ovorum clarificatum, valido igne & celeri ebullitione, ad conſiſtentiam extracti inſpiſſetur.

Maceratio & ablutio Nicotianæ inſtituitur, ut particulæ ſalinæ acres maxime in hac prima maceratione extrahantur; Ebullitio fortis & coctio longa, cum copioſa aqua, eandem ob rationem præſcribitur, ut volatiles & vomitum creantes particulae cum vapore evolent. vid. STAHLII *Mat. Med.* Part. II, 258. pag. 151. & de *Specif.* Cap. I. pag. 319.

Commendatur hoc extractum, ſecundum hanc formulam paratum, in tuſſi pectorali & phthiſica diuturna mitiganda & cohibenda, quod etiam præſtare ſolet, ſi ejus grana tria, vel quatuor, in aqua quadam vinoſa ſoluta, mane in lecto propinentur; &, ſi forte nauſeam vomibundam excitaret, mox, poſt vini calidi aromatiſati, & parum ſaccharati hauſtum, ceſſabit; in febribus etiam diuturnis, tertianis & quartanis, nec non Ictero & Hydrope magni effectus eſt. Vid. SCHULZ. *p.* 160. & *Auctores, qui de* Tabaco *ſcripſerunt, ſupra, Part. I. laudatos.*

Ad grana quinque vel ſex *exhibitum, per ſeceſſum & ſuperiora nonnunquam purgat.*

Extractum Nicotianæ, *ſeu* Peticum Compoſitum.

Pharmacop. Batean. pag. 50. *ſeu* 72.

℞. Folior. Nicot. ſeu peti exot. *unc. duas.*
Aſari recent. *drachm. decem.*
Radicum Glycyrrhizæ, *unciam un.*
Angelicæ,
Galangæ, *ana ſcrup. octo.*
Seminum Aniſi, *drachmas tres.*
Coriandri, *drachmas duas.*

Macerentur tepide, per viginti horas, in
Hydromelitis, *unciis viginti.*

Expreſſ & exhal. ad debitam Conſiſtentiam, Fiat lege Artis, Extractum.

Cujus Doſis ad ſcrupulos duos, *determinatur, cum promiſſo, quod craſſos humores per vomitum, & nonnunquam per ſeceſſum, potenter expurget, feliciterque detur in Aſthmate, & pulmonum tartaro, nec non in febribus, præcipue tertiana & quartana; utile etiam ſit in ictero, hydrope & arthritide: referente ita* SCHULZIO in Prælect. *pag.* 160. *Conf. inf.* Oxymel de Peto, & Syrupus de Nicotiana. *Magnificæ ſunt, equidem fateor, hæ laudes & Nicotiana haud prorſus indignæ: interim tamen, ne quid celem, ſuſpecta & anceps nonnihil mihi hæc videtur compoſitio, & nimiam præſertim copiam folio-*

rum Aſari, quorum vim draſticam in alvo vehementius citanda, & vomitu acrius movendo, ſupra, Part. I. plenius expoſuimus. Conf. ZORN. Botanolog. *p.* 96. *& quos ibi, in utramque partem, allegat Auctores: quibus add.* SCHULZII & SCHEFFLERI Diſſertat. *de* Aſaro: & WEDEL. Amoen. Mat. Med. *Lib. II. Sect. II. Cap.* 4. *pag.* 240. *item* BOERHAAVE, Hiſtor. Plantar. *Tom. II. pag.* 558. *ſq. Ceterum huc etiam quodammodo pertinet illud ſic dictum petum phthiſicum, deſcriptum a* FULLERO, *in* Pharm. extemp. *pag.* 275. *Cujus fumum tubuli ope, intra pulmones hauſtum phthiſicis & aſthmaticis mire prodeſſe, ibi confidenter nimis traditur. Sed quoniam ſuſpecti & ambigui Auripigmenti Semunciam illud continet, nolim hinc cuiquam ſalutis ſuæ cupido, auctor ſuaſorque eſſe, ut tam anceps remedium in ſua damna, improvide tentet. Licet enim ipſum Auripigmentum, demonſtrante* Hoffmanno, *atrox venenum non ſit, tamen quia metallicum eſt, phthiſicis & pulmonem vitiatis tanto minus convenire videtur. Conf. ſupra dicta ad ipſum Auripigmentum, &* GEOFFROY, Mat. Med. *T. I. pag.* 186. *Sed hæc obiter, data occaſione.*

Extractum Opii.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Paris. & reliq.

℞. Opii Thebaici optimi, *unc. quatuor.*
In fruſtula minutim ſciſſum in cucurbita vitrea,
Aquæ communis, ſucci Citri libra ſemis acidulatæ, *libis quatuor* ſolve;
Solutum deple, & per emporeticam filtra, ac calore moderato balnei, ad extracti conſiſtentiam inſpiſſa.

Vires Opii depurati narcoticas aliasque notorias poſſidet; in doſi, *apud adultos,* ultra duo, vel tria grana vix aſcendere ſolemus. *Vid.* WEDEL. Opiolog.

Extractum Opii, *ſeu* Opium Cydoniatum per Fermentationem.

Diſp. Wirt. Brand. Vienn.

℞. Opii puriſſimi, *libram unam.*
ſucceſſive ſolve in
Succi Cydoniorum &
Aquæ fontanæ frigidæ, *ana libris quinque.*

Stent in loco temperato, ſemper impuritates liquori ſupernatantes auferendo, per aliquot dies; poſtea liquor per linteum coletur, ut a ſpiſſo & ſordibus reſinoſis liberetur. Colaturæ adde
Sacchari albi, *uncias quatuor.*

Reponantur in vaſe ſatis capaci, leviter ſaltem operculo tecto, ad fermentationem, in locum temperate calidum, per multos menſes; ſed cave, ne hoc fiat in conclavi clauſo.

Durante fermentatione moveatur ſæpius liquor baculo ligneo, & denuo reponatur, uſque dum ne minimum quid de fermentatione, aut motu inteſtino liquoris, percipiatur; deinde per pannum colatur liquor, ad extracti conſiſtentiam inſpiſſandus. Vid. *Corp. Pharm. univ.* JUNGKEN. pag. 635. & *Diſp. Brand.*

Opium fermentatione non ſolum corrigitur, ſed etiam in ſua virtute exaltatur; parciori igitur doſi præſcribendum eſt, licet ſaccharum & ſuccus Cydoniorum dimidiam fere partem extracti conſtituant, ultra granum non offerri *adulto* debet, *in teneris ſubjectis* decima *vel* duodecima, *imo* vigeſima pars grani ſufficit. *Vid.* SCHULZ. *pag.* 166. *Conf. ſupra,* Eſſentia anodyna Langelotti. & WEDEL. Opiol. *pag.* 57. *ſqq.*

infra vero Laudanum liquidum Cydoniatum Williſii.

Extractum Panchymagogum.

Diſp. Arg. Wirt. Pharm. Reg. CHAR. *T. II. pag.* 577. *ſqq. Vienn. Brand. Prag. Norimb. & reliq.*

℞. Scammonii Aleppenſis, *unc. unam.*
Rhabarbari veri,
Seminis Ebuli, *ana drachmas ſex.*
Agarici albi, *drachmas ſeptem.*
Turbith reſinoſi,
Hermodactylorum, *ana dr. quinque.*
Hellebori nigri, *unciam ſemis.*
Foliorum Sennæ electorum, *uncias duas.*
Colocynthidis, *drachmas decem.*

Rhabarbarum, Hermodactyli, Helleborus & folia Sennæ minutim inciſa infundantur in
Aquæ fontanæ bullientis, *libr. duab.*

Macerentur per viginti quatuor horas, atque, poſt unciam ebullitionem, exprimantur, in expreſſo diſſolvantur
Aloës Succotrinæ, *unciæ tres,* atque ſeorſum ſerventur.

Reliqua vero, Scammonium, ſemen Ebuli, Agaricus, Turbith & Colocynthis per repetitam affuſionem ſpiritus Vini rectificati S. Q. extrahantur, extractiones, per chartam emporeticam filtratae, cum ſolutione Aloës colata miſceantur, atque ſpiritus in balneo abſtrahatur, reſiduum vero, leni igne, ad extracti conſiſtentiam redigatur. Aliud autem Extractum panchymagogum, operoſioris compoſitionis, vid. in MYNSICHTI *Armament.* p 62. & aliud rurſus facilioris & brevioris ZWELFF. in *Diſp. Lugd.* 221. item aliud adhuc, in *Arcan. Goddordian.* pag. 6.

Purgans creditur eſſe univerſale, quod omnes vitiatos humores e corpore educendi vim habeat: priapiſmum tamen ſæpius ex ejus uſu concitatum fuiſſe, obſervavit PAULLINI Obſ. Med. 36. Cent. III. *pag.* 326.

Doſis grana decem, ad quindecim.

Extractum Paregoricum.

Pharm. Batean. pag. 71.

℞. Philonii Romani, *unc. unam ſemis.*
Mithridat. *drachmas quinque.*
Theriacæ Londininenſis,
Diaſcordii, *ana drachmas tres.*
Aquæ Card. Ben. *libram unam.*
Spiritus Vini, *uncias tres.*

Macera, cola & exhala, ſecundum Artem, ut fiat Extractum.

Proficuum in Morbis contagioſis, Catarrhis, doloribus, & Vigiliis: parce tamen & debita cum circumſpectione, eſt adhibendum. Conf. infr. Extracta Sedativa, & Laudana Opiata varia.

Extractum Pectorale.

Pharm. Bat. ibidem.

℞. Folior. Scabioſæ,
Hyſſopi,
Hederæ Terreſt. *ana manip. duodec.*
Marrub. alb.
Jaceæ, *ana manip. decem.*
Tuſſilaginis,
Radic. Helenii, *ana manip. octodec.*

Contuſis exprimatur ſuccus, depuretur, & ad Mellaginem evaporetur, ſecundum Artem.

Detur cochlear unum, ter in die, ſuperbibendo decoctum pectorale, ſufficienti quantitate.

In Raucedine, Tuſſi, aſthmate, aliiſque pectoris morbis, a lenta pituita præcipue ortis, egregium ſine dubio, præſtabit

uſum. Ceterum Conf. ſupra, Elixiria pectoralia *&* Eſſentias pectorales. *Aliud vero Extractum pectorale, huic haud plane abſimile, vid apud* FULLERUM, Pharmacop. extempor. *p.* 144.

Extractum Phlegmagogum Quercetani.

Diſpenſ. Wirt. Ratisbon. ex Pharm. Aug. renov.

℞. Agarici trochiſcati, *unc. quatuor.*
Hermodactylorum,
Turbith,
Foliorum Sennæ,
Seminis Carthami, *ana unc. tres.*
Radicis Eſulæ præparatæ, *unc. unam.*
Colocynthidis, *unc. ſemis.*
Macis,
Salis gemmæ, *ana drach. unam ſemis.*

Præparetur ad normam Extracti panchymagogi; Hermodactylos, folia Sennæ & Eſulam, aqua fontana, ſale gemmæ acuata, reliqua vero ſpiritu Vini rectificato extrahendo, & in extracti conſiſtentiam, leni calore, redigendo.

Serum educit, & additis fortioribus purgantibus, præſcribitur hydropicis. Sed non ſemper ſecure & optato cum ſucceſſu; eſt enim draſticum & violentum, ob Semen Carthami, Colocynthidem & Radicem inprimis Eſulæ: de quibus vid. ſupra, ſuis locis.

Doſis grana duodecim, ad ſcrupulum unum.

Extractum Polychreſtum Emerici.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Pulpæ Colocynthid. *unc. quatuor, drach. ſex.*
Turbith, *unc. quatuor ſemis.*
Cardamomi,
Cubebarum, *ana unc. unam.*

Inciſa infundantur per tres vices, in Spiritu Vini rectificato: abſtrahatur Spiritus, & Remanent. ſerventur.

℞. Folior. Sennæ ſine ſtipit. *unc. octo.*
Rhabarbari electi, *unc. novem.*
Herbæ Epithymi,
Spicæ Indicæ, *ana unc. unam.*
Croci Auſtriaci, *drach. duas.*

Irrorentur Oleo Tartari & Aqua Fumariæ, extrahatur Tinctura, toties repetendo, donec non amplius tingat.

℞. Florum Roriſmarini,
Liliorum convallium,
Paralyſeos, *ana drach. quinque.*
Corticum Citri,
Aurantiorum, *ana drach ſex.*
Specierum pro aqua, ſeu Elix. Vitæ, *libr. unam.*

Inciſa irrorentur Oleo Tartari, & in Vini & Aquæ anatica portione, decoquantur; donec nulla amplius Tinctura extrahatur: In hoc decocto diſſolvatur
Aloës roſatæ, *libra una.*

Omnes prænominatæ ſpecies remanentes coquantur de novo, ut prius, & exprimantur: In hoc decoct. clarificentur
Mannæ electæ, *unciæ ſeptem.*

His duobus Decoctis leniter ad Conſiſtentiam, inſpiſſatis, admiſceantur ſucceſſive, ſuperiores Extractiones, & addendo ſeorſim pulveriſata:
Salis Abſinthii,
Coralliorum,
Vitrioli Martis, ad albedinem calcinati,
Maſtichis electæ,
Myrrhæ rubræ, *ana drach. ſex.*
Magiſterii Scammon *libr. ſemis.*
Jalappæ, *unc. tres.*
Tincturæ Corallior. *drach. ſex.*

Fiat

Fiat ſecundum Artem, Extractum. Quod Extractum, tanquam ſibi olim ſecretum, in memoriam, nobis reliquit famoſus *Electoris palatini Archiater*, tum factus *Capucinus*, R. P. EMERICUS, qui hic Viennæ, in Novi Fori Monaſterio, d. 14. Auguſti, Anno 1690. ſupremum diem obiit.

Ob inſignes Virtutes, viſcera interna roborandi, Obſtructiones, lentoremque impactum reſolvendi, & humores peccantes per Alvum blande ſubducendi, hoc Extractum impoſito Nomine inſignitum eſt. Hactenus Diſpenſ. Vienn.

An vero ſplendidum hoc Nomen jure ſuo & uſu multiplici promereatur operoſa hæc & diffuſa, pæne dixiſſem, Confuſa, Compoſitio? candide quæſo, & aperte pronuncient ſolertiores & prudentiores Medici. Interim quum, quantum equidem ſciam, inſignem hunc ſcilicet theſaurum polychreſtum ſolum Diſpenſatorium Viennenſe nobis liberali quaſi manu, obtulerit; frui quoque paratis his opibus grati voluimus, diligenter caventes, ne iſtis, certe propter exempli veluti raritatem, ſi non, propter ſperandam exinde utilitatem, careret opus, hoc noſtrum pharmaceuticum: licet ſine magno quidem diſpendio, iſtis carere poſſe, ingenue fateamur. Ceterum aliud Extractum polychreſt concinnius, vid. apud MYNSICHT. *p.* 63. & JUNGK. *p.* 671.

Extractum Rhabarbari Simplex.

Diſpenſ. Wirt. Prag. Arg. Ratisb. Brand.

Seligitur optimæ notæ Rhabarbarum, & aqua ſimplici, ad modum aliorum, fit extractum.

Pro baſi pilularum, ubi aloëtica locum non inveniunt, adhiberi ſolet. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 163. & CARTHEUSER. pharmacolog. *p.* 553.

Doſis ſcrupulus ſemis, ad grana quindecim.

Extractum Rhabarbari Compoſitum.

Diſpenſ. Argent. JUNGKEN. *p.* 659.

℞. Pulpæ Colocynthidis, *unc. un. ſemis.*
Florum ſtœchadis Arabicæ,
Turpethi, *ana drach. decem.*
Rhabarbari optimi,
Ellebori nigri, *ana unc. unam ſemis.*
Foliorum Sennæ, *unc duas.*
Cinnamomi, *unc. unam ſemis.*
Dacrydii, *drach. decem.*
Storacis liquidæ,
Maſtiches,
Spicæ Nardi,
Florum Roſarum rubrarum,
Radicis Aſari, *ana drach. unam.*

Fiat ex his omnibus, ſecundum Artem, Extractum.

Majoris quidem efficaciæ hoc eſt Extractum Compoſitum fortiusque purgat, ac præcedens ſimplex, utinam vero & tutius ſimul purgaret; quod equidem vix putem, ob ingentem nempe quantitatem adjectarum ſpecierum draſticarum & violentarum, ſcilicet Colocynthidos, Turpethi, Ellebori nigri, dacrydii, & Radicis denique Aſari; de quibus omnibus ſupra, ſuis locis. Scire igitur hanc Compoſitionem præſtat, quam ipſum in uſum, perquam ambiguum, advocare.

Extractum Scorzoneræ Compoſitum, Ducis Hetruriæ.

JUNGKEN *Corp. Pharm. univ. p.* 671.

℞. Radicum Tormentill. mundat.
Scorzoneræ recentis,
Herbar. Scordii recent.

Uu

Meliſſ. recent. *ana unc. quatuor.*
Pomorum Citri, *No. quatuor.*
Conciſ. & Contuſ. in Mortario marmoreo, Fiat Expreſſio fortis; Expreſſioni adde:
Croci orientalis, *unc. ſemis.*
Deſtill. in Balneo Mar. Materia a deſtillat. reſidua & expreſſ. reaffund. & ex Capite mortuo eliciatur Sal, & conjungatur cum Extracto, addendo:
Electuar. de Gemmis, *drach. duas.*
Lapidis Bezoar. *drach. unam.*
Margaritar. præparat. *drach. duas.*
Fragmentor. Lapid. quinque pretioſor. præparat. *drach. tres.*
Camphoræ, *drach. unam.*
Miſc. Fiat lege Artis, Extractum.

Pretioſum, non diffiteor, hoc quidem eſt Extractum, ſed ſua potius compoſitione, quam ipſa utilitate: quam inprimis ſi ſumtuoſum Additamentum Margaritarum, Lapidum pretioſorum, & Bezoartici, item Electuarii de Gemmis, ſpectetur, admodum exiguam, immo pæne nullam eſſe, re ipſa deprehenditur. Accedit, pretium Extracti præter omnem rationem ac neceſſitatem, hic temere auctum eſſe, inutili & repetita adjectione Margaritarum & quinque Lapidum pretioſorum, quæ tamen cuncta jam in ipſo Electuario de Gemmis, continebantur, ceu nemini non notiſſimum. Sed quoniam magni Ducis ſplendidum Nomen gereret hæc ipſa Compoſitio, ideo ſumtibus haud parcendum videbatur ſcilicet, quo tanto Nomine dignius eſſet Medicamentum: quod tamen quibus potiſſimum Viribus pollere poſſit, præſertim poſt ipſarum Radicum & Herbarum deſtillationem factam; equidem haud ſatis perſpicere valeo. Quin potius, mihi ejusdem pæne efficaciæ eſſe videtur, hoc eſt exiguæ, aut fere nullius, ac alterum quidem Scorzoneræ Extractum ſimplex, deſcriptum in Diſpenſ. Brand. *de quo vera ita pronuuciat Cl.* SCHULZIUS Prælect. *pag.* 163. *Vereor, ut magnarum ſit Virium. Quod & ego omnino vereor, immo aperte & confidenter profiteor.*

Extractum Sedativum Citratum, Cnœffelii.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. univ. p.* 655.

℞. Opii Thebaici, in fruſtula conciſi, & in patella ferrea per leniſſ. exhalat. correcti, *unc. duas.*
Succi Citri, *uncias viginti quatuor.*
Pulv. Cinnamomi,
Caryophyllorum, *ana unc. ſemis.*
Stent per Menſem, in leni digeſtione: deinde Extractio per Linteum exprimatur, & ad melleam Conſiſtentiam, lenta evaporatione, redigatur.

Extractum Sedativum Virile Ejusdem.

Ibidem.

℞. Extracti Sedativi citr. *uncias duas, drach. duas.*
Magiſter. Coralliorum,
Perlarum, *ana grana quindecim.*
Croci Orientalis, *drach. duas.*
Ambræ, *ſcrup. duos.*
Moſchi, *grana quinque.*
Olei Caryophyllorum,
Cinnamomi, *ana guttas quinque.*
Miſceantur; Fiat lege Artis, Extractum.

Extractum Sedativum Muliebre Ejusdem.

JUNGKEN, *Ibidem.*

℞. Extracti ſedativi Citrat. *unc. unam, drach. duas.*

Croci Orientalis, *drach. duas.*
Magiſterii Coralliorum, *unc. ſemis.*
Caſtorei, *drach. unam.*
Olei Succini, *ſcrup. ſemis.*
Miſce: Fiat ſecundum Artem, Extractum.

Nimirum, unum quum noris, omnia noris, ut ait Comicus. Sunt ſcilicet hæc Extracta ejusdem fere Compoſitionis & indolis, ad ſedandos nempe & ſopiendos varios Corporis afflicti dolores haud inſcite Compoſita, ſi modo exceperis Ambram atque Moſchum, quæ ſine Virtutis & efficaciæ jactura, commode omnino abeſſe poſſunt, ut ſupra jam aliquoties monitum, & infra rurſus monebitur. Pertinent vero generatim ad Laudana opiata, de quibus infra, ſuo loco, plura. Conf. & ſupra, Extractum paregoricum, *ejusdem Nominis, licet Græci, ejusdemque ſcopi atque facultatis.*

Extractum Foliorum Sennæ.

POTER. *Pharm. Spag. Diſp. Wirt. Pariſ. Brand.*

℞. Foliorum Sennæ mundatorum, *libram ſemis.*
Macera viginti quatuor horas in
Aquæ fontanæ, *libris tribus.*
loco calido.

Extractum tinctum exprime, ac dein, leniſſimo igne, & ebullitione vix conſpicua, evapora; alias enim fere omnem perdit vim alvum laxandi. vid. SCHULZ. *Prælect.* pag. 163. & CARTHEUSER. *Pharmacol.* p. 552. Ceterum longe præſtantior & utilior ipſo hoc Fol. Sennæ Extracto, eſt *Eſſentia Sennæ compoſita*, cujus deſcriptionem ſupra ſuo loco, dedimus ex *Pharmacop. Londinenſi.* Concinna quoque *Extracti Diaſennæ* eſt Compoſitio tradita a MYNSICHTO pag. 65. & repetita a JUNGKEN. *Pharmac. univ.* pag. 670. aliisque.

Inſervit pro baſi pilularum laxantium, ubi Aloë uti non licet.

Doſis grana duodecim, ad ſcrupulum.

Extractum Solutivum.

Diſpenſ. Brand.

℞. Folior. Sennæ oriental. elector. ſine ſtipit.
Rhabarbari ſelecti, *ana unc. tres.*
Cinnamomi electi,
Seminis Aniſi, *ana drach. unam.*
Tartari tartariſati, *drach. unam ſem.*
In pulverem ſubtiliſſimum redacta, infunde in
Aquæ Endiviæ, *libra una.*

Stent in Digeſtione ignis Arenæ moderati, diem & noctem: poſtea colentur, cum levi Expreſſione. Colatura ad Extracti Conſiſtentiam, denique evaporetur.

Vires ſuas Rhabarbaro & Sennæ, ac Tartaro tartariſato debet, inquit hic Cl. SCHULZIUS, Prælect. *p.* 163. *Niſi blandiſſimo Calore paretur; non ſolum inefficax erit; ſed torminum fæcunda mater exiſtet.* Datur ſcrupulus, ad drachmam dimidiam, vel integram; *ita quidem laudatiſſimus* SCHULZIUS, *amicus noſter eheu! deſideratiſſimus! Mitius tamen immo præclarius de hoc ipſo Extracto, ſentit Cl.* CARTHEUSERUS pharmacolog. *pag.* 558 *ejusque uſum impenſe Commendat. Sed nulla inter utrumque Virum Clariſſ. diſſenſio, modo cujusvis mens rite capiatur.*

Extractum Theriacale.

SCHROEDER. *Pharm. L. II. c.* 57. *p* 211.

℞. Theriacæ Andromach. optimæ, *quantum vis.*

Extrahe ſecundum artem, Tincturam cum
Aqua Vitæ Juniperina, vel
ex Typhis cervinis, vel ſimili
Aqua Bezoardica, ſive Theriacali.

Decantatas Tincturas deſtilla ad remanentiam Eſſentiæ Theriacæ, in Conſiſtentiam Mellis, quam ſerva pro uſu, Titulo Extracti Theriacæ ſimplicis: vel adde Sal ex incinerata Remanentia, elixiriatum, ſub nomine Extracti, ſeu Eſſentiæ alcoliſatæ. Hæc ille.

Sed vid. ibidem, ipſius adjecta monita, haud ſpernenda, circa ipſam hujus Extracti elaborationem, probe obſervanda, hinc merito repetita a JUNGKEN. in Corp. Pharm. Univ. *p.* 645. *Vid. &* SCHULZII Prælect. *p.* 164. *&* CARTHEUSER. Pharmacolog. *p.* 560. *Ceterum Conf. ſupra* Eſſentiæ Theriacales.

Extractum Umbilicale Purgans Dœreri.

BIERLING. *Append. Medicam. p.* 61. *Tabul. Smaragd. p.* 204.

℞. Pulpæ Colocynthidos, *unc. duas.*
Zedoariæ,
Galangæ,
Iridis, *ana unc. unam.*
Agarici, *uncias duas.*
Salis Gemmæ, *drach. duas, ſcrup. duos.*
Macerentur, per Horas duodecim integras, in
Vini Abſinth. *libris duabus.*
Deinde Expreſſo huic addantur:
Galbani, in Aceto ſcillit. ſoluti, *dr. duæ, ſcrup. duo.*
Croci Orientalis, *ſcrup. quatuor.*

Inſpiſſa lento igne, in Craſſitiem Linimenti.

Omnis vero Vis Cathartica pendet hic a Colocynthidis pulpa, non ab Agarico, qui pro ſcopo & uſu externo nimis certe fatuus & inefficax eſt: Quare ejus loco, ſubſtituere commodius mallem Aloën hepaticam, vel Socotorinam, una cum felle taurino, quæ non ſolum alvum laxant, ſed & ſimul vermes forte in inteſtinis puerorum nidulantes, ut fieri frequenter ſolet, potenter expellunt. Ceterum plura ejusmodi Remedia umbilicalia purgantia, tenellorum præſertim in gratiam, reperta proſtant paſſim in Officinis pharmaceuticis. Vid. ſupra Emplaſtrum purgans Cnœffelii, *item* Emplaſtrum contra Vermes, & Emplaſtrum Vermifugum: *nec non infra,* Oleum Colocynthidis, *ut &* Unguentum purgans de Arthanita, *item* Unguentum contra Vermes, & ad Lumbricos, *ut alia plura taceam. Quæ vero circa Cautum & prudentem horum Emplaſtrorum & Unguentorum purgantium & anthelminticorum uſum obſervanda ſint, ſupra jam monuimus, ad modo dictum* Emplaſtrum purgans Cnœffelii, *& infra iterum monebimus, ad* Unguentum Purgans de Arthanita. *Hæc enim Emplaſtra & Unguenta cuncta, incautius adhibita & juſto diutius, teneris infantum corpuſculis impoſita, ſæpius ſæviſſima alvi tormina, fœdas diarrhœas, imo cruentas aliquando dyſenterias, vehementesque vomitus concitaſſe, compertum eſt; ipſo prudentiſſime obſervante* BOERHAAVIO Prax. Med. *Tom. V. p.* 290. *aliisque probe monentibus. Conf* ZORNII Botanolog. *p.* 252. *Ceterum ſimile fere* Emplaſtrum umbilicale purgans. *Vid apud* HARRIS de Morbis Infantum *p.* 60. *& p.* 111.

Extractum Uterinum Poterii.

Pharm. Spagir. Lib. I. p. 322.

℞. Extracti Hellebori nigri, *unc. unam.*
Scammon. repurgat. *drach. tres.*

Aloës Succotrinæ pellucid. *unciam unam ſemis.*
Croci Martis, *drach. tres ſemis.*
Lapidis Hæmatitis, *drach. unam.*
Olei Succini, *ſcrup. unum.*
Macis, *ſcrup. ſemis.*

Miſceantur omnia, pauco Melle roſato addito, ut fiat lege Artis, Extractum.

Ejusmodi Extracto utimur, quando purgatione longa opus eſt, præſertim vero in fœdo & pertinaci fluore albo, atque Mulieres ſunt validæ.

Extractum Uterinum Aliud.

Forte a quodam Empirico Chemico repertum.

POTER *ibidem. p.* 323.

℞. Conſervæ Roſarum, *unc. tres.*
Salis Betonicæ, *drach. unam.*
Olei Sulphuris cum Cryſtallo facti, *grana duodecim.*

Miſceantur exacte: Dentur mane, *drachmæ duæ.*

Ejusmodi Extractum, ſeu Compoſitio certiſſime uterinos meatus obſtructos reſerat, lienis & jecoris durities emollit; item Maſſam ſanguineam ab omni craſſa & lutulenta Materia repurgat. Quid? deperditum Colorem juvenibus pallidis reſtituit: Quibus nihil profuerat tota Ars medica, invincibili Marte etiam pluries adhibito, & iterato, profuit hæc ſimplex Compoſitio, caſu & fortuna reperta.

Hactenus quidem Poterius; *ſatis profecto ſplendide atque magnifice. Neque nos de ingenuo Viri præſtantiſſimi candore, vel hilum dubitamus, quin ipſa fida Experientia duce & hortatrice, hoc ipſum eximium de hoc Extracto, caſu potius reperto, quam Conſilio, teſtimonium perhibuerit. Ceterum Conf. ſupra* Extractum Hyſtericum *ejusdem* Poterii: *Aliud vero Extractum uterinum, haud ſpernendum vid. in* Pharmacop. Amſtelod.

Extractum Uterinum Specificum.

SCHROEDER. *Pharm. p.* 215. JUNGKEN. *p.* 656.

℞ Baccarum Sambuci exſiccatarum,
Chamaeactes, *ana unc. quatuor.*
Radic. paeoniae debite collectarum,
Artemiſiae rubrae,
Dictamni albi,
Bryoniae, *ana unc. duas.*
Viſci quercini,
Seminis Ammeos,
Herbarum Pulegii,
Meliſſae recent. exſiccatae,
Caſſiae ligneae, *ana unc. unam.*
Croci Orientalis,
Caſtorei veri, *ana unc. ſemis.*

Miſce, & extrahe cum Spiritu Vini, Tincturam, & ſepara Spiritum, ad remanent. Extractor: poſtea adde:

Saguin. porcae, in Clibano exſiccat. & cum Aqua Hyſterica praeparati, *unc. ſemis.*
Bezoard. Jovialis, *drach. duas.*
Magiſterii Jovis Anglicani,
Matris perlarum,
Coralliorum, *ana drach. un. ſemis.*
Oleorum Anthophyllorum,
Angelicae,
Succini albi,
Aurantiorum, *ana drach. unam.*

Denuo Miſc. & Fiat Extractum, uſui ſervandum.

Non habemus, inquit ibi Auctor, uterinum ſecretius; Quia in ſuffocatione Matricis, ubi omnia irrita & quaſi deſperata ſunt, eſt Medicina ſaluberrima &c.

vid. ibi plura invidenda, ſed & vix credenda, hujus Extracti Elogia, quæ tædio feſſus, nolim jam exſcribere. Licet enim, ut ingenue fatear, in Morbis uterinis pacandis & placandis, laude ſua & uſu haud defraudanda ſit hæc ipſa ſcita ſatis, & ſi longa nimis, Compoſitio: tamen quædam ipſi inſunt, prius tollenda, partim effœta & uſu vacua, nempe Magiſteria illa Matris perlarum & Coralliorum, partim vero maligna, ſuſpecta & nocentia, nempe Bezoardicum Joviale, *una cum* Magiſterio Jovis Angl. *de cujus Vitioſa & viroſa indole, vid. ſuperius, ſuo loco, dicta. Hinc & hic illud locum habet: procul a Jove, procul a fulmine. Denique & ægre hic concoquere poſſum Spurcum illum porcæ impuræ ſanguinem, nullius certe uſus. Ceterum* doſis hujus Extracti eſt a Scrup. uno, ad drach. ſemis, *mane, in Aqua Hyſteric. vel Artemiſiæ, Meliſſ. Matricar. pulegii, &c.*

Fæcula Ari Radicum.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Prag. & rel. præſertim Diſpenſ. Vet.

℞. Radicum Ari ſucculentarum, a ſordibus & externa pellicula liberatarum, *libras duas.*
Minutim inciſæ, & addita
Aquæ fontanæ, *libra una.*

In mortario marmoreo probe contuſæ, immittantur ſacco cannabino, & ſub prelo fortiſſime exprimantur. Succus expreſſus in vaſe vitreo, vel fictili vitreato, in loco frigido reponatur, ut pulvis albiſſimus ſubſideat, a quo liquor ſupernatans per inclinationem ſeparetur, fæcula vero remanens in umbra exſiccetur. Vid. *Angel.* SALAE *Eſſent. Vegetab. Anat.* Sect. II, cap. 16. pag. 14. ſeq.

Uſus fæcularum obſoletus eſt: ZWELFERUS *putat,* Animadverſ. in Pharm. Aug. pag. 446. *fæculas plane e foro medico eſſe excludendas, & ſi quis præciſe hujus generis medicamentum requirat, ſimplicem radicum mitiorum pulverem efficaciorem eſſe; acriorum vero fæculas facile admitti poſſe. Idem cum Dn. Wirtenbergenſibus, recte ſentiunt alii plures, quos inter & eminet* CHARAS, Pharm. Reg. *Tom. II. cap.* 60. *pag.* 581. *ſqq. vid. &* CARTHEUSER Pharmacol. *p.* 572. *item* LUDOVICI Pharmac. Diſſ. I. *p.* 34. RIVINI Diſſ. de Cenſura Med. officin. *obſtante licet* WEDELIO, Pharm. acroamat. *p.* 317. *ſqq.*

Modum præparandi adpoſuimus, ut, ſi forſan expetantur, etiam reliquæ fæculæ BRYONIÆ, PÆONIÆ, ACETOSELLÆ, &c. ſecundum hanc præſcriptionem, parari poſſint. Conf. Angel. SALA, *loc. cit. cap.* 17. *p.* 15. *& Diſp. Lugd. Fæculæ tamen Bryoniæ plurimum Virtutis in morbis præſertim Virgineis & uterinis, tribuit* BOERHAAVE Hiſt. Plant. *Tom. II. p.* 497. Quercetan. Sennert. Renod. *& alii, laudati a* Sim. PAULLI, *p.* 53. *& præſertim* ZORNIO, *p.* 146. *Fæculam quoque pæoniæ pueris epilepticis plurimum prodeſſe, ex propria experientia affirmat* RIVINUS in Diſſ. de Remed. antepilept. *p.* 285.

Febrifugum Craanii.

Vid. infra

Regulus Antimonii Medicinalis.

Febrifugum Riverii.

Hujus deſcriptionem vid. in Pharm. Batean. *p.* 72.

***

Flores Antimonii Helmontii.

Diſpenſ. Wirt. Brand. vid. Chem.

℞. Antimonii crudi, bene triti, *libram unam.*

ſolvatur in

Aquæ regiæ, *libra una ſemis.*

quod fit maxima effervefcentia, cum ſummo æſtu & fumis denſis ruberrimis, qui tamen mox ceſſant.

Relicta in fundo materia, cineritii flaveſcentis coloris, humida, pultis inſtar, leni igne, baculo agitata exſiccanda eſt.

Hujus materiæ ſicciſſimæ, &

Salis Armoniaci pariter ſicci *partes æquales.*

conterantur, quo diutius, eo melius, ut permiſceantur quam optime; immittantur ſtatim cucurbitæ vitreæ humili, latioris orificii, applicetur alembicus amplus, nitidus, & commiſſuræ luto ex lini farina optime claudantur, ponantur in furno arenæ, cucurbita vero parum verſus alembici roſtrum declinet, ut liquidum inter ſublimandum ex alembico facile exſtillare in excipulum appenſum queat. Cucurbita etiam profunde in arenam immittitur, & arena ad marginem usque alembici apponitur; adhibetur ignis gradatim, primo lenis; prodibit aqua limpida acida, citatiore deinde igne elevantur albi flores. Ita æquabilis ſuſtinetur ignis, eo gradu, ut capitelli calor manu ferri queat, aſcendet omne fere cognitorum colorum genus in alembicum. Frigeſcant ſponte, leniſſime & ſumma cura eximatur cucurbita, detergatur a pulvere externo, & ſolvatur alembicus a cucurbita, cavendo a primo vapore. Sublimatum erit omne fere Antimonium cum Sale Armoniaco in materiam variegatam, cito eximendam, & intra vas vitreum calidum & ſiccum recondendam. *Hæc ex* BOERHAAVE *Elem. Chem.* Tom. II. proceſſ 225. p. 459. ſq.

Validiſſimum, etiam minima doſi, hi flores Antimonii aſſumti præbent emeticum, edulcorati & ab omni ſalſedine abluti, pulverem exhibent rubrum, inſipidum, de quo ultra grana duo adultioribus, *ad vomitus ciendos, vix dare licet. Vid.* BOERHAAVE l. c. *p.* 460. & Diſp. Brand. *ibique* SCHULZ. *p.* 15. & POTER. Pharm. Spag. Lib. II. *cap.* 12. *p.* 385. *it.* LOESEKE, Mat. Med *p.* 74.

Chemicis uſibus etiam inſerviunt.

Flores Benzoes.

Diſpenſ. Wirt. Bat. Brand. Prag. Amſt. Lugd. Vienn. & al.

℞. Benzoës, quantum lubet; pulveriſata immittantur cucurbitæ humili, orificio ampliori; ſuperimponatur, loco alembici, charta convoluta ad pyramidis vel coni, formam, in ſuperiore parte perforata; adhibeatur ignis arenæ leniſſimus, ſic ſublimabuntur flores albi, nivei, penetrantiſſimi ſaporis & odoris; ſingulis horis vel dimidiis, alembicus, ſeu pyramis chartacea mutetur, & flores ſublimati colligantur, atque vitro incluſi ſerventur. Ex libra una Benzoës, non plus, quam uncia una & dimidia, vel duæ florum ſublimantur. Signum ſublimationis abſolutæ eſt; ſi chartaceus alembicus oleo imbutus apparet.

NB. Alii methodo faciliori, flores Benzoës, majori in quantitate parare ſolent, atque hunc in finem retortam vitream, Benzoë vel Aſa dulci, cum æquali quantitate arenæ lotæ, commixta, ad dimidias replent, & ex arena igne per gradus aucto deſtillant. Oleum, quod prodiit butyraceum, in

aquæ fontanae ferventis, decuplo ſolvunt; ſolutionem adhuc ferventem, per pannum, calida madefactum, ut oleum remaneat, trajiciunt, atque flores ex aqua refrigerata, charta bibula imponendos & nullo vel leniſſimo calore ſiccandos, colligunt. Vid. CARTHEUSER. *Elem. Chym.* pag. 98. ſqq. & LE MORT *Chem. Med. Phyſ.* pag. 136. LEMERY *Curſ. Chym.* p. 618. & alior.

Laudantur ad aſthma, & omnes pulmonum affectus; coagulum lymphæ mucido-ſeroſæ ſolvunt, & ſudores movent. Vid. SCHULZ. Prael. *p.* 166. & CARTHEUSER. Pharmacol. p. 465. ſqq.

Dantur grana duo, ad quatuor, ex ovo ſorbili.

Flores Coralliorum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Liquoris a Magiſterio Coralliorum decantati, quantum placet, inſpiſſetur ad Medietatem, vel ultra, ut in Flores ſe cryſtalliſet, qui modicum edulcorentur, filtrentur, & exſiccentur.

Eodem Modo parantur;
Flores Margaritarum,
Matris perlarum,
Et ex aliis Conchyliis,

Virtutes ingredientia ſimplicia referunt, & ipſæ ſimplices ſunt atque exigui uſus.

Flores Lunæ,

D. Charſtadii.

Apud BIERLINGIUM *in Appendice Variorum Medicamentorum. Cap. XXIV. pag.* 161.

℞. Antimonii diaphoret. ſexies cum Nitro crudo, in Crucibulo, calcinati, bene edulcorati & in tenuem pulverem poſtea redacti, *unciam unam.*
Magiſterii Coralliorum rubr. *drach duas.*
Margaritar. *drach. unam.*
Vitrioli cum Aqua Card. Benedict. calcinati, *drach. duas ſemis.*
Unicornu, *ſcrup. ſemis.*
Raſurae Eboris, *drach. unam ſemis.*

Redigantur omnia in tenuiſſimum pulverem, & reſerventur in loco calido, ad uſum.

Doſis eſt a granis ſex, aut ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum, ad ſummum, cum Aquae cordui benedict. uncia una, Violar. vel Bugloſſae, aut alius Aquae Cordial. unc. ſemis.

In affectibus tam malignis, quam benignis, ſudorem indicantibus, ſumme calidis, quibus tuto calidiora Alexipharmaca adhiberi non poſſunt. Ex Litteris D. Ering.

Hæc ita quidem tradit Bierlingius; *ſed neſcio, an ab ipſa experientia ſatis inſtructus. Mihi certe, ut ingenue, pro more meo, fatear, ſingularis quidem Virtus haud ineſſe videtur huic compoſitioni; præſertim ob adjecta ipſi fatua illa Coralliorum ac Margaritarum Magiſteria: omnis enim vis diaphoretica, ſi qua forte Speranda, pendet haud dubie ab ipſo Antimonio diaphoretico, larga quidem copia, addito. Ab unicorum contra atque Ebore, per quam exigua doſi adjectis, parum præſidii atque auxilii ſperandum. Præterea me plane fugit ratio, unde ſplendidam* Florum Lunae *denominationem mereri potuerit hæc ipſa Compoſitio; quum nihil prorſus hic Lunæ, ſive Argenti, appareat: cujus ſplendore illuſtrari quaſi poſſint hæ tenebræ. Igitur plus hic eſt in Titulo, quam in ipſo opere: & aliud nomen indicat, aliud vero ipſa res; diſcordi veluti concordia; quod laudari vix*

vix meretur. Interim tamen hanc ipſam ſic dictam Florum Lunæ Compoſitionem, alibi haud obviam, huic Operi noſtro inſerendam cenſuimus, ne quid forte ab harum rerum curioſis ac ſtudioſis, in iſto deſideraretur. Multa enim, ceu ſæpius jam monitum, hic paſſim allata fuerunt, ut adſint potius, quam proſint: & ut accurata comparatione diligenter inſtituta, ſenſim ſic addiſcant Medici præſertim juniores, quid in tanto variorum Remediorum apparatu, ſit potiſſimum laudabile, quid porro tolerabile, & quid denique vituperabile. Hinc ubique noſtrum qualecunque judicium ab omni præjudicio liberum interpoſuimus.

Flores Marcaſitæ Aureæ.

Diſpenſat. Hamb.

℞. Marcaſitæ calcinatæ,
Salis Ammoniaci, *ana partes æquales.*

Sublima ſecundum Artem, in cucurbita forti. Uſus horum Florum externus tutior eſt interno. Vid. ſuperius dicta Part. I. ad ipſam Marcaſitam, & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. pag. 240.

Flores Martis.

Diſpenſ. Edinb.

℞. Limaturæ Martis, ſine praeparat.
Salis Ammoniaci triti, *ana partes æquales.*

Probe mixta aliquamdiu, committantur loco humido; tum ex Cucurbita cum Capitello vitreo, fiat Sublimatio. Aſcendit primo, Spiritus Salis Ammoniaci, in Recipiens transducendus: Tum Flores albi, ut inutiles, rejiciendi: Tandem Flores flavorubentes e Capitello penna colligendi. E capite mortuo parari poteſt Tinctura Martis, ut etiam ex Floribus. Conf. ſup. Cryſtalli Martis. Interim, dum haec ſcribimus, alios Martis Flores ſubito ingenti copia, exſurgere videmus, ſed ferro plumboque minaces, & ipſum Martem vivum totos ſpirantes. Verum haec obiter, & data occaſione, in perpetuam ancipitis illius diei memoriam.

Flores Vitrioli Martis.

Diſpenſ. Brand.

℞. Vitrioli Martis, ad flavedinem calcinati,
Salis Ammoniaci puriſſimi, *ana quantum vis.*

Conterendo, Miſce exacte, ac Cucurbitae Vitreae plani fundi indita, leni primum igne, dein gradatim fortiori, donec nullum amplius fumum aſcendere videas, urge: Sic cum Sale Ammoniaco juncti aſcendent Flores Vitrioli: Ceſſante fumo, ceſſare fac ignem, ac ſublimatos Salis Ammoniaci, cum floribus Vitrioli, Flores caute collige, atque affuſa aqua limpida, tepido Maris balneo, viginti quatuor horas, fove: Sic ſubſidebit pulvis tenuiſſimus, quem iteratis ablutionibus edulcoratum, pro floribus Vitrioli Martis, ſerva.

Flores Nitri.

MYNSICHTI, pag. 26.

Diſpenſ. Prag. Vienn. Hamb. JUNGKEN *Corp. Pharm. univerſ. p.* 677.

℞. Nitrum praeparatum & ſolve in Aqua Roſar. poſtea inde ollae novae, non Vitreatae, & pone in loco frigido, per aliquot dies; donec Flores Nitri pertranſeant, & parietibus ollae externis adhaereant: qui deinde pede leporino diligenter abſtergan-

tur, & ad uſum, ſine ulteriore praeparatione, ſerventur.

Febribus Hungaricis, & aliis malignis & ardentibus, ſingulariter conducunt, Omnes Inflammationes compeſcunt. Faucium ſcabritiem, confiniumque, partium æſtum, præſertim, quando nigreſcere incipiunt, citiſſime tollunt. Inſuper ad Cordis, Ventriculi, pulmonis, Hepatis, Lienis, Renum, & Veſicæ, intemperiem Calidam alterandam, inſigniter valent. Calculum expellunt, & Urinam remoratam pellunt. Doſis, Drachma dimidia, ad Drachmam unam, *in Ventriculis commodis.*

Hæc quidem ita ſplendide & ambitioſe traduntur ab ipſo Mynſichto*: Sit ergo fides penes Auctorem, & experientia penes illos, qui de ipſa veritate harum mirabilium Virtutum, liquido candideque teſtari poſſunt. Nobis interim cum Cel.* Hoffmanno, *tantiſper dubitare liceat, an hi ipſi Flores florentiſſima laude nimium ornati, ratione Virium, ſingulare aliquid habere poſſint, præ ipſo vulgari* Nitro Cryſtalliſato, *vel aliter* depurato. *Et dubitabunt nobiſcum, ſat ſcimus, haud pauci.*

Flores Salis Armoniaci Simplices.

Diſpenſ. Brand. Wirt. & reliq. vid. Chem.

℞. Salis Armoniaci, quantum vis; ſolvatur in aqua calida & ſolutio filtretur; poſtea in locum frigidum reponatur, & flores in liquore ſubſidentes exſiccentur; liquor vero remanens, pro ulteriori florum collectione, per exhalationem concentretur.

Sunt Sal Armoniacum depuratum, atque easdem vires obtinent; dantur, *ſcopo reſolvendi, in viſcerum obſtructionibus, præcipue ad febres intermittentes*, a ſcrupulo uno, ad drachmam dimidiam, imo integram. *Vid.* Hoffmann. Obſer. Chym. 19. *L. II. pag.* 202. Lamery Curſ. Chym. *p.* 419. Boerhaave, & *alior: hoc enim potiſſimum.*

Flores Salis Armoniaci Martiales, *ſive* Hæmatiſati.

Diſpenſ. Amſt. Wirt. Brand. Vienn. Leod Prag. & rel.

℞. Limaturæ Martis, vel Lapidis Hæmatitæ, ſubtiliſſime triti, *unc. quatuor.*
Salis Armoniaci puriſſimi, *libr. ſemis.*

In pulverem redacta & optime mixta, ac aliquandiu loco frigido repoſita, pellantur ex retorta vitrea, igne arenæ, gradatim aucto; primo deſtillabit liquor ſalinus penetrantiſſimus, tandem, ſatis intenſo, ſublimantur in collum retortæ flores, qui, præter alios uſus, ad eſſentiam martialem parandam adhibentur. Vid. Cartheuser. *Elem. Chym.* p. 97 ſqq & infra, *Tinctura Martis aperitiva, ſive Aroph. Paracelſi.*

Reſiduum in fundo retortæ, per deliquium in cella ſolvendum, liquori martiali externo adſtringenti inſervit.

Incidendi & diſſolvendi, tonicam ac anodynam habent virtutem. Laudantur ſpecifice ad Rhachitidem, in febribus, dolore capitis, ſuppreſſione menſium, lumbricis, & ad tonum ventriculi reſtituendum, nec non appetitum excitandum. Vid. de his, & pluribus aliis Virtutibus le Mort. Chymia, *p.* 134. & Collectan. Chym. Leyd. *p.* 87. *item* Cartheuser. Pharmac. *p.* 464.

A nonnullis in medicamentorum inſidorum claſſem referuntur, quæ ſulphure vaporoſo, cum ſale volatili ſubacri explicito ſpirituum animalium facultates &

ſenſationes hebetant, & ſomnum inducunt, ſi largius ſumantur; caute igitur in præſcribendis illis, ob vim tam adſtringentem, quam ob narcoticam, verſandum eſſe cenſent. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 167. *& qui ibi eam in rem, potiſſimum laudatur,* Jo. Maurit. HOFFMANNUS in Proluſ. 43. §. 9. *qui flores hos inter Venena repoſuit, a cujus ſententia nec nos ipſi longius abſumus, qui ſemper & ubique, magis amamus tutiora ac mitiora, quam quidem violentiora, & ambiguo eventu ſuſpectiora, ut ſæpius jam candide monuimus.*

In doſi, pro tenera aetate, haud ultra granum dimidium, aut integrum; in adultioribus ad grana quinque, octo, vel decem aſcendere licet.

Flores Sulphuris.

Diſpenſat. Prag. Wirt. Vienn.

℞. Sulphuris communis, in fruſta diffracti, *quantum lubet.*

Injice in cucurbitam terream vitreatam, & impoſito alembico amplo vitreo, ex arena ſublima igne non nimium intenſo, ne flores ſublimati fluant, qui, mutatis ſæpe alembicis, ſunt colligendi, & denuo Sulphuris ſubinde aliquid cucurbitæ immittendum, quousque ſufficiens florum quantitas collecta fuerit. Vid. CARTHEUSER. *Elem. Chym.* p. 96. & alios plures.

Ad pectoris morbos, ſcabiem retropulſam, ulcera foetida, interne aſſumti valent. Plurimum tamen de ipſorum Virtute adhuc dubitat Cel. FREIND. Comment. VII. *in I. & III.* Libb. Epidem. HIPPOCR. *pag* 91. *ſqq Conf. &* STAHL. Mat. Med. *Part. I pag.* 185. *Licet* SCHULZ. *p.* 68. & CARTHEUS. Pharm. *p.* 463. *cum aliis, in contraria verſentur ſententia.*

Doſis a granis duodecim, ad ſcrupulum unum.

Flores Sulphuris Albi.

Horum Compoſitionem vid. in *in Pharm. Bat. &* GRULING. *Florileg. Chym. pag.* 324.

Flores Sulphuris Compoſiti.

Diſp. Prag. Wirt. Vienn. Hamb.

℞. Florum Sulphuris ſimplicium, *uncias duas.*
Aloës Soccotorinæ,
Myrrhæ electæ, *ana unciam unam.*
Croci, *ſcrupulum unum.*

Subtiliſſime trita miſceantur.

Loco digeſtivi purgantibus, præſertim ſalinis, præmitti poſſunt; adſcribitur etiam vis alexipharmaca: ut & antipleuritica, in Diſp. Prag. *& aliis. Sed in pleuritide magis obſunt, quam proſunt, ob Aloën, Myrrham & Crocum: utut exigua nimis doſi hic adjectum, quæ ob calidam ſuam naturam, malum potius augent; quam minuunt: ut docuimus* Lib. de Pleuritide. *Cap. III p.* 45. *& Cap. V. p.* 84. *Præſtat igitur ſolos ſimplices ſulphuris Flores tum adhibere. Vid. ibidem, Cap V. pag* 117. *& infra pulveres pleuriticos. Ipſe Cl.* CARTHEUSER. Elem. Chym. *pag.* 97. *prudenter quoque, hos flores compoſitos ſimplicioribus, uſu deteriores eſſe Medicos admonuit. Neque ipſe* SCHULZ *pag.* 168. *ſatis aſſequitur conſilium totius hujus compoſitionis; præſertim vero mira omnino ipſi videtur proportio Croci, ad reliqua quidem ingredientia, minus juſta & adæquata, ut nempe cuivis manifeſtum.*

Doſis ſcrupulus unus.

Flores Zinci.

Diſpenſ. Vienn. Prag.

℞. Zinci, *quantumvis:* ſublimetur in olla vitrea, vel per ſe, vel cum Sale Ammoniaco, vel cum Nitro: dein ab acredine, mediante edulcoratione, liberentur & exſiccentur Flores. Vid. ETTMÜLLER p. 896. & præcipue STAHLII *Diſſertat. de Metallurgia,* it. GLAUBER. *Furn. Phil.* Part. I pag. 158.

In Inflammationibus & ſuffuſionibus Oculorum, optatum hactenus effectum præſtiterunt. In Ophthalmia ex Lympha acriore, hocce, melius hucuſque, nondum ſum expertus, ſcribit BARBETTE, in Prax. *Cap. IV. pag.* 42. *Sed en ipſam compoſitionem.*

℞. Florum Cinci, *ſcrupulum un. ſemis.*
Aquæ Roſarum, *quantum ſufficit.*

Miſceatur, & guttatim, oculis affectis inſtilletur.

Conf. ibi DECKERI Notas, *item* KOENIGII Regn. Mineral. *Sect. II. Cap. XI. p.* 88. *præſertim autem* GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. I pag.* 243. *ſq. ubi & de uſu horum Florum interno agit, quem tamen ego quidem nemini ſuaſerim, quum ne pe mitiora & tutiora remedia ubique proſtent.*

Flos Cordialium, nec non Cardiacum Magnum.

Pharm. Batean. p. 75.

℞. Flor. ſiccat. Rorismarini,
Calthæ,
Tunicæ ſuperbæ,
Borraginis,
Bugloſſæ,
Roſar. rubrar.
pallidar.
Rorellæ,
Violarum,
Actes,
Betonicæ,
Aurantiorum,
Jaſmin. *ana unc. unam.*
Croci Oriental. *ſcrupulos quatuor.*
Fol. Siccat. Cardui Benedicti,
Scordii,
Angelicæ,
Apiaſtri,
Menthæ,
Amaraci,
Valerian. *ana drachm. ſex.*
Radicum Heptàphylli,
Zedoariæ,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Caryophyllat. *ana unc. ſemis.*
Gentianæ, *drach. duas.*
Seminis Ocimi,
Corticis Citri,
Santali citrini,
Baccarum Juniperi,
Kermes,
Cardamomi, *ana unc. ſemis.*
Cubebarum, *drachm. tres.*
Cortic. Saſſafras,
Xylaloës, *ana unciam unam.*

Contuſis contundendis adde deinde:
Spiritus Vini, *libras triginta.*
poſt Macerationem debitam abſtrahe per Balneum Mar. *libras viginti.*
Quæ ſerventur ad uſum, nominatae.

Flos Cordialium.

Reſidui fiat Expreſſio & Colat. quae per ulteriorem Deſtillationem, exhaletur ad Mellaginem. Singulis hujus unciis accurata admiſce

Sacchari candi albi, *uncias duas.*
Succi chermeſin. *unciam unam.*
Tincturae Coralliorum, *drach. ſex.*
Margarit. praeparat. *unciam ſemis.*
Terrae ſigillat. *drachmas duas.*

Bezoar. Animal.
Oriental. *ana drachm. unam.*
Ambrae griſ. *ſcrupulos duos.*
Moſchi, *ſcrupulum ſemis.*
Foliorum Auri, *No. viginti.*
Miſceantur ſecundum Artem, ut Fiat

Cardiacum Magnum.

Revera Magnum hoc eſt Medicamentum ratione magnæ ſuæ & diffuſæ compoſitionis; an vero ſimul magnum ſit Cardiacum, ratione virtutis cardiacæ & analepticæ? id demum candide &, ut ita loqui liceat, cardiace, pronuncient ipſum ejus uſum experti. Nos certe ipſa experientia fida deſtituti, judicium noſtrum interponere cunctamur. Interim tamen hanc ipſam Compoſitionem egregiis viribus roborantibus ac nervinis pollere, vel ex ipſarum Specierum generoſiorum copia ac delectu, cuivis in Arte peritiorum, protinus, ſpero, manifeſto patebit. Quare & iſtam huic quidem operi noſtro inſerendam merito cenſuimus.

Gelatina Cornu Cervi Citrata.

Diſp. Wirt. Pariſ. Edinb. & rel.

℞. Raſurae cornu Cervi puriſſimae, *uncias ſex.*
Lavetur aqua tepida aliquoties, coquatur in
Aquae fontanae *libris ſex*, ut reſtet *libra una*, ſaepius coletur, ut clarificetur gelatina, cui, adhuc calenti, adde
Syrupi ex toto Citro, *unciam unam.*
Reponantur in locum frigidum.

Reſtaurat & humectat, in febribus malignis, ut & colliquativis, tabe &c. præſcribitur. Vid. RIEDLINI Lin. Med. *Ann.* 1695. *Menſ. Jun. Obſ.* 19. *pag.* 176.

Gilla Theophraſti, *ſive* Sal Vomitorium Vitrioli.

Diſp. Prag. Brand. Hamb. Argent. Wirt. Pariſ.

℞. Vitrioli albi, *uncias ſex.*
ſolvantur in
Aquae fontanae calentis, *libra una ſemis.*

Solutio per chartam bibulam filtretur, atque rurſus, leni igne, ad ſiccitatem evaporetur & ſervetur.

Ut plurimum ſaltem vomitus excitat, rariſſime per inferiora purgat. Ob magnam doſin nauſeoſum eſt remedium; datur enim a ſcrupulo dimidio ad drachmam in aqua calida. A nonnullis uſus hujus Gillæ ſumme diſſuadetur; ſunt vero etiam, qui cum Crollio, Hartmanno, *& aliis Chymicis, in apoplexia ſeroſa, catarrho ſuffocativo, febribus, in peſte, & ubi ſuſpicio philtri eſt, magnopere commendant. Vid.* SCHULZII Praelect. *pag.* 169. CARTHEUSER, Pharmacol. *p.* 35. *inprimis* WEDEL. Amoen. Mat. Med. *pag.* 296. *ſqq. qui ab uſu ejus non abhorret. Sed præſtat ab eo penitus abſtinere, quod tutiora & mitiora præſto ſunt Emetica. Conf.* GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. I. pag.* 129.

Globuli Bezoardici.

vel & Lapides Contrayervæ.

Pharm. Bat. p. 59 *Wirt. Tab. Smar. p.* 214.

℞. Extremitatum pedum Cancrorum marinorum, *uncias quatuor.*
Lapidum Cancrorum fluviatilium,
Margaritarum Orientalium,
Coralliorum rubrorum, *ana unc. un.*
Succini albi præparati,
Radicum Contrayervæ,
Serpentariæ Virginianæ, *ana drachmas ſex.*

Bezoar Orientalis, *drachmas tres.*
Oſſium e cordibus cervorum, *ſcrupulos quatuor,*
Croci optimi, *ſcrupulos duos.*
Trochiſcorum de viperis, *unc unam.*

Fiat pulvis, qui cum gelatina cornu cervi miſceatur; unde formentur globuli, *drachmam unam* vel *duas* pendentes, poſt ſiccationem deaurandi: ut nempe *Lapides* ſic dicti *Contrayervæ*, quibus hi Globuli ſimillimi. Conf. *Pharm. Bat.* FULLER. *Pharm.* ext p. 217.

Vires cardiacæ, alexeteriæ, & ſudoriferæ ſunt; commendantur in variolis & morbillis, febribusque malignis omnibus. Vid. infra Pulv. Bez. Angl.

Doſis a ſcrupulo ſemis, ad drachmam ſemis.

Globuli Carminativi Utechti.

Vid. ZWINGERI *Diſſert. de Nitro,* pag. 205.

Diſp. Prag. Vienn. Wirt.

℞. Saponis Veneti, *uncias quatuor.*
Fellis Tauri, *unciam unam ſemis.*
Nitri depurati, *unciam ſemis.*
Sacchari, *uncias duas*

Formentur inde Globuli diverſæ magnitudinis.

Valde celebres ſunt hi Globuli in Terris Franconicis & Suevicis, nec contemnendæ efficaciæ, ad alvum obſtructam referandam, flatusque elici endos, quando nempe Suppoſitoriorum conſuetorum ritu, inferiori gutturi ſordido commode intruduntur. ita SCHULZ. in Prælect. ad Diſpenſat. Brand. *pag.* 191. *Conf. infra ſuo loco,* Suppoſitoria.

Globuli ad Fonticulos.

WOYT *Gazophylac. Med. p.* 368. *& apud alios.*

℞. Ochræ flavæ, *unciam ſemis.*
Radicis Ireos Florent. *drachm. duas.*
Ceræ citrinæ, *unciam unam.*
Terebinth. opt. *quantum ſatis.*

Ad formandos globulos, vel piſa artificialia concinnanda.

Plures ejusmodi formulæ ac compoſitiones occurrunt paſſim in Libris præſertim Chirurgorum, unde peti commode poſſunt, ſi quis his noſtris nondum contentus, varietatis deſiderio, alia forte aveat.

Globuli ad Fonticulos Alii.

FRAUNDORFF. *Tab. Smaragd. p.* 207. *& apud alios.*

℞. Turpeth.
Hermodact. alb.
Agaric. alb.
Herb. Ivæ arthritic. *ana drachm. ſex.*

Fiat pulvis ſubtiliſſimus, cui adde
Ceræ Citrinæ novæ, *uncias quatuor.*

Cera ſolvatur in patella, in Aqua calida: poſtea addantur pulveres, & Fiat Maſſa, & ex hac Maſſa, Globuli, ad uſum.

Globuli ad Fonticulos.

Belgis uſitati, *ibidem.*

℞. Scammon. pulv. *ſcrupul. ſemis.*
Turpeth, *drachmam unam ſemis.*
Agarici, *ſcrupulos quatuor.*
Iridis Florentinæ, *drachmam ſemis.*
Pulp. Colocynthid. *drachmam unam.*
Ceræ flavæ recent. *uncias duas.*

Fiant lege Artis, Globuli juſtæ magnitudinis, & ſerventur notis uſibus.

Globuli Martiales,

(Gallis *Boules Martiales* dicti.)

Diſpenſ. Pariſ. Wirt. Argent. CHARAS *Pharm. Reg. T. II p. 752. Leod.*

℞. Limaturæ Martis in alcohol tritæ, *libram ſemis.*
Tartari albi pulveriſati, *libram unam.*
Miſce, inde cucurbitæ, vel alii vaſi vitreo, affunde
Spiritus Vini, *libram ſemis*, vel *uncias octo;*
Maſſam vel ſolis, vel fornacis vel balnei calori expone, ut digeratur & leniter exſiccetur. Cui deinde denuo tritæ
Spiritus Vini eandem quantitatem affunde;
Digere poſtea & exſicca, laborem toties repete, donec maſſa quaſi reſinoſa appareat. Ex qua globulos efforma, ad Ovi columbini magnitudinem.

Uſus horum globulorum imprimis eſt externus ad vulnera; Hæmorrhagias, luxationes, ſugillationes &c. Diſſolvuntur in aqua & ſpiritu Vini, usque dum liquores bene ſaturati ſint, quo tum imbuntur linteamina & applicantur. Sed ſunt etiam, qui pro uſu quoque interno, hos ipſos Globulos Martiales, ad Grana decem, quindecim, & ultra, præſcribunt. Vid. Diſpenſ. Argentin.

Globuli Moſchati Albi.

Diſp. Prag. Wirt. Ratisbon. & rel.

℞. Sacchari Canarienſis, *unc. duodecim.*
Amyli albi, *unciam ſemis.*
Radicis Ireos Florentinæ, *drach. duas.*
Moſchi optimi, *grana quatuor.*
Zibethi, *granum unum.*
Cum Mucilagine gummi Tragacanthæ fiant globuli, diverſæ magnitudinis.

Nonnulli Maſſam laccæ pictoriæ *uncia dimidia* tingere ſolent, atque.

Globulos Moſchatos Rubros.

Exinde conficiunt.

Uſus in ſuppoſitoriis notiſſimus: ſed non ſemper ſecuriſſimus, præcipue autem in fœminis dilicatioris uteri; præſertim autem puerperis, quibus tamen ſæpius applicari ſolent iſti Globuli moſchati, ut notum, quum tamen & dulces ſint, & inſuper Moſcho atque Zibetho infecti, quæ omnia utero vel maxime inimica ut nemo neſcit. Vid. interim RIEDLINI Lin. Med. *An.* 1696. *Menſ. Aug. Obſ.* 20. *pag.* 391.

Gummi Guttæ Præparatio.

℞. Gummi guttæ in pulverem triti, *uncias tres.*
Solvantur in aceti vini albi, *unciis novem*, poſt ſufficientem digeſtionem, clarum a ſpiſſo, per inclinationem vaſis, ſeparetur, atque leni calore in vaſe vitreo ad extracti conſiſtentiam, acetum evaporetur.

Per hanc præparationem acrimoniam & vim emeticam, gummi guttam perdere, atque in ſecurum purgans abire perhibent.

Hydropicis ad ſcrupulum dimidium exhibetur; *ſerum enim potenter educit: Sed & interdum animam: Vid. ſupra, Part. I. ad* Gummi Guttæ, *dicta &* SCHULZ. Prælect. *pag.* 180.

Guttæ Anglicanæ Anodynæ.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Corticis Saſſafras,
Radicis Aſari, *ana unciam unam.*
Ligni Aloës, *unciam ſemis.*

Opii ſelecti, *drachmas tres.*
Salis Volatilis Cranii,
Sanguinis humani, *ana drachm. ſemiſſem.*
Spiritus Vini rectificat *libram unam.*

Digere Balneo Maris, per viginti dies: decanta, & uſui ſerva.

Ipſum Nomen, & ipſa præſertim Compoſitio de ſperando harum Guttarum anodynarum ſucceſſu, clariſſime teſtatur: id tantum monendum, perquam parcum & moderatum eſſe debere ipſarum uſum, qnoniam larga nimis opii quantitas adjecta eſt, a qua potiſſimum omnis vis anodyna pendet, ceu notum. Ceterum non minorem, credo, virtutem anodynam habituræ eſſent, etiamſi omiſſum in compoſitione fuiſſet Sal illud inhumanum & deteſtabile Cranii & Sangui is humani. Nos enim ejusmodi crudeles dapes Thyeſteas vehementer merito abominari, paſſim jam in hoc opere monuimus.

Guttæ Anglicanæ Cephalicæ.

Diſp. Wirt. CHARAS *Pharm. Reg. Part. II. p.* 629. *Conf. & p.* 868.

℞. Spiritus volatilis Serici crudi, ab oleo empyrevmatico liberati, *uncias quatuor.*
Olei deſtillati Lavendulæ, in ſpiritus Vini rectificati *uncia una* ſoluti, *drachmam unam.*

Miſceantur & digerantur, poſtea ex retorta deſtillentur.

Effectus e nomine patet; non ſolum vero ſunt cephalicæ, ſed & uterinæ & nervinæ. Conf. ſupra Part. I. dicta ad Sericum crudum toſtum.

Doſis guttæ triginta, ad quadraginta.

***

Hepar. Anguillæ Præparatum.

Diſp. Vienn. Wirt. Prag & rel.

Vino abluatur, lentoque igne exſiccetur.

Ad partum difficilem & ſecundinarum retentionem, in pulvere, a ſcrupulo uno, ad ſcrupulum unum ſemis, *non ſine fructu* exhibetur. *Quod multis exemplis ex præſtantiſſimorum Medicorum obſervationibus, petitis, luculenter probat* PAULLINI, Tract. de Anguilla, *Cap. III. pag.* 150. *ſqq. Conf. ſupra Part. I.* Anguilla & BINNINGERI, Obſ. Med. 22. *Cent. III. pag.* 272. *item* HELMONT. *ap.* WEDEL. Amoen. Mat Med. *L. II. S.* 2. *C. XI. pag.* 407. & STAHL. Mat Med. *P. II. pag.* 36. *item* FRANCKENAU Sat. Med. *VIII. p.* 161 *ſqq.* & Commerc. litt. Med. Norimb. *An.* 1732. *pag.* 78.

Hepar Canis Rabidi Præparatum.

Vino ablutum in clibano exſiccatur.

Ad Hydrophobiam a nonnullis commendari ſolet: præſertim a Palmario, *ſed merito obſt ntibus & negantibus viris maximis,* BOERHAAVIO, in Aphoriſ. & *ibi in* Comment. SWIETENIO, *Tom. III pag.* 588. *aliisque. Mirum ergo eſt,* STAHLIUM *ſuſpectum hoc & ambigui effectus & eventus plenum Remedium, ceu omnium optimum, impenſe laudare potuiſſe,* in Mat. Med. *P. I. pag.* 309. *Part. II. p.* 53. & Append. de Specificis, *Cap. I. pag.* 322. *Equidem hic haud credulus illi.*

Doſis drachma dimidia, ad integram.

Hepar

Hepar Lupi Præparatum.

Pari modo, in fruſta diſſectum, vino abluitur & exſiccatur. Vid. *Diſp. Vienn.* & *Argent.* &c.

Epatis vitiis conferre creditur, ideoque hydropicis, emaciatis, & tuſſientibus commendatur: Sed plerumque ſine effectu.

Doſis drachma una; & ultra: *immo totum Hepar, modo ad palatum foret. Vid.* Diſp. Argent. *l. c.*

Hepar Sulphuris.

Diſp. Leod. Wirt. & al. vid. Chem.

℞. Florum, vel Sulphuris puriſſimi flavi, *uncias quatuor.*

Fluant in vaſe figulino vitreato & ſucceſſive admiſceantur

Salis Tartari ſicciſſimi, *unciæ duæ.*

Diligenter ſpatula agita, & ab igne remota, ſerva.

Inſervit tincturæ & ſyrupo, nec non lacti Sulphuris parandis. Vid. infr. Syrupus Sulphuris, *ſeu* Arcanum Bechicum WILLISII.

Hydromel Simplex.

Diſp. Paris. Wirt. Hamb. & reliq.

℞. Mellis deſpumati, *uncias duas.*

Aquæ fontanae, *libras duas.*

Coquantur & deſpumentur ſimul ad *libræ unius ſemis* remanentiam, colentur.

Ad diverſas in Diſpenſatorio obvias compoſitiones requiritur. Vid. BOERHAAVE Elem. Chem. *T. II. p.* 168. *ſqq.*

Hydromel Tartariſatum Correctum Horſtii.

Vid. Appendix ad THONERI *Obſ. Med. pag.* 367.

℞. Aquae pluv. deſtillat. *libras decem.*

Tartari albi opt. contuſ. *libr. unam.*

Decoq. ad Conſumt. duarum partium, lento igne: deinde add.

Fol. Senn *uncias quatuor.*

Epithymi, *drachmas ſex.*

Rad. Cichor. *unciam unam ſemis.*

Herb. Fumar.

Meliſſ. *ana manipul. unum.*

Conſerv. Flor. Borrag.

Bugloſſ. *ana unc. unam.*

Flor. Geniſt.

Violar. *ana pugill. quatuor.*

Stoech. Arab. *drachmas tres.*

Decoq. iterum, & repone, dum refrigeſcat; poſt Colat. adde:

Mellis deſpumati, *libras duas.*

Iterum decoq. deſpuma ad Conſiſt. Julepi; in fine add. Nitri praep. *drachm. ſex.*

Tandem fervefactae, ſtent in fermentatione, infundendo aliquid Fermenti.

Roſmarini recentis, *pugill. un. ſemis.*

Galangae,

Cinnamomi, *ana ſcrupul. unum.*

Poſt Fermentationem, reponantur.

Magnam in corrigendis & expurgandis vitioſis corporis humani humoribus, virtutem huic operoſæ Hydromelitis Tartariſati, compoſitioni, tribuunt Inventor HORSTIUS, *& Corrector* THONERUS, *in ſuis* Obſervat. & Conſultationibus, *paſſim. Neque laude ſua defraudandum eſt iſtud quidem Hydromel Compoſitum; ſi nempe opportuno & juſto Tempore, in uſum prudenter advocetur. Conf.* BRUNERI Conſil. Med. XIV. *pag.* 104.

* * *

Infuſum ſeu Aqua Angelica Viennenſ.

Diſp. Vienn. Prag.

℞. Cremoris Tartari, *drachmas duas.*
Aquae fontanae, *uncias octo.*
Coquantur ad Remanentiam, *unciarum ſex*, in quibus deinde clarificentur
Mannæ Calabr. electæ, *unciæ duæ aut tres.*
In Ebullitione poſtea addatur,
Succi Citri recentis, *uncia ſemis.*
Refrigeſcat, & ſuper Cortices Pomi Citri unius exteriores, coletur Infuſum: Cui placet, pro ſtimulo, in ebullitione, denique addi poteſt
Magiſterii Tartari gurgantis, *drach. ſemis, vel ſcrup. duo.*

Bilem, ſeroſosque Ventriculi tunicis impactos viſcidos humores blande per inferiora ſubducit.

Infuſum, ſive Aqua Laxativa.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Folior. Senn. orient. ſine ſtip. *uncias tres.*
Paſſularum minorum, *unc. un. ſemis.*
Rad. polypodii quercin. *drachm. tres.*
Seminis Coriandri, *drachmas duas.*
Cremoris Tartari, *unciam ſemis.*
Miſc. & decoq. cum Aquæ font. ſuff. quant. ad *libras duas.*
Colaturæ poſt fortem expreſſionem, addantur.
Mannæ Calabrinæ electæ, *unciæ octo.*
Colata & lege Artis, clarificata, ſervetur uſui.

Vires ſunt eædem, ac in præcedenti Infuſo: utrumque vero apprime convenit cum Infuſo laxat. Vienn. *de quo infra.*

Infuſum Aſellorum, *ſeu* Millepedum.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Aſellorum vivor. mundat. & vino albo lotor. *unc. duas.*
Contuſis in Mortario lapideo, inſperge,
Pulveris Seminis Aniſi, *drach. unam.*
Deinde fiat fortiſſima Expreſſio cum adjectis
Aquæ Chærefolii,
Hyſſopi, *ana unciis quatuor.*
Cui denique addantur,
Syrupi de duabus Radicibus, *uncia una.*
Elæoſacchari Citri recenter parati, *drachm. duæ.*
Mixta ſtent per aliquot horas, ſeu per Noctem: dein per Linteum decantentur *unciæ duæ pro doſi*, ſæpius de die ſumenda, & quotidie recenter paranda.

In obſtructionibus hepatis, Lienis, Meſenterii &c. reſerandis, dolore nephritico, difficultate urinæ, hydrope, aſthmate & raucedine, valde commendatur. Conf. ſupra Aquæ Millepedum, *ejusdem Virtutis.*

Infuſum Cardiacum Fulleri,

pag. 186.

℞. Conſerv. Roſarum rubrarum, *unciam unam.*
Florum Borraginis, *uncias duas.*
Cortic. Citri Condit. *drachmas ſex.*
Affunde his contuſis,
Aquæ Borraginis, *uncias novem.*
Ulmariæ, *uncias tres.*
Roſarum damaſcen. *uncias duas.*
Miſce diligenter in Mortario

marmoreo, macera frigide, *horam unam*, & Colatur. adde:

Succi Chermes, *unciam ſemis.*

Limonum, *unciam unam.*

Syrupi e Rubo Idæo, *unciam ſemis.*

Trajice per Manicam Hippocratis, & fiat liquor clarus.

Bibat patiens ter, de die, uncias quatuor, *in febri ardente, affectu hypochondriaco & melancholico. &c.*

Infuſum Catarrhale Gorteri,

CHARAS *Pharmac. Reg. Tom. II. pag.* 861.

℞. Salis Ammoniaci purificati,

Alcalini fixi ex Abſinthio, *ana drachmam unam.*

Solve ex Infuſionis

Summitatum Hyſſopi,

vel

Scabioſæ,

vel

Salviæ,

vel

Veronicæ.

vel

Agrimoniæ,

vel

Ligni Saſſafras,

vel tandem,

Glycyrrhizæ, *libris duabus.*

Doſis ab unciis duabus, ad uncias tres, ſingulis horis.

Infuſum Epilepticum Fulleri.

pag. 187.

℞. Viſci arbor. conciſ. & contuſ. *uncias quatuor.*

Succi Rutæ, *unciam unam.*

Spiritus Vini commun. *unc. quatuor.*

Aquæ fontan. *uncias viginti ſeptem.*

Salis Tartari, *ſcrupulos duos.*

Infunde leni tepore, duodecim horas: Col. per ſubſid. depur. adde denique, ſub finem,

Syrupi pæoniæ, *uncias quatuor.*

Miſceantur.

Conf. ſupra Aquæ Epilepticæ variæ.

Iufuſum ad Fluorem Album.

Diſp. Vienn.

℞. Radic. Rubiæ Tinctorum, *unc. tres.*

Semin. petroſelini hortenſ. *unciam unam ſemis:*

Herb. Pulegii, *unciam ſemis.*

Caryophyllorum,

Cubebarum, *ana numero viginti.*

Macis,

Croci, *ana ſcrupulum unum.*

Inciſ. & Contuſ. infundantur per viginti quatuor horas, in

Vini generoſi, *libris octo.*

Colatura ſervetur uſui futuro.

Præmiſſis præmittendis, mane poſt digeſtionem, libra ſemis *calidiuſcule ſumatur.*

Infuſum contra Hydrophobiam Præſtantiſſimum.

GEOFFROY *Mat. Med. Tom. III. pag.* 540.

℞. Foliorum Galegæ,

Rutæ hortenſis,

Roriſmarini,

Salviæ,

Angelicæ ſilveſtris,

Groſſulariæ olentis,

Lepidii latifolii,

Spongiolæ,

Roſæ ſilveſtris,

Fol. & Rad. Bellidis ſilveſtris minoris,

Allii Bulborum, *ana partes æquales.*

Contundantur, & contuſis, pro

ſingulis hujus Maſſæ Manipulis, adde deinde:

Salis communis, *uncias quatuor.*

Vini generoſi, *libras quatuor.*

Digerantur in Vaſe clauſo, per aliquot dies, identidem agitando.

Hujus infuſi Cyathum unum, aut alterum, bis, die, ſumat æger, a cane rabido demorſus, mane ſcilicet, jejuno ventriculo, & veſperi, tribus, poſt prandium, horis, per octiduum, celebrata prius Venæ ſectione. Si febris accendatur, ſanguinis miſſio erit iteranda, non interrupto hujus Remedii uſu. Nihil vero alimenti ſumat æger, niſi duabus, poſt aſſumtum Remedium, horis elapſis. Exterius vulneri, ſi opus ſit, ſufficienter dilatato, linamentum hoc vino imbutum apponatur, & poſt duodecim horas, renovetur: vel etiam Herbæ ipſæ contuſæ, & vino madentes, eodem modo, applicentur.

Decantatum hoc & plurimis experimentis comprobatum apud Turonenſes & Pictones præſertim, Infuſum communicavit cum Nob. GEOFFROY, *illuſtriſſimus quondam* Chaurelin, *cujus & nobis adhuc ſancta eſt memoria, ceu ipſe ibidem gratus fatetur. Neque nos de inſigni hujus Remedii efficacia ullo modo dubitamus, eſt enim eximia prorſus & appoſita Compoſitio. Unus tamen nobis adhuc ſupereſt ſcrupulus ſcil. vix commode ac patienter ingeri poſſe hoc ipſum infuſum a cane rabido demorſis & in hydrophobiam jam delapſis, quos quippe miſerrimos ad omnia viſa aut oblata liquida mirum dirumque in modum, exhorreſcere & atrociſſimis convulſionibus protinus corrigi ſolere, ubivis notiſſimum. Applicari ergo illud tum tantum feliciter poterit, ubi funeſtus ille Aquæ metus nondum invaluit. Tunc enim ſero nimis omnis venit medicina.*

Infuſum contra Hydropem.

Ex BOERHAAV. GAUBIUS, *de Form. med. pag.* 150.

℞. Radic. Ariſtoloch. utriusque, *ana unc. unam ſemis.*

Zingiberis, *drachmas ſex.*

Summitatum Abſinthii vulgaris,

Centaurii minoris,

Baccarum Juniperi, *ana unc. unam.*

Salis Abſinthii, *unciam ſemis.*

Conciſa, tuſa, miſta infundantur cum

Spiritus Juniperi vulg. *libris quatuor.*

Inſolentur per aliquot dies, vaſe clauſo;

Tum bibat ægrotus unciam unam, *quater de die, vacuo ſtomacho, cum regimine. Conf. infra* Species aperitivæ & hydragogæ pro Infuſo.

Infuſum Laxativum Mannagettæ.

Diſp. Wirt. Ratisbon. Hamb.

℞. Foliorum Sennæ electorum, *drachmas tres.*

Cremoris Tartari, *drachmam unam.*

Paſſularum minorum, *drachm. tres.*

Zinziberis albi, *ſcrupulum unum.*

Infunde in

Aquæ fontanæ ferventis, *unc. quat.*

Poſt digeſtionem, per viginti quatuor horas, exprime, in colatura diſſolve

Mannæ Calabrinæ, *unciam unam.*

albumine ovi clarifica.

Datur pro una doſi, eo effectu, quem inſcriptio docet. *Mire illud laudat* RIEDLINUS, Lin. Med. *An.* 1696. *Menſ. Octob. Obſ.* 7. *pag.* 481. & SPINDLERUS, Obſ. Med. *II. pag.* 4. *in Schol. vid.* & SCHULZ. *p.* 74.

Infuſum Laxativum Viennenſe.

Diſp. Vienn. Wirt. Prag.

℞. Foliorum Sennæ electorum, *unc. tres.*
Paſſularum minorum, *unc. un. ſemis.*
Radicum Polypodii querni, *dr. tres.*
Seminis Coriandri, *drachmas duas.*
Cremoris Tartari, *unciam ſemis.*
Miſceantur & infundantur in
Aquæ fontanæ bullientis, *libris duabus ſemis.*

Poſt digeſtionem per aliquot horas exprimantur, in expreſſo diſſolvantur
Mannæ electæ, *unciæ octo.*
clarificentur & ſerventur.

Alvum leniter laxat, & ab unciis duabus, ad tres præſcribitur.

Præſtat vero recens paratum, quam aſſervatum diu, facile aceſcens.

Infuſum contra Scorbutum Acrem.

BOERHAAVE *Mat. Med. p.* 142.

℞. Acetoſellæ, *manipulum unum ſemis.*
Betonicæ,
Chaerophylli, *ana manipulum ſemis.*
Tamarindorum, *unciam unam ſemis.*
Conciſa, infunde poſtea, cum
Seri Lactis aeſtivi, *libris tribus.*

Spatio Horae, in calore fere fervido, abſque ebullitione tamen: dein per Linteum expreſſo adde,
Syrupi e ſucco Citri,
Rubi Idæi,
Violacei, *ana unciam unam.*

Bibat ægrotus omni ſemihoris, interdiu, *unc. unam.*

Infuſum Tamarindorum.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Tamarindor. ſine Nucleis, *libr. ſemis.*
Elæoſacchari Citri, *de duobus pomis.*
Succi pomi Citri unius.
Cremoris Tartari, *drachmas duas.*
Cum Aquæ fontanæ ferventis, *libr. octo.*
Fiat lege Artis Infuſio, & Colat.

In ictero, febribus biliosis & ardentibus, magno commodo adhibetur. Sed plura ejusmodi Infuſa vid. in eodem Diſpenſ. *præcipue vero apud* FULLERUM, *pag.* 184. *ſqq.* & JUNCKERUM, de Form. *pag.* 81. *ſqq.*

Infuſum in Vomica Pulmonali Vulnerarium.

BOERHAAVE, *Mat. Med. pag.* 146.

℞. Fol. tenerior. Agrimoniæ,
Betonicæ,
Botryos,
Hederæ terreſtris,
Scabioſæ,
Tuſſilaginis,
Veronicæ, *ana unciam ſemis.*
Rad. Glycyrrhizæ, *unc. unam ſemis.*

Miſc. Fiat Infuſum, ſine ebullitione, in magno calore, vaſe accurate clauſo, cum
Aquæ ſimplicis, *libris duabus.*

De quo bibat Aeger, pro lubitu, frequentius.

Julapium in Aeſtu Febrili,

BOERHAAV *Mat. Med. pag.* 103.

℞. Gelatinæ Cydoniorum, *unc. unam.*
Diamori Nicolai, *uncias duas.*
Syrupi Acetoſitatis Citrei, *unc. un.*
Aquæ ſtillat. Borraginis,
Meliſſæ, *ana uncias quatuor.*
Simplicis, *uncias viginti quatuor.*
Vini Rhenani, *uncias tres.*

Miſceantur; *bibat æger ſenſim, ad ſitim levandam.*

Similia Julapia refrigerantia vid.

apud BARBEIRAC. *de Form.* pag. 31. *Pharm. Bat. p.* 82. JUNCKER. *de Form.* p. 69. ſqq.

Julapium Antemeticum.

CHARAS, *Pharm. Reg. Tom. I. pag.* 88. *item* BARBEIRAC, *de Formul. p.* 34.

℞. Aquæ Cinnamomi tenuioris, *uncias quatuor.*
Menthæ,
Abſinth. compoſ.
Succi Limonum, *ana unc. duas.*
Salis Abſinthii, *drach. unam.*
Syrupi ſimpl. *unc. unam ſemis.*
Miſceantur.

Sumantur de hoc egregio Julapio, ſenſim, ex intervallo, tria cochlearia. *Mire illud corroborat debilem ac ſolutum Ventriculum, nauſeam fluentem & ſurgentes vomendi conatus compeſcit; Sal vero iſtud neutrum, quod ex ſucco Limonum & Sale Abſinthii enaſcitur, deſtruit & præcipitat acre iſtud fermentum, quod irritat ſtomachum ad vomendum.*

Ceterum ſimile fere Julap. antemet. *vid. apud* FULLER. Pharm. ext. *p.* 195. *qui addit ibi* Laudani liquidi *guttas* 40. *quod equidem non improbo.*

Julapium Antidyſentericum.

Idem CHARAS, *ibidem, p.* 89.

℞. Aquæ plantaginis,
Centinodiæ, *ana unc. unam ſemis.*
Roſarum, *unc. unam.*
Cinnamomi hord *drach. duas.*
Olei Amygdalarum dulcium,
Syrupi Diacodii, *ana unc. unam.*
Miſc. Fiat lege Artis, Julapium.

Sub finem dyſenteriæ, exhauſta jam & repurgata materia acri & irritante, ſolaque inteſtinorum laxitate ac debilitate adhuc reſtante, hoc quidem Julapium, eximium præſtabit uſum, mitigando, leniter adſtringendo, & roborando.

Julapium Antifebrile Sydenham.

Epiſt. Reſponſ. I. p. 21. *T. II. Opp. pro Infantibus tenellis.*

℞. Aquæ Ceraſorum nigrorum,
Vini Rhenani opt. *ana unc. duas.*
Cortic. Peruv. ſubtiliſſ. pulv. *dr. tres.*
Syrupi Caryophyllorum, *unc. unam.*
Miſceantur: Fiat lege Artis, Julapium.

De quo Capiat infans Cochleare unum alterumve, pro ratione ætatis, quarta quaque hora, donec paroxyſmi *non amplius diſcrucient: inſtillando, alternis doſibus, ſi diarrhœa adfuerit, Laudani liquidi Sydenhamiani, guttam unam, vel guttas duas.*

Julapium Camphoratum.

Diſpenſ. Lond.

℞. Camphoræ, *drach. unam.*
Sacchari puriſſimi, *unc. dimidiam.*
Aquæ bullientis, *libram unam.*

Camphora primum cum Paulo Spiritu Vinoſo rectificato teratur, ut molleſcat; deinde cum Saccharo, donec perfecte miſceantur: denique Aquam ſenſim adde, & Mixturam in operto vaſe frigefactam cola.

Julapium Catarrhale Gorteri.

CHARAS, *Pharm. Reg. Tom. II p.* 861.

℞. Aquæ Pulegii,
Hyſſopi, *ana unc. quatuor.*
Salis Ammoniaci depurati,
Abſinthii, *ana ſcrup. duos.*
Radicis Contrayervæ,
Theriacæ, *ana drach. ſemis.*

Laudani liquidi Sydenham. *guttas viginti.*
Olei Corticis Citri,
Saſſafras, *ana guttas quatuor.*
Sacchari albi, *drach. unam.*
Syrupi papaveris albi, *unc. unam.*
Miſc.
Doſis, uncia una, *omni hora.*

In Catarrhis Epidemicis malignis, Anno 1733. *univerſam fere Europam infeſtantibus, multisque hominibus, præſertim ſenibus & infantibus, funeſtis, Infuſum hoc atque Julapium Gorterianum, præſentiſſimum veluti auxilium tuliſſe, multosque mortalium leto quaſi eripuiſſe, ipſa experientia convictus, perhibet ibi* Auctor, *p.* 862.

Julapium Cordiale.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 199.

℞. Aquarum Meliſſæ,
Ceraſorum nigror. *ana unc. tres.*
Cinnamom. hord. *unc. duas.*
Epidem. *unc. unam ſemis.*
Pæon. compoſ.
Syrupi Caryophyllor. *ana unc. unam.*
Limonum, *unc. ſemis.*
Confect. Alkermes, *ſcrup. quatuor.*
Miſc.

Julapium Cretaceum Antacidum.

GAUB. *de Form. p.* 211.

℞. Cretæ puriſſimæ lotæ, *unc. unam.*
Sacchari albiſſimi, *unc. unam ſemis.*
Accurate his contritis ſenſim admiſce:
Decocti Cornu Cervi, *libr duas.*
Tincturæ Cortic. Cinnamomi, *unc. ſemis.*
ut Fiat ex Arte, Julapium.

Cujus doſis Cochlear. unum, quavis hora: *Lagena autem, ante uſum, ſemper concutiatur.*

Simile huic maximam quidem partem, Julapium Cretaceum *aliud proſtat in* Pharm. Batean. *cui, quod mirum, græcum additur Elogium iſtud:* ἐν τῇ καρδιαλγίᾳ ἄριστον, *quod nempe ſit optimum in Cardialgia, ſeu dolore oris Ventriculi, Remedium. Aliud denique Julapium ex Creta, Saccharo & Gummi Arab. paratum, vid. in* Pharm. Lond.

Julapium Diaphoreticum.

BARBEIRAC, *de Form. p.* 37.

℞. Aquar. Cardui Benedicti,
Scabioſæ, *ana unc. tres.*
Naphæ, *drach. duas.*
Pulver. Viperæ, *grana quindecim, aut ſcrup. un.*
Syrup. papav. Rhœad. *drach. ſex.*
Miſc. Fiat Julapium, *hora Somni, ſumendum.*

Julapium Diureticum Calidum.

BARBEIRAC *ibidem p.* 37.

℞. Aquæ Herniariæ,
Decocti Aſparagi, *ana unc. tres.*
Millepedum in clibano exſiccat. *dr. ſemis.*
Succi Summitatum Aſparagi, *unc. un.*
Spiritus Terebinthinæ, *guttas quind.*
Syrupi Capillorum Veneris, *unc. ſex.*
Miſc. Fiat Julap. *Mane & ſero ſumendum, per triduum.*

Julapium Diureticum Frigidum.

BARBEIRAC, *p.* 36.

℞. Aquarum Lactucæ,
Flor. Malvæ, *ana unc. tres.*
Succi parietariæ rite defæcati, *uncias duas.*
Syrupi de Nymphæa, *drach. ſex.*

Spiritus Salis dulcificati, *guttas octo.*
Miſc. Fiat Julapium, *exhibendum mane & ſero per triduum.*

Julapium in Febribus Commodiſſimum.

Boerhaave, *Mat Med. p.* 103.
℞. Aquæ Hord. commun. ſimpl. *unc. quadraginta.*
Rob. Ribeſiorum, *unc. quatuor.*
Spiritus Salis tot Guttas, *quod ſufficiunt.* ad gratum acorem,
Aquæ ſtillat. Cinnamomi, *unc. unam.*
Miſceantur: Capiat exinde æger, quantum opus ſit, ad æſtum temperandum & ſitim fallendam.

Julapium Hyſtericum.

Charas, *Pharm. Reg. p.* 88.
℞. Aquarum Rutæ, *unc. octo,*
Pæoniæ Compoſitæ,
Bryoniæ compoſ. *ana unc. un. ſem.*
Aſæ fœtidæ, *grana duodecim.*
Camphoræ, *grana ſex.*
Tincturæ Caſtorei, *drach. duas.*
Syrupi pæoniæ, *unc. unam.*
Miſc. Fiat lege Artis, Julapium.
Cujus doſis ſit ab unciis duabus, ad tres.

Egregium eſt anthyſtericum, anthelminticum, antiſpaſmodicum, anodynum & Cephalicum. Conf. ſupra Aquas Hyſtericas, & Julapium Cephalicum Fulleri, Pharm. Extemp. *pag* 178. *ejusdem fere compoſitionis plura Julapia Hyſterica vid. in* Pharm. Batean. Gaub. *p.* 214 & Fuller. *p.* 204.

Julapium Moſchatum.

Diſpenſ. Lond.
℞. Aquæ Roſarum Damaſcenar. *unc. ſex.*
Moſchi optimi, *grana duodecim.*
Sacchari puriſſimi, *drach. unam.*
Tere Saccharum cum Moſcho, & gradatim add. Aquam Roſar.

Julapium Moſchatum Antiſpasmodicum.

Gaub. *p.* 214. & Fuller. *p.* 205.
℞. Aquarum Roſar. Damaſcenar. *unc. ſex*
Naph. *unc. unam.*
Cinnamom fort.
Pæoniæ Compoſit. *ana unc. duas.*
Moſchi opt.
Ambar. griſ. (cum Salis Corn. Cerv. *gran. quatuor,* ſubactor.) *ana grana tria.*
Croci, minutim ſciſſ. & in ſindone ligat. *ſcrup. unum.*
Olei ſtillat. Nucis Myriſticæ,
Caryophyllor. *ana guttam unam.*
Confect. Alcherm. *ſcrup. quatuor.*
Syrupi Caryophyllorum, *unc. unam.*
Miſc. Fiat Julapium, de quo, *quovis bihorio, aliquot cochlearia ſumantur.*

Julapium Moſchatum Infantum.

Fuller. *Pharm. Extemp. p.* 206.
℞. Aquar. Ceraſorum nigr. *unc. duas ſem.*
Pæoniæ Compoſ. *unc. unam ſemis.*
Spiritus Lavendulæ compoſ. *guttas duodecim.*
Moſchi, (cum Sal. Corn. Cervi *grano uno.*
&
Sacchari candi albi, *drach. una ſemis.*
Optime ſuper porphyritem lævigati,) *grana ſex*
Margaritar. lævigatar. *ſcrup. unum.*
Miſc. Fiat lege Artis, Julapium.
Dentur de eo, drachmæ duæ, vel tres, ter in die, vel ſæpius, Infantulo recens nato, *contra Convulſiones, atque ita*

ita plus, pro ætatis ratione, bimulis, trimulisve, Tuſſi convulſiva vexatis.

Julapium Perlatum Cordiale.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 207. SYDENHAM. *p.* 35. *& p.* 187. *Tom. I. opp.*

℞. Aquar. Ceraſor. nigror.
Lactis Alexet. *ana unc. quatuor.*
Cinnamom. hordeat. *unc. duas.*
Epidem.
Pæon. compoſit. *ana unc unam.*
Margaritar. præparat. *drach. unam.*
Sacchari Candi albi, *drachm. tres.*
Miſc.

Pracedit. ibidem aliud Julap. perlat. paris virtutis. Aliud. vid in Pharm. Bat.

Julapium Perlatum Roborans in Languore.

GAUB. *de Form. med. p.* 211.

℞. Aquæ ſtillat. Ceraſor. nigr. *unc. octo.*
Pulegii, *unc. duas.*
Cinnamomi, *unc. unam ſemis.*
Vitæ Matthioli, *unc. ſemis.*
Margaritarum præparatar. *drach. un. ſemis.*
Confect. Alkerm. *drach. duas.*
Elæoſacchari Citri, *drach. tres.*
Miſc.

Julapium Perlatum Temperatum.

CHARAS *Pharm. Reg. p.* 88.

℞. Aquæ Lactis alexeteriæ, *unc. ſex.*
Roſarum Damaſcen. *unc. duas.*
Cinnamomi tenuioris, *unc. quat.*
Margaritarum, *drach. unam.*
Sacchari candi, *drach. tres.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem, Julapium.

Quod odore juxta ac ſapore, ægrotis per quamgratum, præſertim in vehementiore æſtu febrili, quem quippe blande temperat, præterea quoque reſolutum ſtomachum roborat, humoresque acres ibi collectos ac hærentes ſenſim exonerat.

Doſis ad ſex circiter Cochlearia *extendi poteſt, per ſtata juſtaque temporis intervalla, propinanda.*

Julapium Refrigerans.

MORELL. *de Formul. pag.* 493.

℞. Syrup Violar. *drach. duas ſemis.*
Nymphææ,
de Endivia, *ana unc. unam ſemis.*
Aquar. Lactucæ,
Cichorii,
Endiviæ, *ana unc. quatuor.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, Julapium, in ardore & ſiti febrili, commendabile: plura id genus Julapia vid. apud Auctores ſupra laudatos.

Julapium Roborans in Metu Abortus.

GAUB. *p.* 213. *ad Exempl.* BOERHAAV.

℞. Vini Rhenani, *libras duas.*
Aquæ ſtillat. Cort. Citrei, *unc. quat.*
Tincturæ Granor. Kermes, *unc. duas.*
Cinnamomi,
Balſami Embryon. *ana unc. unam.*
Gelatinæ Cornu Cerv. Citrat. *unc. unam ſemis.*
Syrupi Rubi Idæi, *unc. duas.*

Miſc. Fiat Julapium, de quo *capiatur uncia ſemis* in Languore ac debilitate.

* * *

Julapium Roſatum

ſive

Julepus Roſarum.

Diſp. Argent. Wirt. Ratisbon. Vienn. Hamb. Brand. Prag.

℞. Sacchari albiſſimi, *libr. duas & ſem.* ſolve in
Aquæ Roſarum, *unc. viginti.*

Poſt unicam ebullitionem, cola per pannum, & ſerva.

Utimur hoc & aliis Julapiis ad edulcorandas emulſiones, & plerumque ſcrupuli duo, vel tres adduntur unciæ aquæ, vel emulſionis. Vid. SCHULZ. Prælect. *p.* 170. & CARTHEUSER. Pharmacol. *p.* 656.

Julapium Sambucinum.

Vid. laudata modo Diſpenſatoria.

Paratur eodem modo, quo julapium roſatum.

Julapium Violarum.

Vid. eadem Diſpenſatoria omnia.

Ex aqua Violarum optima & Saccharo, uti præcedens, conficitur.

Julapium Vitæ ſic Dictum.

Pharm. Bat. p. 83.

℞. Vitellor. Ovor. recent. *No. duos.*
Sacchari albi, *unc. ſemis.*
Olei Cinnamomi, *guttas tres.*
Vini albi, vel Hiſpanici, *unc. ſex.*

Exactiſſime miſceantur, ſecundum Artem.

In Animi defectione, maximaque Virium debilitate, vel in Moribundis, auxilio fuit.

Mira profecto ſunt, quæ hic de hoc quidem Julapio, prædicantur: utinam & ſemper vera eſſent! Nullum adhuc equidem vidi Moribundum, qui hoc Remedio, alias ſat egregio; analeptico & Cardiaco, a limine pallentis Erebi revocaretur, & in Vitam jam pæne deſuetam reduceretur. Experiantur ergo alii, nec ipſo forſan feliciores.

Jus Viperarum.

Diſp. Lond. BARBEIRAC. *de Form. p.* 124. CHARAS *Pharm. Reg. Tom. II. p.* 615.

℞. Viperam mediocris magnitudinis, pelle, capite & inteſtinis ademtis,
Aquæ, *libras duas.*

Coque ad Menſuram Circiter Seſquilibræ; Remove ab igne; & quum perfrixerit, ſi vipera recens ſit, aufer pinguedinem concretam. Deinde pullum Gallinaceum mediocris magnitudinis, exenteratum, cute adipeque omni detracto, ſed indiviſum, in hoc jus adhuc frigidum immitte; igni impone, ut ebulliat; deinde remove ab igne, exime pullum, & ſtatim carnem ejus in fruſtula divide: carnes diviſas iterum Liquori adde, & igni admove; denique, cum primum ebullire incipit, effundatur, ſpuma caute ablata. Aliud jus Viperin. B. VATERI noſtri, vid. *in Commerc. litt. med. Nor.* An. 1736. p. 190.

Jusculum Antepilepticum.

BARBEIRAC. *de Form. p.* 120.

℞. Radic. pœoniæ Maris, *drach. duas.*
Valerianæ ſilveſtris,
Enulæ campanæ, *ana drach. unam.*
Folior. Salviæ, *pugillum unum.*
Cichorei amari, *manip. unum.*
Cancros fluviatiles vivos & contuſos, *No. duos.*

Cum fruſtulo colli vervecini, fiat juſculum.

Plura ejusmodi juſcu'a medicata vid. ibidem & in ſqq. ut & apud FULLER. p. 215. ſqq.

Kermes Minerale, item Panacea Conerdingiana, & Pulvis Carthuſianorum, *ſive* Sulphur Antimonii Rubrum.

Diſp. Arg. Wirt. Ratisbon. Brand. Pharm. Reg. CHAR. *P. II. p.* 846.

℞. Nitri fixi, *libr. duas ſemis.*
ſolve in
Aquæ fontanae, *libr. quindecim.*
ſolutionem filtra & ſeorſim ſerva.

℞. Antimonii crudi Hungarici, in fruſtula fracti, vel groſſiori modo contuſi, *libras tres.*

Superaffunde
Liquoris alcalini, modo praeſcripti, *libr. ſeptem.*

Coque in figulino vaſe, igne per unam vel alteram horam leniter continuato, poſtea liquorem effunde & filtra;
Eidem Antimonio liquoris iterum affunde *libras quinque*, & ut antea coque; liquorem effunde & filtra.
Tandem reliquam liquoris portionem, Antimonio affunde, coque & filtra uti dictum.

Liquor, per filtrum ita colatus, requieſcat per viginti quatuor vel plures horas, ſi pulvis rubicundus fundum petet, qui poſtea, affuſa aqua calida, ſæpius edulcoretur, & uſui aſſervetur. Nonnulli ſpiritum Vini rectificatum ſuper incendunt. Vid. CARTHEUSER. *Elem. Chym* p. 157. & alios. Præſertim *Commerc. litt. med. Norimb.* An. 1735. p. 179. ſqq. & KLEIN, *ſelect. rat. Medic.* p. 113. ſqq.

Eſt ſulphur auratum Antimonii mitigatum. Creditur ſanguinem per tranſpirationem mundificare, diureſin aperire. Datur in febribus intermittentibus, hydrope, aſthmate, in cruditatibus primarum viarum. Agit leniter per ſuperiora & inferiora.

Doſis eſt a grano uno, ad quatuor vel quinque.

Vid. Franc. Xaver. MILLARS Diſſ *de* explorata Kermes Mineralis efficacia: *add.* HOFFMANNI Obſ. Phyſ. Chym. *p.* 289. *& ſqq.* van SWIETEN. Tom II. Comment. in BOERH. p. 797. CARTHEUSERI pharmacol. *p.* 498. *& inprimis* SCHULZ. Prælect. *p.* 341. *item* GEOFFROY, Mat. Med. *T I. p.* 226. *ſqq. ubi plura de ipſius Virtutibus; & noviſſime* HUPHENUS, in Transact. Angl. Vol. XLVIII. *Part. II.* 22. *item Franciſc. Xaver.* SOEZER Differt. *de* Kermes mineral. *Viennæ* 1758.

Lac Aluminis.

Pharm. Batean. p. 85.

℞. Aquæ Album. Ovor. *unc. ſex.*
Pulveris Aluminis, *unc. unam.*
Spiritus Vini, *libr. duas.*

Optime & diu in vaſe vitreo conquaſſentur, ut fiant demum, inſtar Lactis.

Arcanum habetur in Gonorrhœa, profluvio albo, Menſibus immodicis, &c. Doſis cochlear. duo, vel tria, ter in die. *Aſſumtum, ad uncias duas, hora, ante paroxyſmum, ſæpe curat Tertianam. Sed ſæpius etiam non curat, & vehementiores in corpore ægro, excitat turbas, Morbumque Morbo addit. Præterea, quoniam Arcanum habetur, Arcanum proinde maneat, & haud temere in uſus internos advocetur; propter vim Aluminis valde adſtringentem. Vid.* GEOFFROY, Mat. Med. *Tom I. p.* 141. *Conf. ſuperius dicta ad ipſum Alumen.*

Lac Ammoniaci.

Ibid. pag. 85. Diſpenſ. Lond.

℞. Gummi Ammoniaci puriſſ. *dr. tres.*
quæ ſenſim ſolvantur in
Aquæ Hyſſopi frigidæ, *unciis ſex.*
in Mortario frigido, ſecundum Artem.

Detur ſæpe Cochlear unum, pro-vice, *in difficultate Anhelitus, & Aſthmate, &c.*

Lac Aſæ Fœtidæ Hyſter.

Pharm. Bat. p. 82.

℞. Aſæ fœtidæ opt. *drach. unam ſemis.*
Solvatur ſine Calore, in
Aquæ Cerasor. nigrorum, *unc. ſex.*
in Mortario frigido, ut lacteſcat.

Sumatur Cochlear unum, initio paroxyſmi uterini, & repetatur poſt ipſius finem.

Lac Benzoini.

Ibid. p. 85.

℞. Spiritus Benzoin. *unc. unam.*
Aquæ Hyſſopi, vel Scabioſ. *unc. duod.*
Miſc. ſecundum Artem, ut lacteſcant.

Aſthmaticum eſt, & pectorale blandum. Conf. *ſupra,* Eſſentia Benzoes ſimplex.

Lac Scammonii, *ſeu* Liquor Acuens.

Pharm. Bat. p. 85.

℞. Pulv. Scammon. *drach. ſex.*
affund. in Mortario frigido, paulatim
Aquæ Cinnamom. hordeat. *unc. octo.*
inter affundendum, diu agitando,

Liquor lacteſcens ſeparetur a picea ſubſtantia: Cujus doſis, Cochlear. unum, *uſus, ſuaviter purgans.*

Lac *ſeu* Magiſterium Sulphuris.

Diſpenſ. Amſt. Wirt. Leod. Brand. & rel.

℞. Sulphuris citrini puriſſimi, *unc. duas.*
Cinerum clavellatorum, vel ſalis Tartari, *unc. ſex.*
Aquæ fontanæ, *libr, tres.*

Coque in vaſe figulino, ad tertiæ partis conſumtionem. Reſiduo per filtrum trajecto inſperge aceti vini quantum ſatis ad præcipitationem; præcipitatum ſæpius aqua fontana tepida ablue, & denique leniſſimo calore exſicca. Vid. CARTHEUSER. *Elem. Chym.* p. 148. &c & plura apud FRANGKENAU, *ſat. Med.* XV. p. 277. ſqq. Aliam vero Compoſitionem vid. *in Pharm. Bat.*

Earundem virium eſt, ac flores Sulphuris, & inprimis ad pectoris morbos adhibetur. Immo præſtiterit, inquit, SCHULZIUS, *p.* 171. *crudum Sulphur, aut Flores ejus adhibuiſſe: idem ſentit* CARTHEUS. Pharm. *p.* 495. *qui inde hoc Lac pro ſuperfluo & inutili præparato inſuper habet. Recte conſ.* BOERHAAVE Elem Chem. *T. II. p.* 373.

Lac Virginis.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Ratisbon. Brand. Hamb.

℞. Lithargyrii ſubtiliſſime triti, *libr. ſem.*
Coque in
Aceti Vini deſtillati, *libra una ſemis.*
ad conſumtionem tertiæ aceti partis, tunc filtra. Colaturæ affunde
Aluminis crudi, in aquæ communis libris duabus ſoluti, *unc. quatuor.*

Et albeſcet liquor, qui Lac Virginis vulgo dicitur. De quo vid. plura apud FRANCKENAU, *Satyr. Med.* XV. p. 279. ſqq.

Pro coſmetico habetur, quod tene-

rioribus, *a ſolis calore quaſi ambuſtis, promte ſuccurit, ſi faciem eo illinant. Etiam lentigines & ſerpigines delet. Quotidianum aut frequentem uſum autem minime ſuademus. Conf.* LUDOVICI Pharmac. *Diſſ. I. p.* 605. & SCHULZ. Prælect. *p.* 171.

Lac Virginis vulgo quoque vocatur, aqua quæcunque coſmetica, in cujus unciam unam inſtillantur guttæ circiter decem Tincturæ Benzoës.

Lacerta Viridis.

Vid. infra ſuo loco.

Mercurius Præcipitatus Viridis.

Lapis Alexeterius.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 217.

℞. Succini optimi,
Corallior. rubror. *ana drach. ſemis.*
Antimonii diaphoretici,
Radicis Contrayervæ,
Oculor. Cancrorum, *ana drach. unam.*
Chelar. Cancror. *unc. ſemis.*

Miſc. Fiat pulvis, ſuper porphyritim lævigandus, qui Gelatina Corn. Cerv. exceptur, formetur in Globulos: Addi poſſunt.

Ambræ griſeæ, *grana duodecim.*

Uſus jam ex Nomine conſtat. Conf. *ſupra,* Globuli Bezoardici, & *infra* pulv. Anglicanus, & Contrayervæ compoſitus.

Lapis Calaminaris Præparatus.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. & rel. vid. Chym.

℞. Lapidis Calaminaris, *libr. unam.*

Cadnefiat ter vel quater in crucibulo, atque toties in Aqua Plantaginis vel Roſarum extinguatur; poſtea ſiccatus in ſubtiliſſimum pollinem teratur, atque ſuper marmore lævigetur.

Uſus eſt externus in Collyriis, Unguentis & Emplaſtris, ſiccat & adſtringit. Vid. Diſp. Argent. &c.

Lapis Divinus, *ſive* Ophthalmicus.

CHARAS Pharm. Reg. *P. II. p.* 856.
Wirt. Leod. Pariſ. & rel.

℞. Vitrioli de Cypro,
Nitri puriſſimi,
Aluminis crudi, *ana unc. tres.*
Optime contuſa & pulveriſata liquefiant in vitreo vaſe, calore arenæ, quibus liquefactis adde
Camphoræ tritæ, *drach. unam ſemis.*
Mixta & refrigerata maſſa ſervetur.

Adhibetur in Collyriis, ad oculorum affectus.

Vid. le Diſcours, touchant les merveilleux Effets de la pierre divine, *a Paris,* 1750. *item* CHARAS, *l. c.* & *de* ST. YVES, *item* ANTOINE & WOOLHOUSE, de Morb. Ophthal. *paſſim ut* & HEISTER. & PLATNERUS, in Opp. chirurg. *Cap. de Ophthalmia, aliique chirurgi plures: quibus quippe, ceu notiſſimum, hoc quidem Lapide divino, in Morbis oculorum curandis, nihil uſitatius.*

Lapis de Goa *vel* Pedracordial, *ſeu* Lapis Cordialis Indicus.

Diſpenſ. Wirt. vid. VALENTINI Ind. literat. *Epiſt.* 40. *p.* 497. *ſqq. &* KAEMPFERI Amoen. exot Faſcic. II. *p.* 397.

℞. Coralliorum alborum,
Rubrorum,
Bezoar Orientalis, *ana unc. unam.*
Margaritarum Orientalium,
Lapidis Hyacinthi præparati,

Topaſii,
Sapphiri,
Rubini, *ana unc, ſemis.*
Smaragdi,
Moſchi Orientalis,
Ambrægriſeæ, *ana drach. duas.*
Foliorum Auri, *Nro. quadraginta.*

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui mucilagine Tragacanthæ, vel gelatinæ cornu cervi in paſtam redigatur, ex qua formentur globuli ovali forma, qui, poſt ſiccationem in umbra, vel concha, vel dente lupino, ut eleganter niteant, poliantur.

Rari vel nullius uſus eſt apud nos medicamentum hoc pretioſum; apponere tamen illud, curioſitatis gratia, ex Pharmacopœia Bateana voluimus; vocatur alias Pedra cordial & Bezor de Goa, *unde apportatur, & a Patribus Soc. Jeſ. Caſparo Antonio & Nicolao Momitio componitur, atque pro arcano habetur. Vid. plura apud* KAEMPFERUM, *in* Amœnitat. Exoticis, *Faſcicul. II. Relat.* 9. *pag.* 397. *præſertim vero, in* VALENTINI Indiæ Literatæ *Epiſtola XL. quæ eſt* Eberhardi *Rumphii, p.* 497. *ſqq. in Appendice, ad Muſ. Muſeorum, vel* Hiſtoriam ſimplic. reformatam. *Vires bezoardicæ, antiſpaſmodicæ & antepilepticæ potius Moſcho, Ambræ & Bezoar adſcribendæ ſunt, quam lapidibus pretioſis. Vid.* Commerc. litt med Nor. An. 1735. *p.* 400. *Unde præferendi his globulis merito globuli illi bezoardici, quorum deſcriptionem ſuo loco exhibuimus. Conf.* Tabul. Smaragd. *p.* 214. & ERNSTIN. Lex. Pharm. *p.* 455. *&c.*

Doſis eſt a ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum, vel drachmam ſemis.

***

Lapis Infernalis.

Diſp. Wirt. Brand. Vienn. Argent. Lugd. & reliq. vid. LEMERY *& alios Chymicos.*

℞. Argenti puriſſimi, *unc. duas.*
ſolvantur in
Spiritus Nitri, vel Aquæ fortis, *unciis ſex.*

Evaporetur ſolutio ad quartæ partis conſumtionem, atque ad cryſtalliſationem reponatur. Cryſtalli colligantur, liquor denuo evaporetur, & labor repetatur, donec omnis liquor in cryſtallos vel ſalem abierit. Hos cryſtallos crucibulo ſatis magno immitte, adhibe ignem primo lenem, tumebit materia, deinde ſubſidebit, tandem ignis gradu aucto olei inſtar fluet, quam effunde in modiolum, ſeu canalem ferreum cylindricum, prius calefactum & ſevo illitum. Maſſa nigra & compacta eſſe debet, alias denuo in crucibulo liquanda & effundenda, ſi ſucceſſerit, in vitro probe clauſo ſervanda.

Inſervit loco cauterii potentialis, ad abſumendas carnoſas excreſcentias. Vid. de Lapidis infernalis præparatione, & uſu externo Chirurgico, non vero interno, utpote mortifero; poſt alios, BOERHAAVE, Elem. Chem. *Tom. II. Part. III. proceſſ.* 182. *p.* 406. *ſqq.* & Wilhelm TEN RHYNE, Meditat. ad Hippocr. *p.* 376. *ubi mira circa vim hujus Lapidis cauſticam, commentatur, niſi forte rectius, fabulatur. Si vero intra corpus datur, inquit* BOERHAAVE, *l. c. hac ſpecie Venenum eſt eſcharoticum præſentiſſimum: ideo nunquam interne dandum: novi Artifici chemico damnoſum fuiſſe propriæ artis opus.*

***

Lapis Martialis in Globulis.

vid. ſupra
Globuli Martiales.

Lapis Medicamentoſus.

item Mirabilis, Salutis, & Vulnerarius.

Diſpenſ. Wirt. Argent. & reliq.

℞. Vitrioli albi, *unc. quatuor.*
Salis Armoniaci, *unc. ſemis.*
Ceruſſæ,
Boli Armenæ, *ana unc. unam.*
Aceti Vini, *libr. unam.*

Coquantur in vaſe figulino ad ſiccitatem.

Aliam vero hujus Lapidis Medicamentoſi deſcriptionem, quam omnibus reliquis præfert, dedit nobis Sen. GEOFFROY, in Obſervat. de Vitriolo & Marte, *quæ extant in* Memor. Reg. Scient. Acad. *de Ann.* 1713. *p.* 170. *ſqq. & recuſæ ſunt, Tom. I* Mat. Med. *p.* 61. *ſqq. ab initio operis:* Conſtat autem iſta compoſitio, *ibi p.* 89. *ſq. relata*, ex Limaturæ Martis & Lapidis Hæmatit. *ana unciis tribus &* Cremoris Tartari, *unciis ſex; quibus Vino ſubactis & poſt ſiccatis, additur* Gumm. Maſtichis, & Croci pulverat. *ana uncia ſemis: Hic accurate permiſtis*, ad eminentiam quatuor digitorum, ſuperaffunditur Vinum, *in quo* Aloës atque Myrrhæ *ana uncia una* ſolutæ fuerunt: *Quæ omnia digeſtioni permiſſa, ſubinde, per intervalla, agitantur; denique omnis iſte liquor Vinoſus usque ad ſiccitatem, evaporatur; Relicta illa in fundo Maſſa ſicca poſtea in pulverem convertitur, ex quo ſufficienti Spiritus Vini quantitate prius irrorato, formantur Pilulæ, ſeu globuli; qui iterum ſenſim exſiccati, ita in uſum futurum aſſervantur: quem in ulceribus perſanandis, plane egregium eſſe, Auctor ibidem, prædicat. Et profecto laudem meretur hæc compoſitio, plurimum haud dubie utilitatis habitura. Aliam vero adhuc hujus Lapidis Medicamentoſi præparationem vid. apud* CHARAS, Pharm. Reg. *Tom. II. cap.* 58. *p.* 771. *item in* Pharmac. Batean. *p.* 87. *&* Tab. Smaragd. *p.* 214. Conf. LEMERY Curſ. Chym. *p.* 442. *ſqq. & alior. chymicor.*

Commendantur ad ulcera omnis generis inveterata, ſcabiem, tineam, gangrænam, fiſtulas. Deſiccat, mundat, & partes relaxatas roborat. Modus utendi eſt, ut uncia una in aquæ pluviæ libra ſolvatur; ſolutione filtrata laventur partes, atque lintea illa imbuta imponantur, vel ipſe liquor, ſyringæ ope, injiciatur. Sed vid. RIEDLIN. Lin. Med. *An* 1698. *Menſ. Mart. Obſ.* 26. *p.* 241. *ſqq. ubi de abuſu ejus interno.*

Lapis Mirificus Butleri.

Hujus divini, ſi credere dignum. Remedii deſcriptio & Compoſitio habetur in Collectan. Chym. Leidenſ. *cap.* 190. *p.* 158. *& apud alios Chymiatros paſſim. Immenſas vero & ſtupendas plane in omni morborum genere, ipſius virtutes plusquam ſtentorea voce proclamat vaniloquus* HELMONTIUS, *portentoſo Libello* Butler *dicto. Sed Lapis profecto, imo Lepus eſt, qui vel centeſimam Virtutem hujus Lapidis partem bona fide crediderit. Conf.* Diſſert. noſtr. de nociva Cancri inveterati Exſtirpatione, *p.* 23.

***

Lapis *ſeu* Sal Prunellæ, *ſive* Nitrum Tabulatum, ſive Nitrum Sulphuratum.

Diſpenſ. Wirt. Brand. Hamb. Vienn. & rel.

℞. Nitri crudi, *libr. unam ſemis.*
fundatur in crucibulo, dum fluit; injiciatur ſenſim
Sulphuris citrini, *unc. ſemis.*

Parum una vice inſpergendo & expectando, donec deflagrarit; hoc facto in rotulas parvas effundatur.

Propter hanc cum ſulphure deflagrationem, multum ad ſalium neutrorum naturam accedit, ingratius etiam & minus refrigerans, quam Nitrum crudum, deprehenditur. Magis album evadit, ſi loco ſulphuris, cum ſale Ammoniaco deflagratur

Admiſcetur pulveribus temperantibus, & gargarismatibus: prodeſt & in pleuritide, ut obſervavimus. Præcipue autem in Angina caſtrenſi epidemica, vulgo die Bræune; *unde & Nomen Lapidi huic Salutari inditum, docente* BOERHAAVE, Elem. Chem. *Tom. II. Part. III, proc.* 132. *p.* 339. & Hiſt. Plant. *Tom. I. p.* 241. *Conf.* CARTHEUSER. Pharm. *p.* 410. & SCHULZ. Præl. *p.* 172.

Doſis ſcrupulus ſemis ad drach. ſemis. Conf. ſupra *Cryſtallum minerale.*

Laudanum Antifebrile.

POTER. *Lib. II. de Febr. cap.* 22. *p.* 557.

℞. Opii Thebaici præparati, *unc. duas.*
Succi Veronicæ,
Florum papav. errat. *ana unc. tres.*

Liquetur Opium in Succis, & inſpiſſetur, lento igne, in formam Extracti: Cui deinde adde:

Lapidis Bezoar. Orient.
Smaragdorum præparat. *ana dr. tres.*
Bezaor. Mineralis, *unc. ſemis.*
Magiſterii unionum; *drach. unam.*
Ambræ gryſeæ,
Moſchi, *ana ſcrup. unum.*

Miſce: Fiat Maſſa, de qua dentur *grana decem, duodecim, & quindecim.*

In quibusdam nempe Febribus & Narcotica generatim & hoc ipſum Laudanum ſpeciatim, apprime cenvenire, exiſtimat ibi cel. Auctor. Nec illud quidem penitus negandum: Interim tamen ſedulo cavendum, ne ejusmodi ſoporifera ab initio febrium, multo minus in febribus acutis & continuis, adhibeantur, omnium maxime autem vitentur in febribus intermittentibus ſoporoſis, Senibus potiſſimum funeſtis, de quibus vid. Commerc. litter. Med. Norimb. *An.* 1738. *p.* 259. & *alibi præſertim; vero* ill. WERLHOFII, *fautoris noſtri ſummi,* Obſervat. de Febribus *omni ſane elogio & pretio ſuperiores, Sect. III. p.* 105. *ſqq. Conf. & ſtatim Sect. I. ibidem.*

Ceterum alias plures Laudani Species exhibuit QUERCETANUS, in Pharmac. reſtit. Hartmann. Angel. Sala, JUNGKEN. Corp. Pharm. univ. *p.* 635. *ſqq. ut alios plures ſic dictos Laudaniſtas jam taceamus; qui ſolum Laudanum laudant.*

Laudanum Cæſareum, etiam Nepenthes Dictum.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Extracti opii correcti, *unc. tres.*
Croci, *unc. unam.*
Croci Solis, *drach. unam.*
Margaritarum Orientalium, *unc. ſem.*
Unicornu veri,
Coralliorum rubror. *ana drach. duas.*
Oleor. ſtillat. Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Macis,

Citri,

Citri,
Succini, *ana ſcrup. ſem.*
Ambræ gryſeæ,
Moſchi; *ana drach. ſem.*

Miſceantur omnia, & fiat lege Artis, Opiatum, ad Extracti Conſiſtentiam.

Completum vero vocatur hoc ipſum Laudanum Cæſareum; ob Additamentum nempe Moſchi atque Ambræ: Incompletum autem, ubi omiſſa fuerint iſta quidem Odoramenta. Mihi vero tum potius videtur Completum. Neſcio enim, cui potiſſimum uſui inſervire hic poſſit tanta Ambræ atque Moſchi copia? niſi, ut cerebrum ſpiritusque animales turbet, doloresque ipſos reſuſcitet, quos ipſum opium cum reliquis ingredientibus paregoricis, vix placide compoſuerat. Matronis certe, atque puellis delicatioris naris, & ſenſibilioris uteri, magis placebit, ſat ſcio, incompletum illud Laudanum, male ſic dictum, quam quidem completum, quod potius ad Complementa malorum Uterinorum producenda, videtur repertum, quam ad eorundem levamenta procuranda, concinnatum.

Ceterum Vires hujus Laudani, incompleti nempe, in affectibus cerebri & Cordis, merito dilaudantur; ubi nempe Remediis refocillantibus & ipſos languidos ſpiritus roborantibus Opus eſt.

Sed ſimile fere Laudanum Completum & incompletum extat in eodem Diſp. Vienn. *ut &* Prag. ex Pharm. Aug. Ref. *Quod vero ideo, ceu minus ſecurum ac laudabile, diſplicet, quoniam adjectum ſibi habet & larga quidem copia, ſuccum Radicis diri illius & viroſi Hyoſcyami, de quo ſatis, ad cavendum, dictum, ſupra, Part. I.*

***

Laudanum Compoſitum.

POTER. *Pharm. Spag. L. III. pag.* 463.

℞. Piperis longi,
Myrrhæ,
Galangæ,
Caſtor. *ana unc. ſemis.*
Croci Or. *drach. duas.*
Opii correcti, *unc. unam.*

Cum Spiritu Vini, fiat Extractum, de quo exhibeantur grana tria, ſex, vel ſeptem, pro doſi. Uterinis doloribus mirifice ſuccurrit, aliis quoque affectibus medetur.

Laudanum Diureticum.
ſive
Urinarium, Michael.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Brand. Prag.

℞. Succi Liquiritiæ inſpiſſati, *unciam unam ſemis.*
Extracti opii, aqua fontana parati, *dr. duas.*
Trochiſcorum de Alkekeng.
Terebinthinæ Venetæ, *ana unc. ſem.*
Camphoræ, *drachm. unam.*
Croci, *ſcrup. quatuor.*
Trogacanthæ,
Maſtichis, *ana drach. ſemis.*
M. F. Maſſa.

Laudatur in ſtranguria, colica nephritica & difficultate urinæ.

Grana tredecim granum unum opii continent. Doſis grana decem ad ſcrupulum unum. Vid. SCHULZII Prælect. *p.* 174.

Laudanum Hyſtericum.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Brand.

℞. Extracti opii, *unc. dimidiam.*
Caſtorei, *drachmam.*
Croci, *ſcrupulum.*

Olei deſtillati Macis,
Menthæ,
Rutæ, *ana guttas ſex.*
M. Fiat maſſa pilularis.

In colica hyſterica, ubi opiata locum inveniunt, ad ſpaſticos dolores mitigandos datur. Aliud Laudan. Hyſt. Schrœderi, *vid.* in Corp. Pharm. univ. JUNGKEN. *p.* 636. *ubi & plura Laudana. Conf. ſup.* Extractum Hyſtericum, & Uterinum *Aliud* Laudan. Hyſt DOLAEI, *proſtat in* Diſp. Prag.

Doſis granum unum, ad duo.

Laudanum Liquidum Sydenhamii.

Diſpenſ. Pariſ. Wirt. Pharm. Reg. CHARAS, *P. II. p.* 864. *Prag. Edinb.*

℞. Opii optimi, *unc. duas.*
Croci Auſtriaci, *unc. unam.*
Cinnamomi acuti,
Caryophyllorum aromaticorum, *ana drach. unam.*
Omnia in pulverem trita infundantur in Vini Hiſpanici, *libra una.*

Digerantur per aliquot dies, colentur & ſerventur.

Præfert celeberrimus Autor Opp. Med. Part. I. *Sect. IV. cap.* 3. *p.* 189. *ſqq. liquidum hoc Laudanum ſolido, ob formam commodiorem, & majorem doſis certitudinem, cum ſcilicet vino, aquæ deſtillatæ, aut alii liquori cuicunque inſtillari poſſit. vid. noviſſime cl.* BARON, in Addit. ad Lemerii Curſ. Chym.

Viribus cum aliis tincturis & eſſentiis Opii ſic dictis anodynis convenit & a guttis ſex, octo, ad quindecim dari poteſt. vid. SCHULZ. *p.* 173.

Quælibet uncia habet Opii ſcrupulos quatuor, & drachma una, grana decem; Croci vero quælibet drachma continet grana quinque.

Laudanum Liquidum Simplex.

Diſpenſ. Edinb.

℞. Opii ſine præparat. *unc. unam.*
Vini albi Hiſpanici, *unc. decem.*

Leni calore, Balneo Arenæ, Tinctura extracta coletur. *Conf.* ſupra *Eſſentiæ Anodynæ.*

Laudanum Liquidum Tartariſatum.

Pharm. Batean. p. 88.

℞. Opii correcti, *unc. duas.*
Croci optimi, *unc. unam.*
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Xylaloës, *ana drach. unam.*
Tincturæ Salis Tartari, *libr. duas.*

Digere dies aliquot, filtra & exhala, ad dimidium.

Vires anodynæ ac paregoricæ ſunt eædem cum ſuperiore Laudano liquido Cydoniato. Doſis autem utriusque parca debet eſſe & modica, ad aliquot tantum guttas, ut nemini non notiſſimum.

Laudanum Liquidum Cydoniatum, Williſii.

Pharm. Batean. p. 87.

℞ Opii correcti, *unc. quatuor.*
Croci opt. *unc. duas.*
Succi Cydoniorum, *libr. duas ſemis.*
Flor. Cereviſiæ, *Cochlear. quatuor.*

Fermententer ſimul, in digeſtione, donec ſubſident Crocus & Opium: exprime & filtra: add. liquori:
Cinnamomi, *drach. duas.*
Caryophyllorum,
Xylaloës,

Santali citrini, *ana drachmam unam.*
Digere quatuordecim dies, filtra, & exhala ad dimidiam uſque partem
Dolores maxime ſedat, ſomnum inducit, omnes fluxiones ſiſtit, ardorem mitigat, naturam roborat, inquietos Spiritus in Phrenitide, Arthritide, Epilepſia, &c. compeſcit, Odontalgiam denique mire ſedat impoſitum Conf ſupra, Extractum Opii Cydoniatum: *&* Langelotti, *apud* JUNGKEN, Corp Pharm. Univerſ. *pag.* 635.

Laudanum Noviſſime Repertum.

POTER. *Pharm. Spag. pag.* 463.
℞. Seminis Daturæ, *unciam unam.*
Contunde groſſo modo, & infunde in ſuff. quant. Spiritus Vini. Evapora ad medietatem, & habebis ſoporiferum præſtantiſſimum, *de quo cochlear unum pro doſi, ſufficit in phrenitide, & in omnibus doloribus.* Tutius exhibetur, quam quodvis opiatæ genus. Hæc quidem Poterius.

Minus tamen laudabile nec in uſum ipſum traducendum nobis videtur noviſſimum hoc laudanum, ob malignam nempe ſeminis Daturæ, vel Dutroæ indolem, de qua vid. Garcias ab orta, Chriſt. a Coſta, proſp. Aſpinus, Veslingius, Bontius, Valvaſor, Linſchott. *& inprimis* OLEAR. in Not. ad Mandelsloh. Itinerar. *Lib. II. pag.* 95. *& ut alios plures jam taceam,* HEUCHER. de Plant. Hort Med. Witteb *pag.* 970. *ſqq. Opp. Tom. II. ubi plura. Conf. ſupra dicta ad* Daturæ ſemen.

* * *

Laudanum Opiatum.

Diſp. Argent. Witt. Vienn. & rel. ubi tamen diverſæ compoſitiones.
℞. Extracti Opii, aqua fontana acidulata parati, *uncias duas.*
Croci,
Opobalſami veri, *ana drachm. ſemis.*
Miſce.

Easdem, quas Extractum Opii, vires habet, niſi, quod narcoticum Opii principium per Opobalſamum aliquantum correctum ſit. Epilepſiam hoc Laudano opiato quandoque curatam fuiſſe, obſervavit SPINDLERUS, Obſ. Med. 5. *pag.* 9. *ubi vid. Schol. pag.* 10. *ut & Cardialgiam, ibid Obſ.* 40. *pag.* 71 *item Ani procidentiam, ibidem, Obſ.* 47. *pag.* 81. *ſq. & Nephritidem, Obſ.* 56. *pag.* 104. *doloremque iſchiadicum ſpurium, Obſ.* 78. *pag.* 145.
Doſis a grano dimidio, ad tria.

Laudanum Opiatum Breuneri.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. univ. p.* 636.
℞. Specier. Diambræ, *uncias duas.*
Opii Theb. opt *drachmas tres.*
Mumiæ veræ, *grana quindecim.*
Seminis Verbaſci, *unciam unam.*
Corallior. rubror. præparatorum,
Succini albi præparat. *ana ſcrup. un.*
Croci Orientalis, *ſcrupulum ſemis.*
Moſchi, *grana ſeptem.*
Ambræ, *grana ſex.*
Fiat, lege Artis, cum Spiritu Vini, Extractum ſeu Opiata.

Varia hic eſſent monenda, præcipue, circa doſes haud ſatis æquas & juſtas diverſorum Ingredientium nempe ipſius Opii, Croci, Specierum diambræ, Seminis Verbaſci, &c. Sed quoniam hos nævos quilibet Artis ſuæ peritior Medi-

cus protinus per ſe, ipſe perſpicit & intelligit; ideo opera hac nullos, aut exiguos certe, habitura fructus, hic ſtudio ſuperſedere voluimus; præſertim quum hoc ipſum Breuneri *Laudanum paucis cognitum ſit, & a paucioribus in uſum advocetur, melioribus quippe compoſitionibus abunde ſuppetentibus, de quibus infra, in ſeqq. plura.*

Laudanum Opiatum Cydoniatum.

Videatur

Extractum Opii Cydoniatum & Eſſentia Anodyna Langelotti.

Laudanum Opiatum Hoffmanni.

in Not. ad POTER. *Pharm. Spagir. Lib. III. Sect. IV. pag.* 459.

℞. Opii, ſoluti in Aqua ſimplici & tum lenius evaporati ad conſiſt. *unciam unam.*
Cinnabaris nativæ præp. *unc. un. ſem.*
Croci Orientalis,
Extracti papaveris Rhœad *ana drachmas duas.*
Eſſentiæ Ambræ, *drachmam unam.*
Olei Cinnamomi, *guttas duodecim.*

Miſceantur: Fiat, lege Artis, Extractum, ſeu Opiatum.

Cui multas egregias virtutes anodynas, antiſpaſmodicas & roborantes tribuit celeberrimus Auctor, neque id ſine ratione, fide, aut experientia.

Laudanum ſine Opio.

Pharm. Batean. pag. 88.

℞. Myrrhæ optimæ,
Mumiæ,
Santali rubri,
Citrini, *ana unciam unam ſemis.*
Macis,
Cardamomi,
Piperis,
Galangæ, *ana uncias quatuor ſemis.*
Spiritus Vini, *libras tres.*

Extrahe Tincturam, ſecundum Artem, cui deinde probe filtratæ admiſce:

Sulphuris Vitrioli narcotici, *dr. tres.*

Digere per Menſem: deinde ad Mellaginem, ſenſim exhala, addendo poſtea:

Croci optimi, *ſcrupulos duos ſemis.*
Salis perlarum, *unciam unam ſemis.*

Ut fiat nempe ſic Maſſa, ex lege Artis.

Anodynum eſt potentiſſimum: Omnes fluxiones, Catarrhos, Tuſſes, &c. ſiſtit: Atque eaſdem habet Virtutes, ac bina præcedentia Laudana liquida, quibus inerat ipſum Opium. Conf. POTER. Pharm. Spag. *Lib. III. pag.* 463.

Laudanum Paracelſi.

Lib. VII. Archidox. de Specificis.

POTER. *Pharm. Spag. L III p* 463.
& ANGEL. SALA, *Ternar. Laud. p.* 610.

℞. Opii Thebaici, *uncias tres.*
Succi Hyoſcyami ſole inſpiſſ. *unciam unam.*
Specierum Diambræ,
Diamoſch. *ana uncias duas.*
Mumiæ ſelectæ, *unciam ſemis.*
Salis perlarum,
Coralliorum, *ana drachmas tres.*
Liquoris Succini albi per Alcohol Vini extract.
Lapid. Bezoard.
Unicorn. veri, *ana drachm. unam.*
Moſchi,
Ambræ, *ana ſcrupulum unum.*

Fiat ſecundum Artem, Extractum.

Laudanum Pretioſum.
ſeu
Nepenthes Aureum.

Diſpenſ. Norimberg. Lond. HOFFMANN. *ad* POT. *pag.* 459.

℞ Extracti Opii, *unciam ſemis.*
Croci, *drachmas duas.*
Croci Solis, *ſcrupulos duos,*
Reſinæ Ligni Aloës,
Ambræ gryſ. optim. *ana ſcrup. unum.*

Miſceantur, & incorporentur ſimul in Vaſe vitreo, eoque bene clauſo, ſerventur.

Ceterum de hoc ſpecioſo & magnifico nimis Nepenthis Titulo, vid. RENOD. Diſpenſ. Med. *Lib. II. Sect. IV. Cap.* 23. *pag* 778. *& inprimis,* LUDOVICI Pharmac. hodierno ſæculo applicand. *Diſſ. I. pag.* 533. *non ſine ſanna. Præcipue autem* Angel. SALAE Terpar. Laudanorum. *pag.* 610. *ſqq. item* TENTZELII Exegeſ. Chymiatr. *ibid. p.* 704. *ubi ipſe aliud Nepenthes exhibet, ab iſto* Angeli Salæ diverſo.

Laudanum Simplex.

POTER. *Pharm. Spag. Lib. III. p.* 463.

℞. Opii depurati, defæcati, *dr. unam.*
Croci Tincturæ, *drachmam ſemis.*
Moſchi, *ſcrupulos duos.*

Miſce: Fiat Compoſitum, ſeu Extractum.

De quo dentur grana quatuor, ad ſeptem, & novem.

Laudanum Univerſale.

POTER. *Pharm. Spag. L. III. p.* 463.

℞. Opii Chemice præparati, *unc. ſemis.*
Antimonii diaphoret. *drachm. duas.*
Ambræ gryſeæ,
Croci Orientalis, *ana drachm. ſemis.*
Moſchi, *ſcrupulum unum.*

Cum Syrupo de papavere, fiat Maſſa, *cujus doſis a granis ſeptem, uſque ad duodecim.*

In ardoribus ventriculi, atque in Hemicrania, certiſſimum habetur Remedium. Ita quidem ipſe Poterius: Sed an expectationi ſemper reſpondeat lætior eventus? dicant quæſo Artis periti, & per ipſam conſtantem Experientiam, certiora edocti.

Liquor Acuens.
Vid. ſupra
Lac Scammonii.

Liquor Anodynus Mineralis.
ſeu
Spiritus Vitrioli Dulcis.

Diſp. Leod. Prag. Brand. Wirt. Pharm. Reg. CHARAS, *T. II. p.* 707.

℞. Olei Vitrioli, per rectificationem ab omni phlegmate liberati, *libram unam.*
Spiritus Vini rectificatiſſimi, qui ne veſtigium aquæ continet, *libr. ſex.*

Oleum Vitrioli inſtillatur ſucceſſive ſpiritui vini, quod cum ſtrepitu, non ſecus ac ſi ferrum candens in aquam frigidam injiceretur, fit, mixtura incaleſcit, colorem acquirit rubeum, odorem gratum. Digerantur, in vitro probe clauſo, per aliquot dies; poſtea inſtituatur deſtillatio igne arenae, e cucurbita ſatis alta; primo prodit ſpiritus vini fragrantis odoris, quem ſequitur fragrantior. vid. STAHL. *Obſ. Chym.* 73. pag. 104. ſqq. Si mixtura in offam nigram in fundo cucurbitae abire inci-

pit, aliud apponatur receptaculum, leniſſimo igne adminiſtrato; quae cautela, ſi non obſervetur, omnis maſſa illa nigra ſubito & ex improviſo totum tranſcendit alembicum: ſi vero leni igne inſtitutum pergatur, phlegma exſtillat ſulphurei odoris, cum oleo, quod fundum petit, aethereo, ſaporis & odoris gratiſſimi aromatici; oleum hoc, a phlegmate ſeparatum, ſolvatur in ſpiritu priori prolecto. Reſiduo in cucurbita affunditur

Spiritus Vini rectificatiſſimi nova, *libra una ſemis.*

& poſt digeſtionem, deſtillatur; qui ſpiritus prolectus plerumque fragantior eſt antecedente, nec viribus illi cedit, ideo cum illo miſcendus, & omnes, vitro probe obturato, ſervandi.

Secuti ſumus in hoc proceſſu, beatum *F.* HOFFMANNUM, qui eum in *Obſervat. Chymicis Obſ.* 13. Lib. II. pag. 177. & *in Diſſ. de Acido Vitrioli Vinoſo*, dedit. Sunt vero, qui Spiritus Vini rectificatiſſimi libras ſaltem quatuor, uni libræ olei vitrioli, probe dephlegmati, addunt, atque non ſolum Spiritum fragrantiorem, ſed & majorem quantitatem olei ætherei producunt. Vid. *Commerc. litt. Med. Norimb.* Ann. 1732. pag. 278. Ann. 1733. p. 235. & Ann. 1738. p. 48. & STAHL. *Exper. & Obſ. Chym.* pag. 104. ſqq. it. *Diſpenſ. Prag.*

Liquor hic odore & ſapore ſuo grato nec non virtute anodyna, antiſpaſmodica ſe commendat; ſudoriferum, alexipharmacum & diureticum ſimul præbet medicamentum egregium.

Vid. TEICHMEYERI Diſſ. de Anodynis Spiritibus Mineralium. & CHARAS, *p.* 708. & *inprimis* HOFFMANN. Med. Rat. Syſtem. *Tom. III. p.* 575.

Doſis guttæ triginta, ad ſexaginta. *Diu vero vel improvide aſſervatus, acidum vitriolicum ſiſtit evolutum, & quaſi reviviſcens.*

Liquor Anodynus Topicus, Noſter Triller.

℞. Aquæ Anhaltin, *uncias duas.*
Spiritus Salis Ammoniaci,
Eſſentiæ Croci,
Caſtor. *ana drachm. duas.*
Olei Nuciſtæ, *guttas triginta.*
Miſceantur.

Liquor Anodynus Topicus Alius Ejuſdem.

℞. Aquæ Anhaltin. *uncias quinque.*
Eſſentiæ Succini,
Caſtor. *ana drachm. tres.*
Anodyn. *drachmas duas.*
Spiritus Lumbricorum Terreſtr.
Formicar. *ana drachmam unam.*
Miſc. exacte.

Uterque hic Liquor anodynus egregium plane uſum præſtat, in ſæviſſimis doloribus rhevmaticis, arthriticis & iſchiadicis illico mitigandis, & incantatione quaſi quadam, ſopiendis, ſi nempe iis nonnihil antea tepefactis externi atque dolentes foveantur, aut linteis, iisdem imbutis, involvantur. Tum ſane ſemper fere præſentiſſimum vel atrociſſimorum dolorum, lenimen protinus inſequutum fuiſſe, multiplici experientia, olim deprehendimus gaudentes. Neque dubium inde eſt, vel in ipſa dira podagra pacanda, idem præſidium ab utroque expectari poſſe: Interim tamen variis contra indicantibus deterriti, atque hinc ambigui redditi, periculum iſtorum facere, nunquam auſi ſumus. Ceterum prior Liquor

mitioris eſt aliquanto indolis, poſteriore. Igitur iſte ſemper præmittendus. Si vero acriores & pertinaciores dolores nihil quidquam remittunt; tum alter, ceu fortior & potentior, in auxilium vocandus. Conf. infra, Spiritus arthritici.

Liquor Antiparalyticus.

H. BOERHAAVE, *Mat. Med. p.* 132.

℞. Spiritus Lavendulæ, *uncias tres.*
Salis Ammoniaci, *drachmas duas.*
Tincturæ Caſtorei, *drachm. quatuor.*
Aquæ ſtillat. Lavendulæ, *uncias ſex.*
Miſceantur.

Liquor hic eſt penetrans, ſtimulans, ad perfricandas partes torpidas, apte compoſitus.

Liquor Apoplecticus Balſamicus.

Diſpenſ. Viennenſ.

℞. Florum Roriſmarini, *unciam ſemis.*
Lavendulæ,
Liliorum Convallium,
Tunicæ, *ana drachmas duas.*
Styracis,
Benzoini, *ana in granis, unc. unam.*
Cubebarum,
Macis,
Caryophyllorum,
Cinnamomi, *ana drachmas ſex.*
Granorum Paradiſi, *unciam ſemis.*
Corticum Citri recentium, *unc. unam.*
Aurantior. recent. *unc. ſemis.*
Salis Succini Volatil. *unciam unam.*
Spiritus Ungulæ Alcis,
Cranii humani,
Lumbricorum,
Urinæ, *ana volatil.* rectificatorum, *uncias octo.*

Conciſa & Contuſa Miſceantur, & ſtent in digeſtione, & deſtillentur per Balneum Mariæ, ut Spiritus Volatilis Balſamicus prodeſt, atque ſervetur uſui

Virtutes ab ipſo Nomine abunde judicantur.

Egregia quidem hæc ipſa eſt compoſitio, quæ plurimum opis miſeris apoplecticis promittere videtur. Nihil tamen, ut ingenue eloquar, ipſi decederet virtutis, etiamſi fatui illi ungulæ Alcis ac Cranii potiſſimum humani Spiritus ex iſta plane omiſſi fuiſſent. Quam parum enim præſidii & virtutis medicæ ex his ipſis ſordidis & abominandis ſimul remediis ſit expectandum, jam aliquoties in hoc ipſo opere candide monuimus; quare hic crambem jam toties coctam recoquere merito tædet.

Liquor Arthriticus, Lotichii.

Tab. Smaragd. pag. 227.

℞. Elixir Vitæ Auguſtan. *unc. un. ſemis.*
Aquæ Vitæ ſimplic. *uncias duas ſemis.*
Salviæ,
Roriſmarin.
Lavendulæ, *ana unciam unam.*
Olei ſtillat. Salviæ,
Roriſmarin. *ana ſcrup. ſemis.*
Coſtin.
Vulpin. *ana drachm. unam ſemis.*
Croci Oriental. *grana quinque.*
Opii Thebaici, in Aqua Vitæ ſoluti,
Camphoræ electæ, *ana grana ſex.*
Miſceantur diligenter.

Corporis evacuatione ac ſudore peractis, Articuli deinceps, arthriticis defluxionibus infeſtati, mane ac veſperi, Aqua hac inungi debent.

Sat concinna quidem & uſu haud caritura hæc eſt compoſitio. Quid vero Croci orientalis grana tantum quinque, item Opii atque Camphoræ grana ſex, in tam vaſto quaſi Aquarum deſtillatarum

pelago, a quo quippe penitus abſorbentur, efficere poſſint; id equidem pro meo certe captu, perſpicere haud valeo; Miror ergo hic merito intempeſtivam Medici *alias* clariſſimi *timiditatem, & parcam nimis, ut ita dicam, avaritiam in Orientis opibus ac theſauris liberalius diſpenſandis. Sed hoc obiter. Forſan autem error fuerit deſcribentis. Ipſe enim* LOTICHIUS *in ejusmodi Liquore arthrit. rectius præſcripſit crocum & opium ad Scrupulum unum, vid* ejus obſer. Med. *Lib. VI. pag.* 491. *& pag.* 496. *& alibi. Ceterum alium Liquorem arthriticum exhibet* MYNSICHT. *pag.* 338. *conf. infra* Spiritus arthritici.

Liquor Cardiacus Excellens.

LAZ. RIVERII, *Prax. Med. Lib. VIII. Cap.* 2. *pag.* 325.

℞. Ambræ griſeæ, *drachmas duas.*
Moſchi optimi, *ſcrupulos duos.*
Ligni Aloës, *drachm. unam ſemis.*
Partis albæ Benzoini puriſſ. *drachmas tres.*

Contuſis & ſimul mixtis, affunde Spirit. Vini, ut quatuor digitis ſupernatet, & ad leniſſimum Cinerum calorem, extrahatur Tinctura Saturata, fiatque Liquoris tincti per chartam emporeticam, colatura: & evocetur dimidia pars Spiritus Vini, in cineribus leniſſimo igne, per Alembicum. Liquor in cucurbita reſtane, ſervetur in ampulla vitrea, forti, optime obthurata ſubere, Cerato, & Veſica. *Doſis, a Guttis duabus, ad tres, quatuor, & ultra, in juſculo, vino, julepis & aliis convenientibus Liquoribus.*

Majoris quidem efficaciæ & Virtutis Cardiacæ laude haud indignum eſſe hunc alterum Liquorem Riverianum, equidem haud inficior. Simul tamen illud monendum cenſeo, non omnibus ſubjectis, aut ægrotis generatim convenire eum ipſum. Neque enim omnes Viri impune ferre poſſunt Moſchum & Ambram; multo vero minus omnes Virgines, aut fœminæ, præſertim hyſtericæ, ac delicato nimis & ſenſibili utero præditæ, ut cuivis notiſſimum. Talibus ergo ubi forſan exhibitus fuerit hic ipſe Liquor Cardiacus odoratus, tantum abeſt, ut Veteres lipothymiæ eo tollantur, ut novæ potius inducantur ac concitentur, quod quidem frequenti hactenus experientia conſtitit, ut ex omnibus pœne obſervationum medicarum Voluminibus uberrime intelligitur.

Ceterum alium Liquorem Cardiacum, ſeu Cordialem, concinnioris compoſitionis, & hinc melioris forſan effectus exhibet MYNSICHTUS in Theſaur. Med. Chym. *Sect. XXI. pag.* 333. *Conf. & infra,* Oleum Cardiacum. & Angel. SALAE Tract. II. de Erroribus Galeniſt. *pag.* 40. *ubi alius Liquor Cardiacus grati ſaporis & odoris, nec minoris efficaciæ exhibetur. Add. infra* Tinctura cardiaca & pulveres cardiaci.

Liquor Cardiacus Utiliſſimus.

Ejusdem RIVERII, *ibid. pag.* 324.

℞. Corda porci, aut Vervecis, *No. tria.*
Cinnamomi,
Caryophyllorum, *ana drachm. unam.*
Acetoſae,
Lactucae, *ana drachmam unam ſemis.*
Vini albi, *uncias duas.*
Aquarum Borraginis,
Scabioſae,
Roſarum, *ana unc. unam ſemis.*
Confect. Alkermes, *drachm. unam.*
Bulliant omnia inter duo Vaſa.

De hoc Liquore capiat ægrotus Viribus defectus, *cochlearia duo, mane & veſperi.*

Magnam quidem utilitatem atque efficaciam Liquori huic ſuo cardiaco tribuit Auctor *cetera* magnus. *Sed, ut ingenue fatear, haud ſatis equidem perſpicio, quaenam potiſſimum virtus cardiaca & analeptica expectari poſſit ab ignavis ſordidi porci aut ſtupidi vervecis cordibus, quum me quidem judice, omnia corda aliorum quorumcunque animalium, v. g. Vituli, canis, hirci, immo & aſini ipſius, idem praeſtare poſſint, nempe nihil prorſus. Mirum ergo mihi omnino videtur, tantum Virum conſueto Veterum errore & ſuperſtitione, circa famoſam illam rerum ſignaturam, inductum & in devia ſeductum, tam vana verique inania commenta & in ſomnia, excuſſo veluti pudore et judico, tradere et literis mandare potuiſſe: quod non ſine dolore, moneo. Praeterea quoque aegra inducor, ut unquam credam, virtutem cardiacam ineſſe Acetoſae, aut frigidae lactucae. Omnis enim ſalutaris effectus, ſi quis tamen ab hac compoſitione fuerit ſperandus, haud dubie pendet a Cinnamomo atque Caryophyllis. Reliqua namque omnia, una cum ipſis pretioſis illis ſcilicet porci ac Vervecis cordibus, nullum hic in cenſum veniunt, nec ullo in pretio haberi merentur. Forſan ergo praeſtantioris Virtutis erit praecedens.*

Liquor Cornu Cervi
Succinatus. (*)

Diſp. Brand. Wirt: Hamb. & reliq.

℞. Spiritus Cornu Cervi, *aliquoties,* ut ab oleo empirevmatico liberetur, rectificati, *uncias ſex.*
Salis volatilis Succini, *unciam unam ſemis, vel quantum ſufficit* ad ſaturationis punctum.

Miſceantur & digerantur, per aliquot dies, in vaſe probe clauſo, poſtea per chartam emporeticam filtrata, ſerventur.

Virtutes ejus ſunt diureticae, diaphoreticae, antiſpasmodicae; adverſus motus convulſivos epilepticos puerorum valet, et hyſtericis, hemicrania vexatis, convenit. Vid. STAHL. Mat. Med. *Part. II. pag.* 3. SCHULZ. *p.* 174. CARTHEUSER. *pag.* 177.

Doſis pro pueris guttae tres, quinque, octo; adultis a guttis viginti, ad quadraginta.

Liquor Cornu Cervi
Succinatus Albus.

Diſp. Hamb. Wirt. Vienn. Prag. & rel.

℞ Salis volatilis Cornu Cervi & Succini, depuratorum, portionem anaticam, ſcil. *ana unciam unam.* Solve in Aquae ceraſorum nigrorum, *unciis octo;* filtrata ſerva,

Colore albicat, odore eſt non adeo empyrevmatico, viribus iisdem.

Pharm Aug. ren. Diſp. Argent. Ratisbon. Wirt.

Liquor contra Gangraenam.

Herm. BOERHAAVE, *Mat. Med. p.* 83.

℞. Aceti Dracunculi hortenſ. *unc. ſex,*
Roſac. *uncias duas.*
Spiritus Vini Theriacal. *uncias quat.*
Salis marini, *unciam unam.*
Aquae decoct. Scordii, *unc. duodec.*
Miſceantur exacte.

Hic valentiſſimus Liquor parti gangraenoſae inciſae calide infuſus ſaepius, vires ſuas antiſepticas et foedae putredini adverſantes egregie exſerit, dum non ſolum

(*) Vid. *Franc.* ZIEGLER *Diſſert. de Liquore Cornu Cervi ſuccinato,*

præſentem putredinem ſenſim exedit; ſed et futuram et proxime ſperandam arcet: inprimis autem vitiatas jam partes ab incorruptis et ſanis adhuc, ſalutariter ſejungit, ita, ut carnes putridæ et ferali tabo jam corruptæ, ſæpius ſua ſponte excidant; ſanæque contra et amoene rubentes, auſpicatiſſimo et ſaluberrimo ſigno, ſubtus rurſus appareant: quod ipſi aliquoties læti vidimus.

Liquor contra Gangrænam Alius.

Ejusdem BOERHAAV. *Prax. Med. Part. II. pag.* 166.

℞. Aceti optimi,
Vini generoſi, *ana libram unam.*
Salis Ammoniaci, *uncias duas.*
Aquae, *libram unam & dimidiam.*

Eosdem mirandos prorſus effectus, quos ſupra in priore Liquore ingenue prædicavimus, præſtat hic alter Liquor antiſepticus. Quare de iſto ita ſcribit ipſe BOERHAAVIUS: Dicam hic catholicum Remedium, mihi ſat notum & expertum. *Quod & ſua auctoritate amplius confirmat ill. van* Swieten, *ſuo huic magno præceptori in omnibus par, immo, ſi ipſius quidem modeſtia patiatur, in nonnullis etiam ipſo ſuperior: Cujus vid.* Comment. in Aphoriſm. BOERHAAV. *Tom. I. pag.* 781. *Ceterum conf. infra* Species pro decocto ad Gangraenam, *ejusdem ſummi Medicorum* Boerhaavii.

Liquor Martis Solaris.

Diſpenſ. Vienn.

R. Minerae Martis Solaris, *quant. placet.*

Affundatur Spiritus Nitri dulcis *ſufficiens quantitas*, ut Liquor extrahatur.

Vires habet incidendi, & obſtructiones Viſcerum reſolvendi. Conf. ſupra Part. I. Minera Martis Solaris.

Liquor Millepedarum Williſii.

Pharmaceut. Rational. Part. II. pag. 64.

℞ Milleped. viv. mundat. *unc. duas.*
Pulv. Seminis Aniſi, *drahm. unam.*
Nucis Moſchat. *drachm. ſemis.*
Sacchari albiſſimi; *unciam unam.*
Simul contuſis poſtea affunde
Aquae Hyſſopi, *uncias ſex.*
Limacum Magiſtral. *uncias duas.*

Parum agitentur cum piſtillo, & tum

Fiat Expreſſio fortis.

Doſis: Cochlearia duo, vel tria, bis in die.

Commendatur inprimis hic Liquor a celeb. Auctore, contra Tuſſim puerorum convulſivam, ut & phthiſin incipientem, nec adhuc adultam: conſentiente quoque B. BOECLERO, in Cynoſurae Mat. Med. HERMANN. Continuat. III. *pag.* 779. *nec memet ipſo diſſentiente, experto quippe aliquoties. Sed eſt quoque hæc ipſa ſcita compoſitio Williſiana egregium ſimul Remedium diureticum & hydragogum, quare in ipſo quoque diro hydrope, cum fructu, exhiberi poteſt. Conf. ſupra* Eſſentia Millepedum.

Liquor Nephriticus Ettmülleri.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 703.

℞. Lapidis Judaici,
Cancror.
Lyncis,
Spongiae,
Aquilae,
Teſtar. Ovorum Struth. *ana q. v.*

Pulvis hic ſolvatur in Spiritu Sa-

lis, parato ex Sale probe decrepitato. Solutio inſpiſſetur leni calore, in cineribus: Coagulum pulveriſandum & exponendum loco frigido: ibi ſolvitur p. d. in Liquorem, qui denuo coagul. & adhuc ſemel p. d. ſolvendus.

In honorem potius celeb. Auctoris Ettmülleri, *quam propter ſingularem utilitatem, ex hoc fatuo Liquore, ſit venia dicto, ſperandam, huic quidem compoſitioni locum hic dare placuit. Ceterum ſimilem fere Liquorem Nephriticum* Hoffmanni *ſenioris, exhibet ibidem* Jungken, *binosque alios Liquores Nephr. ejusdem fere compoſitionis, ex* Michael. *deſcripſit* BIERLING, in Append. Var. Medicament *Cap.* 24. *p.* 145. *quorſum & ille Liquor Nephriticus pertinet, quam ex* Fenrio *deſumtum ſiſtit* Tabul. Smaragd. *pag.* 228. *& alius* MYNSICHTI, *pag.* 335. *Sed unum cum noris, omnes noris, ut ille ait.*

Liquor Nitri Fixi.

Diſp. Wirt. Vienn. Prag. & rel.

℞. Nitri depurati *quantum libet.*

In crucibulo bene ignito ad fluorem perducatur, & ſucceſſive particula carbonum injiciatur, usque dum flammam amplius non concipiat; tunc maſſa in mortarium calefactum effundatur, atque in cella per deliquium ſoluta ac filtrata, uſui ſervetur. Vid. SCHULZ. *Prælect.* p. 197.

Liquor Pectoralis

Mynſicht. pag. 333.

Diſpenſat. Prag.

℞. Aquæ Cinnamom. Bugloſſat.
Caponis, *ana uncias quatuor.*
Pulmon. Vituli,
Hederæ Terreſtris,
Veronicæ,
Farfaræ, *ana uncias tres.*
Lact. Sulphuris, *drachmas tres.*
Florum Sulphuris, *drach. unam ſemis.*
Magiſter. Corallior. rubr. *dr. unam.*
Perlar. Orient. *drachmam ſemis.*

Miſc. & cum Man. Chriſti ſimpl. *unc. tribus* edolcora, & ad uſum ſerva: *Doſis mane, meridie, & veſperi, a Cochleari uno, ad duo &c.*

Mirabiliter Aſthmaticos, Phthiſicos, Peripnevmonicos & Hecticos juvare hunc Liquorem, verboſa ibi tradit Auctor. Quod ſi etiam forte effecerit, de quo interea equidem haud prorſus dubitaverim; iſta tamen virtus, ſat ſcio, haud tribuenda fuerit fatuis iſtis caponis & pulmonum Vituli aquis.

Liquor Præcipitans Clauderi.

Lib. de Balſamat. C. VII. p. 208.

Diſpenſ. Brand.

℞. Cinerum Clavellat. puriſſimor, *quantum vis.*

Affunde his
Aquæ Florum Acaciæ,
Sambuci,
Cochleariæ,
Naſturtii, *ana quantum ſufficit.*

Ad Eminentiam *quatuor*, vel *quinque digitorum*, agita aliquoties, filtra & uſui ſerva.

Si figuram hujus medicamenti externam videas, ita inquit hic ipſe CLAUDERUS *Auctor, videtur eſſe nullius pretii. Verum ſubſordido hoc Pallio latere ſapientiam, propriis, iisque frequentibus, teſtor experimentis: Quod ipſum in ſequentibus affatim probat. Eſt mere alcalinus, inquit* SCHULZ. Prælect, *pag.* 174. *adverſus acidam in primis viis, ſtagnantem colluriem, ſatis idoneus, quem aliqui abſcondunt, tingendo ipſum flori-*

bus Hyperici, dantque pauperibus & plebejis hominibus, nidoroſis, acidis ventriculi cruditatibus ſuperoneratis, ut & Soda laborantibus, nec non malo hypochondriaco, indeque enatæ melancholiæ obnoxiis.

Dantur guttæ quinquaginta, & ultra, cum vehiculo copioſo.

Liquor Ptarmicus.

GAUB. *de Form. p.* 390.

℞, Succ. Euphorb. *grana quinque.*
Vini albi Callic. *unciam unam.*
Spiritus Cochleariæ, *drachmas duas.*
Olei pillat. Majoranæ, *guttas duas.*
Miſc. accurate.

Turundæ pyramidales, ex goſſypio formatæ, hoc Liquore imbutæ, immittantur Naribus, ut excitetur ſternutatio. In Apoplexia ſcil. Lethargo, & aliis affectibus Soporoſis, ubi extrema neceſſitas tale Remedium exigit.

Liquor Salinus Laxativus.

Diſp. Wirt. Argent.

℞. Salis cathartici amari, *uncias tres.*
Tartari ſolubilis tartariſati, *unc. unam.*
vitriolati, *drachmas quatuor.*
Miſce, ſolve in
Aquæ fontanæ, *unciis quindecim.*
Filtra per chartam.

Aperit, urinam ciet, laxat alvum.
Doſis drachmæ duæ, ad tres.

Liquor Stypticus Weberi.

in Anchora Sauciatorum, ſeu Liquore ſtyptico miraculoſo, p. 124.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Vitrioli Hungarici,
Aluminis crudi, *ana libram dimidiam.*
Plegmatis Vitrioli, vel in ejus defectu, Aquæ Plantaginis, *libras quatuor.*

Coquantur, donec vitriolum & alumen ſoluta ſunt. Reponantur in locum frigidum, liquor frigefactus & a cryſtallis, ſubinde enatis, ſeparatus filtretur, & ſingulæ libræ filtrati liquoris, addatur
Olei Vitrioli, *uncia una.*
Miſceantur & ſerventur.

Externe ad vulnerum hæmorrhagiam compeſcendam adhibetur. Vid. SCHULZ. Præl. *pag* 175. *Ceterum alios Liquores ſtypticos vid. apud* BOERHAAV. Mat. Med *pag.* 122. GAUB. de Form. *pag.* 388. Diſpenſ. Ratisbonenſ. JUNGKEN, Corp. Pharm. *pag.* 702. Tab. Smaragd. *pag.* 229. *ſqq.*

Liquor Tartari, alias Oleum Tartari per Deliquium.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Arg. & rel.

℞. Salis Tartari, *quantum placet.*

Immittatur manicæ Hippocratis, reponatur per aliquot dies in cellam humidam, ut ſal liqueſcat; decantetur liquor, & ſi opus fuerit, filtretur.

Uſus internus rarus eſt, externe interdum ad coſmetica adhibetur; in chymicis frequentiſſime. Vid. BOERHAAV. Elem. Chem. *Tom. II. pag.* 198. & alios chemicos. *Res enim nota.*

Liquor Tartari Spleneticus.

Diſp. Wirt. Vienn. Arg.

℞. Tartari albi crudi puri,
Nitri cryſtalliſati, *ana libram unam.*

Detonentur, poſtquam exacte mixta fuerint, in crucibulo. Maſſa ſalina in
Aquæ calidæ *libris tribus* ſolvatur, coletur. Lixivium hoc ſuperfundatur

Tartari albi crudi pulveriſati, *libræ uni.*

Digerantur per octiduum, poſtea clarum a ſpiſſo per filtrum ſeparetur & ſervetur.

Liquor eſt ſalinus, & cum tartaro ſolubili convenit, nonnihil tamen de Oleo tartari empyrevmatico participat. Commendatur in morbis ex obſtructione viſcerum ortis.

Doſis drachma una, ad duas usque.

Liquor Terræ Foliatæ Tartari.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. Prag. & in rel.

℞. Arcani, ſive terræ foliatæ Tartari ſicciſſimæ, *uncias duas.*
ſuperaffunde
Spiritus Vini optimi & rectificatiſſimi, *uncias octo.*

Digerantur per aliquot dies, ſpiritus lento igne aliquoties cohobetur, tandem liquor tinctus, per chartam filtratus, ſervetur.

Egregium eſt antihypochondriacum, antarthriticum, atque in febre quartana & omnibus morbis, ab obſtructionibus ortis, feliciter adhibetur. Vid. STAHL. Mat. Med. *Part. I. pag.* 234. CARTHEUS. Pharm. *p.*424. SCHULZ. Præl. *p.*46. *& inprimis* BOERHAAVE, Elem. Chem *Tom II. Part. I. Proc.*76. *pag.* 231. *ſq.* & Diſp. Prag.

Doſis guttæ triginta, ad ſexaginta.

Si, loco ſpiritus Vini, aquæ adhibentur fontanæ unciæ ſex, *liquor inde emergens ſalinus, iisdem affectibus,* a drachma una, ad duas dari poteſt. *Alvum prompte laxat & urinam expedit.*

Liquor de Tribus.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Nitri puri, *uncias quatuor.*
Tartari Crudi, *uncias octo.*

Miſceantur pulveriſata, detonentur in Crucibulo recto, & per horam calcinentur; refrigerata ſolvantur poſtea, in
Aquæ fontanæ, *libris duabus.*
Solutioni deinde addantur
Salis Ammon. in Aquæ fontan. *libra ſemis.*
Soluti, *unciæ duæ.*

Filtratus ſervetur uſui Liquor.

Vires in Obſtructionibus tollendis, & Appetitu excitando, exerit: Menſtruum quoque pharmaciæ ſuppeditat.

Liquor Viſceralis.

Diſp. Vienn. Wirt. & paſſim alibi.

℞. Extracti Chamædryos,
Cichorii,
Trifolii fibrini,
Martis pomati, *ana drach. tres.*
Spiritus Nitri dulcificati,
Eſſentiæ Corticum Aurantiorum, *ana uncias duas.*
Aquæ corticum Citri, *uncias ſex.*

Digerantur mixta, per aliquot dies, & filtrata ſerventur.

Commendatur in Cachexia, hypochondriaco malo & flatulentia.

Doſis drachma una, ad drachmas duas, in vino.

Liquor Viſceralis Alius.

Diſp. Argent.

℞. Cort. Citr. recent.
Aurant. rec. *ana unc. ſex.*
Infund. in Spir. Vini rectificatiſſ. *ſuff. quant.*
Salis Tartari,
Ammoniac. *an. libr. ſemis.*
Nucis Moſchat. *unc. quatuor.*
Cinnamomi,

Macis, *ana unc. unam.*
Deſtill. Spiritui prolecto adde:
Olei Cinnamom. *drach. ſemis.*
Aquæ Naphæ, *unc. ſex.*

Et iterum deſtillatio inſtituatur: poſtea ſervetur uſui.

Vires habet Cephalicas, cardiacas, ſtomachicas atque hyſtericas. Doſis eſt ad Guttas Viginti, triginta & ultra, in Vino generoſo, aut alio ſimilis virtutis vehiculo convenienti. *Egregium ſane & Sapore, & odore, & efficacia præſertim, eſt Medicamentum: & in plurimis quidem convenit cum notiſſimo illo ſale Volat. Oleoſo Sylvii, cujus deſcriptio habetur in eodem* Diſpenſ. Argentin. *& hic infra, ſuo loco. Vid.* & Diſp. Vienn.

Liquor Vulnerarius *ſeu* Stypticus Mineralis. *ſive* Balſamum Vulnerarium Minerale Dippelii.

Diſpenſ. Wirt. Brand. Prag. in reliquis fere deſideratur.

℞. Lapidis Hæmatitæ, in pulverem triti, *libram dimidiam.*
Tartari crudi, *libr. unam.*
Mixtis affundantur
Aceti Vini deſtillati, *libr. tres.*

Digerantur in loco calido, poſtea acetum per alembicum abſtrahatur, bis vel ter cohobetur, atque ultima deſtillatione ad ſiccitatem evocetur. Reſiduo ſuperaffundantur

Spiritus Vini rectificati, *unc. viginti.*

Digerantur per octiduum. Clarum a ſpiſſo ſeparetur & ſervetur. Ceterum Conf. ſupra *Aqua Vulneraria rubra* DIPPELII. quæ fere eadem, ut ibi notavimus.

Eſt Tinctura Martialis adſtringens, & tam interne, quam externe, in nimiis Hæmorrhagiis & vulneribus, adhiberi poteſt. Deſcriptionem & uſus hujus Liquoris Dippel. Specimina legere licet in Act. Ac. Nat. Curioſ. *Vol. II. p.* 255. 258. SCHULZ. Prælect. *pag.* 38. *inprimis vid.* Diſp. Prag. in Not. *p.* 66. *ſqq. ubi de hoc* Liquore travmatico *plura notatu digna.*

Doſis interne guttæ quadraginta, ad ſexaginta.

Liquor Vulnerarius Vegetabilis. *ſive* Balſamum Vulnerarium Dippelii.

Diſp. Wirt. Sed aliam Breviorem Balſami Vulnerar. Dippeliani alibi *Deſcriptionem dedimus jam ſupra, ſub Tit.* Aquæ Vuln. alba Dippelii, *quam vide, ſi placet: habetur enim pro vera.*

℞. Herbarum Nummulariæ,
Betonicæ,
Chærefolii,
Plantaginis,
Ariſtolochiæ clematitidis, *ana unc. duas.*
Saniculæ,
Verbaſci,
Sedi majoris,
Craſſulæ, ſive Telephii minoris,
Vincæ-per-vincæ,
Pimpinellæ albæ, *ana unc. tres.*
Foliorum Quercus,
Summitatum Millefolii, *ana unc. duas.*

Contundantur & exprimantur fortiter; ſuccum expreſſum cum
Aceti Vini æquali parte, &
Salis Gemmæ pulveriſati, *unc. quat.*

Deſtilla, ex cucurbita vitrea, ad ſiccitatem, liquorem prolectum ſerva.

Hanc veram Balſami ſui vulnerarii

mirifici deſcriptionem ipſe Auctor Dippelius, Amſtelodami, *ſua ſponte, benigne communicavit cum* KUNDMANNO, *ceu ipſe refert in* Rarior. Natur. & Art. *Sect. III. Art. 22. pag. 954. in Not. ubi hæc ipſa extat Compoſitio. Vid. & Ro*ſin LENTILII Eteodrom. Med. Pract. *Ann.* 1709. *Menſ. Oct. p.* 972. *&* MÜLLER. de Effractura Cranii, *Memb. III. p.* 112. in Not. *item* KLEIN Select. rat. Med. *p.* 126. *Conf. ſupra*, Balſama vulneraria, *&* Eſſentia Vulnerar. *ſeu* Balſamus Vulnerarius STAHLII.

Ad vulnera recentia partium carnoſarum, externe adhibendus, commendatur.

Qui, loco aceti, ſpiritum vini adhibent, eundem effectum etiam in vulneribus partium tendinoſarum ſibi promittere, & ad hæmorrhagias ſiſtendas adhibere poſſunt.

Loch de Althæa.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Mucilag. Radic. Althææ, *unc. duas.*
Specier. Diatragacanthi frigidi,
Diajreos ſimpl. *ana drach. tres.*
Sacchari candi albi,
Penidii, *ana unc. ſemis.*
Florum Sulphuris, *drach. duas.*
Syrupi Capillorum Veneris,
Farfaræ, *ana quantum ſufficit.*
Miſce, Fiat lege Artis, Loch.

Uſum egregium præſtat in raucedine; tuſſi pertinaci, & morbis pectoris a lenta præſertim pituita & muco tenaci obortis; hinc pueris inprimis tuſſi rebelli inquietatis prodeſt. Ceterum aliud ſimplicius Loch. de Alth. *vid.* in Diſpenſ. Meſſan.

***

Loch Apophlegmaticum.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 226.

℞. Syrupi Hyſſopi, *unc. duas ſemis.*
Olei Amygdalar. dulcium, *dr. unam.*
Aniſi, *guttas duas.*
Tincturæ Myrrhæ, *drach. unam.*
Pulv. Rad. Ireos Florent *ſcrup. quat.*
Florum Benzoin *ſcrup. ſemis.*
Pulv. Nicotianæ, *grana quatuor.*
Spiritus Salis Ammon. *guttas ſedecim.*
Miſceantur exacte: Fiat ex Arte, Loch.

Partes pungendo, ſalivam limpidam alliciendo, Pituitam craſſam incidendo, Glandulas exonerando, & Vias lubricando, phlegma viſcidam e Gula educit, atque inprimis uſui eſt, quando ſcreatus fuerit provocandus, & Tuſſis deficiens arte revocanda. Hoc quidem Fullerus.

Loch ad Aſthma, *ſive* de Scilla.

Diſpenſ. Ratisb. Arg. Vienn. Wirt. Brand. Prag.

℞. Scillæ præparatæ, *unc. ſemis.*
Marrubii,
Hyſſopi, *ana drach. unam.*
Iridis Florentinæ, *drach. duas.*
Myrrhæ,
Croci, *ana drach. ſemis.*
In pulverem trita excipiantur
Mellis deſpumati, *unc. ſex.*
Fiat Loch, ſive Eclegma.

Pituitam viſcoſam reſolvit, indeque natam tuſſim & reſpirationem difficilem levat.

Uncia una hujus eclegmatis continet Scillæ grana triginta ſex.

Doſis drachma ſemis, ad drachmam unam ſemis.

Majori quantitate ſumtum vomitum excitat. Vid. SCHULZ. Præl. *p.* 177. *Ceterum Conf. infra* Mel ſcillitieum, &

Oxymel ſcilliticum, *ejusdem pæne Virtutis.*

Loch Aſthmaticum.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 226.

℞. Syrupi Hederæ terreſtris,
de Praſſio, *ana unc. unam ſemis.*
Oxymel. ſimplicis, *unc. unam.*
Pulv. Ari comp.
Rad. Ireos,
Gumm. Ammoniaci in Aq. Cinnam. ſol. *ana drach. unam.*
Elix. prop. cum Oleo Sulph. parat. *drach. ſemis.*
Florum Benzoin. *grana duodecim.*
Miſc. Fiat Loch.

Uſus hujus Eclegmatis, vel ex ipſo Nomine patet.

Loch Balſamicum.

FULLER. *ibid. p.* 227.

℞. Balſam. Tolut. in Vitell. ovi ſol. *unc. ſemis.*
Loch. ſani, *unc. unam.*
Balſami Peruv. *guttas quatuor.*
Syrupi Tuſſilag. *quantum ſufficit.*
Miſc. Fiat Loch.

In Tuſſi acri ac pertinaci, atque inte exulceratis nonnihil pulmonibus, & ipſa quoque phthiſi non contemnendum uſum præſtat.

Loch de Caulibus Gordonii.

Diſpenſ. Hamb. vid. Antidot. Meſſanenſ. Corteſii, *p.* 183. *&* Cordi Diſp.

℞. Succi Caulium rubrorum, *libr. un.*
Croci, *drach. duas.*
Sacchari,
Mellis, *ana libr. ſemis.*
Miſce, ut decet, & Fiat Loch.

Ejusdem pæne eſt Virtutis, pituitæ acrimoniam mitigat, aſperas fauces lenit, & ipſam expectorationem egregie promovet & faciliorem reddit.

Loch de Farfara.

Diſpenſ. Vienn. Prag. Wirt. Arg. & reliq.

℞. Radicum Farfaræ recentium, *quantum lubet.*

Coquantur ad mollitiem, contundantur in mortario lapideo, & per cribrum trajiciantur.
Hujus pulpæ libræ, *uni adde*
Mellis deſpumati *libr, duas.*

Coquantur ad humiditatis ſuperfluæ conſumtionem, poſtea ſerventur.

Acrimoniam humorum obtundit, ſimulque abſtergit & mundificat, atque phthiſicis & tuſſientibus confert. Vid. SCHULZIUS Prælect. *p.* 178.

Doſis uncia dimidia, ad integram.

Loch Japonicum.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 229.

℞. Terræ Japonicæ, *drach. duas.*
Albumin. ovi conquaſſat. *dr. ſex.*
Syrupi de Symphyto, *quant. ſatis.*
Miſc. Fiat Loch.

Optime meretur adverſus Hæmoptoën: ſanguinem enim refrigerat & incraſſat: Tuſſim Catarrhalem pulmones lacerantem, ſiſtit; Vaſorumque ora rupta & dehiſcentia claudit & obſignat. Hactenus Fullerus.

Loch Incidens Sputa Viſcida.

BARBEIRAC, *Med. Form. p.* 226.

℞. Syrupi de Eryſimo,
Hedera Terreſt. *ana unc unam.*
Antihectici Poterii, *ſcrup. duos.*
Florum Benzoini, *ſcrup. unum.*
Aquæ Borraginis, *Cochlearia tria,*
Naphæ, *Cochlear unum.*
Miſce exacte, Fiat Loch.

Quantum reliqua omnia proſunt in hac

hac alias ſat concinna Compoſitione: tantum profecto unicum illud adjectum Antihecticum Poterii officit, cujus quippe uſus ſemper ſuſpectus, Hecticam potius infert, quam aufert: quare illud & hic, & alibi ſemper, omittendum. Vid. ſuperius dicta ad Antihect. POTER. Conf. Diſſ. noſtr. de Cort. peruv. *uſu, p.* 11.

Loch de Lino.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 230.

℞. Olei Lini recens expreſſi,
Pulv. Sacchari candi albi,
Syrupi e ſucco Hederæ terreſt. *ana unc. ſemis.*
Pulv. Ireos Florentin. *drach. unam.*
Florum Sulphuris, *drach. ſemis.*
Tincturæ Gummi Ammon. *gutt. duod.*
Olei Aniſi, *guttas quatuor.*
Salis Cornu Cerv. Volat. *grana ſex.*
Miſc. Fiat Loch.

Phlegma Craſſum incidit, expectorat, & optime inſervit adverſus pleuritidem & Orthopnœam. Sic Fuller. *Equidem haud prorſus negaverim, hoc Loch, ſeu Eclegma, egregii uſus eſſe poſſe in pleuritide, inprimis propter Lini Oleum recens expreſſum, de quo vid. Verna & nos, de pleuritide. Interim tamen, me quidem ſuaſore, tum melius tutiusque omittatur Oleum Aniſi & Sal Volatile Cornu Cervi, ob rationes in Lib. de* pleuritide *datas.*

Loch de Papavere.

Diſpenſ. Brand. Meſſan. Hamb. Lond.

℞. Amygdal. dulc. recens decort.
Pinearum enucleatarum,
Gummi Arabici,
Succi Glycyrrhiz. *ana unc. unam ſem.*
Amyli, *drach. tres.*
Sacchari albiſſimi, *libr. ſemis.*
Papaveris albi, *unc. tres.*
Mucilag. e ſemin. Cydoniorum,
Portulac. *ana unc ſemis.*
Aquæ Tuſſilag. quantitate ſufficiente extractæ, *quantum requiritur.*

Contuſis contundendis, omnia mixta, cum mucilagine ſeminum, extracta ſubigantur, & ad juſtam Loch Conſiſtentiam, addito Syrupi de papavere Compoſiti, quantum ſufficit, redigantur.

Humores tenuos incraſſat, inquit Cl. CARTHEUS. Pharm. *p.* 683. *acres eorum partes obtundit, & ſolida eroſa demulcet: Hinc in phthiſi etiam, febre hectica, raucedine, tuſſi acri ſalſa, eroſione faucium, Ventriculi & inteſtinorum, dyſenteria, ardore urinæ, ſtranguria, &c. utiliſſimum, præſertim, ſi recentius paratum fuerit, deprehenditur Remedium.*

Datur a drachmis duabus, ad unciam dimidiam & ultra. *Hactenus Cl.* CARTHEUS.

Eadem fere omnia laudat quoque in hoc Loch. B. SCHULZIUS, in Prælect. *p.* 176, *Prudenter vero hæc inſuper addit: ſed nimia Quantitas dari non debet, aut diutius continuari, præſertim illis, qui jam diu tali morbo vexati fuerunt. Quod & jam dudum ita monuerat* COSTAEUS, *ceu obſervatum in* Antidotar. Meſſanenſi, *p.* 182.

Loch de Paſſulis.

Diſpenſ. Brand. Hamb. Meſſan. Lond. Norimb JUNGK. Corp. Pharm. *p.* 490.

℞. Radicum Glycyrrhizæ,
Pæoniæ, *ana unc. ſemis.*
Herbarum Hyſſopi,
Meliſſæ,
Scolopendrii, *ana manip. ſemis.*

Coquantur comminuta, ſufficienti Quantitate Aquæ pluviæ: Colaturæ, cum forti expreſſione factæ deinde adde:

Paſſularum minorum mundatarum ac probe contuſarum, *libr. unam.*

Coquantur denuo, ac tandem per Linteum forte, calide exprimantur, & cum

Sacchari albiſſimi, *libra una.*

Secundum Artem, ſubigendo, Fiat Loch.

Pectori etiam dicatum eſt hoc Loch, ſed & Capiti. Caret nimium mucilaginoſis & fermenteſcentibus, quare infantibus & puerulis lambendum præberi poteſt. Ita bene B. SCHULZ. Prælect. *p.* 176.

Loch de Portulaca.

Diſpenſ. Vienn. Brand. Meſſan. Lond. Norimb. JUNCK. Corp. Pharm. *p.* 487.

℞. Gummi Arabici,
Sanguinis Draconis,
Trochiſcor. de Carabe, *ana dr. unam.*
de Terra ſigillata, *drach. duas.*
Lapidis Hæmatit præparati,
Pilorum Leporis uſtor. *ana ſcrup. duos.*
Sacchari albiſſimi, *libr. unam.*
Succi portulacæ, *libras duas.*

Omnibus minutiſſime tritis, Fiat Artis lege, cum Succo portulacæ, Loch.

Deſtinatum eſt, iterum hic loquitur Cl. SCHULZIUS, *p.* 176. *Hæmoptyſi ſiſtendæ, & Vaſis pulmonalibus conſolidandis, & quidem tam refrigerando, quam leniendo, & adſtringendo. Efficax ergo in ſputo ſanguinis & aliis ejusdem vel per os, vel per inferiora, egeſtionibus, ut* Val. Cordus *loquitur. Non vero prius in uſum advocandum, niſi præmiſſis præmittendis, præſertim ſufficienti & opportuna ſanguinis miſſione. Ceterum quid uſti fatuique Leporis pili hic præſtare poſſint, equidem non perſpicio. Ejiciantur ergo ex hac ſcita alias Compoſitione. Ne ad ipſos Lepores ablegetur, quisquis confidit Leporum pilis.*

Loch Puerperarum.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 232.

℞. Spermatis Ceti, *drach. duas.*
Pulv. Balſam. Tolut. *drach. unam.*
Balſ. Peruviani,
Tincturæ Benzoin, *ana drach. ſemis.*
Vitell. ov. *No. un.*
Sacchari Candi albi cribellat. *unc. duas.*
Syrupi Alb *quantum ſufficit.*

Miſc. Fiat lege Artis, Loch.

Puerperis egregie convenit, poſt partum præſertim difficilem, utero forſan læſo. Sed nimia hic eſt Sacchari Quantitas adjecta, quam puerperæ ægerrime ferunt.

Loch de Pulmone Vulpis.

Diſp. Lond. Vienn. Wirt. Brand. & rel.

℞. Pulmonis vulpis præparati,
Succi Glycyrrhizæ,
Capillorum Veneris,
Seminis Aniſi,
Fœniculi, *ana unc. unam.*
Sacchari clarificati, *unc. quindecim.*

Omnia tenuiſſime trita ſaccharo excipiantur, & ad debitam formam redigantur.

Pectori dicatum eſt, prodeſt phthiſicis & tuſſientibus, reſolvit ac abſtergit excluſo quoque fatuo illo Vulpis pulmone quippe qui phthiſin potius creare poteſt, quam ſanare, ut ſupra jam monitum parte I. Ceterum vid. hic SCHULZ. *p.* 177. CARTHEUS. Pharm. *p.* 684. *præſertim* LUDOVICI Pharm. Diſſ. I. *p.* 413. *qui & recte tabidos illos pulmones Vulpis explodit & deridet.*

Doſis drachmæ duæ, ad tres.

Loch Sanum & Expertum.

Diſp. Arg. Wirt. Ratisbon. Brand. & rel.

℞. Aquæ Loch ſani deſtillati, *libr. unam*

Pinearum mundatarum,
Amygdalarum mundatarum,
Seminis Papaveris albi, *ana unc. ſem.*
Fiat emulſio; in qua diſſolve
Sacchari, albi *unc. viginti*, inſperge
Pulveris Liquiritiæ,
Tragacanthæ albæ,
Gummi Arabici,
Amyli, *ana drachm. tres.*
Iridis Florentinæ, *drach. duas.*

Miſceantur, agitentur diu & celeriter, quo albeſcant; poſtea reponantur.

Tuſſi ſiccæ, ab acri materia ortæ, ſubvenit, expectorationem adjuvat. Vid. GABELCHOVERI Obſ. Med. 10. *Cent. IV. pag.* 20. *in Not. ubi ſingulares plane Virtutes huic Loch ſano & experto tribuit; ſed & cautiones addit. Conf.* SCHULZII Prælect. *pag.* 177. & CARTHEUS. *p.* 685.

Doſis eſt drachmæ duæ, ad unciam ſemis.

Loch Saponatum Pharm. Edinb.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Saponis medicati vel, Veneti, *drachmam unam.*
Olei Amygdalarum, *unc. unam.*
Syrupi capillorum veneris vel Balſamici, *unc. unam ſemis.*

Miſceantur exacte.

Reſolvit, & non ſolum in aſthmate, ſed etiam in affectibus renum, calculo & nephritide cum fructu dari poteſt.

Doſis drachmæ duæ, ad unciam ſemis.

Loch Siccum.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Matris perlarum præparatæ,
Cornu Cerv. philoſoph. præparati,
Eboris ad albed. calcinati, *ana dr. un.*
Sacchari candi pulv. *drach. duas & ſemis.*
Olei Cacao, *drach. unam & ſemis.*
Radicum Althææ,
Glycyrrhizæ,
Gummi Arabici,
Tragacanthi. *ana ſcrup. duos.*
Radicis Iridis Florentinæ, *grana ſex.*
Terræ Japonicæ, *grana octodecim.*

Ex omnibus exactiſſime tritis, pulveratis, lævigatis, Fiat lege Artis, pulvis tenuiſſimus.

Ad pulveres potius pertinere, quam ad Eclegmata, Linctus, ſeu Loch, hæc enim omnia idem ſunt, ceu notum, nemo non videt; inde & rectius inſcribitur pulvis pectoralis, quoniam diverſis pectoris morbis, præſertim a lenta pituita mucoque tenaci obortis, mitigandis, potiſſimum inſervit. Sed quia mirum illud Loch Sicci *nomen huic pulveri imponere placuit Medicis pariſinis; ideo & ſub hoc Titulo locum ipſi hic dare non dubitavimus. Ceterum alia plura Eclegmata pectoralia liquida, Loch vulgo dicta, ex diverſis præclaris Auctoribus diligenter collecta, una exhibet* JUNGKEN, in Corpore Pharmacevt. *p.* 488. *Unde commode peti poſſunt, ſimul cum aliis multis ejusmodi Compoſitionibus, ad diverſos corporis humani morbos curandos, profuturis. Conf. &* FULLERI Pharm. Extemp. *p.* 225. *ſqq.* BARBEIRAC. de Medicament. Form. *pag.* 224. *ſqq.* MYNSICHT. Theſaur. Pharm. Sect. XVI. *p.* 249. *ſqq. ut reliqua diſpenſatoria jam prætersam, quoniam nota ſunt.*

* * *

Lumbricorum Terreſtrium Præparatio.

Diſpenſ. Wirt. Arg. & in reliquis.

Lumbrici terreſtres vivi in fictili patina ſatis magna reponantur, ut terram eructent; quo facto aqua pura abluantur, & iterum reponantur, donec omnes ſordes depoſuerint. Deinde Vinum ſuperfundatur album, & Lumbrici, per quatuor horas macerati, in clibano, ne putreſcant, cito exſiccentur.

Vires ſunt aperientes, diureticæ, diaphoreticæ & anodinæ; hinc in affectibus arthriticis, convulſivis & epilepticis, bono cum ſucceſſu adhibentur.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis. Ceterum Pulvis Lumbricorum Compoſitus, vid. infra ſuo loco.

Magiſterium Coccinellæ.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Coccinellæ, *unc. unam.*
Modicum contuſa, coquatur in
Aquæ fontanæ, *libr. ſex.*
Ipſi Coctioni inſtilletur
Olei Tartari, *unc. una ſemis.*

Iteretur hæc coctio & inſtillatio ſæpius, dein Colaturæ filtrentur, & cum Aquæ Aluminis ſufficienti quantitate praecipitetur, edulcoretur, & exſiccetur; Fiatque ſic Magiſterium, ut Artis eſt.

Virtutes hujus Magiſterii ſunt, ut creditur, Cordiales, confortantes, & putredini reſiſtentes, in febribus malignis, & conſimilibus affectibus.

Magiſterium Coralliorum.

Diſpenſ. Wirt. Lond. Vienn. Brand.

℞. Coralliorum in pulverem tritorum, *quantum vis.*
his affundatur
Acetum deſtillatum forte, ad ſupereminentiam aliquot digitorum, & in
Locum calidum reponantur, ut ſolvantur. Solutio filtretur, & oleum Tartari per deliquium inſtilletur, atque pulvis inde praecipitatus, aqua fontana probe edulcoratus, ſiccetur.

Olim valde commendata fuerunt magiſteria, & huic Coralliorum roborantes, cordiales virtutes attributæ ſunt. Hodie a plurimis & experientiſſimis Medicis ſimpliciter præparata illis merito præferuntur.

Rectiſſime quidem, ſunt enim iſta Magiſteria nihil, niſi Calx iners, aut Terra inſipida & fatua: vid. LUDOVICI Pharmac. RIVINI Diſſ. de Cenſura Medicam. officinal. & *inprimis* SCHULZ. Praelect. ad Diſpenſ Brand. *p.* 178. *item* CARTHEUSERI Pharmacolog. *p.* 473. & Elem. Chym. *p.* 142. *ſqq. item* JUNCKEN, Chym. Experiment. Part. I. *p.* 241. *ſqq.*

Praeſcripta methodo etiam reliqua.

Magiſteria Margaritarum, Matris Perlarum, & Oculorum Cancrorum.

Praeparari poſſunt.

Magiſterium Cordiale.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Magiſterii Margaritarum,
Granati,
Hyacinthi,
Sapphiri, *ana drach. duas.*
Coralliorum, *unc. ſemis.*
Oſſis de Corde Cervi, *drach. unam.*

Miſceantur probe pulveriſata, pro Cordiali Magiſterio.

Virtutes Cordialis hujus Medicinæ

Nomen indigitat. Immo, addo ego, Nomen magis, quam ipſa res. Pretioſæ quidem hæ ſunt Gemmæ atque Margaritæ; ſed quid tum poſtea? & quomodo quæſo poſſint ſua innata Virtute, adhuc incognita, Cor languidum recreare ac reparare Vires amiſſas? Id utique eſt in quæſtione, & ſemper erit; nec unquam, credo, dabitur ad iſtam juſta ſatis ſufficiensque Reſponſio. Ceterum hoc ipſum ſic dictum Magiſterium Cordiale *Auctorem habet* MICHAELEM, *ceu obſervatum in* Corpore Pharmacevt. JUNGKEN. *p.* 717. *ubi & alia ſimilis fere Magiſterii cardiaci compoſitio a* Kœnigio *quondam concinnata, exhibetur. Aliud vero ſimplicius Magiſterium Cordiale ejusdem* MICHAELIS, *proſtat in* Diſpenſ. Hamb. *& alibi.*

Magiſterium Epilepticum.

Diſpenſ. Vienn. Hamb. JUNGK. *Corp. Pharm. p.* 717.

℞. Magiſterii Ungulae Alcis,
Cranii humani,
Cornu Alcis,
Cornu Cervi, *ana unc. ſemis.*
Smaragdior. Ver. *unc. unam.*
Unicornu Veri, *drach. duas.*
Succini, *drach. unam.*

Miſceantur pulveriſata exacte, pro uſu, ſi quis ſit.

Virtutes ſuas in Epilepſia & convulſionibus Cephalicas abunde demonſtrare creditur. Quid vero generatim ſit ſentiendum de hujusmodi Ingredientibus, partim fatuis, partim & Sordidis atque abominandis, paſſim in hoc opere jam candide declaravimus, inprimis infra ad varios pulveres epilepticos. Ceterum ſimile fere Magiſterium Epilepticum Maji *exhibetur in* Tabula Smaragd. *p.* 233. *& alia aliorum alibi.*

Magiſterium Gummi Guttæ.

Videatur

Gummi Guttæ Præparatio.

Magiſterium Marcaſitæ.

ſive Coſmeticum Clavii.

Diſpenſ. Hamb. Wirt. Brand. Arg. Vienn. Prag.

℞. Aquae fortis, *libr. ſemis.*
Bismuthi, vel Marcaſitae, *unc. tres.*

Marcaſitae groſſo modo contuſae affunde primo Aquæ fortis uncias duas; ſi inde nata effervescentia & ſolutio ceſſaverit, alias Aquae fortis uncias duas affunde, & hoc continua, donec omnem Aquam fortem affuderis, qua methodo Marcaſita omnis ſolvitur; ſolutionem aqua fontana, magna copia affuſa, & ſale Tartari parum alcaliſata, praecipita, praecipitatum edulcora & ſerva.

Uſus eſt coſmeticus, & admiſcetur drachma una aquæ Liliorum albornm, vel Nympheæ unciis quatuor; vel ſi placet Unguentum, ſumitur roſatum, & unciæ uni drachma hujus magiſterii additur. Vid. JUNGKEN. Chym. Exper. *Part. I. p.* 289. STOLLE, Hiſt. Med. *Part. II. p.* 802.

Proſtant exempla, quod nimis diuturno & frequenti uſu faciem miſere defœdarit. Vid. SCHULZ. Praelect. *p.* 182. & Diſp. Arg. *in Not.*

Magiſterium Mercurii.

Ejus Deſcriptionem Vid. apud POTER. *in Pharmac. Spagyr. Lib. II. cap.* 13. *p.* 394.

Magiſterium Martis.

Vid. ſupra Extractum Martis.

Magiſterium Vitrioli Martis, *ſive* Pulvis Polychreſtus.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Vitrioli Martis, *quantum placet.*

Solvatur Aqua fontana, filtretur & præcipitetur Oleo Tartari; atque in fundo invenietur pulvis, qui edulcoretur, parum ad rubedinem Calcinetur, atque uſui probe ſervetur.

In Obſtructionibus reſerandis, & Vermibus necandis, bono ſucceſſu adhibetur.

Magiſterium Martis Aperitivum Spindereri.

BIERLING. *Append. Med. p.* 123.

℞. Succ. Acetoſ. Hiſpan. recent. expreſ. & filtrat. per Manicam Hippocr. *libras octo.*

Coq. in Baln. Mar. lento igne ad medietatem,

Poſtea digere, ut clareſcat.

℞. Hujus libr. quatuor: ſuperfund. deinde

Limatur. Chalybis opt. *libr. ſemis.*

Digere in Balneo Mar. per octo dies, & ultra, in dies agitando diligenter: Tum Tincturam filtra, & ad conſiſtentiam, in Balneo evapora.

Ipſe Titulus indicat, quid inde præſidii ſit ſperandum. Eſt nempe egregium aperitivum in hepatis, lienis & meſenterii Obſtructionibus, Malo hypochondriaco, & chloroſi Virginum. Vid. MYNSICHT. *p.* 20 *ſqq. & ex eo* JUNGKEN, Corp. Pharm. *p.* 654.

Magiſterium Saturni.

Diſpenſ. Brand. Wirt. CHARAS, *Pharm. Reg. T. II. p.* 774. *Hamb.*

℞. Aceti Lithargyrii quantum lubet, inſtilletur ſolutio Cinerum clavellatorum aqua fontana parata, præcipitabitur pulvis albus, qui, affuſa aqua tepida copioſa, edulcorandus & ſervandus. Vid. CARTHEUS. *Elem. Chym.* p. 146. & LEMERY *Curſ. Chym.* p. 137.

Uſus eſt ad coſmetica & collyria, nec tamen ſemper ſine periculo, vid. SCHULZ. Prælect. *p.* 182.

A Medicis non adeo rationalibus, interne quoque, in Gonorrhœa Virulenta, diarrhœis, æſtu febrili, & nimio œſtro Venereo, exhibetur; at nullum, pro meo judicio, locum inter tuta Medicamenta interna, invenit; ſed ad mitiora Venena conſtrictoria, quæ Vitæ ac ſanitatis fulcimenta lente dejiciunt, relegandum erit &c. *ita probe & prudenter ſcribit Cl.* CARTHEUS. in Pharmacologia, *Sect. VIII. p.* 481. *ſq. & ante ipſum, magnus* BOERHAAV. Element. Chem. *Tom. II. Part. III. proceſſ.* 171. *pag.* 394. Caveant homines Venenum Saturninum, quod odore carens & ſapore, tanto pejus afficit, quo irrepit tectius, nec ſe manifeſtat, niſi in devictis jam Corporibus. *Nusquam tuta fides in Saturninis; ſed ſemper latet anguis in herba, quomodocunque dirus iſte durusque Saturnus præparatus, mitigatus & ſubactus fuerit; ſemper tamen ad priſtinum malignum ingenium redux, clandeſtinas ſuas nocendi artes doloſe exſerit. Vid. infra uberius dicenda, ad Tit.* Saccharum Saturni, & Tincturam Antiphthiſicam Gramanni, *item ad* Pilulas Saturninas, & *ſupra, ad* Emulſionem Arabicam, & Cannabinam Viennenſium. *Inde audiendus non eſt* MYNSICHTUS, *qui in* Theſaur. Pharm. *Sect. I. pag.* 22. *ſuſpectum hoc Saturni Magiſterium in phthiſi, hectica, colica, affectibus Lienis, & ubique fere mirum in modum*

commendat, quod certe ſtomachum nobis ciet.

Magiſterium Sulphuris.

Vid. ſupra
Lac Sulphuris.

Magnes Arſenicalis.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Vienn. vid. JUNGKEN, *Chym. exper. p. 254. & Chym. cos. alios.*

℞. Arſenici cryſtallini,
Antimonii crudi,
Sulphuris flavi, *ana unc. duas.*

Fiat omnium pulvis ſubtilis, quem in vitrea retorta arenæ impone, ac in igne, ſenſim aucto, tam diu detine, a fumo exhalante ſolicite tibi cavendo, donec omne deliqueſcat, quod ſtilo ferreo mundo, explorari poteſt; tum refrigeſcat retorta, qua fracta, materiam, lapidis inſtar induratam, fuſci coloris, exime ac ſerva.

Eſt ingrediens emplaſtri magnetici, & ita vocatur, quia credebant, illud malignitatem bubonis extrahere, non ſecus, ac magnes ferrum trahit. vid. SCHULZ. Præl. *p.* 182. & WEDEL. Amœn. Mat. Med. *p.* 98.

A Sulphure Arſenicum ita mitigatum eſt, ut vis cauſtica ejus timenda non ſit. Interim tamen Arſenicum ſemper Arſenicum eſt, nec mala arbor unquam ferre poteſt bonum fructum. Contrarium licet, hic ſentientibus Sala, Barbette Diemerbrock. *& aliis, apud* WEDEL. *loc. citat. quibus add.* MALONIN. in Chem. Med. *nuper edita.*

Magneſia Alba, *ſive* Panacea Anglica.

Diſpenſ. Wirt. & reliqua omnia.

℞. Reſidui lixivii, a cryſtalliſatione Nitri, quod omnem cryſtalliſationem reſpuit, & a nitrariis, Mater Nitri vocatur, *quantum libet.*

Evaporetur in vaſe figulino, vel ferreo, ad dimidiæ partis conſumtionem; liquori inſtilletur ſolutio ſalis alcali, vel cinerum clavellatorum, ad ſingulas libras lixivii, ad dimidias evaporati; ſalis alcali unciam unam ſumendo; præcipitabitur, ſub quadam efferveſcentia, pulvis albicans; liquorem ſupernatantem, per inclinationem vaſis, ſepara, atque ultiori coctione ad ſiccitatem evapora. Materiam griſeam crucibulo candenti cochleatim immitte, atque funde, & dum fumare deſinit, in laminam vel marmor effunde, aqua tepida diſſolve, & pulverem albiſſimum, qui leviſſimus eſſe debet, ſuperfuſa copioſa aqua fontana, edulcora atque ſicca. Vid. CARTHEUS. *Elem. Chym.* p. 180. ſqq. NEUMANN. & *Chem.* alios.

Tanquam polychreſtum & univerſale ad omnes morbos, ſub ſpecioſo titulo Panaceæ, quondam ad nos pervenit, & pro arcano habita eſt; nunc nitri coctores præparare ſciunt. Virtute gaudet abſorbente, & minori doſi exhibita, nonnunquam diuretica & diaphoretica; ſi vero largiori doſi, ad drachmam unam, vel duas datur & humores acidos in primis viis invenit, alvum laxat & evacuat. Hæc Cl. Wirtemberg. *Conf.* CARTHEUS. Pharmacologia, *Sect. VIII. p.* 493. *item* Fundam. Mat. Med. *p.* 193. & SCHULZ. Prælect. ad Diſpenſat. Brand. *p.* 183. *in quo tamen ipſo, Magneſiæ huic albæ nec magnæ, nec albæ, ſed mediocres tantum, & obſcuræ atque ambiguæ, laudes tribuuntur; vid ibi p.* 100. *in Not.*

Modus exhibendi eſt, vel drachmas duas cum emulſione amygdalarum mane propinare, vel ſalis Anglici cathartici

drachmis quatuor vel ſex, unam drachmam Magneſiæ addere, & ſimul in aqua diſſoluta, exhibere. Qua poſteriori methodo effectum ſatis laudabilem purgantem, absque ulla moleſtia, edit, & præcipue illis convenit, qui ardore ventriculi, quem Sodam vocant, vexantur, Ita docente Cl. SCHULZIO, *loc. cit. p.* 183.

Prodeſt etiam teneris infantibus, ad lactis & pulmentorum acrimoniam, in ventriculo ſubortam, contemperandam. Datur his a granis quinque, ad ſcrupulum ſemis & ultra, pro ratione ætatis.

Vid. SLEVOGTII Diſſertatio ſingularis, de Magneſia alba, *aliaque de hac panacea vulgo ſic dicta, ſcripta quam plurima; Ut* Hoffmanni, Neumanni *inprimis* Valentini, Spieſii, & *aliorum; noviſſime vero D.* Joſeph. BLAK, ſingularem Diſſertationem Edinburgi, 1754. *edidit.* de humore acido a cibis orto, & Magneſia alba; *in qua & modum præparandi docet & virtutem operandi prædicat, immo virtutes ipſius mirum in modum extollit: quas tamen rectius deprimit Cl.* GMELINUS, *in* Diſſ. *de* Botan. & Chemia ad praxin. Med. applicata, Tubing. 1755. *Conf.* Diſſ. noſt. de Cort. Peruv. *p.* 8. *Quum enim primum apud nos innoteſceret iſtud Arcanum,* a Comite *quodam* de Palma *primo celebratum & pro divina quaſi panacea, venditatum, nunc vero omnibus notum; dici vix poteſt, quam mirandi prorſus & inauditi fere hactenus effectus ipſi certatim tribuerentur tantum non ab omnibus: Verum aliquo poſt tempore, ſedato illo ac conſopito, ſenſim primo illo impetu acerrimo, ut fieri ſolet; tandem aliquando manifeſtius patuit, Magneſiam bonum quidem eſſe Medicamentum; ſed non optimum. Frequentiore enim & attentiore Experientia deprehenſum eſt, paullo largiorem illius uſum ſequi plerumque anorexiam, bradypepſiam, nauſeam, flatus & acuta Ventris tormina, diarrhœam vix reprimendam, vertiginem, corporis maciem, vultus pallorem & alia plura mala. Unde & frequentiſſimus alias ipſius uſus hodie apud nos ita exolevit & quaſi eviluit, ut non, niſi rariſſime & parciſſime, adhibeatur. Conf. ill.* HOFFMANNI Obſervat. Phyſico-Chymic. *Lib. II, Obſ. II. p.* 122. *ut & Celeb.* HUNDERTMARK, in Exercitat. Academ. de Sacchari Saturni uſu interno ſalutari, (*ut creditur ſcilicet,*) *ubi fol. IV. ſqq. per quam diligenter pleroſque Auctores recenſet, qui vel laudarunt, vel vituperarunt Magneſiam, quos inter, poſtremos nempe, primum fere locum occupat laudatus ſupra* Neumannus, *cujus juſtum ac rectum, licet ſeverum, de iſta, judicium plurimum utique ponderis habet.*

Magneſia Saturnina Poterii.

Non ex inviſo & maligno Saturno paratur, ut nomen quidem prima fronte, indicare videtur; ſed potius nihil eſt aliud, quam Regulus Antimonii cum Argento mixtus, vel Antimonium ipſum per calcinationem, rite tractatum, docente ill. HOFFMANNO, in *Not. ad Poterii Obſervat. Cent. I.* cap. 73. p. 77. & Cent II. cap. 48. p. 149. & *in Obſervat. Chym.* 3. Lib. III. p. 275. ſqq. item in *Diſſ. de Regulo Antimonii medicinali.* Interim tamen ipſe POTERIUS locis allegatis, virtutes præſtantiſſimas, immo potentiſſimas, in epilepſia, paralyſi inveterata & pæne inſanabili, aliisque atrociſſimis Morbis feliciter debellandis, tribuit huic ſuæ Magneſiæ: quam vero cur Saturninam exoſo & ſuſpecto nomine, vocaret, cauſſæ profecto nihil equidem video, niſi forte ideo, ut

ut pulchrum hoc ſuum Arcanum fœdo hoc & formidabili Titulo tanto facilius tutiusque velaret. Quod tamen laudem vix meretur.

Mandibulæ Lucii Piſcis Præparatæ.

Diſpenſ. Wirt. & ſic in reliquis.

A ſordibus mundatæ, in ſubtiliſſimum pollinem tritæ, & per linteum trajectæ ſerventur.

Vulgo ſpecificum antipleuriticum habentur: Sed vulgo; tantundem enim in pleuritide mitiganda, præſtant, ac dentes Apri, Hippopolami, *& id genus alia fruſtra laudata antipleuritica, id eſt nihil. Vid.* Lib noſt. de pleurit. *C. III. p.* 48. *&* VERNA, de pleurit. *Part. V. cap.* 7. *p.* 133.

A drachma ſemis, ad ſcrupulos dari poſſunt duos.

Manna Mercurii.

vid. infra Mercurii Manna.

Margaritæ Orientales & Occidentales Præparatæ.

Diſpenſ. Wirt. & ſic reliqua omnia.

Antea in pollinem tritæ, ſuper marmore, ſicut corallia, lævigantur.

Cordiales illis virtutes adſcribuntur.

Doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.

Maſſa Pro Fornace, Communis.

℞. Corticum Thymiamatis,
Gummi Benzoës,
Storacis Calamithæ,
Olibani, *ana unc. unam.*
Ladani, *unc. quatuor.*
Ligni Aloës,
Rhodii,
Maſtiches, *ana unc. ſemis.*
Florum Lavendulæ, *drachm. duas.*
Sacchari albi, *unc. unam.*
Storacis liquidæ,
Ceræ novæ,
Terebinthinæ claræ, *ana unc. duas.*
Gummi Tragacanth. *in ſuff. quantit.*
Aquæ Roſar. Fragrantiſſimæ ſoluti, *unc. unam.*
aut quantum ſufficiat.

Miſce, Fiat lege Artis, Maſſa, & inde formentur Bacilli, prout lubet.

Licet hæc Compoſitio Communis vocetur, minusque pretioſa ac ſumtuoſa ſit præ altera præmiſſa ſic dicta optima: tamen magis placet, quoniam Ambra, Moſcho ac Zibetho caret, quibus pauciſſimi delectantur; omnium minime vero Virgines ac feminæ, præſertim gravidæ, ceu notum.

Maſſa pro Fornace, Odorifera.

Diſpenſ. Wirt. Hamb. Vienn. Arg.

℞. Benzoës, *unc. ſex.*
Storacis calamitæ, *unc. quinque.*
Ladani, *drach. ſex.*
Terebinthinæ, *unc. ſemis.*

Pulveriſata immittantur ſartagini, atque in vas aquæ bullientis demittantur, quo liqueſcant; liquatis adde
Olei deſtill. Ligni Rhodii,
Caryophyllorum,
Lavendulæ, *ana ſcrup. unum.*
Balſami Indici nigri, *drachmam unam ſemis.*
Spodii nigri præparati, *drach. duas.*

Optime miſceantur, & formen-

tur ex maſſa cylindri, ceræ ſic dictæ hiſpanicæ inſtar.

Ad ſuffimenta inſervit, & fornaci calidæ affricta, totum conclave grato odore replet.

Maſſa pro Fornace Optima.

Diſpenſ. Brand.

℞. Aſæ dulcis, *uncias quatuor.*
Gummi Ladani,
Storacis Calamit. *ana unc. unam.*
Sacchari albiſſimi, *unciam ſemis.*
Ambræ griſ. Spiritu Roſar. ſolutæ,
Moſchi Alexandrini opt. *ana ſcrupul. ſemis.*
Zibethi, *grana ſex.*
Liquidambræ,
Olei Ligni Rhodii, *ana drach. ſemis.*
Caryophyllor. ſtillat. *ſcrup. unum.*
Lavendulæ, *ſcrupulum ſemis.*
Balſami Indici, *quantum ſufficit.*

Miſce: Fiat lege Artis, Maſſa, ſuper Tabula ænea tepida, pauxillo Nucis Moſch. oblita, in tenues formanda Cylindros. Vid. Cl. CARTHEUSERI *Pharmacol.* pag. 756.

Maſſa Glycyrrhizæ Alba.

Vide

Paſta Althææ.

Maſſa Glycyrrhizæ Fuſca

Pharm. Pariſienſ. Edit. Vet.

Diſp. Wirt. Lugd. & paſſim in aliis.

℞. Extracti vel ſucci liquiritiæ Hiſpanici, *uncias octo.*
Gummi arabici, *libras duas.*
Sacchari albi, *libram unam.*

Solvantur in aquæ communis S. Q. coquantur leni igne ad extracti ſolidi conſiſtentiam, maſſam calentem, ſupra tabulam marmoream oleo amygdalarum inunctam effunde, & in bacillos, leni calore ſiccandos, atque calido loco aſſervandos, redige.

Humores acres temperat atque in tuſſi ſicca & catarrhis commendatur.

Materia Perlata,

ſive

Magiſterium Antimonii Diaphoretici.

Aliam hujus Materiæ perlatæ KRÜGNERIAN. *Deſcriptionem* vid. in HOFFMANNI *Obſ. Phyſ. Chym.* 4. Lib. III. pag. 282. conf. inprimis *Act. Med. Hafn*, Vol. III. Obſ. 26. p. 47 ſqq. & rurſus HOFFMANN. *in Not. ad Poter. Pharmac. Spagyr.* Cap. XII. p. 390. & CARTHEUS. *Elem. Chym.* p. 149. ut & in *Pharmacol.* pag. 484. & SCHULZ. *Prælect.* pag. 184. item *Diſpenſ. Prag.* præcipue vid. *Diſſ.* ERNSTINGII de *Materia perlata*, Helmſt. 1737. quem & vid. in *Lex. Chym.* p. 205. ſqq. ſatis exacte.

Diſp. Wirt. Brand. Vid. Chym.

℞. Antimonii diaphoretici, recens detonati, nondum edulcorati, *libram unam.*

Coquatur in vaſe figulino, additis
Aquæ fontanæ puriſſimæ, *libris octo*, ad quartæ partis conſumtionem.

Aqua, Nitro antimoniato imbuta, calide per filtrum trajiciatur, & aceto inſtillato præcipitetur; pulvis albus præcipitatus edulcoretur; reſiduum vero Antimonium diaphoreticum ulterius aqua tepida ablui & ſervari poteſt.

Eædem ſunt vires, quæ Antimonii diaphoretici. Commodiſſime additur

emulſionibus, quibus ſe, ob ſubtiliſſimas particulas intime commiſcet.

Doſis eſt a granis decem, ad ſcrupulum unum.

Mel Anthoſatum.

Diſp. Brand. Wirt. Hamb. Lond. & rel.

℞. Florum Rorismarini recentium, vel, ſi deficiant, herbæ, *uncias octo.*
Aquæ fontanæ, *uncias quatuor.*
Mellis deſpumati calentis, *libr. duas.*

Infundantur in vitro, & poſt digeſtionem per decem vel duodecim dies, in loco calido inſtitutam, in Mariæ balneo ebulliant, atque expreſſa & colata ſerventur.

Cerebro & ventriculo roborando, flatibus diſcutiendis, colicis & uterinis doloribus leniendis medetur, eſt quoque egregium Anthelminticum, ut & Mel ipſum ſimplex. Clyſmatibus etiam addi poteſt. Vid. SCHULZ. *pag.* 185. & CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 658.

Mel Aquilegiæ Simplex.

Diſpenſ. Brand.

℞. Horum Aquilegiæ Contuſor. *libras duas.*
Immerge Mellis opt. deſpumati, *libris quatuor.*

Coquantur leni igne, ad extractionem Virtutis: poſtea colentur per Linteum, cum quadam expreſſione, & uſui ſerventur.

Mel Aquilegiæ Compoſitum.

Diſpenſ. Brand.

℞. Foliorum Aquilegiæ,
Salviæ minoris, *ana drachm. duas.*
Rutæ,
Florum Aquilegiæ,
Malvæ arbor. rubr.
Rorismarini,
Aluminis uſti,
Caryophyllorum,
Maſtiches,
Nucis Moſchatæ,
Olibani, *ana drachmam unam.*

Pulveriſata, ſubtiliſſime bulliant, igne moderato, in ſufficienti Quantitate Mellis Roſati, ad Electuarii mollioris Conſiſtentiam.

Tam ſuperius ſimplex, quam tanto magis hoc ſequens Mel compoſitum Aquilegiæ, dicatum eſt præcipue decoctis illis, quibus ad gargariſandum, utimur, ad faucium vitia, ut & ad collutionem oris, ob gingivarum putridarum & ſanguine ſæpe fluentium, vitia: vide SENNERTUM, *in* Prax. Med *ubi ſub* Unguenti de Aquilegia, *Titulo, quamvis minus proprie, laudatur. In Angina tantillum de Spiritu Salis, addatur: quo potentius diſcutit, & triſtem Suppurationis eventum præcavet. Hactenus* B. SCHULZIUS, in Prælect. in Diſpenſat. Brandenb.

Mel Calthæ Paluſtris.

Diſpenſ. Vienn. Ratisbon.

℞. Florum Calthæ, *uncias quatuor.*
Infundantur in Aquæ fontan. *ſuffic. quant.* tum
Saturatæ hujus Infuſionis, *libræ duæ.*
Coquantur ſenſim cum
Mellis deſpumati, *libris duabus.*
Ad juſtam quidem Conſiſtentiam.

Virtutes hujus Mellis ſunt incidentes, & obſtructiones reſerantes, Menſes atque foetum ipſum promoventes.

Mel Chelidoniæ.

ibidem, & Diſp. Prag. Amſtel.

Paratur eodem modo ex Herba atque Floribus, cum Melle deſpumato,

Virtutes ipſius laudantur in Ictero, Obſtructionibus Hepatis, Lienis, & Ureterum.

Mel Cucumerinum.

Diſpenſ. Paris.

℞. Fructuum Cucumeris agreſtis ad maturitatem jam vergentium, *libram unam.*
In Mortario marmoreo, ex Arte, ſuffigantur, cum
Mellis flaveſcentis exquiſiti, *libris duabus.*

Ut fiat Maſſa, quæ linteo mundo commiſſa, in Cellam Vinariam transferatur, ad Colliquationem. Liquor inde manans, ad debitam ſpiſſitudinem, igne blando, vaporet.

Mel hoc Cucumerinum violenter purgat, Menſes movet, & ſecundinas expellit; Inde ergo ſumma cum circumſpectione, & in ultimæ tantum neceſſitatis caſu, ipſo utendum: Præſertim vero, ubi inertes diri hydropis aquæ commovendæ & ex tumido ventre citius educendæ fuerint; ſed viſceribus adhuc integris, nec ulla tabe, aut labe infectis. Alias enim, hac quidem cautione haud probe obſervatæ, hæc ipſa Medicina draſtica pejor omnino erit ipſo malo, & miſera Hydropicorum fata accelerabit potius, quam retardabit. Vid. ſuperius dicta, ad Elaterium, *& inprimis* ZORN. in Botanolog. *p.* 243. *ſeqq.*

Mel Deſpumatum Simplex.

Diſp. Wirt. & reliqua omnia.

℞. Mellis, *libras quatuor.*
Aquæ fontanæ, *uncias octo.*

Ebulliant, deſpumentur & per pannum colatum mel ſervetur.

Inſervit ad incorporanda electuaria.

Mel Menthæ.

Pharm. Aug. JUNGK. Corp. Pharm. *pag.* 1096.

℞. Succi Menthæ purificati, *libr. duas.*
Mellis optimi deſpumati tantundem,
Coquantur una ad juſtam conſiſtentiam.

Ventriculum frigidum fovet, coctionem adjuvat, vomitus cohibet, uteri tumultus ſedat, ac pituitoſos faucium tumores diſcutit, hincque pares utique Virtutes habet cum Syrupo Menthæ infra ſuo loco deſcripto.

Ceterum ZWELFFERUS Mel Menthæ parare docet alio operoſiore modo, & alio rurſus ipſe JUNGKEN, qui ibi videri & examinari ac conferri inter ſe poſſunt.

Mel Mercuriale.

Diſp. Vienn. Wirt. Lond. Edinb. & rel.

℞. Succi herbæ Mercurialis, *libras tres.*
Mellis optimi, *libras duas.*

Miſceantur, & leni igne ad juſtam conſiſtentiam coquantur, colentur & ſerventur.

Additur enematibus, ad alvum emolliendam & ſollicitandam, ab uncia una, ad duas.

Mel Mororum,
vel
Diamoron,

Diſpenſ. Lond. Brand.

℞. Succi Mororum Arboris & Fruticis, (alias Celſi & Bati) ante maturitatem, & ſolis ortum collectorum, *libram unam ſemis.*
Mellis depurati, *libras duas.*

Coquantur ſenſim ad debitam Conſiſtentiam.

Refrigerat, ſitim ſedat, ad Oris

ac Linguæ aſperitatem & inflammationem temperandam conducit, & in omnibus ceterum accurate convenit cum Syrupo Mororum infra ſuo loco deſcripto.

Mel Nenupharinum.

Diſpenſ. Paris. Argent.

℞. Florum Nymphææ integror. *libras duodecim.*
Aquæ communis, *libras viginti quat.*
Ferveſiant ad Florum coctionem: Fiat Colatura ſine Expreſſione: Deinde diſſolve
Mellis optimi recentis, *libras duodecim.*
Trajice per pannum: Tum coque in conſiſtentiam Mellis & uſui ſerva: qui potiſſimum in eo conſiſtit ut inſigniter refrigeret, viſcerum æſtus mitiget, & laſcivos Veneris motus cohibeat. Sic ergo Mel hoc Nenupharinum in omnibus convenit cum Syrupo Florum Nymphææ, in Diſpenſatoriis *paſſim deſcripto.*

Mel Nuceum, ſeu Diacaryon. vel & Dianucum.

Diſpenſ. Lond.

℞. Succi externi Corticis juglandium diebus Canicularibus expreſſi, *libr. duas.*
Coctione lenta inſpiſſetur, & immixta
Mellis optimi & puri, *libra una.*
Percoquantur ſimul in melleam conſiſtentiam; & ſerv. uſui.
In dira Angina, Tonſillis tumefactis, & ſordidis Oris & Linguæ ulceribus egregium uſum præſtare perhibetur: quod fide multorum Autorum probat ZORNIUS, in Botanolog. *pag.* 468. *Ceterum per omnia fere convenit cum* ROOB Nucum, *inferius ſuo loco, deſcripto.*

Mel Paſſulatum.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 242.

℞. Uvarum paſſ. Malacenſ. a ſtaminibus & acinis mundatarum, *libras duas.*
Uvarum Corinth. lotarum, *libram unam.*
Jujubarum, *libram ſemis.*
Terantur in Mortario: Coquantur in Aquæ Hordei ſufficienti quantit.
Fiat Expreſſio fortis, cui per ſubſidentiam depurat. & rurſus Colat. adde:
Mellis deſpumati,
Sacchari Cryſtalliſat. *ana unc. quatuor.*
Coquantur omnia lento igne, & ſenſim reducantur ad Mellis Conſiſtentiam.
Inter pectoralia incraſſantia, & Demulcentia præſtantiora, locum habere meretur. Ceterum convenit cum LOCH paſſulato, in Diſpenſ. Lond. & *alibi.*

Mel Paſſulatum Aliud.

Diſpenſ. Lond.

℞. Uvarum paſſar. ab acinis purg. *libr. duas.*
Perfunde illas
Aquæ calentis, *libris ſex.*
Sequenti die coque ad medias, & fortiter exprime. Deinde Expreſſum cum
Mellis optimi, *libris duabus.*
Bullire ſinito in Mellis Conſiſtentiam.
Iisdem virtutibus demulcentibus & temperantibus gaudet, ac præcedentia Mella.

Mel Paſſulatum Mayerne.

apud FULLER. *Pharm. extemp. p.* 242.

℞. Uvarum paſſar. ab acinis purgat. *libr. quatuor.*

Aquæ fontanæ, *libras duodecim.*

Macerentur per horas viginti quatuor: deinde coquantur ad remanentiam tertiæ partis. Col. & colatura decoquatur ad Mellis Conſiſtentiam.

Idem præſtat hoc Mel, improprie ſic dictum, quia ipſum Mel deficit in hac compoſitione, quam ſuperius laudatum, cum Melle. Ceterum conf. infra, Syrupus paſſularum laxativus.

Mel Pectorale.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Specierum Decocti pectoral. *libram ſemis.*

Coquatur in ſufficienti quantitate Aquæ fontanæ, ad *libras duas*, & deinde fiat cum

Mellis deſpumati, *libris duabus.*

Mel Pectorale.

Cujus, ut & ſuperioris, Virtus in demulcendis aſperioribus pectoris Morbis, vel ex nudo Nomine, magis tamen ex ipſa ſcitæ compoſitionis ratione, illico cognoſcitur.

Mel Pectorale Compoſitum.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 243.

℞. Mellis puri recentis, *libram unam.*
Radicum Enulæ,
Glycyrrhizæ, *ana unciam unam.*
Seminum Cymini,
Aniſi,
Fœniculi dulcis,
Florum Sulphuris, *ana unciam ſemis.*

Ponantur omnia in Vaſe figulino invitreato, *librarum ſex* capaci: paſta obducatur; & in Furno, (poſt panes domeſticos extractos,) per Horas duodecim, coquatur: Per Colum Liquor clarus (fœcibus in fundo relictis) decantetur. *Doſis, Cochlear unum, ſæpe de die.*

Mel Roſatum Simplex.

Diſp. Vienn. Wirt. & reliq.

℞. Foliorum Roſarum recentium rubrarum, *libras ſex*, affunde
Aquæ fontanæ ferventis, *libras totidem.*

Macerentur viginti horas in vaſe figulino, exprimantur & colentur. Colaturæ adde

Mellis optimi & puriſſimi tantundem,

Deſpumentur & coquantur ad conſiſtentiam melle paulo liquidiorem.

Uſus eſt ad oris ulcera, gargariſmata, collutiones, injectiones mundificantes & detergentes. Præſertim, ſi inſperſæ ipſi uerint aliquot Vitrioli Spiritus, aut Nitri dulcis guttulæ. Additur etiam digeſtivis, & quando ulcera, a veſicatoriorum applicatione inducta, purganda & detergenda ſunt.

Mel Roſatum Citratum.

ex Pharm. Aug. JUNGKEN. *Corp. Pharm pag.* 1098.

℞. Mellis Roſati ſimpl ad perfect. cocti *libras duas.*

Huic, dum adhuc a coctura fervet, infunde

Corticum Citri recentium & extimorum, *libram unam.*

Stent in Infuſione, per Menſem; poſtea

Mel transcoletur, ac reponatur.

Frigidis Ventriculi & Cordis affectibus eximie ſuccurrit, abſtergit, tenuat, concoquit; Corruptionem humorum, eorundemque putredinem arcet, ideo oris fœtorem corrigit.

Requiritur potiſſimum, ad Compoſitionem Oxymelitis helleborati, a *Juliano* deſcripti, & a *Geſnero* magnis encomiis celebrati, ſingulari Libello,

de *Oxymelite Helleborato*, ipſius Epiſtolis medicis ſub finem adjecto.

Mel Roſatum Solutivum.

Diſp. Vienn. Wirt. Lond. Brand. rel.

℞. Succi roſarum pallidarum, *libr. tres.*
Mellis optimi, *libras duas.*

Mixta diſſolvantur, deſpumentur, & ad juſtam conſiſtentiam, lento igne, evaporentur.

Rarus ejus uſus eſt internus, utuntur tamen eo Angli, & BOERHAAVIUS *quoque interdum eodem uſus eſt. Plerumque additur clyſteribus;* ab uncia una ſemis, ad uncias duas. *Conf. infra* Syrupus Roſatus Solutivus, *qui ejusdem virtutis & uſus.*

Mel Sambuci.

Diſp. Wirt. in reliquis fere deſideratur.

℞. Florum Sambuci recentium decerptarum, *libram unam.*
Macerentur in
Mellis deſpumati, *libris duabus.*
in vaſe vitreo, additis
Aquæ florum Sambuci, *unciis ſex.*
per aliquot dies.

Ebulliant poſtea lento igne, & exprimantur; expreſſum coletur, & ad juſtam conſiſtentiam evaporetur. *Conf. infra* Syrupus Sambucinus.

Uſus eſt ad gargariſmata reſolutiva, ubi emolliendo dolores, ex inflammatione ortos, mitigat. Vid. BLOCHWITII Anat. Sambuc. *pag.* 26.

Mel Saponis.

Pharm. Bat. pag. 95.

℞. Saponis Communis,
Mellis, *ana uncias quatuor.*
Salis Tartari, *unciam ſemis.*
Aquæ Fumariæ, *drachmas duas.*

Miſceantur ſecundum Artem.

Coſmeticum eſt, inſerviens apprime manibus & faciei lavandis ac dealbandis: Valet etiam in ambuſtis, Inflammationibus, podagra, &c.

Mel Scilliticum.

Diſpenſ. Lond.

℞. Scillam adultam & ſucci plenam, *No. unam.*

Tota fruſtatim comminuatur, & in Vaſe vitreo, ore arcte clauſo, & toto pelle obducto, quadraginta dies, libere exponatur Solis radiis, ante ſcilicet & poſt exortum Canis, Viginti. Tum demum vas aperiatur, ſuccumque in fundo collectum cura optimo Melle condiendum.

In Aſthmate, dyſpnoea, Catarrho ſuffocativo, & aliis pectoris Morbis, a lenta præſertim pituita mucoque tenaci & pertinaci obortis, egregium plane præſtat uſum, & proinde haud minoris eſt propemodum Virtutis, ac LOCH de Scilla, *ſupra deſcriptum, aut* Oxymel Scilliticum, *infra ſuo loco, exhibitum.*

Mel Violarum.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Lond. & rel.

Paratur ſicut Mel Roſarum ſimplex, pro Infuſione florum roſarum, Infuſionem violarum ſumendo.

Virtute & uſu cum antecedente Roſarum ſolutivo convenit.

Doſis eadem.

Mercurius Calcinatus.

Diſp. Lond. CHARAS *Pharm. Reg. Part. II. pag.* 793.

Argentum vivum purificatum ponatur ſuper ignem Arenæ, per plures Menſes, in vaſe vitreo, latum fun-

dum parvumque foramen aëri patens habente, donec in pulverem rubrum calcinetur.

Ingentem huic quidem Mercurio virtutem in omnibus fœdis Morbis Venereis extirpandis, tribuit CHARAS, *cum aliis, dum nempe vel per copioſos ſudores, vel etiam interdum, per lenes vomitiones, dirum Venenum Venereum medullis conceptum ſtrenue expellere tentat. Vermes quoque necare nidisque ſuis reconditis exturbare traditur, ut omnia nempe Mercurialia, ceu notiſſimum.*

Mercurius Diaphoreticus Albus atque Ruber.

Utriuſque deſcriptionem habes in Diſpenſ. Viennenſi, pag. 258. & in aliis quoque Libb. Pharm. Aliam vero illius Compoſitionem cum Stanno Anglicano, peractam, exhibent Collectanea Chymica Leydenſia, Cap. 131. pag. 118. cum ingenti & pæne incredibili elogio: quod ibi videatur. Mercurium denique Diaphoreticum cum Venere paratum, exhibet & laudat BIERLING. *in Append. Med.* pag. 158 *&* BEGUIN. *Tyroc. Chym.* pag. 223.

Mercurius Dulcis.

Diſp. Wirt. Brand. Hamb. Argent. Vienn. Leyd.. Prag. & rel. vid. Chemicos.

℞. Mercurii ſublimati corroſivi,
Mercurii vivi, optime purgati,
ana libram ſemis.

Terantur in mortario vitreo, & ſub tritura aquæ fontanæ parum humectentur, atque ſollicite permiſceantur, donec Mercurii vivi nil quidquam appareat, tum rurſus exſiccata e cucurbita vitrea, igne convenienti arenæ, in cupella ferrea ſublima; fæces in fundo relictas, ut & materiam nigricantem, in collo altius ſublimatam, aufer. Mercurium ſic ſublimatum, in pulverem tritum, denuo ſublima, ſublimatumque ſerva, & ſi forte reſtet metallici ſaporis aliquid, præſtabit, illum aqua fontana edulcorare, quam, ſæpius ſublimando, vi ſua laxativa privare.

Egregium eſt, & ex optimis, quæ in Medicina habemus, remedium; accuratam vero & diligentem expoſcit tam præparationem, quam rationem adhibendi circumſpectam & providam. Vid. huc BOERHAAVE, Elem. Chem. *Tom. II. Part. III. Proceſſ.* 196. *pag.* 422. *&* GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. I. p.* 260. *ſqq.* RIEDLINI Lin. Med. *An.* 1698. *Menſ. April. Obſ.* 21. *p.* 318. *ſq.*

Signum rite præparati Mercurii eſt, ſi inſipidus, & omnis metallici ſaporis expers eſt.

Caveant vero pharmacopœi, illum cum ſalibus, cujuscunque ſint generis, terere, & ſi cum ſalibus ſit a Medicis præſcriptus, illum, ſeorſim pulveriſatum, demum commiſcere meminerint.

Reliquæ cautelæ e practicorum libris petendæ ſunt; nimis longum enim foret, ſi omnes virtutes, adhibendi modos, & cautelas hic inſerere deberemus.

Vid. interim Diſſertat. WEDELII *de* Mercurio dulci, *item* ALBERTI & STENZELII *quondam noſtri, de* Mercurii dulcis uſu in deſperatis morbis, *&* WAGVIZ, *de* Mercurio dulci pulv. *&c. nec non* SCHULZII, *de* Mercurial. uſu in febre quartana, *& maxime* in Prælect. ad Diſpenſat. Brand. *pag.* 186. *ſqq. item* CARTHEUSER. Pharmacol. *p.* 450. *Conf. & cum primis, ill.* HOFFMANNI *cum* ſingulari Diſſert. *tum & in* Med. rat. Syſtem. *Tom. II. Part. II. Cap.* 6. *& alibi: qui & ibidem, & in append.*

Append. ad Medic. Conſult. Lat. *Cent. I. pag.* 457. & German. *Tom. I. Dec. V. Caſ.* 8. *pag.* 262. *ſqq.* & *aliis locis jam ſupra indicatis, ad* Aethiopem mineral. *Solidiſſime, ex rationibus, & exemplis quoque adductis, oſtendit, tenellis inprimis, & uberibus adhuc admotis infantibus, ob acidi in ipſis, abundantiam, Mercurii dulcis uſum, ceu nocivum & exitioſum, plane eſſe interdicendum. Licet in contrariam ſententiam hic abierit* Harris, de Morbis Infant. *pag.* 58. *duce & ſuaſore* Boise, *ibidem, p.* 59. *Caveant igitur ſibi ſerio ſeduloque Medici, ne miſeris puerulis, lacte præſertim nondum depulſis, una cum Mercurio dulci, amara mortis pocula infeliciter præbeant. Quod hic, ob ſummum rei momentum, nobis vel maxime monendum videbatur. Conf. de Mercurio dulci, Cl.* Büchneri Mat. Med. *p.* 172. *inprimis autem* Juſti Vesti Diſſ. *de* Uſu & Abuſu Medicamentorum Mercurialium, *item* Williſii, Dolæi, Glauberi, Wedelii & *aliorum ſcripta, laudata jam* Hoffmanno, *p.* 269. *T. II.* Med. rat. Syſt. *quem & vid. ad* Poter. *pag.* 205. *quibus præſertim add.* Friccii Tract. de Virtute Venenor. Med. *Cap. III. pag.* 122. *ſqq. ubi multis exemplis oſtenditur, non infantibus ſolum; ſed & ipſis adeo adultis & robuſtis, inprimis acido abundantibus, aut cacochymicis, Mercurium dulcem noxium, immo & aliquoties mortiferum fuiſſe. Unde ſane maxime mirum, ipſum* Hoffmannum *olim Mercurium dulcem una cum diro Auro fulm. ceu ſummum* Med. Antifebrile, *commendaſſe, ad* Poter. *Obſ.* 248.

Paucis dicimus: Mercurium dulcem non ſolum vires laxandi, ſed ſanguinem etiam depurandi, & minutiſſimos obſtructos tubulos ac meatus reſerandi poſſidere. Anthelminticum quoque eſſe, poſt alios, obſervat Riedlinus, Lin. Med. *Ann.* 1696. *Menſ. Febr. Obſ.* 12. *pag.* 71. & *Menſ. Dec. Obſ.* 6. *p.* 594. & Chesneau, Obſ. Med. *Cap.* 8. *Lib. III. pag.* 301. *ſqq.*

In morbis igitur, ab obſtructione glandularum & viſciditate lymphæ ortis, venerea lue, ſcabie pertinaci & ulceribus inveteratis remedium eſt, quod par ſibi non habet: & virtute, & forte etiam periculo. Ingreditur quoque interdum Mercurius dulcis, *pro externo uſu, Emplaſtra & Unguenta; ut v. g. in* Emplaſtro, *male ſic dicto,* Antipleuritico Sylvii, *de quo ſupra ſuo loco, aliisque nonnullis, obſervare licet, de quibus vid.* Boerhaave, Elem. Chem. *loc. cit. pag.* 422. & Riedlini Curat. Med. 362. *Cent. IV. p.* 215. *Præſertim vero nuperus Chirurgus Anglus,* Wilhelm. Norford, *in ſcripto Anglice Libro,* de tractandis & curandis Tumoribus cancroſis, *Lond.* 1753. *ſummis laudibus effert unguentum ex Radice Cataputiæ, atque Mercurio dulci, in aqua calcis vivæ, præcipitato, paratum, quo ipſo ſeſe intractabilem fere fungum mammæ cancroſum feliciter extirpaſſe & & perfecte ſanaſſe, ibidem lætus gloriatur. Sit fides penes Auctorem*

Datur vero vel cum extracto quodam laxante, in forma pilulari, vel cum conſerva roſarum, aut alia, in boli forma.

A granis quinque, decem, ad duodecim.

Mercurii Manna.

Hujus præparationem & inſignes in morbis præcipue Venereis, laudes habes apud Beguin. *Tyrocin. Chym.* p. 228 poſt *Theophraſt.* & apud alios quosdam Chemicos: vocatur & *Aquila alba*

Cœleſtis; magnifico ſatis Titulo, forte, quod nonnullos ægrotos alis ſuis portet in cœlos; ſi jocari liceat.

Mercurius Præcipitatus Albus, *ſeu* Coſmeticus.

Diſpenſ. Hamb. Wirt. Vienn.

℞. Mercurii vivi, *uncias quatuor.*
Diſſolve in
Aquæ fortis, *unciis octo.*

Poſtea ſolutione Salis communis, aqua fontana facta & probe ſaturata, in album pulverem præcipita, qui ab omni ſalſedine & acrimonia aqua communi debite eluatur, & leniſſimo calore, ne flaveſcat, exſiccetur.

Adhibetur a nonnullis interne ad ſalivationem excitandam; ſed ſecurius externe ad lichenes, ſcabiem & tophos venereos eo utimur.

Mercurius Præcipitatus Fixus.

Vid. infra, Panacea Cinnabarina THOMSON.

Mercurius Præcipitatus Flavus *ſeu* Cinerus.

Vid. infra ſuo loco Turpethum Minerale.

Mercurius Præcipitatus Ruber.

Diſp. Wirt. Brand. Arg. vid. Chim.

℞. Mercurii purificati, *libram ſemis.*

Diſſolve in Aquæ fortis ſufficienti quantitate, deſtilla ex retorta in arena ad ſiccitatem, igne fortiſſimo in fine adminiſtrato, ſic ut retorta ubique carbonibus obruatur. Poſt refrigerationem in fundo hærebit pulvis ruber, qui, ſi non colore rubro pulchre ſplendet, leniter in patina ulterius calcinetur.

Uſu interno, cum corroſivus ſit, nunquam adhiberi debet. Vid. BOERHAAVE, Elem. Chem. *Tom. II. Part. 3. pag. 424. & alios plures. Externe ad auferendas excreſcentias carnoſas, carnem luxuriantem, mundificanda ulcera maligna, celebratur. Nec tamen vel ſic ipſius uſum ſemper eſſe ſecurum, inter alia plura exempla, patet ex* Thom. BARTHOLINI Epiſt. Med. 100. *Cent. III. pag. 441. ſqq.*

Mercurius Præcipitatus Viridis, *ſeu* Lacerta Viridis.

Pharm. Bat. p. 97. Wirt. Vienn. Hamb. Arg.

℞. Mercurii vivi puriſſimi, *unc. quatuor.*
Cupri, *unciam ſemis.*

Solvantur ſingula ſeorſim in ſufficiente quantitate Aquæ fortis, miſceantur ſoluta, & Aqua fortis in vaſe vitreo, igne arenæ, evaporetur ad ſiccitatem. Maſſæ ſalinæ.

Aceti deſtillati *libram unam* affunde, digere & ſolve, atque acetum abſtrahe, maſſam viridem in pulverem tere atque ſerva.

Laudatur quidem ſpecificum medicamentum in Gonorrhœa, & aliis morbis venereis interne exhibitum a Beguino, *& aliis Chemicis; nos vero ejus uſum internum diſſuademus, ob vim emeticam & draſticam. Externe ad ulcera mundanda locum habet. Ita prudenter* Dni Wirtenbergenſes.

Mercurius Sublimatus Corroſivus.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Leid. & reliq. vid. Chym.

℞. Mercurii vivi, *libras duas.*

Solve in ſufficiente quantitate
Aquæ fortis; ſolutionem ad ſiccitatem evapora.

Maſſæ albæ admiſce
Vitrioli, ad albedinem calcinati,
libras tres.
Salis marini decrepitati tantundem,

Imple ea cucurbitæ vitreæ tertiam partem, impone arenæ, ut cucurbita fundum cupellæ attingat. Orificium vaſis ſublimatorii apertum relinquitur, usque dum omnis humiditas exhalaverit, tum obturatur charta convoluta; ignem primo adhibe lenem, quem per gradus auge, donec omnis Mercurius ſublimatus ſit, quod circiter poſt ſex vel ſeptem horas continget; refrigeratum ſublimatorium frange, & Mercurium ſublimatum exemptum ſerva. Vid. BOERHAAVE *Elem. Chem.* Tom. II. pag. 425. ſq.

Præſtantiſſimum eſt ac fortiſſimum omnium venenum. Operationibus chymicis inſervit; in Medicina & chirurgia fere nullius uſus, niſi, quod aquis phagedænicis addatur.

Mercurium tamen ſublimatum parciſſima quidem trium, aut quatuor Granorum doſi, in ſpiritu Vini vulgari copioſo ad uncias ſcil. quadraginta; aut quadraginta octo, ſolutum, ceu efficaciſſimum Remedium contra diram Luem Veneream inveteratam, & ipſum pertinaciſſimum cancrum, nuperrime, publice commendavit impenſe ill. Gerard. van SWIETEN, *binis Epiſtolis, annexis* Joſephi BENAVENUTO Diſſertationi epiſtolari, *ad Cl. Jac. Barth.* Beccarium, *qua epidemicæ febres in Lucenſis Dominii quibusdam pagis graſſantes deſcribuntur; nec non Mercurii atque Corticis Peruviani uſus, in earum uſu, rationis examini ſubjicitur.* Luccæ 1753. *Sed idem ille magnus Viennenſium Aeſculapius dudum quoque ad nos ipſos perſcribere dignatus eſt aliquot deploratorum ejusmodi ægrotorum exempla, ope tamen atque præſidio generoſi & formidabilis illius Remedii, feliciter ſanatorum & Vitæ quaſi redditorum. Plura vid. in Diſſertat. Cl.* GMELINI, de Specifica Methodo recentiore cancrum ſanandi; *Tubingæ, Ann.* 1757. *Cujus nempe Methodi recentioris Auctor potiſſimum habetur Cl.* Sanchez, *uti notum. Noviſſime quoque de uſu eximio Mercur. ſublimati in Morbis Venereis, egerunt* Blaſchke, *Viennenſis, ut &* Gordon, *Anglus. Nuperrime tamen hoc ipſum Remedium draſticum ſuſpectum reddere ſtuduit* MALOUIN, *in* Chemia Medica: *præſertim vero haud ita pridem Cl.* HUNDERTMARK, *in* Commentat. de Ozæna Venerea; *pag.* 18. *Conf. Cl.* CARTHEUSERI Pharmacol. *Sect. VII. pag.* 447. *& ſi placet, Diſſert. noſtr* de Corticis Peruviani uſu &c. *pag.* 6. *item* William BROMFIELD Obſ. de Solano, &c. Londin. 1757.

Mercurius Veneris Vegetabilis.

Collectan. Chym. Leyd. p. 66.

℞. Caparum, quum frondes emittere incipiunt, inſtar penis, quantum placet, his adde juſtam doſin Olei Tartari per deliquium. Digerito, ut artis eſt, uſque affundito Alcohol Vini, ad eminentiam digitorum transverſorum trium. Stent in digeſtione, quousque Spiritus Vini, flavam extraxerit Tincturam. Poſtmodum per deſtillationem, Spiritum Vini, Sale volatili Ceparum imprægnatum, ad Siccitatem, auferto.

Egregium eſt diureticum, & potenter per diureſin, expellit Virus Venereum in Gonorrhoea. Obſcure de eo loquitur KREUCHNERUS, ſub nomine *Mercurii Veneris Vegetabilis. Doſis a guttis X. ad XXV.* Proprie autem hunc ceparum ſpiritum vocari Mercurium, per ſe patet.

Mercurius Violaceus.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Florum Sulphuris, *uncias quatuor.*

Mitte in Vas terreum: Liquefiant; Remoto ab igne Vaſe, deinde ſenſim adde:

Mercurii ex Cinnabari redivivi, *uncias ſex.*

Salis Ammoniaci pulverati, *unc. quat.*

Spatha ferrea omnia move & miſce. Fluentem adhuc Materiam extrahe. Ubi refrixerit, pulvera, & Matratio capaci indito, ſublima igne ſenſim aucto, ad tertium gradum.

Diſruptis Vaſis, flores albos exime & rejice. Subſtratam Materiam omnem pulvera, & in Matratio iterum ſublima. Idem adhuc bis repete, & habebis Maſſam ſuperne luteam & levem; inferne vero ponderoſam, nigricantem, quandoque violaceam. Hanc portionem ſuper porphyritem læviga, & tum erit

Mercurius Violaceus,

quem Spiritu Vini ſuperaccenſo, edulcorabis & ad uſum ſervabis.

Mercurius Vitæ, *ſeu* Pulvis Algaroth.

Pharm. Reg. CHAR. *T. II. Wirt. Pariſ. Vienn. & rel. vid. Chem.*

℞. Butyri Antimonii, *libram ſemis.*

Aquæ fontanæ puriſſimæ, *libras ſex.*

Miſceantur, albeſcent & præcipitabitur pulvis ſubtiliſſimus albus ad fundum, qui ſæpius, aqua tepida affuſa, edulcorandus, & leni calore exſiccandus eſt.

Minime eſt productum mercuriale, ſed antimoniale: ideo improprie dicitur Mercurius Vitæ, *qui rectius inde, propter malignam ſuam indolem, vimque draſticam & emeticam, immo hyperemeticam, vocandus ſæpius eſſet* Mercurius Mortis, *acute ſcribente* STAHLIO, Mat. Med. *Part. I. Sect. 8. pag.* 139. *ſqq. poſt* Hildanum, *quem tamen ideo acerbe deridet* Io. Henr. FREYTAG, Obſ. Med. 94. *Cent. I. ipſe forſan magis deridendus ob immodicas & immodeſtas laudes, quibus illaudabilem hunc Mercurium Vitæ onerat potius, quam ornat, per totum iſtum Libellum: perquam triſte enim de mortificio Mercurii Vitæ effectu; exemplum vid. apud* LOTICH. Obſ. Med. 4. *Cap.* 1. *Lib. IV. pag.* 289. *ſq.*

Rarus eſt ejus in Medicina uſus. Vid. tamen THONER. Obſ. Med. *I. Lib. IV. pag.* 224. *& inprimis* SYLV. *de* Method. Medendi, *L. II. Cap.* 10. *pag.* 104. *Vires ſunt vomitoriæ, ita, ut grana duo vehementes excitare ſoleant vomitus; præſtat, vini* unciis duabus grana ſex *vel* octo *infundere, & vinum per filtrum trajectum offerre. Vid.* SCHULZ. *p.* 190. *&* CARTHEUS Pharm. *p.* 489. *&* STAHL. Mat. Med. *P. I. pag.* 109. *&* GEOFFROY Mat. Med. *T. I. p.* 231.

Cum triplo Nitri detonatum exhibet BEZOARDICUM MINERALE: quod vid. ſupra, & CHARAS Pharm. Reg. *Tom. II. p.* 843. *item* STAHL. *l. c. pag.* 127. *ſqq.*

***

Mercurius Vitæ Coeleſtis Klaunigii.

Hujus novi Remedii contra febres quartanas potiſſimum, compoſitionem ipſe candide expoſuit Auctor, in Noſocomio charitatis, Obſ. 18. p. 82. repetente & laudante ex eodem, ill. WERLHOFIO, Obſ. de Febr. pag. 323. & Commerc. litt. med. Nor. An. 1734. Hebd. 47. pag. 370. Componitur vero hic pulvis efficaciſſimus ex partibus æqualibus Vitri Antimonii & Olei Vitrioli, atque ad *granum unum ſemis*, vel *grana duo*, ſub pilulæ forma, ante paroxyſmum, datus, illico ſuſcitat vomitus, ſedes & ſudores, adeo ut per omnia emunctoria fortiter operetur. Unde tanto majore cum circumſpectione, hoc draſticum Remedium erit adhibendum ne ſcilicet ex ſic dicto Mercurio cæleſti, fiat potius Mercurius ſceleſtus.

Mercurius Vitæ Purgans.

Pharm. Bat. pag. 98.

Si Mercurium Vitæ cum Sale aliquoties teras, & ſalſedinem poſtea per Aquam abluas; Vim ſolam purgandi per ſedem, obtinebit. *Doſis a granis ſex, ad duodecim.*

Rectius tamen tutiusque, me quidem judice, fecerint, qui nec ad vomitus ciendos, nec ad alvum ducendam, hoc quidem ambiguo ac ſuſpecto Vitæ Mercurio uſi, aut verius abuſi fuerint.

Millepedum Præparatio.

Diſp. Wirt. Argent. & reliq.

Ab omni immunditie ſeparati imprægnentur vino albo, & leni calore exſiccati ſerventur.

Egregie reſolvunt & aperiunt. Uſus eorum eſt in febri quartana, ictero, aſthmate, hydrope, affectibus ſpaſmodicis, urina pellenda.

Doſis ſcrupulus ſemis, ad drachmam ſemis: & ultra.

Miva Borraginis.

Pharm. Bat. p. 98.

℞. Rad. recent. Borraginis, *quantum vis.*
Coq. ad mollitiem: Contuſ. trajice per Setaceum, cujus deinde
℞. *Libram unam*, & Sacchari opt. *libr. unam.*
Coq. ad Mivæ conſiſtentiam, ex Arte,

Eſt cardiacum, analepticum, refrigerans & roborans, ut notum. Conf. ZORN. Botanolog. *pag.* 136.

Miva Conſolidæ.

Pharm. Batean. p. 99.

℞. Pulp. Radicum Conſolidæ,
Sacchari opt. *ana libram unam.*
Addendo ſingulis libris.
Nucis Moſchat. *drachmas ſex.*

Uſus ipſius eſt in Hæmoptyſi, Rupturis, &c.

Miva Cydoniorum Simplex. *ſeu* Sine Speciebus. *ſive* Roob Cydoniorum.

Diſp. Brand. Prag. Arg. Lond. JUNGK. *pag.* 1094. *Florent.*

℞. Succi Cydoniorum, per reſidentiam depurati, *libras decem.*
Sacchari opt. albi, *libras tres.*
Coq. ad Conſiſtentiam Mivæ, ſeu Roob debitam.

Conf. infra ſuo loco, *Syrupus Cydoniorum.*

Miva Cydoniorum Aromatica.

Diſp. Vienn. Brand. Florent. Prag. Ratisb. Maſſan. Norimb. JUNGK. *p.* 1094. *ex* ZWELF.

℞. Succi Cydon. depurati, *libr. viginti.*
Sacchari albiſſimi, *libras ſex.*

Coquantur ad Mellis Conſiſtentiam, in fine decoctionis, addatur nodulus, in quo contineantur;
Cinnamomi acuti,
Cardamomi majoris, *ana drach. tres.*
Croci Auſtriaci,
Caryophyllorum,
Zinziberis,
Maſtichis,
Ligni Aloës,
Macis, *ana drachmam unam ſemis.*

Sic fiat lege Artis Miva, uſui ſervanda.

Qui eſt ſtomachicus, orecticus, roſticus, antidyſentericus & cardiacus; vid. SCHULZ. Prælect. *p.* 192. CARTHEUSER. Pharmacolog. *pag.* 565. *ſq.* ZORN. Botanolog. *pag.* 254. *& al. Ceterum in quibusdam hujus Mivæ Aromat. compoſitionibus, additur Moſchus quoque & Ambra: rectius tamen omittatur, quomodo & in hac Viennenſi deſcriptione, prudenter factum, quoniam non omnes impune ferre poſſunt ſuavem nimis & hinc cerebro ſæpius atque nervis inimicum utriusque odorem, bene quoque hic monente* Schulzio.

Miva Dialthææ.

Pharmac. Batean. pag. 99.

℞. Pulpæ Rad. Althææ,
Sacchari, *ana libram unam.*

Addendo cuivis Libræ Mivæ Nucis Moſchatæ, *unciam unam.*

Inſervit tuſſi, raucedini, aliisque pectoris Morbis ab acri pituita ortis mitigandis. Conf. infra ſuo loco, Syrupus de Althæa.

Miva Satyrii.

ibidem.

℞. Pulpæ Radicum Satyrii,
Sacchari optimi, *ana libram unam,*
addita Nuce Moſchata, ut ſupra.

Uſui præſertim aphrodiſiaco inſervire, veneremque languidam & torpentem excitare creditur, ſicut & alterum illud vulgo notum Electuarium Diaſatyrium, *operoſioris ac pretioſioris compoſitionis, variis quippe aromatibus calidioribus & acrioribus, ad majorem ſcil. Virtutem, auctum, ac veluti armatum, cujus ſupra, ſuo loco, deſcriptio habetur, ut & in omnibus aliis diſpenſatoriis. Conf.* ZORN. Botanolog. *p.* 611. *ſqq. ibique laudatos Auctores varios, quibus add. Interpretes ad* Petron. *Cap. VIII. pag.* 36. *& ſpeciatim ibidem* Gonſalius de SALAS, *in* Comment. *pag.* 71. *Sed hæc obiter. Ipſam tamen Corporis ſanitatem, & ex optimis Cibis ſaturitatem, una cum tranquillo otio & animo curarum libero, ad excitandam languentem Venerem, plus utique valere, quam ipſum quidem Satyrium, & ex eo confecta Electuaria ac condimenta, id certe extra omne dubium mihi videtur poſitum. Sed quorſum hæc? Ignoſcat ergo Lector huic brevi quidem digreſſioni.*

Mixtura Adſtringens ad Hæmoptyſin.

BOERHAAVE, *Mat. Med. pag.* 195. GAUB. *pag.* 223.

℞. Aquæ ſtillat. Flor. Rhœados,
Plantag. *ana unc. quatuor.*
Extract. Tormentill.

Boli Armen. laevigat. *ana drachmam unam ſemis.*
Lapid. Haematit. praep. *drach. unam.*
Syrupi Myrtini, *unc. unam.*
Miſceantur: Capiatur omni hora, *uncia una*, Concuſſo prius Vitro.

Mixtura Simplex Alba.

Diſpenſ. Wirt. in aliis pleriſque deeſt; ſed vid Chem. *& inprimis* Jungken.

℞. Spiritus Tartari, e Tartaro purificato deſtillati, *unc. duodecim.*
Spiritus Vitrioli rectificati, *unc. tres.*

Miſce & deſtilla per retortam ad ſiccitatem; ſpiritus, qui prodiit volatilis, ſulphureus & anodynus, commiſceri debet cum ſpiritus theriacalis camphorati unciis viginti, ac in vitro probe clauſo ſervari.

NB. Spiritum Tartari cum ſpiritu Vitrioli ſeparatim deſtillandum ſuademus, ut empyrevmaticum ſpiritus Tartari principium ab acido vitriolico abſorbeatur, & ſpiritus limpidior atque gratior, nec non principio vitriolico anodyno imbutus obtineatur.

Vires ſunt alexipharmacæ, diaphoreticæ, carminativæ, anodynæ; datur in febribus continuis, rhevmaticis, variolis, ubi leniter tranſpirationem auget.

Doſis a guttis triginta, ad quinquaginta, vel ſexaginta, *vel ſola, vel in potionibus cum pulveribus bezoardicis.*

Mixtura Ammoniaca Aſthmatica.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 245.

℞. Gummi Ammoniaci,
Succi Glycyrrhiz. Hiſpan. *ana drachmas duas.*
Diſſolve ſecundum Artem, in Aquæ Hyſſopi, *unc. duabus.*
Colat. deinde adde:
Syrupi e Succo Hederæ terreſtris,
Oxymelitis ſimplicis, *ana unc. duas.*
Olei Aniſi, *guttas duas.*
Tincturæ Benzoin. *drach. duas.*
Miſceantur.

Adverſus Spirandi difficultatem, detur ſæpe Cochlear. unum. Conf. infra, Mixtura Antaſthmatica Fraundorfferi.

Mixtura Anodyna & Cardiaca, pro Puerperis a partu Dolentibus.

BOERHAAVE, *Mat. Med. p.* 158.
GAUB. *de Form. p.* 222.

℞. Lapid. Cancrorum, *drach. tres.*
Coralliorum rubrorum, *drach. duas.*
Margaritarum, *drachm. unam.*
Laudani puri, *grana tria.*
Syrupi Kermes, *drachm. ſex.*
Aquar. ſtillat. Cort. Citrei,
Meliſſæ,
Majoranæ, *ana unc. tres.*
Miſceantur probe.

Capiat puerpera unciam dimidiam omni quadrante horæ, donec ſopiatur dolor: ſuperbibendo, uncias duas ſequentis decocti:

℞. Hordei mundi,
Avenæ integræ, *ana unc. un.*
Cum Aq. decoct. ſpatio ½ Horæ, *libris tribus* add.
Vini Rhenani, *libr. unam.*
Aquæ ſtillat. Cinnamomi, *unc. duas.*
Syrupi Kermeſin. *unc. unam ſemis.*

Ceterum aliam Mixturam puerperarum egregiam vid. apud FULLER. *p.* 265. *conf. infra* Rotulæ contra dolores a partu *ejusdem* BOERHAAVII.

***

Mixtura Anodyna in Morbis Puerorum.

BOERHAAVE, *Conſult. Med. p.* 296. *Edit. par.*

℞. Saponis Veneti, *drach. duas.*
Margaritarum præparat. *drach unam.*
Lapidum Cancror. *drach. unam ſem.*
Aquarum ſtillat. Menthæ,
Fœniculi,
Cort. Citr. *ana unc. tres.*
Syrupi de Althæa, *drach. ſemis.*
Miſceantur.

Bibat tenellus æger unciæ $\frac{1}{4}$ ter Spatio Nychthemeri, diviſis æqualiter temporibus.

Hoc Medicamentum, inquit ibi candidiſſimus & ab omni vana & inani jactantia alieniſſimus Auctor, tam miro ſucceſſu ſeſe commendat, ut incurrerem jactantiæ Crimen, ſi, ut res ipſa habet, eloquerer. Ideo etiam ſoleo illud tegere, ne cogniti abuſus contingat, vel vileſcat dignitas: duo quippe hæc Medicus cavere debet. Hæc ille, quo non major alter, vere, candide & ſincere. Quod probe notent Medici.

Ceterum aliam huic perquam ſimilem Mixturam anodynam pro tenellis Infantibus, vid. in ejusdem maximi Viri Mat. Med. *p.* 163.

Mixtura Antaſthmatica Fraundorf.

Tabul. Smaragd. p. 236.

℞. Oxymelitis ſcillitici,
Syrupi Enulæ Campanæ,
de Eryſimo Lobel. *ana unc. unam.*
Pulv. Gummi Ammoniac. *dr. unam.*
Spiritus Ligni Guajac. *dr. unam ſem.*
Eſſent. Croci, *drach. tres.*

Miſce: Fiat lege Artis, Mixtura, pro aliquot vicibus.

Non eſt, quod reprehendatur in hac ſat eximia & concinna alias, Compoſitione; niſi forſan quis mecum malit parciorem & modeſtiorem Eſſentiæ Croci doſin. Vid. jam ſupra ea de re monita, ad ipſum Crocum, *Part. I. Ceterum Conf.* Mixturæ Aſthmaticæ, *in antecedentibus.*

Mixtura Aſthmatica Noſtra, Triller.

℞. Aquarum Tuſſilaginis,
Pulmonariæ,
Hyſſopi,
Veronicæ,
Fœniculi, *ana unc. unam.*
Elixir. pectoral. Wedelii, *dr. duas.*
Eſſentiæ Pimpinellæ,
Liquiritiæ, *ana drach. unam.*
Extract. Caſcarillæ,
Enulæ, *ana ſcrup. unum.*
Syrupi de Althæa Fernel. *unc. unam.*
Oxymelitis Scillitici, *unc. ſemis.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, Mixtura.

Quæ in Tuſſi ferina & pertinaci, Aſthmate anhelo, & Catarrho præſertim ſuffocativo, nobis præſentiſſimo ſæpius fuit præſidio, quod candida fide teſtamur.

Mixtura Antipleuritica

BOERHAAVE, *Mat. Med. p.* 121.

℞. Aquar. ſtillat. Flor. Rhœados,
Sambuci, *ana unc. octo.*
Borraginis, *unc. quinque.*
Lapidum Cancrorum, *drach. duas.*
Prunellæ, *drach. unam.*
Syrup. Florum Rhœados,
Papaveris albi, *ana unc. unam.*

Miſceantur: Bibantur unciæ duæ, omni ſemihora.

Optandum foret, ut in hac egregia alias compoſitione, aut minor adeſſet copia

pia Aquarum, aut major certe pulverum, ad juſtiorem, nempe utriusque proportionem concinnandam. Quod tamen maximi Viri manium ſemper venerandorum pace, hic monitum eſto.

Mixtura Antipleuritica Haddenii.

Tabul. Smaragd. p. 235.

℞. Aquarum Plantaginis,
Cardui Benedicti,
Scabioſæ, *ana unc. unam.*
Succi Taraxaci depurat. *dr un. ſemis.*
Oculor. Cancror. præparat. *dr. ſemis.*
Syrupi papav. errat. *unc. unam.*
Miſceantur:

Sumat Aeger de hac Mixtura, ſingulis ſemihoris, Cochleare unum, alterumve. *Ceterum aliam Mixturam antipleurit. vid. apud* FULLER. Pharm. ext. *p.* 264.

Mixtura Antipleuritica Noſtra Trilleri.

℞. Aquarum ſtillat. Veron.
Tuſſilag.
Pulmonar.
Hyſſop.
Salv. *ana unc. unam.*
Lapid. Cancror præparator.
Mandibul. Lucii piſcis, *ana drach. un.*
Antimonii diaphoret. recent. *drach. ſemis.*
Nitri depurat. ſeu Lapid prunell. *ſcrup. unum.*
Syrupi de jujub. ſeu Capill. Vener. Comp.
Oxymelitis ſimplicis, *ana unciam ſemis,* & ultra.
Miſceantur: Fiat lege Artis, Mixtura.

Quæ, præmiſſis ſemper præmittendis, præſertim juſta & opportuna ſanguinis miſſione, per longius jam temporis ſpatium, egregium fidumque ac certum plerumque auxilium nobis præſtitit in mitiganda & compeſcenda atroci pleuritide, prout candide jam olim faſſi ſumus in Tract. noſtro de pleuritide, *Cap. IV. pag.* 50. *Cap. V. p.* 63. *& in ſqq. Conf. ſupra Mixtura noſtra Aſthmatica, quæ tamen in ipſa pleuritide, Vix locum habet, niſi ſumma cum circumſpectione adhibeatur, ob adjectas nempe calidiores Eſſentias, & Elixirium* Wedel. *item & oxymel ſcilliticum, quod magna præſertim copia aſſumtum, nauſeam & vomitum, in pleuritide inprimis peſtiferum ciere, notum eſt. Conf. ill. van* SWIETEN Comment. in Aph. Boerhav. *Tom. III. p.* 68. *Sed hæc obiter.*

Mixtura Apoplectica.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 245.

℞. Balſami peruviani, *guttas triginta duas.*
Oleorum Nucis Moſchatæ, *gutt. quat.*
Caryophyllorum, *guttas duas.*
Sacchari albi, *drach. duas.*
Vitell. ov. *No. unum.*
Rite commiſtis cunctis, adde:
Spiritus Lavendulæ comp. *drach. un.*
Cochleariæ, *drach. ſemis.*
Salis Armoniaci, *guttas octodecim.*
Aquarum Ceraſorum nigr. *unc. unam ſemis.*
Pœoniæ comp. *unc. ſemis.*
Miſc. *Detur ſenſim Cochleatim.*

Mixtura Aromatica.

FULLER, *ibidem. p.* 246.

℞. Tincturæ Salis Tartari, *drach. ſex.*
Oleorum Cinnamomi,
Caryophyllorum,

Nucis Moſchat. *ana guttas ſex.*
Piperis,
Abſinthii,
Menthæ, *ana guttas quatuor.*

Miſceantur: Doſis a Guttis viginti, ad triginta, *ex hauſtu Vini Canarienſis, vel albi: In ſtomachi debilitate & anorexia, a cauſſa frigida, humida & flatulenta præſertim orta, apprime utilis eſt hæc Mixtura.*

Mixtura Aurea.

FULLER. *ibidem. p.* 247.

℞. Succi Chermes Col. *unc. ſemis.*
Syrupi Caryophyllorum,
Rubi Idæi, *ana unc. duas.*
Olei Nucis Moſchatæ, *guttas duas.*
Caryophyllorum, *guttam unam.*
Folior. Auri, *No. quinque.*
Miſceantur.

Virtutis magis, quam ſubſtantiæ reſpectu, vere Aureum hoc Remedium, tum Matrem, tum Fœtum, ſingulariter adeo reficit; vigoremque & Vitalitatem utriſque impertit; ut, ſi per Menſem, ante puerperium, ad Cochlear unum, bis in die, uſurpetur, feliciſſimum partum, vividumque infantem reddere perhibeatur.

Recte: perhibeatur. Sit ergo fides penes Auctorem, vel Auctores. Facilius talia ſcribuntur & traduntur, quam re ipſa, præſtantur & implentur: Nec ipſum Aurum quidquam addit Virtuti.

Mixtura Balſamica Cephalica.

FULLER, *Pharm. Extemp. p.* 249.

℞. Balſami natural. Peruviani, *dr. unam.*
Oleorum Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum, *ana guttas tres.*
Roriſmarini, *guttas ſex.*
Ovi Vitell. *No. unum.*
Probe ſubactis in Mortario, adde:
Sacchari albi, *drach. ſex.*
Spiritus Lavendulæ comp. *dr. duas.*
Aquæ Bryoniæ comp.
Pæoniæ comp. *ana unc. unam ſem.*
Ceraſorum nigrorum, *unc. octo.*
Spiritus Salis Armoniaci, *guttas ſexaginta.*

Miſceantur: *Doſis ad Cochlearia quatuor.*

Mixtura Balſam. Gileadenſis.

ibidem. p. 249.

℞. Balſami Gilead veri, *drach. unam.*
Tincturæ Benzoin.
Spiritus Lavendul. comp. *ana drach. unam ſemis.*
Vitello ovi rite malaxatis adde:
Syrupi Balſami Tolutan. *unc. un. ſem.*
Vini Malacenſis, *unc. quatuor.*

Miſce: *Doſis pro phthiſicis, ad Cochlear unum, ex Lacte, aliove idoneo vehiculo, ut juſculo blando, nec ſalito.*

Ceterum aliam Mixturam Balſam. Stahlii vid. ap. JUNCKER. de Form. p. 55.

Mixtura Balſamica in Gonorrhœa.

BOERHAAVE *apud* GAUB. *p.* 224.

℞. Terebinth. vulg. cum Vitell. Ovi ſubact. *drach. duas.*
Extracti Rhei,
Salis prunellæ, *ana drach. unam.*
Syrupi Althææ Fernelii, *unc. unam.*
Infuſ. Glycyrrhizæ, *unc. decem.*

Miſceantur: capiatur omni Bihorio, cochleare unum, probe concuſſa prius Lagena.

Mixtura Balſamica Nephritica.

FULLER. *Pharm. extemp. p.* 249.

℞. Balſami Copaivæ, *unc. ſemis.*

Olei Juniper. chym. *drach. ſemis.*
Vitell. Ovor. *No. duos.*
Syrupi de Althæa Compoſ. *unc. duas ſemis.*
Aquæ perſicariæ, *unc. decem.*
Miſceantur.

Singulares prorſus immo ſtupendæ pæne Virtutes in doloribus nephriticis atrociſſimis & Colicis horrendis mitigandis, calculisque pellendis, huic Mixturæ adſcribuntur, quæ mirabili exemplo uberius confirmantur.

Mixtura Diuretica.

CAUB. *de Formul. pag. 225.*

℞. Olei ſtillat. Juniperi, *guttas viginti.*
Syrupi Althææ Fernel. *unc. duas.*
Contritis deinde admiſce:
Salis Volatilis Succini, *grana decem.*
Teſtar. Ovor. pulverat. *drach. unam.*
Aquæ ſtillat. Petroſelin. *unc. duodec.*
Miſc. *Capiat æger Cochlearia duo, quavis hora.*

Mixtura Diuretica.

FULLER. *Pharm. Extemp. p. 256.*

℞. Vini albi, *unc. duodecim.*
Olei Juniperi, *guttas viginti quatuor.*
Aniſi, *guttas duodecim.*
Sacchari albiſſ. *unc. unam ſemis.*
Miſc. *Pro quatuor doſibus, cum Spiritus Salis Armoniaci guttis viginti, ad Arenulas pellendas.*

Plures ejusmodi Mixturas vid. apud. HEINS, in *Pharm. rat.*

Mixtura Ecphractica.

FULLER. *ibidem, p. 256.*

℞. Summitat. pini conciſ. *manip. ſex.*
Coque in Aquæ, *libris quatuor, ad libr. ſex.*
Colaturæ fortiter expreſſæ adde:
Succi depurat. Cochleariæ hortenſ. *libr. unam.*
Becabungæ,
Naſturtii Aquatici,
Taraxaci, *ana libr. ſem.*
Aquæ Raphani compoſ. *libr. un. ſem.*
Huic Mixturæ diſſolv. Vitriol. Mart. *ſcrup. octo.*
per Noctem reponatur, ut ſubſideat fæx lutea: dein Liquori claro effuſo adde:
Salis Abſinthii, *ſcrup. quatuor.*
Sacchari albi, *unc. duodecim.*
Miſceantur: *Doſis unc. quatuor, mane, & quarta hora pomeridiana.*

Singulares magnasque Virtutes contra Cacochymiam, Cachexiam, Scorbutum, item Obſtructiones Hepatis, Lienis, Renum, Meſenterii, & uteri denique, huic quidem Mixturæ merito tribuit Auctor; Quare eam non ſine gravi ratione, huic noſtro Operi inſerendam cenſuimus, ut Medicis ea magis innoteſceret.

Ceterum Conf. ſupra, *Extractum Ecphracticum*, & infra, *Pilulæ Ecphracticæ*, ejusdem Virtutis.

Mixtura Epileptica Deckeri.

FULLER. *Pharm. Extemp. p. 257.*

℞. Aquarum Florum Tiliæ,
Fœniculi, *ana unc. duas.*
Syruporum Stœchadis,
de Mecon. *ana unc. unam.*
Spiritus Salis Ammon. *ſcrup. unum.*
Miſc. *pro duabus doſibus.*

Ad me transmittebatur hæc formula Lugduno Batavorum; & dicebatur, eſſe ſecretum Fred. Deckers, *quod plurimum ille æſtimat, & frequentiſſime præſcribit. Ita ibi* Fullerus, *ubi plura in laudem hujus Mixturæ addit. Ipſe vero* Deckers *hoc ſuum ſic dictum ſecretum an-*

tepilepticum liberaliter publicavit in Not. *ad* Prax. Barbett. *L. I. c. I. p.* 18. *ubi & p.* 16. *aliam communicavit Mixturam epilepticam operoſioris compoſitionis, & ſingularis ſimul Virtutis, ut ibi prædicat.*

Vid. plures ejusmodi Mixturas in HEINS *Pharm. rat.* p. 312. ſqq.

Mixtura Epileptica.

MICHAEL. *p.* 81.

℞. Aquarum Epilept. Lang. *unc. un. ſem.*
Ceraſorum nigrorum,
Liliorum Convallium,
Pæoniæ, *ana unc. unam.*
Specif. Cephal. *drach. duas.*
Syrupi Florum pæoniæ, *unc. un. ſem.*
Spiritus Lilior. Convall.
Ceraſorum nigr. *ana drach. unam.*
Miſceantur probe.

Mixtura Hydropica Roborans.

Ac Stimulans BOERH. *Mat. Med. p.* 204. GAUB. *de Form. p.* 134.

℞. Tincturæ Rad. Helen. *unc. duas.*
Myrrhæ,
Spiritus Matricalis, *ana unc. unam.*
Oleorum ſtillat. Baccarum Juniperi,
Abſinthii, *ana guttas octo.*
Miſceantur.

Capiat æger Cochlear ſemis, quater de die, vacuo ſtomacho, ex Vino generoſo.

Conf. HEINS *Pharm. rat.* ubi plures ejusmodi formulæ.

Mixtura Hydropica Alia, Cardiaca & Lymphæ Fluorem Concilians.

Ejusdem BOERH. *Mat. Med. p.* 149.

℞. Oleor. ſtillat. Cortic Citrei,
Aurant.
Cinnam. *ana gutt. tres.*
Flor. Lavandulæ,
Juniperi, *ana gutt. duas.*
Cum Sacchari, *drach. ſex.*
Fiat ſecundum Artem, Elæoſaccharum, quod admiſceto
Rob Sambuci,
Juniperi, *ana unc. tribus.*
Spirit. Salis, *drach. un.*
Aq. ſtillat. Cortic. Citrei,
Aurant.
Cinnam. *ana unc. duas.*
Menthæ, *unc. decem.*
Miſc. Omnia exacte: Capiat æger *unciam unam.* Omni Bihorio.

Mixtura Pacifica.

FULLER, *p.* 262.

℞. Laudani liquidi Tartariſ. *drach. duas.*
Olei Nucis Moſchat.
Cinnamom. *ana guttas quatuor.*
Miſc.

Contra Vomitus, diarrhœas, tormina Ventris, Colicam flatulentam & hyſtericam egregii eſt uſus. Utinam vero & nobis quis offerret Mixturam aliquam pacificam contra has horridas truculenti Belli turbas ac procellas, quibus jam nunc per tres fere annos, miſerrimum in modum jactamur: ſed præſtat tacere, quam vano indulgere dolori. Deus nos reſpiciat!

Vid. infra *ſpecies pro decocto pacifico.*

Mixtura Contra Scobutum.

WEDELII, *Diſpenſ. Ratisbon.*

℞. Spiritus Cochleariæ, *unc. unam.*
Tartari,
Salis ſtriati, *ana unc. ſemis.*
Liquoris Martialis, *drach. unam.*

Eſſentiæ Anodynæ, *ſcrup. duos.*

Miſce, digere, & ſerva ad uſum, qui vel ex ipſo Titulo patet. Conf. ſupra ſuo loco, Eſſentiæ Antiſcorbuticæ.

Mixtura Simplex Ordinaria Paracelſi, *ſeu* Spiritus Diatrion. aut de Tribus.

Diſpenſ. Wirt. Pariſ. Bat. Ratisbon.

℞. Spiritus theriacalis camphorati, *unc. quinque.*
Tartari rectificati, *unc. tres.*
Vitrioli boni, *unc. unam.*

Miſceantur & digerantur aliquandiu, in vitro bene clauſo.

Viribus cum præcedente convenit, atque eadem doſi exhibetur.

(Vid. CAMERARII *Diſſ. de* Mixtura Simplice.) *ut &* CROLLII Baſil. Chym. *apud* Hartmann. *p.* 76. *ubi inter plures alias Virtutes, huic Mixturæ confidenter nimis tributas, præſens quoque pleuriticis Remedium ea eſſe perhibetur: quod tamen ipſi veritati & experientiæ haud eſſe conſentaneum, liquido, opinor, oſtendimus,* Lib. *de* pleuritide, *Cap. III. p.* 44. *Ceterum vero de promeritis ipſius laudibus vid.* SCHULZ. Præl. *p.* 192 *ſqq. &* CARTHEUSER. Pharmacol. *p.* 350. *nec non* LOESEKE, Mat. Med. *p.* 238. *&* KLEIN, ſelect. rat. Med. *p.* 144.

Mixtura Simplex Ludovici, in Pharmacia ſua paſſim deſcripta.

Diſpenſ. Wirt. & in reliq.

℞. Tincturæ Bezoardicæ L. *unc. quinq.*
Spiritus Tartari volat. rectific *uncias quatuor.*
Vitrioli rectificati, *unc. unam.*
Camphoræ, *ſcrup duos.*

M. & digerantur.

Intercedit differentia inter mixturam ſimplicem ordinariam, & hanc Ludovici. Prior cum Spiritu theriacali, hæc vero cum Tinctura bezoardica paratur, cujus ſingula uncia granum opii continet.

Vires ſunt eædem ac Mixturæ ſimplicis ordinariæ; Magis tamen hæc anodyna & ſudorifera eſt, propter opium, quod Tincturæ bezoardicæ ingrediens eſt.

Doſis guttæ quadraginta ad quinquaginta.

Mixtura Stegnotica.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Aquæ plantaginis, *unc. tres.*
Cinnamomi, *drach. tres.*
Aceti Vini, *unc. ſemis.*
Corallior. rubror. praeparat. *ſcr. duos.*
Terrae ſigillatae rubrae, *ſcrup. unum.*
Laudani opiati, *grana tria.*
Syrupi Myrtillorum, *drach. tres.*

Miſceantur pro uſu.

Ad omnia ſanguinis profluvia, tam ex naribus, quam utero, aliisque partibus, provenientia utiliter adhibetur, ſi circumſpecte, & ſuo tempore: Ceterum convenit cum Mixtura ad Vomitum ſanguinis, quam deſcribit et mire laudat inventor SYLVIUS, Prax. Med. *Lib. I, Cap.* 9. *p.* 173. *& ex eo repetit* Tab. Smaragd. *p.* 239.

Mixtura Sudorifera Antifebrilis.

Herm. BOERH. *Mat. Med. p.* 108.

℞. Salis polychreſti, *drach. duas.*
Syrupi quinque Radic. aperient. *uncias duas.*
Opii puriſſimi, *grana duo.*
Aquarum ſtillat. ferment. Cardui benedicti,
Abſinthii,
Rutae,

Majoranae,
Menth. *ana unc. unam.*
Extract. Abſinthii, *unc. duas.*
Miſceantur.

Capiat Aeger Cochleare unum, omni quadrante Horæ.

Raro fallit egregia hæc Mixtura, in ſudoribus blande evocandis, & febribus tollendis, ut vere hic pronunciat ipſe ſummus Boerhaavius, *alias maxima cum circumſpectione ac verecundia, in ejusmodi effatis & judiciis, loqui ſolitus. Sed frequentiſſima & feliciſſima Experientia edoctus, Confidenter & intrepide ſic quidem pronunciare poterat. Atque id ipſum quoque religioſe quaſi teſtamur: ſemper Votis noſtris reſpondiſſe effectum; ubi hæc Mixtura ſudorifera in uſum fuerat advocanda.*

Vid. ipſe BOERHAAV. *Prax. Med.* Tom. III. pag. 441. ſqq. ubi latius longiusque in promeritas hujus ſuae Mixturae laudes excurrit, & ipſius uſum incomparabilem ſolidiſſime oſtendit.

Mixtura Tonico Nervina Stahiii.

Diſpenſ. Brand. Wirt.

℞. Spiritus cornu cervi rectificati, *unciam unam.*
Tincturæ Antimonii regulinae, *uncias duas.*

Miſceantur & ſerventur in vitro probe obturato.

Optimi uſus eſſe hanc mixturam ad viſcera roboranda, horumque tonum debilitatum reſtituendum, Clariſſimus Author & alii perhibent; unde inprimis in morborum chronicorum declinatione, poſt graviores quascunque excretiones & viſcerum oppletiones, infarctum &c. ea utuntur. Vid. Diſp. Brand.

Doſis, bis in die, ad guttas viginti, usque quinquaginta.

Morſuli Adverſus Acidum.

GAUB. *de Form. p.* 125.

℞. Matris perlar. praeparat.
Cret. albiſſ. praep. *ana drach. duas.*
Rad. Zingib. cond. *drach. tres.*
Cinnam. ruditer triti, *drach. unam.*
Sacch. albiſſ. aqua pura ſolut. *quantum ſuff.*

Ut Fiant lege Artis, Morſuli, Capiatur unus, vel alter, pro neceſſitate.

Quo & pertinent Morſuli diacretæ dicti, deſcripti, ac contra Acidum & ardorem ſtomachi commendati a Mynſichto, *p.* 176. *item Morſuli ad Sodam* DOLAEI, Encyclopad. Med. *Lib. III. Cap.* 1. *p.* 438. *& inde repetiti,* Tab. Smarag. *p* 240. *nec non* BIERLINGII, *contra ardorem gulæ, p,* 86 *& pag.* 88. *item* JUNCKERI, *p.* 49. *Conf. infra,* Trochiſci adverſus acidum Ventriculi, *item* Cardialgici.

Morſuli Antimoniales Reſtaurantes Kunckelii.

Laborat. Chym. Cap XXXII. p 433. *ſqq.*
Diſpenſ. Brand. Wirt.

℞. Amygdalarum dulcium minutim inciſarum, *unc. unam.*
Cinnamomi acuti, minutim inciſi, *dr. duas.*
Cardamomi minoris, *drach. ſemis.*
Antimonii crudi puriſſimi, ſubtiliſſime pulveriſati, *unc. ſemis.*
Sacchari albi, in Aqua roſarum ſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati cocti, *unc. ſeptem.*
Fiant morſuli.

Magnæ tribuuntur vires his morſulis ad ſcabiem ulceroſam, reliquias a variolis, gonorrhœam male tractatam, affectus convulſivo- & ſpaſtico-arthriticos. Vid. ipſum Kunckelium, *mirabilem ibi*

Hiſtoriam Virginis arthriticæ his morſulis perfecte tandem curatæ, narrantem, item Cl. JUNCKERI Conſpect. Med. Theoret. pract. *p.* 397. & REISEISSANII *Diſſert. de* Antimonii Crudi in Medicina, uſu, *p.* 34. *nec non* Diſp. Brand. & SCHULZ. *in* Praelect. *p.* 196. *item* CARTHEUSERI Pharmacol *p.* 626. *ut* & Rudiment. Mat. Med. *p.*483. & Fundament. Mat. Med. *Part. II. p.*599 *ſqq. inprimis vid.* Commerc. Litt. Med. Norimb. *An.* 1732. *p.* 179. *Conf. jam ſupra part. I. notata ad ipſum Antimonium crudum. Ceterum hos ipſos Morſulos Antimoniales laudat quoque* HOFFMANNUS, Not. *ad* Poter. Pharm. Spag. *Lib. II. C.* 12. *p.*387. *ſqq.* (*ubi plura de uſu Antimonii crudi innoxio:*) *item* KLEIN *in* ſelect. rat. Med. *p.* 145. *ubi ad ſuam experientiam provocat. Uncia una continet Antimonii drachmam ſemis.*

Dantur a drachmis duabus, ad unciam dimidiam, ſingulis diebus mane & veſperi ante ſomnum.

Morſuli ad Ardorem Ventriculi, *vel* Sodam.

Diſpenſ. Wirt. Brand. Vienn.

℞. Cretæ præparatæ,
Cornu Cervi uſti præparati,
Oculorum cancrorum præparatorum, *ana drach. tres.*
Boli Armenæ præparatae,
Coralliorum rubrorum praeparatorum, *ana drach. duas.*
Nucis moſchatae, *drach. unam.*

Pulveriſata, fiant cum ſacchari in Aqua ceraſorum ſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati cocti, *unciis duodecim,* morſuli.

Uſus ex titulo cognoſcitur; ſumuntur quovis tempore ad unciam dimidiam, imo integram. Vid. CARTHEUSER. Pharm. *p.* 623. & SCHULZ. *p.* 194.

Ceterum deſcriptio Brand. plura habet ingredientia.

Morſuli de citro prophylactici

Diſpenſ. Brand. Hamb.

℞. Conditurae Pulpae Citri,
Corticum Citri,
Flavedinis Citri, *ana unc. un. ſem.*
Flavedinis Citri recent. minutiſſ. conciſ. *drach. ſeptem.*
Olei Citri deſtillati, *guttas ſex.*
Succi Citri puriſſimi, *quantum libuerit, & ſuffecerit.*
Srcchari Canarienſ. in Aqua Citri & Roſarum, *ana quantum* ſufficit diſſoluti, *libram unam.*

Miſc. Fiant ſecundum Artem, Morſuli.

Nihil eſt in pomo Citrio, præter ſemen, quod hic non habeamus. Non minus gratum, quam utile Condimentum erit illo tempore, quo gravis & nebuloſus aër incumbit, aut Morbi hinc oriundi graſſantur. Unciam, & amplius etiam ſi libet, eſſe licet. Ita eleganter Commentatur SCHULZ. *p.* 194. *Ceterum breviorem horum Morſulorum Compoſitionem vid. in Diſpenſ. Argent. plures vid. ap.* JUNGKEN. *p.* 265.

Morſuli Cordiales.

Diſpenſ. Brand.

℞. Sacchari Canarienſ. albiſſ. *unc. ſedec.*
Confectionis Alkerm. complet. *unc. ſemis*
Flavedinis Cortic. Citri recent. dimidii exterioris minutiſſime conciſæ,
Olei Cinnamomi. *guttas ſex.*

Fiant cum Aqua Roſar. & ſucco Citri recenter expreſſo, Lege Artis Morſuli.

Ceterum operoſiorem & pretioſiorem (nam ſex quoque folia Auri integra adjecta ibi ſunt,) Morſulorum Cordialium Compoſitionem vid. in Diſpenſ. Argent. *p.* 33. *plures alias diverſorum Compoſitiones Morſulorum Cordialium vid. apud* JUNGKEN. Corp. Phar. *p.* 264.

Morſuli de Jalappa.

Diſpenſ. Brand.

℞. Mannae Calabr. recentis, *unc. duas.*
Diſſolv. in Aq. Cinnamom. *quantum ſufficit.*
Pulv. Rad. Jalappae optimae, *drachmas quinque.*
Rhabarbari electi, *drach. tres.*
Extracti Rhabarbari,
Acidi Tartari, *ana drach. unam.*
Sacchari albi, *unc. ſex.*
Miſc. Fiant lege Artis Morſuli.

Satis bona videtur Compoſitio, inquit hic Cl. SCHULZIUS, *p.* 195. *pro illis, qui pulverulenta non poſſunt, ſine nauſea, accipere.* Pro adulto, tres drachmæ, ad unciam dimidiam, erunt juſta doſis: *ex quo judicari debet, quantum junioribus, vel omnino teneris, concedendum ſit. Hæc ille. Ceterum adjectum Extractum Rhabarbari, plerumque fatuum, ſine ulla Virtutis catharticæ jactura, ſecure omitti potuiſſet. Conf.* SCHULZ. Prælect. *p.* 163. & CARTHEUS. Pharmacol. *p.* 553. BOERH. & *alios.*

Morſuli de Jalappa Maxantes.

JUNCKER. *de Form. p.* 49.

℞. Conſervae Flor Perſic.
Roſar. *ana drach. duas.*
Pulv. Rad. Jalappae, *drach. unam.*
Seminis Aniſi,
Corticis Cinnamomi,
Nucis Moſchatae, *ana drach. ſemis.*
Fiant cum ſufficienti Quantitate Sacchari in Aqua Roſarum ſoluti Morſuli Purgantes, ad *pondus unc. ſemis.*

Eſt blanda hæc & concinna Compoſitio uſu ſuo haud caritura, ſi juſto tempore adhibeatur.

Morſuli de Jalappa Roſati, *ſeu* e Succo Roſarum Purgantes.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Pulveris Rad. Jalappae, *unc. quatuor.*
Santali rubri, *unc. unam.*
Spodii praeparati, *unc. ſemis.*
Sacchari albiſſimi in Mucharo Roſar.
Soluti, & debite clarificati, *libr. duas.*
Miſc. & ad Conſiſtentiam juſtam cocta, in Tabulas, drachmas duas ponderantes, juxta Artis formam, redige. Uſus patet.

Morſuli Imperatoris cum Fructibus.

Diſp. Wirt. Brand. Prag. Vienn. Arg. Hamb. &c.

℞. Cinnamomi acuti, *drach duas.*
Specierum Imperatoris, pro morſulis groſſo modo inciſarum *drach. ſex.*
Corticum Aurantiorum conditorum,
Citri conditorum,
Carnis Citri conditae, *ana unc. unam.*
Amygdalarum dulcium, *unc. un. ſem.*
Condita & Amygdalae mundatae minutim incidantur, & poſtea cum
Sacchari, in Aqua roſarum ſoluti & ad conſiſtentiam tabulati cocti, unciis ſedecim mixta
Fiant morſuli.

Eſt medicamentum ſtomachicum ori gratum; datur inprimis aquas minerales bibentibus vid SCHULZ. p. 196. plures ejusmodi Morſul. Imp. formulae. vid. ap. JUNGKEN. p. 276.

Morſu-

Morſuli Magnanimitatis.

Diſpenſat. Viennenſ.

℞. Scinci marini, *unciam ſemis.*
Boleti Cervini,
Priapi Cervi,
Radicis Pyrethri, *ana drachm. duas.*
Satyrionis Conditæ,
Eryngii conditæ,
Nucis indicæ conditæ, *ana unc. un.*
Seminis Erucæ,
Fraxini,
Borracis Venetæ,
Piperis albi,
longi,
Cardamomi minoris, *ana dr. unam.*
Specierum Imperatoris, *drachm. ſex.*
Vanigliæ, *drachmam unam.*
Sacchari albi in Aqua Cinnamomi ſoluti, *libras duas.*

Minutim inciſa & pulveriſata, miſceantur, ut fiant lege Artis, Morſuli: Si completi deſiderentur; tum addantur, ſi placet:
Ambræ griſeæ, *ſcrupuli duo.*
Moſchi, *ſcrupulus unus.*
Zibethi, *ſcrupulus ſemis.*

Virtutes ſunt ſumme aphrodiſiacæ, dum languentem Venerem potenter ſtimulant. An hoc quidem efficere poſſint, pronuncient iſti, qui olim experimentum fecerunt. Ceterum quid de hujusmodi Medicamentis Magnanimitatis, *dictis, ſit ſentiendum, paſſim in hoc opere jam monuimus, ad* Magnanimitatis Aquam, Balſamum, Confectionem, Marmeladam *& denique* Pilulas: *quæ omnia Titulo quidem ſpecioſo Magnanimitatem promittunt; re vero ipſa non præſtant, nec unquam præſtare poſſunt. Quod reliquum eſt, huc, quoad uſum & effectum, omnes pertinent* Morſuli Viriles *dicti, nempe* Mynſichti, Michaelis, Fiſcheri, Lemerii, Lotichii, *de* Spina, Zwelferi, Weickardi, Comitis Pappenhemii, Cnophelii *& aliorum, quos longa ſerie collectos exhibet* JUNGKEN, Corp. Pharm. *pag.* 268. *ſqq. Conf. & ſupra* Confectio pacifica *ex* Mynſichto excerpta, *quæ pariter frigidos in Venerem accendere vulgo creditur, ubi vid. ſi placet, a nobis dicta. Conf. infra* Rotulæ Magnanimitatis.

Morſuli Purgantes.

Diſp. Wirt. in reliquis deſiderantur, ſubſtitutis abiis.

℞. Magiſterii, ſive reſinæ Jalappæ, *drachmam unam.*
Optime teratur cum
Amygdalarum dulcium, *drachmis tribus.*
His adde
Cardamomi minoris, *ſcrupul. unum.*
Cinnamomi acuti, *ſcrupulos duos.*
Sacchari, in Aqua roſarum ſoluti & ad conſiſtentiam tabulati cocti, *uncias ſeptem ſemis.*
Fiant morſuli.

Uncia morſulorum horum grana circiter octo continet magiſterii.

Datur pueris, qui alia medicamenta, reſpuunt.

Doſis, *pro ratione ætatis*, drachma una, duæ, ad ſex.

Alios Morſulos purgantes vid. in Diſp. Brand. *&* Vienn. *& alios apud* GAUB. *p.* 125.

Morſuli Stomachici Carminantes.

Cl. GAUB. *de Form. Med. pag.* 126.

℞. Conſervæ Menthæ, *drachmas tres.*
Nucis Moſchat. in India conditæ,
Corticis Winterani,

Arantior. *ana drachmas duas.*
Macis, *drachmam unam.*
Miſc. Fiant cum Sacchari albi in Aquæ Roſarum ſufficiente quantitate ſoluti,
Morſuli,
Oleo ſtillat. Corticis Citri oblinendi,
Sumatur unus ante, & poſt paſtum.

Proſunt inprimis in caſu frigido & flatulento, in Anorexia, Bradypepſia, ructu, nauſea, diarrhœa. Plures ejusmodi Morſulorum Stomachicorum compoſitiones Mynſichti, Timæi, Ettmülleri & *aliorum vid. apud.* JUNGKEN. Corp. Pharm. *pag.* 275. *Conf. infra* rotulæ ſtomachicæ, *ejusdem* Celeb. Gaubii.

Morſuli Tartarei.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Cremoris Tartari, *drachmas ſex.*
Fœcul. Acetoſellæ, *drachmam unam.*
Sacchari albiſſimi, *libram unam.*
Succi Citri recentis, *quantum ſatis.*
Miſceantur, & Fiant Morſuli.

Vires ſunt digeſtivæ, ſitim ſedantes, bilem temperantes, & appetitum proſtratum excitantes.

Morſuli ad Thermas & Acidulas Zwingeri.

℞. Amygdal. dulc. recens excort. *unciam unam.*
Nucleor. Pinear. recent. *unc. ſemis.*
Cinnamomi electi,
Oculorum Cancr. præparat. *ana drachmas duas.*
Caryophyllorum aromat.
Nucis Moſchatæ, *ana drach. unam.*
Corticis Citri recens inciſi, *dr. duas.*
Conſerv. Betonicæ,
Amarac. *ana drachmas tres.*
Sacchari albi in Aq. Roſ. & cinnam. ſolut. *libr. unam.*
Miſc. Fiant lege Artis, Morſuli; quorum loco, etiam commode ſubſtitui poſſunt Morſuli ſtomachici, item de Citro, ſuperius jam deſcripti.

Morſuli contra Vermes, *ſeu* Anthelmintici.

GAUB. *de Form. Med. pag.* 125.

℞. Conſerv. Abſinthii vulgaris,
Semin. Santonic.
Tanacet. *ana drachmas duas.*
Aethiopis Mineral. *drachmas tres.*
Reſinæ Jalappæ, *drachm. un. ſemis.*
Sacchari albiſſ. Infuſo Tanaceti ſoluti, *uncias quinque.*
Miſc. Fiant lege Art. Morſuli, *ſinguli unc. ſemis.*
Capiat æger unum mane, & veſperi, vacuo ventricul.

Conf. infra, ſuo loco, pulveres contra Vermes, & quæ ibi circa uſum & effectum Aethiopis mineralis, candide a nobis monita ſunt: quibus, ſi placet, adde dicta nobis nuper, in Diſſ. *de* Corticis peruviani uſu ſalutari &c. *pag.* 8. *Ceterum alios Morſulos Anthelminticos, vid. in* Corp. Pharm. JUNGKEN. *pag.* 263.

Morſuli contra Vermes.

Diſpenſ. Wirt. in Reliquis deſideratur: Sed ibi aliæ compoſitiones.

℞. Seminis Cynæ,
Muſci corallini, *ana unciam ſemis.*
Æthiopis mineralis,
Jalappæ reſinoſæ, *ana drachm. tres.*
Cinnamomi, *drachmas duas.*
Omnia pulveriſata commiſceantur cum

Sacchari albi, in aqua Roſarum ſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati coҫti, *unciis ſeptem.*

Fiant Morſuli.

Dantur infantibus, medicamenta alia anthelmintica reformidantibus.

Quælibet uncia habet Æthiopis mineralis ſcrupulum unum & totidem Jalappæ. Vid. ſupra dicta ad Æthiopem min. & *infra, ad* Pulveres anthelminticos.

Doſis igitur infanti a drachma una, ad duas.

Muſcerdae.

vid. infra

Trochiſci Catechu.

Mucharum Roſarum.

Diſp. Argent. Wirt. Vienn. Ratisb.

℞. Florum Roſarum Damaſcenarum recentium, *libras octodecim.*

Infundantur & macerentur, horis viginti quatuor, in

Aquæ claræ ferventiſſimæ totidem libris.

Poſtea exprimantur, & in vaſis anguſtioribus, oblongis collis præditis, ſuperaffuſſo Olei olivarum modico, ſerventur.

Inſervit conficiendis, etiam extra florendi tempus, ſyrupis & melli roſatis. Conf. Lang. Epiſt. Med. *Lib. III. pag.* 812.

Mucilago Nephritica.

Pharm. Batean. pag. 100.

℞. Gummi Tragacanth. *unc. un. ſemis.*
Arabici, *drachmas tres.*
Ceraſ.. *unciam ſemis.*
Aquar. Roſar. rubr. *uncias viginti.*
Plantaginis,
Portulacæ, *ana libr. unam ſemis.*

Macerentur in frigid. per 48. Horas, deinde Colat. addantur:

Sacchari Candi albiſſ. *unciæ quatuor.*

Miſceantur omnia exacte: *Dentur ægro unciæ quatuor, bis in die,* cum Aquæ Lactis hauſtu; præmiſſo Balſami Peruviani ſcrupulo uno, in Pilula, cum Pulvere Glycyrrhizæ.

Eſt egregium demulcens, contra diros renum ac veſicæ dolores, a calculo præſertim ortos, item in ardore urinæ, ſtranguria, & fœda quoque gonorrhœa.

Nepenthes Aureum.

vid. ſupra

Laudanum Pretioſum.

Nitrum Alexipharmacum Zwingeri.

ejusdemque

Nitrum Catharticum.

Utrumque exhibetur in Corpore Pharmaceutico Jungkenii, *p.* 952. *ubi legat & in uſum vocet, qui volet. Operoſiores enim utriusque ſunt Compoſitiones, quam ut tale Alexipharmacum vel Catharticum quisquam hodie expetat, in tanta præſertim faciliorum & ſuaviorum Remediorum copia. Quod tamen non fœdo carpendi, aut obtrectandi ſtudio, ſed ſolo potius veritatis & candoris amore, hic modeſte a nobis monitum ſit.*

Nitrum Alkaliſatum, *vel* Fixum.

Videatur

Liquor Nitri Fixi.

vid. Diſpenſ. Brand.

Nitrum Antimoniatum.

ſeu Anodynum Minerale.

Diſp. Brand. Wirt. Hamb.

Fit, aquam, in qua Antimonium diaphoreticum, *poſt detonationem*, ſolutum fuit, evaporando ad ſiccitatem, & ſal ſiccum aſſervando.

Ad naturam ſalium mediorum accedit, & calcis Antimonii particeps eſt. Datur ad humorum orgaſmum contemperandum, & pulveribus abſorbentibus additur. Frequentiori præſertim in uſu erat magno noſtro quondam HOFFMANNO: *ex officinis tamen pharmaceuticis illud noviſſime quaſi proſcripſit cl.* GMELINUS, *in* Diſſ *de* Botan. *&* Chem. *ad* Prax. Med. appl. *Sed mitius de eo judicat* SCHULZ. *in* Prælect. *pag* 198.

Doſis ad drachmam ſemis, & ultra.

Nitrum Cachecticum Chalybeatum.

Diſpenſ. Hamb. Batean. p. 100.

℞. Vitrioli Martis, *uncias quatuor.*
Arcani duplicati, *uncias quinque.*
Nitri purificati, *uncias ſeptem.*

Miſce, & ad rubedinem calcina ſecundum Artem.

Uſus ex ipſa Inſcriptione jam patet. Sed nimium pœne virtutis ipſi tribuitur in Pharmacopoia Batean. *l. c.* Doſis eſt a gr. ſex, ad viginti.

Nitrum Catharticum.

Pharm. Bat. pag. 101.

℞. Nitri, quantum vis, candefac in crucibulo, & per vices, carbonem vivum injice, ut Nitrum inardeſcat. Continua, donec flagrare deſinat: quod reſtat, ſolve in Aceto deſtill. filtra, coagula, idque ter cum novo Aceto deſtillato repete. Tandem ſolve in Spiritu Vini & evapora ad ſiccitatem.

Dicitur & Terra foliati Nitri.

Obſtructum Meſenterium & Lienem liberat, ſuaviterque purgat. Doſis eſt plerumque a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.

Nitrum Coralliatum.

SCHROED.

Diſpenſat. Ratisbon.

℞. Nitri in Aceto deſtillato ſoluti, *partes tres.*
Salis Coralliorum, itidem per Acetum deſtillatum parati, *partes duas.*

Conjunge, coagulaque evaporando, repone in Locum frigidum, ad Cryſtalliſandum.

Utile eſt in Febribus, & Virium reſtauratione. Doſis, ad ſcrupulum unum. *Ita laudatur hoc Nitrum Coralliatum in* Pharm. Batean. *pag.* 101. *Sed majora adhuc ipſi elogia tribuit* ZWELFERUS, *in* Mantiſſa Spagyrica, *p.* 863. *Conf.* SCHULZII Prælect. *p.* 198.

Nitrum Cryſtalliſatum & Depuratum.

Diſp. Wirt. Brand. & in reliq.

Solvatur Nitrum in aquæ fontanæ ſufficiente quantitate, leni calore; liquor, per pannum colatus, ad cryſtalliſationem reponatur. Cryſtalli longæ pyramidales colligantur & ſerventur.

Viribus præcellit hoc Nitrum cryſtalliſatum vulgare, & divinum fere eſt remedium in exæſtuatione ſanguinis, febribus ardentibus, ferme omnis generis, in variolis etiam, purpura, ubi ſedativa &

antiſpaſmodica virtute eminet: eſt & inprimis antinephriticum & lithonthrypticum, obſervante HOFFMANNO Med. Syſt. rat. *Tom. IV. Part. II. Sect. II. Cap.* 6. *pag.* 369. *& alibi.*

Doſis a granis ſex, ad triginta, in vehiculo aquoſo.

Nitrum Fulminans.

Habetur ejus compoſitio ex Nitro, Sale Tartari & Sulphure, in *Collectan. Chym. Leyd.* pag 136. Sed quoniam ea curioſitati potius inſervit, quam utilitati medicæ; ideo ibi magis legatur, quam hic. Interim ſat erit, nos illius hoc loco ſolam mentionem feciſſe.

Nitrum Hermaphroditicum.

Pharm. Batean. pag. 101.

℞. Nitri optimi,
Salis Tartari puriſſ. *ana part, æqual.*
Solve in ſufficienti Quantitate
Aquæ Roſarum rubrarum,
Filtra & Cryſtalliſa ſecundum artem.

Præſtantiſſimum ad humores craſſos & tartareos incidendos & detergendos, nec non meatus obſtructus aperiendos: ad Calculum Renum expellendum, urinamque movendam &c. Inſuper, in Febribus putridis ac malignis optime conducit.

Doſis eſt a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.

Hæc quidem omnia bene, ſi vera ſint: Cur vero imbelle hoc ambiguum & inviſum Nitri Hermaphroditici Nomen impoſitum fuerit huic quidem ſimplici minusque operoſæ Compoſitioni; id equidem me neſcire, ingenue fateor. Mihi enim, quod jam aliquoties in hoc opere candide monui, minime placent ejusmodi peregrinæ, inſolitæ, immo & ridiculæ denominationes. In re namque ſeria ludere & laſcivire haud decet. Sed hæc obiter. Hinc rectius atque ſimplicius a Mynſichto *pag.* 16. *vocatur* Tartarus nitratus. *Conf.* JUNGKEN Corp. Pharm. *p.* 953. *Vitriolum vero Hermaphroditicum deſcribit* MICHAEL *in* Med. Famil. *p.* 100.

Nitrum Papaverinum.

Diſpenſ. Vienn.

℞ Nitri Crudi, *quantum placet.*

Solvatur in ſufficienti quantitate infuſionis papaveris; dein inſpiſſetur ad Cryſtalliſandum.

Virtutes ſunt contemperantes & refrigerantes; præcipue in affectibus Thoracis.

Nitrum Perlatum.

Diſp. Wirt. Brand. Hamb. Vienn.

℞. Nitri cryſtalliſati puri, *unc. quatuor.*
Matris Perlarum præparatæ, *unciam ſemis.*
Miſce.

Commendatur in febribus continuis & malignis, ac haud inferior eſt illi, quod cum Margaritis paratur.

Doſis a granis quinque, ad ſcrupulum unum. *Vid.* SCHULZ. Prælect. *pag.* 198.

Nitrum Roſatum.

Diſp. Brand. Wirt. & paſſim alibi.

R. Infuſionis Roſarum rubrarum ſaturatæ, *libram unam.*
In hac diſſolve,
Nitri crudi cryſtallini, *libram ſemis.*

Evaporet lento igne, ad dimidias, poſtea ad cryſtalliſandum repone, cryſtallos ſiccatas ſerva.

Additur gargarismis in faucium & tonſillarum inflammatione, cum abſorbentibus, in dyſenteria etiam maligna

ſecure adhibetur. Vid. SCHULZ. Præl. *pag.* 199.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Nitrum Saturninum.

Diſp. Wirt. Brand. & paſſim in aliis.

℞. Nitri crudi cryſtalliſati, *uncias tres.*
Sacchari Saturni, *uncias duas.*

Solvantur in Aquæ Roſarum ſufficiente quantitate, & in vaſe vitreo, ad pultis craſſioris conſiſtentiam evaporentur, poſtea leni calore penitus ſiccentur. Vid. JUNGKEN. *Exper. Chym.* p. 217. & *alios Chymicos.*

Uſus eſt externus, & in magna faucium inflammatione ac uvulæ laxitate, gargariſmatibus, & in oculorum inflammatione, collyriis additur. Illos autem, quibus uſus internus, ad ſanguinis mictum & gonorrhœam, a laxitate partium ortam, ſupprimendum arridet, ut vel penitus abſtineant, quod tutius eſt, vel nunquam certe ultra grana ſex, pro una doſi, commendent, monemus. Conf. SCHULZ. Præl. *pag.* 199. *Sed præſtat, penitus abſtinere a deteſtabili illo Saccharo Saturni, ejusque uſu interno, vid. infra, ſuis locis, dicta, ad* Pilulas Saturninas, *ipſum* Saccharum Saturni, & Tincturam *denique* Antiphthiſicam Gramanni.

Nitrum Tabulatum.

ſeu Sulphuratum.
Videatur
Lapis Prunellæ.

Nitrum Tartariſatum.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Olei Tartari per deliq. *quantum vis.*

Spiritum Nitri immitte, donec fervere deſinat, & creſcant exinde
Cryſtalli.

Quæ exemtæ, uſui ſerventur.

Nitrum Vitriolatum.

Vid. ſupra
Arcanum Duplicatum.

Nives Mariae.

Vid. infra.
Pulvis Viennenſis Albus Virgineus.

Oculi Cancrorum Citrati.

Parantur, ut conchæ citratæ, atque vid. Diſpenſat. plurima, inprimis Prag.

Effectu diaphoretico, bezoardico & diuretico præcellunt præparatis.

Oculi Cancrorum Præparati.

Diſp. Wirt. Argent. & ſic in reliq.

Lapilli Cancrorum crudi aliquoties aqua fontana abluuntur, & rurſus ſiccati, in pollinem ſubtilem teruntur, atque per linteum trajecti, ſervantur.

Abſorbentes ſunt, diuretici, & in febribus omnis generis locum habent. Præſtantiores tamen & abſorbendi virtute valentiores his ipſis videntur crudi & mediocriter triti.

Dari a ſcrupulo uno ad ſcrupulos duos ſolent.

Oleum Abſinthii Deſtillatum.

Diſp. Arg. Wirt. Brand. Lond. Prag.

℞. Summitatum Abſinthii, cum ſemine maturitati proximo, in umbra ſiccatarum, *libras viginti quinque.*

Inciſæ & conquaſſatæ macerentur per triduum, in

Aquæ fluviatilis, *libris ſeptuaginta quinque.*

additis

Salis communis, *libris tribus.*

Deſtillentur poſtea e veſica, ad tertiam partem repleta, & oleum aquæ innatans ſeparetur. Cui inſignem virtutem anodynam, hypnoticam, & antemeticam tribuit HOFFMANN. *Obſ.* Chym 18. Lib III. p.355. & anthelminticam, BOERHAAV. *Elem. Chem.* T.II. Part.I. Proc XXX. pag. 112. & Commentator in Dodon apud *Simon* PAULLI *Quadripart. Bot.* pag. 237.

Eodem modo parantur olea deſtillata ſequentia.

Oleum Artemiſiæ,
Chamomillæ,
Chærefolii,
Hyſſopi,
Lavendulæ,
de quo vid. infra.
Majoranæ,
(vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* T.III. pag. 765. ex *Hoffmann.*
Meliſſæ,
Menthæ,
Millefolii,
Origani,
Pulegii,
Rorismarini,
Rutæ,
de quo vid. infra.
Sabinæ,
de quo infra.
Salviæ,
Satureiæ,
Serpilli,
Tanaceti,
Thymi,

Oleum Abſinthii per Infuſionem.

Diſp. Pariſ. Wirt. Brand. Prag. & rel.

℞. Olei Olivarum, *libras tres.*
Comarum Abſinthii recentis contuſarum, *uncias viginti tres.*
Roſarum rubrarum, *unciam unam.*

Macerentur per triduum, in loco calido, deinde leni igne coquantur, ad humiditatis conſumtionem, exprimantur, & oleum colatum ſervetur.

In doloribus ventriculi, diarrhœa, & ad lumbricos necandos, abdomini illitum, prodeſt. Vid. SCHULZ. *pag.* 200.

Oleum Abrotani.

Diſp. Vienn. & al.

℞. Summitatum Abrotani, ad Seminis maturitatem accedentium, quantum placet; Incidantur, contundantur, & cum Aqua tepida infundantur; inſpergendo Salis Communis, quantum ſatis: Stent in Olla bene tecta, per aliquot dies, ad Macerationem: Tum deſtillentur per Veſicam, & prodibit oleum, cum Aqua, a qua Oleum ſeparetur.

Oleum Acuſticum.

FULLER. *Pharm. Ext. p.* 269.

℞. Olei Amygdalar. amarar. *drachm. un.*
Nucis Moſchatæ,
Cymini,
Majoranæ,
Petrolei, *ana guttas quatuor.*
Zibethi, *grana duo.*

Miſceantur probe: iisdem uſibus inſervit.

Oleum Acuſticum Ambratum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Millepedum vivorum,
Cœparum, *ana unciam unam.*
Fellis Carpionum recentis,
Herbæ Rutæ recentis,
Majoranæ recent.
Radicis Cyclaminis, *ana unc. ſemis.*
Hellebori albi,
Caſtorei, *ana drachmam unam.*
Styracis, *drachmas duas.*
Croci Auſtriaci, *drachmam ſemis.*
Olei Amygdal. amar. *uncias ſex.*
Coquantur omnia in
Vini generoſi, *libra ſemis.*
Ad conſumtionem humidi: Colat. addantur:
Olei Aniſi,
Anthos, *ana drachm. ſemis.*
Ambræ, *ſcrupuli duo.*
Præparatur etiam ſine Ambra.

In ſurditate, auditus gravitate, & tinnitu conducit: Aurium apoſtemata rumpit, & ulcera manantia curat.

Oleum Acuſticum Wedelii.

Tab. Smaragd. pag. 244.

℞. Olei Amygdalar. amarar.
Nucleor. Perſic. *ana drach. ſemis.*
Aniſi,
Cervi, *ana guttas ſex.*

Miſc. prodeſt in tinnitu, ſibilo & dolore Aurium.

Aliud Ol. Acuſt. vid. ap. Mynſicht. *pag.* 460. *& aliud* Nævii, *in* Tab. Smaragd. *pag.* 247. *Conf. infra* Oleum Nucleorum Perſicorum.

Oleum Aloeticum.

Pharm. Bat. pag. 103.

℞. Aloës hepatica, *libram unam.*
Myrrhæ electæ, *uncias duas.*
Thuris, *unciam ſemis.*

Miſc. ac deſtilla in Arena, leni Igne.

Illitum umbilico, purgat & vermes necat. Conf. ſupra Oleum Habacucinum, *& ibi dicta, item* Oleum contra Vermes, *&c.*

Oleum Aloës Ligni.

De cujus Olei fragrantiſſimi, delicatiſſimi & pretioſiſſimi præparatione difficili, vid. laudatum HOFFMANNUM, *Obſ. Chym.* 4. Lib. I p. 18. ubi & de eximio ejus uſu, ita diſſerit: *Hoc Oleum promtiſſime in Alkohol ſolvitur, & Medicamentum, quod Vires tam egregie reparet, quod languenti Ventriculo, & Viribus proſtratis ſuccurrat, vix ullum ſibi ſimile habet.* Conf. ſupra *Eſſentia Aloës Ligni.*

Oleum Amygdalarum Amararum Expreſſum.

Fit eadem ratione, qua ſequens.

Reſolvit & diſcutit. Contra ſuſurros & tinnitus aurium aliquot guttæ auribus inſtilluntur; vid. GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. III. pag.* 84. *&* BOERHAAV. Hiſt. Pl. *T. II. pag* 681. *umbilico quoque, cum Oleo Abſinthii & foliis Cardiacæ, inunctum, vermes pellere dicitur. Vid.* PAULI Quadrip. Bot. *p.* 237. *interne rarius, vel nunquam præſcribitur.*

***

Oleum

Oleum Amygdalarum Dulcium.

Diſp. Wirt. & in reliquis omnibus.

℞. Amygdalæ non rancidæ, contuſæ, & ſacco incluſæ, prelo calido exprimantur ſucceſſive, donec omne oleum fuerit expreſſum.

Datur interne in pleuritide, nephritide calculoſa, colica ſpaſmodica, ad ſtricturas dolorificas relaxandas; vid. VERNA, *de* Pleurit. *Part. V. Cap.* 7. *pag.* 134. BOERHAAVE Prax. Med. *T. IV. p.* 195. & nos *de* Pleurit. *C. IV. pag.* 55. *partum facilitat, nec non ad dolores poſt partum convenit; conducit etiam recens natis, ad educendum meconium, cum manna; prodeſt in raucedine & tuſſi, &c. Vid. hæc, & plura Ol. Amygdalar. elogia alia, apud* GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. III. pag.* 80. *ſqq.* & BOERHAAVE, Hiſt. Plant. *Tom. II. pag.* 681. & *præſertim* ZORN. Bot. *pag.* 60. *item* SCHULZ. *pag.* 200.

Doſis a drachma una, ad unciam dimidiam; clyſteribus ad unciam unam ſemis, vel duas additur.

Oleum Anagallidis.

Diſp. Wirt. Argent. & in paucis aliis.

℞. Herbæ recentis Anagallidis conquaſſatæ,
Olei Olivarum, *ana partes æquales.*

Coquantur lento igne, ad conſumtionem humiditatis, exprimantur & colentur.

Pro præſentaneo habetur remedio ad puerorum morbos, colicos inprimis dolores, a flatulentia ortos. Vid. Diſp. Prag.

Exterius applicatur illinendo abdomen, vel in clyſteribus. Ceterum conf. ſupra Eſſentia Anagallidis.

Oleum Anethi.

Eodem modo paratur, ut modo deſcriptum Oleum Anagallidis. Vid. *Diſp. Lond. Renod.*

Vires ſunt carminativæ & anodynæ; ad clyſteres præſcribitur, nec non ad tormina infantum, cum unguentis & aliis carminativis. Vid. SCHULZ. *p.* 200.

Oleum Anethi.

Diſp. Wirt. Prag. Brand. Argent. & rel.

℞. Seminis Anethi contuſi, *libr. quat.*
Infuſum
Aquæ fluviatilis, *libris ſedecim.*
ac per triduum, addi:a
Salis, *libra una.*
maceratum, deſtilletur e veſica, & oleum, ut moris, ab aqua ſeparetur.

Eadem encheireſi deſtillantur reliqua olea ex ſeminibus.

Angelicæ,
Aniſi,
Carvi,
Coriandri,
Cumini,
de quo mox.
Foeniculi,
Juniperi e Baccis,
de quo mox.
Lauri e Baccis.

Oleum Animale, ad Modum Dippelii.

In Diſquiſit. de Vita Animalis Morbo & Medicina pag. 89. *ſqq.*

Pharm. Reg. CHARAS, *T. II. p.* 619.

Wirt. Prag. Brand.

℞. Olei deſtillati fœtidi cornu Cervi,

vel alius animalis, *libras quatuor*, vel *quantum libet.*

Affunde

Aquæ tepidæ, *libras ſex.*

Conquaſſa ſimul, tunc ſolvatur in hac aqua ſal ille, qui oleo acrimoniam conciliavit, & quo ſeparato, mitius evadit. Oleum ab aqua per ſeparatorium & per deſtillationem e cucurbita vitrea, calore bullientis aquæ, liberetur, donec nihil aquæ inde amplius elici poſſit. Immittatur deinde retortæ ſatis capaci, & in excipulum magnum, calore moderato, deſtilletur, ſenſim augendo ignem, uſque ad ſupremum gradum, cujus arena capax eſt, donec nihil amplius aſcendat. Rectificatione & deſtillatione ita, ſemper ex nova retorta, ſæpius, exempli gratia, vicies vel tricies repetita, acquiritur oleum, ſpiritus inſtar, tenue, una cum liquore pellucido, quod ſervetur. Vid. CARTHEUSERI *Element. Chym.* Sect. IV. pag. 112. ſqq. & *Pharmacol.* p. 236. & alios Chemicos recentiores.

Penetrantiſſimum eſt, ſi rite paratum ſit, odore & ſapore haud ingratum; anodinum, reſolvens, febrifugum, nervis amiciſſimum, antepilepticum.

Doſis guttæ ſex, ad quindecim, e vehiculo largiore.

Conf. BOERHAAVE *Elem. Chem.* Tom. II. Part. II. Proceſſ. 121. pag. 318. Inprimis vero, de *hoc oleo animali Dippelii* vid. *Diſſertt.* ill. HALLERI, Maucharti, Ludolfi, & Abr. VATERI, quondam noſtri, Diſſ. *de Specificor. antepilepticorum, ſigillatim olei animalis, viribus:* item JUNCKERI *Diſſ.* de *Medicina efficaci in Morbis Spaſmodicis*, & SCHULZII *Præl.* pag. 207. Sed non ſemper ſperatus ſucceſſus, in Epilepſia, præſertim inveterata, expugnanda, ſequutus eſt, ut exempla docent: Vid. HOFFMANNI *Med. Conſult. Latin.* Sect. I. Caſ. 30. p. 156. ſqq. & Sect. IV. Caſ. 155. pag. 624. & alibi. Conf. CARTHEUSER. *Pharmacol.* pag. 236. item *Commerc. Phyſ. Medic. Norimb. An.* 1733. p. 207. & paſſim ibidem.

Ipſe Dippelius e ſanguine cervino, exſiccato, per retortam deſtillavit, & oleum hinc eductum quadrageſies rectificavit.

Breviori & faciliori modo *D. Burghart in arte deſtillatoria* Oleum hoc animale præparare docet, atque Oleum vel C. C. fœtidum vel ſanguinis cervini cum calce viva vel C. C. uſto mixtum ex retorta rectificare, & poſtea addito aquæ fontanæ ſextuplo, aliquoties ex cucurbita humili, vitrea, deſtillare ſuadet.

Oleum Anodynum Refrigerans.

CNOEFFELII, *Tab. Smaragd.* p. 244.

℞ Oleor. Spermatis Ranarum,
Lumbricorum,
ex Succo Cancror. *ana libr. ſemis.*
Medullæ Crurum Boum, *unc. quat.*
His probe mixtis immergantur;
Folia Hyoſcyami,
Solani,
Sempervivi, *ana unc. un. ſemis.*
Flores Nymphææ,
Verbaſci,
Sambuci,
Roſarum, *ana uncias duas.*

Digerantur aliquandiu; poſtea coquantur leniter, & ad humiditatis exhalationem, colentur: poſt exprimantur fortiter. Omnes dolores calidos miti-

gat: In Febribus ardentibus Spina dorſi eo inungenda eſt.

Oleum Antimonii Saccharatum.

Pharm. Bat. pag. 103. *Vid.* LEMERY *Curſ. Chym p.* 305. BEGUIN. *Tyrocin. Chym. p.* 122. *& alios Chymicos.*

℞. Antimonii Crudi pulv.
Sacchari alb. *ana partes æquales.*

Deſtilla ſecundum Artem, ex Retorta, Igne fortiſſimo, ut Oleum proliciatur.

Utile eſt, tum ad externos, tum & internos Morbos, præcipue in quartanis, ante Paroxyſmum. Doſis eſt a guttis tribus, ad guttas ſex. *&c. An hæc undiquaque vera ſint, iſti pronuncient, qui experimentum diligenter olim fecerint.*

Ceterum aliud Oleum Antimonii, ab effectu, qui ipſi tribuitur, febrifugum dictum, quod ex Antimonio crudo & Sale Armoniaco, paratur, deſcriptum habes in *Diſpenſ. Brand.* Conf. DECKERI *Exercitat. Pract.* p. 187. qui eximias plane ipſi Virtutes in febribus diuturnis, præſertim expugnandis, adſcribit: obſervante quoque SCHULZIO, *in Prælect.* p. 212. add. BEGUIN. l. c. pag. 123. Aliud denique Antimonii oleum dulce dictum & cum Oleo Vitrioli, paratum, deſcribit BIERLING. in *Append. Med.* pag. 52. & ex commendatione *Lindleri*, impenſe laudat.

Oleum Apoplecticum.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Olei Cinnamomi, *drachmas ſex.*
Macis,
Nucis Moſchatæ, *ana drach. tres.*
Lavendulæ, *drachm. duas ſemis.*
Caryophyllorum,
Majoranæ, *ana drach m. un. ſemis*
Rutæ, *ſcrupulos duos.*
Succini, *ſcrupulum unum.*
Ligni Rhod. *unciam unam ſemis.*

Miſce, & uſui ſerva, qui eſt apoplecticus, ut ipſum certe Nomen indicat.

Oleum Aranearum Mindereri.

Diſpenſat. Vienn. JUNGKEN. *p.* 733.

℞. Oleor. Nymphææ,
Lumbricor. terreſt. *ana unc. ſex.*
Hyperici, *uncias duas.*
Folior. Rutæ,
Florum Sambuci, ana recentium, *unciam unam.*
Aceti roſacei,
Calendulæ, *ana uncias tres.*
Aranearum craſſarum, *No. quadraginta quinque.*

Decoquatur omnia, ad humidi conſumtionem. Colentur, & exprimantur: In Colatura infund. rurſus.

Araneæ craſſæ, *No. viginti quinque.*
Camphoræ, *drachma ſemis.*

Digerantur, colentur: Oleum ſervetur uſui.

In Febribus malignis, & petechiis, Regio Cordis & Arteriæ, ad Malignitatem evocandam, illinantur.

Equidem ſerio optaverim, ut illæ Araneæ craſſæ quadraginta quinque, & rurſus viginti quinque, in ſubſidium quaſi vocatæ, eheu! formidabilis Aranearum minacium caterva, hæc omnia ſic ex voto, efficere, omneque dirum Venenum Corpore ægro extrahere poſſint. Sed vereor, vereor.

Oleum Arthriticum Arniſæi.

Vid. infra
Spiritus Arthriticus Arniſ.

Oleum Balſamicum.

Pharm. Batean. pag. 103.

℞. Rad. Anchuſæ, *uncias duas.*
Olei olivarum, *libras duas.*
Coque ad colorem rubicundum: Colat. adde:
Terebinth. Cypr. in Aqua Viol. lotæ, *libram ſemis.*
Olei lauri, e baccis,
Hyperici, *ana unciam unam.*
Juniperi,
Petræ, *ana unciam ſemis.*
Rhodii,
Spicæ, *ana drachmas duas.*
Seminis Angelicæ,
Aniſi, *ana drachmam unam.*
Miſceantur ſecundum Artem & ſerventur.

Omnibus affectibus frigidis ſubvenit, flatusque diſſipat. In paralyſi, Surditate, Otalgia &c. multum facit. In ſpaſmo, Colica, Hydrope &c. interne, & externe uſurpatum, præſtans eſt Remedium. Doſis, ſcrupulus eſt unus, ad drachmam unam, in vehiculis commodis.

Oleum Baſilici.

Inter olea rariora & minus cognita, pertinet etiam oleum Baſilici, quod ob penetrantem ſuam fragrantiam, & Virtutem Cephalico-Nervinam, oleo Majoranæ longe eſt ſuperius, licet ob majorem herbæ raritatem, carius. Ita ibidem HOFFMANNUS, *pag.* 19.

* * *

Oleum Betulinum.

ſeu
Birklianum, Balſamum Lithuanicum etiam Dictum.

Diſpenſ. Prag. Brand.

℞. Corticum Betulæ exterior. albor.
Reſinæ albæ, *ana libras duas.*
Conorum pini, *libram unam ſemis.*
Summitatum Abietis,
Pini,
Piceæ,
Herbarum Artemiſiæ,
Serpilli,
Rorismarini ſilveſtris, *ana libram unam.*
Conciſa Miſce, & per Retortam, aut Alembicum ferreum, lege Artis, deſtillentur.

Uſurpatur hoc oleum quandoque etiam interius ad aliquot guttas, in debilitate Ventriculi, Colica, a cauſſa frigida orta, & aliis doloribus ſcorbuticis. Exterius vero, in tinnitu aurium, & Odontalgia adhibetur: Umbilico illitum, Vermes necat, & uteri affectibus medetur. Sed longe plures adhuc Virtutes ipſi tribuit REUSNERUS, Obſervat. *XLII. ubi inter alia, vel ipſam cæcitatem pertinacem eo feliciter curatam fuiſſe, teſtatur; ſimulque faciliorem & ſimpliciorem modum iſtud oleum parandi, docet, quem & proponit* Diſpenſat. Brand. *& ex eo* SCHULZ. *in* Prælect. *pag.* 205. *Vid.* & Annal. Phyſ. Med. Wratislav. *Menſ. Nov. An.* 1725. *Claſſ. IV. pag.* 555. *ſqq. ubi plura, & de præparandi methodo, & de ipſis uſibus variis. Facta quoque hujus olei mentio eſt in* Commercio Phyſ. Med. Norimb. *Ann.* 1731. *pag.* 229. *& alibi.*

* * *

Oleum Bezoardicum

Wedelii. Pharmac. Acroamat.

Lib: II. Sect. 3. Cap. 8. pag. 370.

Diſp. Wirt. Ratisbon. Prag.

℞ Olei Amygdalarum dulcium, *uncias duas.*

Camphoræ, *drachmas duas.*

Solvatur camphora in oleo per digeſtionem, oleum tingatur radicibus Alkannæ, atque cum

Olei de Cedro, *drachma ſemis.*

permiſceatur.

Commendatur ab Autore in febribus malignis & inflammatoriis, & a nonnullis pro ſacra ancora habetur. Unde Nomen: Dr. Wedels letzte Tropfen. *Vid. de hujus olei uſu potiſſimum externo ſalutari,* Matth. Theophil. SCHULZ. *Diſſert. ſub* Præſidio AURIVILLII, Upſaliæ, 1758. *habita, in qua tamen uſum ejus internum non approbat: quem tamen rectius cum aliis multis, laudat Cl.* KLEIN. Select. rat. Med. *p.* 152.

Doſis guttæ quinque, ad decem.

Oleum Benzoes.

Diſpenſat. Prag. Wirt. Brand.

℞. Gummi Benzoës probe triti, quantum placet; e retorta vitrea igne arenæ moderato, deſtilla in vas recipiens, cui aquæ fontanæ aliquot unciæ ſunt immiſſæ; finita deſtillatione, flores & oleum ab aqua ſepara, & ſeorſim ſerva. Vid. LEMERY *Curſ. Chym.* pag. 616.

Additur oleum unguentis & ſuffimentis, ut odorem illis conciliet.

Oleum Bufonum.

Pharm. Bat. pag 104. *Brand.*

℞. Bufones vivos, *quatuor.*

Coquantur iſti in

Olei olivarum, *libris duabus.*

per horam, vel ad crepaturam.

Tum colatum uſui ſerva Oleum.

Confert in puſtulis Labiorum, Cancroque Mammarum. In Hydrope valet ad urinam ciendam, inungendo Renes. Faciant periculum, quibus placet. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 201.

Oleum Buxi & Guajaci.

Diſp. Wirt. Arg. Brand. Vienn. & al.

Eſcobe ligni per retortam deſtillantur; prodit primo phlegma, poſtea ſpiritus acidus, & tandem oleum nigrum craſſum, quod, ab acido ſpiritu ſeparatum & rectificatum, reponitur. Vid. LEMERY *Curſ. Chym.* pag. 485.

Olea empyrevmatica ſeptica ſunt, & non, niſi ad guttas quatuor vel quinque, interne ad gonorrhœam virulentam &c adhiberi poſſunt; externe ad dentium cariem & inde ortos dolores commendantur. Vid. HARTMANNI Prax. Chym. *pag.* 32. *opp. Tom. I. &* BINNINGERI Obſ. Med. 90. *Cent. V. p.* 604, *inprimis* GEOFFROY, *T. III.* Mat. Med. *p.* 237. *ſq. &* BOERHAAVE, Hiſt. Pl. *Tom. I. p.* 76. ZORN. Bot. *p.* 149. *ſqq.* SCHULZ. *pag.* 205.

Oleum Cancrorum.

Diſpenſ. Argent.

℞. Cancrorum fluviatilium contuſorum, *No. decem, vel duodecim.*

Olei Lini recentis, *libram unam ſem.*

Coque in Vaſe bene clauſo, deinde cola & exprime: Colatura poſtea ſervetur ad uſum.

Demulcet, temperat, medetur ambuſtis, dolores quoque mitigat, etiam podagricos.

Oleum Camphoræ Liquidum & Butyraceum.

Diſp Wirt. Arg. Brand. Bat. p. 104. *Vienn.*

℞ Camphoræ, *libram ſemis.*
Boli rubræ, vel terræ argillaceæ ſiccæ, *libras duas.*

Optime permixta e retorta, leniſſimo igne, deſtillentur, ſic prodit, cum phlegmate acidulo, Oleum Camphoræ liquidum, ſubtiliſſimum, & in fine, in collum retortæ ſublimatur oleum, butyri inſtar, quæ ſingula ſeorſim ſervanda. Conatum vero inanem & plane fruſtraneum vocat *Hoffmannus* noſter operam illam non infimæ quidem famæ Chemicorum, Oleum ex Camphora per deſtillationem, proliciendi: quoniam nempe jam per ſe ipſa Camphora nihil ſit aliud, quam oleum volatile tenuiſſimum, ſed coagulatum: Oleum igitur ex oleo elicere, ipſi omnino ridiculum videtur. Vid. *ipſius Obſervat. Chem.* Lib. I. Obſ. 13. pag. 50. ſqq. ubi argumentis haud levibus probat, Camphoram non eſſe Reſinam; ſed oleum ab ipſa natura potius, quam igne chemico quaſi deſtillatum & ſenſim coagulatum. Conf. ſupra dicta, *ad ipſam Camphoram*, & BARNERI *Chymiam Philoſoph.* Tract. III. Cap. 4. pag. 331.

Penetrantiſſimum hoc oleum, quod ſubtiliſſima pars camphoræ eſt, ad defluxiores catarrhales, & dolores dentium, a cauſa frigida ortos, commendatur, atque illos, externe applicatum, quaſi in momento ſedat. Ad condienda inſecta minora etiam adhibetur.

***

Oleum Capparum,

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Lond. ultraject.

℞. Corticis radicum Capparum, *unciam unam.*
Tamariſci,
Cyperi, *ana drachmas duas.*
Ceterach,
Rutæ, *ana drachmam unam.*
Seminis Agni caſti, *drachmas duas.*
Trita &
Vini, *libra ſemis* infuſa, poſt biduum cum
Olei Olivarum, *libra una.*

Coquantur, ad humiditatis conſumtionem, colentur & exprimantur.

Vires ſunt attenuantes & reſolventes; in affectibus lienis potiſſimum commendatur.

Oleum Cardiacum. *ſeu* Cordiale Odoriferum.

TENTZEL. *Exegeſ. Chymiatr. ap.* Ang. SAL. *pag.* 678.

℞. Cinnamomi acuti, *uncias octo.*
Santali albi,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum, *ana unciam unam.*
Corticum Citri minutim inciſor. *unc. quatuor.*
Moſchi, *grana decem.*
Aquæ Roſarum, *libras quatuor.*
Vini Malvatici, *libram unam.*

Infundantur per aliquot dies: deinde deſtill. per veſicam. Oleum ab Aqua per tritorium ſeparetur, & ad uſum cuſtodiatur. *Eſt enim guttatim exhibitum, ſpecificum cordiale præſtantiſſimum, &, ſi Sacchari admixtione, in pulverem vertas, Diaromaticum eſſentiale jucundiſſimum. Conf. ſupra* Liquor Cardiacus, & *infra* Spiritus Cardiacus.

Oleum Cardui Benedicti Compoſitum.

Diſpenſ. Prag.

℞. Herbæ & Radicis Valerianæ recentis,
Cardui Benedicti recentis,
Numulariæ, recent.
Betonicæ, recent.
Summitat. Hyperici, cum Floribus,
ana manipul. duos.

Inciſa infundantur in ſufficienti quantitate Vini albi, per novem dies: deinde his omnibus adde:

Tritici puri, *manipulum unum.*

Coquantur ſimul lento igne, continuo ſpatula agitando, ne ſpecies aduruntur, donec Vinum evaporet. Poſtea affundantur

Olei opt. recent. *libræ duæ.*

Coquantur denuo lente, donec oleum omni qualitate fuerit ſaturatum, quod expreſſum, iterum coquatur cum

Therebinthinæ, *unciis duabus,*

Continuo agitando, donec ſimul ſoluta & unita ſint: Tandem adde

Olibani pulveriſati, *unciam un. ſemis.*

Miſce, & ab igne repone. Oleum hoc frigefactum in vitro ſervetur uſui.

Paſſim Balſamus vulnerarius viridis audit: cujus virtutes ſummæ integro Libello celebratæ ſunt. Externe adhibetur ad Contuſiones & obſtructiones reſolvendas: Interne vero ad pulmonum, aliorumque Viſcerum exulcerationes perſanandas. Sed alium Balſ. vuln. viride vid. in Diſp. Vienn. *& aliud in* Argent.

Oleum Carfunculi.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Olei Anthos,
Lavendulæ,
Majoranæ,
Salviæ, *ana drachmas duas.*
Menthæ, *ſcrupulos quatuor.*
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Cubebarum,
Galangæ,
Juniperi, e Baccis
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Zingiberis, *ana ſcrupul duos.*

Miſce omnia & uſui ſerva.

Qui eſt Cardiacus, analepticus, cephalicus, ſtomachicus, Carminativus, hyſtericus, & quis non? Omnia enim pretioſa & præſtantia Olea hic in unum ſunt collecta quaſi & coacta, ut parvum fere, ut ſic loquar, Myropolium conficiant. Noluimus tamen illud hic omittere, inprimis, quum ſolum, quantum equidem memini, Diſpenſat. Hamb. illud exhibeat. Cur vero dictum ſit oleum Carfunculi, alii diſquirant, quibus plus eſt otii.

Oleum Carminativum.

Diſp. Wirt. in reliq. deſideratur. Simile tamen exhibet JUNGKEN. Corp. Pharm. *p. 739. mireque ibi laudat.*

℞. Herbarum recent. Anethi,
Menthæ,
Abſinthii,
Pulegii,
Florum Chamomillæ vulgaris,
ana uncias quatuor.

Inciſa & contuſa coquantur in Olei Olivarum, *libris duabus*, ad humiditatis conſumtionem, exprimantur & colentur. Oleo adde

Olei laurini expreſſi, *uncias tres.*

Serventur.

Virtutes nomen indicat, egregium enim eſt carminativum, quo puerorum

tenellorum abdomen inungitur, tormina flatulenta mitigat.

Oleum Carminativum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Olei deſtillati Seminis Cumini, *unciam unam.*
Fœniculi,
Aniſi,
Carvi, *ana drachm. duas.*
Anethi,
Corticum Aurantiorum,
Chamæmeli, *ana drachm. unam.*
Miſceantur, & uſui ſerventur.

Hyſtericas, melancholicas & hypochondriacas paſſiones tollit, flatus diſcutit, dolores quoque Ventriculi & Inteſtinorum ſedat. Aliud autem Ol. Carminat. per Infuſ. & expreſſ. paratum, ex JUNGKEN. Corp. Pharm. *exhibet* Diſpenſat. Ratisbon.

Oleum Caſtorei Simplex.

Diſp. Argent. Prag.

℞. Caſtor. ping. & mollis, *unc. unam.*
Olei Olivar. Vet. *libram unam.*
Vini generoſi albi, *unc. tres.*

Bulliant ad Conſumtionem Vini, deinde reponantur ad uſum.

In Convulſionibus, affectibus paralyticis, ut & uterinis, prædicatur.

Oleum Caſtorei Compoſitum.

Diſp. Brand. Wirt. Lond. Hamb. Ratisbon. Vienn. Lond. ultraject.

℞. Caſtorei, *drachmas duas.*
Cyperi,
Pyrethri,
Sabinæ,
Schœnanthi, *ana drachm. duas ſemis.*
Spicæ Indicæ,
Caſſiæ ligneæ veræ,
Coſti,
Cubebarum,
Croci, *ana drachmas duas.*
Piperis longi,
nigri, *ana drachmas duas ſemis.*
Vini albi generoſi, *libram ſemis.*
Olei Olivarum puriſſimi, *libram unam ſemis.*

Omnia in pulverem redacta & vino irrigata, oleo ſuperfuſo digerantur, in vaſe bene clauſo, igne arenæ, per plures dies, ad omnis humiditatis conſumtionem; exprimantur & reponantur.

Commendatur ad nervorum affectus, prodeſt membris paralyticis & tabidis, nec non ad uteri affectus. Vid. SCHULZ. *pag.* 201. CARTHEUSER. Pharmacol. *pag.* 256. & BRUNNER. Conſil. Med. 21. *pag.* 142. *ubi multum ipſi virtutis tribuit in puerorum Epilepſia. Vid. &* Angel. SALAE *Tract II. de* Error. Galeniſt. *p.* 62. *ubi plenior hujus Olei deſcriptio habetur, quæ* Jacobo *de* Manliis *adſcribitur.*

Oleum Catellorum.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Catellos recens natos, *No. tres.*
Conjice illos in
Olei olivarum ferventis, *libras tres.*

Coquantur ad oſſium compaginis diſſolutionem. Fiat Colatura & Expreſſio: Colato calenti adhuc adde:
Summitatum Origani,
Serpilli,
Pulegii,
Hyperici,
Majoranæ, *ana uncias duas.*

Inſolentur per dies quindecim: Cola & ſerva.

Membra contracta ſanat, iſchiadicos

cos & arthriticos dolores compeſcit. Utinam hæc vera ſint. Interim væ miſellis iſtis Catellis, non in hoc quidem crudele fatum & dirum vivicomburium natis. Forte eandem Virtutem paregoricam & anodynam præſtaret oleum iſtud generoſis herbarum balſamicarum Viribus imbutum, tametſi Vitæ Catellorum vix inchoata parceretur. Ceterum petita hæc dicitur compoſitio e Diſpenſatorio Londinenſi: *ibi vero ſic potius ea exhibetur.*

Oleum Catellorum.

e Diſpenſ. Lond.

℞. Olei Olivarum, *libras quatuor.*
Catellos nuper natos, *No. duos.*
Vermium terreſtrium vino albo ablutorum, *libram unam.*

Coctis Catellis, ad oſſium Compaginem diſſolutam, injiciantur Vermes, & paullo poſt exprimantur: deinde vero cum
Terebinthinæ Cypriæ, *unciis tribus.*
Spiritus Vini, *uncia una.*

Perficiatur Oleum ſecundum artem.

Utraque certe Compoſitio bona eſt & fructu haud caritura, in mitigandis doloribus; modo ab utraque abſit fœdum iſtud Canicidium, ut jam dixi, quod quem ſingularem hic uſum præſtare poſſit, equidem haud ſatis perſpicio. Idem vero ſtatuendum, me quidem judice, de Oleo Vulpino, *cujus in ſqq. deſcriptio habetur. Niſi forte tam ſævo exitio dignior videatur vulpes, ob mille fraudes, fera latrocinia & cruentas gallinarum & avicularum cædes. Sed hæc obiter per jocum, ſi nempe liceat.*

***

Oleum Caryophyllorum Aromaticorum.

Diſp. Arg. Wirt. Brand. & rel. vid. Chemicos.

℞. Caryophyllorum, *libras duas.*
Tritis affunde
Aquæ pluviæ, *libras ſedecim.*
adde
Salis communis, *uncias quatuor.*

Stent per quinque vel ſex dies in loco calido, poſtea deſtilla e veſica, ſic prodit una cum aqua oleum Caryophyllorum albiſſimum, omnis coloris expers, quod fundum petit. Vid. HOFFMANN. *Obſ. Chym.* 3. L. I. pag. 16. 17.

Pari modo parantur

Oleum Cinnamomi,

de quo vid. infra.

Cardamomi,

de quo vid. BOERHAAVE, *Hiſt. Plant.* Tom. II. pag. 598.

Macis,
Nucis Moſchatæ,
Piperis,
Siree.

de quo pretioſiſſimo & fragrantiſſimo Oleo exotico vid. LOCHNERI *Epiſt. de Novis & Exoticis Thée & Café ſuccedaneis*, pag. 13. ſq.

Oleum Ceræ.

Diſpenſ. Wirt. ex BOERHAAVE *Elem. Chem. T. II. Part. I. Proc.* 36. *p.* 134. *ſqq. Diſp. Pariſ. Argent. Vienn. Ultraject.*

℞. Ceræ flavæ odoratiſſimæ, *libr. unam.*

Scindatur in fragmenta tam parva, ut retortæ orificio commode poſſint immitti, eaque repleri ad dimidium. Tum infundatur arenæ puriſſimæ tantum, quantum capit venter retortæ; calefiat tum lente retorta, donec cera liqueſcens arenam ſibi permiſcuerit, & imbiberit ſatis; imponatur furno arenæ, inſtituatur, applicato excipulo, deſtillatio: Adhibito primo leni ignis gradu prodire ſolet aqua acidula, fœtens, pauca, una cum ſpiritu; calore deinde aucto, aſcendet ſenſim oleum tenue, dum deſtillat, in excipulo, inſtar butyri, concreſcens; hoc, ubi ultra prodire negat, major adhibendus eſt ignis, & quidem fortis ſuppreſſionis, cujus ope aſcendet mox tota maſſa ceræ in excipulum, ſub forma butyri. Butyrum hoc ceræ, ſine ulla additione, ex retorta, leniſſimo ignis gradu, iterum deſtillari & rectificari debet, oleumque liquidum tenue & butyroſum ſeorſim excipi.

Sunt, qui hoc tenue ceræ oleum etiam interne adhibent; eſt enim diureticum valde penetrans, ad guttas tres vel ſex *datum; propter nimiam vero acrimoniam, cautius eo utendum eſſe cenſemus. Externus vero ejus uſus eo frequentior eſſe ſolet, & remedium præbet vix ulli alteri comparandum, ad mala papillarum nervoſarum, quæ in cute extrema denudata ſunt, ad fiſſuras labiorum & papillarum in lactantibus, digitorum & manuum rhagades, ad tumores atque perniones a frigore inductos, & tendines contractos, quin adſtrictæ alvo lubricitatem conciliare, in infantum morbis, abdomini illitum, quidam volunt. Vid. inprimis* BOERHAAVE Elem. Chem. *Part. II. Proc.* 37. *pag.* 137. *& ex eo* SCHULZ. Præl. *p.* 206. & CARTHEUS. Pharm. *pag.* 242.

Oleum Chamomillæ.

Paratur ex floribus eodem modo, quo Oleum Anagallidis.

Carminativum eſt & anodynum, ventris torminibus ſuccurrit, nec non in febribus intermittentibus ſpina dorſi illo inungitur; ad colicos dolores clyſteribus additur. Vid. GEOFFROY, Mat. Med. *T. III. pag.* 303. *ſqq.* & Sim. PAULLI Quad. Bot. *p.* 254. *item* BOERHAAVE, Hiſt. Plant. *Tom. I. p.* 164. & SCHULZ. *pag.* 202.

Oleum Cheiri.

Diſp. Wirt. Argent. ultraject. Amſtel. & rel.

℞. Florum Cheiri,
Olei Olivarum, *ana libram unam.*

Coquantur, poſt macerationem aliquot dierum, ad conſumtionem humiditatis; expreſſum & colatum oleum ſervetur.

Uſus, uti reliquorum oleorum per infuſionem paratorum, eſt externus; virtute gaudet anodyna & reſolvente, præſertim ad uteri affectus, ubi ad menſes & fœtum mortuum pellendum, ad lochia retenta & dolores poſt partum commendatur. Vid. SCHULZ. *p.* 202.

Oleum Cinnamomi.

Illius parandi modum docet exacte BOERHAAV. *Elem. Chem.* T. II. P. I. Proc. XXIX. p. 104. ſeqq. deinde Proc. XXX. p. 112. ſic de miro ipſius uſu, pronunciat: *At Oleo Cinnamomi ſuppar videre nec dum contigit, quotiescunque collapſæ Gravidarum, parturientium, puerperarum, vires, absque inflammatione, absque ruptis, hactenusque hiulcis vaſis.*

Oleum Cochleariæ.

De hujus penetrantiſſimi & fragrantiſſimi Olei laborioſa præparatione, vid. HOFFMANNI *Obſ. Chym.* 4. Lib. I. pag. 18. Cujus Virtus antiſcorbutica & anticachectica prorſus inſignis.

Oleum Colocynthidis.

Diſp. Wirt. Arg. Ratisb. Vienn.

℞. Olei Abſinthii, per infuſionem parati,
Rutæ,
Fellis bubuli, *ana libram ſemis.*
Fructus Colocynthidis,
Radicis Hellebori nigri, *ana. dr. un.*
Colocynthis & Helleborus niger cum
Aquæ fontanæ *unciis duabus*, in mortario, ad pultis formam contundantur, atque, oleis & felli additis, ad conſumtionem humiditatis, leni igne, coquantur, exprimantur, & oleum per linteum colatum ſervetur.

Anthelminticum eſt, & alvum ſolvit, abdomini illitum. Idem Ventri exterius illita præſtant, Emplaſtrum purgans, *& illud* contra Vermes *dictum, de quibus ſupra, ſuis locis, &* Unguentum de Arthanita, *de quo infra, ſuo loco: & folia cardiacæ Oleo Abſinthii & Amygdalarum amararum incocta, & umbilico impoſita. Vid.* PAULLI Quadripart. Bot, *pag.* 237. *eundem vero effectum de felle ovillo, infantum umbilico illito, prædicat* Wilhelm ten RHYNE, Meditat. *ad* Hippocr. *p.* 107. *Sed forte quodvis fel illud præſtiterit, inprimis fel Tauri. Conf. ſupra* Extractum umbilicale purgans.

* * *

Oleum Cordiale Brunneri.

Conſil. Med. LXV. pag. 371.

℞. Oleorum Benzoini, *drachm. ſemis.*
Cinnamomi,
Lavendulæ, *ana guttas tres.*
Succini albi, *ſrupulum ſemis.*
Croci, *guttas tres.*
Roſarum, per infuſionem facti, *unciam ſemis.*

Miſceantur probe, & ad uſum ſervetur Mixtum.

Qui dicitur eſſe aphrodiſiacus & ad Venerem dormientem excitandam idoneus. Magnam cui virtutem in impotentia virili & venere torpente, tribuit Auctor. Experiantur, qui indigent ejusmodi adminiculis: feliciores tamen & præſtantiores, qui haud opus habent, ut ad opus, talia remedia entatica in flebile ſolatium, implorent. Unum tamen oleum arcanum adhuc his deeſſe videtur. Conf. infra, Unguentum cordiale.

Oleum Cornu Cervi.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand.

℞. Cornuum Cervi fruſtillatim conciſorum, *quantum placet.*

Immitte retortæ lutatæ, aut cucurbitæ ferreæ, alembico terreo vitreato munitæ, ac igne aperto, gradatim, ad ignitionem usque retortæ, aut cucurbitæ, adminiſtrato, omnes, cum phlegmate, ſale volatili ac oleo, ſpiritus evoca, quæ omnia ab invicem ſepara, & ſeorſim ſerva.

Raro interne adhiberi ſolet, ſed oleum animale Dippelii inde parari poteſt. Vid, SCHULZ. Prælect. *pag.* 207.

* * *

Oleum Corticum Aurantiorum.

Diſp. Prag. Wirt. Argent.

℞. Corticum recentium Aurantiorum, *quantum placet.*

Inciſi, cum ſufficienti aqua fontana, absque maceratione, e veſica deſtillentur, ac oleum, ut in reliquis, aquæ innatans, lege artis ſeparetur. De alio *Cort. Aurant. Oleo*, per Expreſſionem ſolam parando, vid HOFFMANN. *Obſ. Chym.* IV. Lib. I. pag. 20.

Oleum Corticum Citri.

Eadem methodo paratur qua præcedens.

Oleum Corylinum, Heraclinum, vel Heracleum, alias Dictum.

Pharm. Batean. pag. 104. *& alibi.*

℞. Ligni Coryli, Menſ. Septembr. aut Mart. collecti, & in taleolas ſecti, *quantum vis*, & gradatim per Retortam, in Arena deſtilla. Oleum ab Aqua ſeparetur, ſecundum Artem, & ſervetur.

Calefacit, incidit: Anodynum eſt, antepilepticum, ac præcipue Odontalgicum. Guttæ duæ, tres vel quatuor, *& ultra aſſumtæ, cum mica panis, Lumbricos in inſtanti necant, & per ſeceſſum educunt.*

Sed longe plures Virtutes, præter has ipſas, huic oleo tribuit ſive inventor, ut creditur, ſive præcipuus Commendator, Rulandus, *qui illud potiſſimum inter ſecreta ſua, habuit, & quæſtum inde uberrimum fecit; vid.* Mart. RULANDI Curat. empir. *ejusque* Secreta Spagyr. cum Schol. ab Hagendorn. edit. *Cap.* 22. *item* Fabric. HILDANI Obſ. Chirurg. 84. *Cent. III. pag.* 356. *& qui hos, una cum aliis laudat*, ZORN. in Botanolog. *pag.* 232. *ubi plura de Herculeis propemodum hujus Olei Heraclini Virtutibus, elogia habentur; quibus add.* GEOFFROY; Mat. Med. *Tom. III. pag.* 366. *& præſertim*, Henr. ab HEER Obſ. Med. *XVIII. pag.* 233. *item* BOERHAAVE, Hiſt. Plant. *pag* 76. *ubi tamen, quod verecunde notamus, errore multis auctoribus recepto, Oleum Heracleum pro Oleo Buxi, habet. Quam tamen litem ita dirimit eximius ille* BARNERUS, *in* Chymia Philoſoph. *Tract. III. C.* 4. *p.* 332.

Diſputatur inter Auctores, qualenam fuerit illud Oleum Rulandi Heraclinum: Sed ex Manuſcriptis ejus mihi patet, eſſe Corylinum, non Buxi, ut volunt alii.

Oleum Coſtinum Mel.

Diſp. Wirt. Prag. Brand. & rel.

℞. Coſti amari, ſive corticis Winterani, *uncias duas.*
Majoranæ floreſcentis, *uncias octo.*
Contuſis ſuperfunde
Olei Olivarum clari, albi, recentis, *libram unam ſemis.*
Vini albi, *uncias duas.*

Digerantur in vaſe clauſo, ad humiditatis conſumtionem, exprimantur & percolentur.

Nervinum eſt, & ad paralyticam relaxationem emendandam commendatur. Vid. SCHULZ. *pag.* 202.

Oleum Cremoris.

Pharm. Batean. p. 104.

℞. Corticis intern. Viridis recent. *manip. tres.*
Cremoris Lactis optimi, *libras duas.*
Coquantur bene; donec in oleum

effluat Cremor. Fiat Expreſſio, cui deinde adde

Corticum recentium alior. Sambuci, *manip. quatuor.*

Coq. iterum, ad Corticum ſiccitatem: Fiat expreſſio.

In Hæmorrhoidibus, Ambuſtionibus, Eryſipelate &c. optatiſſimum eſt Remedium. Conf. inf. Unguenta Hæmorrhoidalia.

Oleum Cumini Nigri.

Conficitur, inquit ibidem HOFFMANNUS, pag. 20. *Oleum non adeo vulgare, ex Cumini nigri Semine; ſed profecto, ſi ullum aliud, certe hoc Carminativum eſt.*

Oleum Exceſtrenſe.

Operoſa ejus atque diffuſa Compoſitio habetur in *Diſpenſat. Lond.* unde petat, qui velit & uſum noſcere aveat.

Oleum Euphorbii.

Diſp. Arg. Wirt. Norimb. Brand. Lond. Hamb.

℞. Euphorbii triti, *unciam ſemis.*
Olei Cheiri, *uncias quinque.*
Coque, additis
Vini, *unciis duabus,*
ad humiditatis conſumtionem. Oleum coletur, ac ſervetur.

Commendatur ad affectus nervorum, ſic dictos, frigidos; paralyticis & atrophicis membris conducit. Ceterum notum quoque eſt Oleum Euphorbii deſtillatum. Vid. Diſp.

Oleum Euphorbii Compoſitum.

Diſpenſ. Lond.

℞. Staphidis apiæ,
Saponariæ, *ana unciam ſemis.*
Pyrethri, *drachmas ſex.*
Calaminthæ montanæ ſiccæ, *unc. unam ſemis.*
Coſti, *drachmas decem.*
Caſtorei, *drachmas quinque.*

Trita, triduoque macerata, in Vini odori, *libris tribus ſemis.*

Coque deinde ſenſim, cum
Olei Leucoii lutei, *libra una ſemis.*

Additaque, ante abſumtum omnino Vinum,
Euphorbii, *uncia ſemis.*

Percoque ſecundum artem, & uſui ſerva.

Vires ſunt eædem, ac præcedentis Compoſitionis ſimplicioris, ſed adhuc valentiores & fortiores.

Oleum Florum Slotani.

ex Hildano.

Diſp. Wirt. JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 740.

℞. Olei Olivarum, *libras ſex.*
Catulorum juniorum, *numero duos.*
Ranarum viventium, *num. duodecim.*
Lumbricorum terreſtrium viventium, *uncias quatuor.*
Aquæ fontanæ, *libras tres.*

Coquantur lento igne, donec caro catulorum ab oſſibus ſecedat, & fere omnis humiditas conſumta ſit. Coletur oleum, & addantur
Axungiæ Hominis,
Muris alpini,
Olei Amygdalarum dulcium,
Scorpionum, *ana unciæ ſex.*
Florum recent. Primulæ veris,
Tuſſilaginis,
Betonicæ,
Geniſtæ,
Chamomillæ romanæ,
Violarum,

Liliorum convallium,
Lavendulæ,
Sambuci,
Anethi,
Salviæ,
Cheiri,
Rutæ,
Serpilli,
Anthos,
Centaurii minoris,
Veronicæ,
Origani,
Tanaceti,
Liguſtri,
Agrimoniæ,
Pulegii,
Meliloti,
Verbaſci,
Abſinthii vulgaris,
Roſarum, *ana uncia ſemis.*
Hyperici, *libræ quatuor.*

Macerentur & digerantur calore balnei, poſtea oleum exprimatur, coletur & ſervetur.

Habetur pro anodyno, nervino, vulnerario, antiſpaſmodico & antinephritico.

Nota: Flores ſeligi, & a calicibus atque foliis, quantum licet, ſeparari debent; alias oleum, quod rubrum eſſe debet, vireſcit.

Oleum Florum Verbaſci.

Diſp. Argent. Wirt. JUNGK. *C. Ph. pag.* 736. *& al.*

℞. Florum Verbaſci, *libras duas.*
Olei Olivarum recentis, *libras tres.*

Macera & digere per dies octo, aut plures, deinde coque, & exprime ad futurum uſum.

Contra podagricos & alios ſævos dolores, præſertim etiam hæmorrhoidales, mirum in modum commendatur. *Vid.* SCHULZII Prælect. *p.* 221. *Conf. infra,* Unguentum Verbaſci.

Ceterum ſic eadem ratione parantur multa alia Olea, ex Floribus Chamæmeli, Meliloti, Violarum, Lilior. alb. Nymphææ, Sambuci, Geniſtæ, aliarumque plantarum, de quibus paſſim infra, in progreſſu Operis. *Vid.* Diſp. Amſtel. Pariſ. *& reliqua Diſpenſatoria fere omnia.*

Oleum Formicarum.

Diſp. Hamb. Wirt. Ratisbon. & reliq.

℞. Formicarum, *uncias quatuor.*
Olei, *libram unam.*

Macerentur leni calore diebus viginti, poſtea colatum oleum reponatur.

Laudatur ad partes genitales roborandas, & membra paralytica confortanda.

Oleum ex Fructu Cacao.

ſeu Butyrum Cacao.

Diſpenſ. Wirt. Paris.

Vid. BOERHAAVE, Elem. Chem. *T. II. p.* 88. *&* GEOFFROY, Mat. Med. *T. II. p.* 412.

℞. Fructuum Cacao, *libram unam.*

Leviter in ſartagine torrefactos & a cortice mundatos, vel ſuper lapidem calefactum tere, vel in mortario calido contunde; contuſos in
Aquæ communis, *libris octo,*
bullire permitte, donec oleum ſupernatet, quod concretum ex aqua refrigerata colliges.

Sebi juſto magis cocti colorem & conſiſtentiam habet, qui autem, ablutione ſæpius repetita per aquam calidam, albicans redditur.

Habetur etiam alius parandi mo-

dus, per toſtionem nucleorum lenem, & dehinc expreſſionem; quale vero butyrum coloris eſt magis fuſci, ſed virium æqualium, ſi non ſuperiorum. De utroque modo Oleum Cacao parandi, vid. *experimenta* HOMBERGII, *apud. Dn.* HAMEL. *in Hiſt. Reg. Scient. Acad.* Lib. IV. Cap. 2. pag. 365. ubi & tertium addit modum, nempe per deſtillationem. Conf. KLEIN. *Select. Rat. Medic.* pag. 53.

Recens paratum præbet medicamentum pectorale, antipleuriticum, antinephriticum & antiſpaſmodicum egregium, guſtu gratiſſimum, & oleo Amygdalarum ſubſtitui, quin præferri poteſt. Vid. plura de his, in Diſſert. Singulari, de Butyro Cacao, novo ac commendatiſſimo Medicamento, a Theoph. HOFFMANNO, *ſub* Præſid. *Cl.* MAUCHARTI, Tubingæ, 1735. *habita, electu perquam digna. Sed vid.* Commerc. literar. & med. Norimb. *Ann.* 1737. *pag.* 82. *ſqq.*

A drachma una, ad duas, vel tres, *cum potu calido lactis, juſculi, Theæ vel Coffée, ſumitur; externe ad fiſſuras labiorum & mammarum, non ſine fructu, adhibetur.*

Oleum Galbani.

Diſp. Brand. Wirt. LEMORT. *Chym. Med. Phyſ. pag.* 85.

℞. Gummi Galbani electi, *libr. unam.*
Arenæ lotæ, *libram unam ſemis.*

Deſtillentur igne arenæ, per retortam vitream, liquor albus, qui cum oleo prodit, ſeparetur, atque oleum rectificetur.

Laudatur præcipue in doloribus colicis, hyſtericis & ſpaſmodicis, umbilico illitum. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 208.

Eodem modo parantur

Oleum Ammoniaci, Maſtiches, Myrrhæ, Tacamahacæ.

NB. Myrrha etiam oleum ſuaviſſimum, ſed exigua quantitate, deſtillatione cum aqua fontana inſtituta, reddit: quod primus obſervavit & docuit HOFFMANN. Obſ. Chym. 5. *Lib. I. p.* 21. *ſqq. ubi & de præſtantiſſimis ipſius virtutibus, in Chronicis præſertim pectoris Vitiis, diſerte tractat. Conf. Cl.* CARTHEUSERI Fundam. Mat. Med. *Part. II. Sect.* 12. *Cap.* 28. *pag.* 230. & Diſſert. de Eximia Myrrhæ Virtute. *Conf. ſupra* Olea Myrrhæ, *per deliquium, & compoſitum.*

Oleum Galbanetum Paracelſi.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Gummi Galbani, *libram unam,*
Olei Terebinthinæ, claræ, *libr. tres.*

Miſceantur, digerantur, & deſtillentur per Retortam: poſtea deſtillato addatur:

Olei Lavendulæ deſtillati, *uncia una.*

Cephalicum eſt, & antinephriticum; contracturis quoque medetur, ut traditur.

Oleum Galbanetum Paracelſi ad Colicam.

Tab. Smaragd. pag. 247.

℞. Gummi Elemi,
Hederæ,
Galbani, *ana partes æquales.*

Deſtillentur, in Arena, per Retortam: Servetur ſeorſim, primum Aqua: deinde Oleum clarum: Tertio

Oleum craſſum, inſtar Mellis, quo inprimis utendum, ac totus Ventriculus illinendus.

Oleum Gonzagianum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Florum Sulphuris, *uncias tres.*
Myrrhæ rubræ,
Mumiæ Veræ, *ana unciam unam.*
Axungiæ Serpentum, *unc. un. ſemis:*
Indantur Vaſi Vitreo, & affundatur
Oleum Terebinth. ad 3. *digit.* eminent addendo
Olei Benzoës deſtillati, *drach. duas.*
Stent per Octiduum, in Digeſtione: dein forti Expreſſione coletur, & ſervetur oleum.

In Contuſionibus, iisque affectibus, ubi ſanguis extravaſatus ſtagnationem effecit, reſolvit, digerit, & ad Circulationem reducit.

Unde vero magnificum Gonzagianum Nomen? Forte ab uno ex illuſtriſſima Gonzagarum familia, qui aut invenerit, aut primus, cum ſingulari effectu, expertus fuerit hoc ipſum Oleum reſolvens ac diſſipans.

Oleum ad Guttam Roſaceam Dan. Sennerti.

℞. Tartari albiſſimi,
Aluminis,
Nitri, *ana partes quatuor.*
Sulphuris, *part. unam.*
Contrita calcinentur, & in Cella per deliquium, inde fiat Oleum.

Proprie quidem ad Olea haud pertinet: quoniam tamen ſic libuit inſcribere magno Auctori, æterno noſtræ Academiæ Witteb. Ornamento; ideo & huic compoſitioni locum inter olea aſſignare haud dubitavimus, inprimis, quum Oleum Tartari per deliquium item & Oleum Myrrhæ per deliquium ſatis jam notum ſit. Ceterum non negamus quidem, ad fœdam iſtam Guttam roſaceam emundandam, multum valere poſſe hoc ipſum oleum, ſive Liquorem; addita tamen neceſſaria cautione, ne prius adhibeatur, quam præparatum & perpurgatum fuerit per idonea remedia interna, ipſum corpus impuris ſordibus oppletum, ob metuenda ſcilicet atrociora mala, partim a nobis jam enarrata in Diſſ. *de* Veritate Paradoxi Hippocrat. *p.* 10. *Hæc obiter.*

Oleum Habacucinum.

Diſpenſ. Vienn. Prag.

℞. Herbæ Abſinthii recentis,
Tamariſci,
Scolopendrii, *ana uncias duas.*
Radicis Dictamni albi,
Gentianæ, *ana uncias tres.*
Amygdalarum amararum,
Nucleorum Perſicorum, *ana unciam unam ſemis.*
Seminis Cynæ,
Herbæ Corallinæ, *ana uncias quatuor ſemis.*
Colocynthidos,
Corticum Aurantiorum,
Citri, *ana unciam unam.*
Succi Abſinthii,
Citri,
Aceti fortis, *ana unc. quatuor ſemis*
Inciſa Miſceantur, & macerentur per aliquot dies: dein adde
Olei Olivarum, *libras quinque.*
Fellis taurini, *No. tria.*
Bulliant ad Conſumtionem humiditatis: dein admiſceantur
Picis navalis, *libra ſemis.*
Aloës Soccotorinæ, *unciæ duæ.*
Theriacæ Andromachi, *dr. decem.*

Olei

Olei Spicæ, *uncia una ſemis.*

Petræ, *unciæ quatuor.*

His bene ſolutis, & digeſtis, coletur Oleum.

Hoc Oleo inunƈta regione umbilicali, alvus redditur lubrica, & Vermes ſimul necantur & expelluntur. Idem ergo hæc operoſa Compoſitio præſtat, ac Oleum Colocynthidis, *modo deſcriptum, item* Emplaſtra purgans, & contra Vermes, *ut &* Unguentum *de* Arthanita *ſatis notum de quibus infra ſuo loco dicemus, adjeƈtis ſimul neceſſariis monitis ac cautionibus: partim quoque jam ſupra diximus. Cur vero Auƈtor, ſeu Inventor* Loew, *Medicus & Profeſſor Pragenſis, ut perhibetur in* Diſpenſat. Prag. *mirabile & inſolitum, licet ſacrum,* Olei Habacucini *Nomen huic ſuæ compoſitioni impoſuerit; id quidem nos prorſus ignorare fatemur, atque hinc magis miramur, quam imitamur, aut approbamus. Quantum enim & nobis ipſis, & omnibus aliis S. Codicis Leƈtoribus conſtat, S. Propheta Habacucus nec tale Oleum anthelminticum ipſe invenit, nec ab aliis inventum, unquam commendavit, aut in uſum deduxit. Si vero forſan de alio Habacuco hujus Olei peregrinum Nomen ſit derivatum; quis quæſo tandem iſte fuerit? quum inter Medicos quidem nemo mihi occurrat, qui ſic appellatus ſit. Sed res ridicula mihi potius videtur, quam ſeria, atque inde nequaquam digna, cui diutius immoremur. Sat eſt.*

Oleum Hepaticum Rubrum.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Herbæ Hepaticae nobilis,
Matriſylvæ,
Euphraſiæ paluſtr. Cæruleæ,
Florum papaveris errat *ana unc. ſemis.*
Roſarum rubrarum, *unciam unam.*

Herbis his ſine ſtipitibus, addantur,

Radicis Anchuſæ inciſ. & vino irroratæ, *unciæ duæ ſemis.*

Infundantur deinde hæc omnia in Olei Olivarum, *libra una ſemis.*

Dein iſtis addatur,

Santali rubri pulveriſati, prius per noƈtem, in Aceto vini infuſi, *uncia una ſemis.*

Fricentur in Sartagine, ſuper ignem, & coquantur: fiatque Expreſſio per Linteum.

Inflammationem Hepatis, mediante Inunƈtione, potenter minuit. Sed ſat, credo, erit, ſi mediocriter illud præſtiterit.

Oleum Heraclinum.

Vid. ſupra

Oleum Corylinum.

Oleum ad Hernias.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Lacertarum vivarum, *No. quadraginta.*
Lumbricorum Terreſt. recent. *libram unam.*
Aſellorum recentium, *uncias tres.*
Florum Chamæmeli,
Sambuci, *ana unciam unam.*

Coquantur ad Conſumtionem Humidi, cum

Axungiæ Urſi, *libris duabus.*

Exprimantur fortiter: deinde addantur,

Olei Ovorum, *unciæ tres.*

Et poſtea ſervetur uſui: ſi quis ſperandus.

Haud ſatis enim perſpicio, ut ingenue fatear, quamnam potiſſimum virtutem habeant tot lacertæ, Lumbrici &

Aſelli, terribiles licet & tetræ aſpectu beſtiæ, ad Hernias curandas, & inteſtina ſede ſua ſemel elapſa, apte firmiterque reponenda: dicant ergo peritiores. Ego quidem ἐπέχω. Conf. infra Oleum Hyperici ad Herniam, *ibique dicta.*

Oleum Hirundinum.

Diſpenſ. Lond.

℞. Hirundines integras, *No ſedecim.*
Chamæmeli,
Rutæ,
Plantaginis majoris,
minoris,
Foliorum Lauri,
Pulegii,
Anethi,
Hyſſopi,
Roriſmarini,
Salviæ,
Hyperici,
Balſamitæ, *ana manipul. un.*
Olei communis, *libras quatuor.*
Vini Hiſpanici, *libram unam.*

Confice ex his ſecundum Artem, Oleum.

In Apoplexia atque Epilepſia inſignis uſus eſſe paſſim perhibetur. Crediderim equidem idem illud præſtare poſſe, ob multas adjectas herbas nervinas, roborantes atque balſamicas, etiamſi Hirundines illæ ſedecim integræ avolarent, ſed tum una cum illis, ipſum Nomen Oleo huic impoſitum in leves quoque auras abiturum eſſet. Ceterum hæc ipſa Compoſitio Lemeryo, *Chemico celebri, plerumque tribuitur, ceu inter alia, patet ex* JUNGKENII Corpore Pharmaceutico, *pag.* 741. *Sed de eo diligentius, ſi opus, inquirant, quibus plus, quam quo fruimur, otii ſupereſt. Exigua enim ex his, jactura eſt metuenda, neque magna rurſus gloria inde expectanda. Hæc ſufficiant.*

Oleum Hiſpanicum.

Tab. Smaragd. pag. 248

℞. Olei vetuſtiſſimi, *uncias tres.*
Terebinthinæ puræ, *uncias duas.*
Tritici integri, *unciam unam ſemis.*
Hyperici,
Radic. Card. Benedict.
Valerianæ, *ana uncias duas.*
Thuris pulv. *drachmas duas.*

Radices & Herbæ groſſo modo, contundantur, & in Vino immergantur, ac per triduum, macerentur: Hinc Oleum & Triticum adjiciantur, & coquantur ad Vini conſumtionem, & Colentur. Colat. adde Terebinthinam & Thus: tumque iterum parum ebulliant.

Dicitur vi eximia travmatica pollere, atque ipſa Vulnera brevi quidem tempore, perſanare. Quod an ex omni parte verum ſit, ingenue dicant, qui experti fuerint.

Oleum Hyoſcyami.

Diſp. Argent. Wirt. Brand. Ratisbon.

℞. Seminum Hyoſcyami, *quantum vis.*

Contundantur, torreantur & exprimantur.

Eſt paregoricum & affluxum nimium cohibet; ad Emplaſtrum de Hyoſcyamo requiritur: de quo infra, ſuo loco.

Oleum Hyperici.

Diſp. Brand. Wirt. Ratisbon. Paris. Edinb. Lond.

℞. Florum Hyperici, ad maturitatem ſeminis fere accedentium, contuſorum, *libras tres.*
Vini albi, *libram ſemis.*

Croci, *ſcrupulos quatuor.*
Olei clari, *libras duas.*

Poſt factam trium dierum macerationem, bulliant ad humiditatis conſumtionem, poſtea exprimantur, & expreſſum commiſceatur cum

Terebinthinæ claræ, *libra una.*

Vulnerarium & paregoricum præbet egregium, in affectibus nervorum, a convulſione & luxatione ortis, nulli cedit.

Oleum Hyperici
Compoſitum Goeleri.

Vid. MERCKLINI *Syllog. Caſ. de Incant. Caſ. XV. pag.* 85.

℞. Olei Hyperici opt. *libram unam.*
Vini generoſi, *ſextar. tres.*
Oleor. Terebinthinæ,
Lumbricorum, *ana uncias duas.*
Ceræ, *unciam unam.*
Pinguedin. human. deſtillat.
Ol. Medull. homin. vel Cerv. deſtill. *ana unc. tres.*
Theriacæ Andromach.
Mithridat. *ana drachmam unam.*
Viſci quern.
Tiliæ,
Coryli, *ana manip. unum.*
Fol. perſic.
Rutæ murar.
Pyrol. *ana manipulos tres.*
Flor. Antirrhin. *manipul. octo.*
Hyperic. *manipulos ſex.*
Beton.
Centaur. min.
Prunell.
Conſolid. aur.
Ptarmic. Auſtr.
Chelidon. *ana manipul. unum.*
Verbaſci, *manipulos duos.*
Semin. Antirrhini, *unciam dimidiam.*
Hyperici, *unciam unam ſemis.*
Radic. Dracuncul. maculat.
Ariſtolochiæ rotundæ,
Symphyti, *ana manipul. dimid.*
Scrophulariæ,
Fabar. *ana manipulum unum.*

Coq. in Diplomate, vaſe optime clauſo, ad Conſumtionem Vini; exprimantur fortiter, poſtea imponantur:

Croci Martis,
Mumiæ,
Maſtich.
Thuris,
Myrrhæ, *ana drachmas duas.*

Coq. leniter, & pro Circulatione, pone ad ſolem, hieme ad fornacem: & uſui deinde ſerva.

Deſcripta eſt hæc Compoſitio a D. Jo. Chriſtoph EISENMENGERO, & *deinde translata in* Addit. HORSTII *ad* Marcell. Donati Medic. Mirabil. *p.* 722. *Magna quidem ipſi virtus adſcribitur ab his Auctoribus, contra morbos a faſcino & incantatione obortos: item contra Venena, calculum, Vermes, icterum, hydropam, dyſenteriam, hæmoptyſin, vulnera, & alia fere innumera, neſcio tamen, quam vere. Hoc interim verum, vim huic oleo compoſito non deeſſe, nervos præſertim roborandi, & amiſſum vigorem reſtituendi. Conf.* JUNGKEN. Corph. Pharm. *pag.* 734. *ubi multæ magnæque ipſi virtutes longo ac diffuſo ſermone tribuuntur: ubi & plures Olei Hyperici compoſ. deſcriptiones, ut & in* Pharm. Lond.

Oleum Hyperici,
ad Herniam, Solenandri.

Tab Smaragd. pag. 248.

℞. Olei optimi, *libram unam ſemis.*
Seminis & Flor. Hyperici, *unc. novem.*

Vini Malvatici, *uncias octo.*
Rad. Tormentillæ, *drachmas tres.*
Myrrhæ,
Gummi Elemi,
Sarcocollæ,
Thuris,
Aloës hepaticæ, *ana unc un. ſemis.*
Lumbricorum Vino lotor. *unc. tres.*

Conciſa & Contuſa, miſceantur, & bulliant ad Conſumtionem humidi, in Vaſe duplici: deinde exprimatur Oleum; cui ſenſim expreſſo adde
Croci opt. *ſcrupulos quatuor.*
Lacrymar. Abietis, vel
Terebinthinæ puræ, *libram ſemis.*
Florum maturorum Hyperici, *manipul. unum.*

Infunde per dies octo, ad Salem, aut in loco calido; deinde expreſſis atque abjectis floribus, alii recentes adjiciantur, idque quater, aut amplius, ſi lubet, repetatur.

Nihil quidem eſt, quod carpam in hac ſat ſcita compoſitione; an vero multum valeat ad reponendas Hernias; de eo adhuc aliquantulum dubito. Vid. ſuperius dicta ad Oleum contra Hernias.

Oleum e Baccis Juniperi.

Parandi modum, & parati uſum prorſus egregium ita docet BOERHAAVIUS, *Elem. Chem.* Tom. II. P. I. Proceſſ. XXX. pag. 112. *Scorbuto frigido, indeque oriundis torporibus, tandemque doloribus, Juniperi de baccis, paratum Oleum, inſigni auxilio, atque ab hac inertia ortos Renum infarctus quam pulchre curat!* Conf. ejusdem *Hiſtor. Plantar.* Tom. I. pag. 146. & inprimis HOFFMANN. *Obſ. Chym.* 3. Lib. I. pag. 13. 14. add. Vit. RIEDLINI *Lin. Med.* Ann. 1699. Menſ. April. Obſ. 16. pag. 377. ſqq.

Oleum Lacertarum.

Diſp. Argent. Vienn.

℞. Olei Nucum juglandium recenter expreſſi, *libras tres.*
Quibus deinde immergantur
Lacertar. Viridium, *No. viginti quinq.*

Suffocentur, & ſtent per tempus, in digeſtione, ſolis calore; tum colentur.

Strumis, ſcrophulis & herniis reſolvendis conducere, & capillos quoque augere dicitur: Commendat etiam paſſim SCULTETUS *in Armamentario Chirurgico, ut alios chirurgos tacerem.*

Oleum Ladani Odoratum.

GEOFFROY, *Mat. Med. Tom. II. p.* 543.

℞. Ladani pinguis & præſtantiſſimi, *libram unam.*
In tenuiſſimas partes diviſum cum
Aquæ Roſarum, *unciis ſex.*
Olei Amygdalarum dulc. *unc. quat.*

Coquatur per ſemi horam,
Dein percoletur Liquor oleoſus, & fiat lege Artis, Oleum odoratum pro uſu noto.

Oleum cum Lateribus Deſtillatum.
Philoſophorum Dictum.

Diſp. Wirt. Vienn. Leid. Paris & rel.

Lateres novi in groſſum pulverem contundantur, atque bene calefacti, olei olivarum, quantum imbibere poſſunt, ſaturentur, retortæ vitreæ immittantur, & igne arenæ per gradus aucto, oleum proliciatur, quod ſuper cineres rectificetur.

Reſolvens ac attenuans eſt medicamentum; Tympaniticum jam conclamatum ejus inunctione, perfecte curatum vidit SPINDLERUS, Obſ. Med. 53, *pag.* 97. *ſepticam etiam habet virtutem, & ad mundificanda ulcera adhibetur.*

Oleum Lavendulæ.

Quomodo illud parandum, accurate docet BOERHAAV. *Elem Chem.* T.II. Part. I. Proc. XXV. pag. 96. ipſius autem egregium uſum ita commendat, Proc. XXX. pag. 112. *Paralyſin, Vertiginem, Lethargum, alia Cerebri mala, ab impotentia frigida orta, Lavandulæ oleum quam pulchre ſanat?*

Oleum Laurinum.

Diſp. Brand. Wirt. Arg. Prag.

Raro, vel nunquam apud nos paratur, ſed ex Inſulis Fortunatis nobis adfertur; cui vero volupe erit, oleum hoc parare.

℞. Baccarum Lauri maturarum recentium, *quantum voluerit.*

Tritæ in aqua fontana coquantur, & fortiter exprimantur; refrigeratum oleum, pinguedinis inſtar, aquæ ſupernatans colligatur.

Eſt carminativum, nervinum, & ad affectus uteri, ſpaſmos, colicam flatulentam, tormina & lumbricos infantum, nec non ad roborandos articulos valde proficuum. Laudatur etiam ad aurium dolores & auditus gravitatem, auribus inſtillatum; ubi tamen oleum Amygdalarum amararum, vel aliud minus acre admiſceri debet. Vid. GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. III. pag.* 700.

Oleum Ligni Saſſafras.

℞. Raſuræ ligni Saſſafras, *libras ſex.*
Aquæ fluviatilis, *libras triginta ſex.*
Salis culinaris, *libram unam.*

Macerentur per quatuor vel quinque dies in conclavi calido, poſtea deſtillentur per veſicam, ſic prodit oleum cum aqua, non more aliorum ſupernatans, ſed fundum petens, in ſpiritu Vini diſſolubile. Ex reſiduo parari poteſt extractum, maceratio vero absque ſalis additione inſtituenda eſt. De hujus Olei præſtantiſſimi vera & falſa præparatione, ejusque magno uſu in variis morbis pertinacibus pectoris & lymphæ corruptæ, vid. HOFFMANNI, *Obſ. Chym.* 3. L. I. pag. 15.

Eodem modo deſtillantur

Aloes, de quo mox.

Oleum Ligni Rhodii,

Santali Citrini,

de quo ſtatim.

Calami Aromatici,

Zedoariæ,

Zinziberis,

Ut genuina habeantur olea hæc, pharmacopæi illa ipſi deſtillare debent; omnia enim, quæ ex Batavia, vel aliunde advehantur, adulterata deprehenduntur. Caveant autem, ne, addita Terebinthina in deſtillatione, & ipſi olea, ad augendam eorum copiam, inficiant.

Conf. huc HOFFMANNI Obſ. Phyſico.-Chym. 2. *Lib. I. pag.* 11. *ſqq.* & Obſ. 10. *pag.* 41.

Nimis longum eſſet, de ſingulorum viribus hic dicere; æſtimandæ videntur e ſimplicibus, unde deſtillata ſunt. Raro interne ſumuntur, ſanguinem enim, præſertim in hominibus, temperamento calido præditis, & ad ebullitionem ſanguinis pronis, nimium commovent. Guttæ vero aliquot Saccharo inſtillatæ & Elæoſaccharum, quod pulveribus additur, vel ad gratum ſaporem conciliandum vel ad vires augendas, non nunquam præſcribuntur. Externe adhibita ſunt cephalica, nervina, antiſpaſmodica, ſtomachica, carminativa, & virtute ſua balſamica roborant. Ita Wirtenbergenſes.

Oleum Liliorum Alborum Simplex.

Diſp. Rat. Wirt. Brand. Lond. & rel.

℞. Florum Liliorum alborum, abjecto quod croceum eſt, *libras duas.*
Olei Olivarum recentis albi, *libr. tres.*
Macera & digere per dies octo, poſtea coque & exprime.

Virtute gaudet emolliente, anodina, & lubricante.

Oleum Liliorum Alborum Compoſitum.

Diſpenſat. Ratisbon.

℞. Maſtiches,
Calami aromat.
Caſti,
Carpobalſami, *ana unciam unam.*
Caryophyllorum,
Cinnamomi, *ana unc. ſemis.*
Croci, *drachmas tres.*
Omnia poſt ſufficientem Macerationem factam, deinde in
Olei Lil. alb. ſimpl. *libris duabus.*
Senſim exprimantur, & colentur.

Habet adhuc potentiores vires, quam præcedens ſimplicis compoſitio, & membris inprimis arthriticis & languore correptis conducit. Vid. Pharm. Aug.

Oleum Lini Expreſſum.

In omnibus Diſpenſat. ut notum.

E Semine Lini contuſo & parum toſto exprimitur, & per digeſtionem in ſole depuratur.

Contra pleuriticos dolores ſpecificum habetur, tam interne a dimidia, ad integram unciam, cum juſculo exhibitum, quam externe, cum lana vel panno, calide regioni dolenti applicatum. Vid. nos, ſi placet, Lib. de Pleuritide, *Cap. IV. pag.* 53. & VERNA, *de eadem, Part. V. Cap.* 7. *pag.* 134. *item* BOERHAAVE, Hiſt. Plant. *Tom. I. pag.* 366. & Prax. Med. *Tom. IV. pag.* 193. *ſqq. Conducit etiam in aliis affectibus pectoris; externe ad ambuſta & hæmorrhoidum cæcarum dolores commendatur: eſt enim ſingulare paregoricum atque anodynum, ſimulque facile parabile, hincque etiam in pauperum uſus natum. Plura de promeritis hujus olei laudibus, vid. in* ZORNII Botanol. *pag.* 402. *diligentiſſime ex variis Auctoribus collecta: & apud* GEOFFROY, Mat Med. *T. III. p.* 739. *ſeqq. item* SCHULZ. *Prælect. pag.* 214.

Oleum Lini Magiſtrale Compoſitum.

Diſpenſ. Prag.

℞. Herbarum Tuſſilaginis,
Veronicæ,
Scabioſæ,
Betonicæ,
Pulmonariæ, *ana manip. duos.*
Foliorum Theæ, *uncia ſemis.*
Radicis Ariſtolochiæ rotund.
Enulæ campanæ, *ana unciam unam.*
Inciſa coquantur in ſufficienti Quantitate
Olei lini recentis,
Ad Conſumtionem humiditatis;
Colatura expreſſa ſervetur uſui futuro.

In variis pectoris affectibus multo efficacius, quam ſimplex Oleum Lini, a Pragenſibus practicis in comperto habetur.

Sed quæ hic Foliorum Theæ ſit virtus, equidem haud ſatis intelligimus.

* * *

Oleum Lumbricorum Terreſtrium Simplex.

Diſpenſ. Brand. Wirt.

℞. Lumbricorum terreſtrium, *libram unam.*

Laventur in vino, deinde immittantur in

Olei, *libras duas.*

Coquantur ad humidi aquoſi conſumtionem; oleum coletur.

Sunt qui interne pro vulnerario præſcribunt; externe eſt paregoricum, nervinum & ad dolores ſpaſticos atque contracturas utiliter adhibetur. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 214.

Oleum Lumbricorum Compoſitum.

Diſpenſ. Brand. Pharm. Aug.

R. Lumbricorum Terreſtrium, *libram unam.*
Granorum Juniperi, *unciam unam.*
Herbarum Agrimoniæ,
Chamæpityos,
Rorismarini,
Salviæ recent. *ana manipul. duos.*
Florum Chamomillæ vulg.
Sambuci,
Primulæ veris recent. *ana manip. unum.*
Olei Olivarum optimi, *libras quatuor.*
Vini Gallici optimi, *uncias ſex.*

Coquantur ad Conſumtionem Vini, & fiat Oleum.

Hoc quidem Oleum compoſitum magis, quam præcedens ſimplex, nervinum & antarthriticum eſt, ex reſolventibus quippe, anodynis & nervinis compoſitum. SCHULZ. *pag.* 214.

* * *

Oleum Majoranæ Simplex.

Diſp. Wirt. & paſſim in reliquis.

℞. Herbæ Majoranæ,
Olei Olivarum, *ana libram unam.*

Coque, poſt macerationem per aliquot dies, leniſſimo igne, & expreſſum ſerva.

Reſolvit & roborat, & ad Emplaſtrum Meliloti requiritur.

Oleum Majoranæ Compoſitum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Foliorum Majoranæ, *uncias duas.*
Serpilli, *unciam unam.*
Myrti, *unciam ſemis.*
Menthæ aquaticæ,
Abrotani, *ana drachmas duas.*
Caſſiæ ligneæ veræ, *uncias duas.*
Olei Olivarum, *libras tres.*

Conciſis & Contuſis, affundatur Oleum, & vaſe bene clauſo, ſolis, aut alio Calore, macerentur, per octiduum: deinde exprimantur.

Cerebro & Nervis prodeſt, paralyſi & Convulſionibus medetur, ſpina inuncta: ſecundinas & partus promovet; uteri ſuffocationi, & ſcorpionum morſibus opitulatur. Ohe! jam ſatis eſt.

Oleum Mandragoræ.

Diſp. Brand. Lond. Paris.

℞. Corticum Radicum Mandragoræ, *libram unam.*

Contuſi coquantur in ſufficienti Aquæ quantitate: Colaturæ hujus expreſſæ poſtea adde:

Succi capitum papaveris nigri, *uncias tres.*
Hyoſcyami, *uncias duas.*
Cicutæ teneræ, *unciam unam.*

Olei Violarum, *libras duas.*

Coquantur cum Oleo Succi, ad humidi Conſumtionem uſque; quibus Colatis ſecundum Artem, tandem adde

Opii optimi,

Storacis Calamitæ, *ana unciam ſemis.*

Eſt anodynum & ſomniferum; inflammationes coërcet, & vehementes dolores lenit. Illinitur carpo, brachiorum flexuræ, plantæ pedum, temporibus, (*ſed hic parcius.*) SCHULZ. Prælect. *pag.* 215. *Vid. &* Pharm. Auguſtan. *Deſcriptio nonnihil ab hac diverſa proſtat in* Diſp. Paris. *& in aliis nonnullis* Diſpenſatoriis.

Oleum Martis.

Operoſam hujus *Martis Olei,* ſive *Martis Potabilis* deſcriptionem vid. in GRIMMII *Laborat. Ceyl.* pag. 154. ubi & varios ipſius uſus eximios docet in morbis pertinaciſſimis, v. g dyſenteria, Lienteria, Hæmorrhagia narium, Sputo ſanguinis, Melancholia, Malo hypochond. obſtructione Hepatis & Lienis, nimio Menſium fluxu, & aliis pluribus. Vid. & *Pharm. Bat.* pag. 28. & pag. 65.

Oleum Maſtichinum Simplex.

Diſp. Brand. Wirt. Lond. ultraject. & rel.

℞. Olei Roſati, *libram unam.*

In quo, leniter coquendo, diſſolve

Maſtiches, *uncias tres.*

Fiat colatura.

Vomitus & alvi fluxum ſedat, parteſque laxas roborat.

* * *

Oleum Maſtichinum Compoſitum Aureum Dictum.

Diſp. Vienn Prag.

℞. Herbarum Rutæ

Menthæ hortenſis,

Saracenicæ,

Abrotani, *ana recentium unc. duas.*

Spicæ Indicæ, *unciam ſemis.*

Olei Olivarum, *libras tres.*

Inciſa coquantur ad humiditatis conſumtionem: In Colatura deinde diſſolvatur

Maſtichis electæ, *libra ſemis.*

Poſtea iteratæ Colaturæ, poſt refrigerationem, add.

Olei deſtillati Nucis Moſchatæ,

Caryophyllorum,

Macis,

Menthæ, *ana drachma ſemis.*

Cinnamomi, *ſcrup. unus.*

Miſceantur, & ſervetur uſui oleum.

Ventriculum & Inteſtina calefacit, Concoctionem promovet; Tormina quoque in diarrhœis ſalubriter mitigat.

Ceterum deſcriptio in Diſpenſ. Pragenſi, in nonnullis hic abit; quædam etiam adjecta habet, quod monuiſſe & adnotaſſe par eſt.

Oleum Mellis.

Hujus deſcriptionem & uſum contra cariem oſſium, vid. in LEMERY *Curſ. Chym.* pag. 657.

Oleum Menthæ.

Ex Mentha criſpa & oleo olivarum, ſicut Anethi oleum, paratur.

Vires ſunt ſtomachicæ & carminativæ.

Oleum

Oleum Milvinum.

Ipſius mirabilem, neſcio, dicam, an miſerabilem, Compoſitionem vid. ſi placeat, in *Pharmacop. Batean.* p.105. quid enim Milvus, cum herbis & radicibus odoriferis, Oleo incoctus, conferre poſſit ad diram Epilepſiam abigendam, ut ibi quidem jactatur; id equidem me ignorare, lubens fateor. Ideo deſcribere piguit. Conf. ſupra *Corvus Epilepticus*, ex eadem *Pharm. Batean.* deſumtus, ſed & ejusdem uſus nempe nullius.

Oleum Momordicæ.

Diſp. Brand. Wirt. Paris.

℞. Fructuum Momordicæ maturorum, contuſorum, *libram unam.*
Olei Lini, *libram unam ſemis.*

In figulino vitreato vaſe ponantur ſupra cineres calidos, per viginti quatuor horas, dein leni calore per horam coquantur, colentur & exprimantur;

Oleum expreſſum,
cum
Fructuum Momordicæ æquali quantitate,

Secunda vice coquatur, praeſcripto modo, & ſervatur.

Ad fiſſuras mammillarum, hæmorrhoidum dolores, ambuſtiones & vulnera cito conſolidanda, commendatur mirifice: Vid. Diſp. Brand. *in Not.* ZORN. Botanol. *pag.* 107. SCHULZ. Præl. *pag.* 215. *& al.*

Oleum Myrrhæ Compoſitum.

Diſpenſ. Brand. Lond.

Componitur ex Myrrha rubra, Maſtiche Aloë epatica & Sale Communi: Sed quoniam per deſtillationem, parari debet; ideo non tam ad hanc claſſem Oleorum infuſorum, aut expreſſorum, pertinet, quam potius ad ſequentem, de Oleis deſtillatis. Ubi de alio Oleo Myrrhæ ſuaviſſimo & præſtantiſſimo, quædam dicentur. Interim tamen hic mentio omnino injicienda videbatur Olei Myrrhæ compoſiti.

Oleum Myrrhæ per Deliquium.

Diſpenſ. Lond. Wirt. Pariſ. Leid. Argent. Vid. LEMERY *Curſ. Chym. p.* 230.

℞. Aliquot Ova Gallinacea, quibus ad duritiem coctis, & per mediam longitudinem, inciſis, Vitelli eximantur: Tum Albuminum Cavitates Myrrha trita, ad Medietatem, impleantur, & denuo conjungantur eorundem partes, filoque leviter conſtringantur, Craticulæ inter duas paropſides collocatæ ſuperponantur, & in loco ſubterraneo humido reponantur. Sic Myrrhæ liquatus humor in paropſidem inferiorem deſtillabit, quem uſui ſerva.

Remedium eſt balſamicum, traumaticum & antiſepticum: Ad ſordida oris & gingivarum ulcera, ut & dolentes Mammarum fiſſuras ſanandas, perquam idoneum.

Oleum Myrtillorum.

Diſpenſ. Brand. Prag. Hamb.

℞. Baccarum Myrtilli recentium, ſi habentur, ſin minus, ſiccatarum ac Vino maceratarum, *libr. unam.*
Olei Olivarum optimi, *libras tres.*

Coquantur ad humoris conſumtionem; poſtea cum Expreſſioni leni, colentur, & uſui ſervetur oleum.

Adſtrictoriæ, roborantes, & blande repellentes Vires illius Olei, ab omnibus celebrantur, inquit hic SCHULZIUS, *in* Prælect. *pag.* 216.

Ceterum in Diſpenſat. Prag. Lond. *& aliis Pharmacop. hoc ipſum Oleum inſcribitur quoque* Myrtinum, *ſed id aliud potius eſt, ex teneris ſcilicet Myrti foliis paratum: de cujus variis Virtutibus mira prædicant* Dioſcorides, Galenus *& alii Veteres. Conf,* SCHULZ. *l. c. &* Diſpenſ. Hamburg. *quod hæc ambo olea rectius diſtinguit ut &* Diſpenſ. Norimb. *& alia paſſim. Vid. huc* BAUDERONI Pharmacop. cum Paraphraſ. *pag.* 204. *&* ZWELFERI Animadverſ. in Pharm. Aug. *pag.* 322.

Oleum Nardinum Simplex.

Diſp. Lond. Brand. Prag. Argent. Lugd. Meſſan.

℞. Spicæ Nardi Indicæ, *uncias quatuor.*
Olei Seſamini, *libras duas.*

Spicam oleo affuſo, macera; ac poſt ſufficientem Macerationem & digeſtionem, cum leni quadam expreſſione cola.

Balſamicarum, roborantium & digerentium Virium haud expers eſt, & convenit omnibus frigidis affectibus nervoſarum ac membranoſarum partium. Ita bene SCHULZ. Præl. *pag.* 216.

Oleum Nardinum Compoſitum.

Diſpenſ. Leid. Vienn. Meſſan.

℞. Radic. Spicæ Nardi, *uncias tres.*
Foliorum Majoranæ, *uncias duas.*
Lauri,
Ligni Aloës,
Radic. Calami aromatici,
Cyperi,
Helenii,
Semin. Cardamomi,
Macis,
Florum Schœnanth. *ana unc. un. ſemis.*
Vini albi,
Aquæ communis, *ana unc. quatuordecim.*
Olei Olivarum, *libras quatuor, cum ſemiſſe.*

Coque omnia ſecundum Artem, ad Aquæ & Vini Conſumtionem; colentur deinde & exprimantur.

Cerebri & Nervorum affectibus ſubvenit, Ventriculum roborat, Concoctionem promovet, & Thoracis, ac Pulmonum ulceribus medetur. Conf. SCHULZ. *pag.* 216. *Ceterum Compoſitio in* Diſp. Vienn. *& paſſim alibi, obvia, in nonnullis abit ab hac Deſcriptione, hic exhibita, quædam etiam alia aromata inſuper adjecta habet. Utrumque vero hoc Oleum tam ſimplex, quam compoſitum* Meſuæ, *ceu inventori, vulgo adſcribi ſolere; ex omnibus pæne Diſpenſatoriis, vel tironibus notum eſſe arbitror.*

Oleum Nervinum.

Diſp. Ultraject.

℞. Olei Terebinthinæ, *uncias novem.*
Vulpini,
Laurini, *ana unciam unam ſemis.*
Roſarum,
Chamæmelini, *ana uncias ſex.*
Spicæ,
Petræ, *ana drachmam unam.*
Axungiæ Canis, *uncias tres.*
Unguenti dialthææ, *uncias duas.*

Miſc. Fiat Oleum, Nervis roborandis aptum.

Oleum Nervinum Timæi.

℞. Olei Lumbricorum Compoſiti, *uncias duas.*
Philoſophorum, *unciam ſemis.*

Vulpini,
Laurini,
Rutacei, *ana unciam unam.*
Olei ſtill. Succini, *ſcrupulum unum.*
Majoranæ,
Salviæ,
Rorismarini, *ana guttas quindecim.*
Pinguedinis Caſtor. *drachmas duas.*

Miſceantur probe, eoque oleo nervino balſamico, præmiſſis frictionibus, bis de die, aut amplius, ſi neceſſitas exegerit, inungantur artus paralyſi Vitiati ac nervorum vigore deſtituti.

Ceterum aliud oleum nervinum operoſioris ac longe diffuſioris compoſitionis, exhibet ZWELFERUS, in *Pharmacop. Reg.* pag. 268. & ex eo JUNGKEN. in *Corp. Pharm.* pag. 740. aliique paſſim.

Oleum Nicodemi.

Diſpenſ. Lond.

℞. Seminum, ſeu ſummitatum Hyperici,
Terebinthinæ antiquæ, *ana libr. un.*
Lithargyri, *drachmas ſex.*
Aloës hepaticæ,
Tutiæ Alexandrinæ, *ana drach. tres.*
Croci, *unciam unam.*
Vini albi optimi, *libras quatuor.*
Olei antiqui, *libras duas.*

Abſumta quarta Vini parte, per lentam omnium in Balneo, cocturam, alicubi, in arena, ſoli caniculari exponantur, & per pannum candidum, poſt decimum diem, colentur, ſeorſumque a Vino, ſervetur Oleum.

Refrigerans eſt, demulcens & anodynum.

Oleum Nicotianæ.

Diſpenſ. Lond. Wirt. Brand.

℞. Foliorum recentium Nicotianæ, conciſorum & contuſorum, *libram unam.*

Coquantur lento igne, ad humiditatis conſumtionem, in
Olei Olivarum, *unciis ſedecim,*
Oleum expreſſum ſerva.

Laudatur ad hypochondriorum inflationes, membra paralytica fovenda, & tumores diſcutiendos; ſcabioſis & ambuſtis etiam convenit. Vid. SCHULZ. Pract. *pag.* 216.

Olea Novem Mixta.

Diſpenſ. Argent.

℞. Olei Amygdalarum amararum,
Chamomillæ,
Conſolidæ regalis,
Liliorum Convallium,
Menthæ,
Rutæ,
Juniperi, *ana unciam unam ſemis.*
Deſtillati Anthos,
Succini, *ana drachm. unam.*
Miſceantur omnia diligenter.

Mulierculis pro Infantum variis affectibus celebre, commendatur ad colicam, tormina item & Vermes necandos & expellendos.

Oleum Nucis Moſchatæ Expreſſum.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. Paris. & reliq. Vid. LEMERY *Curſ. Chym. p.* 497. *& ceteros chymicos.*

Nuces Moſchatæ contuſæ aquæ calidæ vapore irrigantur, & dum adhuc calent, oleum exprimitur.

Raro apud nos paratur, ex India enim Orientali copioſe advehitur.

Vires ſunt roborantes & anodynæ. Datur etiam interne tam pueris, torminibus alvi vexatis, quam adultis adver-

ſus vomitus & alvi fluxum; externe ad capitis dolores, ſomnum cociliandum, ventriculum roborandum, flatus diſcutiendos, &c. adhibetur. Inſervit etiam pro Balſamorum corpore. Vid. MOEB. Inſtit. Med. *de* diæta Gravidar. JUNGKEN. Chym. experiment. *pag.* 129. SCHULZ. Prælect. *p.* 217. *& alios plures.*

Doſis interne pueris teneris a grano uno, ad duo, adultis ad ſcrupulum unum & dimidium.

Oleum Nucleorum Perſicorum.

Diſpenſ. Argent. Vienn.

Paratur per Expreſſionem, ut Olea Amygdal. Lini, Papaveris, & id genus alia Olea expreſſa, ut notum.

Singulare Arcanum id quidem Oleum habetur in variis Aurium præſertim affectibus, inprimis, ad vermes aurium eliciendos, item in ſurditate, tinnitu, & dolore aurium; idque magis, ſi miſceatur cum Oleo Colocynthidis, per decoctionem, præparato. Idem Oleum, etiam temporibus illitum, admodum conducit in agrypniis & doloribus capitis. Sedat quoque, ſed omiſſo Colocynthidos Oleo, acres Hæmorrhoidum dolores. Hæc GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. III. pag.* 806. *Conf.* BOERHAAVE Hiſt. Plant. *Tom. II. pag* 679. BOECLER. *ad* Hermanni Cynoſ. Mat. Med. *p.* 384. *& plures alios Auctores, laudatos* ZORNIO, Botanol. *pag.* 508. *Ceterum Chriſt.* Langius, *Lipſienſis, Oleum ex Nucleis & Floribus perſicorum, parabat, quod oticum, vocavit, atque ad omnes propemodum aurium affectus, ſurditatem inprimis, & dolores earum frequenti in uſu habuit; cujus deſcriptionem ipſe dedit in ſic dicta ſua* Pathologia animata, *Cap. XXIII. pag.* 255. *non improbante illud* GEOFFROY, *loco citato, p.* 806. *Quo & omnino pertinet Oleum acuſticum* Wedelii, *ſuperius deſcriptum. Sed jam dudum ipſe* Cornelius CELSUS *contra varios Aurium dolores, commendavit* humorem ex Nucleo Mali perſici expreſſum, *Lib. VI. Cap.* 7.

Oleum Nucum Juglandium.

ſive Caryinum.

Conficitur, ut Oleum Amygdalarum. Vid. *Diſpenſat. pœne omnia.*

Easdem vires habet cum Oleo Amygdalarum, modo ſit recens & non rancidum. Inveteratum vero a pictoribus expetitur. Vid. SCHULZ. *pag.* 217.

Oleum Nymphææ.

Diſp. Brand. Lond. Prag.

E Floribus Nymphææ albæ fit, ad normam Liliorum alborum, cum Oleo optime defœcato, niſi quod poſt inſolationem, quadam adhuc cortura indigeat, donec gutta prunis injecta ſtridorem nullum amplius edat.

Multum apud Arabes celebratur Vi refrigerante & anodyna, ac ſomnum conciliante, itemque tentiginem Veneream imminuente. Adhibetur parando Unguento Cordiali de Nymphæa. Hæc SCHULZ. *pag.* 217.

Oleum Ovorum Expreſſum.

Diſp. Prag. Brand. Wirt. Lond. ultraject. & rel.

℞. Ova recentia, coque, ut indurentur, poſtea vitellos exime, contritos atque in ſartagine, donec rufeſcant, & pinguedinem quandam emittant, aſſatos adhuc ferventes, & forti ſacco incluſos, exprime.

Laudatur ad hernias, fiſſuras papillarum & labiorum, ad ambuſta, hæmorhoidum dolores, implendas foveas poſt variolas, impetiginem, ſerpiginem, & alia cutis vitia Vid. SCHULZ. *p.* 217. *item ad Eryſipelata curanda, a* RIEDLINO, Cur. Med. 663. *Cent. VII. pag.* 413.

Oleum Papaveris Compoſit.

ZWELFERI, *pag.* 323.

℞. Capitum Papaveris,
Foliorum Papaveris,
Florum Papav. *ana unc. quatuor.*
Olei, *libras tres.*

Inſolato in Vaſe Vitreo, per octoduum; deinde Cola, & nova rurſus immitte: idem tertium facito. Poſtremo Colatum repone.

Vires ſunt anodynæ, paregoricæ, ſoporiferæ, refrigerantes, humectantes & demulcentes, ceu cuivis ex ipſa papaveris Natura notiſſimum.

Oleum Papaveris Expreſſum.

Præparatur, ut Oleum ſeminis Hyoſcyami, & aliorum Seminum.

Ad uſus culinarios & mechanicos, præcipue a pictoribus, expetitur; in Medicina habetur anodynum, ad ſomnum invitandum & dolores leniendos.

Oleum Paregoricum Wedelii.

in ipſius Chym. pag. 89.
Diſpenſ. Ratisbon.

℞. Olei Hyoſcyami,
Capparum,
Scorpionum, *ana drachmas duas.*
Petræ albi, *ſcrupulum unum.*
deſtill. Anethi,
Carvi,
Aniſi,
Juniperi,
Succini,
Calami aromatici,
Ceræ,
Macis, *ana guttas tres.*

Miſceantur exacte, & uſui ſerventur oleum, ad mitigandos nempe ſævos artuum dolores.

Oleum Petræ album, rubrum, nigrum & Terræ,

Videantur in Materiæ Medicæ Regno minerali.

Oleum Prophylacticum contra Peſtem Ludovici de Leonibus.

Claud. DEODATUS, *Lib. de Aqua Cordiali Herculis Saxon. Cap. IX. pag.* 69.

℞. Olei Terebinthinæ,
Laurini,
Abietini, *ana libram ſemis.*
Gummi Elemi, *uncias tres.*
Hederæ, *unciam unam ſemis.*
Thuris, *uncias duas.*
Ligni Aloës, *unciam unam ſemis.*
Maſtichis,
Myrrhæ,
Ladani,
Sagapeni,
Caſtorei, *ana uncias duas ſemis.*
Galangæ,
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ,
Cubebarum,
Zedoariæ,
Opopanacis, *ana unciam unam.*
Reſinæ Pini,
Picis Navalis, *ana unciam ſemis.*

Miſceantur, & in Vaſe Vitreo,

per Menſem, putrefiant: poſtea lento igne, deſtillentur.

Hoc oleo Cordis Regio, Tempora, atque pulſus in Febribus peſtiferis, inungantur. Ita ibi Auctor, qui & inſuper addit, Auctorem hujus arcanæ, ut jactabatur quidem, Compoſitionis, ab Hungariæ Rege, mille Hungaricos, pro revelatione ſcilicet tanti Arcani, præmii loco, dono accepiſſe. Rara profecto & mira felicitate. Alius enim vix unum. aut duos Aureos, putem, dediſſet. Licet enim hæc ipſa Compoſitio per ſe ſatis ſit generoſa & pretioſa; tamen non video, quid exterius præſertim, adhibita, efficere poſſit aliud, quam, ut maximo ſalutis damno, tranſpirationem inſenſibilem impediat, atque gravi ſuo & fragranti nimis odore, caput ipſum oppleat, & ſenſus jam ex æſtu & debilitate ſtupidos, magis obtundat; quod de ejusmodi Remediis prophylacticis odoriferis externis, probe jam obſervarunt Viri maximi, Bohnius *atque* Rivinus, *de prophylaxi peſtis dubia, & de peſte Lipſienſi: Conf. ſupra dicta ad* Elixir. Prophylacticum. *Ideoque mallem habere præmium, ſine Oleo; quam Oleum, ſine præmio: plus Virtutis eſt in Auro, quam in Oleo.*

Oleum de ipſis Ranis.

Diſpenſ. Brand. Argent. Batean. pag. 106.

℞. Ranarum fluviatilium, *libram unam.*
Olei Roſarum, vel Communis, *libras tres.*

Coquantur, ad planam Ranarum diſſolutionem: Tum colentur, & rite uſui ſerventur.

Refrigerat, in Arthritide & Podagra convenit Ardorem febrium compeſcit, fronti & temporibus illitum, Somnum conciliat: Medetur & ambuſtis. In Cancro eſt Specificum, additur in Pharm. Bateana.

Oleum Ranunculi Eſculenti.

De hujus Olei, alias dudum cogniti, præparatione, & uſu, in aſthmate potiſſimum humido, eximio, vid. HOFFMANNI *Obſ. Chym.* 4. Lib. I. pag. 19. 20.

Oleum Rhabarbari.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 270.

℞. Olei Amygdalar. dulcium,
Rhabarbari pulv. *ana quantum velis.*

Fiat ſtratum ſuper ſtratum in Olla: digerantur per noctem, tepide: dein fortiter exprimatur Oleum Colore aureum.

Hidelburgi, (ita ſcribit ipſe Fullerus,) frequenter, prout audivi, uſurpatur ad Colicam, dyſenteriam, & Vermes. Infanti dant unciam ſemis. Nunquam ipſe quidem in uſum adhuc duxi: ſed quia ſingulare videtur, omittere nolui. Hactenus ille.

Equidem non dubito, hanc ipſam ſimplicem quidem, & egregiam tamen, Compoſitionem plurimum fructus habituram, in modo dictis paſſionibus Colicis, dyſentericis atque helminthicis. Illud vero haud ſine ratione, opinor, nego, quod ſcilicet Oleum ſit Rhabarbari; quum potius dici mereatur Oleum Amygdalinum, flavo Rhabarbari ſucco imbutum ac Coloratum. *Sed & hic, in Verbis quidem ſimus faciles; modo in re ipſa, quod longe præſtantius, conveniamus: quod nimirum hoc Oleum, ſive* Rhabarbarinum, *ſive* Rhabarbaro Amygdalinum *ſit Medicamentum ſimplex, egregium, mite atque ſecurum, uti re vera eſt.*

***

Oleum Roſarum.

De iſto BOERHAAV. *Elem. Chem.* T.II. Part.I. Proc.XXV. pag. 112.

Roſarum Oleum læta fragrantia, ſine Caloris noxa, blandiſſime cor exhilarat, amœna hilaritatis diffuſione. Conf. HOFFMANN. *Obſ. Chym.* 5. Lib.I. pag. 21, & KEMPFERI *Amoen. Exot.* pag. 374. Modum, parandi illud ſuaviſſimum & præſtantiſſimum Roſarum Oleum, docet *Diſpenſ. Lond. Prag. Hamb.* & alia plura. Sed vid. inprimis TENTZELII *Exegeſ. Chymiatr.* p. 673.

Oleum Roſatum.

Diſp. Wirt. Ratisb. Brand. Lond.

℞. Olei communis, *libras quinque.*
Roſarum Damaſcenarum contuſarum, *libras quatuor.*

Macerata & inſolata per dies octo, ad humiditatis conſumtionem coque, exprime & cola.

Refrigerat, demulcet & ambuſtis medetur.

Oleum Rutæ.

Diſp. Wirt. Brand. Lond. & in al.

E foliis Rutæ recentibus & oleo Olivarum, ſumendo amborum æquales partes; coctione & expreſſione paratur.

Anticolicum, anthelminticum & nervinum eſt; adhibetur externe, & clysmatibus additur.

Oleum Rutæ,

Oleum Rutæ, inquit in Elem. Chem. T.II. Part.I. laudatiſſimus BOERHAAVE, *Proc. Chem.* XXX. pag. 112. *Epilepſiam a laxo, frigidoque, dum curat, ſimul Anthyſtericum eximium, quoties id mali frigida de cauſſa.* Conf. *ejusdem Hiſtor. Plantar.* Tom. I. pag. 343.

Oleum Sabinæ.

Illius parandi modum docet BOERHAAVIUS, *Elem. Chem.* Tom.II. Part.I. Proceſſ. XXIII. pag. 90. ſqq. & nonnullis interjectis, Proceſſ. XXX. pag. 112. illud impenſe laudat, ceu *Emmenagogum fortiſſimum, ubi languor ſolus retentionem creat:* Sed &, ut inſigne Diureticum, commendat in *Hiſtor. Plantarum,* Tom.I. pag. 134.

Oleum Santali Citrini.

De hujus Olei fragrantiſſimi, pretioſiſſimi & utiliſſimi, in affectibus cephalicis & ſtomachicis, a Virium debilitate ortis, accurata præparatione, vid. HOFFMANNI Obſ. Chym. 4. *Lib. I. pag.* 18.

Oleum Saponis.

Diſp. Brand. Wirt. Prag. Hamb.

℞. Raſuræ ſaponis Veneti, *libr. unam.*
Arenæ mundæ, *libras tres.*

Mixta e retorta, igne arenæ, deſtillentur, oleum ſuper cineribus rectificetur.

Sugillationes & tophos reſolvit, ſpaſmis & dentium doloribus medetur, ſepticum præbet ad ulcera mundificanda, atque pannos in oculis brutorum extirpandos; interne, ob vim ſanguinem commovendi, raro, vel nunquam datur. Vid. Pharm. Bat. *pag.* 107. & HOFFMANN. Theſ. Pharm. *pag.* 85.

Oleum Scorbuticum.

Pharm. Bat. pag. 107.

℞. Rad. Raphan. ruſt. *unc. ſex.*
Fol. Cochlear. *manip. quatuor.*
Flor. Lavendul. *manip. duos.*
Olei ex pedibus Bov. *libr. unam.*

Coq. leni igne, ad Succi Conſumtionem: poſtea Expreſſ. adde:

Spiritus Salis, *drachm. tres.*
Cochlear, *drachmam unam.*
Olei ſtill. Cinnamomi,
Caryophyllor. *ana drach. ſemis.*
Origani, *ſcrup. quatuor.*

Miſc. cum iſto inungantur partes affectæ, per horam dimid. ſemel in die, ſed calidiſſime.

Oleum Scorpionum Simplex.

Diſp. Brand. Wirt. Meſſan. Paris.

℞. Scorpionum, *numero quinquaginta.*
Olei Olivarum, *libram unam.*

Macerentur in vaſe vitreo, dies viginti, in loco calido, poſtea ad uſus reponatur oleum. Ceterum in *Diſpenſ. Lond. Vienn. Prag.* & al. loco Olei olivarum præſcriptum eſt Oleum Amygdal. amararum.

Ad urinam & calculum pellendos externe, regioni renum & pubis illinitur, & ad ictus venenatorum animalium commendatur.

Oleum Scorpionum Compoſitum Magnum Matthioli.

Diſpenſ. Vienn. Prag. Argent. Paris. Lugd. Meſſanenſ.

℞. Summitatum Hyperici recent. *libram ſemis.*
Herb. Scordii recent. *drachm. ſex.*
Calaminthæ,
Cardui Benedict. ana recent. *unc. ſemis.*

Coquantur omnia conciſa, in Olei Olivarum, *libris tribus.*

Ad humidi Conſumtionem, in Colatura infundantur groſſo modo contuſa.

Radicis Zedoariæ,
Dictamni albi,
Gentianæ,
Ariſtolochiæ rotund. *ana dr. tres.*
Cinnamomi, *drachmæ ſex.*
Schœnanthi,
Croci Auſtriaci, *ana drachma una.*
Baccarum Juniperi,
Styracis,
Benzoës,
Myrrhæ,
Theriacæ,
Mithridatii, *ana uncia ſemis.*
Scorpionum Vivorum, *No. trecenti.*

Macerentur, Vaſe probe clauſo: Poſtea coletur, & lege Artis, exprimatur Oleum.

In febribus malignis, peſte ipſa, ejusque tetris Bubonibus, uti & morſu animalium Venenatorum, prodeſt hoc Oleum, ſi morſui & bubonibus; in prioribus vero, ſi pulſibus, Cordi & temporibus illinatur.

Ceterum operoſior nonnihil, pretioſior & aliquot ſpeciebus æromaticis ac balſamicis, adhuc auctior hujus Olei Scorp. magni, revera talis, compoſitio prœſtat in Pariſienſi, Lugdunenſi, Meſſanenſi, Florentino *& aliis nonnullis* Diſpenſatoriis. *Sed profecto non opus erat, rem jam per ſe ſatis, immo ſupra modum, diffuſam, pæne dixiſſem, confuſam, præter neceſſitatem, magis adhuc augere, ac nimium extendere, uti jam circa hanc Compoſitionem prudenter monuit* ZWELFERUS, Animadverſ. in Pharm. Auguſt. *pag.* 332.

Oleum Septem Florum.

MYNSICHTI pag. 463.

Diſpenſat. Vienu. Wirt. Brand.

℞. Florum recent. Violarum,
Sambuci,
Roſarum,
Chamomillæ vulgaris,
Liliorum alborum,

Verbaſci.

Verbaſci,
Malvæ arboreæ, *ana libr. ſemis.*
Colligantur flores ſuo tempore, & in
Olei Olivarum, *libris ſex.*
macerentur, coquantur leni igne, ad humiditatis conſumtionem, & expreſſum oleum ſervetur.

Paregoricum eſt, nimias tenſiones relaxat, pleuriticis & tabidis inunctum convenit. Et plures alias inſignes Virtutes habere creditur a MYNSICHTO, *pag.* 463. *Vid.* SCHULZ. *pag.* 220.

Oleum Sinapi.

De eo vid. BOERHAAVE, in *Chem.* T. II. p. 83. & CARTHEUSER. *Fund. Mat. Med.* P. I. p. 424. ſq.

Oleum Solani e Baccis.

Diſp. Argent. Lond.

℞. Baccarum Solani maturarum contuſarum, *libram unam,*
Olei communis, *libras tres.*
Coque ad Conſumtionem ſucci; exprime & ſerva uſui futuro.

Refrigerat, incraſſat, & ſomnum conciliat. Cautius tamen eſt adhibendum. Vid. ſupra dicta ad Solanum.

Oleum Spermatis Ranarum.

Diſp. Arg. Wirt. Prag.

℞. Spermatis Ranarum,
Olei communis, *ana partes æquales.*
Coquantur ſimul igne lento, ad conſumtionem partis aquoſæ, deinde colentur & ſerventur.

Raro in uſum vocatur, ſed pro emplaſtri confectione paratur; anodynum eſt, refrigerat, & ad ambuſta inſervit.

***

Oleum Stomachicum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Gummi Maſtiches, *uncias tres.*
Tacamahacæ,
Ladani, *ana uncias duas.*
Styracis, *unciam unam.*
Vini generoſi, *libram ſemis.*
Olei Abſinthii, *libras tres.*
Stent in digeſtione, per viginti quatuor Horas; deinde coquantur, denique Colaturæ huic addatur:
Olei Nucis Moſchat. expreſſ. *uncia una ſemis.*
Et ſic ſervetur uſui Oleum.

In doloribus Ventriculi, præſertim a cauſſa frigida Ortis, flatibus, & conſimilibus Affectibus prodeſt, regioni Ventriculi aliquoties illitum.

Oleum Stomachicum Cratonis.

Diſpenſ. Brand. Argent.

℞. Summitatum Abſinth. *manip. unum.*
Caryophyllorum,
Santali Citrini, *ana drachmas duas.*
Foliorum Roſarum rubrarum,
Macis, *ana drachmas duas ſemis.*
Olei Abſinthii ſimpl. *libram unam.*
Poſt debitam macerationem & Inſolationem leniter ebulliant, & cum quadam Expreſſione ſenſim colentur.

Doloribus & infirmitati Ventriculi a Cauſſa frigida, pariter egregie ſuccurrit: ſed uſus ejus eſt externus, ut præcedentis Olei. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 220.

Ceterum ZWELFERUS, *p.* 333. Animadverſ. *in* Pharm. Aug. *multa in hac ipſa compoſitione, pro more ſuo, reprehendit: Hincque aliam a ſe ipſo inventam, illi, ceu efficaciorem, ſubſtituit, hanc quidem in modum:*

Oleum Stomachicum.

ZWELFERI.

℞. Olei Abſinthii, trina infuſione & maceratione parati, *libr. unam.*
Maſtichis electæ, *unciam unam.*
Quibus leni calore ſolutis, & unitis adde,
Olei ſtillatit. Abſinthii,
Caryophyllorum,
Ligni Rhod. *ana drachm. ſemis.*
Roſarum veri, *ſcrup. ſemis.*
Vel, uti illud deficiat, ipſius loco,
Nucis Moſchatæ,
Macis, *ana ſcrup. unum* vel *duos.*
Miſceantur: ſervetur oleum uſui.

Non negandum huic ipſi pretioſori Compoſitioni, præſertim propter adjecta olea ſtillatitia aromatica, plus ineſſe efficaciæ ac Virtutis ſtomachicæ, quam illi alteri, a Cratone propoſitæ. Interim tamen ipſe ZWELFERUS, *alibi, nempe in* Pharm. Reg. *aliam ejusmodi compoſitionem diffuſiorem exhibet, quæ maximam quidem partem, convenit, cum iſta Cratoniana: quam & vid. in* JUNGK. Corp. Pharm. *pag. 745. ubi plura iſtiusmodi Olea ſtomachica, ut & pag. 753. Conf. ſupra,* Balſamum Stomachicum.

Oleum Succini.

Diſp. Lond. Wirt. & rel.

℞. Succini contuſi, *libras tres.*

Ex retorta capaci, igne arenæ gradatim adhibito, deſtilletur. Vas recipiens cum aqua calida, ut ſal volatile in eo ſolvatur, eluatur, quæ per chartam emporeticam, prius aqua madefactam, ab oleo ſeparetur, & poſt factam ejus exhalationem, ſal colligatur; oleum vero, cum duabus partibus cinerum mixtum, e retorta, lento igne, rectificetur, oleum limpidum primo exſtillans album, & alterum ſubſequens rubrum, ſingula ſeorſim ſerventur.

Oleum Succini multum convenit cum Oleo Petræ, & egregium reſolvens, diaphoreticum, diureticum & emenagogum, calidum tamen & valde acre eſt; in parva igitur doſi exhibendum; ſufficiunt guttæ quinque *vel* decem. *Externe ad cephalalgiam & membra paralytica, nec non ad rhevmaticos dolores adhibetur. Vid.* RIEDLINI Lin. Med. *An.* 1699. *Menſ. Mart. Obſ.* 19. *p.* 279. *ſq.*

Oleum Sulphuris.

Diſpenſ. Brand. Wirt. & rel.

Eſt ſpiritus ſulphuris per campanam, concentratus, ut notum: Sed aliud Oleum Sulphuris parare docet BEGUINUS, in *Tyrocin. Chym.* pag. 118. cui ibi multas inſignes virtutes tribuit *Blaſius.*

Oleum Terebinthinæ.

Diſp. Wirt. Brand. & reliq.

℞. Terebinthinæ pellucidæ, *quant. vis.*
Aquæ fontanæ, *ſextuplum.*

Deſtillentur lento igne, ex veſica, ſicut alia olea deſtillata; poſt deſtillationem oleum ab aqua ſeparetur ac ſervetur.

Reſiduum in veſica præbet TEREBINTHINAM COCTAM, vel, ulteriore coctione absque aqua inſtituta, in COLOPHONIUM reducitur.

Laudatur ejus vis diuretica, & in gonorrhœa frequenter dari ſolet; calidum eſt, igitur circumſpecte adhibendum. Doſis a guttis ſex, ad viginti. *Uſus externus multiplex eſt, ad vulnera & puncturas membranarum, tendinum & nervorum, ſi calidum inſtilletur, præ-*

bet anodinum, antiſpaſticum & conſolidans. In hæmorrhagiis, ex arteriarum & venarum vulneribus promtiſſimum eſt ſtipticum, modo calidum applicetur, & ſpleniis appreſſis ad locum detineatur. Vid. BOERHAAVE, *apud* Schulz. Præl. *pag.* 209. *ſqq.*

Oleum Terebinthinæ Compoſitum.

LEMORT. *Chym. Med. Phyſ. pag.* 85.

℞. Terebinthinæ lucid. *libras duas.*
Balſami Copaivæ, *libram ſemis.*
Nucis Moſchatæ, *uncias duas.*
Cortic. Citri exteriorum,
Rad. Iridis Florent. *ana unc. quatuor.*
Benzoës, *drachmas tres.*
Balſami Peruviani, *drachmam unam ſemis.*
Spirit. Vini rectif. odorif. in quo prius
Moſchi &
Zibethi, *ana grana duo.*
diſſoluta fuerunt, *uncias quatuor.*

Miſta deſtilla leni igne, quam diu Oleum limpidum aſcendat, quod ſeorſim diligenter ſervetur.

Summi id uſus eſt in Gonorrhœa & Calculo, & multo gratioris eſt indolis ac ſaporis, quam ſimplex illud oleum Terebinthinæ, modo deſcriptum.

Oleum Uterinum.

Argentorat.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 749.

℞. Olei Caſtorei, *unciam ſemis.*
Galbani, *drachmam unam.*
Succini,
Chamomillæ deſtill.
Aſſæ foetidæ, *ana drachm. ſemis.*

Miſc. Fiat Oleum Uterinum ſeu Hyſtericum pro uſu potiſſimum externo.

Ibi & aliud Oleum Uterinum Londinenſium, exhibetur; ſed longe diffuſioris Compoſitionis, & minoris forſan uſus: Nam ſuperflua ſæpe nocent. Aliud etiam Oleum Uterinum per deſtillat. Operoſe paratum. Vid. in BEGUINI Tyrocin. Chym. *pag.* 117.

Oleum contra Vermes.

Diſpenſ. Argent.

℞. Radicis Gentianæ,
Graminis,
Seminis Rutæ,
Colocynthidos,
Citri,
Santonici, *ana drachm. un. ſemis.*
Lupini, *drachmas duas.*
Herbæ Gratiolæ,
Scordii, *ana manipul. ſemis.*
Florum Centaurii minoris,
Tanaceti, *ana pugill. tres.*
Myrrhæ, *drachmas duas.*
Olei Abſinthii,
Rutæ,
Laurini,
Hyperici, *ana unciam unam.*
Aceti ſquillitici, *uncias tres.*
Olei Lilior. Convall. *unc. un. ſemis.*

Inciſis & Contuſis omnibus, fiat infuſio per quatuor dies; poſtea decoquantur ad Conſumtionem Aceti.

Uſus hujus Olei Anthelmintici eſt præcipue externus; ſicut Olei Habacucini *mirabiliter dicti, quod ſuperius produximus, ubi vid. quæ in adjecta Nota opportune monuimus. Conf. infra,* Oleum Aloeticum.

Oleum Violarum.

Diſp. Lond. Wirt.

℞. Florum Violarum, &
Olei Olivarum anaticas partes;

ad humiditatis conſumtionem

coquantur & oleum expreſſum ſervetur.

Refrigerans & anodynum eſt, magnopere laudatur ad dolorem hæmorrhoidum, altius ſedentem, per ſyringam tepide injectum. Vid. SCHULZ. Præl. *pag.* 221.

Oleum Viperarum.

Pharm. Batean. p. 109.

℞. Viperas Viventes largas & pingues, *No. tres.*
Vini Hiſpanici, *uncias duas.*
Olei Hyperici, *uncias octo.*

Coq. in Balneo Mar. Vaſe anguſti Orificii, ad Conſumtionem humiditatis: Tumque fiat Expreſſio.

Cutem exterget, Impetigines & ſimiles foedas maculas ſanat: Podagræ tophos tollit, Lepram curat; quantum nempe poteſt. Ceterum de alio Oleo Viperarum, per deſtillationem, producto, vid. LEMERY Curſ. Chym. *pag.* 643. *& alios Chymicos.*

Oleum Viride.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Herbæ & Rad. Valerianæ recentis,
Cardui benedict. recent.
Numulariæ, recent.
Betonicæ,
Anethi,
Summitatum Hyperici, cum floribus,
Centaurii minor. cum floribus,
Tritici,
Baccarum Juniperi Virid. *ana uncias duas.*

Inciſa & Contuſa, ſuo tempore infundantur in
Vini albi, *libris ſex.*
Dein omnibus addantur,
Olei Olivarum, *libræ duodecim.*

Et Coquantur ad Conſumtionem humiditatis: Colaturæ admiſceantur invicem diligenter prius ſoluta:
Olibani electi,
Maſtiches, *ana libra ſemis.*
Terebinthinæ claræ, *libra una.*

Et ſic tandem paretur Oleum, uſui futuro probe ſervandum.

Ad Contuſiones, obſtructionesque reſolvendas, externo; pulmonum vero aliorumque Viſcerum Exulcerationes curandas, interno uſu, multum celebratur. Ceterum aliud Oleum Viride, ab hoc diverſum, vid. in Diſp. Lond. *novo.*

Oleum Viridis Aeris.

Pharm. Bat. pag. 109.

℞. Viridis Aeris, *uncias duas.*
Nitri, *uncias tres.*

Ponantur in Catillo, & incendantur Carbone, donec deflagrarint: Tum ſolve in Cella per Deliquium.

Cauſticum hoc eſt; ideo circumſpecte utendum, conducit vero ad puſtulas Venereas & Verrucas abſumendas, ubi illa cutis dehoneſtamenta hoc oleo cauſtico ſepticoque contacta fuerint.

Oleum Vitrioli.

Diſp. Wirt. & in rel. vid. Chemicos.

Per deſtillationem ſpiritus Vitrioli continuatam, ultima tandem ignis tortura elicitur oleum acerrimum concentratum ponderoſum, quod rectificari debet per retortam.

E centenario Vitrioli Goslarienſis *decem libræ* olei prodeunt, & circiter *libræ viginti* ſpiritus & phlegmatis.

Ad uſus chymicos & pharmaceuticos varios adhibetur.

Oleum Vitrioli Dulce.

De eo innumeræ pæne Virtutes prædicantur ab Is. Hollando, Theo-

phraſto, Geſnero, Boyleo, Val. Cordo, Baſil. Valentino, & aliis multis. Vid. inprimis HOFFMANN. *Obſ. Chym.* 13. Lib. II. per tot. BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. II. pag. 381. PANAROL. *Obſ. Med.* 44. pentc. III. p. 199. STAHL. & SCHULZ. Diff. de Oleo Vitrioli dulci &c. Vid. & *Pharm. Bat.* pag. 109. & alia Diſpenſat.

Oleum Vitrioli
Smaragdinum, *ſeu* Viride.

Hujus Olei parandi modum, Virtutesque præſtantiſſimas, poſt Paracelſum, diligenter enarrat *Andr.* TENTZELIUS, in *Exegeſ. Chymiatrica*, apud *Angel. Salam.* pag. 676.

Oleum Vulnerarium,
ſeu Travmaticum.

Baſileenſium.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 749.

℞. Radic. Vincetoxici, *libram ſemis.*
Ariſtoloch. rotundæ,
Valerianæ, *ana uncias duas.*
Fol. Symphyti majoris,
Plantaginis,
Filipendulæ,
Alchimillæ,
Bugulæ, *ana manipulos duos.*
Baccarum Juniperi, *pugillum unum.*
Florum Hyperic. cum ſemin. *manipul. ſex.*
Chamomillæ,
Spicæ, *ana manipul. unum.*
Lumbricorum terreſtrium, *libr. un.*
Olei Hyperici,
Lumbricorum, *ana quant. ſufficit.*

Digerantur in fimo equino, dein exprim. Colat. adde:

Myrrhæ,
Maſtiches,
Thuris,
Vernic. *ana uncias duas.*
Terebinthinæ,
Picis navalis, *ana libram ſemis.*

Colentur rurſus, & fiat lege Artis Oleum Vulnerarium.

Uſus hujus olei externus jam per ſe patet: Ceterum Auctor ibidem, plures aliæ diverſorum Auctorum compoſitiones oleorum ejusmodi travmaticorum ſedulo collectas, conjunctim exhibet, quæ ibi legantur.

Oleum Vulpinum.

Diſp. Wirt. Lugd. Hag. Paris. Lugd. Lond. Ultraject.

℞. Vulpem integram vegetam, detracta pelle & exemtis interaneis,
Aquæ fontanæ, *libras tres.*
Olei veteris clari, *libras quatuor.*
Salis, *uncias ſex.*

Coquantur, & inter coquendum adjiciantur
Anethi,
Thymi, *ana libra una.*

Coctionem continuando, donec ab oſſibus recedat caro, & aqua conſumatur; dein coletur oleum.

Ad affectus nervorum frigidos, & articulos rigidos commendatur: Sed etiam ſine miſera vulpe integra & quidem vegeta, uſui eſſe poterit, ſi quid uſus ex iſto ſperandum. Vid. SCHULZ. *p.* 221. *&* BAUDERONI Pharm. *pag.* 213.

Opiata contra Cancrum.

Barbeirac. pag. 285.

℞. Chinæ Chinæ optimæ,
Raſuræ Cornu Cervi,
Corallior. rubr. præparator. *ana unciam ſemis.*
Oculor. Cancror. fluviatilium, *ana drachmas duas.*

Cum Syrupo de Nymphæa, fiat Opiata, *ad drachmam unam* ſumanda. Addiderat ibi Auctor plumbi uſti *dr. duas*, quod tamen ob juſtum periculi metum, ſtudio & conſilio omiſſimus. Vid. infra ad *Plumbum Uſtum*.

Opiata contra Chloroſin.

BARBEIRAC. *de Med. Form. p.* 274.

℞. Croci Martis aperitivi, rore maj. praep. *drachm unam*.
Rhabarb. pulverat. *ſcrupulos duos*.
Cinnamomi acuti pulv.
Dacrydii, *ana drachmam ſemis*.

Cum Syrupo de Cichor. compoſ. F. Opiata pro 4. *doſibus*. Sequitur ibidem mox altera Opiata contra Chloroſin, præſtantior.

Opiata Cardiaca.

Colleg. Lugd. Diſp.

℞. Baccarum Juniperi, *uncias quatuor*.
Macis,
Pulveris Viperini,
Radicum Angelicæ Veræ,
Ariſtolochiæ longæ,
rotundæ,
Biſtortæ,
Carlinæ,
Contrayervæ,
Mei Athamant. *ana unc. unam*.

Cum Melle Narbonenſi, Aqua Scordii cocto Fiat, lege Artis, Opiata.

Uſus jam ex ipſo Nomine per ſe patet.

Opiata Cardiaca, *ſeu* Cordialis.

BIERLING. *Append. Med. pag.* 167.

℞. Confect. Alkerm. *unciam ſemis*.
Conſerv. Radic. Bugloſſ. *unc. unam*.
Flor. Roſarum, *unciam ſemis*.
Specier. diamargarit. frigid. *dr. unam*.

Cum Syrupo de pomis redolent. Fiat Opiata.

Uſus eſt idem, nempe analepticus & Cardiacus.

Opiata Cardiaca pro Pauperibus.

Renodæ. Diſpenſ.

℞. Conſervæ Roſarum, *unciam unam*.
Rad. Enulæ Camp. *dr. un. ſemis*.
Boli Orient. in Aqua Ulmariæ, vel Cardui ben. lotæ, *drach. ſemis*.

Cum Syrupo Acetoſo, Fiat lege Artis, Opiata.

Habet & ibidem, Renodæus operoſiorem & pretioſiorem Opiatæ Cardiacæ compoſitionem, pro ditioribus: qui ſuperflua nempe & minus profutura carius emere poſſunt. Ceterum Conf. ſupra Confectiones Cardiacæ.

Opiata Cephalica.

Renod. ibid.

℞. Conſervæ Betonicæ, *drachmas ſex*.
Roſarum, *unciam ſemis*.
Confect. Alkermes, *ſcrupul. quatuor*.
Pulv. Electuar. dianthos, *ſcrup. duos*.
Specier. Electuar. diamargarit. frigid.
Dianiſi,
Diamoſchi, *ana ſcrup. unum*.

Cum Syrupo de Stoechade, *quantum ſufficit* fiat Opiata.

Roborando Cerebro, & ſopitis facultatibus animalibus recreandis, hæc ipſa opiata plurimum confert.

Opiata contra Febrem.

Barbeirac. pag. 278.

℞. Cort. Chinchin. pulv. *unciam unam*.
Florum Chamomill. pulv. *dr. duas*.

Salis Abſinthii, *ſcrupulos quatuor.*

Cum Syrupo de Abſinth. F. Opiata, pro 8. doſ. ſpatio 3. dier.]

Opiata contra Febrem Quartanam.

Barbeirac. pag. 280.

℞. Cort. Chinchin. pulv. *unciam ſemis.*
Rhabarbari electi,
Caſcarill. pulverator. *ana drach duas.*
Salis Ammoniaci,
Abſinthii, *ana ſcrupulos duos.*

Cum Syrupo de Abſinth. fiat Opiata, cujus capiat æger *drachmam unam ſemis*, bis, quolibet die, a febre immuni. Vid. ibidem plures ejusmodi compoſitiones. Conf. ſupra ſuo loco, *Electuaria antifebrilia varia.*

Opiata contra Fluxum Alvi.

Barbeirac; pag. 283.

℞. Conſerv. Roſarum rubrarum,
Symphyti majoris, *ana unciam unam ſemis.*
Corall. rubr. præparat.
Terræ ſigillatæ, *ana drachmas tres.*

Cum Syrupo de Roſis ſiccis, fiat Opiata, *de qua capiat æger drachmas duas, ſingulis diebus mane, per 9. dies, ſuperbibendo parum Aquæ plantag. vel Vini generoſi rubri. Ceterum vid. ibidem plures ejusmodi compoſitiones, in ſequent.*

Opiata Meſenterica.

CHARAS *Pharm. Reg. Tom. II. Diſpenſ. Pariſ.*

℞. Gummi Ammoniaci, *unciam ſemis.*
Foliorum Sennæ, ſ. ſt. *drachm. ſex.*
Aquilæ albæ,
Radicis Ari,
Aloës Soccotrin. *ana drachmas duas.*
Pulveris Cornochini,
Rhei electi, *ana drachmas tres.*
Limaturæ Martis præp. *unciam ſemis.*

In pulverem reſoluta Miſce, cum ſufficienti Quantitate Syrupi de pomis compoſiti. Fiat lege Artis, Opiata.

Doſis eſt a ſemidrachma, uſque ad duas drachmas.

Sunt, fatebor enim candide, quæ in hac compoſitione diſplicent; nempe Aquila alba & pulvis præſertim Cornachini, de cujus promeritis laudibus ſcilicet, vid. infra ſuo loco, uberius dicta: ipſa quoque Aloë non ſatis placet. Sed & ſunt e contrario, quæ placent; nimirum Folia Sennæ, Rhabarbarum, Gummi Ammoniacum, Radix Ari & Limatura denique Martis. Quæ omnia conjunctim ſumta, non dubium eſt, quin plurimum conferre poſſint ad pertinaciores Meſenterii, Hepatis ac Lienis Obſtructiones reſerandas, & obſeſſas ſordibus vias emundandas ac repurgandas: etiamſi in auras quaſi avolaverit Aquila illa alba, & pulvis ille Cornachini, ſævus iſte Cerberus triceps, in ſordidum pulverem fuerit projectus. Sed hæc obiter.

Opiata Neapolitana.

Barbeirac. de Form. pag. 288.

℞. Ligni Sancti,
Radic. Saſſaparillæ,
Chinæ, *ana unciam ſemis.*
Folior. Sennæ mundat.
Rhabarb. elect. *ana drachmas duas.*
Jalappæ, Rad.
Aquilæ albæ, *ana drach. un. ſemis.*
Vel Aethiopis mineralis, *dr. tres.*
Scammonii, *ſcrupulum unum.*

Cum Syrupo Roſ. ſolut. f. Opiata, de qua capiat æger drachmas duas per hebdomadam, alternis diebus; *mane jejuno Ventriculo. In nonnullis abit hæc Opiata a Compoſitione a* Renodæo *data*

& fuſius explicata, pag. 826. *ſq. & in* Diſp. Lugd. *repetita. Vid. &* ASTRUC *de* Morb. Ven. *Neapolitana autem vocatur a diro iſto Malo, vulgo Neapolitano dicto.*

Opiata Salomonis Correcta.

CHARAS, *Pharm. Reg. Tom. I. Diſpenſ. Paris. Lugd.*

℞. Corticis Citri Saccharo condit. *uncias octo.*
Conſervæ Oxytriphylli,
Florum Roriſmarini,
Bugloſſi, *ana uncias duas.*
Mithridatii veteris, *unciam unam.*
Roſarum rubrarum exungulat. ſiccarum,
Radicum Enulæ Campanæ,
Dictamni albi,
Foliorum dictamni cretici,
Seminis contra Vermes,
Citri mundati,
Cardui Benedicti,
Raſuræ Cornu Cervi, *ana unc. ſemis.*
Corticis Citri ſicci,
Santali Citrini,
Radicis Gentianæ,
Oſſis e Corde Cervi, *ana drach. duas.*
Cinnamomi,
Macis,
Caryophyllorum,
Cardamomi minoris, *ana dr. unam.*
Granorum Junip. in Aceto ſcillit. per Noctem infuſorum, *No. viginti quatuor.*

Miſc. Fiat lege Artis, Electuarium.

Morbis medetur peſtilentialibus & contagioſis, partes, quæ principatum tenent in corpore, roborat; putredinem arcet, vermes enecat, vomiturientibus confert, & quavis ex cauſſa languidis & imbecillis auxiliatur.

Ita hoc Electuarium maximi Regis Nomine inſignitum merito laudat RENODAEUS, Diſpenſ. Med. *Lib. III. Cap.* 9. *pag.* 818. *ubi & ipſius deſcriptionem ex Jouberto adfert, ſed aliquanto in nonnullis diverſam, ab hac noſtra, a Cl.* Charaſio *rectius correcta & emendata. Alia quoque ejusdem compoſitio extat in* Bricc. BAUDERONII Pharmacop. *ſed pariter haud approbata Auctori noſtro, qui ſuæ mutationis & correctionis cauſſas ſat graves validasque ibidem affert, pag.* 250. *Ceterum brevem quaſi hujus egregiæ Opiatæ Hiſtoriam leg. ſi lubet, apud laudatum modo Renodæum. Conf. infra,* Species Dia Ireos Salomonis.

Orvietanum.

Diſp. Pariſ. Wirt. Vienn. Brand. Batean, pag. 75. *& reliq.*

℞. Radicum Angelicæ,
Ariſtolochiæ utriuſque.
Biſtortæ,
Carlinæ,
Contrayervæ,
Fraxinellæ,
Gentianæ,
Imperatoriæ,
Pentaphylli,
Serpentariæ Virgin.
Tormentillæ,
Valerianæ,
Zedoariæ,
Folior. Cardui benedicti,
Pulegii,
Rutæ hortenſis,
Sabinæ,
Scordii,
Succiſæ,
Florum Hyperici,
Corticum Aurantiorum,
Citri,

Cinna-

Cinnamomi,
Baccarum Juniperi,
Lauri, *ana unciam unam.*
Viperarum exſiccatarum, *unc. duas.*
Croci Orientalis, *drachmas duas.*

Fiat omnium pulvis, qui excipiatur
Roob Juniperi,
Mellis deſpumati, *ana libris tribus.*

Optime mixtis addantur
Theriacæ Andromachi,
Mithridatii, *ana unciæ duæ.*
Olei Rutæ deſtillati,
Succini albi,
Caryophyllorum,
Juniperi, *ana ſcrupulus unus.*

Reponantur in vaſe figulino probe vitreato.

Variæ circumferuntur hujus antidoti deſcriptiones. Hanc Emanuel *Kœnig* item *Bateus*, qui ipſe acceperat prius a *Talborio*, nobis ſuppeditavit, quam, utpote compendioſiorem & optimam, paucis tamen immutatis, adponere cum Wirtenberg. voluimus.

Nomen Orvietanum, ab Inventore circumforaneo, ex urbe *Orvieto*, cui tradente B. SCHULZ. *Prælect.* p. 90. nomen fuit *Hieronymus Ferrantes*, & qui fiducia ejus primus auſus fuit, publico foro deglutire ignotum ſibi quodlibet toxicum. Ceterum aliud Orvietanum Deſiderii de Combes, vid. in *Monconys Itin.* pag. 1019. & aliud apud *Charas*.

Ex ſimplicibus, alexiteriis virtutibus præditis, paratum eſt, atque a multis, Theriacæ, ſi non præfertur, tamen æquiparatur. Viliori etiam pretio conſtat, & quia Opio caret, ſecure in morbis contagioſis, dyſenteria, febribus malignis &c. Pauperibus, nec non pecudibus, exhiberi poteſt. Vid. inprimis SITONI Miſcell. Med. Curioſ. Tract. 41. *pag.* 246. *ſqq.* & SCHULZ. *pag.* 90.

Doſis drachmæ duæ ad unciam ſemis.

Orvietanum Aliud.

CHARAS, *Pharm. Reg. Tom. I.*

℞. Radicum Scorzoneræ,
Carlinæ,
Imperatoriæ,
Angelicæ,
Biſtortæ,
Ariſtolochiæ tenuis,
Contrayervæ,
Dictamni albi,
Galangæ,
Gentianæ,
Coſti,
Acori veri,
Seminis petroſelini Macedonici,
Foliorum Salviæ,
Rorismarini,
Galegæ,
Cardui Benedicti,
Dictamni cretici,
Baccarum Lauri,
Juniperi, *ana unciam unam.*
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Macis, *ana unciam ſemis.*
Viperarum ſiccatarum, cum Cord. & hepat.
Theriacæ Veteris, *ana unc. quatuor.*
Mellis optimi deſpumati, *libras octo.*

Miſc. Fiat lege Artis, Electuarium.

Impenſe merito laudat Cl. Auctor hoc Electuarium, ceu alexipharmacum, antilœmicum, cephalicum, nervinum, ſtomachicum, carminativum, & anticolicum. Commendat quoque illud in Variolis ac Morbillis; quod tamen caute accipiendum, & cautius adhibendum.

Orvietanum Præſtantius.

Diſpenſ. Parıs.

℞. Radicum Vincetoxici,
Carlinæ,
Angelicæ,
Anthoræ,
Helenii,
Viperinæ Virginianæ,
Petaſitidis,
Valerianæ,
Fraxinellæ, *ana uncias tres.*
Foliorum Dictamni Cretici,
Scordii,
Rutae, *ana uncias quatuor.*
Myrrhae electae,
Terrae Sigillatae, *ana unciam unam.*
Galbani, *unciam unam ſemis.*
Croci, *unciam unam*, & *drachm. ſex.*
Cinnamomi,
Caryophyllorum, *ana unciam ſemis.*
Laudani, *drachmas ſex.*
Oleorum ſtillatit. Succini,
Citrei, *ana drachmam un. ſemis.*
Salis Volatilis Viperarum, *dr. ſeptem.*
Pulveris Viperini, *uncias duas.*
Extracti Juniperi, *libras decem.*
Vini Hiſpanici, *quantitatem ſufficient.*
Pulverata pulverentur: deinde Theriacae exemplo, ex Arte, Fiat Antidotum.

Idem præſtat, ac Orvietanum illud vulgare, ſuperius deſcriptum; immo plus, ob adjectum nempe præſertim Salem Viperarum Volatilem & Pulverem Viperinum, ut alia jam taceam, in ipſa ſcita deſcriptione conſpicua. Quare egregium haud dubie, uſum præſtabit in Morbis contagioſis, epidemicis, putridis & malignis, immo in ipſa quoque Dyſenteria epidemica, ſi nempe, probe repurgato prius corpore, opportune & parce, adhibeatur, vel in lacte chalybeato, vel juſculo pingui non ſalito. In reliquis autem febribus epidemicis & malignis, & ipſa dira peſtilentia, propinandum potius eſt ex Aceto, ſimplici, vel Bezoardico quodam, quorum varias deſcriptiones ſupra, ſuo loco, larga manu, dedimus, vel ex ſucco Citri, Limonum, Acetoſæ, aut Acetoſellæ, vel ſimilium acidorum. Nunquam enim, quod ſæpius jam monitum, in feliciter curandis febribus malignis ac putridis, excludi debent Acida, utpote maxime adverſa principio illi Alcalino ad putredinem prono, in illis funeſtis morbis potiſſimum regnanti, uti quidem omnibus, putem, notiſſimum. Sed hæc obiter.

Oxymel de Allio.

Exhibetur in Diſpenſ. Lond.

Oxymel Aſthmaticum.

FULLER. *Pharm. Ext. pag.* 270.

℞. Rad. Zedoar. *unc. unam.*
Coq. in Aq. font *lib. duabus*, ad *lib. unam ſemis.*
Colatur, adde
Gumm. Ammon. in Aceti, *unc. quatuor* diſſoluti *unc. unam.*
Colat. adde
Mellis puri, *unc. quatuor.*
Coq. deſpuma, & tandem cola.

Oxymel Diureticum.

Operoſam hujus Oxymelitos deſcriptionem vid. in *Diſpenſat. Norimb.*

Oxymel Elleboratum Majus & Minus Gesnerianum.

De utriusque hujus Oxymelitis præparatione & multiplici uſu, vid. ipſius GESNERI Libellus ſingularis ipſius Epiſtolis medicinalibus ſub finem adjectus. *Habetur* quoque ejusdem Deſcri-

ptio in Diſpenſ. Prag. item Lond. & in aliis nonnullis Diſpenſ.

Oxymel de Peto.

Hujus deſcriptionem dederat olim *Quercetanus*: quam vero emendavit & in compendium quaſi redegit FULLERUS, *Pharm. Extemp.* p. 271. Conf. ſupra *Extractum peticum*, & *Extractum Nicotianæ*: & inf. *Syrupus Nicotianæ.*

Oxymel Purgans Pectorale.

FULLER, *Pharm. Extemp. pag.* 272.

℞. Paſſular. ſol, exacinatarum,
Radicum Ireos Florentinae,
Enulae,
Calami aromat. *ana unciam ſemis.*
Folior. Sennae ſine ſtipit. *uncias duas.*
Agarici opt. *unciam ſemis.*
Herbarum Marrubii albi,
Saturejae,
Hyſſopi,
Hederae Terreſt. *ana manip. unum.*
Nicotianae ſiccae, *drachm. unam.*
Zinziberis, *drachmas tres.*
Aquae Fontanae, *libras duas ſemis.*
Aceti optimi, *libram ſemis.*

Coque ad *libras duas*; ſub finem adjiciendo:

Seminis Aniſi, *drachmas duas.*

Colat. deinde addatur:

Mellis puri & recentis, *libra una.*

Coq. iterum ad Conſiſtentiam, diligenter deſpumando.

Pituitam craſſam, tenacem, in Viſceribus, pulmonibus, vel Habitu corporis, deliteſcentem, varias Obſtructiones, diathesinque oedematoſam, Catarrhoſam, phthiſicam, paralyticamve inducendam, potenter attenuat, exturbat, & eliminat. Doſ. drachmae tres, Mane, ſingulis, vel alternis diebus, pro re nata. *Præclara hæc ſunt, & interdum vera.*

Ceterum plures ejusmodi Oxymelitis pectoralis, deſcriptiones ſimiles ex Ettmüllero & aliis petitas, collectas, vid. apud. JUNGKEN. Corp. Pharm. Univ. *pag.* 1087. *ſqq. add.* Pharm. Edinb. & *Ultrajectin. Sect. III.*

Oxymel Scilliticum.

Diſp. Wirt. Brand. Prag. & reliq.

E Mellis deſpumati, *libr. quatuor.*
ac
Aceti ſcillitici, *libris duabus.*

In vaſe figulino vitreato, ad juſtam conſiſtentiam coquitur.

Ad pulmonum & ventriculi affectus pituitoſos tollendos, nec non aſthmaticis commendatur. Humores craſſos, viſcidos, indeque ortas obſtructiones reſolvit. Conf. ſupra Loch de Scilla & Mel Scilliticum, *ſimilis virtutis.*

Oxymel Simplex.

Vid. omnia Diſpenſat.

℞. Mellis deſpumati, *libram unam.*
Aceti Vini albi, *libram ſemis.*

Coquantur in vaſe figulino probe vitreato, ad ſyrupi conſiſtentiam, ſerventur in vaſe vitreo.

Uſus eſt in Gargariſmis. Ita parce nimis, & obiter tantum, commendatur præſtantiſſimum hoc Remedium, quod in pleuritide potiſſimum, poſt Venæ ſectionem opportune inſtitutum, feliciter curanda, vix par ſibi aut ſimile aliud habet, ut poſt ipſum Hipp. Aretæum, Galen. Alex. Trall. Cal. Aurel. Theodor. Priſcian. & alios præclare ſolideque docuerunt Thaddæus DUNUS & Franciſc. CIGALINUS, *in* Epiſtol. Med. *de* Oxymelitis Uſu & Viribus, maxime in pleu-

ritide. *Quod ipſum quoque ſua graviſſima auctoritate uberius confirmant* Sydenham, Boerhaave, *van* Swieten, Hoffmannus *& alii magni Medici, merito a nobis jam laudati in* Tract. *de* Pleuritide, *Cap. IV. pag.* 51. *ubi & in ſqq. eximium plane oxymelitis uſum antipleuriticum multis exemplis luculenter oſtendimus, fida crebraque experientia per complures annos, edocti. Minimus ergo & poſtremus ejus uſus eſt in gargariſmis: Sed maximus & primarius in pleuritide & aliis morbis acutis, inflammatoriis & putridis, quin & ipſa dira peſtilentia. Vix enim ſine oxymelite, præmiſſa tamen larga ſanguinis miſſione, curari poteſt pleuritis, ut jam ſupra monuimus, & hic rurſus affirmare, veritate ipſa adjuti, haud veremur. Conf.* Wedelii Pharmacia acroamt. *Lib. II. Sect. IV. Cap. I. pag.* 378.

Oxyrrhodinum Demulcens & Refrigerans.

Gaub *de Form. pag.* 380.

℞. Olei infuſ. Roſ. *unc. unam ſemis.*
Aceti Sambuc. *drachm. ſex.*
Tinct. Opii cum Spirit. Aceti parat. *drachmas duas.*
Aquæ ſtillat. Roſar. *uncias tres.*

Miſc. ſecundum Art. F. Oxyrrhodinum. D. cum placenta roſ. quæ hoc liquore ſæpius, ubi inaruit, irrorata, fronti & temporibus applicatur donec ſomnus obrepat.

Oxyſaccharum Emeticum.

Pharm. Batean. pag. 110.

℞. Vitri Antimonii pulverat. *unc. unam.*
Aceti optimi, *libram unam.*

Macer. in Balneo Mar. ſaepe agitando, ad horas viginti quatuor: Colaturae filtratae deinde adde:

Sacchari optimi, *uncias octo.*

Coq. ad Conſiſtentiam debitam, *Doſ. ad unciam unam, vel ultra.* Similia vid. ap. Jungken. loc. cit. Sed nec hoc, nec illa, multum placent, ob draſticum nempe Vitrum Antimonii. De quo, poſt *Hoffmann. Neumann.* & alios, vid. Schulz. *Præl.* pag. 16.

Oxyſaccharum Scilliticum.

Vid. infra.
Syrupus de Scilla.

Panacea Anglica, *ſeu* Solutiva.

Vid. ſupra
Magneſia Alba.

Panacea Antimonialis.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Butyri Antimon. rectif. *libr. ſemiſſem.*
Cryſtallorum Tartar. pulv. *libram unam.*

In Matratio permixtis affunde:
Aquae Communis, *libras ſex.*

Bulliant ſimul per *horas octo*; partitis vicibus, deinde ſenſim inſtilla:
Olei Tartari per deliquium, *libram unam.*

Ebullitione ſedata, calidus filtretur Liquor, Vaporet ad ſiccitatem. Repone in Cella, liquefiat. Filtratum Liquorem in Vaſe obturato reconde.

Panacea Aurea.

Pharm. Bat. pag. 110.

℞. Croci Metallorum,
Calomelanos, *ana partes æquales.*

Miſc. Fiat Pulvis, qui optime valet in Lue Venerea, dum ptyaliſmum movet purgatque ἄνω καὶ κάτω. De quo quidem nullum eſt dubium: Inte-

rim tamen tam ſplendidum Nomen ab ipſo Auro deductum, haud meretur, quoniam æque violentum eſt Remedium.

Panacea Cathartica.

Cujus deſcriptio vid. in Pharm. Batean. pag. 110.

Panacea Cinnabarina Thomſon.

Diſpenſat. Vienn. Prag. Bat. pag. 96.

℞. Mercurii vivi purgati, *unc. quatuor.*
Florum Sulphuris, *uncias duas.*
Salis Ammoniaci, *unciam un. ſemis.*

Miſceantur exacte, donec nihil amplius Mercurii appareat; dein ſublimentur, fiantque ad minimum, decem Cohobationes, ſublimatum ſemper cum fæcibus rurſus terendo: ultimo augeatur Ignis, ut candeſcat, fæces nigræ abjiciantur, & quod remanet in fundo, ſervetur. Vocatur & Mercur. præcipit. fixus.

Hæc Panacea Cinnabarina, ſeu Mercurius diaphoreticus, omnes in corpore humano, humores Venereos exſiccat, & vel per diaphoreſin, vel blandum ptyaliſmum, ſubducit.

Panacea Jo. Hartmanni.

In Baſilica Chymica CROLLII, *p.* 76.
Pharm. Batean. pag. 111.

℞. Sulphuris Antimonii Combuſtib. *unciam unam.*
Olei Vitrioli, vel Sulph. rectif. *uncias tres.*
Reguli Antimonii, *unciam unam.*

Digere calide, ad decem dies: dein deſtilla per Retortam vitream, ter ad minimum, cohobando. Ignem urge ſub finem, & materiam in fundo, per quinque horas, reverbera. Tandem exime, lava cum Aqua Roſarum, & ſicca. His omnibus rite peractis.

℞. Hujus Pulveris, *unciam unam.*
Salis Coralliorum, *drachmas duas.*
Miſce exacte, ſecundum Artem.

Remedii eſt inſtar univerſalis: Habet nimirum in ſe vim diaphoreticam, ac ſanguinem purificandi; ideoque quibus libet Morbis per ſudorem ſanabilibus inſervire poteſt; præcipue Lui Venereæ, cutisque fœditatibus.

Doſis a granis decem, ad quindecim, & viginti.

Specioſa hæc ſunt, fatebor enim, & magnifica, utinam & vera ſemper eſſent, ſecura & ſalutaria. Sed, ut ingenue confitear, omnes fere ejusmodi Panaceæ Chemicæ, inprimis Crollianæ, Valentinianæ, Theophraſteæ, Helmontianæ, & Hartmannianæ, ex Mercurio potiſſimum, aut Antimonio, aut his pejoribus Metallis, paratæ ſuſpectæ mihi videantur, exoſæ & periculoſæ, quoniam plerumque Spanaceæ *potius ſunt, ut ita dicam, hoc eſt, rariſſime juvantes, quam panaceæ, quin & ſæpius quoque, præſertim in ſubjectis debilioribus & viſcera nobiliora jam vitiatis,* Pannecyjæ, *ſive mortiferæ, & Mortuorum cenſum augentes.*

Panacea Holſatica, vel Duplicata.

vid. ſupra
Arcanum Duplicatum.

* * *

Panacea Mercurialis.

Diſp. Argent. Wirt. Lond. Pharm. Reg. CHARAS *P. II. p.* 859. *& p.* 814. *Edinb. Pariſ. Vienn. Leod.* KLEIN. *p.* 161.

Eſt Mercurius dulcis, ſepties vel decies ſublimatus atque optime tritus, ſpiritu Vini rectificatiſſimo deflagrandus. Vocatur & Calomelas, ſeu Aquila alba.

Repetita ſublimatione Mercurius dulcis omnem fere deponit vim laxantem & ſolum per diaphoreſin operatur. Datur hæc Panacea delicatioribus in morbis lymphæ, & a viſciditate humorum ortis. Conf. infr. Pilulæ Saturn. & Pulv. cont. Vermes.

Doſis grana octo, ad grana quindecim.

Aliam Panaceam Mercurialem Gallorum, Operoſioris Compoſitionis, vid. in Append. Polychr. Exotic. Valentini *pag.* 100. *ſqq.*

Panacea Mineralis.

vid. infra

Pulvis Viennenſis Albus Virgineus.

Panacea Muffatii.

Tabul. Smaragd. p. 256. BIERLING. *Append. Med. pag.* 148.

℞. Extract. Ligni Aloës, *unciam unam.*
Laudani Opiat. Quercetan. *drachmam unam ſemis.*
Ambræ gryſeæ, *drachmam ſemis.*
Salis Volatilis Viperarum, *ſcrupulum unum.*
Magiſterii Solaris, *drachmas duas.*
Olei Roſarum veri, *ſcrupulum ſemis.*
Canellæ, *guttas quinque.*

Miſceantur: Fiat Panacea, in Deſperatis:

Forſan & deſperata, aut deſperanda. Neſcio enim an deſperatos jam, & in limine pallentis Orci conſtitutos in Vitam jam deſerendam, revocare poſſit hæc ipſa ſic dicta panacea: licet, quod ex ipſa Ceterum concinna ſatis ipſius compoſitione luculenter patet, Vires analepticæ, cardiacæ, cephalicæ & nervinæ ipſi haud plane ſint denegandæ. Deſperatis tamen Medicinam adhibere ipſe vetat Hippocrates.

Panacea Sôlaris Wildeganſii.

vid. infra

Pilulæ Solares Wildeganſii.

Sed hæc de Panaceis: quarum ubique in Diſpenſat. & Operibus Chemicorum, copia, & tamen ſimul ubique curationum & auxiliorum inopia; adeo, ut copia nos inopes fecerit. Plus eſt in Nomine, quam in Re.

Panis Cydoniorum cum Aromatibus.

Diſp. Prag. Wirt. & reliq.

℞. Pulpæ Cydoniorum coctorum, per cribrum trajectæ, *libras octo.*
Sacchari albi, *libras quatuor.*

Evaporent ad juſtam conſiſtentiam, adde
Caryophyllorum aromaticorum, *drachmas duas.*
Cinnamomi acuti, minutim inciſi,
Flavedinis corticum Citri recentium inciſorum, *ana drachmas ſex.*

Miſceatur & effundatur paſta in ſcatulas.

Leniter corroborat; hinc ad ventriculum & inteſtina relaxata, atque in-

de ortas diarrhœas delicatulis exhiberi poteſt.

Doſis uncia ſemis, ad integram.

Paratur etiam ſine aromatibus, & calidis bilioſisque ad eosdem uſus commendatur.

Panis Diaſarſæ.

Pharm. Batean. pag. 111.

℞. Pulv. Rad. Sarſaparill. *uncias tres.*
Chinæ, *unciam unam.*
Semin. Carvi integr. *drachm. unam.*
Flor. Tritici puriſſ. *uncias ſedecim.*
Vitell. Ovor. *No. duos.*
Barmii aliquantulum, cum Lactis *ſuff. quant.*

Fiat paſta; ex qua fiant panes, in Clibano coquendi.

Pro pane ordinario, in Lue Venerea & Morbis ſcorbuticis.

Panis Martius Laxativus Sennerti.

Ab aliis. de SPINA *Auctori tributus.*
Tabul. Smaragd. pag. 257.

℞. Amygdalar. dulc. excorticat. *unciam unam ſemis.*
Semin. Melonum excorticat. *drachmas duas.*
Pulv. Mechoacannæ albæ, *unc. un.*
Sacchari albi, *uncias duas.*
Cornu Cervi præparati,
Mucilag. Tragacanth. cum Aq. Roſ. fact. *ana drachmam unam.*

Cum ſuffic. Quant. Aquæ Roſarum, Fiat lege Artis, Panis.

Doſis pro Infant. a drachmis tribus, *ad* unciam ſemis, *pro adultis,* drachmæ ſex, *vel etiam plus Commendatur præcipue ad Dyſenteriam. Ceterum plures alias ejusmodi panis Martii compoſitiones vid. apud* JUNGKEN, Corp. Pharm. Univ. *pag.* 274.

Panis de Vipera.

Pharm. Batean. pag. 111.

℞. Carnis Viperar. pulverat. *unc. unam.*
Sarſaparillæ, *uncias tres.*
Farinæ Tritici opt. *libram unam.*
Vitell. Ovi unius.

Cum Flor. Cereviſ. & Lactis *ſuff. quant.* Fiant Panes, *No. quatuor.* Coquantur in Clibano, ſecundum Artem.

Pro pane communi, in Lue Venerea, Scorbuto, Lepra, Cachexia, & ſimilibus Morbis Scorbuticis.

Paſſulæ Anthelminticæ.

FULLER. *Pharm. Ext. pag* 272.

℞. Uvar. Paſſul. Corinth. *libr. ſemis.*
Rhabarb. raſi & linteo raro laxe ligati, *unciam ſemis.*
Corallinæ, pulv. & nod. incluſ. *unciam unam.*
Aquæ portulacæ, *unc quatuor.*

Ponantur in Olla fictili Vitreata: Paſta contegantur; in furno, poſt panes extractos, coquantur, dum Paſſulæ turgeſcant, & emolliantur.

Capiat puer, vermibus vexatus, Cochlear unum, mane, per aliquot dies.

Paſſulæ & Pruna Laxativa.

Diſp. Brand. *Wirt. & reliq.*

℞. Foliorum Sennæ electorum, *uncias quatuor.*
Zinziberis albi, *drachm. unam ſemis.*
Cinnamomi, *drachmas duas.*
Infundantur
Aquæ fontanæ ferventis, *unc. decem.*

Digerantur in loco calido, per biduum, poſtea exprimantur, expreſſo adde
Sacchari albi, *libram unam.*

Solvatur Saccharum unica ebul-

litione, & per pannum colatus ſyrupus ſuperfundatur,

Paſſularum minorum, vel Prunorum Damaſcenorum enucleatorum, in aqua fontana ad mollitiem coctorum, & a ſuperflua humiditate, modica exſiccatione, liberatorum, *libræ uni.*

Alvum leniter ſubducunt, & pueris atque aliis medicamenta laxantia reformidantibus exhiberi ſolent. Conf. Th. BARTHOLINI Ciſt Med. Hafn. *pag.* 360. & RIEDLINI Lin. Med. *Ann.* 1695. *Menſ. Maj. Obſ.* 26. *pag.* 149. *inprimis* THONERI Obſ. Med. 1. & 2. *pag.* 163. *ſqq.* & BRUNNERI Conſ. Med. 10. *p.* 77.

Paſta Althææ, (Gallis *PATE DE GUIMAUVE.*)

D*iſp. Paris. Wirt. Pharm. Reg.* CHARAS, *T. I. pag.* 101.

℞. Radicis Althææ recentis, in taleolas diſſectæ, *uncias quatuor.*

Bulliant in

Aquæ fontanæ *libris octo,* ad *dimidiæ partis* conſumtionem; in colatura diſſolvantur

Gummi Arabici albiſſimi & puriſſimi, *libræ duæ ſemis.*

Sacchari albiſſimi totidem.

Colentur, & igne lento, ad ſpiſſitudinem extracti, continuo ſpatula movendo, humor exhalet. Ab igne remota agitentur multum & celeriter, quo albeſcant, & ſubinde inſpergendo

Albuminum, e ſex ovis recentibus, in ſpumam conquaſſatorum,

Aquæ Naphæ odoratiſſimæ, *unciam ſemis.*

lento calore, ſub perpetua agitatione, inſpiſſetur, uſque dum manibus non adhæreat.

Formentur paſtæ oblongæ quadratæ, quæ pulvere Sacchari vel Amyli, ne chartæ adhæreant, conſpergantur.

Pari modo etiam ex

Liquiritiæ Radicibus

paratur paſta, quæ a Gallis

Pate de Regliſſe vocatur.

Vid. Diſp. Pariſ. Wirt.

Humores acres, faucibus inprimis & pectori noxios, demulcent; hinc in tuſſi ſicca, aſthmate, quin ipſa phthiſi commode adhiberi poſſunt.

Paſta Regalis, pro Emulſionibus.

Pharm. Bat. pag. 113.

℞. Semin. papav. albi, *unciam unam.*

Amygdal. dulc. excortic. *unc. quat.*

Radic. Eryngii condit. *uncias duas.*

Semin. quatuor frigid. major. *ana unciam ſemis.*

Sacchari Cryſtallini, *uncias duas.*

Contunde in Paſtam, ſecundum Artem: Uſus tempore, recipe hujus paſtæ *unciam unam,* & cum Aquæ Hordei *libra una,* fiat Emulſio, ex Arte.

Aliam Paſtam Regalem operoſioris compoſitionis, vid. in Pharm. Aug. Reform. & *apud* JUNGKEN. Corp. Pharmac. Univerſ. *pag.* 274. *Conf. ſupra* Confectio Alkermes Regia.

Paſtilli Fœtidi, *ſive* Aviculæ Aethiopicæ pro Suffitu.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Hydrargyri,

Florum Sulphuris, *ana unciam unam.*

Miſceantur exacte, in Mortario marmoreo, cum piſtillo Vitreo; dein miſtis adde:

Salis Ammoniac. pulv. *unciam ſemis.*

Car-

Carbonum Salicis Pulv. *unc. un. ſemis.*
Cum ſufficienti quantitate Gummi Tragacanth. in Aqua ſoluti, formentur ſec. Artem. Paſtilli.

Hæ vero Aviculæ æthiopicæ, peregrino & inſolito quidem nomine, ſic dictæ, nec colore, nec odore pulchræ ſunt & jucundæ, multo minus voce ſuaves: Uſus quoque earum admodum anceps & ſuſpectus eſt, illisque potiſſimum convenire videtur, qui venerem crudelem Mercurio doloſo placare, atque ſic malum malo curare, dura neceſſitate, coguntur. Quare, me quidem judice, hæ Aviculæ æthiopicæ ocyus potius avolent ad tetros exuſtosque Aethiopes, ſive rectius ad ipſum illum triſtem & aſpectu horridum Aethiopem mineralem, jam ſupra ex merito, dilaudatum, ad cujus quippe proſapiam ipſa natura & compoſitione, omni jure pertinent, uti & ad pilulas ſic dictas æthiopicas, quarum deſcriptionem mox in ſequentibus, dabimus potius, quam commendabimus, ex eadem nempe ratione, quod ſcilicet pariter diri æthiopis mineralis tetra progenies ſunt. Suaviores vero odore, & tutiores uſu, Aviculas Cyprias dictas, exhibet nobis RENODAEUS, Inſtitut. Pharmacevt. *Lib. V. Cap.* 27. *pag.* 258. *dignas omnino, quæ audiantur, & in uſum odoriferum adhibeantur. Similes autem Aviculas Cyprias fragrantiores deſcribit cel.* GAUBIUS, *de* Formul. *pag.* 324.

Paſtilli Odorati pro Fumo.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Ladani puriſſimi pinguioris,
Benzoini, *ana uncias quatuor.*
Styracis Calamitæ, *unciam un. ſemis.*
Gummi Tacamahacæ opt. *drachmas quatuor.*
Balſami Peruviani ſicci, *unc. un. ſemis.*
Olibani, *drachmam unam ſemis,*
Myrrhæ electæ, *drachmam unam.*
Balſami Peruviani, *unciam unam.*
Ambari Cineritii, *drachmas quatuor.*
Moſchi,
Zibethi, *ana ſcrupulos duos.*
Oleorum eſſential. Ligni Rhod. *drachmam unam.*
Neroli,
Citrei,
Bergam. *ana gutt. ſedecim.*
Cinnamomi,
Caryophyll. *ana gutt. octo.*
Pulver. Gummi Laccæ granoſ. *uncias quinque.*
Caſcarillæ,
Ligni Aloës,
Rhodii,
Santali citrini,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Mahalep, *ana drachmas duas.*
Formentur Paſtilli, Balneo Maris, ſecundum Artem.

Uſus per ſe patet ex ipſa Inſcriptione. Sanorum potius, quam ægrorum, naribus conveniunt hi paſtilli odorati: In voluptatem nempe magis compoſiti, quam in utilitatem. Paſtillos Rufillus olet, *ut inquit Horatius.*

Ceterum conf. ſupra Candelæ fumales, & infra Pulveres fumales.

Paſtilli Odoriferi Alii.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 274.

℞. Radic Cyperi, *unciam unam ſemis.*
Calami aromatici,
Carbonum e Salice, *ana unciam unam.*
Styracis Calamit.
Benzoini, *ana drachmas duas.*
Mucilag. Gummi Tragacanth. Spiritu Vini extract. *quant. ſufficit.*
Fiant Paſtilli, ſecundum Artem.

Super prunas ardentes conjecti, ſuaviſſimum odorem exhalando, Conclavium pædorem corrigunt. Conf. ſupra Candelæ Fumales.

Philonium Romanum.

Videatur Electuarium.

Philonium Perſicum

Avicennæ, Proſper Alpin.
Med. Aegypt. Lib. IV. Cap. 13. *pag.* 311.

℞. Piperis albi,
Semin. Hyoſcyami albi, *ana drachm. viginti.*
Opii opt.
Terræ Sigillatæ, *ana drachm. decem.*
Croci, *drachmas quinque.*
Euphorbii,
Spicæ Nardi,
Pyrethri, *ana drachmas duas.*
Caſtorei,
Camphoræ, *ana ſcrup. quindecim.*

Contundantur omnia, quoad pulverizentur, & per Setaceum trajiciantur; quæ ſimul miſce, & rurſum fac, ut per Setaceum exeant, ex quibus, cum Mellis deſpumati idonea quantitate miſtis, Fiat Electuarium, quod per Menſem, in Clauſo Vitreato Vaſe, ad uſum ſervetur. Cujus apud Aegyptios uſus eſt familiariſſimus, ad immoderatum ſanguinis, vel alterius humoris fluxum, præſertim vero ad menſtrua profluvia firmanda, atque ad Gonorrhœam.

Ita quidem ipſe magnus Proſper Alpinus. Sed pace quidem tanti Viri manium, eſt omnino, quod de his jactatis Philonii *hujus* Perſici *virtutibus, in cohibendo nimio ſanguinis & ſeminis fluxu, adhuc dubitem. Propter adjectam enim ingentem piperis albi, pyrethri, croci, & inprimis diri Euphorbii, quantitatem, ut alia taceam, aptius profecto videtur hoc Electuarium, ad augendum & incitandum magis ſanguinis fluxum, quam minuendum, aut reprimendum: ideoque, ex his ipſis rationibus, fortiores nocendi vires ipſi ineſſe videntur, quam quidem alteri* Philonio Romano *notiſſimo, &, quod dolendum, uſitatiſſimo, de quo ſupra, ſub* Electuariis. *Ceterum notum quoque eſt aliud* Philonium Perſicum Meſuæ, *in plerisque huic ſimile quod deſcriptum habetur in Diſp. Florent. Lond. Brand. Hamb. & nonnullis aliis. Vid. &* KAEMPFERI Amoen. Exot. Faſc. *III. pag.* 644. *De quo vid.* B. SCHULZII Prælect. *pag.* 225. *qui vero, quod mirum, ipſius peſtiferi Euphorbii doſin augendam potius cenſet, quam minuendam, aut, quod in Diſp. Brand. & aliis, rectius factum, plane rejiciendam, quoniam nempe, ejus judicio, Euphorbium ſit Opii corrector; quamvis Opium pro Euphorbii correctore, contra, habeat* GESNERUS, Epiſt. Med. ult. *Lib. I. & alibi, quod tamen parum refert. Sed jure vereor, ne hic ſic dictus corrector longe pejor ſit ipſo correcto, aut corrigendo, & Magiſter quaſi multo deterior & vitioſior ipſo, ut ſic dicam, diſcipulo caſtigando. Vid. ſupra Part. I. ad ipſum* Euphorbium, *dicta.*

Pilulæ Æthiopicæ.

Pharm. Bat. pag. 114. *Wirt.*

℞. Aethiopis mineralis, *unciam unam.*
Reguli Antimonii medicinalis,
Gummi Guajaci, *ana unciam ſemis.*
Extracti Sarſaparillæ, *unciam unam.*
Fiat maſſa pilularum.

In ſcabie maligna, hydrope, febre quartana, ulceribus fœtidis &c. commendari non ſine fructu ſolent. Sed merito

terret niger ille Aethiops mineralis, de quo ſupra.

Doſis eſt a granis duodecim, ad grana viginti quatuor, ad drachmam ſemis usque *Tertiam partem Æthiops mineralis, & ſextam Regulus Antimonii conſtituit. In* Pharm. Reg. CHARAS, *T. I. pag.* 313. *alia occurrit harum Pilular. Compoſitio. Vid. &* Pharm. Edinb.

Pilulæ Aethiopicæ Aliæ.

Diſpenſ. Edinb.

℞. Aethiopis mineralis, *uncias duas.*
Reſinæ Guajaci, *unciam unam.*
Sulphuris aurati Antimonii, *ſemiunciam.*
Balſami Capyvi, *quantum ſufficit,* ut Fiat ſecundum Artem, Maſſa Pilularum.

Pariter in Hydrope, Scorbuto, Scabie, Lepra, & Lue inprimis Venerea, ingentis efficaciæ & Virtutis eſſe creduntur hæ quidem pilulæ ſat concinnæ alioqui compoſitionis: Crederem equidem ipſe; niſi adjectus ſimul illis eſſet fœdus ille & terribilis Aethiops mineralis, cujus uſus vix unquam tutus. Vid. ſuperius dicta ad Aethiopem mineral. *& ad* Aviculas Aethiopicas.

Pilulæ Aloes Fragatæ, Roſatæ, Violatæ.

De his vid. *Diſpenſ. Vienn. Prag.* & alia, item ſupra, ſub *Aloe.*

Pilulæ Aloephanginæ.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Lond. & rel.

℞. Specierum aromaticarum caryophyllatarum, *unciam unam.*
Myrrhæ electæ,
Maſtiches, *ana drachmas tres.*
Croci, *drachmam unam ſemis.*
Extracti Aloës, *uncias duas.*
Miſce, fiat maſſa, ex qua formentur pilulæ.

Sunt aromaticæ, ventriculum roborantes, appetitum excitantes, atque concoctionem promoventes.

Doſis eſt ſcrupulus unus. *Dimidia pars eſt Extractum Aloës, hinc, præter ſupra laudatas virtutes, etiam alvum ſtimulandi vim habent. Vid.* SCHULZ. *pag.* 228.

Pilulæ de Ammoniaco.

QUERCETANI, *Pharm. reſtit. pag.* 301. *ſive rectius* Lazar. RIVERII.

Diſp. Brand. Wirt. Argent. &c.

℞. Extracti Aloës, aqua fontana præparati, *uncias duas.*
Gummi Ammoniaci puriſſimi, aceto ſcillitico ſoluti & ad conſiſtentiam extracti inſpiſſati, *unciam unam ſemis.*
Myrrhæ electæ,
Maſtiches,
Benzoës electæ,
Rhabarbari, *ana drachmas duas.*
Croci, *ſcrupulos duos.*
Salis Abſinthii, *drachmam unam.*
Miſce, fiat maſſa pilularis.

Incidunt lympham viſcidam & educunt; proſunt hypochondriacis, in affectibus uterinis, aſthmate, tuſſi, cachexia, febribus inveteratis, præcipue quartana. Vid. SCHULZ. Præl. *pag.* 228. & CARTHEUS. Pharmacol. *pag.* 614. *Ceterum Conf. infra,* Pilulæ Cachecticæ, *& præſertim* Pilulæ Hypochondriacæ, *ejusdem fere compoſitionis, & ejusdem uſus.*

Doſis grana duodecim, ad ſcru-

pulum unum. *Drachma una habet fere ſcrupulum gummi Ammoniaci.*

Pilulæ de Ammoniaco, Antiſcorbuticæ, Medicorum Hafnienſium. Thom Bartholini.

Ciſta Med. Hafn. pag. 512.

℞. Aloës, ſucco Cochleariæ ter lotæ, *unciam ſemis.*
Gummi Ammon. in Aceto ſcillit. ſolut. *drachm. unam.*
Chalybis præparati, *ſcrupulos quatuor.*
Myrrhæ,
Cremoris Tartari, *ana ſcrupulos duos.*
Salis Abſinthii,
Croci, *ana grana duodecim.*

Cum Syrupo Roſ. ſolut. Fiat lege Artis, Maſſa. Quæ ſeſe ſua concinna Compoſitione ſatis commendat.

Doſis eſt ſcrupulus unus, & paullo ultra; vid. ibidem BARTHOLIN. pag. 503. & in ſqq.

Pilulæ de Ammoniaco Chalybeatæ.

Diſpenſ. Edinb.

℞. Gummi Ammoniaci, *ſeſquiunciam.*
Aloës Socotorinæ,
Salis Martis, *ana unciam unam.*
Myrrhæ,
Reſinæ Guajaci,
Extracti Gentianæ, *ana ſemiunciam.*
Croci, *drachmas duas.*
Elixir. proprietatis, *quantum ſufficit.*

Miſce: Fiat Maſſa Pilularis, ſecundum Artem, iisdem uſibus antiſcorbuticis & anticachecticis egregie inſervitura. Plures ejusmodi pilul. Chalybeatarum compoſitiones, vid. apud. FULLER. pag. 284. ſqq.

* * *

Pilulæ Anethinæ.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Aloës Socotorinæ,
Dacryd. Sulphurat.
Trochiſcor. Alhandal. *ana unc. duas.*
Magiſterii Jalappæ, *unc. unam ſemis.*
Extracti Helleb. nigr. *unciam unam.*

Pulveriſ. Miſc. & cum Spirit. Aniſi ſuff. quant. fiat Maſſa pilularis, in fine denique addendo:
Olei Anethi ſtill. *drachm. unam ſemis.*

Seroſos, bilioſosque humores ex Univerſo Corpore blande educunt Ventriculum & hepar, ut & nervoſas partes corroborant.

Utinam hæc omnia vera ſint! Mihi certe nimis draſticæ Virtutis eſſe videntur pilulæ.

Pilulæ Angelicæ.

Diſp. Brand. Wirt. Vien.

R. Aloës Socotorinæ, *libram unam.*
quam diſſolve in
Succorum depurator. Cichorii,
Endiviæ,
Fumariæ,
Roſarum Damaſcenarum, *ana libra una.*

Solutio clarificetur, poſtea, lento igne, ad juſtam conſiſtentiam percoquantur, & cum ſequentium pulvere.
Rhabarbari electi, *uncia una.*
Agarici trochiſcati, *uncia ſemis.*
Cinnamomi electi, *drachmis duabus.*
Fiat maſſa pilularis.

Leniter ſubducunt alvum. Vid. hic SCHULZ. Prælect. *pag.* 228.

Doſis grana duodecim, ad ſcrupulum unum.

* * *

Pilulæ Aperientes Stahlii.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Aloës roſatæ, *unciam unam.*
Extracti Panchymagogi, *unc. ſemis.*
Limaturæ Martis, ſubtiliſſime pulveriſatæ, *drachmas duas.*
Fiant pilulæ.

Alvum liberam ſervant, & parva doſi, ante ſomnum deglutitæ, obſtructam aperiunt. Vid. SCHULZ. *pag.* 229.

Doſis grana quinque, ad decem.

Pilulæ Martiales Aperitivæ.

Collectan. Chym. Leyd. pag. 101.

℞. Gumm. Ammon. *uncias duas.*
Myrrhæ rubr. *unc. unam.*
Croc. Mart aperitiv. *drachm. ſemis.*
Fiant cum ſuff. quant. Elix. Paracelſ. Pilulæ, *No. ſexaginta.*

Doſis, a pilulis tribus, ad quinque.

Utrique ſex ut in obſtructionibus reſerandis, apprime conveniunt.

Pilulæ de Aquilegia.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Semin. Aquileg. *drachm. ſex.*
Croci Orient. *drachmam unam.*
Tartari Vitriol. tenuiſſime triti, *ſcrupulum unum.*
Conſerv. Cynorrhodonis, *quant. ſuff.*
Miſc. Fiat Maſſa Pilular. ſecundum Artem.

Sunt Virtutis antiſcorbuticæ, antiſpaſmodicæ & diureticæ; Conducunt & in Ictero, Vertigine, item pectoris & uteri morbis, ut creditur.

Pilulæ Aureæ.

Diſp. Lond. Leid. Wirt. Brand. Argent. & rel.

℞. Aloës Succotrinæ,
Diacrydii ſulphurati, *ana drachmas decem.*
Florum Roſarum,
Seminum Apii,
Fœniculi,
Aniſi, *ana drachmas tres.*
Maſtiches electæ,
Croci Orientalis,
Trochiſcorum Alhandal, *ana drachmas duas.*

Cum ſufficiente quantitate ſpiritus vini, fiat maſſa.

Virtutes prædicantur cephalicæ, purgant, & humores a capite derivant; hinc etiam oculorum aciem juvare laudantur. Vid. SCHULZ. *pag* 229.

Doſis grana duodecim, ad ſcrupulum unum.

Pilulæ Balſamicæ Aperitivæ.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Extract. Rhabarb. ſimpl. *drach. duas.*
Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Abſinthii,
Aloës roſatæ,
Opobalſami,
Pulv. Rad. pimpinell. alb. *ana drachmam unam.*
Arcani duplicat. *drachm. tres.*
Myrrhæ rubrae electae,
Olibani electi,
Extracti Croci, *ana ſcrupulos duos.*
Olei deſtillat. Cinnamomi,
Citri Veri, *ana guttas viginti.*
Miſc. & cum ſuff. quant. Eſſ. Cort. Aurantior. Tartariſat. fiat lege Artis, Maſſa Pilularis.

Aperientis, incidentis, ſimulque ſtomachum & viſcera interna roborantis ſunt virtutis. Egregia ſane eſt compoſitio.

Pilulæ Balſamicæ Mortonianæ.

Deſcriptæ in ipſius *Phthiſiologia*, L. II Cap. 8. pag. 184. & repetitæ a FULLERO, *Pharm. Extemp.* pag. 279.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Prag. CHARAS. *T. I. pag.* 315.

℞. Millepedum, *drachmas tres.*
Gummi Ammoniaci electi, *drachmas duas ſemis.*
Florum Benzoës, *drachmam unam.*
Croci Orientalis,
Balſami Peruviani, *ana gr. quindecim.*

Miſce, cum ſufficiente quantitate Balſami Sulphuris aniſati, fiat maſſa.

Ad tuſſim chronicam ſcrophuloſam & phthiſicam, pulmonibus phlegmate viſcoſo infarctis, ſcirrhoſis, atque cum tuberculorum generandorum ſuſpicio eſt, commendantur.

Doſis ſcrupulus ſemis, bis vel ter in die, *ſuperbibendo hauſtum decocti appropriati. Ceterum conf. infra* Pilulæ Stomachicæ Magiſtral. Mortonianæ.

Pilulæ Benedictæ Faventini.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Succi Glycyrrhizæ, *unciam unam.*
Aloës lotæ, *unciam ſemis.*
Maſſ. Pil. de Cynogloſſ. cum Caſt. *drachmas duas.*

Miſc. & cum Syrup. Viol. ſuff. quant. fiat Maſſa Pilularis.

Humores impactos reſolvunt, & ſubducunt, doloresque inde ortos mitigant.

Pilulæ Cachecticæ.

Diſp. Leovard. Wirt. FULLERI, *p.* 280.

℞. Gummi Ammoniaci puriſſimi, *drachmas ſex.*
Extracti Aloës gummoſi, *unc. ſemis.*
Chalybis, in alcohol redacti, *drachmas quinque.*
Olei deſtill. caryophyllorum,
Aniſi, *ana ſcrupulum ſemis.*

Miſce ſufficienti cum quantitate ſpiritus vini, fiat maſſa.

Obſtructiones reſolvunt, fibris laxatis tonum conciliant, habitum corporis emendant; cachecticis, ictericis, menſium vitio laborantibus atque hypochondriacis proſunt, alvum leniter ſtimulant. Conf. infra Pilulæ Hypochondriacæ, & *ſupra* Pilulæ de Ammoniaco.

Doſis grana quindecim, ad drachmam ſemis.

Pilulæ Caſtitatis.

Pharm. Batean. pag. 80.

℞. Pulv. Rad. Nymph. *unc. ſemis.*
Sacchari Saturni, *drachmas duas.*
Off. Sepiæ, *drachmas ſex.*
Camphoræ, *drachmam unam.*
Syrup. de Nymph. *quant. ſufficit,* ut Fiat Maſſa.

Nimiam ſalacitatem compeſcere fœdamque Gonorrhœam cohibere ac ſiſtere creduntur quidem hæ pilulæ. Neque ipſe tributas has ipſis Virtutes plane illis adimerem, modo abeſſet ſuſpectum illud & Vireſum Saccharum Saturni, cujus quippe internum uſum ſemper vitandum ac vetandum eſſe, jam aliquoties ſerio candideque monuimus. Vid. mox uberius dicenda, ad Pilulas Saturninas, *ejusdem fere cum his, compoſitionis, ejusdemque uſus, adverſus nempe ſordidam gonorrhœam pariter directi. An vero de cetero, hæ ipſæ pilulæ Caſtitatem inducere, laſcivaque Veneris indomitæ gaudia infringere & extinguere poſſint, ut quidem vulgo traditur; de eo adhuc pauliſper dubitare, ſpero, licebit. Conf. ſi*

placet, *ſupra dicta*, *ad* Eſſentiam Caſtitatis.

Pilulæ de Caſtoreo.

Pharm. Extemp. FULLERI, *pag.* 282.

℞. Pulveris Caſtorei, *ſcrupulos duos.*
Salis Cornu Cervi,
Succini, *ana ſcrupulum unum.*
Balſami peruviani, *guttas ſedecim.*
Diaſcordii, *quantum ſufficit.*

Miſceantur: Fiant ſecundum Artem, pilulæ *No. triginta. Singulis doſibus addi poſſint*, (ſi Medico ita viſum fuerit)

Salis Chalybis, *grana tria.*

Amiciſſimæ ſunt hæ Pilulæ Mulieribus hyſterice affectis, *nec audiendus hic eſt* ZWELFERUS, *qui in* Pharm. Reg. *Claſſ. VI. pag.* 546. *externum quidem Caſtorei uſum fœminis hyſtericis prodeſſe aſſerit*, *internum vero ejusdem*, *magis obeſſe perhibet: quod de nonnullis quidem*, *quibus natura & idioſyncraſia ſingulari*, *Caſtoreum inimicum eſt*, *quales novimus*, *haud vero de omnibus generatim*, *ita ſtatuendum eſt.*

Ceterum alias de Caſtoreo pilulas Avicennæ, *vid. apud eundem* ZWELFER. *pag.* 112. & Diſpenſ. Prag.

Pilulæ Catarrhales.

Diſpenſ. Brand.

℞. Maſſæ Pilular. de Succino,
Extracti Pilular. Cochiar. *ana unc. un.*
Dacrydii Sulphurati, *drachmas ſex.*
Cum ſuff. quant. Eſſ. Succini,
Fiat Maſſa Pilularum, e qua formentur Pilulæ, *grani unius*, *ponderis.*

Proſunt in cephalalgia, *dolore dentium*, *ſuſurro aurium*, & *faucium pituitoſa inflatione.* Doſis eſt ſcrupul. unus, aut drach. media. *Ita* SCHULZ. *pag.* 230.

Pilulæ Catholicæ.

Vid. infra
Pilulæ Imperiales.

Pilulæ Cephalicæ.

Diſp. Brand. Wirt. Argent. & rel.

℞. Maſſæ pilularum de Succino,
Cochiarum, *ana unciam unam.*
Specierum Diambræ, *drach. unam.*
Fiat maſſa cum eſſentia Succini.

Sunt leniter purgantes, & *conveniunt dolore dentium & aurium tinnitu laborantibus; proſunt etiam in faucium pituitoſis tumoribus. Caute tamen in Gravidis*, *adhibendas eſſe*, *exemplo funeſto docet* RIEDLINUS, Lin. Med. *Ann.* 1696. *Menſ. Jul. Obſ.* 17. *p.* 333. *ſq.*

Doſis grana quindecim, ad drachmam ſemis.

Pilulæ Cephalicæ.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 283.

℞. Pilular. fœtidarum, *grana quindecim.*
Reſinæ Jalappæ,
Caſtorei opt.
Salis Succini, *ana grana quinque.*
Olei Succini, *guttas duas.*
Spiritus Lavendulæ compoſiti, *quantum ſufficit.*

Miſceantur: Fiant, lege Artis Pilulæ *No. ſex.*

Mediocris hæ pilulæ ſunt operationis; & *apprime conveniunt*, *ubi capitis dolori*, *paralyſi*, *affectibus ſoporoſis*, *convulſivis*, *aut hyſtericis obnoxii*, *purgatione opus habent.* Dentur tres veſperi, & tres, mane ſequenti, cum levi Regimine.

***

Pilulæ Cephalicæ Ambratæ Mercklini.

Tabul Smaragd. pag. 266.

℞. Ligni Aloës, *ſcrupulos duos.*
Trochiſcor. odorator. Catechu, *ſcrupulum unum.*
Ambræ gryſ. *grana quinque.*
Confert. Alkerm. complet. ad juſtam ſpiſſitudinem redactae, *drachmam ſemis.*
Cum Eſſent. Ambræ liquid. *quantum ſufficit.*

Fiant lege Artis, Pilulæ, pond. grani unius; obducantur foliis Lunæ, & ſerventur, pro uſu, ſi quem habeant.

Caput quidem atque Memoriam mirifice roborare, & in ore detentæ, animam fœtidam egregie emendare dicuntur. Et hoc poſterius magis equidem credo, quam prius: jure enim vereor, ne ſuaveolentes iſtæ pilulæ in multis ſubjectis, caput potius gravent, quam levent.

Pilulæ Cephalicæ Mayerni.

Collectan. Chym. Leyd. pag. 146. *Diſpenſ. Amſt. Groning.*

℞. Foliorum Rorismarini,
Cardui Benedicti,
Meliſſæ,
Radicis Cichorii,
Florum Stœchados Arabicæ,
Centaurii minor. *ana manip. un.*
Foliorum Sennæ, ſ. ſtip. *unc. ſemis.*

Bulliant omnia in ſuffic. Quantitate Aquæ Fontanæ, ad Remanentiam *libræ ſemis*, in qua diſſolve
Aloës electæ, in Aqua Roſar. lotæ, *uncias quatuor.*

Fiat Evaporatio, ad Conſiſtentiam pilularum.

Doſis ſit a ſcrupulo ſemis, ad drachmam ſemis.

Impoſitum his pilulis nomen de ipſarum Virtute etiam indicium facit; quod nempe ſint cephalicæ, nervinæ & analepticæ; unde in morbis capitis pituitoſis & catarrhalibus potiſſimum, haud ſpernendum ab eis auxilium fuerit expectandum: Si nempe juſto tempore, adhibeantur.

Pilulæ Claſſianæ.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Aloës Socotorinæ, *uncias octo.*
Radicis Aronis recent. & contuſæ, *unciam ſemis.*

Affundatur Aqua nivis martialis, ad ſex digitorum eminentiam: ſtent in digeſtione, ad Tincturæ extractionem, quæ filtretur, & leni igne evaporet, ad Extracti Conſiſtentiam: ubi cum Eſſentia Abſinthii fiant pilulæ, ex grano uno, numero quatuor.

Ad craſſos & viſcidos humores, e primis viis reſolvendos, & ſubducendos, adhibentur. Ceterum nomen habent a Medico inventore, Claſſio.

Pilulæ Clementinae.

Diſpenſ. Vienn. Prag.

℞. Croci Solis purpurei,
Pulv. Viperarum Romanarum,
Magiſterii perlarum ſolubilis,
Coralliorum ſolubilis,
Croci Auſtriaci,
Cornu Alcis præparati,
Cranii humani præparati, *ana dr. ſex.*
Opii Correcti, *uncias duas ſemis.*

Cum ſufficienti Quantitate Tincturæ Coralliorum, Fiat lege Artis, Maſſa Pilularis, cui addantur:
Olei deſtill. Caryophyllorum, *guttæ triginta.*

Formentur e *ſcrupulo uno*, Pilulæ

læ ſedecim, & Fol. Argenti, vel Auri obducantur.

Virtutes ſunt Cordiales, cephalicæ, alexipharmacæ & roborantes, hincque in omnibus malignis ſubveniunt. Hæc ita quidem ibi traduntur. Mihi tamen, ut ingenue eloquar, haud uſque quaque probatur hæc ipſa Compoſitio. Ut enim de fatuis illis ingredientibus Cornu Alc. & Cran. human. præſertim, jam nihil dicam, quippe quæ, quum nihil proſint, nihil tamen etiam nocere poſſunt: præcipue ego vehementer offendor ingenti illa, & omnem pæne modum & morem excedente adjecti opii quantitate, quæ inde aut valde moderanda ac circumcidenda; aut certe ſumma cum circumſpectione, & perquam exigua doſi, utendum erit his ipſis pilulis, ut & bene monitum fuit in Diſpenſ. Prag. *in Not. ubi tamen longe moderatior & humanior Laudani opiati doſis præſcripta deprehenditur. Ceterum has ipſas pilulas a pharmacopœa Collegii Soc. Jeſ. ad Sanct. Clementem, ubi venduntur & ſæpius expetuntur, nomen ſuum ſortitas fuiſſe, ibidem ſimul docetur.*

Pilulae Cochiae Rhaſis.

Diſp. Florent. Lond. Wirt. Brand. & rel.

℞. Specierum Hieræ picræ Rhaſis, *drachmas decem.*
Trochiſcorum Alhandal *drachmas tres, ſcrupulum unum.*
Diacrydi, *drachmas duas ſemis.*
Stœchadis Arabicæ,
Turbith, *ana drachmas quinque.*
Syrupi de Stœchade, *quantum ſatis.*
Fiat maſſa.

In affectibus capitis, ad pituitam evacuandam uti illis ſolent.

Doſis grana quindecim, ad viginti. *Scrupulus continet Diacrydii grana duo, de Trochiſcis Alhandal grana tria.*

Pilulae de Creta Palmarii, de Lue Ven. Cap. 9. pag. 179.

Pharm. Bat. pag. 117. JUNGKEN, *C. P. pag.* 781.

℞. Aloës optimæ, *unciam unam.*
Cretæ albiſſimæ,
Succini albi,
Gentianæ,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Myrrhæ,
Rad. Frapinellæ, *ana drachm. unam.*
Mithridat. *ſcrupulos quatuor.*
Terebinthinæ lotæ, *drachmas duas.*
Syrupi de Althæa, *quant. ſuff.*
ut fiat Maſſa.

Ad Gonorrhœam curandum, nihil æquale: Idem præſtant in profluvio albo. Sunt, qui addant Calomelanos unciam ſemis, vel drach. ſex. Tumque dentur ad ſcrup. duos, vel drachm. unam, hora ſomni, omni nocte, per dies quindecim. Effectus expectetur. Vid. ASTRUC, *de* Morb. Vener.

Pilulae Cretaceae.

Pharm. Bat. ib. JUNGKEN. *C. P. p.* 781.

℞. Cretæ albiſſimæ,
Santali alb.
Nucis Moſchatæ, *ana partes æquales.*
Cum Terebinth. Chienſ. quant. ſuff. fiat Maſſa.

Proficuæ ſunt in profluvio albo, &c. Doſis ad drachm. unam, bis in die: *Superbibendo ſerum cereviſiale foliis conſolidæ alteratum. Conf. infra,* Species Diacretæ Mynſichti & Camerarii.

***

Pilulae Croceae.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 287.

℞. Extracti Croci opt. *grana ſedecim.*
Florum Benzoin. *grana viginti quat.*
Succi Glycyrrhizæ Hiſpan. *ſcrupul. duos ſemis.*
Olei Aniſi, *guttas duas.*
Elixir. propr. *quantum ſufficit.*
Miſc. Fiant Pilulæ *No. viginti quatuor.*

Pulmonibus lympha tenaci acrique oppletis & oppreſſis fortiter ſuccurrunt, lymphæque acrimoniam temperant, tuſſimque ferinam mitigant. Sumantur pilulæ duæ, ter de die, ſuperbibaturque Hauſtus conveniens.

Pilulae de Cynogloſſo.

Diſp. Argent. Brand. Wirt. Lond. Leid. Edinb. Vienn. & rel.

℞. Radicum ſiccarum Cynogloſſi,
Seminis Hyoſcyami albi,
Opii depurati, *ana unciam ſemis.*
Myrrhæ, *drachmas ſex.*
Thuris, *drachmas quinque.*
Styracis calamitae,
Caryophyllorum,
Cinnamomi, *ana drachmas duas.*

Succi de Cynogloſſo & Syrupi Violarum *ana quantum ſufficit*, fiat pilularum maſſa. Conf. ſupra, *Eſſentia Maſſæ pilular.* de *Cynogloſſo Stahlii.*

Catarrhos tenues ſiſtunt, tuſſim mitigant, hæmoptoicis & ſtranguria laborantibus proſunt, dolores ſedant. Vid. SCHULZ. *pag.* 231. CARTHEUSER. Pharmacol. *p.* 615. & LOESEKE, Mat. Med. *pag.* 570. *item* GEOFFROY, Mat. Med. *T. III. p.* 396. & ZORN. *p.* 256.

Drachma una hujus maſſæ grana octo opii complectitur.

Doſis grana tria, ad quinque.

Pilulae de Cynogloſſo, cum Caſtoreo.

Diſp. Vienn. Wirt. &c.

Adde ſpeciebus modo dictis,
Croci,
Caſtorei, *ana drachmas duas.*

Vires ſunt, uti præcedentium, ac eadem, vel paulo majori doſi poſſunt dari.

Pilulae Diacurcumae.

FULLER, *Pharm. extemp. pag.* 288.

℞. Pulv. Rad. Curcumae, *drach. unam.*
Croci optimi, *grana octodecim.*
Salis Volat. Sal. Ammon.
Succini, *ana drachmam ſemis.*
Piperis longi, *grana duodecim.*
Theriacae Venetae, *dr. unam ſemis.*
Olei Roriſmarin. *guttas quatuor.*
Spiritus Lavendul. comp. *dr. ſemis.*
Syrup. de quinque Rad. aperient. *quant. ſuff.* ad Maſſ. Pil.

Valent in Cachexia, Ictero, Hepatis obſtruct. Doſis a ſcrup. uno, ad drachm. ſemis.

Pilulae Dominarum.

Diſpenſ. Prag.

℞. Extracti Ligni Aloës,
Caſtorei, *ana ſcrupulum unum.*
Croci opt. *ſcrupulum ſemis.*
Salis Perlarum,
Coralliorum,
Jovis, *ana grana quindecim.*
Pulv. Viperarum, *drachmas duas.*
Theriacæ Smaragdin. *ſcrupul. unum.*

Miſce cum Mucilagine Tragacanthi, (alii cum Syrupo de Artemiſia,) formentur pilulæ, pondere grani unius, quæ conſpergi ſolent pulvere Florum Lavendulæ.

Dicuntur vulgo Marquartiſche

Pillen, quas Baroniſſa de *Marquart* ſingulariter ſibi & aliis, tum in affectibus uterinis, tum aliis Spaſticis a D. D. Caſſinis commendatiſſimas habuit. *Doſis a granis tribus, ad quinque, & ultra.*

Non eſt alias, quod moneam de hac Compoſitione ſat ſcita, excepto unico tantum illo Jovis ſale, quod ſicut omnia Jovialia remedia, mihi cum Boerhavio, & aliis cautioribus Medicis admodum ſuſpectum & inviſum eſſe jam ſupra innui, ad Bezoardicum Joviale, & *alibi. Scio quidem hunc Salem Jovis contra morbos inprimis uterinos impenſe commendari, a Chemicis, præſertim* JUNGKENIO, *in* Chym. experiment. *pag.* 317. & *alibi, ubi & parandi modum docet: Sed quoniam longe ſecuriora hyſterica remedia ſuppetunt: igitur hunc immitem Jovem non ſolum ex hac, ſed & omnibus aliis compoſitionibus, propter ſalutem publicam, omnino abeſſe mallemus. Ceterum Conf. infra* Pulvis Dominarum, *ſeu* Mulierum: & CHARAS, Pharm. Reg. *T. I. pag.* 216.

Pilulæ de Duobus.

Diſp. Lond. CHARAS, *T. I. pag.* 300.

℞. Colocynthidos,
Scammonii, *ana unciam unam.*
Olei Caryophyllorum, *quantum ſuff.*
Ut optime malaciſſentur & ſubigantur una: Mox cum momento de Spina Cervina, Fiat Maſſa.

In Diſpenſat. Edinburg. pag. 107. *per lepidum errorem additur his duabus ſpeciebus, Tartarus Vitriolatus. Tum vero hæ pilulæ non de duobus; ſed potius de tribus, ſunt inſcribendæ. Sed levis hic eſt error, vix dignus, qui obſervetur. Interim tamen propter Tirones, monendum duximus. Pilulas vero de Tribus, exhibet* POTERIUS *in* Pharm. Spagyr. *L. III. pag.* 467. *compoſitas ex Rhabarbari, Agarici, & Aloës lotæ, ana drachmis duabus, cum ſuff. Quant. Syrupi Roſar. ſolut. quarum doſis eſt a drachma una, ad drachmas duas, ad humores bilioſos & ſubtiles blande educendos. Sed proſtent etiam hæ pilulæ in Diſpenſ. Renodai, & in aliis Diſpenſatoriis.*

Pilulæ Ecphracticæ.

Diſpenſ. Edinb.

℞. Aloës Succotrinæ, *uncias duas.*
Gummi Ammoniaci, *unciam unam.*
Extracti Hellebori nigri,
Reſinæ Guajaci, *ana ſeſquiunciam.*
Tartari Vitriolati, *ſemiunciam.*
Extracti Gentianæ,
Myrrhæ, *ana drachmas duas.*
Balſami Peruviani,
Croci Anglici, *ana drachmam unam.*
Syrupi de Spina cervina, *quant. ſuff.*
Miſce: Fiat Maſſa Pilularis, ſecundum Artem.

Pilulae Ecphracticae, cum Aculeo.

Ibidem.

℞. Maſſæ Ecphracticæ, *uncias tres.*
Scammonii, *unciam unam.*
Olei ſtillat. Juniperi, *drachm. unam.*
Syrupi de Spina Cervina, *quantum ſat eſt*, ut
Fiat Maſſa Pilularum.

Pilulae Ecphracticae Aliae.

Diſpenſ. Lond. CHARAS, Pharm. Reg. *Tom. I. pag.* 308.

℞. Pilularum aromaticarum, *uncias tres.*
Rhabarbari,
Extracti Gentianæ,
Salis Martis, ſingulorum, *unc. unam.*
Salis Abſinthii, *unciam dimidiam.*

Syrupo Roſarum ſolutivo diligenter contunde in Maſſam.

Omnes hæ Pilularum Compoſitiones & Nominis impoſiti ſignificatione, & ipſa potiſſimum Ingredientium virtute innata, inſerviunt variis Hepatis, Lienis, Meſenterii & aliorum viſcerum obſtructionibus ſenſim reſerandis. Quare & in Morbis hypochondriacis, item & uterinis, præſertim vero fœda puellarum pallentium Chloroſi, non ſine ſperato ſucceſſu, adhiberi poterunt: præſertim autem ultima illa Compoſitio Londinenſis, propter adjectos inprimis Sales Martis & Abſinthii. Ceterum conf. ſupra Extractum Ecphracticum, *item* Mixtura Ecphractica.

Pilulae Emanuelis.

Diſp. Arg. Wirt. Vienn. Brand.

℞. Aloës Succotrinæ, *unciam unam.*
Myrrhæ electæ, *drachmas duas.*
Croci Orientalis, *drachmam unam.*
Cum mithridatio Damocratis fiat maſſa.

Album ſolvunt, ventriculum & inteſtina a flatibus & vitioſis humoribus liberant. Vid. plura de harum pilularum laudibus, apud RIEDLIN. *in* Lin Med. *Ann.* 1696. *Menſ. Maj. Obſ.* 15. *p.* 227. *ſqq. & Ann* 1697. *Menſ. Mart. Obſ.* 31. *p.* 205. *ſq. & Menſ. April. Obſ.* 28. *p.* 273. *item Ann.* 1700. *Menſ. Mart. Obſ.* 14. *pag.* 288. *ubi tamen hypercatharſin & his pilulis obortam obſervavit.*

Doſis ſcrupulus ſemis, ad ſcrupulum unum.

Pilulae Familiares, D. D. Caſſinis.

Diſpenſ. Prag.

℞. Extracti Aloës, *unciam ſemis.*
Ellebori nigri, *drachmas duas.*
Myrrhæ electæ, *drachmas tres.*
Croci optimi,
Maſtiches, *ana drachmam unam.*
Miſc. cum Spiritu Vini, vel Tinctura Tartari, Fiat Maſſa, ex qua formentur pilulæ minores.

In omnibus affectibus, & viſcoſis humoribus natis, ſunt polychreſtæ. Doſis ad ſcrupulum unum.

Pilulae Febriles Alterantes.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Extracti Gentianæ,
Centaurii minoris,
Cardui benedicti,
Trifolii fibrini,
Florum Salis Ammon. Martialium,
Balſami Peruviani, *ana drachm. duas.*
Pulv. Corticis Peruviani, *unc. unam.*
Miſc. & cum ſuff. quant. Eſſent. Trifol. Fibr. fiat Maſſ. Pil.

Pilulae Febriles Hoffmanni.

ad POTER. *Pharm Spag. L. III. p.* 465.

R. Corticis Chin. Chin. pulver. *dr. tres.*
Fiant cum Mucilagine Tragacanth Pilulæ ex *ſcrupulo uno, triginta.*

Pilulae Febriles aliae ejusdem.

Ibidem.

℞. Extracti Centaurii minoris, *dr. tres.*
Cortic. Chinæ Chinæ, *drachm. duas.*
Florum Salis Ammoniaci, *dr. ſemis.*
Miſc. Fiant Pilulæ, ex *ſcrupulo uno, No. viginti.*

Pilulae Febriles Purgantes.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Maſſæ pilular. Tartarear. Schrœder. *unc. tres.*
Extracti Gentianæ,

Trifolii fibrini, *ana unc. un. ſemis.*
Pulv. Syrii, (h.e. Magiſter. Scammon.) *unciam unam.*
Miſc. & cum ſuff. quant. Eſſ. Cent. min. f. Maſſa pilularis.

Pilulae Febriles Purgantes. Gaubii.

de Form. Med. pag. 109.

℞. Maſſ. Pilular. Ruffi, *ſcrupulum unum.*
Reſinæ Jalappæ, *grana quatuor.*
Salis Abſinthii, *grana duo.*
Elixir. propriet. ſine acido, *quantum ſufficit.*

Miſc. Fiant pilulæ, *No. novem.* die intermiſſionis, mane, pro doſi, capiendæ.

Pilulae Fœtidae Majores Meſue.

Diſp. Brand. Wirt. Prag. Vienn. Leid. & rel.

℞. Hermodactylorum,
Eſulæ præparatæ, *ana drachm. duas.*
Turbith, *drachmas quatuor.*
Zinziberis, *drachmam unam ſemis.*
Spicæ Indicæ, *drachmam unam.*
Epithymi,
Colocynthidis,
Seminis Rutæ hortenſis,
Sagapeni,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Bdellii,
Aloës, *ana drachmas quinque.*
Euphorbii, *ſcrupulos duos.*
Scammonii præparati, *drachm. tres.*
Cinnamomi,
Croci,
Caſtorei, *ana drachmam unam.*
Succi Porri depurati, *quantum ſatis.*

Fiat maſſa; gummi in Porri ſucco ſolvantur, quibus deinde Euphorbium per ſe tritum, una cum ceteris, addatur, pinſantur ut in paſtam abeant.

Ad uteri & menſium vitia, nec non arthriticos affectus & febrem quartanam laudantur; pituitam viſcidam reſolvunt & educunt. Vid. SCHULZ. *pag.* 232. *Mihi vero hæ pilulæ non ſolum fœtidæ ſunt; ſed etiam jure vetitæ videntur, quoniam omnia violentiſſima & acerrima purgantia ſimul continent, nempe Eſulam, Turpethum, Colocynthidem, Euphorbium atque Scammonium. En igitur totam quaſi diabolorum familiam! Conf. ſuperius Part. I. dicta ad ſingulas has vehementiſſimorum Catharticorum ſpecies. Vid. &* Diſpenſ. Brand. *&* Prag.

Pilulae Balſamicae, in Gonorrhœa Venerea.

BOERHAAVE, *Mat. Med. pag.* 177. *&* GAUB. *pag.* 111.

℞. Terebinthinæ vulgaris, *unc. unam.*
Rhei Barbar. *unciam ſemis.*
Glycyrrhizæ ſucc. *quantum ſufficit.*

Ut Fiant Pilulæ, ſingulæ *granorum quatuor.*

Ex quibus ægrotus unam capiat, omni hora.

Pilulae contra Gonorrhœam.

HOFFMANN. *ad* POTER. *Pharm. Spag. L. III. pag.* 465.

℞. Terebinthinæ, *unciam unam.*
Balſami Peruviani,
Copayvæ, *ana drachmam unam.*
Pulv. Rad. Conſolidæ, *drachm. duas.*
Succi Liquiritiæ, *unciam ſemis.*
Reſinæ Guajaci,
Extracti Rhei,
Oculor. Cancr. *ana drachmas tres.*
Mercurii dulcis, *drach. unam ſemis.*

Nitri Vitriolati, *drachmas duas.*
Succini, *drachmas tres.*
Olei Guajaci,
Saſſafras, *ana quantum ſufficit.*
Miſceantur: Fiant lege Artis, Pilulæ, ex ſcrupulo uno, *No. quatuordecim.*

Egregia hæc eſt Compoſitio, magno ſuo Auctore per quam digna, &, ubi opportuno tempore, adhibeatur, uſu ſuo eximio & ſperato ſucceſſu haud caritura.

Pilulae ad Gonorrhœam Junckeri.

Conſpect. Formul. Med. pag. 33.

℞. Gummi Elemi,
Maſtich.
Terræ Catechu, *ana ſcrupul. unum.*
Miſc. Fiant cum Balſ. Ind. Pilulæ, ad *pond. gran. un. quarum doſis granorum duodecim.*

Pilulae ad Gonorrhœam, Ejusdem.

Ibidem.

℞. Oſſ. Sepiæ praeparat. *drachm. ſemis.*
Terebinthinae Venetae, *quant. ſuff.*
Miſc. Fiant lege Artis, Pilulae, ut ſupra. Quae quidem vulgares & ubique obviae ſunt.

Aliæ vero pilulæ contra fœdum ſeminis fluxum, a Lentilio *compoſitæ, occurrunt in* Tabula Smaragd. *pag.* 269. *quæ non plane diſplicerent, niſi adjectas haberent Criſtas Galli & Gallinæ interiores Ventriculi pelliculas, quæ quid huc faciant? nemo dixerit.*

Pilulae Hierae, cum Agarico.

Diſp. Arg. Wirt. Meſſan. & rel.

℞. Specierum Hierae picrae Galeni,
Agarici trochiſcati, *ana unc. ſemis.*
Aloës, *unciam unam.*
Spiritus Vini, *quantum ſatis.*
Fiat maſſa.

Ad aſthma humoroſum, anorexiam, aliasque thoracis & ventriculi affectus commendantur.

Dimidium partem facit Aloë; dari igitur poteſt a ſcrupulo ſemis, ad integrum.

Pilulae Hydropicae.

Pharm. Bat. pag. 117.

℞. Reſin. Jalappae,
Scammon.
Rhabarbari,
Gummi Guttae,
Calomel. *ana unc. ſemis.*
Gummi Ammon. in ſucco Iridis noſtr. praep. *drachmas tres.*
Tartari Vitriol. *drachmas duas.*
Gummi Lentiſci, *drachmam unam.*
Croci Orient. *ſcrupulum unum.*
Spirit. Terebinth. *gutt. quadraginta.*
Cum Syrup. de Spina Cerv. q. ſ.
Fiat lege Artis, Maſſa pilularis, detur ad ſcrupulos duos, vel ultra in fortioribus. *Sed valida & incorrupta adhuc viſcera hæ quidem pilulæ utique deſiderant. Sunt enim, ut quivis perſpicit, ex draſticarum genere. Ideo Bontianas infra laudatas, meo quidem ſenſu, illis merito prætulerim.*

Pilulae Hydropicae Bontii.

Method. Med. Cap. 9. *pag.* 149. *& C.* 12. *pag.* 160.

Diſp. Wirt. Prag. Argent. Ratisbon. Pharm. Reg. CHARAS, *Tom. I. p.* 316. *Vienn.*

℞. Aloës optimae, *drachm. duas ſemis.*
Cummi Guttae, ſubtiliter triti & vino diſſoluti, *drachm. unam ſemis.*

Diacrydii, eodem modo parati, *drachmam unam.*
Gummi Ammoniaci, *drachm. unam ſemis.*
Tartari vitriolati, *drachmam ſemis.*
Fiat maſſa.

Serum potenter educunt, & obſtructiones reſolvunt.

Dari hydropicis poſſunt a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis. *Ipſe tamen* Bontius *omiſit Diacrydium & Tartarum Vitriolatum: Mallem tamen, ut & Gummi Guttæ rejeciſſet, ejusque loco, vel Diacrydium elegiſſet, vel aliud mitius Catharticum. Licet enim Gummi Gutta aquas potenter pellat; tamen ipſi propter malignam & nocivam indolem nunquam ſecure fidendum. Vid. ſupra, ad ipſum* Gummi Gutt. *dicta.*

Pilulae Hypnoticae.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Laudani, *unciam unam.*
Croci pulverat.
Specier. diamargarit. frigid.
Confect. de Hyacinth. *ana drachmas duas.*
Succini,
Corallior. rubr. præparator. *ana drachmam unam.*
Miſc. omnia cum Syrupi de Nymphæa, ſuff. quant. ut fiat Maſſa Pilul.

Pilulæ Hypochondriacæ.

Collectan. Chym. Leyd. pag. 145.

℞. Gummi Ammon. cum aceto præp. *drachmam ſemis.*
Maſtichis elect.
Carab. albiſſ.
Limatur. Mart. in Alcohol. contrit. *ana ſcrupulum unum.*
Myrrhæ rubræ, *ſcrupulum ſemis.*
Trochiſcor. Alhandal. *ſcrupul. unum.*
Reſinæ Jalappæ,
Scammon. *ana grana quindecim.*
Olei Macis ſtillat. *guttas octo.*
Miſc. Fiant lege Artis, pilulae *No. triginta*, Deaurentur. *Dentur pro doſi, pilulæ tres.*

Exhibentur feliciſſime, in obſtructionibus Lienis, Hepatis, Meſenterii, ut & Menſium, item in chloroſi. Ceterum conf. ſupra, pilulæ de Ammoniaco, & præſertim pilulæ Cachecticæ, ejusdem fere compoſitionis & uſus.

Pilulae Hypochondriacae Boecleri.

Diſpenſ. Argent.

℞. Extracti Aloëtici gummoſi, *drachmam unam ſcrupulos duos.*
Reſinæ Jalappæ, cum nucleis pini optimæ tritæ,
Extracti Hellebori nigri maſtichini, *ana drachmam unam.*
Mercurii dulcis, rite parati, *ſcrupulos duos.*
Miſce, Fiat lege Artis, Maſſa pilularis.

Conveniunt in obſtructionibus alvinis, & Hypochondriorum, in affectione hypochondriaca, aliisque pluribus Morbis. Dantur ad grana quindecim, viginti, triginta, *& ultra. Sed vulgaris mihi hæc videtur compoſitio, adeo, ut hinc neſciam, quemnam potiſſimum uſum in affectionibus hypochondriacis, præſtare poſſit.*

Pilulae Hypochondriacae Aliæ.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Pilularum Tartarearum Schroederi,
Extracti Hellebori nigri, *ana dr. ſex.*

Rhabarbari,
Cardui Benedicti,
Chamædryos,
Gummi Ammoniaci,
Terræ foliatæ Tartari, *ana dr. unam.*
Croci Auſtriaci, *ſcrupulos duos.*
Olei ſtillatitii Citri,
Fœniculi, *ana guttas octo.*

Pulveriſanda pulveriſentur, & miſceantur, & cum Tincturæ Martis aperitivæ ſufficienti quantitate, fiat Maſſa pilularis.

Virtutes in reſerandis obſtructionibus, vel ab ipſa Inſcriptione facile deſumuntur. Neque ullum ſupereſt dubium, quin hæ ipſæ pilulæ nomen ſibi impoſitum longe magis ex dignitate atque efficacia, tueri & re ipſa præſtare poſſint; quam quidem iſtæ Boeclerianæ, inprimis, propter Gummi Ammoniacum & Terram fol. Tartari. Ceterum aliæ pilulæ hypochondr. ex ZWELFERO, *exhibentur in* Diſp. Prag. *& paſſim in aliis Diſpenſat. Vid. &* Tab. Smar. *p.* 270. *ſq. ubi plura.*

Pilulae Hyſtericae.

Diſp. Wirt. in reliquis aliæ compoſitiones paſſim proſtant.

℞ Radicum Angelicæ,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Calami aromatici,
Leviſtici,
Oſtrutii,
Valerianæ,
Zedoariæ, *ana unciam ſemis.*
Herbarum Menthæ,
Pulegii,
Rutæ,
Florum Chamomillæ Rom.
Baccarum Lauri,
Corticum Aurantiorum, *ana dr. ſex.*

Inciſa & contuſa infundantur in Spiritus vini, *libris quatuor.*

Stent in digeſtione ad ſufficientem extractionem, exprimantur; Expreſſo per chartam filtrato adde
Aquæ fontanæ, *uncias octo.*

Atque ſpiritus calore balnei abſtrahatur. Reſiduo ad extracti mollioris conſiſtentiam evaporato addantur
Myrrhæ electæ,
Succini præparati,
Caſtorei Orientalis,
Croci, *ana drachmas duas.*
Olei Rutæ,
Succini, *ana guttas duodecim.*

Fiat maſſa & pro lubitu pilulæ.

Vires ex titulo patent; nimirum uterinæ, anticolicæ & nervinæ. Maſſa hæc pilularis, pro intentione Medici, vel Laudano opiato, vel limatura Martis, vel laxantibus commiſceri, vel ſola exhiberi poteſt.

Doſis grana decem ad quindecim.

Pilulae Hyſtericae.

Diſpenſ. Paris.

℞. Gummi Opopanacis, *unciam unam.*
Ammoniaci,
Galbani,
Sagapeni, *ana ſemunciam.*
Myrrhæ, *drachmas duas.*
Aſſæ fœtidæ,
Caſtorei, *ana drachmas tres.*
Olei Succini, *ſcrupulum unum.*
Mithridat. *quant. ſuff.* ad conficiendam Maſſam Pilularem.

Pilulae Hyſtericae Fulleri.

Pharm. Extemp. pag. 293.

℞. Galban. Col.
Aſſæ fœtidæ,
Myrrhæ, *ana drachmam unam.*
Caſtorei,
Camphoræ,

Salis

Salis Succini, *ana ſcrupulum ſemis.*
Olei Succini, *guttas quatuor,*
Balſami Peruv. *quant. ſuff.* ad Maſſ. pil. formand. Cui, quoties res poſtulaverit, adjici poſſunt commode
Salis Chalybis, *ſcrupuli duo.*

Exindeque dicantur Pilulæ Hyſtericæ Chalybeatæ. Exhibeatur ſcrupulus unus pro doſi, in convenienti Vehiculo. Plures alias ejusmodi Pilularum Hyſtericarum ſeu Matricalium Compoſitiones, ex diverſis auctoribus exhibet Corp. Pharm. JUNGKEN *pag.* 784.

Pilulæ Imperiales, *ſeu alias* Catholicæ Dictæ, Fernelii.

Diſpenſ. Pariſ. Lond. Renod.

℞. Aloës optimæ,
Folior. Sennæ mundator. *ana unciam unam ſemis.*
Rhei electi,
Agarici trochiſcati, *ana unc. unam.*
Maſtiches, *drachmas duas.*
Cinnamomi, *drachmam unam.*
Zingiberis.
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ, *ana ſcrupulos duos.*

Cum Syrupi Roſarum pallidarum ſufficienti quantitate, Fiat Maſſa: unciæ illius cuilibet admiſceri debet, ſi placet,
Scammonii crudi, *drachma ſemis.*

Cur Catholicæ dictæ ſint hæ Pilulæ, ratio facile patet, nempe quod quaſi univerſales eſſe credantur: Cur vero Imperiales? *an quod in omnes alias pilul. habeant imperium? an, quod ſolis Imperatoribus dignæ ſint? id certe non tam facile liquet: Sed & parum refert.*

***

Pilulæ Lucis Majores, *ſive* Opticæ. Mes.

Diſp. Brand. Wirt. Lugd. Lond. & in reliq.

℞. Valerianæ radicis,
Euphraſiæ, *ana drachmas duas.*
Seminum Fœniculi,
Seſeleos,
Ligni Aloës,
Sandali citrini,
Cubebarum,
Cardamomi,
Agarici,
Corticum ligni Saſſafras, *ana drachmam unam.*
Succini præparati, *drachmas tres.*
Trochiſcorum Alhandal, *ſcrup. tres.*
Extracti Aloës, *uncias duas.*
Miſce, fiat maſſa.

Attribuuntur vires, excrementa pituitoſa e Cerebro & Oculis evacuandi, viſum conſervandi & obfirmandi. Vid. SCHULZ. *pag.* 234.

Doſis ſcrupulus ſemis, ad ſcrupulum unum, ante cubitum.

Ceterum Pilulæ Lucis minores Meſuæ, hodie vix amplius uſitatæ deſcribuntur in Diſp. Florent. *& in aliis nonnullis vetuſtis, ut* Lond. Lugd. *&c.*

Pilulæ Magnanimitatis Japonenſium.

KAEMPFER. *Amœnitat. Exotic. Faſcicul. III. Obſ. XIV. pag.* 638.

℞. Opii crudi, *quantum lubet.*

Involve Linteo, & in vapore bullientis Aquæ, ſuſpende: Id quod circa Nodulum, poſt horam unam, aut alteram, exſudavit, opium præſtat correctiſſimum. Cui deinde admiſce
Ambræ optimæ duplum.

Fiat Maſſa, ex qua lege Artis, formentur Pilulæ minutiſſimæ.

In Remedium Virilitatis, exigua doſi, ante Noctem concubitus, aſſumendæ.

Ab experientiſſimo quodam Medico Japonenſi, hoc ſecretum ſeſe accepiſſe, narrat ibi Kæmpferus, ὁ πολύπλαγκτος, *quem & de eadem Confectione aphrodiſiaca ex opio atque Ambra, parata, vid.* Faſcic. I. Relat. I. p. 19. *Quid vero de hujusmodi Remediis ſic dictis* Magnanimitatis, *ſit ingenue ſtatuendum; de eo quidem vid. ſi placet, ſuperius dicta, ad* Aquam Magnanimitatis, Balſamum Magnanimitatis, Morſulos & Rotulas Magnanimitatis, *item ad* Marmeladam Magnanimitatis: *nec non ad* Confectionem pacificam, Elixir Venereum, Eſſentias Aphrodiſiacas, *& alibi.*

Pilulæ Marocoſtinæ Mindereri.

Vid. ſupra

Extractum Marocoſtinum Mindereri.

Conf. Pharmac. Batean. pag. 81.

Pilulæ Maſtichinæ.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. & rel.

℞. Maſtiches electæ, *drachmas quatuor.*
Agarici optimi, *drachmas tres.*
Aloës electæ, *drachmas decem.*

Fiat omnium ſubtiliſſimus pulvis, & ex hoc, ſufficiente quantitate Aquæ Menthæ, maſſa pilularis.

Ad ventriculi affectus præcipue commendantur, oculorum aciem, humores ſubducendo, corroborant. Vid. Schulz. *pag.* 235.

Doſis grana decem, ad viginti.

Pilulæ Mercuriales.

Diſp. Wirt. Vienn. Brand.

℞. Extracti Panchymagogi,
Catholici,
Reſinæ jalappæ,
Mercurii dulcificati,
Diacrydii, *ana drachmam unam.*
Eſſentiæ ligni Saſſafras, *quantum ſatis.*
Fiat maſſa.

Non ſolum in morbis venereis, ſed etiam aliis a lymphæ vitiis ortis, & ad lumbricos expellendos dari poſſunt.

Doſis grana duodecim vel quindecim.

Pilulæ Nobiles.

Diſpenſ. Prag.

℞. Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Croci Oriental.
Cardamomi, *ana drachmam unam.*
Nucis Moſchatæ,
Herbæ Majoranæ,
Artemiſiæ,
Florum Roſarum,
Lavendulæ,
Myrobalanorum Citrinarum,
Indarum,
Santali albi,
rubri,
Glycyrrhizæ,
Tormentillæ,
Corticum Citri, *ana ſcrup. quatuor.*
Maſtiches,
Myrrhæ rubræ, *ana drach. un. ſemis.*
Boli Armenæ,
Mumiæ,
Foliorum Sennæ electæ,
Rhabarbari, *ana unciam ſemis.*
Agarici trochiſcati, *drachm. ſeptem.*
Lapidum quinque pretioſor. præparator.
rubror. præparat.
Margaritarum præparatar. *ana dr. un.*
Aloës Socotorinæ, *unc. quinque ſem.*

Omnia ſeorſim pulveriſata, inſpergantur ſucceſſive in Aloën, Aqua calida ſolutam, agitando, ut fiat Maſſa; ex quo formentur Pilulæ minores.

Tantam nactæ ſunt hæ pilulæ æſtimationem, ut tanquam Nobiles & Polychreſtæ, etiam a vulgo, citra præſcriptionem Medici, in omnibus fere alterationibus, expetantur; quamvis non ſingulis, dum quandoque alvum ſegnius ſolvere ſint compertæ, ſatis feciſſe videantur: pro quo ſcopo, hic, & nunc, Dacrydii drachmæ ſex toti compoſitioni inſeri ſolent. Dantur a ſcrupulo ſemis, ad drachm. ſemis.

Hæc quidem in eximiam harum pilularum Nobilium commendationem, ibi adjecta leguntur in Diſpenſat. Pragenſ. Enimvero non ſolum nobiles ſunt propter ipſam compoſitionem ex variis, quin & pæne nimiis, ingredientibus nobilibus adornatam; ſed etiam inſuper pretioſæ & quaſi opulentæ, ob additos quinque lapides pretioſos, item & Margaritas ac Corallia, Nobiles tamen, meo quidem judicio, futuræ, etiamſi carerent prorſus illis pretioſis purgamentis, ut ita dicam; quæ nempe pretium magis augent, quam ipſam virtutem medicam, gemmis a natura plane negatam.

Pilulæ Peſtilentiales
Avicennæ, *ſeu* ſine Cuſtodia dictæ.
Diſp. Brand. Hamb. Edinb.

℞. Aloës Socotorinæ, *unciam unam.*
Croci Orientalis optimi,
Myrrhæ rubræ electæ, *ana unc. ſemis.*

Fiat inde lege Artis, cum Vino generoſo, Maſſa pilularis, *Doſis pro adultis, granor. quindecim, vel viginti.*

Pilulæ Peſtilentiales
Prophylacticæ.
alias Salutis dictæ.
Diſpenſat. Vienn.

℞. Aloës Socotorinæ, *unciam unam.*
Rhabarbari electi, *drachmas duas.*
Agarici albi,
Myrrhæ rubræ,
Croci Auſtriaci, *ana drachm. unam.*
Radicis Zedoariæ,
Gentianæ, *ana ſcrupulum unum.*
Theriacæ, *quantum ſatis.*

Pulveriſanda pulveriſentur, & Miſceantur, ut fiat Maſſa pilularis, uſibus ſervanda.

Pilulæ Peſtilentiales,
Thom. Reineſi.
apud BIERLING. *in Append. Medicam. Cap. XIX. pag. 92.*

℞. Aloës ſucco Abſinth. imprægnat.
Agaric. trochiſcat.
Terebinth. Cypr.
Rhabarbar. *ana drachm. ſex.*
Myrrhæ,
Flor. Sulph. *ana drachmas duas.*
Extract. Elleb. nig. *unc. un. ſemis.*
Xyloaloës,
Croci opt. *ana ſcrup. duos ſemis.*

Miſc. cum Acet. peſtilent. *quant. ſuff.* Fiat Maſſa pilular.

Ad curam potiſſimum prophylacticam, in truculenta peſtilentia arcenda, quidquam conferre poſſe has ipſas pilulas a Viro magno compoſitas, vix eſt dubium.

Pilulæ Peſtilentiales Ruffi.
ſeu Communes.
Diſp. Vienn. Prag. Brand. Hamb. Lond. Leid. Amſtel. Edinb. Lugd.

℞. Aloës puriſſimæ,
Gummi Ammoniaci depurat. *ana unciam unam.*
Myrrhæ electæ, *unciam ſemiſſem.*

Fiat inde ſecundum Artem, cum Succo Limoniorum, Maſſa pilularis.

Dentur hæ pilulæ a *ſcrupulo dimidio,* ad integrum.

Quantum ad ipſam diram peſtilentiam avertendam, ut vulgo quidem jactatur, vere faciant hæ ipſæ pilulæ utræque, merito in medio relinquit SCHULZIUS, Prælect. *pag.* 235. *ſqq. & nos cum ipſo. Interim tamen ad Menſes provocandos & ſuppreſſa Lochia revocanda, idem illas tanto certius commendat, ut &* CARTHEUSER. Pharmacol. *p.* 617. *ſq. Ceterum uſum harum pilular. Ruffi, etiam odontalgicum, docet* HAGENDORN. *in* Miſcell. Acad. Nat. Cur. *Dec. II. An. VI. pag.* 307. *Scilicet particula Maſſæ in Aceto Vini ſolvitur, & cum goſſypio, denti dolenti applicatur: referente ibidem* SCHULZ. & Diſpenſat. Prag.

Pilulæ Polychreſtæ Balſamicæ.

Diſp. Wirt. Brand. Vienn. Prag. ſq. quæ tamen in multis variant.

℞. Extracti Aloës ſucco citri parati, *unciam unam ſemis.*
Abſinthii,
Centaurii minoris,
Scordii,
Cochleariae,
Myrrhæ electæ, *ana drachmas tres.*
Gummi Hederæ,
Reſinæ Juniperi, ſive Sandaracæ,
Maſtiches electæ,
Benzoës, *ana drachmam un. ſemis.*

Miſce, fiat maſſa, ex qua formentur pilulæ foliis lunæ obducendæ.

Pilulæ hæ, niſi easdem, tamen haud multo inferiores cum illis celeberrimi Stahlii, vires habent; alvum leviter exſtimulant, aperiunt, incidunt, & ventriculum, cum reliquis viſceribus, roborant. Vid. Diſp. Prag. *Not.* & SCHULZ. Prælect. *pag.* 236. *ſq.*

Doſis ſcrupulus ſemis, ad grana viginti.

Pilulæ Polychreſtæ Starckey.

Diſp. Wirt. Amſt. ex Pharm. Bat. Brand.

℞. Extracti Opii Thebaici, aqua fontana parati,
Pulveris radicum Liquiritiæ,
Ellebori nigri,
Ellebori albi, *ana unciam un.*
Saponis tartarei, vel correctoris, *uncias tres.*

Miſce, fiat maſſa, ex qua formentur pilulæ.

Prædicantur polychreſtæ, diureticæ, diaphoreticæ, anodynæ, quæ felici cum ſucceſſu in febribus, præcipue tertiana & quartana, catarrhis, doloribus, tuſſi, diarrhœis, ulceribus & apoſtematibus dari poſſint. Suſpectæ tamen quibusdam merito ſunt, ob adjectum præcipue utrumque Elleborum, quaſi vero non unus hoſtis ſufficeret ad nocendum, & ad cladem inducendam. Ceterum pro magno quondam Arcano polychreſto, has pilulas ipſe habuit Starkey *puſillus ille Helmontius, & Paracelſi nimius admirator, ut ex ejus chemia luculentius, ad nauſeam uſque, patet. Sed juſtum de his pilulis judicium vid. apud* BOERHAAVE, Elem. Chem. *Tom. II. Proc.* 74. *pag.* 228. *quem merito ſequitur* SCHULZIUS, *in* Prælect. *ad* Diſpenſ. Brand. *p.* 238. *in quo pag.* 122. *ſqq. ipſa operoſa harum pilularum compoſitio quam diligentisſime enarratur. Conf.* HOFFMANN. *ad* Poter. Pharm. Spag. *L. III. pag.* 464. *ubi plura de ipſarum præparatione & uſu.*

Pilulæ Puerperarum.

FULLER. *pharm. ext. p.* 299.

℞. Foliorum Sabinæ,
Dictamni cret. *ana drachm. unam.*
Myrrhæ,
Galbani,
Ammoniaci,

Caſtor. *ana drachmas duas.*
Cum Syrupo de Artemiſia, q. ſ. Fiat Maſſa.

Ad parturiendi conatus deficientes revocandos; ad ſecundinarum retentarum, & Lochiorum ſubſiſtentium expulſionem, Valentisſimæ hæ ſunt Pilulæ. Sed ne quid nimis: quam primum intentioni ſatisfiet, ab earum ulteriore uſu omnino abſiſtendum erit.

Doſis eſt a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.

Pilulæ Puerperarum Aliæ.

Sennerto *aut* Rivero Tributæ.

℞. Gummi Sagapeni, cum Aceto ſolut. & inſpiſſat.
Succini alb. præparat.
Borracis Venet. *ana ſcrupulum unum.*
Caſtorei,
Myrrhæ rubræ, *ana gr. quindecim.*
Croci oriental. *ſcrupulum ſemis.*
Olei deſtillati ſabinæ, *guttas ſex.*
Miſc. Fiat lege Artis, Maſſa Pilularis.

Idem hæ præſtant, ac ſuperiores, in propellendis ſecundis hærentibus, & fœtu mortuo ipſo exturbando: præterea quoque Menſes diu ſuppreſſos potenter provocant, & in juſtum ordinem redigunt, ceu in Miſcell. Nat. Curioſ. bene monetur, ſi recte memini.

Pilulæ Purgantes Conſuetæ

Noſtræ, Triller.

℞. Maſſæ pilul. Aloephangin. *unc. unam.*
Extracti Catholici,
Panchymagogi Croll. *ana drachm. tres.*
Reſinæ Jalappæ, *drachmas quinque.*
Trochiſc. Alhandal, *drachmam un.*
Olei ſtillatitii Succini,
Aurant. *ana guttas quindecim.*
Miſc. Fiant, lege Artis, Pilulæ ex Drachma una, No. Triginta, pond. Granorum duorum: Involvantur Foliis Auri, vel Argenti.

Doſis eſt pro Naturæ, Aetatis, ſexus, aliarumque circumſtantiarum, ſemper ubique diligentisſime obſervandarum, ratione, a ſcrupulo dimidio, granis duodecim, vel ſedecim, uſque ad ſcrupulum unum, ad ſummum: altius enim aſſurgere vix licet, vel opus eſt: Niſi validisſima fuerit Natura & corpus robuſtisſimum; tum nempe, in caſu neceſſitatis, uſque ad grana viginti quatuor, vel ad ſummum, ſex, haud vero plus ultra, procedere licebit. Quod neceſſario monendum hic duximus.

Ceterum hæ quidem pilulæ noſtræ, quod candide his profitemur, egregium plane uſum præſtant, ubi corpus a vitioſis ſordibus diu collectis, ſalutariter repurgandum eſt. Alvum enim valide quidem; ſed tamen ſine omnibus moleſtis torminibus, aut ſævis doloribus, movent, vitioſam ſaburram ſenſim educunt, urinam citant, nec nauſeam, aut ventriculi ſubverſionem inducunt, quod ſexcentis quidem exemplis, per quadraginta plus minus, Annos, nobis conſtat, adeo ut certi & ſecuri eſſe posſimus de harum pilularum ſecuro & ſalutari uſu.

Pilulæ Saturninæ.

FULLER, *Pharm. extemp. pag.* 301.
Conf. Pharm. Batean. pag. 80.

℞. Sacchari Saturni,
Camphoræ, *ana drachmas duas.*
Calomel. *unciam ſemis.*
Terebinthinæ Venetæ, *quant. ſuffic.*
Miſc. Fiant pilulæ *No. Centum & viginti,* Adverſus Gonorrhœam, &

Fluorem album, *Doſis illarum No. quinque.*

Immo adverſus Vitam ipſam compoſitæ potius ſunt deteſtabiles hæ pilulæ Saturninæ, *rectius juſtiusque hinc* Sataninæ *vocandæ, ut ita quidem loqui per juſtam indignationem, liceat. Non enim ſolum ingentem ſuſpecti Mercurii dulcis ſublimati quantitatem continent, qui Chemicis,* Calomelas, *ſeu* Aquila Alba, *obſcura ſua & recondita lingua, dici vulgo ſolet; ſed &, tanquam hoc parum eſſet ad nocendum, ut tanto gravius certiusque exitium inferrent, adjectas, quoque inſuper habent duas integras drachmas peſtilentiſſimi illius Sacchari Saturni, de cujus lento tabificoque Veneno, nulla arte medicabili, data quidem opera, paullo infra ſuis locis, affatim dicemus, ad ipſum* Saccharum Saturni, *& præſertim, ad* Tincturam Antiphthiſicam Gramanni. *Omnes igitur Medicos, Pharmacopœos & Chirurgos quam enixiſſime rogamur & obteſtamur, ne propter certiſſime metuendum exinde ſanitatis Vitæque ipſius damnum, has ipſas exſecrabiles peſtiferasque pilul. Saturninas, vel alias ad hunc modum, compoſitas, plures enim earum habentur formulæ, unquam præſcribant, aut præſcriptas præparent, aut præparatas denique miſerrimis & infeliciſſimis ægrotis, mortem ſic pro vita, lucraturis, ſumendas offerant. Vidimus enim nosmet ipſi aliquot ejusmodi exempla luctuoſiſſima, ex quibus manifeſtiſſime patuit, vel harum, vel ſimilium Pilularum Saturninarum infeliciſſimum uſum ſenſim inſequutam fuiſſe totius corporis tabificam maciem, omnium cibarum nauſeam, pertinacem Ventris obſtructionem, ſitim avidam, requiem nocturnam ſemper interturbatam, reſpirationem fractam, anhelam ac ſuſpirioſam, tandemque mortem ipſam, & quidem difficillimam. Has igitur pilulas Saturninas, malo quaſi torvi Saturni ſub aſtro natas, operi huic noſtro inſerere voluimus, non tam ad imitandum; quam potius, ad vitandum & cavendum, ne quis ignarus adhuc veneni Saturnini, vel* Fulleri, *vel alius clari in Arte, viri, auctoritate, incaute nimis induceretur, ut Medicinam hanc tentaret, foedam inceptu, & foediorem exitu futuram. Conf. ſupra* Pilulæ Caſtitatis.

Pilulae Scilliticae Pharm. Edinburg.

Diſp. Wirt. in reliq. deſunt.

℞. Scillæ recentis,
Gummi ammoniaci electi,
Millepedum, *ana unciam ſemis.*
Saponis puriſſimi, *unciam unam.*
Balſami de copaiva, *drachmam.*
Fiat maſſa pilularis.

Reſolvunt, atque ictericis, hydropicis, febre quartana, &c. laborantibus conducunt.

Doſis grana decem ad ſcrupulum unum.

Pilulae ſine quibus eſſe nolo.

Diſp. Brand. Prag. Vienn. Florent. Lond. &c.

℞. Aloës ſocot. par. *unc. duas.*
Abſinthii,
Agarici,
Cuſcutæ,
Maſtiches,
Myrobalanor. omnium,
Rhabarb. ſelect.
Folior. Roſarum,
Sennæ Alexand.
Violar. *ana drachm. unam.*
Dacryd. *drachm ſex ſemis.*
Succi Fœniculi, *quantum ſatis.*
Pro formanda Maſſ. Pilul.

Sunt Nicolai, qui mirum, immo ridiculum hoc Nomen illis impoſuit, ob magnam efficaciam & virtutem purgandi. Bonum eſſet, ſi promiſſum implerent. &c. ita ſapienter de his pilulis, SCHULZIUS, *pag.* 237. *Quid enim magis quæſo, fatuum, aut ineptum eſſe poteſt, quam has quidem pilulas, vilis & vulgaris admodum pretii ac virtutis, vocare:* Sine quibus eſſe nolo? *Certe ſanus ſine illis eſſe volet, quoniam illis non indiget; & ægrotus pariter, quia cum nauſea & indignatione, ad eas devorandas, cogitur. Igitur nemo non libentiſſime ſine iſtis eſſe haud dubie vult. Quare meo quidem judicio, rectius inſcribendæ eſſent hæ pilulæ:* Sine quibus eſſe volo. *Sed veræ illæ pilulæ, ſine quibus nemo eſſe velit, ſunt majores illæ pilæ, ſeu Maſſæ, aureæ & argenteæ, quæ vero ex abditis potius terræ viſceribus operoſe eruuntur, quam ex officinis pharmaceuticis facile petuntur. Sed hæc obiter, per jocum, ſi liceat. Ceterum Vid.* RENODAEI Diſpenſ. *pag.* 756. *ubi ſuperba hæc denominatio utcunque excuſatur.*

Pilulae Solares Wildeganſii. *ſeu* Panacea Solaris.

Diſp. Ratisbon. Brand. Prag. Wirt.

℞. Opii Thebaici optimæ notæ, aqua ſimplici aut pluvia ſoluti, colati, ac ad juſtam conſiſtentiam rurſus inſpiſſati & ſiccati, *unciam unam.*
Aloës Socotorinæ,
Myrrhæ rubræ,
Croci optimi,
Antimonii diaphoretici,
Salis cornu cervi volatilis,
Trochiſcorum de viperis,
Auri fulminantis, *ana drachm. unam.*
Olei Caryophyllorum, *guttas quinquaginta.*

Miſce fiant pilulæ minores & foliis lunæ obducantur.

Sunt anodynæ & ſudoriferæ. Ultra dimidiam partem Opium conſtituit. Sunt profecto hic bonis mixta mala, & infelix lolium inter lætas ſegetes ſuccreſcit. Ne enim nimis juvarent forſan hæ pilulæ, adjectum eſt nimia quantitate, ſævum iſtud Aurum fulminans, ut eſſet, quod noceret. Præterea quoque ingens illa opii copia minus placet. Præſtantiores igitur & ſimul ſecuriores ſunt pilulæ mox ſequentes, de Styrace, item illæ de Cynogloſſo, dictæ, de quibus ſupra, ſi nempe prius ejectum ex illis fuerit dirum iſtud Hyoſcyami Semen, ut ibi jam monitum.

Doſis granum unum, ad duo, vel tria.

Pilulae Spleneticae.

Diſp. Wirt. Vienn. & alibi paſſim.

℞. Gummi Ammoniaci electi,
Extracti Aloës gummoſi, *ana unciam unam ſemis.*
Myrrhæ electæ,
Radicis Bryoniæ, *ana drachm. duas.*
Miſce, fiat maſſa pilularis.

In affectibus hypochondriacis, menſtruis retentis, commendabiles ſunt.

Doſis grana duodecim, ad viginti duo.

Pilulæ Stomachicæ, *vulgo* Ante Cibum.

Diſp. Paris. Lond. Meſſan. Lugd. Bauderon.

℞. Aloës optimæ, *drachmas ſex.*
Maſtiches,
Roſarum rubrarum, *ana dr. duas.*

Cum uncia una ſucci Abſinthii, ex pauco Melle, in Syrupi craſſitudinem cocti, fiat Maſſa pilularis.

Pilulæ Stomachicæ Alkindi.

Diſpenſ. Hamb. Bauderon. Norimb. Vet.

℞. Myrobalanorum Citrinarum,
Chebularum,
Indarum, *ana drachmas tres.*
Roſarum rubrarum,
Maſtiches opt.
Cardamomi,
Ligni Aloës, *ana drachmam unam.*
Santali Citrini,
Nucis Moſchatæ,
Cubebarum,
Caryophyllorum,
Schoenanthi, *ana drachmam unam.*
Rhabarbari optimi, *unciam ſemis.*
Turbith, *drachmas ſeptem.*
Aloës, *ad pondus omnium.*

Miſc. Fiat Maſſa, cum Syrupo de Abſinthio.

Sat ſcita alias hæc eſſet Alkindi, Arabis, compoſitio, modo draſticum illud, indeque ſuſpectum Turpethum ex illa abeſſet. Quare ſuaſu meo, omittatur.

Pilulæ Stomachicæ Fabricii.

BIERLING. *Append. Med. pag.* 92.

℞. Aloës Roſatæ, *drachmas duas.*
Trochiſcor. de Rhabarbaro.
Extracti Calami aromatici,
Specier. aromat. roſat. cum Moſcho & Ambra, *ana ſcrup. unum.*
Oleorum deſtillat. Menthæ,
Aniſi, *ana ſcrup. ſemis.*

Cum ſufficienti Quantitate Aquæ Cinnamomi, fiant lege Artis, pilulæ, *No ſex, pro ſcrupulo uno, pro doſi drachm. ſemis.*

Sunt roborantes, appetitum dejectum excitantes, flatus diſcutientes, & nimium quoque Alvi reſolutæ fluxum ſedantes, tormina inde oborta mitigantes, ut nemo non vel ex ipſa Compoſitione protinus intelligit.

Pilulae Stomachicae Fulleri.

Pharm. extemp. pag. 303.

℞. Pulv. Cinnamomi,
Macis,
Nucis Moſchatæ, *ana ſcrup. unum.*
Caryophyllorum,
Piperis longi,
Florum Balauſt. *ana ſcrup. ſemis.*
Extract. Gentianæ, *dr. unam ſemis.*
Elixir. prop. Tartariſat. *quant. ſuff.*

Fiat Maſſa: & quo diutius in Ventriculo commorentur, pilulæ formentur majores, ſcilicet tres, e ſingulis ſcrupulis.

Ventriculum calefaciunt & roborant: Flatus diſcutiunt: Cibi appetentiam inſtaurant, ejusque faſtidium tollunt; coctionem juvant, Vomitum denique ſedant.

Pilulae Stomachicae cum Gummi.

Diſpenſ. Edinb. Lond.

℞. Aloës ſocotorin. puriſſimæ, *unc. un.*
Rhei optimi, *drachmas ſex.*
Gummi Ammoniaci, *ſemunciam.*
Myrrhæ,
Extracti Gentianæ, *ana ſeſquidrachm.*
Croci orientalis,
Salis Abſinthii, *ana ſemidrachmam.*
Syrupi de Spina Cervina, *quant. ſuff.* ut fiat Maſſa pilularis.

Pilulae Stomachicae Magiſtrales.

MORTON. Phthiſiol. Lib. II. Cap. 7. pag. 161.

℞. Aloës puriſſimae, *unciam unam.*
Myrrhae optimae,
Maſtichis, *ana unciam ſemis.*
Cinnamomi,
Croci orientalis, *ana drachmas duas.*

Caryo-

Caryophyllorum.
Abſinthii Romani.
Roſarum rubrarum.
Nucis Moſchatæ.
Macis.
Calami aromatici, *ana drachm. unam.*
Rhabarbari ſelecti, *drachmas duas.*
Galangæ.
Schoenanthi.
Santali Citrini.
Ligni Aloës.
Cardamomi minoris, *ana drachmam ſemis.*
Moſchi Orientalis, *grana quatuor.*

Cum Syrupi Abſinthii ſufficienti Quantitate, Miſc. Fiat Maſſa Pilularis, ſecundum Artem.

Harum Pilularum prudenti uſu, audiamus jam ipſum loquentem & laudantem Mortonium, *pater meus dilectiſſimus, atque idem Medicus experientiſſimus, per ſpatium triginta Annorum, ad ſenectutem uſque, vitam ſuam, licet phthiſico & valetudinario ſtatu, provexit. Conf. & ibidem Lib. III. Cap. 2. pag. 249. Hactenus* Mortonius, *tanto Patre digniſſimus Filius. Neque nos ullas juſtas dubitandi cauſas habemus, cur ipſi, licet teſti in propria quaſi cauſſa, plenam fidem haud tribuamus. Dignæ ergo hæ nobis merito viſæ ſunt Pilulæ, quæ huic noſtro operi, in ſingulare veluti ornamentum & emolumentum, inſererentur. Ceterum Conf. ſupra* Pilulæ Balſamicæ Mortonianæ, *eodem Auctore & inventore.*

Pilulæ Stomachicæ Poterii.

Pharmac. Spag. Lib. III. p. 496.

℞ Extracti Zingiberis, *unciam ſemis.*
Aloës ſocotorinae, *unciam unam.*
Maſtiches, *drachmam unam.*
Macis.
Galangæ, *ana drachmam ſemis.*
Magneſiæ Saturninæ, ſemel coctæ, in Balneo ſalis balſamici, *drachm. duas.*

Cum Syrupo Abſinthii, Fiat Maſſa Pilularis.

Doſis eſt a drachma una, ad drach. duas.

Magneſia vero Saturnina hic adjecta, quid proprie ſit, & quemnam uſum habeat, vid. ſupra ſuo loco, ſub Magneſia Saturnina. *Sed poſſet meo quidem judicio, commode ex hac Compoſitione omitti.*

Pilulæ Stomachicæ Stahlii.

Diſp. Brand.

℞. Matris perlarum præparatæ, *dr. ſex.*
Antimonii diaphoretici, *unc. ſemis.*
Extracti Caſcarillæ cum Aqua, *drachmas tres.*
Cardui Benedicti, *drachmam unam.*
Miſceantur probe, pro Maſſa pilulari.

Abſorbendo, diapnoën promovendo, & roborando, bene agunt. Dari poteſt ſcrupulus unus, ad Drachmam dimidiam. *Ita* SCHULZIUS, prælect. *p.* 239.

Pilulæ Stypticæ Fulleri.

pharm. extemp. p. 304.

℞. Croci Martis Adſtringent. *ſcrupulos duos.*
Sacchari Saturni,
Camphoræ, *ana grana ſedecim.*
Olei ſuccini, *guttam unam.*
Terebinthinæ Venet. *quant. ſufficit.*

Fiant Pilulæ, *No. Viginti quatuor, quarum tres ſint pro doſi.*

Contra enorme Menſium, aut Lochiorum effluvium, commode adhiberi poterunt

Sed demto illo deteſtabili ſaccharo Saturni (quod hic neceſſario addendum, ut caveant ſibi Medici præſertim Tiro-

nes) cujus uſum internum peſtiferum prorſus eſſe, jam aliquoties fideliter ſerioque monuimus. Vid. infra ad ſaccharum Saturni, & Tincturam antiphthiſicam Gramanni, *præſertim vero ſupra, ad* Pilulas Saturninas, *ab eodem* Fullero *compoſitas & plurimum cum his ipſis convenientes, eademque hinc Cenſura dignas.*

Pilulæ de Stirace ſine Ambra.

Diſpenſ. Wirt. Vienn. Brand.

℞. Styracis calamitæ, *unciam ſemis.*
Succi Liquiritiæ inſpiſſati, *dr. tres.*
Olibani electi.
Benzoës.
Maſtiches.
Extracti Opii, *ana drachmas duas.*
Croci Orientalis, *ſcrupulos tres.*

Miſce, fiat, addita Eſſentia Succini, maſſa.

Vires ſunt anticatarrhales, tuſſim aliasque moleſtias, ſicut Pilulæ de Cynogloſſo, mitigantes. Vid. huc inprimis Vit. RIEDLINI Lin. Med. *Ann.* 1695. *Menſ. Oct. Obſ.* 21. *pag.* 343. *ſeqq. item* CARTHEUSER. pharmacol. *pag.* 618. *&* SCHULZ. *prælect. pag.* 239.

Grana ſedecim hujus maſſæ grana duo Opii continent; pro doſi itaque grana ſex, vel ad duodecim usque, dari poſſunt. Dantur autem ante ſomnum, & commode atque utiliter cum maſſæ pilularum de Succino anatica portione. Ceterum deſcriptionem harum de Styrace pilularum, cum Ambra vid. in Diſpenſ. Argent. *& alibi.*

Pilulæ Styracinæ.

Pharm. Bat. p. 121.

℞. Styracis Calamit. colat. *uncias duas.*
Florum Sulphuris, *unciam unam.*
Benz. alb. *drachmas duas.*

Miſceantur probe: Fiat Maſſa.

Efficaciter ſuccurrunt Aſthmati, diſpnoëæ, Catarrho ſuffocativo, &c. Doſis eſt a ſcrupulo uno, ad drachmam unam; ſemel, aut bis, in die. *Conf. ſupra,* Pilulæ de Styrace, ſine Ambra.

Pilulæ de Succino Auctæ.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deſunt.

℞. Maſſæ pilularum de Succino Cratonis, *drachmas novem.*
Magiſterii, vel reſinæ Jalappæ, *dr. tres.*

Miſceantur, & ex drachma una formentur pilulæ ſexaginta

A longo tempore, ſub titulo: Verſtärckte Augſtein-Pillen, *in officinis Wirtenberg. in uſu ſunt. Eosdem habent effectus, quos ſequentes, propter reſinam vero Jalappæ magis ſunt purgantes.*

Jalappæ magiſterium conſtituit quartam maſſæ partem.

Raro ultra quindecim grana exhibentur.

Pilulæ de Succino Cratonis.

Diſpenſat. Vienn. Wirt. Brand. Prag.

℞. Succini præparati, *unc. unam ſemis.*
Maſtiches, *unciam unam.*
Agarici trochiſcati, *drachmas ſex.*
Ariſtolochiæ rotundæ veræ, *dr. duas.*
Aloës Succotrinæ, *uncias duas ſemis.*

Miſce, & addita Eſſentia Succini, ſufficiente quantitate, fiat maſſa.

Ad catarrhales affectus, oculorum, aurium & dentium dolores, pituitam a capite revellendam commendantur.

Doſis grana duodecim, ad viginti.

Pilulæ Sudoriferæ Antifebriles D. Schlet.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Extracti Cardui benedicti.

Centaur. min. *ana drach. unam.*
Marrubii, *ſcrupulos duos.*
Radic. Gentianæ, ſubtil. pulv. *unciam ſemis.*
Trochiſcorum de Abſinthio.
Rhabarb. *ana drach. duas.*
Salis Cichorii, *drachmam unam.*
Syrupi de Card. Ben. *quant. ſufficit.*

Fiant lege Artis, Pilulæ æqualis magnitudinis, ex qualibet drachma, *No. quindecim.*

Aſſumantur brevi, ante ipſum paroxyſmum, No. ſeptem, *ſtragulis ægrum tegendo: & Caldam ſuperbibendo, ut probe ſudet.*

Pilulæ Syncopales.

FULLER. p. 305.

℞. Moſchi, *grana ſex.*
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ, *ana ſcrupul. unum.*
Caryophyllorum,
Croci opt. *ana ſcrupulum ſemis.*
Confect. Alkermes, *quantum ſufficit.*

Fiant inde Pilulæ, *pro tribus doſibus, No. quindecim.*

In Syncope, Lipothymia & omni Virium defectu, egregium præſtare poſſunt uſum, in hauſtu Viri generoſioris, aſſumtæ. Qui vero natura ſua, Moſchum ferre non poſſunt; iſtis ſine illo, præparari debent.

Pilulæ Tartareæ Bontii.

Pharm. Reg. CHARAS, *T. I. p.* 317.
Wirt. Vienn. Argent. Ratisbon.

℞. Aloës Succotrinæ electæ, *unciam unam ſemis.*
Gummi Ammoniaci electi, *dr. ſex.*
Tartari vitriolati, *drachmas quatuor.*
Aceti ſcillitici, *quantum ſufficit.*

Viſcidos humores reſolvunt. Conveniunt hypochondriacis, viſcerum obſtructiones tollunt, alvum leniter ſubducunt. Vid. SCHULZ. præl. p. 240. & Pharm. Batean. p. 121. *ubi hæc notatu digna, adjiciuntur: Tantæ ſunt apud Hollandos, æſtimationis hæ Pilulæ, ut piaculum habeant, communes eas reddere. Neſcio, an hoc verum ſit: interim tamen hoc verum eſt, in Diſpenſat. Amſtel. Leid. Groning. & aliis, hanc quidem pilularum Compoſitionem non proſtare.*

Doſis a ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum.

Pilulæ Tartareæ Quercetani.

Hæ in plerisque quidem diſpenſat. ut Vienn. Argent. Prag. Brand. & aliis, exhibentur: ſed quoniam iſtæ, etiam poſt ipſius Sennerti Correctionem, nondum ſatis correctæ plerisque videntur, atque hinc rarius hodie in uſum vocantur: ideo nullum illis hic locum dare, ſtudio in animum induximus.

Pilulæ Tartareæ Schrœderi.

Pharm. Med. L. II.
Diſpenſ. Wirt. Vienn. Brand.

℞. Aloës Soccotorinæ, ſucco fragorum nutritæ, *unciam unam.*
Gummi Ammoniaci in granis *drachmas tres.*
Vitrioli Martis,
Extracti Croci, *ana drachmam unam.*
Terræ foliatæ tartari, *drachm. duas.*
Extracti Gentianæ, *dr. unam ſemis.*
Tincturæ Tartari Q. S.

Eſt purgans, quod ſecure ad bilioſos humores, & febrium intermittentium fomitem expurgandum exhiberi poteſt. Vid. SCHULZ. præl. *p.* 240.

Dimidiam partem facit Aloë.

Doſis grana viginti, ad drachmam ſemis.

Pilulae de Terebinthina.

Diſp. Wirt. Brand. & in rel.

℞. Terebinthinæ coctæ, *unciam unam ſemis.*
Succini præparati,
Maſtiches,
Olibani,
Succi Liquiritiæ,
Rhabarbari veri,
Oſſis Sepiæ.
Boli Armenæ, *ana drachmas duas.*
Fiat maſſa.

Virtutes ſunt balſamicæ, conſolidant, urinam cient, in gonorrhoea & fluore albo utiliter adhibentur.

Pilulae Teſtaceae Fulleri.

Pharm. extemp. pag. 305.

℞. Teſtar. ovor. recens calcinat. *dr. unam.*
Cremoris Tartari,
Salis Prunellæ, *ana grana octodecim.*
Tartari,
Succini, *ana grana duodecim.*
Olei ſtill. Aniſi, *guttas tres.*
Terebinth. Venet. *quantum ſufficit.*
Fiat Maſſa pilularis, *pro ſex doſibus.*

Potenter urinam & arenam pellere dicuntur.

Pilulae Tolutanae.

Fuller ibidem.

℞. Balſami Tolut. pulv. *drachm. unam.*
Gummi Guajaci, *drachmas duas.*
Florum Benzoin.
Balſami Peruviani, *ana drachm. ſem.*
Olei Juniperi, *guttas octo.*
Vitell. ov. *quantum ſufficit* ad Maſſ. pilul.
Fiant pilulæ *No. ſexaginta, pro duodecim doſibus.*

Pilulae Trium Diabolorum.

Collectan. Chym. Leyd. pag. 146.

℞. Trochiſcor. Alhandal.
Diacryd. *ana grana quatuor.*
Mercur. dulc. *grana octo.*
Miſc. Fiant pilulæ, *No. quat. cum Syrupo Stoechados, pro doſi in Robuſtis.*

Specificæ habentur, ad gonorrhœam. Terribile trium diabolorum habent Nomen; nec immerito; pertinent ergo ad deteſtabilem illum pulverem Cornachini, *qui pariter a nonnullis, pulvis trium diabolorum, & quidem juſtiſſime, vocatur. Vid. infra, ad* ipſum hunc viroſum pulverem, notata.

Pilulae Urbani, *ſeu* Papales.

Diſpenſat. Vienn. Prag.

℞. Aloës Socotorinæ,
Rhabarbari electi, *ana unciam ſemis.*
Myrobalanorum omnium, *ana part. æqual.*
Seminis Aniſi,
Amomi,
Cardamomi,
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum,
Croci Auſtriaci,
Cubebarum,
Ligni Aloës,
Turbith electi,
Myrrhæ rubræ,
Agarici optimi,
Folior. Sennæ oriental. *ana dr. unam.*
Pulveriſ. Miſc. & cum Syrupi Roſat. ſolutivi ſuff. Quantitate, Fiat Maſſa pilularis.

Inſerviunt ſtomacho corroborando, item in hydrope, fluxu hepatico, doloribus arthriticis, & Catarrhis. In Pharm. Batean. *pag.* 121. *pilulæ occurrunt Vaticanæ inſcriptæ, qua ratione compoſitio-*

nis, eædem fere eſſe videntur, ac hæ papales, ſeu Urbani pontificis, ut nempe Auctor illius pharmac. mirus eſt novorum Titulorum & ſingularium Inſcriptionum Artifex.

Pilulæ contra Vermes Hoffmanni.

in Not. ad POTER. pag. 465.

℞. Extracti Aloës, *drachmam unam.*
Mercurii dulcis, *grana quindecim.*
Camphoræ, *grana tria.*
Spiritus Vitrioli, *guttas ſex.*
Miſceantur: Fiant Pilulæ, *ex ſcrupulo uno, No. viginti.*

Alias pilulas Vermifugas, vid. in Pharm. Bat. *pag.* 122. *alias alibi.*

Pilulæ Viſcerales.

Diſp. Prag.

℞. Extracti Cardui Benedicti,
Centaur. minoris,
Rhabarbari, *ana drachm. un. ſemis.*
Caſtorei, *ſcrupulum unum.*
Pulveris Myrrhæ,
Limaturæ Martis, *ana dr. unam.*
Cum ſuffic. quant. Balſami peruviani, formentur pilulæ, inſtar Piſi minoris.

Viſcerum infarctum reſerant, & roborant, unde in affectibus hyſtericis, hypochondriacis, & aliis inde natis ſymptomatibus, auxiliantur.

Doſis mane, & Veſperi, Numero tredecim.

Ceterum in multis conveniunt cum pilulis Viſceralibus Hoffmannianis celebratiſſimis, quarum exemplum habetur apud NICOL. *de* Form. *pag.* 247. *& paſſim in ipſis* Hoffmanni *ſcriptis. Conf. infra,* Pulvis Viſceralis.

***

Pilulæ Wildeganſii Genuinæ.

JUNCKER. Conſpect. Formul. Med. *pag* 34.

℞. Opii crudi,
Fibrar. Ellebori nigri, *ana libr. ſemis.*
Opium primum cum Aceto deſtillato & deinde, quod reſiduum eſt, cum Alcal. adfuſo, extrahatur:
Fibras Ellebori nigri extrahe cum Vino; melius vero cum Aqua, per digeſtionem, quoad ſatis. Tum add.
Myrrhæ per alkaheſt Glauberi, ita præparat. ut cum Aqua ſolvi poſſit; deinde recip. Colat. *uncias quatuor.*
Extr. Theriac. ex Rad. Alexipharm. Cum Spiritu Vini parat. *unciam unam.*
Croci oriental. ſubtiliſſime pulver. *uncias duas.*
Olei deſtillati Juniperi, *unciam un.*
Miſceantur: Fiat Maſſa pilularum, & formentur pilulæ ad pond. *grani unius.*

Ceu vera ac genuina, laudatur ibi hæc quidem Compoſitio; quod equidem nec negaverim, nec etiam affirmaverim; præſertim, quum paſſim aliæ quoque occurrant deſcriptiones; ut dubius omnino hæreat Lector, cuinam potiſſimum ex illis, prima quaſi palma primaque gloria tribuenda. Judicent ergo periti, præſertim, ubi diligentius examinaverint varias illas Compoſitiones, in Annal Med. Phyſ. Wratislav. *Ann.* 1726. *Menſ. Dec. Claſſ. IV. Art.* 6. *propoſitas, ad quas provocant quoque* Diſpenſat. Prag. & Brand. *Sed & in* Hamb. *alia extat deſcriptio, & rurſus alia in* Tabula Smaragd. *quæ tamen maximam partem, concordat cum* Hoffmanniana, *in* Not. *ad* Poter. Pharm. Spag. *Lib. III. pag.* 464. *Ex quibus vi-*

ro omnibus, eam inprimis, ceu meliorem, præfert SCHULZIUS *in* Prælect. *p.* 241. *quam ſupra, ex* Diſp. Brand. *&* Wirtemberg. *dedimus, qui & ibidem, de uſu, & cautione, in pilulis iſtis opiatis adhibendis, neceſſaria, paucis tractat, diligentius vero* LENTILIUS, *in* Act. Nat. Cur. Decur. *III. Ann. V. & VI. pag.* 129. *ſqq.* Append. *item* HOFFMANNUS, *l. c. ut alios plures jam taceam. Neque nobis, ut ingenue fateamur, melior hinc videtur deſcriptio* Junckeriana, *præ iſta vulgari, ſupra propoſita & a* Schulzio *aliisque approbata, præſertim ob ingentem illam Opii atque Hellebori nigri quantitatem, ex qua Extractum illud paratur; ne quid jam de reliquis quoque ingredientibus moneamus. Quum igitur adhuc incerta valde ſit vera harum pilularum compoſitio; tanto certius vero damnum atque periculum, niſi juſto tempore, juſtaque præſertim & contracta doſi, adhibeantur: meo certe qualicunque judicio; præſtaret omnino, vel ab ipſarum uſu penitus abſtinere: vel ſaltim parciſſime, & ſumma tantum neceſſitate urgente, iisdem in dolorum lenimentum, uti.*

Plumbum Uſtum.

Diſp. Lond. Wirt. & in reliq.

Liquetur plumbum in patina terrea plana, atque ſpatula ferrea agitetur, & ſine alterius rei additione, in calcem griſeam abibit, quæ pulveriſata ſervanda eſt.

Siccat, & ad Emplaſtrum Saturninum requiritur, cujus deſcriptio ex MYNSICHTO *ſupra ſuo loco extat. Pro uſu tamen interno, quod mirum utique, ipſum plumbum uſtum, contra cancrum, in opiata, etiam ordinare auſus eſt* BARBEIRAC, *de* Med. Formul. *pag.* 285. *Vid. ſupra* Opiata contra cancrum. *Vid.* FISCHERI *Diſſ. de* Saturno.

Pomum Odoratum.

GAUB. de Form. pag. 394.

℞. Ladani, *drachmas tres.*
Benzoin.
Styracis Calamit. *ana drachm. duas.*
Herb. Thymi,
Mari Syriaci, *ana drachm. unam.*
Camphoræ, *grana duo.*
Olei ſtillat. Caryophyllor. *guttas quat.*
Balſami Peruviani, *ſcrupulum unum.*
Cum Mucilag. Gummi Tragacanth. Aqua Cortic. Citri ſolut. *quantum ſuff.* Fiat Pomum.

Quod manu ſumtum, naribus ægroti crebro admoveatur ut ejus ſuaveolenti odore vires languidæ recreentur. Ceterum ſimile fere pomum odoratum Ambræ, dictum exhibetur in Diſpenſ. Brand. *Sed diffuſioris & pretioſioris Compoſitionis. De quo vid. judicium* SCHULZII *in* Prælect. *pag.* 241. *& aliud in* Pharm. Batean. *p.* 123. *item apud* MYNSICHT. *p* 184. *plura vero ap.* HOFFMANNUM Sen. *in* Theſaur. Pharmaceut. *pag.* 91.

Pulmones Vulpis Praeparati.

Diſp. Lond. Wirt. & in reliq. fere omnibus.

Coquuntur parum in vino, cum Abſinthii portione, poſtea exſiccantur: & quoniam prodeſſe non poſſunt, ſtatim abjiciantur. Vid. ſuperius, Parte I. jam dicta, ad *Vulpis Pulmones.*

Paratur ex his Looch, quod vulgo quidem habetur ſpecificum antaſthmaticum, & ex veteri præjudicio, in tuſſi & phthiſi laudatur. Vid. ſupra Looch *de* Pulmone Vulpis, *& ibi Not.*

Pulpa Caſſiae.

Diſp. Vienn. Wirt. & reliq.

℞. Fiſtularum Caſſiæ ponderoſarum, *quantum libet.*

Aperiantur, & pulpa ſeu medulla, cum ſeminibus, diligenter eximatur, in aquæ calidæ ſufficiente quantitate diſſolvatur, & per cribrum trajiciatur; lento igne ad mellis conſiſtentiam redactæ libræ uni tantundem ſacchari albi addatur, & ad juſtam conſiſtentiam coquantur.

Bilem & pituitam blande educit, & calculoſis convenit; pueris recens natis ad educendum meconium datur a drachma ſemis, ad ſcrupulos duos, adultioribus autem ab uncia una, ad unciam unam ſemis. Vid. Vit. RIEDLINI Lin. Med. *Ann.* 1695. *Menſ. Aug. Obſ* 23. *p.* 257.

Pulpa Caſſiae pro Clyſteribus.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Herbarum quinque aperientium, *uncias tres.*
Florum Chamæmeli, *unciam unam.*
Coq. cum Aquæ font ſuff. quant.
Extrahatur hoc decocto Caſſia, & cannæ ejus eluantur; tum
Pulpae caſſiae, *libræ uni.*
Cum hoc decocto extractae & ad Spiſſitudinem coctae, incorporetur
Sacchari Thom. *libra una ſemis.*

Uſus hujus Caſſiæ eximius eſt in Clyſteribus, ceu notum.

Pulpa Paſſularum & Prunorum.

Vid. Diſpenſ. Vienn.

Pulpa Tamarindorum.

Diſp. Vienn. Wirt. & paſſim.

Eodem modo, quo Caſſiae pulpa, paratur.

Humectat, ſanguinem depurat, bilem temperat, & blande educit.

Doſis drachmae ſex, ad unc. un.

Pari modo etiam e paſſulis & prunis, in aqua fontana ad mollitiem coctis, paratur:

Pulvis contra Abortum cum Saccharo.

Diſp. Wirt. Brand. Vienn.

℞. Granorum Chermes, *unciam ſemis.*
Ligni Sandali rubri,
Florum Roſarum rubrarum,
Coralliorum rubrorum praeparatorum,
Raſurae Eboris, *ana drachmas tres.*
Maſtiches,
Nucis Moſchatae, *ana drachm. unam.*
Sacchari albiſſ. ad *pondus omnium.*

Gravidis abortum timentibus, inter trageas, vel ſolus datur, ad drachmam pro doſi. Vid. SCHULZ. Prael. *pag.* 249. CARTHEUSER. Pharmacol. *pag.* 578. *conf. infra* Pulvis Gravidarum.

Pulvis Abſorbens.

BARBEIRAC. *de* Form. pag. 323.

℞. Corallior. rubror. praep.
Lapidum Hyacinth. *ana gran. octo.*
Catechu ſinceri,
Caſcarillae, *ana grana decem.*
Miſc. Fiat pulvis *pro una doſi.*

Apprime conducit ad acida obtundenda, & ea deſtruenda; ſimulque ad Ventriculum roborandum, ciborumque coctionem juvandam. Similes plures Pulveres abſorbentes vid. in HEINS. Pharm. rat. *pag.* 352.

Pulvis Abſorbens Wedelii.

Amoen. Mat. Med. *p.* 151. & *p.* 282. & Opeolog. *L. II. C.* 3. *pag.* 114.

Diſp. Wirt. Prag.

℞. Vitrioli Martis, *drachmas ſex.*
Concharum praeparatarum,

Lapidum Cancrorum praeparatorum,
Coralliorum,
Antimonii diaphoretici,
Cinnabaris nativae, *ana drachmas decem.*
Laudani opiati, *drachmam unam.*
Olei Caryophyllorum, *guttas ſexaginta.*

Miſce, fiat pulvis.

Eſt abſorbens, ſudoriferus & anodynus; ſubvenit hypochondriacis & hyſtericis, palpitatione cordis & aliis moleſtis ſymptomatibus correptis. Plura in hujus pulveris Wedeliani *laudes, vid. in* RIEDLINI Lin. Med. *Ann.* 1697. *Menſ. Jun. Obſ.* 18. *pag.* 393. *ſqq. præſertim vero mirandum plane auxilium illum quidem pulverem attuliſſe in coërcenda lipothymia, binis ſingularibus exemplis confirmat ibidem* WEDELIUS, *pag.* 151. *& pag.* 282. *Conf. &* SCHULZ. Praelect. *pag.* 243.

Drachma una hujus pulveris granum unum habet Laudani opiati, & grana ſex Vitrioli martis.

Doſis a granis octo, ad duodecim.

Pulvis Alexipharmacus

Diſpenſ. Prag.

℞. Radicis Scorzonerae,
Salis Prunellae,
Herbae Scordii,
Cornu Cerv. philoſ. praep. *ana uncias tres.*
Camphorae, *drachmas tres.*
Croci, *drachmam unam ſemis.*

Miſce omnia diligenter, Fiat Pulvis.

Multiplici experientia, in duplici peſte Pragenſi, a celebr. practicis comprobatus habetur hic ipſe Pulvis; & hodie dum in febribus malignis quotidie uſualis eſt.

Doſis eſt a ſcrupulo, ad drachmam ſemis, aut etiam, ſi neceſſe, unam.

Pulvis Alexipharmacus Alius.

Diſpenſ. Hamburg.

℞. Terrae Sigillatae Sileſicae,
Cornu Cervi philoſ. calcinati,
Radicis Angelicae, *ana unciam unam.*
Zedoariae, *drachmam unam.*
Corticum Citri flavedinis,
Myrrae electae, *ana drachmas duas.*

Miſce: Fiat pulvis.

In multis convenit cum antecedentibus pulveribus Alexipharmacis, atque hinc iisdem quoque Virtutibus, quibus iſti gaudent, haud dubie inſtructus eſt: quod experientia docebit.

Pulvis Alexipharmacus, *ſive* Bezoardicus Rollwagii.

Diſpenſ. Argent. Wirt. & paſſim alibi.

℞. Reguli Antimonii medicinalis,
Radicis Contrayervae, *ana dr. ſex.*
Boli Armenae,
Terrae ſigillatae rubrae,
Cornu Alcis ſine igne praeparati, *ana unciam ſemis.*
Cryſtalli montanae praeparatae,
Coralliorum praeparatorum,
Matris perlarum præparatae,
Oculorum cancrorum, *ana dr. un.*
Sacchari tabulati citrati, *unciam ſem.*

Miſce, fiat pulvis.

Laudatur hic pulvis in diverſi generis febribus continuis, morbillis, variolis, & aliis exanthematibus. Sed vid. SCHULZ. Præl. *pag.* 247.

Drachma

Drachma una continet Reguli Antimonii medicinalis grana duodecim.

Doſis ad ſcrupulum unum vel drachmam ſemis.

Pulvis Alexipharmacus Berol.

Diſpenſ. Brand.

℞. Cryſtallorum Nitri puriſſimorum,
Florum Sulphuris,
Myrrhae rubrae electae, *ana uncias duas.*

Singula ſeorſim contuſa Miſce: Fiat pulvis ſubtiliſſ.

Gravi & nebuloſo aëre, Morbos catarrhales inducente, adhiberi poteſt, ad ſanguinis motum, Myrrhæ reſpectu, intendendum, tranſpirationem vero augendam & conſervandam, Nitro & Sulphure. Sufficit pro doſi, ſcrupulus dimidius: *Hæc* SCHULZIUS, Prael. *pag.* 243. *Ceterum cum hoc pulvere Alex. maximam partem, convenire* Pulverem Bezoardicum Weiſii, *ex eodem* Schulzio *notabimus infra, ad iſtum pulverem.*

Pulvis Alexipharmacus Camerarii.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Boli Armenae,
Terrae ſigillatae,
Radicum Dictamni albi,
Tormentillae, *ana unciam ſemis.*
Angelicae,
Gentianae,
Petaſitidis,
Zedoariae, *ana drachmas duas.*
Cornu cervi uſti praeparati,
Raſurae Eboris,
Coralliorum rubrorum,
Corticum citri, *ana ſcrupulos duos.*

Miſce, fiat pulvis.

Virtutes ſunt, uti ex titulo cognoſcitur, alexipharmacæ, & præſertim in dyſenteria epidemica adhibetur.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Pulvis Alexipharmacus Citrinus.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Myrrhae electae, *uncias duas.*
Florum ſulphuris,
Nitri Antimoniati, *ana unciam ʒv.*
Camphorae, *drachmas ſex.*

Pulveriſentur ſingula, & miſceantur.

Ejusdem eſt Virtutis, ac de præcedente pulvere Alexiph. rubro, aduſtatum.

Pulvis Alexipharmacus Hoffmanni.

ad POTER. *Pharm. Spag.* L. III.

℞. Antimon. diaph. vel Ceruſſae Antimonii,
Lapidum Cancrorum,
Matris Perlarum, *ana drachm. duas.*
Nitri praeparati, *drachmam unam.*
Camphorae, *grana duodecim.*
Theriacae Cœleſtis, *grana octo.*

Miſceantur: Fiat pulvis; *doſis drachma ſemis.*

Pulvis Alexipharmacus Lemery.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 810.

℞. Radicum Contrayervae,
Serpentar. Virginian.
Angelicae,
Zedoariae, *ana unciam ſemis.*
Hepat. Viperarum, cum Cordibus,
Lapidis Bezoar. orientalis,
Bezoard. Mineral. *ana drachm. tres.*
Unicornu anim.

Schoenanthi,
Santali Citrini, *ana uncias duas.*
Granorum Kermes,
Croci,
Corticum Citri,
Camphorae, *ana drachmam ſemis.*
Ambrae griſeae,
Moſchi, *ana grana ſex.*
Olei Cinnamomi,
Macis, *ana guttas quinque.*
Miſc. Fiat pulvis:

Prodeſt in febribus malignis, peſte, Variolis, & ſimilibus morbis exanthematicis, ubi nempe tuto illo uti licet. Doſis a granis octo, ad drachmam dimidiam: *Sed cum debito regimine.*

Pulvis Alexipharmacus Pretioſus Regius.

Palmar. de *Febre peſtilentiali*, Lib. II. Cap. 20. pag. 485.

℞. Myrrhae electae,
Santali citrini,
Cornu cervini,
Ligni Aloës,
Maſtichis,
Terrae Lemniae,
Boli Armenae,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Maceris,
Croci, *ana unciam ſemis.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, pulvis, *cujus doſis validis quidem, ad drachmam unam; imbecillis vero, ad drachmam dimidiam, dari poteſt,* idque cum Aqua Roſarum, ſi fervet ſanguis: Sin minus, cum Vino albo, mane, ut Sudor nempe cicatur.

Pulvis ceterum hic tam efficax creditur, ut olim Regibus atque Imperatoribus magno in pretio habitus ſit, atque diu pro Remedio, nemini revelando, aſſervatus. Hæc addit quidem ibi Palmarius; *non vero ibi ſimul mentem ſuam plenius aperit, an ipſe tam mirandas, de hoc quidem pulvere, virtutes credat. Non quidem negandum eſt; vim alexipharmacam egregiam ineſſe huic pulveri: an vero ideo, aliis ejusmodi pulveribus Alexipharmacis, & in hoc ipſo opere, aliisque diſpenſatoriis, inprimis autem ab ipſo* Palmario, *ibidem, de ſcriptis, longiſſime præferendus ſit, ceu illis multo melior, efficacior, & juvandi potentia præſtantior; de eo quidem adhuc nonnihil dubitare & cunctari, uti equidem credo ac ſpero, impune licebit. Habeant igitur Imperatores & Reges iſtas ſuas ſibi delicias, adytis forſan dignas, & ignobile vulgus ab illis proinde longiſſime arceant, ſi velint.*

Ceterum alium pulverem pretioſum Alexipharm. ſeu Bezoardicum Caroli ducis Mantuæ, vid. infra ſub pulveribus Bezoardicis. *& alium apud* FULLER. Pharm. extemp. *p.* 311. *& p.* 315. *plures vero apud* JUNGK. Corp. Pharm. *pag.* 809. *ſqq.*

Pulvis Alexipharmacus Ruber.

Diſp. Wirt. Vienn. & in aliis.

℞. Nitri crudi cryſtallini, *unciam unam ſemis.*
Oculorum Cancrorum, acido Citri, ſaturatorum, *unciam unam.*
Boli Armenae, *unciam ſemis.*
Camphorae, *drachmam unam.*

Miſce, fiat pulvis in vitro ſervandus.

Vires e titulo patent.

Doſis ſcrupulus unus, ad ſcrupulos duos.

* * *

Pulvis Alexipharmacus Ruber.

Diſp. Vienn.

℞. Terrae ſigillatae rubrae,
Boli Armen. *ana unciam unam.*
Corticis exterioris Aurantiorum,
Citri, *ana unc. ſemis.*
Radicis Zedoariae, *unciam unam.*
Doronici Veri,
Contrajervae, *ana drachm. ſex.*
Myrrhae lucidae,
Succini albi, *ana drachmas tres.*
Seminis Citri excorticati,
Rutae,
Aquilegiae,
Croci Auſtriaci, *ana drachm. duas.*
Macis, *drachmam unam ſemis.*

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Virtus hujus Pulveris in peſte, Variolis, aliisque Morbis epidemicis, pro diverſitate ſubjecti, ex Nomine ipſo dignoſcitur; magis tamen ex ipſis ingredientibus alexipharmacis & cardiacis pateſcit.

Pulvis Alexeterius Specificus Angeli Salæ.

Ex SCHROEDERI Theſ. Pharm. Lib. II. p. 262.

℞. Pulveris Viperini, *drachm. duas.*
Extract. Bezoardici pretioſi.
Magiſterii Margaritarum, *ana drach. ſemis.*
Olei deſtill. Seminis Angelicæ, *ſcrupulum ſemis.*
Cinnamomi, *guttas ſex.*

Miſc. probe, in Mortario Vitreo, ut fiat Pulvis.

Doſis ſcrupulus unus, cum Vehiculis convenientibus; ſingulis Quadris Lunæ. Iis, qui veneno infecti ſunt, danda eſt drachma integra. Conf. JUNGKEN. Corp. Pharm. *p.* 812. *ubi idem pulvis exhibetur,* & Tab. Smaragd. *pag.* 296. *ſeq. ubi alii pulveres Alexeterii conſpectui ſiſtuntur.*

Pulvis Analepticus Frigidus Mindereri Incompletus.

Diſp. Vienn. Wirt. Prag.

℞. Specierum cordialium temperatarum incompletarum, *dr. quatuor.*
Specierum de Gemmis frigidarum, *drachmas duas.*
Foliorum Auri *numero duodecim.*
Foliorum Argenti, *numero tria.*
Sacchari perlati, *uncias tres.*

Miſce, fiat pulvis.

Confortans eſt, & tam ad virium conſervationem, quam reſtaurationem utilis.

Doſis drachma dimidia, ad integram.

Idem redditur COMPLETUS addendo Ambræ griſeæ *ſcrupulos duos,* in ſpiritu Roſarum ſolutæ.

Doſis ſcrupulus unus ad duos.

Pulvis Anonymus.

Diſp. Prag. Wirt. Vienn. Aug. ref.

℞. Seminum Papaveris albi, *dr. duas.*
Portulacæ.
Cydoniorum.
Malvæ.
Bombacis, *ana drachm. unam ſemis.*
Cicerum rubrorum, *drachm. ſemis.*

Pulvis Anodynus Camerarii.

Diſp. Wirt. reliqua non habent; ſimilia tamen.

℞. Extracti Opii.
Sandali rubri, *ana ſcrupulum unum.*
Coralliorum rubrorum præparatorum, *ſcrupulos quatuor.*

Miſce, fiat pulvis.

Effectus e titulo cognoſcitur. Sextam partem Opium conſtituit.

Doſis grana ſex, ad decem.

Pulvis Anodynus Ludovici.

Pharm. Diſſ. I. Diſp. Wirt.

℞. Extracti Opii, aqua fontana parati, *drachmam unam.*
Coralliorum rubrorum præparatorum, *drachmas duas.*
Miſce.

Easdem vires, quas Laudanum opiatum habet, & commode pulveribus aliis, ubi anodynum deſideramus, additur. Poſſunt & Coralliis ſubſtitus Lapides Cancror. Conchæ, Terræ ſigill. & ſimilia Terrea.

Doſis grana tria, ad ſex. Tertiam partem facit opium.

Pulvis Antacidus, *ſeu* Abſorbens Nitratus Stahlii.

Diſpenſ. Brand.

℞. Oculorum Cancrorum præparatorum,
Teſtarum Concharum præparatarum, *ana unc. unam.*
Nitri depurati, *unc. ſemis.*
Miſc. Fiat. Pulvis, uſui ſervandus.

Juvat acidum infringendo, incraſſando æſtum contemperando, diapnoën, ſpaſmodica ſtrictura imminuta, reſtituendo. Doſis eſt ſcrupulus, & ultra: *Ita* Schulz. *p.* 242. *Ibidem quoque exhibetur ejusdem pulvis antacidus abſorbens nitratus, cum Conchis, item & ſimilis pulvis Tartariſatus. Sed quoniam admodum ſimplices ſunt, & parum ab hoc ipſo differunt; prætereaque notiſſimi quoque ſunt; ideo præſtat, illos in* Diſpenſ. Brand. *legere quam in hoc noſtro opere. Ceterum Conf. infra* Pulveres temperantes, & præcipitantes, *qui eidem ſcopo inſervire ſolent, ceu omnibus notiſſimum.*

Pulvis Antacidus Boerhaave.

Gaub. de Form. p. 76. Charas Pharm Reg. Tom. I. p. 206.

℞. Lapidum Cancrorum præparat.
Oſteocoll.
Cretæ.
Conchar. Oſtreor. calcinat.
Corallior. rubr. præp. *ana drachmas duas.*
Radicis Zedoariæ.
Nucis Myriſticae, *ana drach. unam ſemis.*
Miſceant. Fiat pulvis tenuiſſimus.

Sumatur, quantum apice cultri capi poteſt, acido infeſtante. Ad quod obtundendum, ſtomachumque debilem ipſum ſimul roborandum, plurimum Virtutis tribuit huic pulveri ipſe Boerhaavius, *nec ſine ratione, aut experientia, ut ibidem obſervat* Charas.

Pulvis Antacidus Hoffmanni.

in Not. ad Poter. pag. 471.

℞. Matris perlarum.
Lapidum Cancrorum, *ana drachm. unam,*
Nitri præparati, *drachm. ſemis.*
Olei Cardamomi, *guttam unam.*
Miſc. Fiat pulvis; addito momento Laudani Opiati, fit Pulvis anodynus.

Pulvis Antarthriticus Wepferi.

Diſp. Wirt. Tab. Smaragd. p. 305.

℞. Lumbricorum terreſtrium exſiccatorum, *unciam unam ſemis.*

Cornu cervi philoſophice præparati.
Raſuræ eboris.
Oculorum cancrorum.
Cinnabaris nativæ, *ana drach. duas.*
Antimonii diaphoretici ſimplicis, *unciam ſemis.*
Nitri cryſtalliſati, *drachmas ſex.*
Sacchari albi, *unciam unam ſemis.*
Olei nuciſtæ, *ſcrupul. ſemis.*
Miſce, fiat pulvis.

Ad arthriticorum dolores, ſpaſmos, quin motus convulſivos leniendos adhibetur.

Doſis ſcrupulus unus, ad ſcrupulos duos, & drachmam unam.

Pulvis Antatrophicus Wepferi.
vel Specificum Antatrophum Wepferi.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Tab. Smaragd.

℞. Fuliginis ſplendentis, *unciam unam.*
Radicis Iridis Florentinæ, *unc. ſemis.*
Avi præparatæ.
Antimonii diaphoretici Jovialis.
Martialis.
Lapidum Cancror. præparat, *ana dr. duas.*
Sacchari cryſtalliſati albi, *unc. tres.*
Miſc. Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Plus quam dimidia ſui parte, eſt ſaccharum. Cetera eſſent tolerabilia, ſi loco Antimonii diaphoret. Jovialis, ſimplex tantum ſumeretur. Doſis pro ratione aetatis, a ſcrupulo dimidio, ad integrum, eſſe poteſt. *Ita bene ac ſapienter* SCHULZIUS, praelect. *p.* 244. *præſertim, quæ circa* Antimonium diaphoret. Joviale, *prudentiſſime monuit: cujus quippe uſum ſemper pro ſuſpecto ac noxio habendum eſſe, cum* Boerhaavio, Hoffmanno, Meadio *& aliis magnis Medicis, merito cenſentur. Vid. ſuperius monita ad* Antihecticum Pot. Bezoardicum Joviale, *& infra ad* Sal Jovis. *Tantum enim abeſt, ut atrophiam in miſellis infantibus Rhachitide confectis, tollere poſſit, ut potius, contrahendo & obſtruendo vaſa minima, eandem mirum quantum augent. Præterea quoque adjecta nimia ſacchari quantitas, in atrophia, aut Rhachitide curanda, plus utique obeſt, quam prodeſt. Saccharum enim Rhachiticis ſcorbuticisque ſæpe nocuiſſe, viſum eſt, inquit* Magnus BOERHAAVIUS, Elem. Chem. *Tom. II. p.* 139. *quem & Vid. Tom. V.* prax. Med. *p.* 371. *Conf. quoque* Gliſſonium & Mayow, *de Rhachitide. Liquido ergo, ni fallor, patet, parum, ut ita dicam, nutrimenti ac præſidii huic quidem pulveri ineſſe, ad ſanandam Atrophiam, atque hinc forſan illum mereri, ut potius atrophus, quam antatrophus, ſeu antatrophicus, appelletur. Sed jam ſatis. Ceterum alium pulv. antatroph. vid. in* BRUNNERI Conſil. Med. *p.* 17.

Pulvis Anti-Colicus Camerarii.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Raſurae eboris, *uncias duas.*
Cornu cervi uſti praeparati, *dr. ſex.*
Cryſtalli montanae praeparatae, *unc. ſemis.*
Salis Chamomillae.
Abſinthii, *ana drachmas tres.*
Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus.

In colica, ab acrimonia, bilioſa, & acido in primis viis, orta, nec non ad infantum diarrhœam bilioſam, commendabilis eſt.

Doſis in adultis a ſcrupulo uno, ad duos; infantibus ſcrupulus ſemis.

Pulvis Antidinicus Lentilii.

℞. Pulv. Caſtor. opt.
Cinnab. nativ. *ana drachm. duas.*
Rad. Doronic. Ver. *drachmam unam ſemis.*
Corallior. rubr. præparatorum.
Algagropil. Pulv. *ana drachm. unam.*
Salis ſuccini Volat.
Specier. diambr. *ana drachm. ſemis.*
Auri fulminantis, *ſcrupulum unum.*
Folior Auri, *No. ſex.*

Miſceantur: Fiat Pulvis; *cujus doſis a ſcrup. uno ad drach. ſem.*

In Vertigine (unde nempe Pulveri Nomen) hyſtericis affectibus, Puerorum Epilepſia, & ſimilibus, pulvis hic, ingratus licet, utilis tamen & ſumme proficuus deprehenditur.

Hæc omnia non penitus quidem negaverim: Interim tamen mallem Radicem Doronici, Aurum fulminans, & ipſa Folia Auri hinc plane abeſſe. Iſta enim ſunt ſuſpecta & noxia; hæc vero fatua & inania. Ceterum alios Pulv. antidinicos vid. ap. JUNGKEN Corp. Pharm. *p.* 828. *ſeq.*

Pulvis Antifebrilis Bat.

Pharm. Bat. p. 125.

℞. Lapidis Manat. *uncias duas.*
Sanguinis draconis, *drachm. unam.*

Miſceantur: Fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Tertianam vernalem curare, rariſſime fallit. Doſis drachm. una. Hora, ante paroxyſmum, *ſuperbibendo Aq. Roſ. rubr.* uncias tres, *ſucci Aurant.* drachm. ſex, *cum Sacchari alb.* uncia ſemis, *& tres vices. Utinam hæc ita ſint. Ibidem pag.* 129. *alius Pulv. febrilis occurret, qui* Certus *vocatur: Si certum.*

Pulvis Antifebrilis.

GAUB. *de Form. p.* 76.

℞. Corticis Peruviani optimi, *unciam unam.*
Salis Polychreſti, *drachm. duas.*
Olei Stillat. Cort. Citri, *guttas octo.*

Miſc. Fiant Pulveres, *No. ſedecim.*

Capiat Aeger unum, quovis Bihorio, tempore apyrexiæ, ex tantillo Vini puri.

Pulvis Antifebrilis Hoffmanni.

Ad POTER. Pharm. Spag. L. III. p. 471.

℞. Coralliorum rubror. uſtorum, *drachm. unam.*
Nitri fixi, *drachmam ſemis.*
Mercurii dulcis, *grana quindecim.*
Laudani opiati, *grana duo.*
Olei Caryophyllorum, *guttas tres.*

Miſceantur: Fiat pulvis, *cujus doſis drachma ſemis, in Vehiculo convenienti.*

In Febribus tertianis autumnalibus contumacioribus egregium habet uſum: poteſt etiam addi Regulus Antimonii medicinalis; tum virtus accedit major.

Pulvis Antifebrilis Hoffmanni.

apud NICOL. *de Form.* p. 179.

℞. Tartari Vitriolati.
Salis digeſtivi Sylvii.
Concharum præparatarum.
Nitri depurati.
Antimonii diaphoret. *ana dr. unam.*
Corticis Chinæ Chin.
Caſcarill. *ana drachm. ſemis.*

Miſc. Fiat pulvis *in XII. Part.* dividendus.

Pulvis Antifebrilis Pragenſis.

Diſpenſ. Prag.

℞. Pulv. Corticis peruviani, *unc. ſemis.*
Caſcarillæ.
Herbæ Cardui benedicti.
Scordii.
Radicis Gentianæ.
Antimonii diaphoretici.
Arcani duplicati, *ana drach. unam.*
Florum Salis Ammon. Mart. *drach. ſemis.*
Salis Abſinthii.
Cardui benedicti.
Centaur. minor. *ana ſcrup. unum.*

Miſc. Fiat Pulvis, cujus Vires ex Titulo patent. *Doſis eſt ad Drachmam unam, tempore apyrexiæ, ſumenda.*

Pulvis Antifebrilis Ruber.

Diſpenſ. Prag. ibidem.

℞. Radicum Scorzoneræ.
Petaſitidis.
Contrayervæ.
Herbæ Scordii.
Cornu Cervi uſti,
Terræ ſigillat. rubrae, *ana unc. tres.*
Antimonii diaphoretici, *uncias duas.*
Camphoræ, *drachmas tres.*
Croci optimi, *drachm. unam ſemis.*

Miſceantur: Fiat Pulvis ſubtilis, ad uſum.

Sicut Pulvis præcedens in febribus intermittentibus, egregii eſt uſus: ita hic in febribus potiſſimum malignis, ubi blanda diaphoreſis eſt movenda, præſidio eſſe poteſt.

Doſis eſt a Scrupulo uno, ad Drachmam ſemis. Vid. Tab. Smar. p. 325, ſeqq.

* * *

Pulvis Antifebrilis Noſter, Triller.

℞. Pulv. Cort. Chin. Chin. opt. recentis, *unciam ſemis.*
Lapid. Cancror. citrat. *drachm. duas.*
Conchar. præparat *drachm. unam.*
Antimonii diaphoret. Martialis.
Nitri depurati, *ana drachm. ſemis.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, Pulvis, in XVI. Partes æquales dividendus, ut *doſis communis ſit drachma dimidia.*

Hunc quidem Pulverem Antifebrilem, in Febribus intermittentibus, cujuscunque generis, Medicis omnibus inprimis ſedulo commendo, quod ipſe, per complures jam Annos, eximium ejus & rariſſime fallacem uſum, in innumeris fere Ægrotis, lætus expertus fui. Præſertim vero, tum, ad eum, ceu ſacram Ancheram, unice mihi confugiendum fuit, ubi ægrotos nactus ſum delicatos nimis, faſtidioſos, & ſolutioris aliquanto ſtomachi: item & pueros, puellas, aut teneros infantes, qui divinum Corticem Peruvianum nec in Electuario, nec in Vinoſo Infuſo, nec alio modo, præparatum, ferre ac ſuſtinere potuerunt. Tunc profecto hic ipſe Pulvis, bis, ter, aut quater, tempore Apyrexia, ſumtus, febres illico feliciter ſubegit. Doſis, uti jam monitum, pro adultis, eſt drachma ſemis, pro adultioribus ac robuſtioribus autem, drachma integra: pro tenellis vero, ſcrupulus unus, ſcrupulus dimidius Grana duodecim, vel quindecim, pro cujuscunque nempe ætatis, aut ætatulæ menſura ac modulo, quod ipſius Medici præſentis judicio relinquitur. *Sed aliquoties, per intervalla, finito jam plene ipſo paroxyſmo febrili, per diem ac noctem ipſam, adhibendus eſt*

hic ipſe Pulvis noſter antifebrilis; alias expectationi haud reſpondet, ut jam ſupra paucis indicatum: quod certe probe obſervandum. Ceterum, ut jam ſupra innui, hic ipſe Pulvis, ſine ullo periculi, aut ſiniſtri eventus, metu, intrepide dari poteſt non ſolum teneris pueris, intra bimatum, aut trimatum, adhuc conſtitutis; ſed & ipſis adeo infantibus tenerrimis, lactentibus, & uberibus maternis adhuc admotis; prout iſtius Curationis pericula ſæpius olim fecimus, ſine ullo tamen periculo; quin potius feliciſſimo & exoptatiſſimo cum ſucceſſu. Idem & de Gravidis candide affirmare poſſum: quibus & multum quoque profuit Electuarium noſtrum Antifebrile; *de quo vid. ſupra, ſuo loco.*

Pulvis Antilyſſus Lond.

pag. 90. Pharm. Lond.

Diſp. Wirt. Pharm. Reg. CHARAS *T. I. p.* 210.

℞. Lichenis cinerei terreſtris. uncias duas.
Piperis nigri, *unciam unam.*
Fiat pulvis.

Commendatur in Tranſactionibus philoſophicis Anglicis N. 237. *ad canis rabioſi morſus, multisque experimentis probatur.*

De quo vid. inprimis illuſtr. Rich. MEAD, Account of Poiſons, Eſſay *III. of the mad Dog, pag.* 165. *& ſeqq. Conf. ſupra dicta ad Herb.* Lichenis Terreſtris Cinerei: *& ill. van* SWIETEN, Comment. in Aphoriſ. BOERHAAVE, *Tom. III. pag.* 387. *ſeq. &* CHARAS *loc. cit. pag.* 210.

Doſis ſcrupuli duo, ad quatuor. Ceterum Conf. infra, *Pulvis ad Morſum Canis rabidi ſpecificus*, cui major & certior adhuc virtus contra deteſtabilem Hydrophobiam, vulgo tribuitur: ubi vid. a nobis dicta.

Pulvis Antiſpasmodicus Nitroſus Stahlii.

Diſp. Vienn. Argent. Wirt. Paris Reg. CHARRAS *p.* 206. *Tom. I.*

℞. Nitri puriſſimi cryſtalliſati.
Tartari vitriolati, *ana uncias duas.*
Cinnabaris puriſſimæ, *drachm. unam ſemis.*

Miſce, fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Commendatur ad motus ſpaſticos & convulſivos præcavendos & ſedandos, nec non æſtum nimium ſanguinis temperandum. Multæque præterea Virtutes aliæ ipſi tribuuntur, adeo, ut fere pro Medicamento polychreſto, immo panchreſto a nonnullis habeatur: quin & fuit haud ita pridem, qui pro primario quaſi ſpecifico antepileptico pulverem illum nimis præter rem, laudatum, publica Diſſertatione venditare auderet, ſed non ſine publico quoque Medicorum nonnullorum ſolertiorum diſſenſu. Certe tantas laudes ipſi vulgo ſine modo tributas illum ipſo effectu, ſuſtinere ac tueri haud poſſe, nos frequentiore experientia, liquidiſſime deprehendimus. Conf. Poemat. noſtr. *Tom. IV. pag.* 634. *in Not. Quare & hic ſit modus in rebus, ſed & in Verbis. Ceterum Conf. infra* ſal polychreſtum rubrum.

Doſis a ſcrupulo ſemis, ad drachmam ſemis, vel ſcrupulos duos.

Pulvis contra Acredinem.

Diſp. Wirt. & reliq.

℞. Antimonii diaphoretici ſimplicis, *uncias duas.*

Lapidum cancrorum.
Concharum præparatarum, *ana unc. unam.*

Miſce, fiat pulvis.

Acidum abſorbet; commendatur ad ardorem ſtomachi, & acrimoniam in primis viis hærentem. Vid. Pulv. & Trochiſcos antacidos.

Doſis ſcrupulus unus, vel drachma ſemis.

Pulvis Ari Compoſitus.

vid. infra
Pulvis Stomachicus Birckmanni.

Pulvis Auratus Dresdenſis *ſive* Germanorum.

vid. infra
Pulvis Cordialis Cellenſis.

Pulvis Bezoardicus Albus Ludovici.

Pharmac. Diſſ. I. p. 224.
Diſpenſ. Wirt. Argent.

℞. Cornu Cervi, ſine igne præparati, *uncias tres.*
Terræ ſigillatæ albae.
Unicornu foſſilis, *ana unciam unam ſemis.*

Miſce ſubtiliſſime trita.

Præfertur ab Auctore aliis pretioſis pulveribus in variolis, morbillis, convulſionibus ab acido, in primis viis infantum, in diarrhœa aliisque ejusmodi morbis: ſed ſi illa non critica fuerit, in qua quippe illum Pulverem adſtringentem nocuiſſe, compertum fuit. Vid. Commerc. litt med. Nor. A. 1735. p. 35.

Doſis a ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum, vel drachmam ſemis.

Pulvis Bezoardicus Anglicus Incompletus.

Diſp. Wirt. & reliq.

℞. Apicum nigrorum chelarum cancrorum, ſubtiliſſime pulveriſatorum.
Radicis Contrayervæ, *ana uncias duas.*
Matris Perlarum.
Coralliorum rubrorum.
Alborum.
Lapidum cancrorum.
Cornu cervi uſti, *ana drach. novem.*
Terræ Lemniæ, *unciam ſemis.*
Antimonii diaphoretici ſimplicis, *uncias duas.*

Miſce, fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

NB. Mater Perlarum, corallia, lapides cancrorum, & cornu cervi uſtum, antea ſucco citri ſunt imbibenda & exſiccanda.

Commendatur uterque in febribus malignis, epidemicis, petechizantibus, variolis, morbillis. Vid. SCHULZ. Præl. *pag.* 246.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam dimidiam.

Pulvis Bezoardicus Caroli Duc. Mant.

Tab. Smaragd. *p.* 296. & BIERLING. *pag.* 116.

℞. Magiſter. Perlar.
Corallior. *ana drachmas duas.*
Cornu Cerv. Phil. præparat. *unciam ſemis.*
Radic. Contrayervæ, *drach. quinque.*
Semin. Card. Benedict.
Off. de Corde Cervi, *ana dr. un.*
Lapid. Bezoar oriental. *drachm. ſemis*

Raſuræ Cornu Rhinocerot. *ſcrupulos duos.*
Fol. Auri, *ſcrupulum ſemis.*
Miſc. Fiat lege Artis, *Pulvis Bezoardicus, ſeu Alexipharmacus, in febribus malignis haud ſpernendus, ſpreto licet & omiſſo Auro illo ſuperfluo nihilque profuturo, ut ſæpius jam monitum fuit. Plures pulver. Bez. vid. ap.* JUNGK. *C. P. pag.* 812. *ſqq.*

Pulvis Bezoardicus.

FULLER. Pharm. Extemp. *p.* 315.
℞. Pulveris e Chel. Cancror. compoſ.
Lapidis de Goa,
Contrayervæ,
Bezoar oriental. *ana ſcrup. unum.*
Folior. Auri, *quantum lubet,* aut *opus eſt.*
Miſc. Fiat, lege Artis, Pulvis.
Pretioſus hic pulvis Κατ' ἐξοχὴν *Bezoardicus dici meretur; omnia enim alicujus momenti ac pretii Bezoardica in ſe continet, de quibus ſupra ſuis locis. Utinam tantum auxilii præſtaret in ægrotis, quantum pretii habet apud ſanos, & præſertim pharmacopolas. Ceterum ſimilem fere pulverem Alexipharmacum vid. ibidem pag.* 311.

Pulvis Bezoardicus Anglicus Completus, *ſive* Kentianus, *aut* Gaſconii, *item* Lapis Contrayervæ.

Diſp. Brand. Wirt. Batean. pag. 126.
℞. Apicum nigrorum chelarum cancrorum, ſubtiliſſime pulveriſatorum,
Radicis Contrayervæ, *ana unc. duas.*
Margaritarum præparatarum,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
alborum,
Lapidum cancrorum,
Cornu cervi uſti, *ana unciam unam.*
Bezoar Orientalis,
Terræ Lemniæ, *ana unciam ſemis.*
Antimonii diaphoretici, *uncias duas.*
Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.
NB. Cornu cervi uſtum & oculi cancrorum, corallia & margaritæ antea ſucco citri ſaturanda & exſiccanda ſunt.
Aliam vero in nonnullis, hujus pulveris Kentiani compoſitionem, &, ut creditur quidem, accuratiorem, Monconyſio communicavit famoſus ille & per pulverum ſuum ſic dictum ſympatheticum, mirandæ, ſi verum, efficaciæ, ubique notiſſimus, Kenelmus Digby: *quæ deſcripta legitur in laudati* Monconys. Itinerario, *p.* 613. *Conf.* & Pharm. Bat. *p.* 86. & VALENTINI Hiſt. ſimpl. Ref. *Lib. II. Sect.* 2. *C. II. p.* 111. *ubi hujus* Lapidis Contrayervæ *Deſcriptio habetur. Vid.* & *infra,* pulvis Contrayervæ Compoſitus, & *ſupra maxime,* Globuli Bezoardici. *item* FULLERI Lapis Alexeterius, *in* pharm. extemp. *p.* 217. *Cujus deſcriptionem ſupra ſuo loco, dedimus.*

Pulvis Bezoardicus Pretioſus Wedelii.

Amoen. Mat. Med. & *Tabul. Smaragd.* pag. 308.
℞. Lapidis Bezoar. oriental.
Radicum Contrayervæ,
Serpentar. Virgin. veræ,
Perlarum præparat.
Viperarum Ital.
Antimonii diaphoret. *ana unc. ſemis.*
Miſceantur: Fiat lege Artis, Pulvis, vel ſi lubet, Globuli, ad modum aliorum, quos Lapides vocant: Ceterum alium pulverem Bez. Wedel. in

nonnullis auctiorem & pretioſiorem, exhibet *Diſpenſat. Argent.* item *Ratisb.*

Pulvis Bezoardicus Sennerti.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn.

℞. Cornu Cervi philoſophice calcinati, *drachmas ſex.*
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Lapidis Bezoar Orientalis,
Margaritarum præparatarum,
Oculorum cancrorum præparatorum,
Succini præparati,
Terræ ſigillatæ albæ, *ana ſcrupulos quatuor.*
Oſſium de cordibus cervorum,
Hyacinthi præparati,
Rubini præparati,
Sapphiri præparatæ,
Smaragdi præparati, *ana ſcrupulos duos.*
Foliorum auri, *numero duodecim.*

Miſce, fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui etiam ſine Bezoar præparandus, & ſub titulo:

Pulveris Bezoardici
Incompleti

reponendus.

In febribus malignis epidemicis, variolis & morbillis non ſine fructu datur. Sed & non ſine pretio, propter adjectas præter rationem, multas gemmas, vid. SCHULZ. *pag.* 247.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Pulvis Bezoardicus.

TIM a GÜLDENKLEE, p. 423.

℞. Herb. Scordii veri, *drachmas ſex.*
Radicum Dictamni,
Scorzoner.
Contrayerv. *ana unciam ſemis.*
Zedoariæ, *drachmas duas.*
Seminum Citri,
Cardui Benedicti,
Acetoſæ, *ana drachm. unam ſemis.*
Cornu Cerv. philoſ. calcin. *unc. ſemis.*
Oſſ. de Corde Cervi, *dr. unam ſemis.*
Magiſter Oculor. Cancri, *drach. duas.*
Succini albi, *drachm. unam ſemis.*

Miſce: Fiat pulvis ſubtiliſſimus, cui pro Conditione Aegri, addi poteſt Lapis Bezoar.

Pulvis Bezoardicus Weiſii.

Diſp. Brand.

℞. Lapidis prunellæ puriſſimi,
Florum Sulphuris Myrrhatorum, id eſt, cum Croco & Myrrha ſublimatorum,
Antimonii diaphoretici, *ana unciam ſemis.*
Camphoræ optimæ, *drachmas duas.*
Lapidis Bezoar oriental. *drach. ſemis.*

Miſc. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, cui add. ſi placet, & opus eſt,
Foliorum Auri obryzi, *Numero tria.*

Parum differt a pulvere Alexipharmaco, ſuperius poſito, niſi, quod hic, Antimonium diaphoreticum & Camphora, cum modico Lapidis Bezoar, accedunt. Dari poteſt ſcrupulus dimidius, ad integrum, in Morbis inflammatoriis, aliisque acutis & malignis. *Hactenus quidem* SCHULZIUS Prælect. *p.* 246.

Pulvis Cachecticus

Quercetani Incompletus.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. & in rel.

℞. Limaturæ chalybis ſulphure præparatæ, *unciam unam.*
Radicum Ari præparatarum,

Coralliorum præparatorum,
Matris perlarum præparatæ, *ana drachmas duas.*
Cornu cervi philoſophice præparati,
Succini præparati,
Cinnamomi, *ana ſcrupulos quatuor.*
Sacchari ad pondus omnium, ſive *uncias duas, drachmas duas.*
Miſce fiat pulvis.

In Cachexia, levcophlegmatia, febri alba virginum, ictero & reliquis morbis, ex atonia viſcerum ortis, bonam præſtat opem. Conf. ſupra Cachecticum Ludovici, *ſeu* Antimonium diaphoreticum Martiale. *Ceterum hic vid.* SCHULZ. Prælect. *p.* 247. *Conf. infra* Pulveres Chalybeati, *qui multum conveniunt cum hoc ipſo pulvere cachectico* Quercetani. *Vid.* & Sal Cachecticum Chalybeatum.

Si COMPLETUS expetatur, addatur Ambræ griſeæ *drachma una ſemis,* & loco Matris perlarum, ſumantur Margaritæ præparatæ.

Pulvis ad Calculum,

Diſp. Wirt. Vienn.

℞. Radicum Pareiræ bravæ, *unc. unam.*
Altheæ,
Liquiritiæ,
Seminis Lycopodii,
Lapidum cancrorum, acido citri ſaturatorum,
Percarum,
Operculorum cochlearum,
Succini præparati,
Millepedum præparatorum, *ana drachmas duas.*
Florum cardui ſtellati, *unciam unam.*
Miſce, fiat pulvis.

In calculo renum, nephritico dolore, tam curative, quam præſervative commendatur.

Doſis in junioribus a ſcrupulo ſemis, ad grana quindecim, adultioribus ſecure drachma ſemis, vel ſcrupuli duo propinari poſſunt.

Pulvis contra Calculum.

Diſpenſ. Prag.

℞. Salis Ononidis,
Petroſelini,
Saxifragiæ,
Juniperi,
Gemmæ, *ana unc. unam.*
Oculor. Cancr. præp. *unc. unam ſemis.*
Cremoris Tartari, *libr. unam.*

Illuſtriſſ. comitibus de Merzin, a longiori ævo, hic pulvis in Calculo, expertiſſimus habetur.

Doſis ejus eſt ex juſculo petroſelini, ad ſcrupulos duos.

Pulvis contra Calculum.

Frid. HOFFMANNI.

℞. Matris perlar. calcinatæ,
Pulv. Rad. Glycyrrhizæ,
Petroſelini,
Ireos Florent. *ana unciam unam.*
Nucleorum Ceraſorum dulc. *unciam ſemis.*
Acaciæ,
Arillorum Cynosbati, *ana unc. un.*
Florum Hyperici,
Chamæmeli, *ana drachm. duas.*
Seminum Fœniculi,
Aniſi, *ana drachmam unam.*
Sacchari Canarienſis, *uncias duas.*
Ex contritis his omnibus, Fiat lege Artis pulvis.

Commendatum ſibi hunc pulverem egregium Lithonthrypticum, ab illuſtri quadam familia, tanquam Arcanum gentilitium ſanctius inter adyta, cuſtodiendum, commendavit poſtea, ipſe HOFF-

MANNUS *ſuis Auditoribus, in publica quaſi commoda, in poſterum evulgandum, referente ipſius diſcipulo digniſſimo & celeberrimo, B.* SCHULZIO, *in Diſſert. de* Lithonthryptico *nuper in Britannia, juris publici facto, pag.* 37. *Conf. ipſius* HOFFMANNI *Med. Rat. Syſtem. T. IV. Part. II. Sect. II. Cap.* 6. *ubi ſimiles aliquot compoſitiones ejusmodi pulverum lithonthrypticorum & lithagogorum; exhibentur: Vid. inprimis, pag.* 372. *ſqq. de* pretioſo vero pulvere Lithonthryptico Volkameri, *peculiari quadam epiſtola encomiaſtica, ab ipſo publice laudato, vid. Vit.* RIEDLINI Lin. Med. *Ann.* 1695, *Menſ. Septembr. Obſ.* 19. *pag.* 296. *Illum autem famoſum & noſtra quidem tempeſtate, nimis decantatum ac celebratum pulverem Lithonthrypticum Anglicanum, ab inventrice virgine* Stephens, *ingenti pretio accepto, publicatum exacte deſcriptum videas, ſi lubet quidem, in* Pharmac Reg. *Cl.* CHARAS, *Part. II. pag.* 866. *ubi & reliqua, quæ ad hanc curam, ſæpius fallacem, quam veracem, pertinent, plenius enarrantur. Conf. ſupra laudata* SCHULZII Diſſertat *& noviſſime Cl.* THIERY, Medicin. Extemporal. *qui pariter, exemplis edoctus, illi Medicinæ Stephanianæ nimium laudatæ, parum, aut nihil efficaciæ tribuit. Vid. &, ſi placet Diſſ. noſtra de* Cort. Peruv. uſu, *pag.* 9 *Nova tamen ejusdem ambigui Remedii defenſio ampla prodiit nuper, Londini,* 1755. *de qua vid.* Ephemerid. litterar. Goetting. Belgic. Gallic. & alias.

Pulvis contra Calculum Placcii.

Diſpenſ. Hamb.

℞ Semin. Apii,
Milii Solis,
Saxifrag *ana drachmas duas.*
Petroſelini,
Cucurb. *ana unc. ſemis.*
Cinnamomi, *drachm. tres.*
Glycyrrhizæ, *unciam ſemis.*
Mandib. Lucii piſc. præpar.
Nucleor. perſic. *ana drachm. unam.*
Oculor. Cancr. praep *ſcrup. quatuor.*
Sacchari albiſſ. *unc. quatuor.*
Miſc. Fiat Pulvis ſubtiliſſimus,
qui tamen recens potius præparandus eſt, ob nonnulla ſemina, alias rancitatem ipſi contractura, ſi diutius aſſervatur.

Pulvis Canæus ex Nitro.

Diſpenſ. Prag.

℞. Nitri praeparati, *uncias quatuor.*
Cornu Cervi philoſ. praep. *unciam unam ſemis.*
Camphorae,
Zinziberis, *ana drachmam ſemis.*

D. Loew. *hunc pulverem ſibi commendatiſſimum habuit in peſte ipſa, & aliis Morbis malignis: Hinc Minderero pulvis Alexipharmacus audit.* Veſperi, ad ſcrupulos duos, exhibitur, *vel ipſis delirantibus ſomnum conciliare perhibetur, quod equidem ſerio optaverim.*

Pulvis Cardiacus Corallatus.

Pharm. Bat. pag. 127.

℞. Corallior. rubror. praeparatorum,
Sacchari optimi, *ana uncias tres.*
Olei Cinnamomi, *guttas ſex.*
Miſc.

Pulvis Cardiacus Eb[illegible]ratus.

Ibidem.

℞ Magiſterii Eboris,
Cinnamomi, *ana uncias duas.*
Sacchari optimi, *uncias tres.*

Miſc. Fiat pulvis, ſecundum Artem, ad uſum.

Pulvis Cardiacus excitans.

GAUB. *de Form. pag.* 74.

℞. Olei ſtillat. Cort. Cinnamomi, *gutt. viginti.*
Caryophyll. ar. *guttas duas.*
Sacchari albiſſimi, *unciam unam.*
Accurate his ſubactis admiſce:
Cinnabaris nativ. puriſſ. *drach. tres.*
Fol. Auri, *No. unic.*
D. in Vitro probe clauſo.

Sumatur in virium defectione, quantum cultri apice attolli poteſt: ſuperbibendo, ubi ſtatus & conditio morbi & aegroti fert, pauxillum Vini generoſioris.

Aurum vero atque ipſa Cinnabaris pompæ potius, atque ſplendoris externi, quam utilitatis internæ, gratia, adjecta videntur, præſertim vero in præcedenti compoſitione, uſui tantum externo dicata. Ceterum autem hos tres pulveres Cardiacos, rectius & accuratius loquendo, ad Elæoſaccharorum claſſem potius eſſe referendos, de quibus ſupra ſuo loco, nemo non, opinor, ſtatim intelligit, qui aliquem ſaltim rei pharmaceuticæ guſtum & uſum ſibi ſenſim comparaverit. Neque ulli, credo, dubium ſupereſſe poterit, quin omnis medendi, ſopitosque ſpiritus excitandi, Virtus unice pendeat ab oleis deſtillatis generoſioribus, atque Sale illo Volatili penetrantiſſimo. Ceterum plures ejus modi pulv. Card. vid. apud PALMAR. *de* Febre peſtilent. *p.* 485. *ſqq.*

Pulvis Cardiacus Narcoticus.

H. BOERHAAVE *Mat. Med. p.* 86.

℞. Olei ſtillat. Cinnamom. *guttas duas.*
Caryophyllor. *guttam unam.*
Cort. Citrei, *guttas duas.*
Sacchari puri, *drachmas duas.*
Fiat ſecundum Artem, Elæoſaccharum cui deinde admiſce:
Coralliorum rubror. *drachm. unam.*
Laudani puri, *grana duo.*
Miſc. Fiat Pulvis, *dividatur in duas doſes.*

Capiat æger unam, hora una, ante actionem, (*ſeu amputationem membri putridi autſphacelati*) &, *ſi nihil ſopivit, alteram* ¼ *horæ, ante eandem. Sed & in aliis acutis doloribus mitigandis, prudenter & circumſpecte poteſt adhiberi. Conf. ſupra* Liquor Cardiacus, & *infra* Tinctura Cardiaca.

Pulvis Cardiacus Odoratus.

GAUB. *de Formul. pag.* 393.

℞. Olei ſtillat. Cinnam. *guttas ſex.*
Meliſſ.
Rorismarin. *ana gutt. quatuor.*
Salis Volat. ſicc. de Sale Ammon. parati, *ſcrup. ſemis.*
Sacchari albiſſimi, *unciam ſemis.*
Cinnabaris nat. ſubtiliſſime lævigatæ q. ſ. ad coccineum ruborem.

Accurate, cito, miſta, immittantur Vaſculo vitreo, obturaculo Vitreo claudendo.

Admoveatur Naribus, in languore, & lipothymia, ad reparandas vires amiſſas, & revocandam animam latentem. Egregia ſane hæc eſt compoſitio; ſed quæ non tantum externo, ſed & interno ſimul uſui commode inſervire poteſt, ubi nempe anima deficit & omnes Vires fractæ fuerunt, item in ſuffocationis metu & apoplexia, &c. Quorſum & pertinet præcedens Pulvis Cardiacus excitans GAUB.

***

Pulvis Cardiacus Perlatus.

Pharm. Batean. pag. 127.

℞. Radicis Chinæ, *uncias tres.*
Margaritar. præparatarum, *unc. duas.*
Alevri puriſſimi, *uncias octo.*
Sacchari optimi, *uncias ſex.*

Coq. in clibano, vaſe terreo; deinde novo, fiat pulvis.

Inſpergendus omnibus cibis, juſculis, panatellis, &c. Magnum analepticum & inſtaurativum habetur in lenta Tabe. Conf. infra Pulveres Cordiales, & *ſupra* Confectiones Cardiacæ.

Pulvis contra Cardialgiam Rubeus.

Pharm. Bat. pag. 127.

℞. Cretæ albiſſimæ, *uncias octo.*
Oculorum Cancr. *uncias duas.*
Bol. Armen. *unciam unam.*
Nucis Moſchat. *unciam ſemis.*

Miſc. Fiat pulvis: *doſ. drachm. una, una ſemis, aut duæ, ſi opus.*

Pulvis contra Cardialgiam.

VERZASCHAE, *Obſ. Med.* 48. *p.* 104.

℞. Ocul. Cancror.
Cretae, *ana drachmas duas.*
Cryſtall. præp.
Boli Armen.
Corall. rubr.
Lapid. Judaic. præp. *ana dr. unam.*
Margarit. præp. *ſcrupul. unum.*
Cinnamom. elect. *ſcrupul. ſemis.*
Lapid. Carpion. *ſcrupulum unum.*
Bezoar. Oriental.
Macis,
Nuciſtæ.
Croci oriental. *ana ſcrupul. ſemis.*

M. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, cujus *doſis eſt circiter ſcrupulus.*

Magnas ibi virtutes contra ardorem ac dolorem Ventriculi, tribuit huic ſuo pulveri, Inventor, Verzaſcha. *Nec illæ ipſæ Virtutes illi jure denegari poſſunt. Interim tamen eandem efficaciam haud dubie habiturus eſſet; etiamſi Lapides Bezoar. & Carpionum, item Margaritæ, & illa quæ ſequuntur, aromata, omitterentur, quibus quippe pulvis ipſe juſto pretioſior ſit & calidior; haud vero melior, aut juvandi potentia efficacior. Sufficiunt enim ea, in hoc quidem pulvere, quæ acidum abſorbent & imbibunt, bilisque acrimoniam obtundunt & enervant, qualia nempe ſunt Oculi Cancror. Creta, Cryſtalli, Bolus Armen. Corallia rubra, & Lapis judaicus; quo & notiſſimi Carpionum Lapides pertinent, qui tamen hic, præter neceſſitatem, entia, quod vulgo dicitur, augent & multiplicant. Conf. infra,* Trochiſci Cardialgici.

Pulvis Carminativus.

Diſpenſ. Brand.

℞. Seminis Carvi,
Cumini, *ana libram ſemis.*
Zinziberis albi, *unciam unam.*
Croci optimi, *drachmam unam.*

Miſceantur: Fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Optimus eſt ad finem illum, quem Titulus indicat, laudandaque eſt ſimplicitas, ſcopo egregie ſatisfaciens. Dari poteſt ſcrupulus, ad grana triginta, *ubicunque Ventriculus & inteſtina cruditatibus & flatulentiis divexantur. Ita optime* SCHULZ. *in* Prælect. *pag.* 248. *Ceterum in plurimis convenit cum deſcriptione* MYNSICHTI, *pag.* 131. *quæ tantum Aniſum & Macis quid adjectum habet.*

* * *

Pulvis Carminativus Bierlingii.

Append. Med. pag. 108.

℞. Radicum pimpinellæ,
Zingiberis,
Zedoariæ,
Acori,
Seminum Coriandri præparat.
Aniſi,
Carvi,
Cinnamomi acuti,
Caryophyllorum, *ana drachm. unam.*

Miſc. Fiat lege Artis pulvis, uſui ſervandus.

Pulvis Carminativus Fulleri.

Pharm. Extemp, pag. 316.

℞. Seminum Aniſi,
Fœniculi dulcis, *ana grana viginti ſex.*
Nucis Moſchatæ,
Cinnamomi acuti, *ana gr. octodecim.*
Piperis longi,
Caryophyllorum, *ana grana ſex.*
Maſtiches, *ſcrupulum unum.*

Miſceantur: Fiat pulvis, *pro ſex doſibus.*

Non ſolum flatus diſcutit, ut Nomen indicat; ſed & ſimul eſt pepticus, orecticus, & ſtomachicus: paresque inde vires habet cum pulvere altero, peptico commode dicto, quod deſcribit infra idem FULLERUS, *pag.* 330. *Ceterum Conf. infra* Pulvis contra Flatus: & Species Carminativæ Zwelferi: *præſertim vid.* HEINS Pharm. rat. *pag.* 125. *ſqq. ubi plures ejusmodi pulveres Carminativi occurrunt.*

Pulvis Carminativus Garmeri.

Diſpenſ. Hamb.

℞ Oleor. deſtillat. Aurantiorum,
Aniſi,
Cumini,
Foenic. *ana drach. unam ſemis.*
Sacchari Canar. optimi, *uncias octodecim.*

Miſceantur probe: Fiat pulvis, aut rectius loquendo Elæoſaccharum.

Conf. Elæoſaccharum Carminativum, *in Pharm. Batean, pag.* 54.

Pulvis Carminativus Hoffmanni Sen.

Theſaur. Pharm. pag. 97.

℞. Caſtorei electi, *drachmas duas.*
Seminis Cumini,
Cortic. Aurantiorum, *ana unciam ſemis.*

Miſc. Fiat pulvis: *doſis drachma una in vino.*

Mox ſequitur ibidem alius pulvis Carminativus, major quidem; ſed non melior: habet enim dentes inferiores Auratæ, Oculos Lucii piſcis, & talos denique Leporis. Quæ fatua & inania quid facere poſſint ad flatus diſcutiendos, ventriculum ſimul roborandum; id equidem me non intelligere, ingenue fateor: ſed hæc obiter.

Pulvis Carminativus Queſtenbergicus.

Diſpenſ. Prag.

℞. Foliorum Sennæ, ſine ſtipitibus, *uncias duas.*
Cremoris Tartari, *unciam unam.*
Rhabarbari opt.
Cinnamomi,
Zinziberis,
Glycyrrhizæ,
Seminis Aniſi, *ana drachmas duas.*
Caryophyllorum, *drachmam ſemis.*
Sacchari, ad pondus omnium,

Miſcean-

Miſceantur diligenter: Fiat lege Art pulvis.

In debilitate Ventriculi, obſtructionibus, & flatulentiis, utiliter exhibetur, ad drachmam unam. *De nomine vero ipſe Auctor reddat rationem.*

Pulvis Contra Caſum.

Diſp. Prag. Wirt. Bat. p. 127.

℞. Terræ ſigillatae
Sanguinis Draconis.
Mumiæ, *ana unciam unam.*
Rhabarbari, *drachmas duas.*
Miſce, fiat pulvis.

Spermatis ceti uncia ſemis ordinario hanc compoſitionem quoque ingreditur; cum vero brevi ranceſcat, præſtat, illud tum demum addere, cum actu pulvis in uſum vocatur.

Commendatur lapſis, contuſis & ubicunque ſanguis reſolvendus eſt.

Doſis drachma dimidia, ad ſcrupulos duos. *Conf infra* Species diamumiæ Mynſichti.

Pulvis Cephalicus.

Diſpenſ. Edinb.

℞. Foliorum Aſari.
Rad. Lilii Convall. *ana drach. duas.*
Summitatum Betonicæ.
Majoranæ.
Roriſmarini, *ana ſeſquidrachm.*
Miſce: Fiat Pulvis

Parum quidem differt a præcedenti Compoſitione pharmacop. Regiæ: interim tamen & hic locum meretur. Ceterum uſibus iisdem externis commode inſervire poteſt.

Pulvis Cephalicus Albus.

Diſpenſat. Wirt. Vienn.

℞. Succini præparati.
Matris Perlarum præparatae.
Smaragdi præparati, *ana unc. ſemis.*
Ligni Aloës.
Radicis Pæoniæ, *ana drachm. duas.*
Unicornm marini.
Viſci querni, *ana drach. unam ſemis.*
Sacchari perlati, *uncias duas.*
Miſce, fiat pulvis.

Commendatur ad morbos capitis; nervos confortat, & epilepticis ac convulſivis motibus reſiſtit.

Doſis drachma ſemis, ad ſcrupulos duos.

Pulvis Cephalicus Arniſæi.

Regi Daniae praeſcriptus.

BIERLING. *Append. Med. p.* 106.

℞. Succini praeparati, *drachm. unam.*
Ungulae Alcis praep. *ſcrupul. unum.*
Cranii humani præp. *ſcrupulos duos.*
Granorum pæoniæ, *drachm ſemis.*
Spodii
Seminis Majoranae.
Rutae, *ana ſcrupulum unum.*
Miſce: Fiat Pulvis Cephalicus.

Pulvis Cephalicus Camerarii, Cum Saccharo.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Cornu Alcis, ſine igne praeparati.
Cervi, ſine igne praeparati, *ana drachmas tres.*
Cranii humani præparati, *dr. ſex.*
Cryſtalli montanae.
Succini praeparati.
Ungulae Alcis, *ana drachmam unam.*
Cinnabaris nativae, *drachm. ſemis.*
Saochari albi, *unc. unam ſemis.*
Miſce, fiat pulvis.

Ad ſpasmodicos dolores capitis, hemicraniam & epilepſiam, tam adultis, quam pueris, datur.

Doſis ſcrupulus ſemis, ad ſcrupulos tres.

Pulvis Cephalicus.

CHARAS Pharm. Reg. Tom. I. p. 213.

℞. Foliorum ſiccatorum Aſari.
Majoranae.
Mari Syriaci.
Florum ſiccatorum Lavendulae.
Singulorum pondera æqualia, *quant. lubet.*
Miſc. Fiat gr. mod. Pulvis.

Iisdem uſibus externis opportune deſtinari poterit, ubi opus fuerit.

Pulvis Cephalicus Dolæi.

Excyclopæd. Med. pag. 40.

℞. Cranii humani per Vapor. praep. *drach. ſemis.*
Salis Succini.
Cornu Cervi volat. *ana ſcrupul. ſemis.*
Cinnabaris Antimonii, *gr. quindecim.*
Miſc. Fiat pulvis: *detur a gran. quinque, ad ſcrup. unum.*

Parum differt a ſequenti pulvere Ettmülleriano, & tamen magnas atque egregias virtutes ipſi pro more ſolito, tribuit Auctor. Pronuncient experti. Ceterum plures Cephal. pulv. vid. apud JUNGKEN. Corp. Pharm. *p.* 825. *ſeqq.*

Pulvis Cephalicus Ettmülleri.

℞. Cranii human. per Vapor. Calcinat. & praeparat. *drachm. unam.*
Cinnabaris Antimonii, *ſcrup. duos.*
Salis Volat. Succini rectific. *ſcrupul. unum.*
Miſceantur: Fiat pulvis.

***

Pulvis Cephalicus Fulleri.

Pharm. Extemp. p. 317.

℞. Pulveris de Gutteta Riverii.
Cinnabaris nativae praep. *ana unciam ſemis.*
Miſceantur: Fiat pulvis.

Pulvis hic eſt ſpecificus, in Morbis convulſivis, Vertigine, Gravedine Capitis, & Cephalalgia. Experientia compertum eſt, dolores capitis pertinaciſſimos, & fere ad Maniam accedentes (irritis aliis Remediis) ſoli pulveri de Gutteta, ad drachmam unam, exhibito, cum Brodio e Floribus primulæ veris, decocto Betonicæ, aut infuſione Theæ ceſſiſſe.

Satis nota & memorabilis eſt Hiſtoria, de puella quadam, apud nos, quæ quum Melitæum Canem ſcabioſum, rabidumque, in lectum ſibi admiſiſſet, ejusque ſaliva venenoſa, effluviisque noxiis contaminata, motibus convulſivis correpta fuiſſet; Hydrophobia laboravit, & nocte dieque, inſtar Canis, invita, & præter voluntatem, latravit; plures Medicos conſuluit, ac tandem, (inter alia Remedia) hunc pulverem cum emolumento, ſumſit; & poſtea, priſtinam integramque ſanitatem recuperavit. Hæc Communicator. Ita ibi ſatis diffuſe FULLERUS. *Quæ omnia huc tranſcribere, nos haud pigrit, præſertim, ob perquam memorabilem Hydrophobiæ abominabilis Hiſtoriam. Ceterum, an miſella iſta puella per hunc quidem pulverem tantopere laudatum, ſanata, & præcipue, a terribili illo latratu canino liberata fuerit, (conf. huc, ſi placet,* Commerc. litt. med. Norimb. *de An.* 1735. *p.* 82. *ubi ſimilis fere horrenda Hydrophobiæ extat Hiſtoria,) de eo quidem ſit fides penes Auctorem, ſive Auctores. Ego certe hic nec credulus nimis eſſe volo, nec*

rurſus nimis incredulus, multo minus bonam honeſtiorum virorum famam ac fidem temere, aut inverecunde, in diſcrimen adducere. Interim vid. niſi grave, Diſſertat. noſtr. de Corticis peruviani uſu ſalutari, *pag.* 10. *Sed hæc obiter, & oblata hic potius ſponte quaſi occaſione, quam anxie, aut ſtudioſe quæſita.*

Pulvis Cephalicus
Hoffmanni.
Not. ad POTER. *p.* 472.

℞. Herbarum Baſilici.
Majoranae.
Betonicae, *ana manip. unum.*
Florum Anthos.
Lavendulae, *ana pugillos duos.*
Benzoë.
Storacis.
Succini, *ana drachm. unam ſemis.*
Olei Majoranae, *guttas octo.*
Ligni Rhodii, *guttas decem.*

Poteſt his addi, ſi neceſſitas urgeat, Euphorbium, Opium, Camphora, Sal Volatile Ammoniac. & ſimilia valentiora & potentiora remedia.

Uſus eſt eximius in diverſis affectibus Capitis, ejusque doloribus, Vertigine, Hemicrania, Epilepſia, affectibus oculorum, aurium, ſenſuum ſtupore, item & defectione animi, & Virium dejectione. Jure, & quidem longe meliore, hæ laudes huic pulveri Hoffmanniano *conveniunt, quam quidem præcedenti* Kepleriano, *de cujus mira omnino, & plus damni, quam emolumenti, paritura Compoſitione modo mentem noſtram candide declaravimus. Diligenter ergo inter utrumque hunc pulverem, inſtituta comparatione, protinus, ſpero, apparebit, quantum omnino diſcrimen intercedat inter judicium medicum ſolidum, acutum & longo rerum uſu ſubactum; & inter ſubitum mentis haud ſatis providæ, nec rerum medicarum ſatis gnaræ, impetum, diramque inclareſcendi cupidinem. Sed nolo cum larvis atque umbris hic incaſſum luctari. Hinc hæc ſufficiant.*

Pulvis Cephalicus,
ad Memoriam Roborandam.
Anderſoni Angli.
BIERLING. *Append. Med. p.* 106.

℞. Calami aromatici,
Gentianæ.
Cumini.
Sileris montani.
Amei.
Carvi.
Semin. Petroſelini.
Macis, *ana drachm. unam.*
Coralliorum rubrorum.
Perlarum non perforat. *ana dr. duas.*
Zingiberis albi.
Mamæpityos,
Foliorum Sennæ Mundator.
Cryſtall. Tartari, *ana drahmas duas ſemis.*
Caryophyllorum, *drachm. tres.*

Ex his omnibus fiat Pulvis ſubtiliſſimus, de quo ſumat ægrotus ſcrupulos duos, mane, jejunus, in juſculo Carnis, & tantundem, per horas duas, ante Cœnam. *Id faciat menſem primum. Secundo menſe, mane tantum capiat. Tertio menſe, ter in hebdomade, mane ſumatur. Quarto menſe, ſumat mane, &c. Vid. ibi reliqua, quæ ad hanc operoſam quidem Curam abſolvendam, pertinent. Utinam effectus laudatos præſtet!*

***

Pulvis Cephalicus odoratus.

Charas, Pharm. Reg. *Tom. I. pag.* 212.

Batean. pag. 891.

℞. Radicis Ireos Florent. *uncias octo.*
Santali citrini, *uncias quatuor.*
Florum Lavendulæ.
Roſarum rubrarum, *ana unc. tres.*
Lilii Convall. *unciam unam.*
Summitatum Majoranæ, *uncias tres.*
Styracis.
Benzoini, *ana uncias duas.*
Tacamahacæ odoratæ, *unciam unam.*
Caryophyllorum, *drachm. duas.*
Labdani.
Acori Veri.
Cyperi rotundi, *ana drachm. unam.*

Groſſo Modo Contuſa, Miſc. Fiat lege Artis, Pulvis.

Cujus uſus eſt Cephalicus, nervinus, analepticus & cardiacus; exterius nempe Capiti, Cordi & naribus, commode applicitur. Conf. infra ſuo loco, Species Cephalicæ pro Cucuphis, & Species pro Epithemate, Cephalicæ, *eidem ſcil. ſcopo inſervientes.*

Pulvis Cephalicus Rubeus, Auguſtan. ex Præparatis.

Diſpenſ. Vienn. Prag.

℞. Cinnabaris nat. elect. & præparat. *uncias tres.*
Radic. pæoniæ, *unc. unam ſemis.*
Smaragdi præparat. *drachm. duas.*
Ungulæ Alcis præparat. *drachmam unam.*
Cranii humani præparati.
Coralliorum rubrorum præp.
Cornu Cervi philoſoph. *ana ſcrupulos duos.*
Unicornu marini.
Margaritarum præparatarum.
Succini albi præp. *ana ſcrup. unum.*

Omnia bene pulveriſata, Miſceantur.

Convenit in multis, cum præcedente Pulvere Cephalico Camerarii, ſaccharo, paucisque aliis exceptis, atque hinc ejusdem quoque erit uſus. Ceterum præfertur a multis ipſi etiam ſic dicto Specifico Cephalico Mich. vulgo notiſſimo, ceu obſervatum in diſpenſ. Pragenſi. Interim Conf. infra Species Diacinnabaris Mynſichti: *de quibus mira, immo pæne incredibilia ibi promittuntur, immo confidenter affirmantur.*

Pulvis Cephalicus Winteri.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Radicis Pæoniæ, *drachmas ſex.*
Seminis ejusdem excorticati, *drach. unam ſemis.*
Visci querni, *drachm. duas.*
Ungulæ Alcis, *ſcrupulos duos.*
Cornu cervi philoſophice præparati, *drachm. unam ſemis.*
Unicornu foſſilis.
Dentium Hippopotami, *ana dr. ſemis.*
Cranii humani, *drachmam unam.*
Cinnabaris nativæ.
Succini albi, *ana drachm. ſemis.*
Coralliorum rubrorum, *ſcrup. duos.*
Chryſolythi.
Smaragdi.
Margaritarum præparatarum, *ana ſcrupulos duos.*
Foliorum auri numero duo.

Fiat pulvis.

Cum pulvere epileptico rubro convenit, & easdem habet virtutes.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

***

Pulvis Cerebrum Roborans, Kepleri.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Foliorum Betonicæ.
Majoranæ, *ana unciam ſemis.*
Cubebarum, *drachmas duas.*
Caryophyllorum, *drachmas tres.*
Florum Lavendulæ, *drachmas duas.*
Radicis Iridis Florentinæ, *dr. duas.*
Olei Ligni Rhodii, *guttas quadragint.*
Cinnamomi, *guttas viginti quatuor.*
Moſchi optimi, *grana triginta duo.*
Ambræ griſeæ, *grana viginti quatuor.*

Miſce omnia: Fiat inde pulvis ſubtiliſſimus.

Sed cui quæſo uſui? quorſum enim enormis illa quantitas oleorum deſtillatorum, & præſertim Moſchi atque Ambræ? quæ plane inſolita & fere inaudita eſt. Ideo ego quidem pro meo captu, crediderim, plus conferre hunc ipſum mirabilis compoſitionis pulverem ad cerebrum turbandum ac debilitandum, quam quidem ad reficiendum atque roborandum. Quis enim obſecro, præſertim ex delicatioris uteri feminis, ſine Cephalalgia, Vertigine, ſenſuum ſtupore, quin & apoplexiæ & lipothymiæ metu, impune ferre poſſit illam vehementiſſimam anathymiaſin ex tanta Moſchi & Ambræ, oleorumque fragrantiſſimorum Copia Cerebro nervisque ſubito illatam? Inde ſuaſor potius ſum, ut omnia iſta omittantur, aut certe ad pauciſſimas guttas atque grana reducantur; Tum enim uſu cephalico haud carebit hæc compoſitio cetera ſat ſcita: Alias vero plus nocebit, uti dixi, quam juvabit.

Pulvis e Ceruſſa.

Diſpenſ. Lond. nov.

℞. Ceruſſae, *uncias quinque.*
Sarcocollæ, *ſeſcunciam.*
Gummi Tragacanthæ, *unc. dimidiam.*

Omnia in pulverem ſimul contundantur, & uſui ſerventur, qui eſt mere *externus atque Chirurgicus, ad ſiccanda nempe & conſolidanda ſenſim ulcera atque vulnera.*

Pulvis Cervinus Camerarii.

Diſp. Wirt. in reliquis fruſtra quæritur.

℞. Oſſium cervi, *uncias quinque drachmas tres.*
Cornu cervi, philoſophice præparati, *uncias duas drachmam unam.*
Cornu cervi uſti, *unc. unam. drach. duas ſemis.*

Miſce, fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires adſcribuntur bezoardicæ & cordiales, atque in febribus malignis & dyſenteria commendatur.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam dimidiam.

Pulvis Chalybeatus.

FULLER. *Pharm. ext. p.* 318.

℞. Rubiginis Martis, *ſcrupulos octo.*
Salis Chalybis.
Croci.
Zinziberis, *ana ſcrupulum unum.*
Seminis Aniſi, *ſcrupulos quinque.*
Macis, *ſcrupulos quatuor.*
Sacchari albi, *ſcrupulos decem.*

Miſc. Fiat pulvis, pro viginti doſibus.

Ad Cachexiam, Chloroſin, Obſtructiones, Icterum, Hydropem, & ad id genus morbos quoſcunque, qui a ſanguinis cruditate & pauperie proſapiam ducunt, Chalybeata ſunt inſtar omnium.

* * *

Pulvis Chalybeatus Major Pariſienſ.

Diſpenſ. Pariſ. p. 68. *Lugdun. p.* 84.

℞. Limaturæ Ferri præparatæ, *uncias duas.*
Cinnamomi optimi, *drachm. ſex.*
Myrrhæ electæ, *unciam unam.*
Radicum Ariſtolochiæ rotundæ.
Rubiæ majoris.
Pimpinellæ ſaxifragæ, *ana dr. duas.*
Seminum Leviſtici.
Rutæ.
Apii.
Seſeleos, *ana drachm. unam ſemis.*
Summitatum Thymi.
Origani.
Matricariæ.
Calaminthes montanæ.
Pulegii.
Artemiſiæ.
Hyſſopi.
Praſſii.
Meliſſophylli.
Betonicæ.
Nepetæ.
Sabinae, *ana drachmas duas.*
Macis, *ſcrupulos duos.*
Miſc. probe: Fiat omnium pulvis.

Iisdem pæne uſibus inſervit; ſed efficacior, & virtute ſuæ compoſitionis præſtantioris, citius fortiusque agit. Inde in morbis præſertim uterinis, cautius parciusque adhibendus. Ceterum Conf. ſupra, Pulvis Cachecticus Quercetani, *qui in multis, cum his pulveribus Chalybeatis convenit; ut &* Sal Chalybeatum Cachecticum, *quos infra exhibetur.*

Pulvis e Chelis Cancrorum Compoſitus Minus Pretioſus.

Diſp. Leid. Wirt.

℞. Matris Perlarum præparatæ.
Oculorum Cancrorum.
Coralliorum rubrorum.
Succini albiſſimi.
Cornu cervi, philoſophice præparati, *ana unciam ſemis.*
Chelarum cancrorum, *uncias duas ſemis.*
Miſce, fiat pulvis.

Vires ſunt alexipharmacæ & diaphoreticæ, in febribus continuis, ſic dictis malignis utilis eſt.

Doſis drachma ſemis.

Pulvis e Chelis Cancrorum Pretioſus.

Pharm. Reg. CHARAS *T. I. p.* 205.
Wirt. Lond. Brand. Paris &c.

℞. Lapidis Bezoar Orientalis.
Margaritarum Orientalium.
Coralliorum rubrorum.
Succini albi.
Cornu cervi, ſine igne præparati.
Lapidum cancrorum, *ana unciam ſemis.*
Chelarum cancrorum, *uncias tres.*
Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Laudatur in morbis acutis, febribus malignis, variolis & morbillis.

Doſis ſcrupulus, ad drachmam dimidiam.

Pulvis Contra Colicam.

Diſpenſ. Brand.

℞. Corticum Aurant. recens ſiccator, *unciam unam.*
Baccarum Lauri.
Seminis Carvi.
Cumini, *ana unciam ſemis.*
Galangæ.
Zedoariae, *ana drachmas tres.*
Calami aromatici.
Caryophyllorum.

Cinnamomi acuti, *ana drach. duas.*
Miſceantur: Fiat pulvis tenuiſſimus.

Conſtat optimis Vegetabilibus carminativis & aromaticis, ita inquit hic SCHULZIUS, *pag.* 250. praelect. *adeoque bene convenit Colico dolori, a cauſſa frigida orto, omnique flatulentiæ, cruditatibus, languidæque concoctioni Ciborum.* Dari poteſt drachmae dimidium.

Pulvis contra Colicam Fulleri.

Pharm. extemp. p. 319.

℞. Rad. Zedoariæ, *drachm. ſex.*
Balſ. Peruviani, *guttas duodecim.*
Miſc. Fiat pulvis, *pro duodecim doſibus.*

Pulvis Contra Colicam Ejusdem.

Ibidem pag. 319.

℞. Spermatis Ceti loti.
Sacchari albi, *ana drachm. ſemis.*
Caſtorei opt. *grana tria.*
Miſc. Fiat pulvis, *pro una doſi.*

Pulvis Confortans Camerarii.

Diſp. Wirt. in reliquis non extat.

℞. Boli Armenæ præparatæ, *dr. unam.*
Terræ ſigillatæ Sileſiacæ.
Turcicæ rubræ, *ana dr. ſemis.*
Lapidum Carneoli præparati.
Granati.
Hyacinthi.
Saphiri.
Smaragdi, *ana ſcrupul. duos grana quinque.*
Succini præparati.
Coralliorum alborum.
rubrorum.
Margaritarum Orientalium.
Lapidis Bezoar Occidentalis.
Orientalis, *ana drachm. unam.*
Cornu cervi philoſophice calcinati, *drachm. quatuor ſemis.*
Ungularum Alcis.
Dentium apri.
Cornu cervi aurati.
Pulveris Solaris, *ana drachm. ſemis.*
Cinnabaris nativæ, *drachm. unam.*
Miſce fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Vires præſumptivæ e titulo patent.
Doſis ſcrupulus unus, vel drachma ſemis.

Pulvis Contrayervæ Compoſitus.

Diſp. Wirt. Edinb. alias deeſt.

℞. Cornu cervi uſti præparati.
Coralliorum rubrorum.
Margaritarum.
Lapidum cancrorum.
Succini albi, *ana drachm. duas.*
Croci, *drachmam ſemis.*
Cochinillæ, *drachmam unam.*
Serpentariæ Virginianæ, *drachmam unam ſemis.*
Chelarum cancrorum, *drachm. tres.*
Radic. contrayervæ, *unc. dimidiam.*
Miſce, fiat pulvis.

Viribus cum Pulvere bezoardico Anglico convenit, viliori tamen pretio conſtat.
Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam dimidiam.

Pulvis Contrayervæ Compoſitus.

CHARAS *Pharm. Reg. Tom. I. p.* 203.

℞. Rad. Contrayervæ, *unc. unam ſemis.*

Serpent. Virg. *unc. ſem.*
Croci orient. *drach. unam.*
Corall. rubr. præp.
Ocul. cancr. præp. *ana unc. duas.*
Miſc. Fiat pulvis ſubtil. vaſe probe obturato ſervandus.

Vires hujus pulveris ſunt eædem, ac ſtatim ſubſequentis, nempe alexipharmacæ, cardiacæ ac bezoardicæ. Sed ſimpliciorem ejusdem compoſitionem. Vid. in Diſpen Lond. *pag.* 92. & FULLER. *p.* 2.

Pulvis Cordialis Cellenſis.

Diſp. Brand. Wirt. Brand.

℞. Sacchari candi albi, *uncias duas.*
Cinnabaris nativæ Hungaricæ, *drachm. ſex.*
Olei Cinnamomi, *ſcrupul. duos.*
Fiat pulvis.

Eximias poſſidet virtutes analepticas, cordiales & ſtomachicas: ut creditur quidem.

Adhibetur cuſpidatim. Ceterum ſimilis fere eſt Compoſitio pulveris ſic dicti Dresdenſis, ſeu aurati Germanorum, exceptis tantum Cinnabari Antimonii & Ambra, deſcripti a CHARAS Pharm. Reg. *Tom. I. p.* 206.

Pulvis Cordialis Communis cum Zedoaria.

Diſp. Brand.

℞. Cornu Cervi præparat. *drach. ſex.*
Alcis præparat.
Corallior. albor. præp.
Matris perlarum præparat.
Oculorum Cancr. præp.
Oſſis de Corde Cerv. præp.
Succini albi præp.
Talorum Leporis, *ana drachm. duas.*
Terræ ſigillatæ Strig.
Radic. Select. Zedoariæ, *ana dr. unam.*
Foliorum Auri, *No. decem.*
Miſc. Fiat pulvis: qui etiam omiſſa Rad. Zedoariæ, proſtat ſub Tit. Pulvis Cordialis communis, ſine Zedoaria.

Pulvis Cordialis Pretioſus cum Zedoaria. Ibid.

℞. Cornu Alcis præparat. *drachm, ſex.*
Cervi præparat.
Corallior. albor. præp.
Hyacinth. præp.
Margaritarum Orient. præparat.
Oculorum Cancr. præp.
Oſſis de Corde Cervi præp.
Radicum Zedoariæ ſelectar.
Succini albi præparati.
Talorum Leporis præparat. *ana drachmas duas.*
Terræ ſigillat. Strigon.
Unicornu Veri, *ana drachm. unam.*
Foliorum Auri obryti, *No viginti.*

Miſce, ac in Pulverem ſubtiliſſimum redige, qui &, demta Radice Zedoariæ, audit: Pulvis Cordialis pretioſus, ſine Zedoaria.

Utriusque hujus pulveris vires ſunt alexipharmacæ, analepticæ, prophylacticæ & Cordiales, hinc in febribus malignis, epidemicis, Catarrhalibus, exanthematicis & ſimilibus, debito cum regimine & circumſpectione, uterque; nempe pro viribus tam corporis, quam crumenæ etiam, ut ita dicam, in uſum vocari poteſt. Vid. hic SCHULZ. *p.* 253. *Interim ego, meo quidem judicio, communem illum & minus pretioſum prætulerim omnino alteri huic ſingulari & pretioſo, quippe qui multa quidem habet pretioſa, ſed ſuperflua & nihil profutura, quibus ſumtus potius augentur, quam Vires. Ceterum conf. ſupra,* Pulveres Cardiaci, *item* Alexipharm. & Bezoard. *Vid.*

Vid. RENOD. *Diſpenſ. p.* 216. *& inprimis* PALMAR. *de Febr. peſt. p.* 485. *ſeqq.*

Pulvis Cornachini.
ſive Comitis de Warwick.
ſive & Pulvis de Tribus,
& tandem formidabili Nomine Pulvis Trium Diabolorum.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. Paris & rel.

℞. Diacrydii ſulphurati, *uncias duas.*
Antimonii diaphoretici, *unc. unam ſemis.*
Cremoris Tartari cryſtallini, *unc. ſemis.*
Fiat pulvis.

Eſt univerſale quaſi purgans, & utiliter in febribus aliisque morbis, ad primas vias a vitioſis humoribus purgandas, exhibetur. Vid. RIEDLINI Lin. Med. *An.* 1695. *Menſ. Jul. Obſ. I. p.* 191. *&* Obſ. Med. 91. *de An.* 1682. *p.* 212. *ſqq*

Doſis a ſcrupulo uno ad ſcrup. duos.

Pulvis hic cuivis notiſſimus, ab ipſo Auctore Cornachino, *ſingulari Libro, in* Hartmanni operibus chemicis recuſo, *magnificis prorſus laudibus commendatus, & tantum non inter Remedia polychreſta, immo panchreſta relatus, tantam poſtea fidem, dignitatem & exiſtimationem, ſi non meruit, tamen invenit apud Medicorum præſtantiſſimos, veluti* Baglivum, Ramazzinum, Boerhavium, Hoffmannum, Wedelium, Schulzium, *aliosque plures, ut ex eo quidem tempore, non ſine ſperato ſucceſſu, frequentiſſime in uſum advocaretur. Quorum ſummorum virorum ſplendidam auctoritatem quum & ipſe, in Medicina facienda, ſecure ſequerer, nec ego ab eo adhibendo, abſtinui; quin potius eodem per aliquot annos, ſæpiſſime uſus, lætos ſemper fauſtosque vidi ex illo, effectus. Ne ergo, ſuccreſcente quotidie ægrotorum numero, ſalutaris ille pulvis, toties a me cominus & eminus, a multis expetitus, unquam deficeret, ex eo quidem tempore, ſemper ſufficientem ipſius copiam, ad ſex, & plures etiam uncias, in mea penu pharmaceutica, ad futuros uſus, habebam repoſitam & probe cuſtoditam. Tum vero, me quidem nihil quidquam pejus metuente, evenit, (nihil enim hic lectores meos celabo; ſed potius, propter utilitatem publicam, omnia, ut geſta ſunt, candide enarrabo,) ut blandus iſte & benignus hucusque pulvis, ingenium ſuum priſtinum plane migraret, & inſolitam quaſi ferociam ac violentiam indueret. Etenim poſt exiguam quoque illius doſin, quindecim tantum granorum, aut ad ſummum, unius ſcrupuli, in omnibus fere ægrotis, qui eo tum uſi fuerant, uno eodemque tempore, illico ſequebantur ſummæ cordis anxietates, acres vomendi conatus, tandem vomitus ipſi laborioſiſſimi, item mordentes cardialgiæ, graviſſima vero præſertim inteſtinorum tormina, cum frequentiſſimis alvi dolentis dejectionibus, quin & in nonnullis, vehementiſſima adeo Hypercatharſis, vix ullis Remediis anodynis ac paregoricis, tam internis, quam externis, compeſcenda, ita, ut Venter, horrendum dictu, per tres, aut quatuor etiam dies, ſine intermiſſione, ſordide, intermiſto quoque interdum ſanguine, flueret, atque hinc ipſi illi miſelli ægroti, omnibus pæne viribus exhauſti, in ſummo Vitæ periculo verſarentur. Novitate ergo tam diri, inſoliti & inſperati prorſus eventus, vehementiſſime perterritus, harum atrocium turbarum culpam primum in ſolum illud Diacrydium rejiciebam, ſemper mihi quippe ſuſpectum & exoſum. Tandem vero iis commode in memoriam mihi revocatis, quæ de perquam maligna & nociva indole Antimonii diaphoret. dudum jam præparati, &*

vel per ſe, vel cum aliis maxime purgantibus, aut emeticis, mixtim ac conjunctim, per juſto longius tempus aſſervati, olim apud Dolæum, Bartholinum, Riedlinum, Welſchium, Zwelferum, aliosque legeram, quorum jam ſupra, mentio fuit injecta, ad Tit. Antimon. Diaphoret. *mutata protinus, ut par erat, ſententia, potiſſimam tam truculenti effectus cauſſam in illud ipſum Antimonium diaphoret. vetuſtate jam correptum ac corruptum, ſævisque nocendi viribus inde armatum rectius veriusque transtuli, licet interea nec ipſum Diacrydium ab objecto crimine penitus mecum abſolverem. Neque ſane res aliter habebat, ac ſuſpicatus merito eram. Ab eo vero tempore, uſum illius Medicamenti, tam ſubleſtæ fidei, & tam ancipitis, immo præcipitis effectus, penitus damnavi, nec unquam illud rurſus adhibere auſus fui: quin potius tricipitem quaſi hunc Cerberum ad Tartara ſua horrida ac ſquallentia, unde mihi quidem veniſſe videbatur, merito relegari. Candide vero moniti, a me diſcant hic Medici & Pharmacopœi, ne hunc* Cornachini pulverem, *quem recte quidam vocant* pulverem trium diabolorum, *magna copia præparatum ac permixtum, diutius ſervent, ſed ut potius ipſum, quantum quidem fieri poteſt, exigua tantum modicaque quantitate componant, præſertim vero ipſum Antimonium diaphoreticum quam diligentiſſime ſemper explorent, utrum illud recens, læve, album inſipidum atque probe edulcatum ſit, an vero contra, jam vetus, granoſum quaſi, immo glebofum, flaveſcens, & ſapore denique, non nihil acre: tumque, differentia utriusque probe cognita, prius illud, ceu laudabile, unice in uſus eligant hoc vero poſterius, tanquam prorſus illaudatum, immo, ceu peſtem ac venenum, abjiciant & abominentur.* Piſcator ictus ſapit. *Ceterum de hoc* pulvere Cornachini, *vid.* Geoffroy, Mat. Med. *Tom. II. Sect. I. p.*674.*ſq.* & Monconys Itinerar. *p.*994.*ſq.* & Riedlin. Curat. Med. 665. *Cent. VII. pag.* 414. *item* Zwelfer. Pharmacop. Reg. *pag.* 96.

Pulvis Coronatus.

Pharm. Batean. pag. 128.

℞. Epithymi, *unciam ſemis.*
Agarici,
Lapidis Lazuli præp. *ana drach. duas.*
Scammonii, *drachmam unam.*
Caryophyllorum, *No. viginti.*
Miſc. Fiat pulvis: detur ad ſcrupulos quatuor.

Mire laudatur, in Melancholia, ad dementiam uſque exacerbata, feliciter curanda.

Inde forte ſplendida nimis, & magnifica pulveris hujus denominatio orta, quod ſcilicet propter hanc inſignem virtutem, Maniam curandi, veluti corona dignus ſit, forte quernea, ob Cives nempe ſervatos, ſi jocari liceat. Sed, ut rem ſerio agamus; haud bene perſpicio, qui tanta quidem Virtus huic pulveri tribuenda ſit. Licet enim Epithymo præſertim, vis antimelancholica & antimanica adſcribatur, multis id teſtantibus apud Zorn. Botanol. *pag.* 283. *nec non Lapidi Lazuli eadem Virtus tribuatur, ut ſupra notatum; tamen neutrum adhuc longa fidaque experientia ſatis fuit probatum.*

Pulvis Coſmeticus, Cnœffelii.

Tab. Smaragd. pag. 313.

℞. Spermatis Ceti albiſſ.
Magiſter. Talc. *ana drach. duas.*
Sacchari Saturn. *drachm. unam.*
Miſc. Fiat pulvis, pro uſu externo.

His pulvis lanugine, ſeu Goſſypio exceptus, adhibeatur cuti, veſperi, dum itur cubitum: ſequenti die facies linteo puro, & ſicco iterum abſtergatur. Sed uſus ſit cautus, propter Saccharum Saturni, de quo vid. infra ſuo loco.

Pulvis Coſmeticus ad Manus. *vel* Manualis.

Diſp. Vienn. Wirt.

℞. Amydalarum dulcium excorticatarum, *libras duas.*
Oryzæ,
Iridis Florentinæ, *ana uncias quatuor.*
Benzoës,
Salis Tartari,
Spermatis ceti, *ana unciam unam.*
Olei deſtill. ligni Rhodii,
Lavendulæ,
Caryophyllorum, *ana guttas triginta.*
Fiat omnium pulvis.

Uſus patet ex nomine. Sed melius ex hoc pulvere parari poteſt ſapo coſmeticus. Vid. infra ſapo fragrans.

Pulvis Coſmet. ad Man. Michaelis.

℞. Magmat. Amygdal. dulc. *unc. quat.*
Frrin. Fabarum,
Lupini,
Oryzæ, *ana unc. unam.*
Florum Roſar. albar. *unciam ſemis.*
Benzoin. *drach tres.*
Salis Tartari alb. *drach. duas.*
Miſceantur probe, ad uſum Manuum externum.

Maximam partem convenit cum pulvere manuali odorato Mynſichti, *pag.* 136. *qui tamen nonnullis ingredientibus adhuc auctior.*

* * *

Pulvis Dentifricius.

Diſp. Wirt. Brand. Vienn.

℞. Laccæ pictoriæ in globulis,
Oſſium Sepiæ,
Radicis Iridis Florentinæ, *ana unciam unam.*
Cremoris Tartari, *drachmas ſex.*
Caryophyllorum aromaticorum,
Myrrhæ,
Maſtiches, *ana drachmas duas.*
Miſce fiat pulvis.

Mundat & firmat dentes, quotidie fricandos.

Pulvis Dentifricius, Carol. Barbeirac, de Medicamentor. Conſtit. pag. 454.

℞. Corallor. rubr. præparat.
Porcellan. pulverat. *ana uncias duas.*
Pumicis præparat. *unciam unam.*
Oſſis ſepiæ, *unciam ſemis.*
Sanguinis Draconis,
Ciner. Tabaci, *ana drachmas duas.*
Pulveriſentur ſeorſum, & miſceantur ad uſum. Cum hoc pulvere poſſunt fieri Opiatæ, ſi excipiatur Syrupo de Roſis ſiccis, quibus dein fricentur dentes.

Idque nobis quidem melius tutiusque videtur. Quoniam pulvis iſte, in ſubſtantia adhibitur, utpote durus, acer, & rodendi fere vim habens, nigris quidem, tetris, aut fœda carie adeſis dentibus niveum quaſi candorem induere, ſed & ſimul corticem illorum lævem, nitidum atque politum, nimium poliendo, deterere poteſt, maximo cum Veſcentium incommodo & dolore, ipſiusque guſtus impedimento atque detrimento. Alium pulverem dentifric. Auguſtan. vid. in Diſp. Prag *& in* Argent *Plures vero in* JUNGKEN. Corp. Pharm. *p.* 915. *ſqq.*

Pulvis Dentifricius, Th. Bartholini.

Hiſt. Anat. varior. 54. Cent. VI. pag. 288.

℞. Fol. Aquileg.
Cort. Rad. Cappar.
Sem. Cochlear. *ana unciam ſemis.*
Radicis Ireos,
Aluminis uſti, *ana drachmas tres.*
Mandibul. Lucii piſcis,
Corallior. rubr.
Cornu Cervi uſti, *ana drachm. duas.*

Pulverizentur ſubtiliſſime, & irrorentur cum Oleo Caryophyllor. q. ſ. Miſc. Fiat lege Artis, pulvis.

Miras medendi Virtutes huic pulveri dentifricio tribuit inventor Bartholinus, *Vir ſummus; dentibus enim ſcorbuto vacillantibus, & ſedibus quaſi ſuis motis, nec non ex fetro ſtomachi vitio, nigricantibus, & ginguivarum carni, nunc nimium luxurianti, nunc vero deficienti aut tabo exeſæ, pulvis hic ſæpius externe affrictus & applicatus, reddidit firmitatem, & ſedem quaſi fixam, candidum nitorem, & juſtum denique decreſcendi, aut recreſcendi modum: quod ex Voto non unius ægri ita ſucceſſiſſe, lætus ſæpius obſervavit ipſe* Bartholinus *ſupra laudatus, & ſemper laudandus.*

Pulvis Dentifricius Gaubii.

Method. Formul. pag. 397.

℞. Pumicis præparat. *drachmas duas.*
Florum Balauſt.
Rad. Ireos Florent.
Myrrhæ rubræ, *ana drachm. unam.*
Lapidis Hæmatit. præparat.
Salis Ammoniaci, *ana drachm. ſemis.*

Miſc. Fiat pulvis, ex quo eodem modo formari poſſunt ſtyli.

Pulvis Dentifricius Hoffmanni.

In Not. ad POTER. *pag. 472.*

℞. Coralliorum rubror. *drachmas tres.*
Pumicis uſti, *drachmas duas.*
Maſtiches,
Terræ Catechu, *ana ſcrupulos duos.*
Tartari Vitriolati,
Aluminis uſti, *ana ſcrupulum unum.*
Iridis Florentinæ, *drachmas duas.*
Olei Ligni Rhodii, *guttas decem.*
Moſchi, *grana quinque.*

Miſc. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, ex quo addita Mucilagine Tragacanthæ, formari quoque poſſunt Bacilli, ſeu ſtili dentifricii, eidem uſui inſervientes.

Pulvis Dentifricius Viennenſium.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Lapidis pumicis,
Silicum Calcinatorum, *ana unc. tres.*
Oſſis ſepiæ,
Cornu Cervi uſti,
Tartari crudi, *ana uncias duas.*
Corallior. rubror. *unciam unam ſemis.*
Radicis Ireos Florent. *unciam unam.*
Caryophyllorum, *unciam ſemis.*
Nucis Moſchatæ, *drachmas duas.*

Pulveriſentur & miſceantur pro uſu: ſi quis vero rubrum hunc deſideret pulverem, tum admiſceatur
Laccæ in globulis,
Sanguinis draconis, in lacrymis, *ana ſuff. quantitas.*

Tartarum ſic dictum, mucoſasque particulas dentibus ſcabris adimit, eorum albedinem reducit, radices firmat, gingivas conſolidat, & fœdum fœtorem tollit, animamque ſuaviorem & amabiliorem reddit.

Pulvis Diaphoreticus Fulleri,

Pharm. Extemp. pag. 320.

℞. Radic. Serpent. Virgin.
Contrayervæ,
Angelic. Hiſpan. *ana gr. quinque.*
Myrrhæ, *grana tria.*
Croci opt. *grana duo.*
Miſc. Fiat pulvis, *pro una doſi.*

Pulvis Diaphoreticus, Thom. Reineſii,

in BIERLINGII *Append. Medic. Cap. XX. pag.* 112.

℞. Salis fraxin. *drachmas tres.*
Spec. Confect. de Hyacinth.
Oſſ. de Corde Cervi,
Smaragd. præp. *ana drachm. ſemis.*
Miſc. div. in IV. partes æquales.

Magni hujus viri auctoritate potius permoti, quam ipſius Remedii præſtantia inducti, hanc compoſitionem huic noſtro operi inſeruimus; ſi enim unicum illum ſalem fraxin. exceperis, reliqua omnia vix quidquam valebunt ad obtinendum iſtum ſcopum diaphoreticum. Accedit vel maxime, oſſa de Corde Cervi atque Smaragdum præp. jam in ipſis illis Speciebus de Hyacintho, contineri, ceu notum eſt; adeo, ut hinc illa ſeparatim hic adjecta, merito ſuperflua videri poſſint; in primis, quum exiguæ ſint Virtutis & efficaciæ. Præterea quoque ipſa pulveris hujus in quatuor tantum partes, diviſio haud ſatis juſta & æqua eſt, quin potius modum excedit: quum plusquam una drachma integra una vice, ſit aſſumenda: juſtior ergo & ex Artis regulis, concinnior illius foret partitio, ſi in novem, aut certe octo portiones eſſet diſtributus.

* * *

Pulvis Diaphoreticus Verzaſchæ.

In Obſſ. & apud JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 826.

℞. Antimonii diaphoret. *dr. duas ſemis.*
Bezoard. mineral. *dr. unam ſemis.*
Coralliorum rubror. præp. *dr. unam.*
Margaritarum præparat. *dr. ſemis.*
Cornu Cervi philoſ. præp. *drachm. unam ſemis.*
Lapidis Bezoar, *grana quindecim.*
Raſuræ Eboris, *drachmam unam.*
Miſc. Fiat pulvis: *Doſis a ſcrup. uno, ad drachmam ſemis, & ultra, ſi neceſſitas urſerit.*

Ceterum vid. ibidem & alios pulveres diaphoreticos. Conf. ſupra Pulveres Alexipharmaci & Bezoardici.

Pulvis Digeſtivus.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Cremoris Tartari,
Salis Abſinthii, *ana libram unam.*
Pulveris Radicis Aronis, *unc. duas.*
Fœcular. Acetoſellæ, *unciam unam.*
Miſceantur in Pulverem pro uſu, qui ex Nomine patet, & cum eo ipſo re vera convenit.

Pulvis Dyſentericus.

Diſp. Wirt. Brand. Vienn.

℞. Radicum Contrayervæ, *unc. ſemis.*
Tormentillæ,
Cornu cervi uſti præparati,
Terræ Lemniæ, *ana drachmas tres.*
Gummi Arabici,
Maſtiches, *ana drachmas duas.*
Miſce, fiat pulvis.

Adſtringens quidem eſt hic pulvis, in dyſenteria tamen epidemica circumſpectus ejus uſus non infelicem edere poteſt ef-

ſectum. Dari etiam poteſt in diarrhæis, & ubi adſtrictione opus eſt.

Doſis drachma ſemis. *Vid.* SCHULZ. *pag.* 254.

Pulvis Dyſentericus.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Sanguinis Draconis,
Lapid. Hæmatit. præparat.
Corallior. rubror. præp.
Terræ Sigillat. rubræ,
Seminis portulacæ,
Plantaginis,
Radicis Anthoræ,
Tormentillæ, *ana uncias duas.*
Contrayervæ,
Florum Feni præparatorum,
Balauſtii,
Unicornu foſſilis, *ana unciam un.*
Nuciſtæ, *unciam ſemis.*

Pulveriſat ſubtiliſſime; Miſceantur & uſui ſerventur.

Pulvis Dyſentericus Hoffmanni.

In Not. ad POTER. *pag.* 471.

℞. Rhabarbari Alexandrini, *ſcrup. un.*
Cornu Cervi uſti, *grana decem.*
Nucis Moſchatæ, *grana tria.*

Miſc. Fiat pulvis. Ibidem & alius auctior & pretioſior.

Pulvis ad Dyſtociam.

Diſp. Vienn. Argent. Prag. Brand.

℞. Cinnamomi acuti,
Boracis,
Hipposorcheos, *ana unciam unam.*
Succini albi præparati, *unciam ſemis.*
Croci Auſtriaci, *drachmas tres.*

Subtiliſſ. omnia pulv. & Miſc. eſt egregius in partu difficili. Conf. infra, *Pulvis Oxytrocius.*

Pulvis ad Dyſuriam, *ſive* Mitigans Wepferi.

Diſp. Vienn. Wirt in reliquis abeſt.

℞. Radicum Altheæ, *unciam unam.*
Liquiritiæ, *unciam ſemis.*
Seminum Bombacis,
Papaveris albi,
Portulacæ, *ana drachmas duas.*
Hordei,
Boli Armenæ præparatæ, *ana unciam ſemis.*
Gummi Arabici,
Tragacanthæ albæ, *ana dr. unam.*
Sacchari albi, *unciam dimidiam.*

Miſce, fiat pulvis.

Demulcet, & non ſolum dyſuria vexatis, ſed & tuſſi ſicca, a materia acri, laborantibus prodeſt.

Doſis drachma dimidia, ad integram.

Pulvis ad Dyſuriam Fallop. & Michael.

℞. Radicis Althææ, *unciam unam.*
Glycyrrhizæ,
Saxifrag. alb.
Boli Armen.
Sacchari Canar. *ana unciam ſemis.*
Seminis Lactucæ,
Papaveris albi,
Portulacæ, *ana drachmas duas.*
Mitii Solis, *drachmam unam.*
Gummi Arabici albi,
Tragacanthi albi, *ana drach. unam.*

Miſc. & fiat pulvis, ad urinæ difficultatem tollendam per quam idoneus.

In plurimis vero convenit cum Pulvere *ad* Dyſuriam Wepferi.

* * *

Pulvis Epilepticus.

Pharm. Bat. pag. 88.

℞. Radic. Fraxinellæ,
Viſci querni,
Contrayervæ,
Serpentariæ Virginianæ,
Pæon. maris, debito tempore collect.
Semin. Pæon. maris,
Magiſter. Corn. Cervi,
Ungul Alc. *ana drachm. duas.*
Rad. Valerian. ſilveſtr. *unciam unam.*
Corallior. rubrorum.
Cranii humani, *ana drachmas tres.*
Lapid. Hyacinth. *drachmam unam.*
Bezoar. occid. *drachm. un. ſemis.*
Oriental. *ſcrupulum unum.*
Moſchi, *grana quinque.*
Folior. Auri, *No.* 30.

Miſc. Fiat ſecundum Artem, Pulvis ſubtiliſſimus.

In plerisque convenit cum ſequenti pulvere, a Charaſio *deſcripto: ſed pretioſior adhuc eſt, propter adjectos lapides pretioſos Hyacinth. & Bezoar. & ingentem præſertim foliorum Auri quantitatem: quæ quid huc potiſſimum faciat, equidem divinare vix valeo. Interim tamen nec in hoc pulvere antepileptico deeſt Cranium humanum, nec Ungula Alcis. Quoniam nullus fere ejusmodi pulvis pro completo, perfecto & efficaci hodie haberi ſolet, niſi qui, ceu fortiſſimum præſidium, ſibi adjunctum habeat. Caput hominis, & Beſtiæ pedem, ut modo monuimus, & ſupra, ad* pulverem epilepticum *de* Gutteta, Edinburgenſem. *Quare veniam merebitur ipſe* SCHULZIUS, *prudens alias & doctus Medicus, quum vulgari præjudicio imbutus & in errorem abreptus, ipſum hoc fœdum Cranium humanum contra Epilepſiam, commendaret, in* Prælect. *pag.* 68.

Alius Pulvis Epilepticus in Gallia Narbon.

BIERLING. *append. med. pag.* 112.

℞. Semin. & Radic. Pæoniæ,
Dictamni albi,
Viſci quercini, *ana uncias duas.*
Raſuræ Eboris,
Margaritar. optimar. præp *ana dr ſex.*
Moſchi opt. *grana duodecim.*
Folior. Auri, *No. decem.*

Fiat ex omnibus, lege Artis, pulvis ſubtilis, *cujus doſis eſt a drachma dimidia, ad integram, cum liquore appropriato.*

Etiam hic pulvis frequentiſſime probatus eſſe traditur: Neque ipſe dubito, quin plus præſtare poſſit in mitiganda atroci Epilepſia, pulvere illo imperatorio, ſuperius poſito, licet totam fere Zoologiam contineat & quidquid pœne animalium olim concluſerat Arca Noachitica.

Pulvis Epilepticus.

BIERLING. *Append. Med. pag.* 107.

℞. Pulv. Marchionis, *drachm. un. ſemis.*
Raſuræ Ungulæ Alcis,
Cranii humani præparat.
Succini albi præparat. *ana ſcrupulos duos.*
Smaragd præparat. *ſcrupul. unum.*
Lapid. Bezoar. Orient. *grana quindecim.*
Sacchari Candi albiſſimi, *unc. ſemis.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, pulvis ſubtilis.

Omiſſis omittendis, nempe Cranio humano, Smaragdo, & Alcis Ungula, in Epilepſia, præſertim puerili & ſymptomatica, his pulvis forſan haud omni uſu carebit.

***

Pulvis Epilepticus Cellarii cum Caſtoreo.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Radicis Paeoniae,
Seminis ejusdem, *ana unciam ſemis.*
Unicornu marini,
Margaritarum, *ana drachmas duas.*
Lapidum quinque pretioſorum, *ana grana quadraginta quinque.*
Caſtorei,
Viſci querni,
Ungulae Alcis,
Coralliorum rubrorum, *ana dr. duas.*
Cranii humani praeparati, *drachm. unam ſemis.*
Pulveris viperarum, *drachm. unam.*
Miſce, fiat pulvis.

Commendatur ad epilepſiam, aliosque motus convulſivos, praecipue hyſtericos.

Datur a ſcrupulo ſemis, ad drachmam ſemis.

Pulvis Caſpar. Bartholini Epilepticus Nobiliſſimus & Certiſſimus.

Thom. BARTHOLINI *Ciſta Med. Hafn. pag.* 163.

℞. Cranii humani, nunquam humati & combuſti,
Oſſium humanor. combuſt. *ana unc. ſemis.*
Pulvis oſſium Lacertarum magnarum & viridium, *drachm. duas.*
Viſci quercini,
Paeoniae maris Rad. & Sem. decort. Luna decreſcente, collect. *ana drachm. unam.*
Antimonii praeparati,
Ungulae Alcis,
Aſini, *ana drachmam ſemis.*
Sacchari albiſſimi, *uncias quatuor.*

Pulveriſanda pulveriſentur ſubtiliſſime & fiat lege Artis, Pulvis.

Doſis drachma una, cum Aqua deſtillata, ex Cornu Cervi recenti, quod primo naſcitur; & miſta cum Aqua Florum Tiliae, & Lilii convallii dupla quantitate. Qui volet, bibat cum Aqua hirundinum, vel picarum.

Nobiliſſimum quidem ac certiſſimum, contra Epilepſiam, vocat hunc ſuum pulverem, magnus alioquin Auctor, Caſpar Bartholinus. *Ego tamen, pace quidem ipſius manium, eundem rectius forſan dico ignobiliſſimum & incertiſſimum. Continet enim nihil fere aliud, quam abominabile buſtum, ut ſic loquar, & mœſtum ſterileque oſſilegium, oſſium projectorum hominum, Aſinorum & Lacertarum, & quidem magnarum atque viridium, quaſi illis major vis antepileptica ineſſet. Sed hæc quidem omnia, una cum ipſa Alcis ungula, nihil quidquam unquam valebunt, in deteſtabili Epilepſia debellanda. Conf. ſuperius Part. I. jam a nobis dicta, ad* Cranium humanum, & Alcis Ungulam. *Nihil igitur in hac Compoſitione amplius reſtat, quam Viſcus Quercinus, & Radix ſemenque pæoniæ, & quidem decreſcente Luna, collectum, nec non Antimonium præparatum, una cum ingenti Sacchari quantitate. An vero hæc omnia conjunctim ſumta, quidquam præſtare poſſint, in domanda ſæva Epilepſia? id quæſo, candide pronuncient cordatiores & peritiores Medici.*

Ceterum vid. ſupra, ſuo loco, Arcanum Antepilepticum *a* THOMA, *Caſp. Bartholini hujus filio, ipſo hoc ſuo magno patre, majori, deſcriptum, ejusdem pæne virtutis, hoc eſt, perquam exiguæ, aut nullius, licet vel ipſius Auri hæreditarii duo grana integra, ne nimium ſcilicet prodeſſet, adjecta habeat. Immo, ſi*

ſi etiam duas, quin & plures ejusdem uncias additas contineret; tamen ne ſic quidem quidquam, ut equidem arbitror, in Epilepſia debellanda, profuturum.

Pulvis Epilepticus Eximius.

CHARAS, *Pharm. Reg.* Tom. I. p. 209.

℞. Radic. Pæoniæ, flore albo,
Semin. ejusdem pæon. *ana unc. ſemis.*
Raſuræ Cranii hom. morte violenta peremti.
Ungulæ Alcis,
Viſci quercini,
Radic. Valerianæ ſilveſtris,
Vincetoxici, *ana drachmas tres.*
Margaritarum,
Corallior. rubror. præparatorum,
Lapidis Contrayervæ,
Succini albi,
Seminis Galegæ, *ana drachmas duas.*
Moſchi Orientalis,
Ambræ griſ. *ana ſcrupul. unum.*
Miſceantur; Fiat lege Art. Pulvis.

Hic pulvis efficax admodum eſt, judice Autore, in curanda abominabili Epilepſia. Datur in Aquis Cephalicis, ab ſcrupulo ſemis, uſque ad drachmam ſemis. *Poteſt etiam commode permiſceri cum Electuariis tam ſolidis, quam fluidis ac mollibus.*

Non diſplicet plane egregia hæc maximam quidem partem, compoſitio; inprimis, quum ſimul, Radices Valerianæ & Vincetoxici, *adjectas habet, quarum, præſertim vero Valerianæ, inſignem uſum antepilepticum, jam ſupra Part. I. ſuo loco, meritis laudibus celebravimus. Reliqua vero, præcipue tamen, deteſtabile illud Cranium hominis violenta quidem morte interemti, nihil, aut parum certe auxilii, ac præſidii huc adferre, perſuaſi omnino ſumus, ut jam ſupra, ad ipſum* Cranium humanum, *monuimus. Sed ſingulare & conſuetum fere fatum eſt, quod nullus pœne pulvis epilepticus præſcribi poſſit, niſi quoque adjectum habeat fatuum illud & abominabile Cranium humanum. Sed quanto minus in ejusmodi pulveribus antepilepticis, cranium hominis mortui deſideretur; tanto magis forte hominis vivi Cerebrum requiratur, verum ſit joco ſubito venia.*

Pulvis Epilepticus de Gutteta.

Diſp. Edinburg.

℞. Radicum Caſſumuniar,
Dictamni albi,
Pæoniae,
Viſci quercini, vel Corylini,
Semin. pæoniæ, *ana ſemiunciam.*
Cranii humani,
Ungulae Alces, *ana drachmas tres.*
Caſtorei Ruſſici,
Corallii rubri, *ana drachmas duas.*
Radic. Valerianæ ſilveſtr. *unc. unam.*
Miſce: Fiat pulvis, cui adde:
Olei ſtillat. Rutæ Saccharo excepti, *guttas triginta.*

Egregia profecto Compoſitio, & ſi quid modo in penu pharmaceutico, valeat, ad dirum malum epilepticum debellandum, haud dubie multum præſtitura. Easdem tamen virtutes haberet, easdemque laudes mereretur, etiamſi abeſſet prorſus ab ipſa, inviſum illud Cranium humanum, una cum ſordida Alcis ungula: ut ſupra jam aliquoties monuimus, & infra rurſus monebimus: licet, quod doleo, incaſſum. Quum recepto vulgo, & inveterato dudum errore, omnes fere compoſitiones antepilepticæ inefficaces & imbelles videantur, niſi adjectas habeant deteſtabiles illas delicias de rota, cruce ac patibulo petitas: ſit venia dictis.

* * *

Pulvis Epilepticus de Gutteta Riverii.

Prax. Med. Lib. I. Cap. 8. pag. 217. Diſp. Wirt. CHARAS *Pharm. Reg. P. II. pag.* 860. *& P. I. pag.* 208. FULLER *p.* 324.

℞. Radicum Pæoniæ,
Dictamni albi,
Viſci querni, *ana unciam ſemis.*
Seminum Atriplicis, *drachmas duas.*
Pæoniæ,
Ungulæ alcis, *unciam ſemis.*
Cranii humani præparati, *unc. unam.*
Coralliorum rubrorum præparat.
Hyacinthi, *ana drachmam unam ſemis.*
Omnibus optime tritis adde
Foliorum auri, *numero quinquaginta:* aut paullo minus: poſſunt enim omnino abeſſe.

Ad convulſiones & epilepticos motus puerorum multum laudatur: forte propter ingentem Cranii humani quantitatem, quæ haud dubie fugabit Epilepſiam, ſcilicet. Sed tamen propter reliqua nobilia ingredientia, Rad. nempe pæoniæ, & Dictamni, item & Viſcum quern. &c. haud omni laude caret, & in uſum vocari meretur. Conf. ſupra Pulvis Cephalicus Fulleri.

Doſis ſcrupulus ſemis, ad drachmam ſemis.

Pulvis Epilepticus Holſaticus.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Radicum Pæoniæ,
Gentianæ, *ana uncias duas.*
Herbæ Betonicæ,
Chamædryos,
Pentaphylli,
Florum Pæoniæ,
Liliorum convallium,
Violarum,
Tiliæ, *ana unciam unam.*
Seminum Coriandri,
Pæoniæ excorticator:
Viſci querni, *ana pugillos duos.*
Raſuræ ungulæ Alcis, *uncias duas.*
Aſini, *drachmas quinque.*
Cornu Cervi,
Cornu cervi, ſine igne præparati, *ana unciam unam.*
Cranii humani præparati, *dr. ſex.*
Coralliorum rubror. præpar.
albor.
Margaritar. Oriental. praepar. *ana unciam ſemis.*
Foliorum auri, *No. viginti quatuor.*
Miſce, Fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Cum antecedente convenit; commendatur nimirum ad convulſivos & epilepticos motus, atque merito aliis hujus generis pulveribus, ex lapidibus pretioſis compoſitis, præfertur. Sed virtutem ſuam antepilepticam, ſi quam habeat, haud dubie tamen exſeret, etiamſi inepta illa & ſordida ingredientia, Cranium nempe humanum & ungulæ Alcis & Aſini præſertim, plane omiſſa fuerint, ut ſæpius jam monui, licet, ut ſolet, multum virtutis Ungulæ Aſini, poſt alios, tribuat nimium credulus PAULLINI, Tract. *de* Aſino: *ipſumque poſtea ſequutus* BOECLERUS, *quondam Noſter, in* Continuat. II. Mat. Med. HERMANN. *pag.* 877. *ſqq.*

Doſis ſcrupulus ſemis ad drachmam dimidiam.

Nota: Sem. coriandr. Paeon. & Viſc. querni non pugilli, ſed ana drachmae duae ſumi debent.

Pulvis Epilepticus Junckeri.

Conſpect. Formul. Med. pag. 28.

℞. Lumbricorum terreſtrium, *dr. unam.*
Cord. Talparum exſiccat. *No. quinque.*

Talorum Leporum, *ſcrup. unum,*
Ungul. Alcis ſubtiliter pulveriſat.
Cortic. Viſci quercin. *ana ſcrup. ſemis.*
Cinnabaris Antimonii, *dr. ſemis.*

Miſceantur: Fiat lege Artis pulvis, *cujus doſis grana quindecim.*

Ceu ſpecificum antepilepticum, laudatur quidem ibi hic pulvis: Sed, quod pace celeb. Auctoris, dictum ſit, nimis profecto benigna & quaſi verecunda, ut ita loquar, nobis quidem videtur iſta Epilepſia, cui metum incutere & abitum imperare poſſunt exſiccata illa Talparum corda, Leporum tali & Ungulæ Alcis, & quidam tam exigua & contracta doſi, licet idem de Corde Talparum & talo leporum, dudum poſt alios, tradiderit Paullini, *nimium credulus,* Tract. *de* Talpa, *p.* 150. *ſqq. & de Lepore, Sect. III. Cap.* 21, *Sed vid. ibi & alia, his quidem non meliora, de excrementis albæ Gallinæ, & bile Canis nigri.*

Pulvis Epilepticus Marchionis.

Pharm. Aug. Wirt. Prag. & in rel.

℞ Radicum Paeoniae, *uncias tres.*
Viſci querni,
Raſurae eboris,
Ungulae alcis,
Cornu cervi,
Spodii,
Coralliorum rubrorum,
alborum,
Margaritarum praep. *ana drach. ſex.*
Foliorum auri puri, *numero viginti.*
Fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Pulvis hic longo uſu probatiſſimus non ſolum pueris, ab epilepticis convulſivis motibus & pavoribus divexatis, datur, ſed etiam adultis porrigitur; lene præbet anodynum & antiſpasmodicum, in doloribus rhevmaticis, arthriticis, ut & podagricis, (*teſte Maur.* HOFFMANNO, *apud* Schulz. *in* Prael. *pag.* 255.) *& cephalalgia commode ac utiliter, cum pulvere nitroſo temperante, exhibetur.*

Doſis grana decem, ad drachmam ſemis.

Pulvis Epilepticus Marchionis Correctus.

VERZASCHAE, *Obſ. Med.* 86. *p.* 218.

℞. Rad. Paeon. maris, decreſcente Luna, effoſſae, *unciam ſemis.*
Viſci querni,
Raſurae Eboris,
Ungulae alcis,
Cinnabaris nativae verae,
Cornu Cervi, in Alembico praepar.
Faeculae paeoniae,
Seminis paeoniae,
Coralliorum rubr. praep. *ana dr. duas.*
Hyacinth. praeparat.
Margarit. praep. *ana drachmam unam.*
Lapid. Bezoar. oriental. ver. *dr. ſemis.*
Foliorum Auri puriſſ. *No. viginti.*

Miſceantur: Fiat lege Art. pulvis.

Longior quidem, operoſior atque pretioſior hæc pulveris Marchionis ſic dicti correcti, eſt Compoſitio, quam quidem vulgaris & uſitata, ſuperius deſcripta: An vero melior & efficacior ſit, iſta, de eo quidem, niſi fallor, adhuc multum dubitare licet: adeo, ut inde jure verear, ne hæc ipſa Correctio nova rurſus correctione vel maxime indigeat. Cur enim præter pæoniæ radices, & quidem decreſcente Luna, effoſas, ne ſcilicet nimium ipſarum virtus creſceret, adjecta una ſunt ejusdem pæoniæ ſemina, cum ipſa illa fatua & inſipida fæcula? ut Hyacinth præparat. & alia, item folia Auri, incaſſum plane, & ad fucum tantum faciendum, larga copia, adjecta, jam taceam.

Pulvis Epilepticus Mirabilis Mynſichti. Armam. pag. 102.

Diſp. Wirt.

℞. Cranii humani, ſine igne præparati, *unciam ſemis.*
Viſci querni,
Cinnabaris factitiæ,
Ungulæ alcis, *ana drachmas duas.*
Fiat pulvis.

Pulvis ob efficaciam mirabilem antepilepticam ab Authore ita dicitur. Quam vere autem; ipſe uſus indicabit, qui tamen ſæpiſſime fallax & minus mirabilis fuit, ut ipſi probe ſcimus. Demtis enim Viſco querno, & Cinnabari factitia, quæ tantum alicujus ſunt virtutis; quid quæſo, aliud remanet, quam fatuum illud Cranium humanum, & aſpera ſordidaque Alcis ungula? a quibus nihil plane præſidii, præſertim in abominabili Epilepſia, expectandum, ut ſæpius jam merito monuimus. Hinc Alexander Trallian. *Lib. I. Cap. 15. Cranium aſininum humano ipſi ſubſtituit: Atqui facile crediderim, utrumque in Epilepſia debellanda, paris fore virtutis, nempe nullius. Sed hæc obiter.*

Pueris ſtatim poſt paroxyſmum ſcrupulus ſemis, adultis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis exhibetur.

Pulvis Epilepticus Niger Viennenſis. pag. 163.

Diſp. Wirt. Prag.

℞. Radicum Pæoniæ, *drachmas decem.*
Dictamni albi,
Viſci querni, *ana drachmas quinque.*
Ligni Aloës,
Seminis Pæoniæ, *ana drachmas tres.*
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Matris perlarum, *ana unciam ſemis.*
Ungulæ alcis, *drachmas tres.*
Succini albi præparati,
Unicornu marini, *ana drachm. duas.*
Carbonum Tiliæ, *unciam un. ſemis.*
Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus; addantur
Foliorum auri, *numero viginti.*

Virtutes ex nomine cognoſcuntur; adhiberi vero etiam ſolet ad tormina infantum convulſiva, in terrore repentino, &c.

Doſis in tenellis grana quinque, ad ſcrupulum ſemis, in adultioribus drachma ſemis.

Pulvis Epilepticus Rindſcheidleri.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Radic. Pæoniæ,
Semin. ejusdem,
Ungulæ Alcis præparat.
Cranii human. ſine igne parat. *ana unciam ſemis.*
Viſci quercini,
Coralliorum rubror. præparatorum,
Caſtorei, *ana drachmas duas.*
Spolii Viperarum,
Hyacinthi præparati,
Smaragdi, præp.
Granati præparat.
Malachitidis præparat. *ana drachm. unam.*
Foliorum Auri, *No. octo.*
Miſc. Fiat pulvis, in ſubito terrore, paſſ. hyſter. & furore uter. utilis.

Pulvis Epilepticus Ruber.

Diſpenſ. Wirt. Vienn. diverſ.

℞. Radicum Pæoniæ.
Coralliorum rubrorum præparatorum, *ana uncias duas.*

Unicornu marini.
Cinnabaris nativæ.
Succini præparati, *ana unciam unam.*
Fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Ad epilepſiam, motus convulſivos & ſpaſticos commendatur.

Drachma ſemis hujus pulveris fere grana quatuor Cinnabaris habet.

Doſis a ſcrupulo ſemis, ad drachmam ſemis.

Pulvis Epilepticus Rudolphi Secundi Imperat.

BIERLING. *Append. Med. pag.* 112.
Tabul. Smaragd. pag. 323.

℞. Ambræ optimæ, *drachmam unam.*
Unicornu veri, *ſcrupulos duos.*
Ungulæ Alcis.
Lapidum percarum, *ana drach. unam ſemis.*
Coralliorum alborum.
Rubrorum, *ana drachm. duas.*
Margaritar. pellucidarum.
Viſci querni, *ana drachm. unam.*
Sanguinis Turturis, *dr. unam ſemis.*
Cord. Ranarum, *No. tria.*
Ungulæ Sciuri, *drach. unam ſemis.*
Cornuum Scarabæi, *drachm. unam.*
Cornu Cervi, *drachmas duas.*

Pulveriſentur omnia minutiſſime: Exhibeatur pro doſi, tantum, quantum duabus vicibus, Cuſpide Cultri, capi poteſt in Aqua Ceraſor. nigror. Flor. Tiliæ, Lilior. convac. vel Flor. Betonicæ. Propinetur bis, vel ter. Sæpiſſime probatus dicitur.

Quidni probatus dicatur? quum tot hic concurrant animalia, qui ſuos mirificos theſauros in commune ſcil. Bonum conferunt, nempe unicornu, Alce, Perca, Turtur, Rana, Sciurus, Scarabæus & Cervus; adeo ut nihil amplius deeſſe videatur, niſi Talpa, Lepus, Aſinus, Mus, Glis, Cuniculus, Felis, & Cercopithecus, &c. Sed ut rem ſerio tractemus, mirum profecto nobis videtur, tam fatuæ quidem maximam partem, compoſitioni, impune quaſi, imponi licuiſſe auguſtiſſimum tanti Imperat. Nomen.

Pulvis Epilepticus, viti Riedlini.

Lin. Med. Ann. 1698. *Menſ. Dec. pag.* 1033.

℞. Piperis albi.
Viſci quern. *ana drachm. duas.*
Off. de Cord. Cerv.
Succin. alb. præp. *ana drachm. duas ſemis.*
Aſæ foetidæ, *ſcrupul. duos.*
Miſ. Fiat lege Artis, Pulvis.

Multas magnasque quidem Virtutes, in principio præſertim Epilepſiæ ſiſtendo & ſupprimendo, celebris quidam Chirurgus tribuebat huic pulveri, a quo, ceu arcanum antepilepticum, illum acceperat laudatus ſupra diligentiſſimus Riedlinus: Neque ſane denegandæ ſunt illi plane Virtutes antepilepticæ; quæ tamen rectius adſcribendæ ſuccino albo, Aſæ fœtidæ & ex parte quoque, Viſco querno; quam fatuis illis oſſiculis Cervi, uti ſupra jam aliquoties, data occaſione, monuimus.

Pulvis pro Epithemate Cordis.

item Pulvis pro Epithemate Hepatis.

Vid. infra
Species pro Epithemate Cordis & pro Epithemate Hepatis.

Pulvis ad Eryſipelas.

Diſpenſ. Brand.

℞. Florum Sambuci, *uncias ſex.*
Roſarum.
Smalti, *ana uncias quatuor.*
Radicum Glycyrrhizæ.
Rubiæ Tinctorum.
Ceruſſæ.
Boli Armen. *ana uncias duas.*
Maſtiches.
Olibani.
Sandaracæ, *ana unciam unam.*

Pulveriſentur omnia, & uſui ſerventur externo.

Pulvis ad Eryſipelas Albus.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Ceruſſæ pulveriſatæ.
Cretæ Colonienſis.
Lapidis Morochti, ſive tuffiani.
Tutiæ præparatæ, *ana uncias duas.*
Sacchari Saturni, *drachm. duas.*

Miſceantur pulveriſata, pro uſu externo, qui nempe idem eſt, ac pulveris ad Eryſipelas rubri Mynſichti, cujus & hic extat deſcriptio.

Pulvis Eryſipelatodes Ruber.

Mynſichti Armament.

Diſp. Wirt. Vienn. Prag.

℞. Farinæ volatilis e molendinis, *uncias ſex.*
Plumbi uſti.
Boli rubræ, *ana uncias duas.*
Maſtiches electæ.
Olibani.
Ceruſſæ, *ana unciam unam.*

Miſce, fiat pulvis omnium ſubtiliſſimus.

Uſus eſt externus, inſpergitur, & cum charta cærulea imponitur; quod tamen, propter adſtringentia & repellentia, cum cautione fieri debet.

Pulvis Euphragii Simplex.

FULLER, *Pharm. ext. p.* 323.

℞. Euphrag. *drachm. tres.*
Macis, *drachmam unam.*

Miſc. Fiat pulvis ſubtilis, de quo Cochlear medium ante cibum, deglutiatur.

Pulvis Euphragii Compoſitus.

FULLER. *Pharm. extemp. p.* 323.

℞. Euphrag. *unciam ſemis.*
Seminis Foeniculi dulc. *dr. duas.*
Macis.
Nucis Moſchatæ, *ana drach. unam.*
Sacchari albi, *unciam unam.*

Miſc. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, ad uſum.

Vidi homines, & decrepitos, fere ad cæcitatem perductos, hoc pulvere, integræ Viſioni reſtitutos, inquit Montagnana. Sed præter Viſus debilitatem, eximie quoque valet ad Capitis dolorem, ſi quotidie, ſub ingreſſum in Lectum, aſſumatur, cum hauſtulo Vini albi, aut alius generoſi.

Pulvis ad Flatus.

Diſp. Wirt. Brand.

℞. Seminum Coriandri.
Carvi.
Aniſi.
Fœniculi, *ana unciam unam.*
Corticum aurantiorum.
Zinziberis, *ana drachmas ſex.*
Lapidum cancrorum præparatorum, *unciam ſemis.*
Macis, *drachmam unam.*
Sacchari albi, *uncias ſex.*

Miſce, fiat pulvis.

Vires ex nomine patent.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam usque. *Ceterum Conf. ſupra*, Pulveres Carminativi.

Pulvis ad Fluorem Album.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Radicis Ireos Florent. *unciam ſemis.*
Cornu Cervi uſti.
Gummi Arabici.
Oſſis Sepiæ.
Coralliorum alborum praeparator.
Cryſtalli montanae praeparatae.
Olibani electi.
Maſtiches electae, *ana drachm. unam.*

Pulveriſata, probe miſceantur ad uſum.

Virtutes habet, acrimoniam imbibendi, & Maſſam ſanguineam depurandi. Inde & in ipſa fœda Gonorrhœa poteſt adhiberi.

Pulvis Fumalis Haugii.

Diſp. Wirt. in aliis deſideratur.

℞. Radicum Cyperi rotundi.
Iridis Florentinae.
Herbae Rorismarini, *ana unc. quat.*
Florum Roſarum rubrarum, *unc. ſex.*
Lavendulae, *uncias duas.*
Seminis coriandri, *drachmas ſex.*
Baccarum Juniperi, *libras duas.*
Ligni Aloës, *unciam unam ſemis.*
Sandali citrini, *uncias quatuor.*
Juniperi, *libras duas.*
Corticis Thymiamatis, *unc. quatuor.*
Nucis Moſchatae.
Caryophyllorum aromaticorum.
Cinnamomi, *ana unciam unam.*
Benzoës.
Styracis, *ana uncias quatuor.*
Olibani, *libram dimidiam.*
Maſtiches, *libram unam.*
Raſurae Succini, *libras duas.*
Elemi.
Sandaracae.
Ladani, *ana uncias tres.*

Miſce, & groſſo modo inciſa ſerventur.

A longo tempore uſus eſt apud Wirtenbergenſes, in affectibus catarrhalibus & rhevmaticis, humida tempeſtate contractis, hoc pulvere ſuffumigata lintea parti dolenti imponunt.

Pulvis Fumalis Odoratus.

Diſp. Argent. Wirt. Brand. Prag. Hamb.

℞. Florum Lavendulae.
Roſarum rubrarum, *ana dr. duas.*
Caryophyllorum aromaticorum, *unciam unam.*
Benzoës, *uncias duas.*
Styracis, *uncias quatuor.*
Succini, *uncias ſex.*
Olibani, ſive Thuris, *uncias octo.*
Maſtiches, *uncias viginti.*

Miſce, fiat pulvis groſſus.

Ad ſuffimenta inſervit, & odore ſuavi grato ſe commendat. Conf. ſupra *Candelæ fumales* & *Paſtilli odorati* & *odoriferi.*

Pulvis Galactopœus.

Diſp. Wirt. Brand. & paſſim in aliis.

℞. Seminum Aniſi.
Fœniculi, *ana unciam unam.*
Nigellæ.
Lactis Lunæ.
Oculorum cancrorum præparatorum.
Matris perlarum præpar. *ana dr. tres.*
Lumbricorum terreſtrium præparatorum, *drachmas duas.*
Sacchari albi, *uncias duas.*

Miſce, fiat pulvis.

Datur lactantibus, ad augendum

lac; acidum abſorbet in primis viis, & chylificationem adjuvat, ac diſcutit flatus. Vid. SCHULZ. *p.* 256. *Sed tamen ſimpliciora & ex regno potiſſimum Vegetabili, & ipſa culina potius, quam officina pharmaceutica, petita his omnibus jure præfert* BOERHAAVE, *de* Virib. Medicam. *p.* 148. *ſeqq. & in* Prax. med. *Tom. V.*

Doſis ad Drachmam unam, quotidie bis ſumendus.

Pulvis Galactopœus.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Seminum Aniſi.
Fœniculi.
Lactucæ.
Papav. albi.
Seſami, *ana unc. unam ſemis.*
Sachari albi, *uncias ſex.*
Miſc. Fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Pulvis Galactopœus Winckleri.

℞. Cryſtall. mont. praep.
Corall. alb. praep.
Margaritar. praep. *ana gr. quindecim.*
Piperis longi, *ſcrup. duos.*
Olei Fœnic. *gutt. quindecim.*
Macis, *gutt. duas.*
Sacch. Cand. alb. *drach. ſex.*
Miſc. Fiat Pulvis, cujus deſcriptio extat in *Tab. Smaragd.* p. 333.

Pulvis Gingivalis.

Diſp. Vienn.

℞. Nucis Moſchatæ, *unc. unam.*
Zinziberis albi, *unciam ſemis.*
Zibethi Canini.
Aluminis uſti, *ana drachm. duas.*
Miſceantur pulveriſata, ad uſum externum.

In Corruptis Gingivis, fricando, acrimoniam adimit, & carnem putridam reſtituit ac novo vigore induit, etiam ſine iſto Zibetho canino ſcilicet. Conf. ſupra Electuaria Gingivalia *varia.*

Pulvis Gravidarum Fulleri.

Pharm. extemp. p. 323.

℞. Croci Martis adſtringent. *ſcrupul. ſemis.*
Spicæ Nardi.
Specier. de Hyacinth. *ana gr. quinque.*
Miſc. Fiat pulvis, *pro una doſis, aut duabus.*

Ad uteri laxitatem corrigendam, ſanguinis profluvium prohibendum, & Abortum præcavendum, optime inſervit. Detur mane & Veſperi, cum hauſtu Vini rubri Lisbonenſ. aut alius rubelli adſtringentis. Conf. ſupra, Pulvis contra Abortum. *& infra* Rotulae Embryonum.

Pulvis Griſeus.

Pharm. Batean. p. 129.

℞. Oculor. Cancror.
Salviæ, *ana uncias duas.*
Cretæ albæ, *unciam unam.*
Nucis Moſchatæ, *drachm. unam.*
Miſceantur probe: Fiat Pulvis, ad uſum.

Inſignis eſt in diarrhœa, palpitatione Cordis, Aciditate ſanguinis, Calculo, & ſimilibus affectibus.

Doſis eſt a ſcrupulo uno, ad drachmam unam.

***

Pulvis Haly,

Practic. Lib. VI, Cap. 12. contra Phthiſin.

Diſp. Brand. Wirt. Pariſ. Leod. Prag. & reliq.

℞. Seminum Papaveris albi, *dr. duas.*
Portulacæ.
Cydoniorum.
Malvæ.
Bombacis, *ana dr. unam ſemis.*
Gummi Arabici.
Tragacanthæ.
Amyli, *ana drachm. duas.*
Cornu cervi uſti.
Raſuræ eboris.
Cicerum rubrorum, *ana dr. ſemis.*
Liquiritiæ, *drachmas duas.*
Sacchari penidii, *uncias duas.*
Miſce, fiat pulvis.

Cum pulvere anonymo convenit, & eadem doſi exhibetur. *Vid.* SCHULZ. Prælect. *p.* 251. CARTHEUSER Pharmac. *pag.* 581.

Pulvis contra Hæmoptyſin, Scaligeri.

Apud BENETT. *Theat. Tabid. pag.* 187.

℞. Boli Armen.
Terræ Sigillat.
Spodii.
Haematit.
Roſar. rubr. *ana drachm. quinque.*
Corall. rubror.
Carab. h. e. Succini.
Margarit.
Gumm. Arab.
Tragacanth. *ana drachm. duas.*
Semin. papaveris albi.
Portulacae.
Malvae.
Plantag.
Cornu Cerv. uſt.
Acaciae.
Succi Glycyrrhizae, *ana drach. duas.*

Miſc. Fiat pulvis, roborans & leniter adſtringens. Conf. infra *Rotulæ hæmoptoicæ.*

Pulvis Hæmoptoicus Alius.

Pharm. Bat. pag. 89.

℞. Bol. Armen. *unc. unam ſemis.*
Amyli, *drachmas tres.*
Rhodoſacchari, *unc. ſemis.*
Olei deſt. Aniſi, *guttas duas.*

Miſc. Fiat lege Artis, Pulvis. *Detur ad Drachmam unam ſemis, ter in die, vel etiam ſæpius.*

In Hæmoptyſi, nihil ipſi æquale.

Ita quidem inquit ibi Auctor; nec repugno equidem penitus: Interim tamen modeſte hic monere liceat; Majorem ineſſe huic pulveri adſtringendi vim, propter nimiam nempe Boli Armen. quantitatem adjectam, quam ut ſine metuendo inde periculo, drachma una & ſemis, & quidem ter de die, immo & ſæpius, commode ex eo, pro doſi, aſſumi poſſit. *Quare, me quidem judice, ſuffecerit, ſcrupulum ipſius unum, aut drachmam ſemis, ad ſummum, per juſta intervalla, cum idoneo vehiculo, ſenſim ingeſſiſſe. Hic enim ſuperflua vel maxime nocere, cognitum ubivis eſt: Quoniam Sputum cruentum fortioribus aſtringentibus non ſemel ſimulque eſt reprimendum; ſed leniſſime potius cohibendum, & placidiſſime componendum, ne ſordida & Vitæ ipſi nocitura ulcera inde oriantur, quod experientia ſæpe docuit.*

***

Pulvis Hepaticus Ruber Dresdenſis.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Cremoris Tartari, *uncias quatuor.*
Sandali rubri.
Roſarum rubrarum, *ana unc. ſemis.*
Spiritus Vitrioli, *drachm. duas.*

Flores roſarum, ſubtiliſſime triti, irrorantur ſpiritu vitrioli; probe mixtis additur Pulvis Sandali & Cremoris Tartari; pulvis ruber in vitro aſſervatur.

Fervorem nimium ſanguinis temperat, & appetitum excitat. vid. SCHULZ. *pag.* 254.

Doſis ſcrupuli duo, ad drachmam unam.

Pulvis Hydragogus, Bauder.

Diſpenſ. Lugd.

℞. Radic. Jalappæ, *unc. ſemis.*
Mechoacann. *drachm. duas.*
Cinnamomi.
Rhabarb. elect. *ana ſcrupul. quatuor.*
Folior. Soldanellæ.
Semin. Aniſi.
Ebuli, *ana drachm. unam.*
Fiat lege Artis, pulvis ſubtilis.

Pulvis Hydragogus Colleg. Lugd.

Ibidem.

℞. Jalappæ.
Turpethi, *ana drachm. ſex.*
Aſari.
Specier. diacnici, *ana unciam ſemis.*
Diagrydii Sulphurati.
Soldanellae, *ana drachm. duas.*
Cinnamomi electi.
Croci Martis aperientis.
Specier. diatriaſantali, *ana ſcrupulos duos, grana octo.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem, Pulvis.

Aquam potenter ducere hunc pulverem, non dubito; ſed forte & Animam ipſam; eſt enim violenta & pæne virulenta Compoſitio, potiſſimum propter Turpethum, Aſarum, & Soldanellam, ut & reliqua, exceptis ſolis, Rad. Jalappæ, Cinnamomo, Croco Mart. aper. & Speciebus diatriumſantal.

Pulvis Hyſtericus.

Diſp. Wirt. Vienn.

℞. Radicum Fraxinellae.
Paeoniae, *ana unciam ſemis.*
Radicum Zedoariae.
Corticum citri.
Succini.
Matris perlarum, *ana drachm. duas.*
Caſtorei, *drachmam unam.*
Anthophyllorum.
Croci, *ana ſcrupulum unum ſemis.*
Miſce, fiat omnium pulvis.

Ad hyſtericam paſſionem, menſes & ſecundinas pellendas, atque dolores demulcendos inſervit. Conf. infra Pulveres Uterini.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Pulvis ex Jalappa Compoſitus.

Diſp. Hafn. & Thom. Bartholin. Hiſt. Anat. rar. 69. Cent. V. pag. 141.

℞. Pulv. Rad. Jalapp. reſinoſ. *drachm. decem.*
Cremoris Tartari.
Tartari Vitriol. *ana drachm. tres.*
Reſinae Jalappae.

Scammon. *ana drachm. unam.*
Olei ſtillat. Aniſi, *ſcrupul. unum*
Miſceant. Fiat lege Artis, Pulvis.

Palato gratus, blande & ex voto, ſurſum ſubinde deorſumque ſeroſos bilioſosque humores exturbat; ſi pro cujusque robore, & ætate, a Granis decem & quinque, ad mediam drachmam, offeratur. Ita quidem ipſe Thom. Bartholinus, *Vir maximus. Neque ipſe ego, reverentia ductus, obloqui audeo. Interim tamen, ut ingenue fatear, mallem, ſuſpectas & malignas illas* Jalappae *ac* Scammonii Reſinas *vel plane fuiſſe omiſſas, vel certe parciore & humaniore doſi, adjectas: ob rationes ſupra Part. I. datas, ad* Scammonium, *& hac Part. II. ad* Diacrydium Sulphuratum.

Pulvis Ictericus.

Pharm. Bat. *pag.* 130.

℞. Chenocopri, verno tempore collecti, in ſole ſiccati, *unc. duas.*
Croci optimi orientalis, *drach. unam.*
Sacchari Candi albi, *uncias duas.*
Miſc. Fiat Pulvis, *ad drachmas duas, bis indies, in Vino Rhenano, per dies ſex, aſſumendus.*

Pertinet hic quidem pulvis ad Apothecas ſtercorarias Rulandi atque Paullini: Continet enim ſordidum ſtercus anſerinum, licet græco Chenocopri *nomine velatum & quaſi deauratum. Sed nemini has turpes quidem depes invidemus. Interim tamen ad noſtrum palatum magis eſt tenera Anſerum Caro, quam crudum eorundem ſtercus. Malim potius epulas ex culina, quam ex culo: ſit venia dicto ac joco, vid.* DOLAEI Encyc. p. 550.

***

Pulvis Ictericus Dolæi,

Encyclopæd. Med. p. 553.

℞. Cryſtallorum Tartari, *drachm ſemis.*
Eboris phil. praeparati, *drach. unam.*
Rad. Curcumae, *grana ſedecim.*
Salis Centaur. minoris, *drachm. ſemis.*
Succini Volat. *ſrupul. ſemis.*
Miſceatur: Fiat pulvis, cuſpidatim dandus.

Pulvis Ictericus.
Jo. Langii.

Epiſt. Med. Lib. III. C. 6. *p.* 828.

℞. Limaturae Eboris, *dr. unam ſemis.*
Semin. Aquilegiae, *ſcr. un. gran. quinq.*
Pulv. Lumbricorum terreſtr. *ſcrup. ſemis.*
Miſc. Fiat Pulvis, in icteritia efficax: *detur ſcrupulus unus, cum Syrupo de Cichor. cum Rhabarb. cum Aqua Cuſcutæ diſſoluto.*

Præſtantiſſimis Viribus hunc pulverem Langianum eſſe, ad icteritiam tollendam, ſubinde expertus ſum, candide ita teſtatur Simon PAULLI, *in* Quadripartit. Botan. *pag.* 21. *quod & ex eo repetit.* DOLAEUS, Encyclopaed. *med. Lib. III. c.* 8. *p.* 553. *ubi tamen memoriæ lapſu, & feſtinationis errore, Limaturam Martis, pro Eboris, poſuit; licet & illa Ictero alias haud noceat, ceu notum, & ſuperius aliquoties notatum, ubi de Martialibus & Chalybeatis tractatum fuit. Interim ipſe* DOLAEUS *ibidem hunc Pulverem contra Icterum præſcribit, haud plane ſpernendum.*

Pulvis Ictericus Timæi
à Güldenklee.

Deſcript. Medicam. p. 909.

℞. Pulv. Lumbricorum Terreſtrium, *drachm. ſex.*

Radicis Fragariæ.
Semin. Aquilegiæ, *ana unciam ſemis.*
Crocii Orientalis, *drachmas duas.*
Salis Cichorii.
Abſinthii, *ana ſcrup. unum. ſemis.*
Miſceantur omnia: Fiat pulvis, *ad ſcrupulum, vel drachmam, ſemis ſubinde præſcribendus*

Ceterum idem Timæus alibi hunc breviorem pulverem exhibet.

℞. Seminis Aquilegiae, *drachm. ſex.*
Croci Orientalis, *drachmam unam.*
Tartari Vitriolati, *drachmam ſemis.*
Miſc. Fiat Pulvis, pro ſeptem doſibus, ſucceſſive, mane in Vino calido Rhenano, ſumendis. *Teſtatur alicubi* Ettmüllerus, ſe præmiſſo Emetico, hoc ipſo pulvere curaſſe Sartorem ictericum, aliis remediis quam plurimis antea fruſtra tentatis.

Pulvis Jeſuitarum, Memoriæ Conſecratiſſimus

BIERLING. *Append. Med. pag.* 111. *Tab. Smar. p.* 330.

℞. Herbarum Majoranæ.
Salviæ.
Betonicæ.
Meliſſæ, *ana drachmam unam.*
Baccar. Lauri.
Seminum pæoniæ.
Meliſſæ, *ana drachm. unam ſemis.*
Ocymi.
Seſel. *ana drachm ſemis.*
Zedoariæ.
Cymini præparat. *ana drach. unam.*
Cubebarum.
Nuciſtæ.
Macis.
Caryophyllorum.
Piperis albi.
Longi.
Nigri.
Radic. Glycyrrizæ.
Zingiber. alb. *ana drachm. duas.*
Myrobalonor. citr.
Indic, *ana drachm. unam ſemis.*
Thuris.
Maſtiches, *ana ſcrupul. ſemis.*
Sacchari albiſſimi, *libram ſemis.*
Miſc. Fiat pulvis ſubtiliſſimus, *contra cerebri ſtomachique debilitatem apprime utilis. Conf. ſupra* Pulveres Cephalici & Memoriam roborantes. *Ceterum divinum quoque Corticem peruvianum vocari* Pulverem Jeſuitarum, *ſeu* Pulverem Jeſuiticum, *cuivis notum eſſe arbitor; eorum enim præſertim ſolerti cura ac beneficio, incomparabilem illum Corticem febrifugum Europæis primum innotuiſſe, fidis hiſtoriæ monumentis liquido conſtat. Sed hæc quidem obiter.*

Pulvis Incidens Stahlii.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Lapidum cancrorum, acido Citri ſaturatorum, *uncias quatuor.*
Radicum Ari præparatar. *unc. duas.*
Miſce, fiat pulvis.
Reſolvit, pituitoſos & mucoſos humores atque digeſtionem promovet; præmitti poteſt, loco digeſtivi, laxantibus.
Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis. *Vid.* SCHULZ. Prælect. *pag.* 257.

Pulvis Incraſſans.

FULLER. *Pharm. ext. p.* 325.

℞. Radicis Althææ.
Gummi Arabici.
Sanguinis Draconis.
Glycyrrhizae, *ana grana quinque.*
Miſc. Fiat pulvis, *qui admodum prodeſt in Tuſſi acri, ardore urinæ, ul-*

cere pulmonum, & *ſimilibus affectibus a lympha mordaci obortis. Quo & ſimul pertinet* decoctum incraſſans, *deſcriptum ab eodem* FULLERO, *pag.* 45. *Conf.* JUNCKERI Conſpect. Form. *pag.* 25.

Pulvis pro Infantibus Boerhaave.

Prax. Med. Tom. V. pag. 285.

℞. Coralliorum rubror. præparatorum.
Margaritarum.
Boli Armen.
Cretae, *ana drachmas duas.*
Pulv. è Chelis Cancr. fideliter præparati, *drachm. unam ſemis.*

Miſc. Fiat pulvis, *de quo tenellus Infans capiat octo vel decem grana, bis, vel ter, de die.*

Ad acidum temperandum & imbibendum, atque inde nata ſæviſſima infantum tormina mitiganda & ſedanda. Conf. infra Pulvis ad Tormina Infantum.

Pulvis pro Infantibus Recens Natis.

Diſpenſ. Brandenb.

℞. Coralliorum rubror. præparatorum.
Margaritarum præparatarum.
Smaragdorum præparatorum.
Unicornu veri præp. aut. ſubtil. limat. *ana ſcrupul. unum.*
Radicum pæoniæ maris, juſto tempore collectarum.
Seminis ejusdem, *ana drachm. ſemis.*
Viſci querni.
Succini albi præparati.
Cornu Alcis præparati.
Ungulæ ejusdem ſubtiliſſ. lævigat. *ana drachm. unam.*
Foliorum Auri puriſſimi, *No. quatuor.*

Miſc. Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Eſt ſpecies Pulveris epileptici Marchionis, vulgo dicti, & multa, ſupervacua, tametſi pretioſa, habet, ut pretium potius inde augeatur, quam Virtus. Inde ſapienter hic SCHULZIUS, Prælect. *p.* 261. *Quæ vera ſit neceſſitas, ejusmodi pulveribus recens natos quaſi initiandi, equidem non video, atque inter ſupervacua, ſi non ſubinde valde noxia, humanæ providentiæ ſtudia, illum repono. Hæc omnia recte. Interim tamen ejusmodi pulveres abſorbentes, acidum temperantes, torminaque ac ſpaſmos mitigantes, inprimis ſi ſimpliciores fuerint, quales ſupra dedimus ex* Boerhaavio *atque* Stahlio, *in tenellis Infantibus, non omni uſu carere, quin & interdum ſumme neceſſarios eſſe, quotidiana praxis quemvis facile docebit medicum. Abuſus enim non tollit uſum, ut vulgo quidem, ſed recte dicitur. Ceterum conf. infra,* Pulvis Puerorum completus.

Pulvis pro Infantibus Stahlii.

Diſpenſ. Brand.

℞. Teſtarum Conchar. ſine Igne præp. *unciam unam.*
Antimonii diaphoretici optimi, *unc. ſemis.*
Cinnabaris Antimon. opt. & præp. *grana quindecim.*

Miſceantur probe: Fiat pulvis ad eosdem pæne uſus.

Pulvis Laetificans.

Vid. infra.

Species Lætificantes.

* * *

Pulvis Lenitivus Tartariſatus.

Diſpenſ. Wirt. Brand.

℞. Cremoris Tartari.
Foliorum Sennæ electorum, *ana uncias duas.*
Cinnamomi acuti.
Seminum aniſi.
Fœniculi, *ana drachmas quinque.*
Miſce, fiat pulvis, qui pro lubitu ſaccharo edulcorari poteſt.

Leniter alvum ſiccam & tardiorem ſolvit, flatus pellit; hypochondriacis & alvi obſtructione laborantibus commendatur. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 258.

Ante prandium vel cœnam, ad drachmam unam ſumendus.

Pulvis Lumbricorum Compoſitus.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Lumbricorum præparatorum, *unciam unam.*
Cryſtalli montanæ præparatæ.
Bezoar occidentalis.
Cornu Cervi philoſoph.
Ungulæ Alcis præparat. *ana unciam ſemis.*
Sacchari Candi albi, *uncias tres.*
Exacte omnia permiſceantur, in fine Mixt. addendo.
Olei deſtillati Macis.
Nucis Moſch. *ana ſcrup. ſemis.*

Vires ſunt diureticæ, diaphoreticæ, anodynæ, diſcutiendo, emolliendo, in Apoplexia, Spaſmo, & præcipue, Arthritide Vaga. Conf. ſupra Lumb. Terreſt. præp.

Pulvis Mantuanus.

Diſp. Wirt. Brand.

℞. Radicum Contrayervae.
Radicum Scorzoneræ, *ana dr. duas.*
Terræ ſigillatæ griſeæ.
Boli Armenae.
Lapidum quinque pretioſorum.
Coralliorum rubrorum praeparatorum.
Margaritarum præparatarum.
Cornu Rhinocerotis, *ana dr. unam.*
Lapidis Bezoar Orientalis.
Occidentalis, *ana drachm. duas.*
Miſce, fiat pulvis,

Cum pulvere anglico multum convenit, & ejusdem eſt uſus. Vid. SCHULZ. Præl. *p.* 258.

Pulvis Martialis Anglicus Compoſitus.

Pharmar. Bat. p. 89. *Wirt.*

℞. Limaturae Martis in alcohol redactae, *drachmas ſex.*
Caſſiae ligneæ.
Nucum moſchatarum, *ana unc. ſemis.*
Caryophyllorum.
Macis, *ana drachm. duas.*
Sacchari albi, *uncias duas.*
Miſce, fiat pulvis.

Cum Pulvere cachectico Quercetani multum convenit, atque in cachexia & febri alba, ex obſtructione menſium, laudatur.

Doſis drachma una, quae circiter ſextam partem martis habet.

Pulvis ad Morſum Canis Rabidi ſpecificus.
vel Pulvis Tunchineris, *item* Alexipharmacus Sinicus.

Transact. Philoſ. Angl. *No.* 474. *Vol. XLIII. p.* 226.
Cel. CAUBIUS *de* Formul. Med. *pag.* 77. & KLEIN. Select. rat. Med. *p.* 199.

℞. Moſchi optimi, *grana ſedecim.*

Cinnabaris nativae,
factitiae, *ana grana viginti quat.*
Miſceantur, terantur in pollinem impalpabilem.
Capiat miſer admorſus, ex Cyatho Liquoris Arrak dicti, aut etiam Spiritus Vini vulgaris.

Nota: *Cinnabari nonnulli Cochinellam ſubſtituunt, quam tamen a Sinenſibus unquam ad uſus medicos adhiberi non conſtat. Poſſet forte & ipſa Cinnabaris omitti, Virtute Remedii illibata. Omitti tamen illa non debet, dum experientia docuerit, illam hic quidem inutilem eſſe.*

Mirum vero in modum laudant novum hunc pulverem antilyſſum ſpecificum dictum, Auctores præſertim Angli, Cobb, Vall, Hart, Mead, de Venen. *Tract. III. p.* 181. *aliique; item e Gallis, præcipue* CHARAS, Pharmac. Reg. *T. II. pag.* 800. *ubi & ipſius pulveris compoſitionem exhibet, & illius uſum per varia exempla, docet & confirmat. Conf. & ſupra Part. I. dicta ad* Moſchum. *Denique etiam de huſus mirabilis, ut creditur, pulveris præparatione & uſu pariter docte & diligenter tractat illuſtr. van* SWIETEN, *Fautor noſter ſummus,* Comment. in Aphoriſ. BOERHAAVE, *Tom. III. pag.* 581. *ſqq. ubi nec ipſi tributas vulgo Virtutes contra diram Hydrophobiam, plane denegat. Nos quidem ſerio candideque optamus, ut longior aliquando dies & crebrior uſus ambiguam adhuc hujus experimenti fidem, in maxima humani generis commoda ac ſolatia adeo valide confirmet & ſolide ſtabiliat, ut nullus plane dubitationi aut contradictioni locus amplius ſupereſſe poſſit. Conf. huc Cl.* GMELINI Diſſ. *de* Specif. auditoto novo, *contra* Morſ. Canis rabid. & KLEIN. *l. c. pag* 200.

Pulvis ad Morſum Canis Rabidi.

Diſp. Wirt. Pharm. Reg. CHARAS, *T. I. p.* 209. *Pariſ. p.* 70. *Norimberg. Renod.*

℞. Foliorum Rutæ,
Verbenæ,
Salviæ,
Plantaginis,
Polypodii,
Abſinthii vulgaris,
Menthæ,
Artemiſiæ,
Meliſſophylli,
Betonicæ,
Hyperici,
Centaurii minoris, *ana unc. ſemis.*

Legantur ſingula eo tempore, quo viribus pollent maximis, papyro ſeorſim incluſa, in umbra ſiccentur, & in pulverem terantur. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. III. pag. 278.

Author eſt Julius Palmarius, *Medicus Pariſienſis, atque de illo perhibet, Lib. de* Morſu Canis rabidi, *Cap.* 3. *p.* 344. *quod inſigni virtute, & nulli ſecunda, rabiem arceat, vulnera a cane rabioſo inflicta ſanet, & terrificum illud ſymptoma, quo miſelli reformidant aquas, impediat. Utinam hæc omnia vera eſſent! Sed nondum, quod equidem ſciam, hic Palmarii pulvis palmam victricem reportavit in debellanda dira hydrophobia, licet crediderit* GOCKELIUS, Conſil. Med. 19. *pag.* 208. & *pag.* 227. *cum aliis, vid. cel.* BOERHAAVE, Prax. Med. *Tom. V. pag.* 98. *ſqq.* & *ill. van* SWIETEN, *in* Comment. *ad* Boerhaav. *Tom. III. pag.* 586. *ſqq. Ceterum verus & primus hujus nimis laudati pulveris Auctor potius eſt* Jacobus Sylvanus Dominus de Pyrou, *qui eum liberaliter communicavit Palmario, ceu ipſe ibidem, ingenue fatetur,*

p. 346. *& ex eo refert laudatiſſimus* van SWIETEN, *l c. p.* 586. *&* CHARAS, *l. c. pag.* 210. *vid. &* Renod. *pag.* 798. *Ceterum de inefficaci hujus pulveris antilyſſi efficacia, ut ſic loquar, vid. &* Commerc. litt. med. Norimb. *An.* 1735. *p.* 83. *&* Diſſ. noſtr. *de* Cort. Peruv. uſu lutari, *pag.* 9. *ſq.*

Doſis drachma ſemis, ad drachmas duas.

Pulvis Mulierum,

Diſpenſ. Brand.

℞. Baccarum Lauri,
Cinnamomi acuti,
Galangæ,
Nucis Moſchatæ, *ana unc. un. ſemis.*
Croci Orientalis, *unciam unam.*
Caryophyllorum,
Macis, *ana drachmas ſex.*
Zedoariæ, *unciam ſemis.*
Zinziberis,
Seminis Carvi,
Paſtinacæ, *ana uncias tres.*

Miſc. Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Valet ad menſes ſuppreſſos provocandos, Lochiorum fluxum promovendum, & ad dolores ex ipſo partu obortos, mitigandos. Dari poteſt ſcrupulus, vel dimidium unius drachmæ, *juvarique* veheculo congruo. *Ita hic* SCHULZ. Præl. *pag.* 259.

Pulvis Mulierum,

ſeu Dominarum Foreſti.

Tab. Smaragd. pag. 317. Vid. FOREST. *Obſ. Med.* 2. Lib. XXVIII. pag. 15.

℞. Seminum ſeſeli,
Cumini,
Marathri, *ana unciam unam ſemis.*
Radicis Curcumæ,
Nucis Moſchatæ,
Calami aromatici, *ana drachm. ſemis.*
Galangæ,
Zedoariae,
Caſſiae ligneae,
Macis,
Caryophyllorum,
Anthos, *ana drachmas duas.*
Cinnamomi acuti, *unciam ſemis.*
Croci, *drachmam unam.*

Miſc. Fiat pulvis, ad eosdem paene uſus uterinos, *doſis eſt drachma ſemis, vel una, cum Vino generoſo.* Conf. ſupra, *Pilulæ Dominarum.*

Pulvis e Myrrha Compoſitus.

Diſpenſ. Lond. nov.

℞. Foliorum ſiccatorum Rutae,
dictamni cretici,
Myrrhae, *ſingulorum ſeſcunciam.*
Aſae foetidae,
Sagapeni,
Caſtorei Ruſſici,
Opopanacis, *ana unciam unam.*

Omnia in pulverem contundantur: cujus uſus eſt praeſertim hyſtericus.

Pulvis Myrrhæ Compoſitus.

FULLER. *Pharm. ext. pag.* 327.

℞. Myrrhae,
Sabinae,
Granor. Paradiſi, *ana grana quinque.*
Croci, *grana tria.*
Caſtorei, *grana duo.*
Olei Succini, *guttam unam.*

Miſc. Fiat pulvis, ad eosdem uſus. Conf. *Pilulæ puerperarum,* ibid. pag. 299.

Pulvis Nephriticus.

Diſp. Vienn.

℞. Cryſtall. montan. praep.

Amm.

Sem. Lycopodii,
Milii Sol. *ana unc. tres.*
Urticae,
Boracis Venetae,
Glaciei Mariae,
Priapi Cervi, *ana unciam un. ſemis.*
Miſceantur, probe pulveriſata.
Ad dolores nephriticos ſiſtendos & Saburram arenoſam evacuandam, vulgo commendatur: etiam ſine rigido Priapo Cervi; quid enim illa huc conferat?

Pulvis Nephriticus Charas.

Pharm. Reg. Tom. I. pag. 222.

℞. Oculorum Cancrorum fluviatilium,
Oſſium petreorum percarum,
Aſellorum minorum,
Millepedarum ſiccarum,
Sanguinis hirci praeparati,
Seminis Milii Solis, *ana unc. unam.*
Miſc. Fiat pulvis, *cujus doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam dimidiam,* aut *integram, in Vino albo.*

Pulvis Nephriticus Fulleri.

Pharm. Extemp.

℞. Radicum Apii,
Saxifrag. *ana drachmas duas.*
Oculorum Cancr praeparat. *drachm. unam.*
Tartari Vitriolati,
Lapidis Prunellae, *ana ſcrup. duos.*
Cremoris Tartari, *ſcrupulos quatuor.*
Olei Juniperi, *guttas quatuor.*
Miſc. Fiat pulvis: *Cujus doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam unam,* in decocto Radicis Althaeae.

Pulvis Nephriticus Poterii.

Pharm. Spagyr. Lib. III. pag. 473.

℞. Foliorum Herniariae,
Betonicae,
Argentinae,
Ceterach, *ana unciam ſemis.*
Seminis Ruſci,
Roſae Silveſtris, *ana dr. unam.*
Miſc. Fiat pulvis, *cujus doſis drachma una, mane, & omnibus horis, cum juſculo, vel Vino albo.* Ceterum vid. ibidem tres alias ejusmodi pulverum deſcriptiones: plures vero apud JUNGKEN, in *Corp. Pharm.* pag. 847. ſqq.

Pulvis Nephriticus Pretioſus.

Diſp. Wirt. in reliquis non extat.

℞. Lapidum cancrorum, acido citri ſaturatorum,
Lapidis Judaici praeparati, *ana unciam unam.*
Lyncis praeparati,
Margaritarum Orientalium praeparatarum,
Operculorum cochlearum, *ana drachmam unam.*
Miſceantur, fiat pulvis ſubtiliſſimus.
Commendatur nephritide & calculo veſicæ laborantibus, atque non ſine fructu adhibetur.
Doſis ſcrupulus unus.

Pulvis Ophthalmicus.

Pharm. Bat. pag. 131.

℞. Summitatum Euphrag. *uncias tres.*
Semin. Fœniculi, *uncias duas.*
Rutae, *unciam ſemis.*
Macis, *drachmas duas.*
Sacchari optimi, *uncias ſex.*
Miſc. Fiat pulvis, *de quo det. Cochlear unum, ter, in die, ad viſum debilem acuendum, & memoriam roborandam.*

* * *

Pulvis Oxytocius.

Ibidem, pag. 132.

℞. Croci Orientalis optimi,
Caſſiae ligneae,
Myrrhae electae,
Leucelectri, ſeu ſuccini albi, *ana drachmas duas.*
Chryſocollae, *unciam unam.*

Miſc. Fiat pulvis, *qui detur ad ſcrupulos quatuor, cum Aqua Artemiſiæ, vel Salinæ.*

Præſtantiſſimus eſt pulvis, ad partum accelerandum, Lochia educenda, & Menſes provocandos. Per chryſocollam vero, ne quis decipiatur, hic intelligitur Borax, quandoque etiam, etſi perperam & abuſive, Chryſocolla dicta, quum tamen maximum inter utramque intercedat diſcrimen, de quo ſupra, in Chryſocolla & Borace. *Nullus enim chryſocollæ uſus internus. Sed hoc obiter. Ceterum conf. ſupra,* Pulvis *ad* Dyſtociam, & *mox* pulv. ad partum.

Pulvis Oxytocius, *ſeu* ad Dyſtociam.

CHARAS, *Pharm. Reg. T. I. p.* 215.

℞. Teſticulorum Equi, in Clibano, ex arte ſiccatorum,
Cinnamomi acuti,
Nucleorum dactylorum,
Boracis,
Croci optimi,
Foliorum Sabinae ſiccatorum, *ana drachmas duas.*
Trochiſcorum de Myrrha, *dr. unam.*

Miſc Fiat pulvis, *cujus doſis a ſcrupulo uno, uſque ad duos,* in Aqua Artemiſiae, aut quacunque alia hyſterica; ſed opportuno tempore.

***

Pulvis Pannonicus, Minus Pretioſus.

Diſp. Wirt. in aliis vix occurrit.

℞. Boli Armenae praeparatae,
Terrae Lemniae, *ana unciam unam.*
Corallii utriusque,
Spodii
Cornu Cervi, philoſophice praepar.
Raſurae eboris, *ana drachmas ſex.*
Matris perlarum, acido citri ſaturatae, *uncias duas.*
Radicis Contrayervae, *unciam unam.*
Croci Orientalis, *drachmam unam.*

Miſce, fiat pulvis.

Vires, quæ ſequentis.

Pulvis Pannonicus Ruber Ordinarius.

Pharm. Bat. pag. 90. *Wirt. Paris. Vienn. Brand. Leod.*

℞. Boli Armenae praeparatae, *unc. tres.*
Terrae Lemniae, *uncias duas.*
Coralliorum alborum praeparatorum, *drachmas ſex.*
rubrorum praeparatorum, *drachmas quatuor.*
Margaritarum praeparatarum, *drachmas quinque.*
Lapidum Hyacinthi,
Smaragdi,
Rubini,
Sapphiri,
Cornu cervi, philoſophice praeparati, *ana unciam ſemis.*
Raſurae eboris, *drachmas tres.*
Spodii, *drachmas quinque.*
Cinnamomi, *drachmas duas.*
Caryophyllorum,
Croci, *ana drachmam unam.*
Seminis Acetoſae,
Sandali rubri, *ana drachmas duas.*

albi,
Corticum citri, *ana dr. unam ſemis.*
Folia auri, *numero viginti quatuor.*
Miſce, fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

A longo tempore pulveris hujus uſus receptus eſt. Videtur autem Autor incognitus eum præcipue febribus caſtrenſibus, quæ in Hungaria frequenter, cum dyſenteria, graſſantur, accommodare voluiſſe. Satis quidem pretioſus eſt hic pulvis; & omnia una in ſe continet; quæcunque vulgo æſtimari & pro divitiis haberi ſolent, nimirum Gemmas, Margaritas, *& ipſum denique* Aurum: *adeo, ut hinc fere Euzophylacium quaſi, aut dactyliothecam in compendio, repræſentare videatur. Sed cuncta hæc pretioſa hunc ipſum pulverem utiliorem reddunt vendentibus, quam ementibus, aut adhibentibus. Sunt enim fatua & omni juvandi virtute vacua. Quare, ut pretium & præjudicium tollatur, omittantur potius omnes iſtæ ſpecioſæ & pretioſæ quiſquiliæ, nihil quidquam in corpore ægro pro futuræ, ut jam ſupra, data occaſione, aliquoties candide monuimus. Conf.* CARTHEUSER. Pharm. *p.* 588. & SCHULZ. Prælect. *pag.* 259. *poſt* Ludovic. Rivin. Bohn. Ettmüller. Boerhaave, Hoffmann. & *alios. Igitur ex his juſtis rationibus, pulvis hic pretioſus minus mihi pretioſus videtur, & præcedens, minus pretioſus dictus, magis pretioſus, quoniam nempe illis pretioſis vanitatibus caret.*

Apud nos frequens ejus uſus eſt in variolis & morbillis, febribus continuis & dyſenteriis malignis. Pueris ac infantibus mulierculæ vulgo contra convulſiones & in febribus, e dentione ortis, propinare ſolent, non diſtinguentes vocabulum germanicum Gifft *a* Gicht, *quo priori venenum, poſteriori autem convulſionem & epilepſiam ſignificamus. Hæc* Wirt. Diſp.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Proſtat in officinis Wirtenberg. etiam INCOMPLETUS, demptis ſcilicet *Margaritis, Lapidibus pretioſis* atque *Foliis auri.*

Pulvis ad Partum.

Diſpenſ. Edinb. Wirt. Brand. Hamb.

℞. Boracis, *unciam ſemis.*
Caſtorei veri,
Croci, *ana drachmam unam ſemis.*
Olei cinnamomi, *guttas octo.*
Succini, *guttas ſex.*
Miſce, fiat pulvis.

Ad partum facilius educendum, fœtum vivum & mortuum expellendum, datur. SCHULZ *pag.* 260.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Pulvis ad Partum.

Diſp. Vienn. Brand.

℞. Hepatis Anguillæ exſiccat. *unc. unam.*
Caſſiæ ligneæ Veræ, *ſcrupulos octo.*
Succini albiſſimi præparati,
Lapidis ſpecularis præparati,
Boracis,
Croci Auſtriaci, *ana ſcrupul. quatuor.*
Bene pulveriſata, exacte miſceantur.

Partus labores faciliores reddit, eosdem accelerando, & fœtus excluſionem promovendo. Conf. ſupra Pulveres *ad* Dyſtociam, *item* Oxytocii. *Alium* Pulv. *ad* Partum, *vid. in* Diſp. Argent. & Hamburg.

***

Pulvis Pectoralis Loſchianus.

℞. Florum Sulphuris, *drachmas tres.*
Maſtiches electæ, *drachmas duas.*
Myrrhæ rubræ, *drachmam unam.*
Aloës Socotorinæ,
Croci Auſtriac. *ana drach. ſemis.*
Sacchari candi albi, *uncias ſex.*
Miſc. Fiat pulv. ad pituitoſos acres pectoris affectus.

Pulvis Pectoralis Paris.

Vid. ſupra ſuo loco

Loch Siccum.

Pulvis Pectoralis Reſolvens.

Diſp. Vienn.

℞. Radicis Aronis,
Ireos Florentinæ,
Antimonii diaphoret.
Florum Sulphuris,
Cinnabaris nativæ,
Oculor. Cancror. *ana uncias quatuor.*
Miſc. omnia exacte pulveriſata.

Pulvis Pleuriticus.

Pharm. Aug. ren. Prag. Wirt. Brand. Argent. Ratisbon. Vienn Hamb.

℞. Mandibularum lucii piſcis,
Dentium apri, ſine igne præparatorum,
Lapidum percarum,
Talorum leporum, *ana unciam ſemis.*
Oculorum cancrorum præparatorum, *unciam unam.*
Seminis Cardui benedicti, *dr. duas.*
Miſce, fiat pulvis.

Qui vero parum prodeſt in pleuritide: & fere lepores ſunt, ut ita dicam, qui talis leperum in pleuritide confidunt, vid. CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 589. & SCHULZ. Prael. *pag.* 260. & *ſupra, Part. I. ad* Leporum Talos, *dicta.*

Pulvis Pleuriticus Alius Secundum Mynſichtum.

Armament. Med. Chym. pag. 128.
Diſp. Prag. Wirt. Batean. pag. 133.

℞. Florum Sulphuris, *unciam ſemis.*
Dentium Apri,
Mandibularum lucii piſcis, *ana unciam unam.*
Florum papaveris, *unciam ſemis.*
Miſce, fiat pulvis.

Pleuriticis offeruntur ex aqua Cardui benedicti, Florum Chamomillæ, item papav. rhocad. vel alia diapnoica, & ad miraculum poſteriorem nonnunquam, brevi tempore, dolores mitigaſſe, compertum eſt. vid. huc inprimis SCHULZ. Prael. *pag.* 260. *ſq.* & Commerc. litt. med. Nor. *An.* 1734. *pag.* 316. & *pag.* 370. & *Ann.* 1735. *p* 432. *Dari etiam in aliis affectibus inflammatoriis poſſunt.*

Hic quidem pulvis melior non nihil & efficacior eſt præcedenti: merito proinde laudantibus illum Viris illuſt. Hugone *atque* WERLHOFIO, *in* Commerc. Med. Nor. *citato, pag.* 316. *interim tamen vero majora ſunt, quæ ibi ſcribit ipſe* Mynſichtus: *Curat, non ſine adſtantium ſtupore, pleuritidem, omnes putrefactiones, apoſtemata, &c. Efficacius Remedium non datur, quo ſæpiſſime ipſe ſum uſus, & ſemper, poſt Dei providentiam, integræ ſanitati reſtitutus. Sed vera profecto & acuta pleuritis haud tum fuit, ſi per hunc quidem levem & obtuſum quaſi pulverem, expugnata fuerit; aliis namque atque valentioribus armis ipſi occurendum eſſe, oſtendimus, Lib. de* Pleuritide, *Cap. II. & IV. Ceterum eadem hujus pulveris antipleuritici*

Compoſitio occurrit & ceu ſtupendum Antipleuriticum, *laudatur in* Pharm. Bat. *pag*, 133. *vid.* & Species Pleuriticae, *apud* Mynſicht. *ibidem*: *quas tamen vix probo, licet placeant Vernæ, de Pleurit. Part. V. C.* 7. *pag.* 133. & JUNGKEN. Pharm. Univ. *pag.* 890.

Doſis utriuſque ſcrupulus unus, vel drachma ſemis, uſque ad dr. unam.

Pulvis Pleuriticus.

Frid. HOFFMANNI.

Med. Rat. Syſtem. Tom. IV. p. 434.

℞. Antimonii diaphoretici, ſive etiam
Ceruſſæ Antimonii,
Lapidum Cancrorum,
Mandibul. Lucii Piſcis,
Dentis Hippopotami,
Solut. Oculor. Cancr. *ana dr. unam.*
Nitri puri, *drachmas duas.*
Cinnabaris, *ſcrupulum unum.*
Camphoræ puræ, *ſcrupulum ſemis.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, pulvis, *cujus doſis eſt drachma ſemis.*

His belle compoſitus pulvis egregii eſt uſus, in ſæva pleuritide, item & peripnevmonia, quod ſæpius ipſi læti experti fuimus. Camphora autem tum demum adjicitur, quando pleuritis epidemica mali moris, graſſatur, ut bene monet ipſe ill. Hoffmannus: *Sed nec in alia vulgari & benigniore, ut ita dicam, pleuritide, parca ipſius doſis nocet; quin potius egregie prodeſt. Conf.* Libellus noſter de pleuritide, *Cap. V. pag.* 87. & *ill.* WERLHOF. *in* Commerc. litt. Med. Nor. *An.* 1734. *pag.* 260. & *pag.* 370.

Pulvis Pleuriticus Ludovici.

Pharm. Diſſert. I. pag 226. & JUNGKEN, *Prax. Med. pag.* 877.

℞. Florum Sulphuris,
Sanguinis Hirci rite præparat. *ana drachm. unam.*

Oſſ. Capitis Lucii piſc. *drachm. duas.*

Miſc. Fiat lege Artis, pulvis, *cujus doſis a drachma ſemis, ad ſcrupulos duos.*

Summum habetur Antipleuriticum, a Cl. Auctore, quod equidem miror.

Sed habetur ſæpius, quam re ipſa eſt, ut aliquoties olim experti fuimus. Interim tamen innoxium plane eſt Remedium, adeo, ut, ſi parum forſan interdum proſit; tamen nihil quidquam noceat.

Pulvis Pleuriticus Muſitans.

Tabul. Smaragd. pag. 339.

℞. Sanguinis Hirci, *drachm. duas ſemis.*
Pulveris de Virga Cervi, *dr. unam.*
Oculorum Cancri, *drachm. un. ſemis.*
Lapidis Prunellae, *ſcrupul. quatuor.*
Sulphuris Citrini, *drachmam ſemis.*
Florum Papaver. Moead. *dr. unam.*
Antimonii diaphoret. *ſcrupulos duos.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem, pulvis ſubtiliſſimus.

Non minor aut deterior uſu eſt priore, hic pulvis, quoniam ex iiſdem pæne ingredientibus præcipuis conſtat. Interim tamen ex utroque rectius omittatur ſordidus ille Hirci olidi ſanguis, & ſalax Cervi vivacis Virga; & ille quidem reddatur lanionibus; hæc vero Venatoribus: quoniam ad Medicinam haud pertinent, Vid. Libell. noſter de Pleuritide, *Cap. II. pag.* 19 & *C. III. pag.* 48. *item* VERNA, *de* Pleuritide, *Part. V Cap.* 5. *pag.* 126. & *Cap.* 7. *p.* 132. & CHESNEAU, Obſ. Med. *Lib. II. Cap.* 3. *pag.* 164. *item ill.* van SWIETEN, Comment. *in* Aphoriſ. BOERHAAV. *Tom III. pag.* 39. *Conf. infra dicta*, *ad* Sanguinem Hirci praeparatum.

Sed plures ſimiles pulveres antipleuriticos, ſanguine hircino fœcundos, niſi rectius fædos, ex Zwelffero, Screta, Cnœffelio, Lemery, *atque aliis, diligenter collectos, exhibet* JUNGKEN. Corp. Pharm. univ. *pag.* 888. *ſeqq. Ceterum maximopere miror, qui ipſe* Ludovici, *prudentiſſimus alioquin & perſpicaciſſimus Auctor, Helmontium forſan aliquanto incautius ſequutus, tantam huic ſuo pulveri, ob adjectum præcipue potentiſſimum ſcil. Hirci ſanguinem, efficaciam tribuere potuerit, ut per eum, ſævam pleuritidem, ſine omni Venæ ſectione, expugnari poſſe, confidentur nimis aſſereret. Sed non ego credulus illi.*

Pulvis Pleuriticus,

Tim. a GÜLDENKLEE, pag. 423.

℞. Raſuræ dentis Apri, *unciam ſemis.*
Mandibul. Lucii piſc. præp.
Talcol. Leporis præp.
Lapid. percar. præp.
Cornu Cerv. absque Igne calc. *ana drach. duas.*

Miſceantur: Fiat lege Artis Pulvis.

Hic certe pulvis nunquam nocebit, ſat ſcio, in pleuritide, nec in morbo alio: An vero unquam juvabit, aut opis quidquam præſtabit, de eo equidem vehementer dubito. Levia enim nimis & obtuſa ſunt iſta arma, quæ ad atrociſſimam pleuritidem debellandam, fruſtra, me quidem, immo ipſa Experientia judice, petuntur, a ſordidis apris, frigidis luciis ac percis, & demum a timidis ac fugacibus Cervis atque leporibus: ut dudum, poſt Boerhaavium, Swietenium, Sydenhamum, Vernam, *alioſque, candide monuimus, in* Libello noſtro, de pleuritide.

Pulvis Pleuriticus Williſii.

Pharm. Rat. Part. II. Sect. I. Cap. 9. pag. 109.

℞. Pulv. Oculorum Cancri, *dr. duas.*
Salis Prunellæ, *drachm. unam ſemis.*
Florum papav Rhœad. *drach. ſemis.*

Miſceantur: Fiat pulvis; *Doſis drachma ſemis, ter, aut quater, in die, cum vehiculo idoneo.*

Innocentiſſimus & blandiſſimus hic quidem Pulvis eſt, adeo, ut ſine omni metu, ſæpius, de die, exhiberi poſſit. Sed ſi quis in ſæva pleuritide, præſidii aut levamenti quid ex ejus uſu, magni Viri auctoritate inductus, expectaverit; næ is ſpe ſua nimis benigna haud dubie prorſus excidet. Ceterum mox ibidem, alium pulverem pleuriticum majoris, ut putat, virtutis, proponit; qui tamen, mea certe opinione, in majus diſcrimen ac periculum facile conjicere poteſt miſeros ægrotantes. Compoſitus enim eſt ex Bezoardico minerali, & Sale Volatili Cornu Cervi: quorum uſum, ceu ſuſpectum & damnoſum, in pleuritide curanda, merito plane interdiximus, in dicto Libello, *de* pleuritide, *Cap. III. pag.* 44. *& paſſim in ſeqq. Ex hac igitur ratione hunc pulverem hic potius indicavimus; ad cavendum; quam deſcripſimus, ad imitandum.*

Pulvis Polychreſtus,

Vid. ſupra

Magiſterium Vitrioli Martis.

Pulvis pro Potu Febrilis.

Diſp. Vienn.

℞. Cornu Cervi uſti.
Oculorum Cancror. præparator.
Elæoſacchari Citri, *ana uncias ſex.*
Nitri Antimoniati, *uncias tres.*

Miſceantur pro uſu, qui triplex eſt, ut nempe in omnibus Febribus, æſtum temperet, ſitim ſedet, & acrimoniam denique demulceat: ſed & urinam & ſudorem movet.

Pulvis Præcipitans.

Diſpenſ. Vienn. Hamb.

℞. Cornu Cervi philoſoph. præparati.
Oculorum Cancrorum, *ana uncias duas.*
Nitri depurati, *unciam unam.*

Miſceantur, in Pulverem probe reducta.

Uſus ſunt iidem, ad acidum nempe obtundendum & temperandum.

Pulvis Præcipitans Bilgeri.

℞. Teſtar. Ovor. Calcinatarum.
Lapidum Cancrorum.
Chelar. Cancr. marinor.
Cornu Cervi uſti.
Matris perlar. præparat. *ana unciam ſemis.*
Magiſterii Succini.
Macer. *ana ſcrupul. unum.*

Miſc. Fiat Pulvis, cujus doſis ſcrupuli duo, in apto Vehiculo. Conf. ſupra pulveres *abſorbentes* & *antacidi*, & infra *Temperantes.*

Pulvis Præcipitans Stahlii.

Diſp. Brand. Wirt. Ratisb.

℞. Concharum marinarum praeparatarum.
Matris perlarum præparatæ.
Cornu cervi uſti præparati.
Oculorum cancrorum præparatorum, *ana unciam ſemis.*
Antimonii diaphoretici, *dr. unam.*
Cinnabaris nativæ præparatæ, *drachmam ſemis.*

Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Eſt abſorbens & conducit illis, quibus ventriculus acido oneratus eſt; loco temperantis pulveris, etiam præſcribitur illis, qui ſalia & nitrum ferre nequeunt. Vid. SCHULZ. *p.* 261. & CARTHEUSER. Pharm. *p.* 589.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Pulvis Præparans Gaddani, ex Welſchio.

℞. Fol. Sennae mund. *drachm. tres.*
Semin. Aniſi.
Fœnic. *ana drachm. ſemis.*
Cinnamom. acut. *ſcrup. unum.*
Sacchari roſat. *drachm. ſex.*
Crem. Tart. *ad pond. omn.*

Miſc. Fiat Pulvis, *dandus in Alvi conſtipatione, a Catarrhis orta, mane & veſperi.*

Pulvis Pretioſus Albus.

Diſp. Vienn.

℞. Magiſterii Margaritarum.
Coralliorum rubrorum.
alborum.
Hyacinthi.
Smaragdi.
Raſurae Eboris.
Ungulae Alcis.
Oculorum Cancr. *ana drach. duas.*
Cornu Cervi philoſophici, *dr. ſex.*

Miſceantur bene pulveriſata: dein addantur.

Foliorum Auri, *No. triginta.*

Poteſt quoque hic pulvis ex præparatis, ſine Magiſteriis, parari: immo etiam ſine illis triginta Auri foliis, quod ego addo: Sed quomodo tum tuebitur hic pulvis Nomen illud pretioſi? *Verum ſalva adhuc res eſt. Super ſunt enim Gem-*

mæ & Margaritæ, quæ omnia pretioſa ſunt, ſed uſu potius politico & civili, quam medico, aut phyſico. Ceterum hujus quidem pulveris Vires perhibentur cordiales, diaphoreticæ, cephalicæ, & anodynæ. Plurimum vero hæc ipſa Compoſitio convenit cum Pulv. Marchionis, & pro Infantibus recens natis: *quos vide ſupra.*

Pulvis Puerorum Communis.

Diſpenſ. Brand.

℞. Radicum Iridis Florentinae.
Paeoniae.
Scorzonerae, *ana uncias duas.*
Seminis Paeoniae decorticati, *unciam ſemis.*
Croci optimi, *drachm. duas.*
Sacchari Candi, *uncias quatuor.*

Miſce, in Pulverem tenuiſſimum comminuta.

Conſtat ex reſolventibus, antiſpaſmodicis & diapnoicis, cum ſacchari plus, quam triplo, junctis. In oppletione pectoris, præcipue valebit. Paullo majore Quantitate blandum vomitum excitare poteſt. Doſis cultelli apice excipitur. Hactenus Cl. Schulzius Prælect. *p.* 261.

Pulvis Puerorum Completus Dictus.

Diſpenſ. Brandenb.

℞. Radicum Irid. Florentinae praeparatarum.
Pæoniæ maris, juſto tempore collect. & præp. *ana uncias duas.*
Cornu Cervi praeparati.
Seminis paeoniae excorticati.
Smaragdorum praeparat. *ana dr. duas.*
Succini albi praeparati.
Ungulae Alcis praeparatae, *ana ſcrup. quatuor.*
Myrrhae electae, *ſcrupul. duos.*
Sacchari Penidii, *uncias quatuor.*
Foliorum Auri, *No. decem.*

Miſceantur omnia exacte: Fiatque inde Pulvis.

Habet pleraque, quæ in communi dicto, jam ſupra aderant; ſed accedunt hic aliqua antepileptica & abſorbentia. Sacchari plus, quam dimidium habet; quare paullo largior eſſe Doſis debebit. Ita Schulzius, Praelect. *p.* 262. *Ceterum hunc ipſum pulverem cum ſuperiore, pro Infantibus recens natis, item cum Pulv. March. & pretioſo albo Viennenſ. maximam quidem partem, convenire, protinus patebit comparationem inter iſtos pulveres diligenter inſtituenti.*

Pulvis Puerorum, Fulleri.

Pharm. extemp. p. 331.

℞. Oculorum Cancror. ſubtiliſſime laevigatorum.
Sacchari Candi albiſſimi.
Calomelanos, *ana grana quinque.*
Reſinae Jalappae, *grana octo.*
Olei Aniſi, *guttam unam.*

Omnia ſimul optime conterantur, ut fiat Pulvis, ad alvum laxandam & vermes pellendos. Conf. infra, ejusdem *Fulleri Pulvis contra Vermes*; & vid. ibi notata.

Pulvis Puerperarum.

Diſpenſ. Brand.

℞. Pulv. Mulierum (ſupra ex Diſpenſ. Brand.) deſcripti, *drachm. ſex.*
Baccarum Lauri.
Foliorum Meliſſæ.
Radicum pimpinellæ, *ana dr. duas.*
Cinnamomi acuti.
Oculorum Cancr. præparatorum.

Succini albi, præparati. *ana drachm. unam.*

Miſceantur: Fiat inde pulvis ſubtiliſſimus.

Partim Lochiis morantibus promovendis, partim etiam doloribus poſt partum, blande componendis, proficuus. Non male igitur offeretur puerperæ languenti, & aliqua Valetudinis parte deficienti, &c. Dandus eſt ad drachmam dimidiam, ex *juſculo. Hæc* SCHULZ. *pag.* 262.

Pulvis Purificans.

Diſpenſ. Brand.

℞. Florum Sulphuris ſimplicium, *uncias duas.*

Antimonii diaphoret. non edulc. *unciam unam ſemis.*

Pulv. Radic. Ariſtolochiae rotund. *unciam unam.*

Myrrhæ rubræ ſelectæ, *unciam ſemis.*

Miſceantur: Fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Qui illis inprimis adhibetur, qui ſcabie, aliisque fœdis ulceribus obſeſſi ſunt, per inſenſibilis tranſpirationis auctiorem ſucceſſum, ſanandis. Non parum juvatur effectus, additis bonis infuſis, vel decoctis. In ſcrupulo uno habemus quatuor grana ſulphuris. Hæc. SCHULZIUS *bene*, Prælect. *pag.* 262.

Pulvis Purificans Boerhaave.

Mat. Med. pag. 178.

℞. Pulv. Foliorum Siccator. Scordii, *uncias duas.*

Vitrioli albi, *drachmas ſex.*

Aloës, *drachmam unam.*

Miſceantur: Fiat pulvis, pro uſu externo.

Aperto nempe Bubonum Venereorum ulceri, ſed deterſo prius, inſpergendus ſenſim eſt hic ipſe Pulvis, ad depurandum ſcilicet ac mundificandum id ipſum tetrum ulcus, perquam utilis ac commodus.

Pulvis Purificans & Salivans.

NICOL. *de Form. p.* 177.

℞. Millepedarum præparatarum, *ſcrup. ſemis.*

Mercurii dulcis rite præparati, *grana tria.*

Miſceantur probe: Fiat Pulvis, *de cujus ſalutari uſu & effectu, vid.* commerc. litt. med Norimb. *Anno* 1731. *pag.* 412. *item* Acta Phyſ. Med. Nat. Cur. *Vol. I. pag.* 58. & *ipſum* Nicol. *pag.* 178.

Pulvis Purificans Stahlii.

Diſpenſ. Brand.

℞. Teſtarum Conchar. ſine Igne praeparatar. *drachmas duas.*

Mercurii dulcis optimi, *dr. unam.*

Miſceantur optime in Pulverem.

Eidem ſcopo deſtinatus eſt, & pulcre ſatisfacit. Non enim ſolum excretoria aperit; Verum etiam ipſam lympham ſpiſſam fundit, & quæ indurata & calloſa ſunt, ad fluxilitatem & mollitiem reducit. Quare continuato uſu, & adjunctis commode humectantibus & diluentibus, pertinacia ac gravia mala vincere hoc pacto licet. Datur ſcrupulus dimidius. *Iterum* SCHULZIUS, *pag.* 263. *ubi & ſingulare antiquorum & inſanabilium ulcerum pedum, ſolo hoc pulvere, ſine externa ope, ſanatorum, exemplum, notatu certe digniſſimum ſimul refert, ceu teſtis* αὐτόπτης.

Pulvis Purpureus Anglicus.

Pharm. Bat. p. 91. Wirt.

℞. Cornu cervi ſine igne præparati.
Succini albi.
Coralliorum rubrorum.
Matris perlarum, *ana unciam unam.*
Oculorum cancrorum.
Chelarum cancrorum, *ana unc. duas.*
Croci *ſcrupulum ſemis.*
Coccionellæ, *ſcrupulos duos.*

Coccionella & crocus, aceto vel ſucco citri trita, reliquis præparatis, vel in pulverem ſubtliſſimum tritis, admiſceatur.

Laudatur in variolis & morbillis.

Doſis ſcrupulus unus vel drachma ſemis.

Pulvis Reſolvens Compoſitus Stahlii.

Diſpenſ. Brand. Wirt.

℞. Pulveris ſequentis reſolventis, *uncias tres.*
Extracti chacarillæ, *unciam unam.*
Miſce.

In morbis pectoris, peripnevmonia pleuritide, egregias reſolvendi vires poſſidet; ſic etiam in diarrhœis febrium acutarum & dyſenteria omnibus aliis palmam pæripit. vid. Schulz. *p.* 263.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis & ultra.

Pulvis Reſolvens Stahlii.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Concharum ſine igne præparatarum.
Antimonii diaphoretici.
Nitri crudi puriſſimi, *ana unc. duas.*
Miſce, fiat pulvis.

Conducit ad humores lenteſcentes reſolvendos, in ipſis febribus. vid. Schulz. *p.* 236.

Pulvis Saxonicus, Secundum Lobelium.

ſeu

Antidotus Moibanica

Geoffroy *Mat. Med. Tom. III. pag.* 559.

Diſpenſ. Norimberg. Lond.

℞. Radicum, Angelicæ domeſticæ.
Silveſtris.
Vincetoxici.
Valerianæ domeſticæ.
Polypodii querni.
Althææ.
Urticæ, *ana drachmas quatuor.*
Corticis Mezerei German. *dr. duas.*
Grana Herbæ Paridis, *No. viginti quatuor.*
Folia ejusdem cum toto, *No. triginta ſex.*

Ex maceratis in Aceto, Radicibus, & ſiccatis, fiat omnium pulvis, *doſis drach.* 2.

Qui ubi accurate præparatus fuit; tum plane abjiciatur; aut certe peſtifera illa Grana paridis, una cum Foliis, cum toto, & Cortice quoque Mezerei, ex illo prius abjiciantur, quam in uſum tuto & ſalutariter vocari poſſit. Tribuit quidem ipſe Lobelius, *in Adverſariis, miram atque inſignem plane Virtutem alexipharmacam & antitoxicam huic pulveri, & potiſſimum iſtis foliis ac granis Paridis, in illo comprehenſis, quam & exemplo duorum Canum, etiam poſt ingeſtam largiorem acerrimorum venenorum, nempe Arſenici & Mercurii ſublimati, quantitatem, hujus medicamenti beneficio, ſer-*

vatorum, luculentius ibi probare adnititur. Verum præjudicio abreptus, fallaciam non cauſſæ, ut cauſſæ, commiſiſſe hic videtur. Quod ſi enim verum fuerit, hunc ipſum pulverem miſeros iſtos canes ab interitu vindicaſſe; iſta profecto Virtus alexipharmaca tum non tribuenda erat abominatis illis Herbæ Paridis foliis & ſeminibus; ſed potius adjectis reliquis Radicibus alexeteriis præſtantiſſimis & contra dira venena, efficaciſſimis, nempe Angelicæ utrique, Valerianæ, Vincetoxico & reliquis, quarum innata generoſa virtute, demum effectum fuit, ut non ſolum Arſenici & Mercurii ſublimati ſævæ nocendi vires infringerentur, ſed & ipſum granorum Herbæ Paridis Venenum, propter adjectam nempe illarum Radicum Antidoton, tanto minus ſævire poſſet. Hunc igitur Pulverem Saxonicum, *tam auguſto nomine vix dignum, ſi nempe in illo retineatur tota illa venenata Paridis herba, alias enim ille uſu ſuo egregio, ut dixi haud caret, hic non tam ad imitandum, propoſuimus; quam potius, ad vetandum & vitandum. Conf. ſupra dicta ad* Paridis Baccas, *& infra dicenda, ad* Tincturam Bezoardicam Wedelii. *vid. & inprimis Caſp.* HOFMANN. *de* Med. Offic. *Lib. II. Cap.* 162. *pag.* 402. *& maxime* ZORNII Botanol. Med. *pag.* 504. *Add.* LUDOVICI Pharm. *Diſſ. I. pag.* 205.

Ceterum varias ejusdem Pulveris deſcriptiones exhibuit olim MOIBANUS, *ad* Parabilia Dioſcoridis, *Lib. II. Cap.* 143. *Vid. &* Pharmacop. Auguſtan. ZWELFERI, *pag.* 163. *& alia nonnulla antiquiora Diſpenſatoria. Item* GESNERI Epiſt. Med. *Lib. III. p.* 118. *b. & p.* 120. *ubi hanc Antidoton Saxonicam Medicamentum vocat ſibi bona fide probatiſſimum: Conf. &* ibidem, *p.* 114. *b. item Lib. II. p.* 53. *& Lib. I. pag.* 32. *b. Sed quoniam omnes fere illius compoſitiones venenatis illis herbæ Paridis ſeminibus inquinatæ & corruptæ fuerunt; ideo, aut omnes ſunt abjiciendæ, ceu nocivæ, aut certe, ne noceant, a peſtifero illo iſtarum quidem baccarum condimento repurgandæ.*

Pulvis Scillæ Compoſitus Stahlii.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Radicis Scillæ recentis, *libram unam.*
Vincetoxici, ſive Hirundinariæ pulveriſatæ, *uncias quatuor.*

Scilla recens in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, in pultem contundenda, cui additur Vincetoxici radix ſiccata & recens pulveriſata, impaſtentur; poſtea leni calore exſiccata rurſus pulveriſentur.

Eſt hic pulvis reſolvens præſtantiſſimum in aſthmate humido, catarrho ſuffocativo, ædematibus & cachexia.

Dantur pauca grana, tria, vel quatuor, ad ſummum, quinque. *Poteſt pilulis laxantibus commode miſceri. Celeberrimum Stahlium clyſteribus etiam indidiſſe, clariſſimus* SCHULZIUS *perhibet in* Prælect. *ad* Diſpenſ. Brand. *pag.* 265. *ubi plura de Hiſtoria & virtutibus eximiis hujus Pulveris aut Stahliani, aut Helmontiani.*

Pulvis Stegnoticus Gutmanni.

Diſp. Brand. Vienn.

℞. Corallior rubror. præparat. *dr. duas.*
Lapidum Aetit. præparat. *dr. unam.*
Carneoli præp.
Hæmatit. præp.

Cornu Cerv. uſti & præparati.
Terræ Sigillat. Lemn. ver. aut Sileſ. *ana drachm. ſemis.*

Miſc. Fiat lege Artis, Pulvis ſubtiliſſimus.

Cogimur, inquit hic Cl. SCHULZIUS, Præl. *pag.* 265. *nonnunquam ad talia pervenire, impetuoſis Hæmorhagiis cum Vitæ periculo, erumpentibus. Tali Caſui hic pulvis reſervatus eſt, quem ad drachmam dimidiam, & ultra, offerre debemus, cum Succo* Polygoni, *aut Plantaginis: vel, ſi hiems ſuccos neget, cum decocto travmatico, quale ex ſucciſa, & Geranio Robertiano, utiliſſime parari poteſt. Conf. Cl.* CARTHEUSER. Pharmacol. *pag.* 591. *qui ſimul prudenter monet, Acido præſente, ſolubiliorem fore hunc ipſum pulverem, ſi ætites & Carneolus prorſus exularent; quæ & noſtra eſt ſententia.*

Ceterum alium Pulverem Stegnoticum Waldſchmidii, pro externo uſu, deſcriptum habes in Tabul. Smaragd. *pag.* 345. *Cujus tamen ipſe non meminit in Opp. p.* 481. *ubi de immoderata Narium Hæmorrhagia tractat. Sed forſe ab ipſius filio fuerit, qui etiam varia ſcripta medica & diſſertationes edidit.*

Pulvis Sternutatorius.

Diſpenſ. Wirt. Hamburg. &c.

℞. Radicis Liquiritiæ, *drachm. tres.*
Ellebori albi, *drachm duas.*
Herbarum Majoranæ.
Baſilici.
Foliorum Nicotianæ.
Florum Lavendulæ.
Liliorum convallium, *ana uniam ſemis.*
Cinnamomi, *drachm. tres.*
Styracis, *drachm. duas.*

Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, cui adde.
Olei deſtill. Lavendulæ.
Lignii Rhodii, *ana guttas duodecim.*
Caryophyllorum, *guttas octo.*
Sacchari albi, *unciam unam.*
Coloris cœrulei Indici, *dr. ſemis.*
Moſchi, in aqua Roſarum ſoluti. *grana quinque.*

Uſus omnibus notiſſimus: Sed tamen nec Elleborus albus adjectus hic placet, nec Moſchus: Ille enim Capiti & nervis obeſt, hic vero fœminis, præſertim hyſtericis, quæ Moſchum, ut notum, ferre haud poſſunt.

Pulvis Sternutatorius.

Diſpenſ. Lond.

℞. Foliorum Siccatorum Aſari.
Majoranæ.
Mari Syriaci.
Florum ſiccatorum Lavendulæ.
Singulorum pondera æqualia.

Omnia ſimul in pulverem ſubtiliſſimum conterantur.

Pulvis Sternutatoris.

Diſpenſ. Paris.

℞. Folior. ſiccator. Majoranæ.
Betonicæ, *ana drach. duas.*
Pulegii.
Nerii.
Radicis Ireos Florentinæ.
Fructuum Hippocaſtani ſiccatorum, recens Scobina deraſor. *ana drachm. unam.*
Radicis Hellebori albi.
Florum Lilii Convall. *ana dr. ſemis.*

Fiat lege Artis, omnium pulvis.

* *

Pulvis Sternutatorius Albus, *ſive* Elæoſaccharum Cephalicum Camerarii.

Diſp. Wirt. in reliquis deficit.

℞. Olei deſtill. Majoranæ.
Caryophyllorum.
Ligni Rhodii, *ana guttas tres.*
Cinnamomi.
Citri.
Fœniculi.
Lavendulæ, *ana guttas duas.*
Moſchi, *grana tria.*
Sacchari albiſſimi, *uncias tres ſemis.*

Miſceantur exactiſſime, & in vitro ſerventur. Convenit cum Pulv. ſternutat. *Kellneri, Pharmacop. Norimberg.* deſcript. in *Tab. Smaragd. p.* 346.

Uſus eſt ſequentis. *Excepto colore cœruleo ex Indig.*

Pulvis Sternutatorius Albus. *vel* Elæoſaccharum Cephalicum Gmelini.

Dipenſ. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Sacchari albiſſimi, *uncias duodecim.*
Ambræ griſeæ.
Moſchi, *ana ſcrupul. ſemis.*
Olei deſtill. Cinnamomi.
Caryophyllorum, *ana guttas quindecim.*
Aniſi.
Anthos.
Lavendulæ.
Majoranæ, *ana drachm. ſemis.*
Ligni Rhodii.
Succini, *ana ſcrupul. unum.*

Ambra diſſolvitur in oleis; Moſchus vero in parva quantitate aquæ roſarum, quæ poſtea ſaccharo commiſcentur.

Non ſolum naribus, loco pulveris ſternutatorii, attrahi poteſt, ſed etiam in affectibus ſpasmodicis ac paralyticis linguæ adhiberi.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Pulvis Sternutatorius Bierlingii.

Append. Medicam. pag. 118.

℞. Tabaci optimi, *uncias duas.*
Majoranæ, *drachmas tres.*
Folior. Roſarum, *drachm. duas.*
Semin. Nigellæ.
Flor. Lavendulæ.
Lilior. Convall. *ana dr. unam ſemis.*
Radic. Pyrethri.
Ellebori albi, *ana drachm. unam.*
Oleor. deſtill. Caryophyllor.
Cinnamom. *ana guttas decem.*
Ligni Rhod. *guttas viginti.*
Citri, *guttas octo.*
Moſchi opt.
Ambræ elect. cum Spir. Roſ. ſol. *ana grana ſex.*

Miſceantur: Fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Pulvis Sternutatorius.

Cel. GAUB. *de Form. Med. pag.* 391.

℞. Folior. Siccat. Nicotianæ, *unc. ſemis.*
Majoranæ.
Mari Syriaci.
Florum Lavendulæ.
Lilior. Convall. *ana dr. duas.*
Radicis Pyrethri pulver. *dr. unam.*
Olei ſtillat. Caryophyllor. *guttas quatuor.*

Miſceantur: Fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Attrahatur, neceſſitate jubente, Naribus tantillum, tempore matutino, ut ſternutatis excitetur.

Pulvis Sternutatorius Junckeri.

Conſpect. Formul. p. 23.

℞. Pulv. Ligni Aloës, *drachm. unam.*
Tabac. opt.
Succin.
Sacch opt.
Caſtor. *ana drachm, unam ſemis.*
Olei deſt. Ligni Rhodii, *gut. duodec.*
Miſc. Fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Conf. ſupra Pulv. Stern. c. Caſt.

Pulvis Sternutatorius cum Moſcho & Ambra.

Diſpenſ. Brand.

℞. Foliorum Nicotianæ Virgin. *unciam unam.*
Florum Lilior. Convall. ſiccat. *drachmas duas.*
Ambræ gryſeæ.
Moſchi Alexandrini, *ana grana ſex.*
Olei Ligni Rhodii, *guttas quinque.*
Miſce, fiat lege Artis, pulvis.

Præter ſternutatorium uſum, inquit hic Cl. SCHULZIUS *pag. 266. Cui ſatis bonus eſt, odoris quoque jucunditate, illis, qui talia ferre poſſunt, optime ſeſe commendabit: Modo Medicus caveat a talibus elegantiis, ubi ad fœminas hyſtericas abit: & in genere, apud puerperas, odores non afferat, quum mihi nota ſit mulier honeſta, quæ, quum nunquam antea offenſa fuiſſet ſuaveolentibus, in periculoſam ſyncopen ſtrangulatoriam incidebat ad Medicinæ odoratæ oblationem, etiam a longinquo diſtantem. Hæc ille; quæ digna omnino ſunt, quæ memori mente ſerventur. Conf. ſupra dicta ad* Pulv. Stern. rubr. *& alibi.*

Pulvis Sternutatorius. Noerdling.

Tabul. Smaragd.

℞. Florum Roſarum rubrarum.
Liliorum Convall.
Betonicæ.
Anthos.
Salviæ, *ana pugillos duos.*
Storacis Calamit.
Benzoës, *ana drachm. unam ſemis.*
Seminis Nigellæ, *drachmam unam.*
Foliorum Tabaci, *uncias ſex.*
Oleorum deſtill. Majoranæ.
Caryophyllor.
Anthos.
Ligni Rhod. *ana gutt. quatuor.*
Moſchi, in prædict. oleo ſoluti, *grana duo.*
Miſceantur: Fiat ſecundum Artem, Pulvis.

Pulvis Sternutatorius Nopſii.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deſideratur.

R. Radicum Caryophyllatæ.
Iridis Florentinæ, *ana ſcrup. duos.*
Radicum Ellebori nigri, *ſcrup. unum.*
Herbæ Baſilici, *ſcrupulos octo.*
Betonicæ.
Rorismarini, *ana drachm. unam.*
Salviae hortenſis, *drachm. duas.*
Florum Anthos.
Betonicae.
Salviae, *ana ſcrupul. unum.*
Lavendulae, *ſcrupul. quatuor.*
Liliorum convallium, *drach. tres.*
Roſarum rubrarum, *ſcrup. ſeptem.*
Seminis Aniſi.

Erucae, *ana ſcrup. quinque.*
Pæoniae, *ſcrupulos duos.*
Caryophyllorum aromaticorum, *drachm. ſex.*
Cubebarum, *drachmas tres.*
Cardamomi minoris, *drachm. unam.*
Miſceantur, & fiat omnium pulvis tenerrimus, addantur
Succini albi praeparati, *ſcrupuli quatuor.*
Olei deſtill. Caryophyllorum.
Majoranae.
Aniſi, *ana guttæ decem.*
Moſchi grana ſedecim.

A longo tempore in Wirtemberg. officinis in uſu eſt. Vires ex nomine patent.

Pulvis Sternutatorius Norimberg.

Diſpenſat. Nxrimb.

℞. Herbarum pulegii.
Majoranae.
Rorismarini.
Salviae, *ana unc. unam ſemis.*
Nicotianae.
Radicis Ellebori albi ſelecti.
Seminis Nigellae, *ana unciam unam.*
Moſchi, *grana quinque.*

Miſce: Fiat lege Artis, Pulvis: *Qui tamen uſu & effectu haud inferior eſſet, etiamſi Elleborus albus plane omiſſus aut certe longe modeſtiore & humaniore doſi, adjectus fuiſſet. Conf. infra* Species Diatabaci Mynſichti.

Pulvis Sternutatorius Noſter, Triller.

℞. Herbarum Majoranae.
Betonicae.
Pulegii.
Baſilici.
Mari Veri, *ana drachm. duas.*
Florum Lilii Convall.
Tunicae.
Lavendulae.
Anthos.
Roſar. rubr. *ana drachm. unam.*
Foliorum Aſari, *dr. ſemis ad unam.*
Caſtorei optimi, *drachm. tres.*
Sacchari Canar. albiſſ *drachmas ſex, ad unciam unam.*

Miſc. Fiat lege Artis, pulvis ſubtiliſſimus.

Pulvis hic noſter Sternutatorius, Cephalicus, nobis jam, per annos plus minus quadraginta, familiariter uſitatus, & cum nobismetipſis, tum quam plurimis aliis, ſemper fere optatiſſimo cum ſucceſſu, adhibitus, inſignibus prorſus virtutibus pollet, quod gratiſſima in Deum ipſum, pietate, publice hic fateri par eſt, in capite debili & infirmo roborando, ſenſibus acuendis, memoria male firma maleque fida, validius firmanda, immo & amiſſa, reſtituenda, item Vertigine profliganda, hebeſcentibus oculis denuo illuminandis, acerbis capitis doloribus mitigandis, aliisque pluribus ipſius malis, a lenta & pertinacius hærente pituita, præſertim abortis, ſanandis & abigendis. Non autem Viris ſolum tot egregia emolumenta præſtat; ſed etiam ſexui ſequiori ac venuſtiori non minora commoda ſpondet. Propter ipſum enim Caſtoreum, larga quidem doſi, herbis floribusque cephalicis ac nervinis, hic adjectum, dici vix poteſt, quam præſentiſſimum quaſi adferat auxilium, in ſedandis vehementioribus uteri commoti turbis, ſive, ut vulgo dicuntur, paſſionibus & ſuffocationibus hyſtericis. Hinc ergo mihi, in diverſis principium aulis, olim multæ notæ fuerunt Matronæ illuſtriſſimæ, quæ in publicum prodire vix auderent, niſi prius hunc ipſum pulverem ſternutato-

rium noſtrum, vel aurea, vel gemmata, vel teſtudinea Theca incluſum, cuſtodiæ quaſi & prophylaxeos cauſſa, ſecum aſſumſiſſent.

Pulvis Sternutatorius Ruber.

Tabul. Smaragd. pag. 348.

℞. Florum Balauſt. ſelect. *unc. ſemis.*
Tunic. elect. *drachm duas.*
Lilior. Convall. *ſcrupul. unum.*
Radicis Ireos Florentinæ, *dr. ſemis.*
Olei Ligni Rhodii, *ſcrup. unum.*
Cinnamomi, *guttas tres.*
Zibeth. *grana duo.*
Moſchi, *granum unum.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, pulvis *mediocriter ſubtilis, & mediocris etiam uſus: præſertim apud Fœminas.*

Pulvis Sternutatorius Ruber.

JUNCKER. *Conſpect. Form. Med. pag.* 23.

℞. Florum Tunic. exſiccat. & a peduncul. liberator. *uncias tres.*
Olei Ligni Rhodii, *guttas decem.*
Moſchi, in prædicto oleo ſoluti, *grana duo.*
Balſami cujusdam liquidi, ex. gr. Hoffmann, *drachmam unam.*

Miſc. Fiat pulvis; tingatur cum ſuffic. quant. Spiritus Vini, in colorem rubicundum.

Colore quidem rubello jucundi & odore fragranti ſuaves ſunt hi pulveres ſternutatorii; at non omnibus grati & accepti, præſertim plurimis fœminarum, quæ, ceu notum, Moſchum atque Zibethum ægre perferre poſſunt. Sed nec ipſis Viris, inprimis, quibus ſenſibiliores ſunt nervi, cerebrumque delicatius, ſemper bene conveniunt, & ſæpius Cephalalgiam ac Vertiginem aliaque mala inducunt, licet vulgo cerebrum roborare ſenſusque excitare & refocillare credantur; quod quidem pauciſſimi, & forſan ſoli phlegmatici ac pituitoſi, in ſe experiantur. Denique hi picti quaſi & odorati pulveres decent potius molles Ancillariolos & aſſiduos venuſtarum formarum ſectatores; quam quidem viros, moribus graves, & vultu ſeveros. Sed hæc obiter.

Pulvis Sternutatorius. Thom. Reineſii.

apud BIERLING. *Append. Medicament. Cap. XX. pag.* 112.

℞. Rad. Pyrethri.
Acor
Cyclam. *ana drachm ſemis.*
Nicotian. *drachm. unam.*
Aaric. trochiſc. *drachm. unam ſemis.*
Majoran. *drachm. unam.*
Caryophyllor.
Species diambr.
Diamoſch. *ana ſcrup. ſemis.*
Caſtor.
Macis, *ana grana quindecim.*
Olei deſtill. Aniſi, *guttas aliquot, q. ſ.*

Miſc. Fiat lege Artis, pulvis ſubtiliſſimus.

Acrioris eſt non nihil virtutis hæc viri magni ſcita Compoſitio, ac noſtra, modo propoſita. Inprimis vero placet, ob adjectum Caſtoreum; magis tamen adhuc placeret, ſi Species illæ diambræ & diamoſchi, delicatis præſertim Mulierculis inviſæ & moleſtæ, omiſſæ fuiſſent: Inprimis, quam ſine ullo detrimento, ſperandæ ex hoc pulvere, virtutis, tuto ac commode omitti poſſint, immo, me quidem

dem judice, omnino debeant: quod tamen pace tanti Viri manium, a me hic modeſte monitum ſit.

Pulvis Sternutatorius Variegatus.

Diſp. Wirt. Vienn.

℞. Radicum Cyperi rotundi.
Iridis Florentinæ, *ana drach. tres.*
Foliorum Nicotianæ, *drachm. ſex.*
Herbæ Majoranæ.
Florum Calendulæ.
Cyani, *ana drachm duas.*
Liliorum convallium.
Roſarum rubrarum, *ana dr. tres.*
Minutiſſime inciſis adde.
Olei Caryophyllorum.
Lavendulæ.
Ligni Rhodii, *ana guttas triginta.*

Miſce, atque pro lubitu addantur Moſchi in aqua roſarum ſoluti, *grana tria.*

Tam oculis ob colorem varium, quam naribus ob odoris ſuavitatem, gratus eſt.

Pulvis Sternutatorius Viridis.

JUNCKER. *Conſpect. Formul. p.* 22.

℞. Herbæ Majoranæ, *Manipulum unum.*
Summitatum Serpilli.
Origani, *ana Manip. ſemis.*
Florum Lilior. Convall. *pugillos duos.*
Roſarum.
Cyani, *ana pugillum unum.*
Olei deſtillat. Majoranæ, *guttas octo.*

Miſceantur: fiat Pulvis ſubtiliſſimus, tingatur ſufficienti quantitate, in colorem viridem, cum Indigo: ſi quis velit; rectius tamen omittatur.

* * *

Pulvis Sternutatorius Viridis Optimus.

Diſpenſ. Hamburg.

℞. Herbarum Majoranæ.
Betonicæ, *ana uncias quatuor.*
Radicis Ireos Florentin. *unciam unam ſemis.*
Cubebarum.
Caryophyllorum.
Florum Lavendulæ, *ana unc. unam.*

Miſce, & fiat pulvis ſubtiliſſimus, cui deinde adde:

Balſami apoplectici, *grana quindecim.*
Olei Ligni Rhodii, *drachmam ſemis.*
Caryophyllorum.
Lavendulæ, *ana guttas triginta.*
Jaſmini, *drachmas tres.*

Miſceantur omnia: Fiat pulvis viridis.

De quo idem propemodum judicium eſto, quod de Pulv. Sternut. rubr. fuit.

Ceterum alium Pulverem ſternutatorium viridem pretioſum Hamburgenſium, cum hoc ipſo tamen maximam partem, convenientem. vid. in Tabula Smaragd. *pag.* 348. *Sed meliorem his utrisque pulveris ſternutatorii viridis deſcriptionem jam* ex *Cl.* JUNCKERO *ſubjungemus.*

Pulvis Stomachicus.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Radic. Aronis præparatæ, *libr. duas.*
Arcani duplicati, *libram unam.*
Salis Abſinthii, *Libram ſemis.*
Calami aromatici, *uncias duas.*
Cinnamomi.
Caryophyllorum, *ana unc. unam ſemis.*
Macis.
Piperis longi.
Zinziberis.

Cubebarum.
Cardamomi.
Granorum paradiſi.
Zedoariæ.
Seminis Coriandri, *ana unciam unam.*

Miſceantur omnia exacte, pulveriſata.

Uſum ipſe Titulus, & ipſa magis Compoſitio illico indicat. Sed plures ejusmodi Pulveres ſtomachicos vid. apud JUNCK. Corp. Pharm. *p.* 892. *ſeqq.*

Pulvis Stomachicus Birckmanni.
ſeu Pulvis Ari Compoſitus.

Diſp. Wirt. Vienn. Brand. Argent. Ratisb. Prag. Lond. Edinb.

℞. Radicum Ari præparatarum, *uncias duas.*
Acori vulgaris.
Pimpinellæ, *ana unciam unam.*
Oculorum cancri, *unciam ſemis.*
Cinnamomi, *drachm. tres.*
Salis Abſinthii.
Juniperi, *ana drachm. unam.*

Sacchari roſati ad pondus omnium. Quod tamen etiam omitti poteſt, ut in *Diſpenſat. Vienn. Londinenſ. Edinburg.* & nonnullis aliis, factum eſt. Neque enim omnes dulcia impune ferre poſſunt.

Miſceantur, & in pulverem redigantur.

Magnis encomiis pulverem hunc laudat QUERCETANUS *in* Pharmac. *dogm. reſtitut. pag.* 312 „ *Exhibetur inquit,* „ *non tantum ad ventriculum roborandum, cui proprie convenit, ſed etiam* „ *ad capitis affectus, ad hemicranias acutiſſimas, vertiginem melancholiam hypochondriacam, cachexiam & ſimiles* „ *affectus; ad calculum etiam & febrem* „ *quartanam porrigitur, habet enim facultatem deoppilandi hepar, lienem &* „ *meſenterium, & diſſolvendi & liquefaciendi tartarum glutinoſum, qui plurimorum morborum cauſa exiſtit.* „ *Vid.* RIEDLINI Lin. Med. *Ann.* 1695. *Menſ. Septembr. Obſ.* 29. *pag.* 311. & *Ann.* 1700. *Menſ. Mart. Obſ.* 30. *pag.* 345. *ſeqq. item* Cur. Med. 668. *Cent. VII. pag.* 416. SCHULZIUS Prælect. *pag.* 266. CARTHEUSER. Pharmacol. *pag.* 591. & FREYTAG, Obſ. Med. 30. *Cent.* 1.

Doſis drachma una, ad drachmas duas, & ultra.

Pulvis ad Strumas cum Saccharo.

Diſpenſ. Wirt. Prag. Argent.

℞. Spongiarum combuſtarum.
Pilularum marinarum toſtarum, *ana uncias duas.*
Oſſium Sepiæ.
Piperis longi.
nigri.
Zinziberis.
Cinnamomi.
Salis gemmæ.
Pyrethri.
Gallarum.
Lapidum ſpongiarum, *ana unc. unam.*
Sacchari albiſſimi, *uncias quatuor.*

Pulveriſentur & miſceantur.

Ad ſtrumas & ſcrophulas abigendas, luna decreſcente, in uſum vocatur, matutino tempore, & ante ſomnum Sed in plerisque aliis diſpenſ. ſupra commemoratis, ſine Saccharo, præſcriptus deprehenditur: quod parum certe refert, ad guſtum nempe cujuscunque.

Doſis ſcrupuli duo, vel drachma una, ſi fieri poteſt, ſicca deglutienda.

Pulvis e Succino Compoſitus.

Diſp. Lond.

℞. Succini præparati.
Gummi Arabici, ſingulorum, *drachmas decem.*
Succi Hypociſtidis,
Balauſtiorum.
Terræ Japonicæ, ſingulorum, *drachmas quinque.*
Olibani, *unciam dimidiam.*
Opii Colati, *drachmam unam.*

Omnia ſimul in pulverem tenuiſſimum redigantur.

Uſus eſt adſtringens, travmaticus atque anodynus: Inde in dyſenteria, diarrhœa nimia, cum torminibus inteſtinorum conjuncta, item in largo nimis menſium fluxu, & ſimilibus affectibus, cum fructu adhiberi poteſt, ſi nempe tempeſtive, & debito cum regimine, in uſum trahitur.

Pulvis ad Suppoſitoria Communis.

Diſp. Hamb. ex Zwelf. *pag.* 155.

℞. Aloës, *drachmas duas.*
Cumini.
Salis Gemmæ.
Rutæ, *ana drachmam unam.*

Miſc. Fiat Pulvis, qui ſubigatur cum ſufficienti Quantitate Mellis, & *redigatur in glandes.*

Ad alvum pigram ſolicitandam, profuturas, exceptis tamen feminis gravidis, & iis, qui nimio Hæmorrhoidum fluxu corripiuntur. Has ipſas enim glandes, præſertim propter adjectam Aloën, hæmorrhoidas provocare, ipſi quondam experiundo, didicimus. Conf. Cel Gaub. *de* Form. Med. *pag.* 432 *& alios. Ceterum vid. infra,* Suppoſitoria Varia.

Pulvis Temperans.

Diſp. Wirt. in reliquis alia ſubſtituuntur.

℞. Lapidum cancrorum, ſubtiliſſime pulveriſatorum.
Coralliorum rubrorum præparatorum, *ana uncias duas.*
Matris Perlarum præparatæ.
Tartari vitriolati, *ana uncias quatuor.*
Nitri puriſſimi cryſtalliſati, *unc. octo.*
Cinnabaris factitiæ puriſſimæ, in alcohol redactæ, *unciam unam & drachmas duas.*

Miſce, fiat pulvis.

Variæ circumferuntur deſcriptiones hujus pulveris; omnes vero, vel plurimæ, cum hac Wirtenbergenſi, quam retinuimus, conveniunt, tam reſpectu quantitatis nitri, quam abſorbentium & cinnabaris. Nonnullæ tamen loco Tartari vitriolati, Arcanum duplicatum præſcribunt, atque coralliis & matri perlarum, antimonium diaphoreticum & conchas ſubſtituunt. Cinnabaris in his facit partem decimam quartam, in aliis decimam quintam.

Vix tamen notabilis intercedit, intuitu virium, differentia; ut quivis rerum harum intelligens facili negotio perſpiciet. Igitur miſſis aliis, hanc potius compoſitionem cum Cl. Dn. Wirtenbergenſibus, hic elegimus.

Ad ſanguinis æſtum temperandum & vitioſos humores, in primis viis, corrigendos, utiliter datur.

Doſis ſcrupulus unus, ad ſcrupulos duos.

Pulvis Temperans Helvetii.

Diſpenſ. Leod.

℞. Croci Martis rore majali præp. *uncias duas.*

Antimonii Solaris, *drachmas tres.*
Cinnabaris nativæ.
Succini pulv.
Florum Benzoini, *ana drach. duas.*
Salis Sabinæ, *drachmas tres.*
Cinnamomi.
Macis, *ana drachmam unam ſemis.*
Pulv. Radicum Bryoniæ.
Aronis, *ana unciam ſemis.*
Miſce, & ſecundum Artem pulveriſ. adde
Olei Caryophyllorum.
Fœniculi, *ana guttas triginta.*
Exactiſſime Miſceantur; & in vaſe idoneo ſervetur Pulvis ad uſum, ſed moderatum.

Pulvis Temperans Junckeri.

Conſpect. Form. Med. p. 26.

℞. Nitri depurati.
Oculorum Cancr. præparatorum.
Matris perlarum, *ana drachm. unam.*
Cinnabaris nativæ præparat. *ſcrupul. unum.*
Miſceantur: dividatur Pulvis in decem partes.

Ibidem plures aliæ ejusmodi pulverum Temperantium Formulæ occurrunt, & paſſim alibi, apud omnes Formularum medicarum ſcriptores. Vid inprimis HEINS Pharm rat. *p. 352. ſeqq Nihil enim notius, aut facilius. Quare hæ jam ſufficiant. Conf. ſupra,* pulveres abſorbentes, *&* Antacidi: *item* præcipitantes, *qui nempe eidem ſcopo inſerviunt, ut notiſſimum.*

Pulvis Temperans Pariſienſium.

Diſpenſ Pariſ.

℞. Tartari Vitriolati.
Salis Nitri puriſſimi, *ana dr. tres.*
Cinnabaris Antimonii, *ſcrupul. duos.*
Miſce probe: Fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

A quo non multum abit ſequens.

Pulvis Temperans Hoffmanni.

apud Nicolai de Form. p. 180.

℞. Tartari Vitriolati, *drachmas tres.*
Oculor. Cancr. citratorum.
Nitri depurati, *ana drachmam unam.*
Cinnabaris, *ſcrupul. unum.*
Miſceant. Fiat pulvis temperans.

Pulvis ad Tormina Infantum.

Diſpenſ. Vienn. Wirt.

℞. Pulveris epileptici Marchionis.
Radicum Iridis Florentinæ.
Liquiritiæ, *ana drachmas ſex.*
Seminum Aniſi.
Lycopodii.
Fœniculi, *ana drachmas duas.*
Croci Auſtriaci, *ſcrupul. unum.*
In pulverem trita ſerventur.

Ad infantum morbos ab acido in primis viis, flatibus, torminibus, & urinæ retentione atque ardore commendatur.

Doſis ſcrupulus ſemis, ad ſcrupulum unum.

Conf. ſupra, Pulveres pro Infantibus.

Pulvis Trium Nummorum.

Diſpenſ. Argent.

℞. Trageæ albæ.
Raſuræ Eboris, *ana libram unam.*
Croci Orientalis, *unciam ſemis.*
Miſce: Fiat Pulvis.

Ad Tormina Infantum curanda & præſervanda, adhibetur a plebe & mulierculis. Datur cuſpidatim.

Pulvis ad Tuſſim Infantum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Sacchari cand. alb. *uncias tres.*
Spec. diatragacanth. frigid.
Diaireos ſimpl. *ana unc. ſemis.*
Rad. Pæoniæ, *drachmas duas.*
Amyli.
Succi Liquirit. *ana drachm. unam.*
Lactis Sulphuris.
Croci Auſtriaci, *ana ſcrupul. duos.*
Cranii humani ſine Igne calcinat.
Semin. papav. albi, *ana ſcrup. unum.*
Miſceantur: Fiat omnium pulvis ſubtiliſſ.

Virtutes ſunt bechicæ & Tuſſis acrem ferociam demulcentes, blandamque quietem inducentes; ſed nihil ad hæc conferente deteſtabili illo Cranio humano, aut rectius inhumano.

Pulvis ad Ulcera Maligna Siccanda.

Paul. SORBAST.

℞. Cinerum Avenæ.
Pompholygos, *ana unciam unam.*
Radic. Saniculæ albæ, *unciam ſemis.*
Aluminis, *drachmam ſemis.*
Miſc. Fiat pulvis, *ulceribus ſubinde inſpergendus, præmiſſis nempe præmittendis.*

Pulvis ad Ulcera Renum Internus.

Dan. SENNERTI.

℞. Radicis Tormentillæ, *drachm. unam ſemis.*
Granorum Alkekeng. *drachm. duas.*
Spodii, *drachm. unam.*
Coralliorum rubrorum.
Equiſeti, *ana drachmas duas.*
Maſtiches.
Sanguinis Draconis, *ana drachm. unam ſemis.*
Sacchari roſati tabulati, *unc. un. ſemis.*
Miſceantur omnia probe: *Fiat pulvis, qui ſubinde exhibentur, in Aqua plantaginis, Equiſeti, aut ſimilibus; poteſt etiam hic pulvis ipſis Cibis quotidianis admiſceri.*

Conf. hic Tabul. Smaragd. *p.* 353.

Pulvis pro Ulceribus Gutturis.

Pharm. Aug.

℞. Sulphuris vivi, *uncias quatuor.*
Myrrhæ rubræ.
Aluminis ſaccharini, *ana uncias duas.*
Maſtiches.
Thuris, *ana unciam unam.*
Pyrethri, *drachmas ſex.*
Miſc. Fiat Pulvis.
℞. Hujus Pulveris, *unciam unam.*
Vini ſublimati, *libram unam.*
Miſceantur invicem, pro uſu externo.

Pulvis hic Noſocomio Gallico, a multis, annis familiaris, felici ſucceſſu, gutturis antiqua ac fœda ulcera repurgat, & perſanat. Utebantur eo quondam d. d. Adolphi Occones, Auguſtani Medici Clariſſimi, ac ſubſequentes illuſtrium & generoſorum Comitum Fuggerorum Xenodochiis præfecti, quibus in locis, ex pia & munifica præfati ſtemmatis fundatione, plurimi ſyphilide laborantes, uſque ad plenam ſanationem, ſuſtentantur.

Pulvis Uterinus Jovialis.

CHARAS *Pharm. Reg. Tom. I. p.* 217.

℞. Magiſterii Jovis Anglici.

aut
Bezoardici ejusdem,
Matris perlarum,
Corall. rubror. praep. *ana dr. unam.*
Olei deſtill. Succini rectif. *ſcrup. un.*
Miſceantur: *Fiat pulvis, qui, ſecundum Auctorem, non ſatis laudari poteſt propter ſingularem uſum & inſigne auxilium, quod præſertim præſtat in diris uteri ſuffocationibus & aliis gravioribus morbis hyſtericis. Ita quidem ſentit cum multis aliis Cl. Auctor. Sed. vid quæ ſupra contra hoc Jovis Magiſterium monuimus, ad* pilulas dominarum, Bezoardicum Joviale, & *rurſus infra monebimus ad* Sal Jovis. *Nuſquam enim tuta Jovis fides.*

Pulvis Unterinus,

ſeu Hyſtericus, Mercklin.

Tabul Smaragd. pag. 329.

℞. Radic. Doronici Veri, *unciam unam.*
Ariſtolochiae rotundae,
Semin. Paeoniae maris, *ana unciam ſemis.*
Cinnamomi acuti,
Macis, *ana drachmas duas.*
Terrae ſigillatae albae,
Corallior. rubr. praep. *ana dr. ſex.*
Caſtorei, *drachmas tres.*
Olei Serpilli deſtillat.
Succini, *ana guttas quindecim.*
Foliorum Auri, *No. triginta ſex.*
Miſc. Fiat pulvis, *doſis drachm. ſemis, ad drachmam unam.*

Cum Vino Moſchato, aut alio generoſo. Conf. ſupra Pulvis Mulier. & Dominar. *item* Pulv. hyſtericus. *Plures vid. ap.* JUNGKEN. Corp. Pharm. *pag.* 873. *ſeqq.*

* * *

Pulvis Uvularis.

Pharm. Bat. pag. 134.

℞. Flor, Balauſt.
Radic. Biſtortæ,
Tormentillæ, *ana unciam ſemis.*
Aluminis, *drachmas duas.*
Miſc. Fiat pulvis, *quo Uvula, cum palato, tangatur digito, vel linteo excepto, ſæpe in die. Alios pulveres uvulares Riverii & Hildani vid. in* JUNGK. Corp. Pharm. *pag.* 923.

Pulvis Uvularis.

FULLER. *Pharm. ext. pag.* 337.

℞. Terræ Japonicæ,
Flor. Balauſt. *ana ſcrupulum ſemis.*
Aluminis,
Piperis longi, *ana grana quinque.*
Miſceantur: Fiat inde pulvis, *quo Uvula tangenda.*

Pulvis contra Variolas.

BOERHAAVE, *Mat. Med. pag.* 169.

℞. Antimonii diaph. cum ſuo Nitro fix. conſerv. *drachmas ſex.*
Mercurii dulcis, *drachmam ſemis.*
Salis polychreſti veri, *drachm. unam.*
Diu terendo, ſed non in Mortario metallico. Fiat Pulvis *tenuiſſimus, dividendus in viginti quatuor doſes æquales: de quibus ægrotus capiat unam, tertia quaque hora: ſuperbibendo, poſt ſingulas, ſeri Lactis recentis, uncias quatuor.*

Pulvis contra Variolas Alius Ejusdem.

Ibidem pag. 170.

℞. Florum Sulphuris, *drachmam unam.*
Cinnabaris Antimonii, *ſcrup. unum*
Stibii diaphoret. nitrati,

Salis Polychreſti, *ana dr. un. ſemis.*
Miſceantur: Fiat pulvis ſubtiliſſimus, dividendus, & ſumendus, ut præcedens.

Pulvis contra Variolas & Morbillos.

Diſpenſ. Brand.

℞. Cornu Cervi præparati, *unc. ſemis.*
Seminis Citri excorticati & ſiccati,
Napi, *ana drachmas duas.*
Radicum diptamni albi,
Zedoariæ,
Succini albi præparati,
Coralliorum rubror. præparatorum,
Terræ ſigillatæ, *ana drachm. unam.*
Spodii præparati,
Ligni Aloës,
Roſarum rubrarum, *ana dr. ſemis.*
Camphoræ,
Croci Otientalis opt. *ana ſcrup. un.*
Foliorum Auri puriſſimi, *No decem.*
Miſceantur exacte, ut fiat inde pulvis.

Fieri poteſt, inquit hic Cl. SCHULZIUS, *pag.* 252. *ut hic pulvis in Variolis & Morbillis benignioribus, & ſine ulla medicatione, ſponte ſaneſcentibus, ſine magna noxa, detur: quo vero horum Morborum ſtatu difficiliori, effective profuturus ſit, non æque patet. Sunt aliqua, quæ expulſionem promovent: alia diarrhœa forte eventuræ videntur deſtinata.* Doſis ipſa diverſæ ætati diverſe accommodanda eſt. *Hæc ille oppido ſapienter.*

Pulvis contra Variolas.

TUSCHERERI, Phyſ. Francofurt.
Tab. Smaragd. pag. 351.

℞. Cornu Cerv. præpar. *drachm. duas.*
Margaritarum,
Corallior. rubror. præp. *ana dr. unam.*
Oſſium de Corde Cervi, *ſcr. unum.*
Seminis Napi, *drachmam unam.*
Myrrhæ electæ, *ſcrupulos duos.*
Foliorum Auri, *No. tria.*
Miſceantur: Fiat pulvis, pro uſu.

Pulvis contra Vermes,

Diſpenſ. Brand.

℞. Seminis Cynæ, *unciam unam.*
Corallinæ, *unciam ſemis.*
Mercurii dulcis optime præparati,
Raſuræ Cornu Cervi ſubtiliſſ.
Turbith gummoſi. *ana dr. duas.*
Myrrhæ electae, *drachmam unam.*
Mixta, redigantur in Pollinem ſubtiliſſimum.

Sat bonus eſt, inquit hic SCHULZIUS, *pag.* 252. *ad Lumbricos & Tineas alvi necandas & expellandas. Drachma una & grana undecim continent grana ſeptem cum dimidio Mercurii dulcis & Turbith gummoſi: ex quo doſin metiri oportet, ut cuivis ætati accommodetur. Hæc ille ſapienter.*

Pulvis contra Vermes Auguſt.

Diſp. Vienn. Argent. Ratisbon. Prag. Hamb.

℞. Seminis Cynæ, *uncias duas.*
Leviſtici,
Mechoacannæ albæ,
Coriandri præparati,
Cornu Cervi uſti,
Muſci Corallini, *ana unciam ſemis.*
Foliorum Sennæ ſine ſtipit. *unc. un.*
Omnia bene pulveriſata Miſceantur.

Pulvis contra Vermes.

Diſpenſ. Edinb.

℞. Folior. Abrotani fœminæ,

Florum Tanaceti,
Semin. Santonici,
Corallinæ, *ana ſemunciam.*
Miſc. Fiat pulvis, cui adde
Oleor. ſtillat. Rutæ,
Sabinæ,
Saccharo exceptor. *ana guttas viginti.*
Miſce iterum probe: Eſt hæc egregia Compoſitio.

Pulvis contra Vermes.

Diſpenſ. Wirt.

℞ Radicum filicis fœminæ ramoſæ,
Rhabarbari veri,
Seminis cynæ,
Muſci corallinæ, *ana unciam unam.*
Miſce, fiat pulvis.
Lumbricos expellit.

Doſis eſt ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis; *repetitis vicibus dari debet, & pro lubitu, atque neceſſitate, vel Mercurio dulci, vel Æthiope minerali nec non Diacrydio acui poteſt. Ceterum ſimilem fere pulverem anthelminthicum ex* GEOFFROY Mat. Med. *T. II. pag.* 259. *ſupra exhiberimus, ad* Corallinam, *ſub* Marinis.

Pulvis contra Vermes.

Pharm. Bat. pag. 134.

℞. Cornu Cervi,
Rhabarbari,
Corallinæ,
Seminis Santonici, *ana partes æqual.*
Miſc. Fiat pulvis; *cujus doſis ſcrupulus unus, ad drachm. ſemis;* per dies tres continuos, circa Novilunium & Plenilunium.

Ceterum plures ejusmodi pulveres anthelminticos, ſeu vermifugos, vid. apud JUNCKER. *pag.* 24. NICOLAI, *p.* 179. Schrœder. Michael. Hoffmann. Renod. Morell. & *alios, præſertim autem* JUNGKEN. Corp. Pharm. *p.* 911. *ſqq.*

Pulvis contra Vermes

Boerhaave.

Mat. Med. pag. 168. & GAUB. *de Form. pag.* 73.

℞. Aloës puræ, *grana tria.*
Reſinæ Jalappæ, *granum unum.*
Vitrioli Martis, *grana duo.*
Miſc. Fiat pulvis, *qui detur Infanti, jejuno adhuc ſtomacho, pro una doſi.* Vid. rurſus BOERHAAVE, pag. 166.

Pulvis contra Vermes.

FULLER. *Pharm. extemp. pag.* 313.

℞. Corallinæ præparatæ, *dr. unam.*
Aethiopis mineral. ſine igne parat. *drachm. ſemis.*
Olei Abſinthii, *guttas tres.*
Miſceantur: Fiat ex Arte, pulvis.

Infantibus dentur grana quindecim, mane, & Veſperi, per tres dies, ante Novilunium, & Plenilunium, ad Vermes e Catibulis ſuis deturbandos, & enecandos: & poſtea pulvis ſequens purgans ſuperaddatur, ad illos, eorumque ſemen, e corpore penitus exterminandos.

Pulvis contra Vermes

Purgans.

FULLER. *Ibidem.*

℞ Scammonii præparati, *grana ſex.*
Rhabarbari, *grana quatuor.*
Calomel. *grana quinque.*
Miſce: Fiat pulvis, pro puero, ſex, vel octo Annos nato.

Utrosque hos pulveres Anthelminticos non tam ad imitandum, hic ex Fullero, *exhibuimus, quam potius, ad vitandum*

tandum ac cavendum. Licet enim prior poſteriore, aliquanto ſit mitior, innocentior, atque hinc ſecurior: tamen propter adjectum illum tetrum nigrumque Aethiopem mineralem, minus placet, ob rationes ſolidas, uti equidem arbitror, ſuperius jam ſuo loco, allatas, ad Aethiopem mineralem. *Alterum autem pulverem anthelminticum purgantem plane improbamus atque damnamus, cum propter ſcammonium, tum vero præſertim, propter Mercurium dulcem, qui hic, ob ſexies iteratam ſublimationem,* Calomelas, *ſeu* Aquila alba, *vocatur, uti notum. Quanto vero cum vitæ ipſius periculo, hic ipſe Mercurius dulcis infantibus adhuc lactentibus, tenerisque pueris, contra Vermes, offerri ſoleat, ſupra poſt* Hoffmannum, Boerhaavium, *aliosque magnos Medicos, latius oſtendimus, ad ipſum* Mercurium dulcem, *ut &* Aethiopem mineralem, *denique ad* Morſulos contra Vermes, *& in diſſ. noſtra, de* Cort. peruv. uſu ſalutari, *p.* 8. *Ceterum hic & ipſa doſis nimia eſt, inde ita potius reformanda, ut ſumantur grana quatuor ſcammon. grana ſex vel octo Rhabarb. & grana denique duo, aut tria Calomel. vel Mercurii dulcis.*

Pulvis contra Vertiginem Viridis.

BIERLING. *Append. Med. pag.* 123.

℞. Seminum Coriandri præparat.
Fœniculi,
Aniſi,
Nigellæ,
Herbarum Menthæ,
Serpilli,
Nucis Moſchatæ,
Cubebarum,
Cinnamomi acuti,
Zedoariæ,
Galangæ,
Maceris,
Glycyrrhicæ,
Granorum Paradiſi majorum,
Caryophyllorum, *ana unciam unam.*
Sacchari albi, *uncias novem.*

Miſceantur omnia exacte: & Fiat pulvis.

Cujus Virtutes ſunt cephalicæ, antidinicæ, analepticæ, nervinæ & ſtomachicæ. Conf. ſupra Pulveres Cephalici, *& præſertim* Pulvis antidinicus Lentilii: *it.* JUNGKEN. Corp. Pharm. *pag.* 828.

Pulvis contra Vertiginem Ettmülleri.

℞. Granorum Pæoniæ,
Coriandri,
Nucis Moſchatæ,
Viſci quern.
Cubebarum,
Galangæ, *ana drachmas duas.*
Zinziberis,
Tormentillæ,
Rorismarini, *ana drachmam unam.*

Miſceantur: Fiat inde pulvis.

Pulvis Viennenſis Albus Virgineus, Diaphoreticus, qui & Arcanum Album, Bezoarticum Lunare, Nives Mariæ, Panacea Mineralis & Specificum Virgineum, πολυωνύμως dicitur.

Diſp. Vienn. Wirt. Prag.

℞. Glaciei Mariæ, *libram unam.*
Lapidis ſpecularis, *libras duas.*

A ſordibus optime purgata in crucibulo calcinentur, poſtea ſuper Porphyritem terantur, denique, affuſa copioſa aqua, pars ſubtilior, per in-

clinationem, ſeparetur, quæ ſiccata uſui ſervetur.

Uſus eſt in nimio æſtu febrili, ad bilem infrigendam, calorem minuendum, & ſitim levandam: plures ipſi virtutes tribuuntur in Diſp. Prag. *Dicitur & in peſte ipſa profuiſſe. Vid.* Commerc. litt. med. Norimb. *Ann.* 1735. *p.* 390.

Doſis ſcrupulus unus.

Pulvis Viſceralis.

Diſpenſ. Prag.

℞. Pulv. Milleped. præparat.
Lumbricor. Terreſt. praeparat.
Viperarum, *ana ſcrupul. quatuor.*
Radic. Paeoniae,
Semin. ejusdem, *ana drachm. unam.*
Viſci quercini,
Ungulae Alcis praeparatae,
Cranii humani praeparati,
Oculorum Cancr. praep.
Cinnabaris nativæ praep.
Margaritarum Oriental. praep.
Succini albi praep. *ana ſcrupul. duos.*
Antimonii diaphoret. *ſcrupul. unum.*
Bezoar. Occidental. *ſcrupulum ſemis.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, pulvis.

In diverſis Viſcerum Morbis, Arthritide, Paralyſi, Colica, Couvulſionibus, & Nervorum ſpaſmodicis affectibus, multa experientia comprobatur. Doſis eſt ad drachmam ſemis, in convenienti vehiculo. *Ceterum conf. ſupra,* Pilulae Viſcerales.

Pulvis Vitæ Aureus.

Diſpenſ. Prag.

℞. Cinnabaris nativ. praepar. *uncias duas ſemis.*
Antimonii, *unciam unam.*
Magiſterii Cornu Cervi,
Cranii humani,
Ungulae Alcis,
Coralliorum rubrorum,
Perlar. Orient. *ana drachm. unam.*
Sacchari albiſſimi, *unciam ſemis.*
Foliorum Auri, *No. viginti.*

Miſceantur omnia: Tumque fiat Pulvis: qui dicitur vulgo *incompletus*: *Completus* autem tum vocatur, quando his omnibus adduntur:

Ambrae griſeae, *ſcrupulus unus.*
Moſchi, *grana quindecim.*

Mihi vero completus dici utique meretur, vel omiſſis illis odoramentis, viginti Auri foliis, & aliis id genus pretioſis nugamentis, quæ quippe pretium augent, non Virtutem: immo rejectis etiam fatuis illis Magiſteriis, & ſumtis potius eorum loco, ipſis præparatis ſimplicibus, majore quippe Virtute pollentibus. Uſus hujus pulveris Cephalicus & Cordialis eſt: Ejusque doſis ab aliquot granis, ad ſcrupulum unum, & ultra.

Pulvis Vitæ Imperatoris.

Diſp. Wirt. Prag. Vienn. Ratisbon.

℞. Radicum Zedoariae,
Enulae,
Calami aromatici,
Pimpinellae,
Galangae,
Caryophyllatae,
Liquiritiae, *ana drachmas duas.*
Herbarum Scolopendrii,
Veronicae,
Cardui benedicti,
Florum Centaurii minoris, *ana drachmam unam.*
Foliorum Sennae electorum, *unciam unam ſemis.*
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Carvi,
Petroſelini, *ana dr. un. ſemis.*

Baccarum Juniperi, *drachmas tres.*
Cinnamomi, *ana drachmam unam.*
Cubebarum,
Cardamomi, *ana ſcrupulos quatuor.*
Macis,
Cornu cervi uſti, *ana drachmas duas.*
Rhapontici veri, *unciam ſemis.*
Rhabarbari electi, *dr. unam ſemis.*
Cremoris Tartari, *drachmas tres.*
Sacchari canti albi, *uncias quatuor ſemis.*

Miſce fiat pulvis; ſeu Tragea, vid. infra.

Ad ventriculum roborandum, flatus pellendos, nec non ad tuſſim ſenum, ab indigeſtione ortam, commode adhibetur. An vero ceterum hic ipſe pulvis Vitam longam ſanamque Imperatoribus præſtare poſſit; de eo merito dubitatur.

Datur a drachma una, ad drachmas duas.

Pulvis Vulnerarius Externus.

Paul. BARBETTE, *Chirurg. p.* 179.

℞. Farinae Volatil. Molendin. *uncias tres.*
Sanguinis draconis,
Thuris, *ana unciam ſemis.*
Boli,
Terrae ſigillat. *ana drachmas duas.*
Gypſi, *drachmas ſex.*
Ranarum exſiccatarum, *unciam un.*
Pilorum Lepor. minutim inciſ. *drachmam unam ſemis.*
Albuminis ovor. in ſole exſiccat. & pulveriſ. *unciam ſemis.*
Spongiae novae torrefactae, *unciam unam.*
Vitrioli albi, *drachmam unam.*

Miſceantur probe: Fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Ad compeſcendum nimium ſanguinis fluxum, Vulneribus ſenſim inſpergendus. Sed de pilis Leporum minutim inciſis, minutas admodum ſpes habeo, num quidquam ſint profuturi: quin potius mihi contraria ſedet ſententia, eos nempe plus eſſe nocituros, ut quivis facile intelliget, ut autumo.

Pulvis Vulnerarius.

ZWELFERI, *Pharm. Reg. p.* 106.

℞. Maſtiches electae,
Myrrhæ,
Olibani,
Sanguinis draconis,
Oculorum Cancror. praeparat.
Nucum Moſchatarum, *ana dr. duas.*
Boli Armen.
Radic. Tormentillae, *ana unc. ſemis.*
Croci Auſtriaci, *drachm. unam ſemis.*

Miſc. Fiat omnium pulvis.

In Vulneribus internis, & externis, Nervorum præcipue, uti Meliceria, (*vulgo* das Gliedwaſſer) *e Vulneribus ſtillat, opem præſtat, a drachm. ſemis, ad drachmam unam.*

Radicis Ari Præparatio.

Diſp. Wirt. Brand. & reliqua.

Colligenda eſt radix primo vere, dum germinare incipit, mundata, & cultello eburneo in orbiculos diſſecta, infundatur vino albo & maceretur in loco frigido, per viginti quatuor horas, quibus elapſis, vinum per inclinationem ſeparetur, & radix, in furno vel clibano ſiccata, in pulverem teratur, & uſui aſſervetur.

Incidit & reſolvit; ad pulverem ſtomachicum Birckmanni requiritur, cujus deſcriptio ſupra, ſuo loco, habetur, & fæculis longe præferenda eſt.

Doſis grana decem, ad ſcrupulum unum.

* * *

Regulus Antimonii Martialis.

Diſp. Argent. Amſt. Edinb. Wirt. Hamb. Leid. Brand. Prag. & reliq.

℞. Clavorum ferreorum purgatorum, *uncias octo.*

Candefactis in crucibulo injice ſucceſſive,

Antimonii Hungarici, *uncias ſedecim.* optime fuſis adde

Nitri, *uncias tres.*

Hæc probe, per horæ quadrantem & ultra, igne ſat forti, ad inſtar aquæ, fuſa, fluentia cono fuſorio, ſevo illito, infundantur, conum in ipſa fuſione continuo percutiendo, & promovendo reguli ſubſidentiam & ſeparationem. Refrigeratis omnibus, eximatur tota maſſa, cui in fundo adhærebit regulus, ſuperiore ſui parte jamdum ſtellam obſcure ferens, qui, a ſcoriis ſeparatus, denuo ſecunda & tertia vice, additis ſemper

Nitri, *duabus, vel tribus unciis.*

fundi, & calici fuſorio immitti poteſt; poſt ſingulas adminiſtrationes, ſcorias ſeparando; ſic mox, ſecunda aut tertia fuſione peracta, in parte ſuperiore reguli, ſtella accurate conformata, & quaſi ad normam exacta, deprehendetur. Vid. CARTHEUSER. *Elem. Chym.* pag. 163. ſqq. BOERHAAVE *Chem.* T. II. p. 446. & JUNGKEN. *Corp. Pharm.* pag. 929. & Chemicos paſſim.

Uſibus chymicis potius, quam medicis, inſervit, & ad ſcyphos vomitorios, addito duplo Stanni pondere, in quibus vinum infuſum emeticum evadit.

***

Regulus Antimonii Medicinalis.

ſeu Febrifugum Cranii.

(*vid.* HOFFMANNI *Diſſ. de Regulo Antimon. Medicinal. & Obſ. Chym.* 3. *Lib. III. pag.* 275. *ſqq.* *item Diſp. Brand. Wirt. Amſtel. Hamb. Prag. & rel.*

℞. Antimonii crudi optimi, *unc. quinque.*

Salis communis, *uncias quatuor.*

Tartari, *unciam unam.*

Trita in pulverem tenuem exacte miſce, ac in crucibulo candenti detona; poſt detonationem auge ignem, ut fluant per horæ quadrantem, inſtar aquae; exemtum poſtea igne crucibulum quieſcat & refrigeretur, ſic ſcoriæ cum ſalibus in ſuperficie, regulus picei coloris ſplendens, fracto crucibulo, in fundo reperietur, quem, a fragmentis & ſcoriis ſeparatum, & ſubtiliſſime ſupra Porphyritem tritum, atque pulverem coloris punicei jam referentem, vaſe optime clauſo, in loco ſicco ſerva.

Laudatur ad febres intermittentes, & febrifugum Cranii vocatur. Ingreditur porro Pulverem alexipharmacum Rollwagii dictum. In lymphæ vitiis, ſcabie, hydrope, præſertim anaſarca, cum Mercurio dulci adminiſtratus, optime eveniſſe viſus eſt.

Notandum autem venit, regulum hunc ſemper in loco calido ſicco aſſervandum eſſe, alias facile vomitum in ſenſibilioribus, illius uſu, excitari, deprehenſum eſt. Plura de præparatione & uſu hujus Reguli Medicinalis, vid apud SCHULZ. *in* Prælect *pag.* 165. *ſq.* & CARTHEUSER. Pharmacolog. *p.* 522. *ſq.* & Elem. Chym *pag.* 164. *ſqq. item* Commerc. litt. med. Norimb. *An.* 1731.

pag. 75. *Conf. ſupra* Magneſia Saturnina Poterii.

Doſis grana decem, quindecim, ad grana viginti quinque.

Regulus Antimonii Simplex.

Diſpenſ. Hamb. Wirt.

℞. Antimonii electi, *libras duas.*
Tartari, *libram unam ſemis.*
Nitri, *uncias ſedecim.*

Miſceantur, & in crucibulo ignito detonentur, poſtea, igne vehementiore adhibito, fundantur, fuſa in conum fuſorium, calefactum & ſebo illitum, effundantur, conum, ut in fundum abeat regulus, concutiendo; tandem ſcoriæ ab eo ſeparentur, & regulus aqua abluatur. Vid, POTER. *Pharm. Spag.* L. II. C. 12. p. 386.

E ſcoriis, aqua ſolutis, per præcipitationem, SULPHUR AURATUM parari poteſt. De quo infra ſuo loco, diſtinctius & accuratius.

Variis laboribus chemicis inſervit hic regulus.

Conf. huc Diſſertat. CRAUSII *de* Regulis Antimonii, TEICHMEYERI, *de* Antimonio, ejusque Regulis, Jo. Ad. WEDELII, *de* Regulo Antimonii. per Sal alcali obtinendo, & JACOBI, *de* Regulo Antimonii ſtellato. *Conf.* BÜCHNERI Mat. Med. *p.* 155. *Multa præterea magnaque de ſuo Regulo Antimonii, jactat æternum illuſtris per ſidera, Tycho* BRAHEUS *in* Epiſt. *ad* Imperatorem Rudolphum, *de* ſui Elixirii peſtilentialis præparatione, *de qua ſupra ſuo loco, quæ integra legitur, in ipſius* Vita, *per* Gallendum, *doctiſſime* conſcripta, *pag.* 244. *ſq. Conf.* SCHROEDERI Pharmacop. *Lib. II. C.* 57. *pag.* 211. & *inprimis*, Thom. BARTHOLINI Ciſt. Med. Hafn. *Locul. X. p.* 93. & *pag.* 98. *ſqq.*

Regulus Arſenicalis, Regulus Jovialis.

Vid. ſupra

Bezoardicum Joviale.

Regulus Lunaris, Solaris, Veneris.

Horum Regulorum praeparationem & uſum vid. in *Pharm. Batean.* p. 135. & ap. LEMERYUM, HARTMANN. SALAM & alios Chemicorum, præſertim JUNGKEN. *Corp. Pharm.* p. 927. ſqq.

Reſina Gialappæ.

Diſpenſ. Wirt. Brand. Leid. & reliq.

℞. Radicum Gialappae, *quantum libet.*

Craſſiuſcule contuſis affundatur Spiritus vini optime rectificatus, ut tres vel quatuor digitos ſupereminent. Stent infuſae in loco calido, per aliquot dies, poſtea colentur, cum forti expreſſione, extractionem hanc toties repetendo, quouſque Spiritus vini non amplius tingatur; tandem conjunctis & filtratis extractionibus affundatur aqua fontana, & ſpiritus vini deſtillando ſeparetur. Reſinoſa ſubſtantia Gialappae, in fundo cucurbitae haerens, aqua clara aliquoties lavetur, & in vaſe, in aquam ferventem immiſſo, ad piceam conſiſtentiam redigatur, atque, in cylindros contortos efformata, ſervetur.

Eſt purgans univerſale & præcipue pilulis laxantibus pro ſtimulo additur. Nunquam ſola dari debet, inteſtinis enim

adhæret, & non ſolum tormina & hypercatharſes, verum etiam funeſtas inflammationes excitare poteſt Optima methodus exhibendi eſt in pilulis, ubi extractis jungitur, & particulæ reſinoſæ disgregantur. Amygdalis vel Pineis trita, ab oleoſa earum ſubſtantia quidem diſſolvitur, verum ita vehiculo frigido aſſumi debet, ne reſina rurſus coaguletur. Peſſimus modus eſt, illam exhibendi, ſi in ſpiritu ſoluta, absque ſyrupi additione, datur; mox enim, e ſpiritu præcipitata, priſtinam piceam ſubſtantiam induit. vid. huc inprimis SCHULZ. *pag.* 267. *ſqq. & quæ ibi ſapienter monet.*

Doſis in pilulis grana quatuor, ſex, vel ſeptem; in forma pulveris, cum Amygdalis triti, uſque ad ſcrupulum ſemis, in robuſtioribus, ad grana duodecim aſcendere licet.

Reſina Gialappæ ad Modum Stahlii Præparata.

Diſpenſ. Brand.

℞. Reſinae Gialappae,
Amygdalar. dulc. ſicce excorticatarum, *ana.*

Terantur diu exacte in pulverem.

Celebris aulæ Boruſſ quondam Archiater, Andr. Gundelsheimerus, *magni Tournefortii in itinere longinquo arduoque, olim ſocius, in uſu habebat, Reſinam præparatam, ex tribus partibus Amygdalarum dulcium, & partibus duabus Reſinæ, terendo in pulverem, paratam. Hujus ſucceſſor,* Stahlius *proportionem mutavit, & pares utriuſque partes aſſumere maluit. Laudem meretur hæc præparatio, quum Reſina, ſic præparata, & minore quantitate, & minore incommodo, optime operetur.*

Dari poſſunt grana octo, decem, ad duodecim.

Hæc SCHULZIUS, *in* Praelect. *pag.* 269.

Reſina Ligni Guajaci,

vid. ſupra

Extractum Ligni Guajaci,

Reſina Scammonii.

Pari opera & methodo, qua Gialappae reſina ſive magiſterium, conficitur. Vocatur & *pulvis Syrius.* Vid huc Diſp. Brand. in Not. & SCHHULZ. pag. 269.

Easdem habet vires, & eadem exhibetur doſi & modo.

Roob Acaciae Noſtratis.

Diſpenſ. Brand. Leid.

℞. Prunorum ſilveſtr. maturor. *quantum vis.*

Coq. ad mollitiem, pulpa per cribr. trajiciatur cum expreſſione. Expreſſæ pulpæ Libræ cuilibet add. dimidiam Sacchari Libram, & ad conſiſtentiam Roob, igne moderato inſpiſſa. Vid. SCHULZ. *pag.* 270.

Roob Alkekengi.

Paratur cum Saccharo, ut Roob Berberum, & aliae id genus Sapae plures, Roob vulgo dictae. Cum ſucceſſu vero illud dedit *Wedelius* juveni habitus humidioris & pituitoſioris, in graviſſima dyſuria, ceu ipſe meminit, in *Amœn. Mat. Med.* Lib. II. Sect. II. Cap. 10. pag. 587. Conf. TOURNEFORT. *Hiſt. Plant. Pariſ.* pag. 242. & GEOFFROY *Mat. Med.* Tom. III. pag. 56.

* * *

Roob de Agreſta.

vid. infra

Syrupus de Agreſta.

Roob Berberum.

Diſp. Lond. Wirt. & in rel.

℞. Succi berberum depurati, *libras quatuor.*

Sacchari albi, *libram unam.*

Coquantur in vaſe figulino, ad mellis conſiſtentiam,

Additur julapiis & electuariis. Refrigerat, ſitim ſedat, & bilem refrænat: proſtratum quoque appetitum rurſus erigit, & nauſeam coërcet: Vid. ZORN. Botanol. *pag.* 123. *& quos ibi laudat Autores.*

Roob Berberum Purgans.

ZWELFER. *apud* JUNGKEN. *Corp. Pharm. p.* 520.

℞. Foliorum Sennae, ſine ſtipitibus, *unciam unam.*

Radicum Turbith,

Rhabarbari,

Mechoacannæ,

Reſinæ Gialappæ, *ana unciam ſemis.*

Seminis Fœniculi,

Zingiberis albi, *ana dr. unam ſemis.*

Cinnamomi acuti,

Galangæ minoris, *ana drachm. unam.*

Inciſis affundatur Spiritus Vini, ad eminentiam trium digitorum: Stent in digeſtione, in loco calido, per aliquot dies: aliquoties mov. fort. expr. poſt add.

Roob Berberum, *libras tres.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, Roob.

Idem vero ZWELFERUS, in *Pharm. Reg.* p. 54. ſimile fere exhibet *Rob Ribium purgans*, quod pariter conſtat ex

Radic. Gialappæ,

Mechoacannæ, *ana unciis ſex,*

Turbith gummoſi, *unc. quatuor.*

Aſari, *unciis duabus.*

Folior. Sennæ electæ, *unciis ſex.*

Cum Roob Ribium, *libris tribus*, addita

Elæoſacchari Aniſi, vel Cinnamomi, *uncia una*, vel *uncia una ſemis.*

Sed vid. ibi reliqua ad ipſam præparationem pertinentia, fuſius pro more, enarrata. Ita vero ille de ipſo uſu: *Egregium eſt & præſtans hoc Electuarium, ſeu Roob, Catharticum, quod non ſolum omnes humores ſuperfluos pituitoſos, Melancholicos & putridos educit: Verum & febribus compoſitis & chronicis conducibile eſt.* Doſis drachmæ duæ, ad unciam ſemis. *Hactenus* Zwelferus: *qui mox his ſubjungit ibidem.*

Roob Ceraſorum, Mororum, Ribium, Rubi Idæi,

Pari modo parantur, atque easdem habent virtutes: de quibus, ſuis locis diligenter tractat idem Zornius, *additis teſtimoniis.*

Roob Ceraſorum Purgans.

Quod fere eodem modo paratur: quare non opus videtur, illud hic operoſe exhibere. Illius vero loco, mox aliud Roob Ribium purgans, ſed ſimplicioris & concinnioris compoſitionis infra apponere juvabit.

Roob Cornorum.

Eodem modo, quo ſequens *Roob Cy-*

noſb. paratur: Vid. *Diſp. Lond. &* *Brand.* de uſu vid. GEOFFROY, *Mat. Med* T III. p. 362. & BOERHAAVE, *Hiſt. Pl.* T. II. p. 412.

Roob Cydoniorum.

Vid. ſupra

Miva Cydoniorum ſimplex.

Roob Cynosbati.

Diſp. Vienn. Wirt. & in al.

℞. Pulpæ fructuum Cynosbati maturorum, *libras tres.*
Sacchari albi, *libras duas.*

Evaporentur, ad juſtam conſiſtentiam, igne lento.

Leniter adſtringit, & ad nephritidem calculoſam commendatur. Vid. HAGENDORNII Cynosbatologia, & ZORN. *pag.* 257.

Roob Ebuli.

Diſp. Vienn. Wirt. & in reliq.

Fit Succi granorum Ebuli depurati, *libram unam,* cum
Sacchari, *unciis duabus.*

Ad mellis conſiſtentiam, igne moderato, inſpiſſando.

Eſt alexipharmacum atque diureticum; datur hydropicis, ubi per alvum & urinam vires exſerit. Vid. ZORN. Bot. *pag.* 272.

Doſis uncia ſemis, ad integram.

Roob e Fructibus Weickardi.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. p.* 521.

℞. Radicis Glycyrrhizæ raſæ,
Siliquar. dulc. *ana uncias tres.*
Paſſularum majorum,
minorum,
Ficuum, *ana unciam unam.*
Prunorum dulcium, *No. decem.*
Jujubarum,
Sebeſten, *ana paria duodecim.*

Coq. donec fructus omnino diſſolvantur; tum exprimantur optime, & coquantur ad conſiſtentiam debitam Roob.

Cujus uſus eximius eſt in Tuſſi, raucedine, & aliis affectibus Thoracis, a ſero inprimis acri obortis: doſis eſt pro lubitu.

Roob Juniperi.

Diſpenſ. Leid. Wirt. & reliq.

℞. Baccarum Juniperi maturarum, recentium, conquaſſatarum *libras octo.*

Coquantur in aqua communi, decoctum per ſetaceum coletur, & ad conſiſtentiam mellis, cum
Sacchari, *libra una.*
lento igne redigatur.

In ventriculi morbis, flatibus pellendis, ad urinam & ſudorem movendum, commendatur; hydropicis etiam conducit, & a nonnullis ruſticorum Panacea & Theriaca vocatur. Vid. HARTMANNI Tirocin. Chym. *Lib. II. Cap.* 9. *p.* 35. *Opp. præſertim autem* ZORN. Botanol. *pag.* 371. *& quos ibi laudat Auctores plures, item* GEOFFROY, Mat. Med. *T. III. pag.* 638. & BOERHAAVE Hiſt. Plant. *T. I. p.* 145. & HOFFMANNI Obſſ. Chym. *p.* 13. *atque ex eo* SCHULZ. *pag.* 272.

Roob Mororum cum Melle.

Vid. ſupra, ſuo loco,

Mel Mororum, *vel* Diamoron.

Roob Myrobalanorum,

Diſpenſ. Prag. Vienn.

℞. Quinque generum Myrobalanorum,
Rha-

Rhabarbari electi, *ana uncias duas.*
Conciſa & Contuſa, infundantur, per noctem, in
Aquæ fontanæ, *libris tribus.*
Una alterave Ebullitione peracta, fortique expreſſione facta, coquantur cum
Sacchari albi, *unciis octo.*
Lege Artis, ad Conſiſtentiam, addendo ſub finem, ſuavioris ſaporis gratia:
Elæoſacchari Nucis Moſchat. *drachmam unam.*

In Dyſenteria, aliisque fœdis Alvi profluviis, præcipue ſubjectis tenerioris ætatis, utiliter exhibetur.

Ceterum, quod ad pondera inprimis ſpectat; differt nonnihil hæc deſcriptio Pragenſis, ab altera Viennenſi; quod parum quidem hic refert; interim tamen viſum nobis eſt, quod paucis moneretur.

Roob Nucum.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand.

℞. Succi, e nucibus viridibus, circa feſtum Baptiſtæ extracti
Mellis deſpumati, *ana libram unam.*
Coquantur ad juſtam conſiſtentiam.

Commendatur ad ulcera oris & linguæ, item in angina & tonſillis tumefactis, gargariſmis additur. Quod ex variis Auctoribus affatim probat laudatus Zorn. *pag.* 468. *Ceterum convenit per omnia cum Melle Nucum ſuperius deſcripto.*

Roob Ribium Purgans.

℞. Gelatinæ Ribium, *libram unam.*
Diacrydii, *drachmas quinque.*
Sacchari albi, *drachmam unam.*
Oleor. deſtillator. Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Maceris, *ana ſcrupulum ſemis.*
Miſceantur: Fiat inde Roob.

Roob Sambuci.

Diſp. Lond. Wirt. & in rel.

℞. Succi baccarum Sambuci maturarum, *partes ſex.*
Sacchari albi, *partem unam.*
Coque igne moderato, cavendo empyrevma, ad conſuetam conſiſtentiam.

Gratius eſt, virtute vero cum ebulino convenit. Vid. plura apud Zorn. Botanol. *pag.* 602. *item* Boerhaave, Hiſt. Plant. *Tom. I. pag.* 208. *ubi pro Remedio polychreſto habet Hiſtoriamque narrat de longævo* 125. *annorum Sene, qui ſolo Roob Sambuci, ſingulis diebus, mane ſumto, inter varias horridas diri contagii tempeſtates, vitam in tantum temporis longi ſpatium produxerit. Conf.* Blochwit. Anat. Sambuci, & Schulz. *pag.* 273.

Roob Sambuci Antilœmicum

Blochwitii, Anat. Sambuci, Sect. III. Cap. 19. p. 138.

℞. Radicum Tormentillæ,
Petaſitidos,
Pimpinellæ,
Angelicæ,
Folior. Scordii,
Baccar. Juniperi, *ana unciam ſemis.*
Radices macerentur, horas viginti quatuor, in Aceto Sambucino: poſtea lente exſiccentur, & ſeorſim pulveriſatis adde Folia Scordii & Baccas Juniperi ibidem pulveriſat. Miſceantur omnia, & reſiduo Aceto aſperſa, ſubigantur, quam ex actiſſime cum
Roob Sambuci, *libra una.*

In formam Opiatæ: de qua infecto peſte drachmæ duæ in Liquore convenienti, exhibeantur, ad Sudorem proliciendum, Venenumque ab ipſo Corde propulſandum. Hæc Blochwitius, neque dubitamus, quin hoc Roob antilœmicum effectu ipſo, hoc ſuum magnificum Nomen tueri poſſit, ſi opportune & debito cum Regimine, in atrociſſima illa calamitate, adhibeatur.

Conf. ZORNII Botanolog. *modo laudat. p.* 602. BOERHAAVE Hiſtor. Plantar *Tom. I. pag.* 208. DIEMERBROECK *de* Peſte, *& alios Scriptores, qui de peſte curanda, commentati fuerunt.*

Roob Sambuci Purgans Blochwitii.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 521.

℞. Roob Sambuci, *libram ſemis,*
Mechoacannæ,
Jalappæ, *ana drachmas ſex.*
Cremoris Tartari, *unciam ſemis.*
Aquæ Cinnamomi, *drachmas tres.*
Spiritus Tartari, *drachmas duas.*
Syrupi Roſar. ſolutiv. *unc. un. ſemis.*

Stent in Calore, ſeu Sole, per tres dies, & noctes, & tum Fiat lege Artis, Roob.

Tribuitur quidem vulgo hæc ipſa Compoſitio Blochwitio; ſed quantum memini, in ejus Anatomia Sambuci *ita dicta, iſta non occurrit. Hoc vero, quod præcedit, Roob contra diram peſtilentiam, ipſum Auctorem habet.*

Roob de Spina Cervina.

Vid. infra

Syrupus Domeſticus, *ſive* de Spina Cervina.

***

Roob Veronicæ Zwelferi.

Pharm. Aug.

℞. Succi Herb. Veronicæ, *libras duas.*
Sacchari, *libram unam.*

Coq. quantum ſatis, ut inde Fiat Roob: pro pulmoniacis ac phthiſicis. Conf. infra *Syrupus Veronicæ.*

Ros Mineralis.

Hujus perquam obſcuram, reconditam & totam ænigmaticam deſcriptionem, vid. ſi lubet quidem, apud MYNSICHTUM, in *Theſaur. Pharm.* pag. 11. & ex eo repetentem JUNGKEN. *Corp. Pharm.* pag. 1015. aliosque, qui ea forte magis admirantur, quæ minus intelligunt.

Roſa Solis Batei.

Pharm. Batean. pag. 136.

℞. Roris Solis recentis, *manipulos tres.*
Nucis Moſchatæ,
Semin. Aniſi,
Coriandri,
Roſarum rubr. ſiccar. *ana unc. ſemis.*
Galangæ,
Zingiberis,
Caryophyllorum, *ana drachm. duas.*
Glycyrrhizæ, *unciam unam.*
Cardamomi,
Zedoariæ,
Granorum paradiſi,
Calami aromatici, *ana drachm. ſemis.*
Santali citrini,
rubri,
Cinnamomi, *ana drachmas ſex.*
Aquæ Vitæ optimæ, *libras ſex.*

Infundantur per aliquot dies: Fiat Colatura per Manicam Hippocratis: addendo:

Sacchari optimi, *uncias duodecim.*

Confert ad phthiſin, Tabem, &c.

corroborat cor, Hepar, & Ventriculum. Capitis dolorem ſedat, & peſtem præcavet, quantum nempe poteſt.

Doſis eſt ab drachmis duabus, ad drach. tres, & ultra.

Ros *ſive* Phlegma Vitrioli.

Ibidem, pag. 135. *ex Angel. Sala, Anat' Vitriol. p.* 358. & SCHROEDER. *Pharm. p.* 477.

Elicitur ex Vitriolo albo crudo, calore Balnei Mar. ferventis, ſecundum Artem.

Valet ad ardentes Capitis dolores; ſanguinem ad uſtum mitigat, & Viſcera languentia corroborat. Vermes quoque expellit.

Doſis a drachma ſemis, ad unam &c. Continuatim ad aliquot dies. *Vid. infra,* Spiritus Vitrioli, & Diſp. Hamb.

Rotulæ Berberum.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. vid. reliq.

℞. Sacchari albiſſimi, *libram unam.*

In pulverem redactum, leni admodum igne, incaleſcat, cui tum adde

Succi berberum, per ſubſidentiam optime depurati, *uncias duas.*

Sicque, absque omni coctione, in conſiſtentiam tabulati reduc, ac in rotulas, ut artis eſt, effunde.

Cum ſyrupo conveniunt, ad ſitim & ſiccitatem oris, in febribus inprimis, commendantur.

Rotulæ Bezoardicæ Anderſon Angli.

℞. Cortic. citri, *drach. duas.*
Off. de Corde de Cervi.
Margaritt. præp. *ana ſcrup. ſemis.*
Sapphir. præp. *grana tria.*
Olei Macis, *gutt. duas.*
— Cinnamom. *gutt. quinque.*
Spec. liberant. *unciam ſemis.*
Diarrhod. Alb. *drachm. duas.*
Sacch. alb. clarif. *libr. ſemis.*
ſoluti in
Aquæ ſcordii.
Card. Ben. *ana unciis duabus ſemis.*
Cinnam. *uncia ſemis.*

Fiant lege Artis, Rotulæ contra aërem malignum cum fructu adhibendæ.

Vid. Tab. Smaragd. *pag.* 356. & JUGNKEN Corp. Pharm. *p.* 280.

Rotulæ Cardiacæ

GAUB. *de Form. p.* 131.

℞. Extract. eſſential. Croci.
Cinnamomi.
Olei ſtillat. Cinnamomi, *ana guttas decem.*
Caryophyllorum, *guttas duas.*
Cinnabar. nat. pur. ſubtiliſſ. trit. *drachm. tres.*
Sacchari albiſſimi, *unciam ſemis.*

Accurate ſubacta immiſce celeriter

Sacchari albiſſimi Aqua pura ſoluti & ad Conſiſtentiam tabulat. incocti, prius vero ab igne penitus remoti, *uncias duas.*

Ut fiant lege Artis Rotulae cardiacae.

Rotulæ Cardiacæ Timæi.

Deſcript. Med. pag. 428.

℞. Magiſterii perlarum.
Corallior. *ana drachm. duas.*
Hyacinth. *drachm. unam.*
Confect. Alkermes, *unciam ſemis.*
Olei ſtillat. Cinnamomi, *gutt. ſeptem.*
Citri, *guttas quinque.*

Sacchar. alb. in Aq. Carbunc. ſol. *unc. quatuor.*
Miſc. Fiant lege Artis, Rotulæ.

Conf. ſupra Pulveres Cardiacos; *&* JUNGKEN. Corp. Pharm. *p.* 284. *ubi plures Rotular. Card. & Cordial. compoſitiones.*

Rotulæ Cephalicæ.

Diſp. Brand.

℞. Specier. diarrhod. *drachm. unam.*
Pleris Archont. *drach. ſemis.*
Extracti Ligni Aloës, *ſcrupul. unum.*
Ambræ griſeæ, *ſcrupul. ſemis.*
Succini albi præparat. *drachm. ſemis.*
Cornu Cervi.
Alcis ſine Igne præp. *ſcrup. duos.*
Olei Cinnamomi, *guttas ſex.*
Sacchari alb. in Aq. Roſ. & Lil. convall. ſoluti, *uncias ſex.*
Fiant lege Artis Rotulæ.

Quæ ore detinentur, atque liquatæ, cum ſalvia deglutiuntur, tempore gravi catarrhali: Tum vero etiam illis commendantur, qui vertigine laborant, & Apoplexiæ vel inſultum, vel reditum extimeſcunt. Hæc SCHULZIUS *in* Prælect. *pag.* 274.

Conf. ſupra Pulveres Cephalici.

Rotulæ Diaireos.

Diſp. Brand. Wirt. & reliq.

℞. Specierum Diaireos ſimplicium, *unciam unam.*
Sacchari albiſſimi, in ſufficienti quantitate Aquæ Violarum ſoluti, & ad conſiſtentiam tabulati cocti, *uncias duodecim.*
Miſce, fiant lege artis rotulæ.

Sunt pectorales, materiam acrem tenuem incraſſant, & expectorationem adjuvant.

Rotulæ Diureticæ Charas,

Pharm. Reg. Tom. I. p. 193.

℞. Radicum Ononidis.
Eryngii.
Fœniculi.
Bruſci.
Petroſelin. vulg. *ana unciam ſemis.*
Seminum Bardanæ.
Milii ſolis, *ana drachm. duas.*
Coquantur omnia, ad Mollitiem, ex
Aquæ communis, *libris duabus.*
Tum colentur, & Colat. demum addatur.
Sacchari albiſſimi pulverati, *libra una.*
Pulpæ Rad. raphani ruſt. per ſetaceum trajectæ, *drachma una.*
Fiant inde ſecundum Artem, Rotulæ Tabellæ.

Rotulæ contra Dolores a Partu.

BOERH. *Mat. Med. p.* 220. GAUB. *pag.* 130.

℞. Matris Perlarum.
Corallior. rubr. præparat. *ana drach. duas.*
Laudani puri, *grana ſex.*
Miſceantur exactiſſime, deinde cum
Sacchari Aq. Cinnam. ſoluti & inſpiſſ. *unciis duabus ſemis.*
Redige in Rotulas; paullo ante effuſionem addendo,
Olei Cinnamomi ſtillat. *gutt. quatuor.*

Sunt Rotulæ anodynæ anthyſtericæ: Capiat Puerpera, viribus fracta, drachmas duas, omni ſemihora, ſuperbibendo Vini Rhenani cochleare, donec dolor miteſcit: dein detur tantumdem, mane ſaltim, & Veſperi. Ceterum Conf.

ſupra Mixtura anodyna & Cardiaca pro puerperis a partu dolentibus, *ejusdem* Boerhaavii *exhibita quoque a* Celeb. Gaubio, *de* Formul. *pag.* 222.

Rotulæ Dyſentericæ Deckeri.

In Not. ad praxin Barbett. *pag.* 179.

℞. Specier. diarrhod. Abbat. *dr. unam.*
Cornu Cervi uſti pulv.
Croci Martis adſtringentis, *ana dr. duas.*
Cinnamomi electi pulv. *ſcrupul. duos.*
Lapidis Bezoar. orient.
Confect. Alkermes, *ana ſcrup. unum.*
Sacchari in Aq. plantag. & Cinnamom. *ana q. ſ.* ſoluti.

Miſc. Fiant ſecundum Artem, Rotulæ, ſeu Tabellæ.

Præmiſſis nempe præmittendis, & non ab initio morbi, parce & caute exhibendæ.

Rotulæ Embryonum.

Pharm. Bat. pag. 166. *ex Plateri Obſſ. L. III. pag.* 700.

℞. Pulver. Radic. Biſtortæ.
Eboris.
Coralliorum rubror.
Coriandri præp. *ana unc. ſemis.*
Succini albi.
Cryſtall.
Baccar. chermes, *ana dr. duas.*
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
Aquae Cydoniorum, *quant. ſuff.*

Coquantur ſecundum Artem, addendo:

Olei Cinnamomi, *guttas ſex.*

Tum effundantur, ut fiant Rotulæ.

Quæ virium ſunt magnarum in Abortu præcavendo, & fœtu roborando.

Conf. ſupra pulvis contra Abortum: & Pulvis Gravidarum.

Rotulæ Hæmoptoïcæ.

Pharm. Bat. p. 167.

℞. Terræ Lemniæ, *drachm. tres.*
Boli Armen. *drachm. duas.*
Lapidis Hæmatit.
Magiſterii Eboris, *ana ſcrup. quatuor.*
Radicis Biſtortæ.
Semin. Hyoſcyami albi.
Cortic. Limon. recent. minut. inciſ. *ana drachm. unam.*
Seminis papaveris albi, *unc. ſemis.*
Rhodoſacchari, *uncias octo.*
Mucilaginis Gummi Tragacanth. *quant. ſuff.*

Fiant lege Artis Rotulæ, ſ. Tabellæ, contra Hæmopt.

Conf. ſupra, Pulveres contra Hæmoptyſin. *Sed mallem tamen, hic abeſſet ſuſpectum illud Hyoſcyami ſemen: de quo vid. ſupra monita ad* Hyoſcyami Semen.

Rotulae Haemoptoicae Monſpelienſium.

Tab. Smaragd. pag. 358.

℞. Boli Armen.
Terræ ſigillatæ.
Seminis portulacæ, *ana drach. unam.*
Coralliorum rubror. præparatorum.
Trochiſcor. de Spodio.
Carabe.
Lapidis Hæmatit. præp. *ana ſcrupul. unum.*
Sacchari in Aqua plantag ſoluti, *quant. ſuff.*

Miſc. Fiant lege Artis Rotulae, ad eundem uſum.

***

Rotulæ Lenthales,

Bat. p. 168.

℞. Rad. Glycyrrhizæ recentis, *unc. octo.*
Seminum Aniſi, *uncias quatuor.*
Carvi, *unciam unam.*
Aquarum Tuſſilaginis.
Hyſſopi.
Praſſii, *ana libram unam.*
Infund. in Baln. Mar. per tres dies; Fiat Expreſſio fortis, quæ ad Mellaginem, exhaletur; addendo:
Gummi Ceraſorum.
Arabici, *ana drachm. duas.*
Tragacanth. *unciam ſemis.*
Per duos dies, prius infuſi in
Aqua Roſar. damaſcenar. *libra ſemis.*
Tum adde his omnibus:
Sacchari optimi, *libras duas.*
Moſchi.
Ambræ griſeæ, *ana grana ſex.*
Pulv. Rad. Glycyrrhizæ, *unc. ſemis.*
Contund. optime in Maſſam, & exinde *fiant Rotulæ, pectori ægro jucundæ & valde profuturæ. Sed unde Nomen?*

Rotulæ Magnanimitatis,

Charas.

Pharm. Reg. Tom. I. p. 193.

℞. Pulpæ piſtachiarum.
Radic. Satyr. conditar.
Conſerv. Flor. Roriſmarini.
Confect. Alkerm. complet. *ana unciam ſemis.*
Truncor. & Hepatum viperinor.
Margaritar. oriental. præp. *ana drachmas tres.*
Seminis Erucæ, *drachmas duas.*
Cardamomi minoris.
Radicis Galangæ.
Renum Scincorum, *ana drach. unam.*
Caryophyllorum.
Cinnamomi acuti.
Macis.
Ambræ griſeæ, *ana drachmam unam.*
Moſchi orientalis, *ſcrupulum ſemis.*
Sacchari in Aq. Flor. Aurant. ſolut. & in ſolidum.
Electuarium ſolicite cocti, *libram unam.*
Fiant ſecundum Art. *Rotulæ, torpentem Venerem excitantes, quantum nempe poſſunt. Vid. ſupra Morſuli Magnanimitatis, & ibi dicta.*

Rotulæ Manus Chriſti,

ſive Saccharum Perlatum.

Diſpenſ. Leid. Wirt. Prag. Vienn.

℞. Sacchari albiſſimi, *libram unam.*
Aquæ roſarum, quantum ſatis, pro ſacchari ſolutione.
Coquantur ad tabulati conſiſtentiam & addatur
Matris perlarum præpar. *unc. ſemis.*
Effundatur in rotulas.
Pulveribus analepticis & emulſionibus addi ſolet. vid. Schulz. *p.* 275.

Rotulæ Contra Phthiſin,

Verzascha, *Obſ. Med.* 100. *p.* 264. & Koenig. *Regn. Min. pag.* 44.

℞. Spec. Diatrag. frigid. *drachm. duas.*
Diaireos ſimpl. *drachm. unam.*
Boli Armen. Ver. *drachm. ſemis.*
Antihect. Poterii, *drachm. unam.*
Confect. Alkermes, *drachmas duas.*
Sacchari opt. Aqua ſcabioſ. ſolut. *unc. quatuor.*
Miſc. Fiant ſecundum Artem, Rotulæ Antiphthiſicæ.
Tum vero accurate præparatæ, intactæ abjiciantur; haud vero in uſum, quod ſerio moneo, unquam advocentur,

aptiores quippe futuræ, ad augendam phthiſin, & ipſam mortem accelerandam; quam ad minuendam illam, aut hanc retardandam: Ob deteſtabile nempe illud ac malignum Antihecticum Poterii, *tam larga præſertim, copia, incaute hic adjectum: quod quam periculoſum & peſtiferum plane miſeris tabidis ſit Remedium, vel rectius loquendo, Venenum; ſuperius, jam latius oſtendimus, ad ipſum* Antihecticum Poterii. *Sed veterum quorundam Medicorum ambiguam auctoritatem nimis ſecure atque improvide hic ſequuntur Verzaſcha, plurimum virtutis falſo tribuit,* Antihectico *iſti* Poter. *in curanda phthiſi, ceu patet ibidem, pag.* 263. *Inde moniti abſtineant Medici.*

Rotulæ Saponaceæ.

Pharm. Bat. p. 169.

℞. Saponis Venet. opt. *unc. unam ſemis*
Glycyrrhizæ, *uncias duas.*
Rad. Irid. Flor. *drachm. ſex.*
Florum Sulph. *unciam ſemis.*
Rad. Angelicæ, *drachm. duas.*
Olei deſtill. Aniſ. *ſcrupul. ſemis.*
Sacchar. opt. *unc. octo.*
Mucilag. Tragacanth. in Aq. Hyſſopi fact. *quant ſuff.*
Fiant lege Artis, Rotulæ.

In Empyemate, phthiſi &c. optime valent: Expectorationem efficaciter promovent.

Rotulæ contra Sitim.

CAUBIUS *pag.* 132.

℞. Sacchari albiſſ. ſubtiliſſ. pulv. *uncias tres.*
Leni igne calefactis immiſce:
Succi pomi citrei recent. *dr. quinque.*
Flavedinis ejusdem tenuiter raſæ, *ſcrup. unam.*
F. Rotulae.

Rotulæ Stomachicæ.

GAUB. *p.* 131.

℞. Oleor. ſtillat. Menthæ.
Abſinthii, *ana guttas decem.*
Eſſent Myrrhæ, *drachmas duas.*
Sacchari albiſſ. Aq. Menthæ ſolut. & inſpiſſ. *unc. quinque.*
Fiant lege Art. Rotulæ: *Conf. ſupra Morſuli & pulv. ſtomach.* CHARAS, *T. I. p.* 190. & *præſertim* JUNGKEN, Corp. Pharm. *p.* 290. *ſeqq.*

Rotulæ contra Vermes.

Diſp. Wirt. in aliis deſunt.

℞. Seminis Cynæ.
Coralliorum.
Cinnamomi.
Æthiopis mineralis, *ana ſcrup. duos.*
Sacchari albi, in Aqua roſarum ſoluti & ad conſiſtentiam tabulati cocti, *uncias quatuor.*
Fiant lege artis rotulæ.

Uncia continent Æthiopis mineralis ſcrupulum ſemis.

Dari poſſunt a drachmis duabus, ad drachmas ſex.

Rotulæ contra Vermes.

BOERHAAVE, *Mat. Med. pag.* 233.
GAUB. *de Form. p.* 130.

℞. Semin. Abſinth. *drach. duas.*
Mercurii dulcis, *ſcrupulos quatuor.*
Diacrydii, *drachm. unam.*
Sacchari Aqua ſtill. Tanaceti ſoluti, *uncias duas ſemis.*
Miſc. exactiſſime, Fiant inde leg. Art. Rotulæ.

Doſis, a drachmis duabus, ad drach. tres, alternis diebus, mane, vacuo ventriculo, a puero, capienda.

***

Rotulæ contra Vermes.

Diſp. Vienn.

℞. Semin. Santonici, *unc. unam ſemis.*
Mechoacannæ.
Dictamni albi, *ana unciam ſemis.*
Cornu Cervi uſti.
Corallinæ, *ana drachm. unam ſemis.*
Florum Tanaceti, *drachmam unam.*
Seminis Coriandri, *drachm. ſemis.*
Pulveriſentur exacte, & cum Sacchari Can. in Aq. Graminis ſoluti, *libra una ſemis.*
Fiat, lege Artis, Confectio in Rotulis.

Rotulæ contra Vermes.

CHARAS, *Pharm. Reg. Tom. I. pag.* 191.

℞. Rhabarbari electi.
Seminum Citri mundatorum.
Santonici.
Portulacæ.
Caulium.
Geniſtæ, ſubtil. pulv. *ana dr. tres.*
Mercurii dulcis pulv. *drachm. duas.*
Sacchari albiſſ. pulverati, *unc. ſedecim.*
Miſc. Fiant ſecundum artem, Rotulæ, cum Mucilag. Gummi Tragacanth. cum Aq. Flor. Aurant. extr.

Rotulæ contra Vermes, Lentilii.

CARTHEUSERUS *Pharmacolog. p.* 628. *Conf.* GEOFROY, *Mat. Med. Tom. II. pag.* 469.

℞. Mercurii dulcis rite præp. *drachm. unam, cum dimidia.*
Sacchari, in Aqua Graminis, aut Roſar. ſoluti, *uncias tres.*
Succi Berberum, *quantum ſatis.*
Fiant lege Artis, Rotulæ.

Titulo ſuo ſatisfaciunt, inquit hic Cl. Cartheuſer. *& infantibus, a Scrupulo dimidio, ad drachmam dimidiam, imo integram, offeruntur. Una enim Morſulorum drachma circiter grana tria, cum tertia grani parte Mercurii dulcis, recipit. Laudarem quoque ipſe hos Morſulos anthelminticos, poſt hos celeb. viros, niſi plurimum laudis ipſis eriperet adjectus Mercurius dulcis, vix tam ſuavi Nomine dignus; cujus quippe uſus in infantibus præſertim nondum lacte depulſis, ſemper cum Hoffmanno, ſuſpectus, fallax & anceps cenſendus eſt. Conf. ſuperius dicta, ad* Aethiopem Mineral. & Mercurium dulcem.

Rotulæ contra Vermes Timæi.

Deſcript. Medicament. pag. 428.

℞. Seminis Santonici, *unciam ſemis.*
Turpethi electi, *drachm. duas.*
Rhabarbari optimi, *drachm. tres.*
Reeſinae Gilappae, ſ. a. ſolutae, *ſcrupul. unum.*
Corallinae, *drachm. unam.*
Olei deſtill. citri, *guttas ſeptem.*
Sacchari alb. in Aq. Flor. perſic. ſoluti, *libram ſemis.*
Miſceantur probe: Fiant inde Rotulæ, ad uſum.

Sed plures ejusmodi Rotularum anthelminticarum ſeu vermifugarum compoſitiones ex diverſis Auctoribus depromptas, conjunctim exhibet JUNGKEN. Corp. Pharm. *p.* 292. *ſeqq.*

Saccharum Caryophyllatum.

Pharm. Bat. pag. 136.

℞. Florum Caryophyllor. hortenſ. pulv. *drachm. ſex.*
Caryophyllorum aromat. *ſcrup. unum.*
Saccha-

Sacchari albliſſ. in Aqua Roſar. damaſcen. ſoluti, *uncias duodecim*.

Coq. & effunde in marmor. ut fiat inde Maſſa ſacch. ad uſum.

Cardiacum, Cephalicum, & Stomachicum inſigne eſt: Cruditati Ventriculi, Vertigni & aliis gravioribus affectibus confert.

Saccharum Clarificatum.

vid. Diſpenſat. omnia.

Fit, libras duas ſacchari albi in libra una aquæ puræ fontanæ ſolvendo, atque percolando.

Adhibetur electuariis, conditis, &c.

Saccharum Lactis.
Lud. Teſti.

CHARAS Pharm. Reg. *P. II. p.* 856.

Wirt. Vienn. Brand. Prag.

℞. Lactis recentis vaccini, *libr. decem.*

Reponantur per viginti quatuor horas, auferatur cremor, & reſiduum lac lento igni ex ponatur, ut caſeoſum præcipitetur. Serum, per colatorium ſeparatum & per chartam bibulam filtratum, in vaſe figulino vitreato, lento igne, ad ſextæ partis remanentiam, evaporetur, atque ad cryſtalliſationem reponatur. Cryſtalli collectae aqua frigida abluantur, & in loco tepido, inter chartas, ſiccentur, atque, loco ſicco, temperato, in vitro aſſerventur. Vid. TEICHMEIER *Inſtit. chem. dogmat.* pag. 200. & CARTHEUSER. *Rud. Mat. Med.* p. 406. & *Fundament.* p. 441. & *Pharmacol.* p. 439.

Antiſpasmodicum, demulcens, anodynum & antarthriticum eſt; ſcorbuticis, hecticis & nephriticis convenit. Cavendum vero eſt, ne ſit rancidum, ſed recens paratum. Sed parum Virtutis ipſi tribuit Charas; *plus autem* Hoffmannus.

Doſis drachma una, ad drachmas duas.

Saccharum Lactis Cryſtallis.

Diſp. Ratisb.

Tab. Smaragd.

℞. Lactis Vaccin. nondum acidi, *menſur. octo.*

Coq. & praecipita, cum
Spiritus Vitrioli, *drachma una.*

Poſtea clarifica, & abſtrahe per Alembicum, ad Cuticulam: Repone in Cellam, & Cryſtallos adquires. Sed praeſtantior ſuaviorque ſequens eſt praeparatio. Vid. HOFFMANN in *Diſſ.* & ERNST. *Lex. Pharm.* p. 684. & VALENTINI *Med. Nov. antiq. in Append.*

Saccharum Martis.

Diſp. Vienn.

℞. Limaturae Martis puriſſimi, *libras quatuor.*

Cereviſiae albae, nonnimis dulcis, *libras octo.*

Mixta ſtent in loco calido, per quatuor hebdomadas, in digeſtione: poſtea bene ſa urata coletur, filtretur, & abſtrahatur in vaſe ferreo, vel vitreato, leniſſimo igne, ad Mellaginem: exinde effundatur in minores patellas vitreatas terreas, quae ponantur in locum calidum, ut lente exſiccentur; quod ſplendidum eſt & nigrum, ſervetur uſui.

In Obſtructionibus hypochondriacis, & Menſium ſuppreſſionibus, (*praecipue pro delicatulis*) *conducere dicitur.*

***

Saccharum Roſatum Tabulatum.

Diſp. Wirt. Prag. Vienn.

℞. Pulveris florum Roſarum rubrarum, *drachmas duas.*
Sacchari albi, in aqua Roſarum diſſoluti & ad conſtentiam tabulati cocti, *uncias quatuor.*
Fiat confectio in tabulis.

Pulveribus, ſaporis gratia, additur.

Saccharum Sambucinum.

Pharm. Bat. pag. 137. *& præſertim* BLOCHNIT. *in* Anat. Sambuci, *Sect. III. Cap.* 14. *p.* 108.

℞. Flor. Sambuc. *uncias duas.*
Sacchari opt. in Aqua.
Flor. Sambuc. ſoluti, *libr. unam.*
Fiat ſecund. Art. Maſſa Sacchar.

Eſt Carminativum & Stomachicum.

Saccharum Saturni Cryſtalliſatum.

Conf. Jo. Andr. FISCHERI Diſſert. de Saturno.

Diſpenſ. Wirt. Brand. & reliqua vid Chem.

℞. Minii, aut Lithargyrii, *quantum vis.*
Affunde, in vaſe vitreo, aceti deſtillati acerrimi, quantum ſufficit, ad eminentiam quatuor, ad minimum digitorum, digere in loco moderate calido, ſæpius, ab initio præſertim, bacillo aut ſpatula lignea, ne nimium in fundo concreſcat, per unum alterumve diem, agitando, donec acetum a Saturno ſaturatum, flaveſcat, & ſapore dulceſcat. Deinde ſolutionem decanta, ac novum acetum deſtillatum affunde, ut denuo aliquot digitos ſupereminneat, idque toties reitera, novum acetum deſtillatum affundendo, donec dulceſcat. Extractiones omnes conjunge, atque in vaſe figulino, leni igne, evapora ad cuticulam, & ad cryſtalliſandum repone. Cryſtallos leni calore exſicca.

Lithargyrium ſemper cupro inquinatum eſt; hinc præſtat ſaccharum ſaturni, vel ex plumbo puro crudo, vel minio præparare; breviori etiam manu, ac citius, leni decoctione quam digeſtione, ſal extrahitur & plumbum ſolvitur; decoctio vero, uti ſupra diximus, in vaſe figulino, vitreato, inſtituenda. Reſiduum, quod in cryſtallos abire recuſat, leni igne evaporatur atque ſiccatum, in pulverem tritum, ſervatur.

Externi tantum uſus eſt; refrigerat, mundificat, adſtringit & ſiccat; in collyriis, ad oculorum inflammationem, adhibetur. Sunt, qui interne, ad epilepſiam, gonorrhœam & venerem extinguendam, dant, quod tamen ſumma circumſpectione fieri debet.

Immo nulla potius circumſpectione opus eſt, quoniam nullus prorſus, præſertim vero internus, ſacchari hujus ſaturnini debet eſſe uſus. Saccharum enim hoc, tam blando dulcique nomine plane indignum, ad venena omnino pertinet, ſi non perniciſſima, qualia ſunt Arſenicum, Biſmuthum, Cobaltum, atque id genus alia, cum ex Metallis, tum & plantis nonnullis venenatis depromta; tamen perniciosiſſima, & ſi non rapido fato tamen lenta tabe, certiſſime necantia, atque hinc & Sanitati & Vitæ denique ipſi, peſtilenti ſua refrigerandi, conſtringendi, obſtruendi, exſiccandique natura & indole, inimiciſſima, nervisque inprimis atque

inteſtinis nocentiſſima; Ex omnibus enim, quæ inimica Naturæ ſunt, nullum eſt, quod tam valide & tam graviter inteſtina, eorumque tonum deſtruat, quam Saturninum quoddam; hinc propter vim, Naturæ humanæ valde infenſam, Veteres Saturnina Venenis annumerare non dubitarunt: *ita recte ac ſapienter* HOFFMANNUS *noſter,* Med. Rat. *Syſt. Tom. II. Part. II. Cap.* 8. *pag.* 294. 295. *ſeqq. ubi & plura de pernicioſiſſima Sacchari Saturni & aliorum Saturninorum efficacia leguntur, ut & in ejusdem Diſſ.* de Læſionibus externis, Venenis, *&c. pag.* 30. *& alibi ſæpius in ipſius opp. præſertim in Not. ad* Poter. Pharmac. Spagyr. *Lib. II. Cap.* 20. *pag.* 417. *ſqq. qui ipſe* Poterius, *quod mirum, ibi quidem ejusdem eſt ſententiæ, alias, ut notum, remediorum metallicorum violentiorum defenſor acerrimus. Eandem vero decretoriam quaſi ſententiam præter hos ipſos, certatim poſtea tulerunt de hoc inſidioſo & clandeſtino Veneno, alii quoque Medici celeberrimi, veluti ipſe* BOERHAAVIUS, Element. Chem. *Tom. II. Part. III. proc.* 174. *pag* 398. *item* STAHLIUS, Tract *de* Sulphure, *pag.* 25. & Mat Met. *P. I. pag.* 87. *& p.* 224. *ut &* ZELLERUS, *Diſſ. de* Vinis Lithargyrio infectis, *& Roſ.* LENTILIUS, Jatromnem. *Cap. IX. pag.* 65. *ſeqq. quique ad hos magnos Viros jure provocat,* SCHULZIUS, *in* Prælect. *ad* Diſpenſ. Brand. *pag* 277. *ſeqq. item* GEOFFROY Mat. Med. *Tom. I. Part. I. Sect. VII. Cap. I. Art. II. pag.* 280. & RIEDLINUS, Lin. Med. *An.* 1695. *Menſ. Maj. Obſ.* 31. *p.* 155. *item* LOESEKE, Mat. Med. *p.* 424. *ſqq.* & BARON. *ad* Lemerii Curſ. chym. *nec non* WEDELIUS, *in* Amœnit Mat. Med. *Lib. I. Sect. III. Cap.* 6. *pag.* 162. *qui tamen infra, Lib. II. Sect. II. Cap.* 18. *pag.* 489. *ſui rurſus oblitus videtur. Rectius vero hoc exoſum ſuſpectumque Remedium, intus aſſumtum, ceu peſtiferum, abominatar Cl.* BÜCHNERUS, *in* Fundament. Mat. Med. *pag.* 194. *item Cl.* GMELINUS, *in* Diſſ. *de* Botan. & Chemia *ad* prax. med. applicata, *cum aliis pluribus. Sed jam dudum ante hos omnes, juſtiſſimis de cauſſis, funeſtis ſcilicet aliquot exemplis admoniti, idem fecerunt, in execrando hoc Sacchara,* FERNELIUS, *Tract.* de lue Ven. *Cap.* 7. BILLICH. Obſ. Chym. *pag.* 144. LUDOVICI, *in* Pharmacia, *Diſſ. I. pag.* 599. *Jo.* RHODIUS, *Cent. III. Obſ.* 10. & BORELLUS, *Obſ.* 32. *Cent. IV. item* Horſtius, Schenckius, Foreſtus, Sennertus, Wepfferus, Riedlinus, *& alii plures, citati jam ipſi* FRICCIO, *Cap. XIV. de* Virtute Venenor Med. *pag.* 266. *ſeqq. qui ipſe hoc argumentum pluribus ante proſequtus fuit, in Tract. de* paradoxis Medicis. *Ipſe tamen mox ibidem, pag.* 269. *ſqq. varios quoque producit Autores Medicos, qui, quis credat ſine horrore? quis aſſerat ſine pudore? in contrarium cenſuerunt, Saccharum hoc Saturni inter præſtantiſſima quidem & humanæ ſaluti convenientiſſima Remedia eſſe referendum, ſcilicet* Mynſichtum, Dolæum, Hoffmannum, patrem *ad* Schrœd Mayerne, *ipſum* Ettmüllerum, Zwingerum, *aliosque plures. Quibus add.* CHARAS, Pharm. Reg. *Tom. II pag* 773. & MALOUIN, *in* Chem. Med. *Quorum ſpatioſum nimis Catalogum nuperime quoque, quod equidem, propter amicitiam noſtram, nollem ſaſua acceſſione & aſſenſione, auxit Celeb. quidam in vicinia, Doctor, alibi jam in hoc opere, digniore quidem loco, a me laudatus edita Exercitatione Acad. de* Sacchari Saturni

Ffff 2

uſu interno ſalutari; *immo rectius, inquam ego, minus, aut nunquam ſalutari. Omnes enim iſtæ Apologiæ operoſæ non minus, quam ſpecioſæ tantum, nunquam, ſpero, efficient, ut Saturninum hoc Saccharum exinde malum eſſe medicamentum deſinat, & bonum contra fore, incipiat: præſertim, quum ipſum illum famoſum pulverem, ſucceſſorium, vel ſucceſſivum vulgo dictum* (la Poudre de Succeſſion *quem & quis præter vulgarem ſignificationem, haud inepte inde vocare poſſet* pulverem feudalem, *item* hæreditarium, & cibum *denique* deorum, *ſi joco quidem hic locus eſſet,*) *ex ipſo Saturno, ejusve Sacchare, in perniciem humanam, potiſſimum parari, notum ſit; conf.* HOFFMANN. Med. Rat. *Syſt. Tom. II. pag.* 294. *& alibi. Quare meo quidem, non ſuo, ſenſu, recte perhibuiſſe in ſua* Iſagoge-Phyſico-Magico-Medica, *crediderim Auguſt.* ETZLERUM *quod nempe ex Saturno confici poſſint Medicamenta, quæ faciant ad Longævitatem, ſcilicet æternam, ut ego haud dubie appoſite interpretor, & ad Vitam beatam nunquam denuo moriturum. Abſtineant ergo in poſterum, ſerio ſeduloque, & quantum poſſum, inſto, moneo & hortor, omnes Medici ſuæ famæ & conſcientiæ inprimis, conſulturi, a teterrimo Saturno patre, ejusque Filia execrabili,* Tinctura *illa ſic dicta* Antiphthiſica Gramanni, *ceu a Venenis atrociſſimis, & nunquam poſthac Saccharum Saturn in uſum internum advocent,* (*licet interdum ejusdem externus omnino ſit admittendus, conf.* FRICC. de Venen. *Cap.* 14. *pag.* 272. *ſeqq. & Tract. noſtr. de* Pleurit. *Cap.* 4. *pag.* 53. *&c.*) *Denique autem ſciant, Saturnum illum moroſum ac malignum, ſive in paganorum cælo ſit collocatus, ſive in terra, inter metalla, relatus, ſemper homines crudeliter devorare. Conf. ſupra dicta, ad* Pilulas Saturninas, & *infra dicenda, ad* Tincturam Antiphthiſicam Gramanni.

Saccharum Tormentillæ.

Pharm. Batean. p. 137.

℞. Rad. Tormentill. Pulver. *unc. unam ſemis.*

Cinnamomi, *unciam ſemis.*

Sacchari in Aqua Cinnamom. ſolut. *libr. unam.*

Coq. & effunde ſecundum artem.

Eximii uſus eſt in Abortu præcavendo, fœtu roborando &c. Conducit & in nimio fluxu Alvi.

Saccharum Vermifugum.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Mercurii e Cinnabari redivivi, *unciam unam.*

Sacchari albiſſ. *unc. duas.*

Tere ſimul in Mortario marmoreo, donec Mercurius ſit penitus extinctus.

Eſt Species Aethiopis Mineralis, atque hinc ad differentiam alterius vulgaris Aethiopis Mineralis, ex Mercurio & Sulphure parati, commode vocari poſſet Aethiops mineralis dulcis, *vel* Saccharatus. *Quo tamen eadem circumſpectione utendum, qua illo altero, de quo vid. ſupra.*

Sal Abſinthii.

Diſp. Wirt. Prag Brand. Vienn. Argent. &c.

CHARAS *T. II. p.* 486.

℞. Abſinthii ſicci quantum vis.

Comburatur in cineres albos, ſal

extrahatur aqua communi calida, aliquandiu digerendo, poſtea aqua per inclinationem ſeparetur, idque novam affundendo aquam, eousque repetatur, donec aqua lixivioſo ſapore non amplius imbuatur. Tandem exhalando coaguletur, & denuo ſolutum, filtratum, atque, donec pellicula in ſummitate concreſcere incipiat, evaporationi commiſſum reponatur, ut in cryſtallos concreſcat, quæ exſiccentur, & remanens liquor ulteriori cryſtalliſationi, evaporando & reponendo, accommodetur.

Hæc eſt methodus vulgaris, ſalia herbarum parandi, ſecundum quam reliquarum herbarum ſalia parari poſſunt.

v. g. Artemiſiæ.
Cardui Benedicti.
Centaur. Minor.
Fabarum Stipit.
Geniſtæ.
Sabinæ.
Salviæ.
Saxifragiæ.
Scordii. *&c. vid. Diſp. Vien.*
Tamariſci. *& Hamb. &c.*

Verum

Non adeo acre ſal, & major quantitatis ejus acquiritur, ſi methodo Tacheniana plantæ non penitus ſiccæ, ſed admodum marceſcentes, vel plane recentes, in ſartagine magna, ferrea lamina tecta, incinerantur. Lamina autem adhibetur, ut violentia ignis & flamma aliquo modo arceantur, & lentiore gradu combuſtio fiat; in fine, dum flamma ceſſat, ſemper virga ferrea movendi ſunt cineres, ut æqualiter calcinentur, atque omnes carbones in albos cineres redigantur, qui cinis aqua frigida extrahendus. Lixivium per filtrum, vel pannum, colatum, lento igne, ſine magna ebullitione, evaporandum, & cum cuticula apparet, ad cryſtalliſandum reponendum. Vid ZWELF. *Animad.* ad *Pharm Aug.* p. 452. ſqq.

Salia hæc fixa plantarum, ſine ſulphure vel alio artificio parata, (caveant vero pharmacopæi, pro more, cineres vel ſal ipſum cum ſulphure calcinare, vel acidum quoddam addere,) magis ad naturam alcalinorum, quam mediorum ſalium, accedunt; nec etiam plantæ ſpecificas virtutes, e qua extracta ſunt, retinent. Vix ulla quoque inter illa deprehenditur differentia; omnia acidum infringunt, humores craſſos reſolvunt, attenuant, incidunt, urinam & alvum cient. Raro per ſe ſolum, herbarum ſal, ſed plerumque cum aliis mixtum, præſcribitur. Illuſtriſ. Boerhaave *ad drachmam unam & ultra, in copioſa aqua diſſoluta, ad febres intermittentes pertinaces expugnandas, adhibere juſſit.* Elem. Chem. *Tom. II. Part. I. Proc. 9. pag. 41. conf.* SCHULZ. Prælect. *pag.* 278. *&* TENTZELII Exegeſis Chymiatr. Angel. Salæ, *p.* 727.

Sal Aceti Eſſentiale.

Pharm. Bat. pag. 137.

℞. Caput Mort. Aceti deſtillati.

Coq. in Aqua, donec ſufficiat; dein Filtra ac Cryſtalliſa, ſecundum Artem.

Sudorificum eſt, & putredini reſiſtit.

Doſis eſt a granis quinque, ad

grana decem, in vehiculo aliquo idoneo. *Conf. de hoc Sale* BOERHAAVE, Elem. Chem. *Tom. II. p.* 189.

Sal Aceti Fixum.

Ibidem pag. 138.

℞. Caput mortuum Aceti deſtillati, Calcina illud; dein ſolve in Aqua, Filtra denique & coagula ſecund. Artem.

Idem efficere creditur, ac præcedens Sal.

Sal Antimonii.

Hujus parandi modum vid. apud HOFFMANN. *Not.* ad *Poter. Pharm.* Spag. Lib. II. Cap. 12. pag. 390. *Hartmannum, Februm, Lemery* & alios chemicos plures.

Sal Chalybeatum Cachecticum.

CHARAS, *Pharm. Reg. Tom. II. pag.* 697.

℞. Vitrioli Martis, *unciam unam.*
Salis prunellæ, *uncias duas.*
Salis ex Aquæ fort. capite mort. extract *unc. tres.*

Pulverat. miſce in Alembico Vitreo, atque igne Arenæ torqueantur, donec Materia rubeſcat & liquetur: Maſſa rubeſcens & dura ſervetur ad uſum.

Plurimum commendatur hic Sal in Cachexia & affectibus ſcorbuticis, ad Maſſam Sanguinis vitioſam emendandam & emundandam, appetitum dejectum rurſus erigendum, & obſtructas lotii vias aperiendas. Vomitum interdum ciet, & alvum movet, ſed utrinque parce & leniter. Doſis eſt a granis decem, uſque ad grana viginti. *Utinam hæc omnia vera ſint.*

Ceterum Conf. ſupra Pulvis Cachecticus Quercetani, & Pulveres Chalybeatos; *& vid. inprimis* SCHROEDERI Pharm. *Lib. III. p.* 466. *ubi id ipſum Sal Cachecticum exhibitur.*

Sal Chalybis.

Pharm. Bat. p. 139.

℞. Croci Matris per Aquam Regiam facti, *quantum vis.*

Extrahe Sal cum Aqua, deinde Filtra & Cryſtalliſa, ſecundum Artem.

Vim habet incidendi & aperiendi obſtructiones, tum viſcerum, tum uteri. Doſis eſt a grano uno, ad grana quinque, & ultra: *Sed ne quid nimis. Caute enim hic agendum: Conf. inf.* Vitriolum Martis.

Sal Chalybis Catharticum.

Pharm. Bat. p. 140.

℞. Capit. mort. Flor. Salis Ammon. Martiator. *quantum placet.*

Solve in Aqua calida, filtra, ac coagula.

Leniter alvum purgat, & ſimul diureticum eſt. Doſis ſit a granis decem, ad grana duodecim. *Conf. ſupra* Cryſtalli Martis.

Sal Chalybis ſ. Martis Dulce.

SCHROEDERI *Pharm. Med. pag.* 376.

Diſpenſ. Prag. Vienn. Hamb.

℞. Limaturæ Martis, *quantum placet.*

Irroretur optime Aceto deſtillato, ut paſta fiat, quæ ſiccetur; ſiccata teratur, & iterum irroretur Aceto deſtillato, pro paſta, & hoc ſæpius repe-

tatur: Tandem effundatur phlegma Aceti; coquatur bulliendo & filtretur: dein humiditate in Balneo Mariæ abſtracta, digeratur cum Spiritu Vini, & reponatur ad Cryſtalliſandum.

Virtutem habet incidendi, atque obſtructiones viſcerum & uteri, etiam contumaciores, aperiendi.

Conf. ſupra Saccharum Martis, *quod ejusdem Virtutis,*

Sal Cinnamomi.

Illius parandi modum & uſum accurate docet Nicol. GRIMM, *in* Laboratorio Ceylon. *pag.* 74. *ſqq. Sed nobis Europæis haud licet eſſe tam beatis. vid.* SCHULZ. *pag.* 279.

Sal Coralliorum.

Diſp. Vienn. Wirt. Prag. & rel.

Solutio Coralliorum, aceto deſtillato facta, in vaſe figulino evaporatur, materiæ reſiduæ ſalinæ, ut odore aceti privetur, aquæ fontanæ portio ſuperfunditur, atque denuo, leni coctione, ad ſiccitatem perducitur. Pari modo etiam parantur

Sal Concharum,
Margaritarum,
Matris Perlarum,
Oculorum Cancrorum,
Oſtreorum,

Salia hæc ſunt ſolutiones, & virtute omnia gaudent reſolvente, diuretica & ſudorifera.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam dimidiam.

***

Sal Cordiale, *ſeu* Cardiacum

MYNSICHTI, *Theſ. Pharm. p.* 196.

℞. Radicum Caryophyllatæ,
Buglofſæ, *ana libras duas.*
Herbarum Roriſmarini,
Salviæ,
Meliſſæ, *ana libram unam.*
Semin. Ocymi Caryophyllat.
Corticum Citri, *ana libram ſemis.*
Florum quinque Cordialium,
Tunicæ, *ana uncias quatuor.*

Miſce, & calcina in exactum Cinerem, vaſe undique firmiter clauſo; poſtea adde:

Cinerum Cinnamomi, *uncias tres.*
Caryophyllorum,
Cardamomi, *ana unc. unam ſemis.*
Croci Orientalis,
Macis, *ana drachmas duas.*

Et ex Cineribus, mixtis, cum Aquis Cordialibus, extrahe Sal pulchrum, lege Artis.

In Lipothymia, Syncope, ceteriſque Cordis affectibus, ſpiritus omnes recreando & fovendo, quam maxime valet, (aut valere creditur) Doſis ſit a ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum, plus minusve in Aquis Cordialibus. *Conf. ſupra* Pulveres Cardiaci, *ſeu* Cordiales.

Sal Cornu Cervi Volatile.

Diſp. Wirt. Brand. Amſt. Leid. Ratisbon. & rel. vid Chem.

E cervi cornibus, in ſegmenta mediocria diſſectis, igne aperto, e retorta capaci, recipiente amplo adaptato, & juncturis optime clauſis, una cum ſpiritu & oleo, elicitur, atque agitatione a lateribus recipientis elotum, ab olei parte potiori ſegregatur, rectificatione poſtmodum, e cucurbita vitrea, arenæ igne admodum leni,

a ſpiritu quoque ac phlegmate ſeparatur, & oſſium calcinatorum vel cretæ albæ quadruplo mixtum, ſublimatur, itaque ad puritatem deſideratam & candorem gratum deducitur.

Salia volatilia animalia ſunt alcalinæ naturæ, & ab oleo empyrevmatico volatiliſationem acquirunt; reſolvunt igitur, & ab oleo, intime innexo, expanſivam virtutem habent, adeoque profundius in organa colatoria penetrant, ſicque ſecretiones omnis generis promovent, atque opem adferre poſſunt, ubi motus excitandi ſunt; e contra ab uſu eorum abſtinendum, ubi jam per ſe nimis intenſi. Vid. GRABAE Elaphograph. & BORRICH *de* Med. Herm. *C.* 4. *p.* 332.

Vim tamen ſpecificam antepilepticam, & antitoxicam, vulgo quidem jactatam potius, quam probatam, huic Sali volatili plane denegat STAHLIUS, Mat. Med. *Part. I. p.* 299. *ſqq.* & *P. II. p.* 51. *item* SCHULZ. Prælect. *pag.* 280. *aliique recentiorum plures dubitant neque ſine ratione. Conf. infra ad* Spiritum Corn. Cervi dicta: & *ſupra P. I. ad* Cornu Cervi.

Dantur a granis tribus, ad grana duodecim; *largiori vero doſi dari poſſunt, ſi ab oleo empyrevmatico liberata ſunt; facilius etiam ſenes, quam juvenes, phlegmaticos, quam ſanguineos & plethoricos perferre, expertum eſt.*

Sal Cosmeticum.

Diſpenſ. Vienn.

Paratur ex plumbo, Sulphure citrino, Matre perlarum, & aceto, ut præter neceſſitatem, operoſe nimis ibi docetur. Sed quoniam hoc Sal ſic dictum coſmeticum, ut omnia Saturnina alia, de quibus ſupra, ad vaſtandas potius, quam venuſtandas puellarum formas. natum & repertum mihi videtur; ideo propter incertam utilitatem; certius vero damnum, illi in hoc opere noſtro, locum ullum dare, merito dubitavimus. Conf. ſupra, *pulvis Coſmeticus.*

Sal Diureticum,

Pharm. Bat. pag. 139.

℞. Cap. mort. Salis Ammon. volatil.

Solv. in Aqua calida, deinde filtra & coagula, ſecundum Artem.

Proficuum admodum in febribus intermittentibus; item & in Ictero, Scorbuto, Hydrope & omnibus pæne obſtructionibus valde conducit.

Doſis eſt a ſcrupulo ſemis, ad drachmam ſemis, in convenienti vehiculo.

Ceterum aliud Sal diureticum, medium quaſi inter fixum ac volatile, operoſe deſcriptum habetur in Pharmacop. Regia CHARAS, *Tom. II. pag.* 594.

Sal Diureticum Ettmülleri.

JUNGK. *Corp. Pharm. pag.* 935.

℞. Salis ſtipitum Fabarum,
Tartari, *ana drachmam ſemis.*
Succini vol. *ſcrupulum unum.*
Miſc. Fiat pulvis Salinus diureticus.

Sal Diureticum Waldſchmid.

JUNGK. *ibidem.*

℞. Salium Geniſtæ,
Abſinthii,
Fabarum,
Veronicæ,
Juniperi,
Ebuli, *ana drachmam unam.*

Miſc.

Miſc. Fiat pulvis ſalinus diureticus, ut ante,

Doſis ſit a ſcrupulo uno, ad drachmam dimidiam.

Ubi neceſſitas exegerit, in Aqua Fœniculi, petroſelini, Fragor. aut alia quacunque Aqua diuretica.

Sal de Duobus.

Vid. ſupra

Arcanum Duplicatum.

Sal Epaticum Mynſichti.

Theſ. Pharm. pag. 198.

℞. Rad. Agrimoniæ, *libras duas.*
Cichorei,
Scorzoneræ, *ana libram unam.*
Coſti amari,
Eryngii,
Curcumæ, *ana libram ſemis.*
Calami aromatici,
Rhaponticæ, *ana uncias quatuor.*
Herb. Abſinthii pontici,
Abrotani,
Eupatorii,
Schlopendrii,
Veronicæ,
Epaticæ nobilis,
Fumariæ,
Cnſcutæ, *ana uncias tres.*

Mixta calcinentur in Reverberio; poſt add.

Cinerum Rhabarbari,
Caſſiæ ligneæ, *ana unc. un. ſemis.*

Et cum Aqua Flor. Epaticæ albæ, vel alia convenienti, Fiat lege Artis, Sal albiſſimum, uſui ſervandum.

Hepatis obſtructiones, inflationes & durities tollit: Scirrhum diſſolvit, quantum poteſt, Cachexiam depellit: Aquæ ſubter cutem medetur: Icteritiam curat: Colorem corporis fœdum emendat: Menſes ciet, nec non urinam, diſſipando Calculum, promovet. Doſis a ſcrupulo uno, ad duos, in vehiculis convenientibus. *Magnifica hæc omnia ſunt, fateor, utinam & eſſent ubique veridica.*

Sal Epilepticum Mynſichti.

Theſ. Pharm. pag. 195.

℞. Radicum Palmæ Chriſti, *libras duas.*
Angelicæ,
Pæoniæ,
Pyrethri, *ana libram unam.*
Semin. Pæoniæ,
Scobis Ligni Cupreſſ.
Viſci quercini, *ana libram ſemis.*
Herbarum Pentaphylli,
Millefolii,
Rutæ hortenſis,
Verbaſci,
Lavendulæ,
Roriſmarini,
Morſus Gallin. *ana unc. quatuor.*
Florum Primulæ Veris,
Stœchadis Arabicæ,
Tiliæ,
Pæoniæ,
Sambuci, *ana uncias duas.*

Miſta omnia calcinentur in Reverberio, poſtea, ſi placeat, aut opus fuerit, adde:

Cinerum Picarum juniorum,
Hirundinum,
Stercoris Pavon. *ana unc. unam.*

Et cum Liquore convenienti fiat lege Artis Sal albiſſimum & cryſtallinum.

Epilepticis, Vertiginoſis, Lethargicis, Congelatis, Subethicis, (hoc eſt, ſoporoſis & ſtupidis,) & omnibus, periculoſis Capitis Morbos, timentibus, ſingulari proprietate conducit. Doſis ſit a ſcrupulo uno, ad drach. dimid. *in Aqua*

Florum Tiliæ, vel Epileptica Langii aut Mynſichti, aut alia, ſuperius deſcripta.

Magna hic, non nego, promittuntur, ſed utinam in his cineribus, & exinde productis ſalibus, ipſarum illarum Radicum, Florum & Herbarum, quas florentes & vigentes adhuc poſſidebant, virtutes, etiam poſt cinefacta earum corpora, in triſti et ſordido veluti buſto, deprehendere liceret! Sed hoc quidem erat potius in votis, quam in fatis, aut ipſa re. Quod ſi vero etiam omnes illæ virtutes antepilepticæ adhuc ineſſent iſtis plantis e mortuis & in cineres redactis: in cineribus tamen illis picarum, ſive juniorum, ſive & ſeniorum, item Hirundinum, multo minus ſtercoris pavonum vix aliquid invenio, quod auxilium præſtare poſſit.

Sal Eſſentiale Acetoſæ & Acetoſellæ.

Ex BOERHAAVE Elem. Chem. *T. II. P. I. Proc.* 7. *pag.* 33. *ſq.*

Diſp. Wirt. Vienn. Argent. Ratisbon. Hamb. Edinb.

Herbarum Acetoſæ, vel Acetoſellæ copiam ingentem conciſam & in mortario lapideo contuſam, inter lintea pura, prelo fortiter exprime. Succum expreſſum ſæpius per manicam Hippocratis cola, donec limpidus, purus & tenuis tranſeat. Liquorem ita depuratum e vitreis vaſis, vel figulinis probe vitreatis, leni ebullitione inſpiſſa ad conſiſtentiam fere Cremoris lactis recentiſſimi; inſpiſſatum hoc liquidum infunde vitro cylindrico, vel, quod præſtat, urinali, ut usque intra collum plenum ſit; ſuperaffunde parum Olei olivarum, & in cellam, per ſeptem, octo, vel plures menſes repone. Ita ſub oleo, quod fermentationem & mucilaginis generationem prohibet, præcipitatur ſal, ſpeciem Tartari referens, qui, per inclinationem, a liquore ſeparatus, & ſubita aquæ frigidæ affuſione, paulum ablutus quam ocyſſime a fæce, leniterque exſiccatus, verum exhibet ſal plantarum nativum.

Citius etiam hoc ſal parari poteſt, ſuccum acetoſellæ, vel per ſubſidentiam, vel addito albumine ovi, per ebullitionem clarificando, in vitro vel olla vitreata, ad tertiæ vel quartæ partis remanentiam, leniſſimo igne evaporando, atque in locum frigidum reponendo: ſic plerumque ſpatio viginti quatuor horarum, ſal concreſcit, & ad fundum vaſis deſcendit, quod vel ſiccari, vel in aqua fontana rurſus diſſolvi, coagulari, & tali modo depurari poteſt. Vid. CARTHEUSER. *Pharm.* pag. 382. & ZORN. *Bot.* p. 18. LOESEKE, *Mat. Med.* pag. 102. præſertim vero BEGUIN. *Tyrocin. Chym.* Lib. II. Cap. 17. p. 251. ubi ſimili facili euchireſi, Salem e Carduo benedicto, aliisque plantis recentibus & ſucci plenis, prolicere docet, ubi & Poterius, *Pharm. Spagyr.* L. I. & LEMERY, *Curſ. Chym.* C. 8. pag. 503. item *Collectan. Chym. Leyd.* Cap. 172. pag. 148. & JUNGK. *Chym. Exper.* Sect. III. Cap. 4. p. 145. ne jam de aliis dicam: res enim hodie ſatis nota.

Acidum gratum eſt; hinc julapiis refrigerantibus additur, maxime vero apud nos in uſu ad maculas atramentoſas linteorum delendas.

Eodem vero modo pari poteſt

Sal Centaurii Minoris, Cichorii,

Euphraſiæ,
Fumariæ,
Plantaginis,
Quercus, &c.
Vid. Diſp. Edinburg.

Sal Eſſentiale Tartari.

Vid. ſupra.
Arcanum Tartari, *ſive* Terra Foliata Tartari.

Sal Eſſentiale Vegetabilium.

Præter duplicem iſtum modum hic commemoratum, nempe vel per contuſionem & expreſſionem plantarum recentium, vel per calcinationem aridarum, Sal quaſi eſſentiale parandi, tertium addit MYNSICHTUS, *in* Theſ. Pharm. *Sect. XII. pag.* 204. *nimirum per cocturam herbarum arefactarum, quam deinde* Bierlingius, *& plures alii ſequuti. Mihi vero, ut ingenue fatear, prima methodus per expreſſionem ſuccorum recentium plantarum inſtituta, omnium optima & efficaciſſima videtur: per illam enim Sal nativum ipſique plantæ a natura inditum blande producitur, quod inde verum Salis Eſſentialis nomen jure meretur. Per binas vero alteras Methodos, ſæva ignis indomiti violentia, Sal extorquatur peregrinum quaſi, novum, adventitium, acre & diverſæ plane averſæque a prima ſua origine, indolis, indeque neutiquam Eſſentiale, aut nativum ingeneratumve vocandum:*

Miraturque novas frondes, & non ſua poma;

Degener enim quaſi hoc Sal Ignis eſt filius; quum illud prius expreſſione paratum, vera ſit & nobilis ipſius Naturæ progenies, nullo aliunde adſcito Vitio, aut contagio contaminata. Hinc bene diſtinguendum inter Sales Vegetabiles, a natura in ipſo Regno vegetabili, genitos, & inter eos, quos chemicus ignis, ceu nova & inſolita monſtra, aut, ut Helmontius, *ſatis proprie ait, tanquam novas creaturas, generat: uti ſapientiſſime, pro more ſolito, monet maximus* BOERHAAVIUS, Elem. Chem. *Tom. II. Part. I. Proc.* 7. *p.* 32. *ſqq. licet contra ſtet* STAHLIUS, Obſ. & Animad. Chym. *p.* 321. *qui tamen hic fallitur. Quæ licet hodie ubivis notiſſima ſint; tamen in Tironum præcipue gratiam, hic repetenda merito duximus.*

Sal Febrifugum Bat.

Pharm. Bat. pag. 139.

℞. Teſtarum Oſtreor. opt. mundatar. *quantum vis.*

E quibus, ad ſummam albedinem, prius calcinatis, deinde ſolvendo in Aqua, filtrando & coagulando, ſecundum Artem, eliciatur Sal antifebrile.

Cujus doſis ſit a drachma dimidia, uſque ad drachmam integram, ſemper, ante paroxyſmum.

Conf. ſupra, pulveres antifebriles.

Sal Febrifugum Ettmülleri.

JUNGK. *Corp. Pharm. pag.* 935.

℞. Tartari Vitriolati, *drachmas duas.*
Salis Abſinthii,
Centaur. minoris,
Cichorii, *ana ſcrupulum unum.*

Miſc. *Fiat Sal digeſtivum in Febribus intermittentibus, die remiſſionis, per Vices, dandum.*

***

Sal Febrifugum Mœbii.

BIERLING. *Append. Med. pag.* 124.

℞. Cryſtallor. Nitri, *uncias ſex.*
quas deinde ſolve in
Aquæ fluviatilis, *libris ſex.*
poſt, ad decidentiam *unius quartæ*, injice in vas,
Limaturæ Martis, *uncias duas.*
Moxque ab igne remove, & cola calide.

Vel alio Modo, ibidem.

℞. Cryſtallorum Nitri, *uncias quatuor.*
Martis, per Spirit. Vitrioli, *uncias duas.*

Cryſtallos Martis ſolve in Aqua: poſtea ſolutionem incorpora cum Cryſtallis Nitri, Mortario lapideo: Exſicca iterum, & pulveriſa, ad uſum.

Ibidem & tertius parandi illius ſalis modus, ſed brevior docetur.

Ceterum hoc ſal antifebrile Mœbianum olim celeberrimum fuit, neque in hunc uſque etiam, ipſius uſus plane eviluit. Vid. JUNGKEN. Prax. Med. *pag.* 401. *& paſſim alios Medicorum practicorum Libros.*

Sal Febrifugum Sylvii.

Diſp. Wirt. Amſt. CHARAS, *T. II. pag.* 692. *Ratisbon. & rel.*

℞. Reſiduum a deſtillatione ſpiritus ſalis Ammoniaci, qui cum ſale alcalino præparatus eſt, ſolvitur in aquæ communis puræ ferventis ſufficiente quantitate. Solutio filtratur per chartam, & evaporatur in olla terrea vitreata, ad ſiccitatem uſque, agitando ſpatula, donec ſal relictum fuerit ſiccum & albiſſimum.

Vid. BOERHAAV. *Elem. Chem.* Tom. II. P. II. Proc. 107. pag. 293. & *Collect. Chym. Leyd.* pag. 21.

Vires ſunt attenuantes, incidentes & reſolventes. Prodeſt in febribus quartanis, nec non tertianis, diaphoreſin & urinam movet, refrigerat, & ad ſcrupulum unum dari poteſt.

Sal Febrifugum Sleppecrellii.

Tab. Smaragd. pag. 363.
Diſpenſ. Brand.

℞. Salium Abſinthii,
Centaur. min.
Card. Ben.
Ammon. probe præcipitati,
Nitri, *ana drachmam unam.*

Miſceantur: *Propinatur horis duabus ante Paroxyſmum, drachma ſemis, aut ultra in convenienti Vehiculo. Convenit vero cum Sale febrili* MYNSICHTI, *pag.* 204. *quod laudat* SCHULZ. *pag.* 281.

Sal Febrifugum Aliud.

Diſp. Vienn.

℞. Arcani duplicati,
Salis Armoniaci depurati,
Cardui benedicti,
Centaur. minor.
Abſinthii, *ana unciam unam.*
Miſceantur exacte pulveriſata.

Ejusdem eſt effectus, ac præcedens: datur & eadem doſi, & eodem tempore, nempe ſilente Febre.

Sal Febrile Specificum.

BIERLING. *Append. Med. pag.* 125.

℞. Salis Ammon. cum Marte ſublimat. *unciam ſemis.*
Nitri Antimoniati, *unciam unam.*
Salis Abſinthii,
Cardui benedicti,
Centaur. minoris, *ana drachm. ſex.*
Solv. omnia ſimul in ſuff. quant.

Aq. Card. Ben. filtr. per chart. dein abſtrahe in cucurbit. B. Ciner. ad medietatem & pone ad cryſtalliſandum.

Doſis eſt a drach. ſemis, ad unam, tribus, vel duabus horis, ante paroxyſmum, in Aq. Centaur. min.

Sal Glaſti, *ſeu* Iſatidis Volatile.

Ipſius parandi modum facilem ac ſimplicem, primus docuit WEDELIUS, in *Tract.* de *Sale Volatili plantarum*, Cap. V. pag. 45. ſqq. Cap. vero IX. pag. 83. ſqq. ipſa Experientia duce, affirmat, *illius Salis uſum* eſſe eximie antiſcorbuticum, & anginæ inprimis, aliisque inflammationibus ſedandis, apprime conducere. Conf. ZORNII *Botanolog.* pag. 368.

Sal Jovis, *vid. mox* Sal Stannis.

Sal Lactis, *Vid. ſupra* Saccharum Lactis.

Sal Lumbricorum Volatile.

Ad normam Salis cornu cervi paratur: quod vide ſupra.

Viribus etiam cum illo convenit.

Datur & eadem doſi.

Sunt, qui vim magis antiſpasmodicam adſcribunt, quam cæteris ſalibus volatilibus. Quemadmodum etiam parantur

Sal Volat. Cranii Humani,
Fuliginis,
Sanguinis,
Ungul. Alcis, &c.
Serpentum,
Cantharidum,
Ciconiarum,
Blattarum,
Apum,
Formicarum,
Millepedarum,
Bufonum,
Capillorum.

Sal Mirabilis Glauberi.

Diſp. Wirt. Hamb. Edinburg. Lond & al. vid. Chem.

Reſiduum ſal, quod, in paratione ſpiritus Salis Glauberiani, in fundo retortæ vel cucurbitæ reperitur, eximitur, aqua fontana fervida diſſolvitur, ſolutio filtratur atque evaporatur, donec pelliculam formare incipit. Tum quietum in loco frigido reponitur, ubi in maſſam glacialem coire ſolet. Si vero ſal ille in aquæ fervidæ ſextuplo ſolvitur, ſolutio parum inſpiſſatur, & in vitro magno reponitur, tum concreſcit in pulcherrimas cryſtallos, ſingularis formæ, ſatis magnas, in aëre non deliqueſcentes.

Sal rite paratus & in pollinem redactus, triplo aceti, cereviſiæ, vini, vel aquæ mixtus & repoſitus, ea conglaciat. Addito carbonum pulvere & in crucibulo fuſus, ſine ſulphuris additione, maſſam exhibet, Hepar ſulphuris dictam, ex qua verum ſulphur minerale præcipitari poteſt. Interne leniter ſtimulando, urinam pellendo, alvum movendo, reſolvendo, laudem meretur.

Hæc omnia ſic apud BOERHAAVE, Elem. Chem. *Tom. II. Part. III. Proc.* 145. *pag.* 360. *ubi & de ipſius uſu*

interno & externo mirabili: de quo etiam vid. CARTHEUS Pharm. *pag.* 421. *ſqq.* & Elem. Chym. *pag.* 35. *Sed* CLAUDERUS, *de* Balſamat. *C. V. pag.* 118. *ſqq.* & BORRICHIUS, *apud* Bartholin. *Epiſt.* 89. *Cent. III. pag.* 385. *Sal illud mirabile pro minus mirabili habent,* LOESEKE Mat. Med. *pag.* 96.

Sal Philoſophorum,

Pharm. Bat. pag. 140. *ex* SCHROEDERO, *pag.* 267. *Lib. II.*

℞. Salis decrepit.
Gemmæ, *ana unciam unam ſemis.*
Galangæ,
Macis,
Cubebar. *ana unciam ſemis.*

Miſc. fiat pulv. concoctionem juvat: *Doſ. gr. quatuor, ad duodecim* mane jejuno ventriculo. Sed unde Nomen *Philoſophorum?* Conf. infra *Sal Stomachicum.*

Sal Polychreſtnm Pariſienſ.

Diſpenſ. Pariſ. Vienn. Brand. Argent. Bat. Lugd.

℞. Nitri Crudi pulverati,
Sulphuris communis, *ana libram.*

Mixta, per Vices, projice in Crucibulum candens, nec nova adjiciatur Materia, quin prior prorſus deflagrata ſit. Abſoluta deflagratione, per horam, ignem urge. Maſſam refrigeratam & ex Aqua calente ſolutam filtra. Vaporet ad pelliculam, & Cryſtallos ex Arte, para & ſerva.

Vires ſunt abſtergentes, Viſcidum incidentes, & blande alvum, urinam & ſudorem moventes.

Plerumque vero tribuitur hoc Sal polychreſtum Celebri illi Gallorum Chemico, Lemeryo, *unde & vulgo, Lemeryanum audit. Ipſe autem perquam accurate illud deſcripſit, in* Curſu Chymico, *ut vocat, pag* 381. *ſqq. forte poſt alios. Ceterum vid. hic* SCHULZ. Præl. *pag.* 281.

Sal Polychreſtum Rubrum.

Diſpenſ. Prag.

℞. Arcani duplicati, *unciam ſemis.*
Nitri antimoniati, *unciam unam.*
Tartari Vitriolati, *drachmas ſex.*
Cinnabaris Antimonii,
Nativæ præparatæ,
Salis prunellæ,
Abſinthii, *ana drachmas duas.*

Miſceantur: Fiat pulvis ſubtilis: cujus *doſis eſt a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis*, in convenienti vehiculo.

Valet ad ſanguinis æſtum temperandum, & ſpaſmos mitigandos; inde in Eryſipelate & Cholera, tanquam ſpecificum, commendatur. Demtis duobus Salibus, remanet pulvis antiſpaſmodicus Stahlianus notiſſimus, cujus ſupra, ſuo loco, habetur deſcriptio, quam vide.

Sal Polychreſtum de Seignette.

Diſp. Wirt. Brand.

CHARAS, *Tom II. pag.* 585.

℞. Sodæ Hiſpanicæ, quæ eſt ſal e planta Kali paratum, *libram unam.*
Diſſolvatur in
Aquæ fontanæ ferventis, *libris tribus.*

Solutio per chartam filtretur, & in vaſe figulino ebulliat, inter bulliendum inſpergatur
Cryſtallorum Tartari, in pulverem tritarum, quantum lixivium Sodæ capere poteſt; ſufficiunt plerumque, *unciæ ſex*, vel *ſeptem.*

Mox, poſt additionem cryſtallo-

rum Tartari, oritur effervefcentia, quæ per intervalla ceſſat & renaſcitur. Tandem præcipitatur pulvis levis, cineritii coloris. Liquor ſupernatans, per chartam filtratus, ad tertias lento igne evaporatur, atque ad cryſtalliſationem reponitur.

Vix determinari poteſt pondus certum cryſtallorum tartari. Soda enim non eadem ſemper eſt, & vel majorem, vel minorem quantitatem Salis Alcali continet. Cryſtallorum Tartari igitur tantum addere neceſſe eſt, usque dum effervefcentia ceſſet, quod ſignum eſt ſaturationis.

Cum tartaro ſolubili vel tartariſato convenit, & easdem vires habet. Loco Salis Anglici cathartici, a drachmis duabus, ad ſex, in aqua ſolutus, dari poteſt. Urinam ciet & alvum movet, absque ulla moleſtia. Vid. de hoc nobili Sale Hauptii *atque* Teichmeyeri *Diſſertationes ſingulares: Conf.* BÜCHNERI Fund. Mat. Med. *pag.* 55. CARTHEUSERI Pharmacol. *p.* 419. *ſqq.* SCHULZ. Præl. *in* Diſpenſ. Brand. *p.* 281. LOESEKE, Mat. Med. *p.* 93. Commerc. litt. med. Norimberg. *Ann.* 1736. *pag.* 341. *ſqq.* KLEIN. Select. rat. Med. *p.* 220. *præcipue vero* NEUMANN. Prælect. *de* Nitro, *pag.* 92. & *noviſſime* Cl. BARON, *in* Addit. *ad* Lemeryi Curſ. Chym. *quem ipſum vid. p.* 384. *Ipſe vero* Seignette *omnium primus, Tractatum evulgavit de hujus ſui mirabilis Salis uſu ſingulari.*

Sal Sedativum Hombergii.

CHARAS, *Pharm. Reg. T. II. p.* 708.
Diſpenſ. Pariſ.

℞. Salis Colcothar. ex Vitriol. deſtillat. ſuperſtitis, *uncias duas.*

Solve in Aquæ ferventis *Quant. ſufficienti.*

Boracis tritæ, *uncias duas.*

Solve pariter in Aquæ fervent. *Quant. ſuff.*

Solutiones Miſce: ſine reſidere; filtra; Mitte in cucurbitam Vitream humilem, & latioris fundi: Vaporent ad pelliculum: Tunc Capitellum & Receptaculum adapta: deſtilla igne Arenæ, ad ſiccitatem.

Omnis Aqua elicita abjicitur, exceptis quatuor ultimis unciis, quæ ſervabuntur. Cum nihil humoris ſtillat amplius, Sal Volatile ſublimatur, Nivis inſtar. Finita ſublimatione, vaſis refrigeratis, Flores excipe: ex unciis quatuor Liquoris, ſupra aſſervati, fiat cohobatio, cum Materia, in fundo cucurbita reſidua. Deſtilla, & Liquorem ſerva: Sublima & ſupra; & hæc Sublimatio erit priore copioſior. Cohobationes, deſtillationes & ſublimationes repete; donec nulli amplius ſublimentur Flores.

Idem Sal parari poteſt ex parte una Olei Vitrioli, loco Salis Colcotaris, & ex duabus tribuere partibus Boracis, Aqua communi ſolutis. Si poſt unam, aut alteram ſublimationem, Materia ſupereſſet in Aquæ communis ſufficienti Quantitate ſolvatur, filtretur, & vaporet; tunc concreſcent Cryſtalli, ſub ſole exſiccandæ, & Aqua limpida & frigida abluendæ.

In febribus continuis & ardentibus præcipue mirum in modum, hunc ſuum Salem commendat Auctor Hombergius, *ad æſtum nimium ſedandum ac mitigandum; item delirium temperandum: motus convulſivos compeſcendos, nec non affectus hyſtericos atque hypochondriacos ſopiendos, adeo ut inſigne prorſus ſit anodynum & paregoricum; atteſtante quoque ipſo* Charaſio. Doſis eſt a granis

tribus, uſque ad grana decem, *in vehiculo convenienti.*

Sal e Seminibus Plantarum Volatile Wedelii, de Sale Volat. Plant. Cap. II. pag. 14.

Tab. Smaragd. pag. 365. JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 943.

℞. Seminum Rutæ,
Cochleariæ,
Sophiæ Chirurg. bene mundat. & ſiccat. *quantum vis*, v. gr. *libram ſemis, vel unam.*

Inde Retortæ vitreæ: deſtilla lento igne, primo phlegma; hinc Sal Volatile, Spiritui nuptum, & ſeorſim quoque pulcherrimis rhombis, Recipientis ſe affigens parietibus, longe elegantiſſimum, & oleum penetrans, ad Corebariam uſque, copioſiſſimum. Paucis horis, re feliciter peracta, ſeparetur mediante filtro, vel tritorio minore, oleum a liquore volatili urinoſo, conquaſſato prius leniter vaſe, ut Sal Volatile ſolvatur, & liquori immergatur; quo fine etiam Spiritus Vini rectificat, modicum pro ablutione majori, infundi Vaſi poteſt, & ſervetur ad uſum. *Eſt vero primum Cephalicum, & ſpeciatim antepilepticum, alexipharmacum & penetrans, hyſtericum etiam Medicamentum non contemnendum,* quod per ſe dari poteſt ad guttas decem, aut viginti, *vel cum Spiritu Lilior. Convall. aliisque accommodis permiſceri.*

Sal Spleneticum Mynſichti.

Theſaur. Pharm. pag. 199.

℞. Herbarum Abſinthii pontici, *libras duas.*
Cardui Benedicti, *libram unam.*
Rorismarini,
Scolopendrii,
Veronicæ,
Cetrach, *ana libram ſemis.*
Radicum Filicis utriuſque,
Calami aromat. *ana unc. quatuor.*
Corticum Capparum,
Tamariſci,
Fraxini, *ana uncias tres.*
Florum Chamomillæ,
Centaur. minor.
Geniſtæ, *ana uncias duas.*

Fiat omnium Cinis; ex quo poſtea cum ſupra dictarum Herbarum Aquis ſtillatitiis, extrahatur Sal, ut eſt Artis.

Omnes Lienis obſtructiones, dolores & duritiés aperit, ſiſtit, emollit atque reſolvit. Senibus quoque & Quartanariis mire confert. Doſis ſit omni mane, a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis, *in Aqua Scolopendrii, vel alio convenienti liquore.*

Sed vid. ſi placet, ſupra dicta, ad Salia Epaticum & Epilepticum *ejusdem* Mynſichti, *illaque ex parte, etiam huc refer. Interim tamen nec hoc omittendum hic fuit.*

Sal Spongiæ Volatile,

Pharm. Batean. pag. 141.

Quod fit deſtillando per Retortam, & Sal rectificando, ſecundum Artem, ex Capite mortuo, in Aqua calida ſoluto, elixiviatur Sal fixum.

Quod utile ad calculos Renum ac Veſicæ frangendos. Valet etiam ad ſtrumas diſcutiendas. Doſis eſt a granis quinque, ad grana duodecim, vel ultra. *Conf.* Boeckleri *Continuat. Tertia Cynoſura Mat. Med. Herm.* Valentini *Muſ. Muſeor. & alios Mat. Med. Scriptores.*

Sal Stanni, *ſive* Jovis.

Paratur vulgo ex ſtanno calcinato, atque Aceto deſtillato, ita LEMERY *Curſ. Chym.* pag. 113. CHARAS, *Pharm. Reg.* T. II. p. 780. *Batean.* pag. 139. *Vienn. Hamb.* & alia Diſpenſatoria: Sed Nitrum addunt JUNGKEN, *Chym. Experiment.* p. 317. & alii nonnulli, pro diverſo nempe Scopo. *Eximiæ vero prorſus virtutis, præſertim in Morbis uterinis, hoc Jovis Sal eſſe traditur ab his omnibus. Præcipue conf. hic* BEGUIN. *Tyrocin. Chym. L. II. C. 17. pag. 269. Sed vid. quæ poſt* Boerhaavium, *& alios, jam ſupra, contra monuimus, ad* Bezoardicum Jovis, *&* Pilulas dominarum. *Certe Jupiter, Venus, Mercurius & Saturnus non ſunt iſti dii, quos colere, aut venerari debet Medicus prudens & cautus, quoniam culti & in auxilium vocati, plerumque veneficium potius præſtant, quam beneficium: de quo ſupra, data occaſione, paſſim. Sed hæc obiter.*

Sal Stomachicum Eſurinum Dolæi.

Encyclopæd. Med. Part. I. pag. 438.

℞. Nitri præparati,
Salis Communis, igne fortiter fuſi,
Gemmæ, *ana drachmas duas.*
Abſinthii,
Cardui Benedicti,
Tamariſci, *ana drachmam unam.*
Galangæ,
Cubebarum,
Macis, *ana drachmas duas.*

Miſceantur, Fiat inde Pulvis ſalinus.

Cui non contemnendas Vires ipſe tribuit Auctor: quod quouſque verum ſit, experiantur ipſi, quibus volupe fuerit. Ceterum multum convenit cum Sale *ſic dicto* Sacerdotali, *tam Schroederi, quam Weickardi, cujus utriusque deſcriptio proſtat in* JUNGKEN Corp. Pharm. *pag.* 902. *& alibi, in priſcis diſpenſatoriis. Nec valde etiam diſcrepat a* Sale Philoſophorum, *cujus deſcriptionem ſupra dedimus ex eodem* Schrœdero, *ut &* Pharmacop. Bateana, *quod vide, ſi placet.*

Sal Stomachicum Mynſichti.

Theſaur. Pharm pag. 197.

℞. Radicum pimpinellæ, *libras duas.*
Calami aromatici,
Zingiberis albi, *ana libr. unam.*
Herbarum Abſinthii pontici,
Menthæ criſpæ,
Salviæ acutæ,
Rorismarini, *ana libr. ſemis.*
Cydonior. exſiccatorum,
Zedoariæ, *ana uncias quatuor.*

Calcina omnia in Cineres, vaſe clauſo, poſt add.

Cinerum Galangæ minoris,
Cinnamomi, *ana unc. tres.*
Caryophyllorum,
Cardamomi utriuſque,
Nucis Moſchatæ,
Piperis rotundi, *ana unc. unam.*

Miſc. cum Aqua Menthæ, vel alia ſtomachica: Fiat lege Artis, ſal ſpagyricum.

Ventriculum frigidum calefaciendo, mire roborat; Concoctionem juvat: Nauſeam ſedat; præterea ægritudinibus Nervorum egregie confert. Omnes ſenſus & ingenium acuit, quantum poteſt: Dolores capitis ſedat: Senes catarrhoſos ſuſtentat atque Hydropicos juvat. Exhibetur ſcrupuli pondere, pro una vice, plus minusve in vehiculis ſpecificis, Mor-

bum proprie reſpicientibus. Hæc ſane magnifica.

Sal Succini Volatile.

Diſp. Wirt. Argent. Paris. Lugd. Leid. & rel. vid. Chem.

℞ Raſuræ ſuccini, *libras ſex.*
Arenæ lotæ, *libras tres.*

Miſceantur & deſtillentur e retorta, arenæ impoſita, primo lento, poſtea aucto ignis gradu. Primo prodit phlegma acidulum, quod ſequitur oleum flavum, deinde rubrum, & cum illo & ſubſequente oleo nigro, ſal volatile, oleum flavum & phlegma, mutato recipiente ſeorſim ſervanda. Oleis vero, rubro & nigro, una cum ſale volatili, affunduntur,

Aquæ fontanæ calidæ, *libræ tres,* & invicem agitantur, ut ſal in oleo hærens ſolvatur & elutrietur. Liquor ſalinus per chartam emporeticam, antea, ne ſimul oleum penetret, madefactam, filtratus, lento igne, in vitreo vel terreo vaſe, ad quartæ partis remanentiam evaporatur, & ad cryſtalliſationem reponitur. Cryſtalli ſalini ſquamoſi a liquore ſupernatante ſeparantur, & leni calore exſiccantur; liquor vero, vel ad ſiccitatem, vel ad dimidias evaporatus, denuo ad cryſtalliſandum reponatur.

Non ſolum ad Liquoris cornu cervi ſuccinati præparationem inſervit; ſed & per ſe in affectibus hyſtericis, catarrhalibus, & nervinis utiliter adhibetur; egregium etiam eſt diureticum, & penetrans aperitivum; ob oleum vero, quod illi adhæret, motus excitat.

Datur a granis tribus, ad ſcrupulum ſemis, & ſi probe ab oleo depuratum, ad ſcrupulum integrum aſcendere licet. *Wirt.*

Sal Sulphuris.

Hujus quidem Salis parandi modum, & parati uſum, vid. apud Lemery, *Curſ. Chym.* pag. 385. *Zwelferum,* & alios; item & in *Pharmacopœia Paris.* & *Bateana,* pag. 141. ubi ſimul docetur, *efficax iſtud eſſe Remedium, adverſus Verminationem:* Doſi ipſius a granis quinque, uſque ad grana decem, *exhibita.*

Sal Tartari Fixum.

Diſp. Vienn. Wirt. & rel.

Tartarus in vaſe terreo non vitreato reverberatur, ad albedinem uſque; tum, aqua communi ſolutus, filtratur, & in ſal coagulatur, quod, repetita ſolutione & coagulatione, purius redditur.

Eſt ſalium alcalinorum omnium optimum ac puriſſimum. In Medicina ejus uſus eſt rarus, ad chymicos labores præcipue inſervit. Hypochondriacis tamen & nephriticis commendatur in Diſp. Vienn.

Purgantium debiliorum, utpote rhabarbari, & foliorum ſennæ, vires excitat.

Sal Tartari Volatile.

Lemery *Curſ. Chym. pag.* 575.
Diſp. Wirt. Prag. Vienn. Argent.

Fæces vini in umbra, ſuper aſſeres effuſæ, ſiccantur, ex retorta vitrea per gradus, ſicut ſpiritus Tartari, deſtillantur, ſic prodit, una cum oleo & ſpiritu, ſal volatile, quod, ſicut in ſalis ſuccini deſtillatione dictum, aqua fontana calida diſſolvitur, atque ab oleo extrahitur & ſeparatur, e cucurbita ſublimatur ac depuratur.

Eſt ſal alcali cum oleo empyrevmatico intime mixtum.

Vid. huc Jo. THILE *Diſſertat. de* Sale Tartari Volatili coagulato. *Witteberg.* 1683. *item* Dan. LUDOVICI *Diſſ.* de Volatilitate Salis Tartari, & ZOBELII Tartarologia Spagirica. *Conf. hic* Diſpenſ. Brand. *in Not.* & KLEIN. Select. Rat. Med. *pag.* 223.

Vires diaphoreticæ & diureticæ oleo huic empyrevmatico ſunt adſcribendæ; igitur cum eadem cautela adhibendum, qua ſalia volatilia animalium propinare juſſimus. Vid. Pharm. Bat. *pag.* 141.

Sal Tartari Volatile Hellwigii.

Hujus Salis præparandi rationem ex ipſius Hellwigii introitu in veram atque inauditam Phyſicam, petitam, præter alios, late & accurate deſcribit JUNGKEN, in *Chymia Experiment.* Sect. III. Cap. X. pag. 169. pag. vero ſequenti 170. facilior adhuc Methodus proponitur Sal illud volatile Hellwigianum parandi.

Sal Tartari Volatile Tackenii.

Diſp. Wirt.

Vid. Zwelfer. Wedel. Barner. & *alios Chemicos.*

℞. Salis volatilis urinæ, *uncias duas.*
Aceti deſtillati fortiſſimi, *uncias octo.*

Digerantur leni calore, per aliquot dies; poſtea leni igne acetum, per deſtillationem, evocetur, atque
Aceti nova quantitas ſuperfundatur, & poſt digeſtionem, abſtrahatur.
Sali relicto.
Salis tartari, *quartam partem.*
ſucceſſive adde;

Miſceantur exacte, tum, cucurbitæ immiſſa, ſublimentur; ſublimato reſiduum in cucurbita adde, tere, & denuo ſublima, atque hanc cohobationem aliquoties repete, donec omnem ſalis tartari quantitatem ſublimatam eſſe obſerves.

Vires ſunt reſolventes, aperientes & diureticæ.

Doſis grana decem, ad ſcrupulum unum.

Sal Theriacale Simplex Zwelferi.

Animadverſ. in Pharm. Auguſt. p. 278.

℞. Salis puri albiſſ. ſive Gemmæ, ſive Marini, *libras duas.*
Hoc diſſolvatur cum
Aquæ ſimplicis, *libris decem.*
Cui deinde adjiciantur
Viperarum recenter mactatarum & mundatarum cum ſuis Cordibus & Hepatibus vivis, *No. quindecim vel viginti.*

Coquantur aliquandiu, donec Viperæ fruſtulatim concidant, quæ ſeparandæ per colaturam; decoctum clarificandum, filtrandum, & ad ſiccitatem ſalis, inſpiſſandum, vel cryſtalliſandum, cui ſali demum adde:
Olei ſtillat. Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Macis, *ana drachm. unam ſemis.*
Ambræ gryſ. q. ſ. v. gr. *drachm. unam.*

Sed poteſt quoque Ambra omitti. *Tum vero ex his mixtis, Fiat Sal roborans, Alexipharmacum ac prophylacticum, nec non guſtui gratiſſimum.*

Sal Theriacale Compoſitum

Ejusdem ZWELFERI, *ibidem.*

℞. Salium Abſinthii,
Scordii,

Centaurii minoris,
Cardui Benedicti, *ana unc. novem.*

Quibus in Aqua ſolutis, immergantur quindecim circiter viperæ mundatæ: Coquantur, ſeparentur, & Liquor ſalinus inſpiſſetur, vel cryſtallizetur. *Doſis hujus Salis ſit a ſcrupulo uno, ad drachmam dimidiam, aut unam.*

In Morbis malignis, epidemicis & contagioſis.

Sal Theriacale Compoſitum Aliud.

Ejusdem ZWELFERI.

℞. Herbarum Scordii recentis,
Centaurii recent. *ana libram ſemis.*
Radicum Angelicæ,
Zedoariæ, *ana uncias tres.*

Fiat decoctum in Aqua ſimplici, *ad libras ſex, vel octo,* cui optime clarifato junge, & in eo diſſolve
Salis Centaurii minoris,
Scordii,
Cardui benedicti, *ana unc. decem.*

Addendo Viperarum rec. mactat. & mundat. *No. quindecim,* coq. donec Viperæ molleſcant: tum fiat Colatura: Colatum optime iterum clarificetur, & in Sal coaguletur. Quod ipſum ſi aliquo colore imbuere velis, addas ipſi vel crocum, vel Santal. rubrum.

Hoc Sal quidem nonnihil amarum eſt; priori tamen nulla ratione cedit; quin idem etiam ſuperat, ſummaque in Morbis malignis & peſtilentialibus, virtutis exiſtit. In doſi cum ſuperiore convenit. *Ceterum quid in aliis ejusmodi Salibus Theriacalibus Viperinis, hactenus uſitatis, jure reprehendendum ſit, circa eorum præparationem fuſe, nec ſine ſtomacho, enarrat ibidem* ZWELFERUS, *pag. 270. ſqq.*

Sal Uterinum.

MYNSICHT. *pag.* 202.

℞. Radicum Bryoniæ, *libras duas.*
Diptamni albi,
Pæoniæ, *ana libram unam.*
Viſci quercini,
Granor. Chamæactes,
Sambuci, *ana libram ſemis.*
Herbarum Rorismarini,
Meliſſæ,
Matricariæ,
Nepetæ,
Pulegii, *ana uncias quatuor.*

Ex omnibus mixtis fiat Calcinatione, cinis, ex quo poſtea, cum Aqua Meliſſæ, vel alia convenienti, extrahatur Sal candidiſſimum.

Omnes, aut certe plurimas Uteri obſtructiones reſerat, Convulſiones ſedat; ſuffocationes compeſcit; Menſes movet: ſterilitati, quantum poteſt, medetur, & multa alia incommoda tollit. Doſis ſit a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis, *in Vehiculis aptis, & ut dicitur vulgo, ſpecificis.*

Sal Uterinum ad Partum Promovendum, Hoffmanni Sen.

Theſaur. Pharmaceut. pag. 100.

℞. Boracis Venetæ, *drachmas tres.*
Glaciei Mariæ, *unc. unam ſemis.*

Miſceantur: *Doſis ſit a ſcrupulo uno, ad drachmam dimidiam, vel etiam integram,* in Aqua Cinnamomi, Menthæ, Meliſſæ, aut alia quacunque convenienti. Conf. GEOFFROY *Mat. Med.* T.I. p. 154. *Ceterum conf. ſupra* Pulveres *ad* partum, Hyſtericos, Uterinos, Dominarum *atque* Mulierum.

* * *

Sal Uterinum Volatile Oleoſum Extemporaneum.

LE MORT. *Chym. Med. Phyſ. p.* 102.

℞ Oleorum Rutæ, *guttas viginti.*
Sabinæ guttas, *viginti quatuor.*
Lavendulæ,
Rorismarini,
Thymi,
Juniperi,
Macis ſtillat. *ana guttas ſeptem.*

Excipiantur hæc olea Sale Tartari, & Miſc. cum Spiritu Vini & Spiritu Salis Ammoniaci, eodem modo, eademque Quantitate, qua præparatum fuit Sal Volatile oleoſum aromaticum extemporaneum in antecedentibus, ibidem diligenter deſcriptum.

Hoc autem Sal volatile oleoſum ſpecificum eſt ad omnes uteri affectus, & obſtructiones, ejusdem menſtrua ſuppreſſa citiſſime proliciens. Ita ibi Auctor, ſatis magnifice, ſed & ſatis vere, ut equidem arbitror, magna enim huic ſali uterino ineſt efficacia.

Sal Viperarum Volatile.

Eadem, qua cornu cervi, encheireſi, e viperis exenteratis et ſiccatis, conficiendum eſt. Vid. *Pharm. Bat.* pag. 143. *Lugd.*

Cum reliquis ſalibus volatilibus animalium convenit, & eadem doſi exhibetur. Illud vero præ reliquis ſalibus volatilibus habet eximium & præcipuum, quod præſentiſſimum & præſtantiſſimum ſit Remedium antitoxicum, contra ipſos mortiferos venenatarum viperarum morſus, id quod ſingulari plane exemplo memorabili oſtendit confirmat Moyſes CHARAS, *in* Experiment. circa Viperas, *Cap. I. pag.* 57. *ſqq. & Cap.* 8. *pag.* 149. *ſqq. Vid. & Nicol.* GRIMM. Laborat. Ceylon. *pag.* 33. *ſqq. Ubi Salis Viperarum tam fixi, quam Volatilis, parandi modum accurate docet, ſimulque monet, utraque illa Salia præſertim, in pertinaci Arthritide expugnanda, mirandas ſuas vires ſupra ſpem fere omnem, oſtendere. Conf.* Diſp. Lugd. *pag.* 231. *ſq. & inprimis* SCHULZ. *in* Prælect. ad Diſpenſ. Brand. *pag.* 283. *ubi bina memoranda exempla affert de ſingulari Salis Viperini efficacia, in curanda paralyſi & morſu viperarum ſanando.*

Sal Virtutis.

Diſpenſ. Argent.

℞ Cinerum Ligni Fraxini cribrat. *partes tres.*
Salis Ammoniaci, *partem unam.*

Miſce optime, lentoque ignis gradu, per cucurbitam ſublima. Sic elevabuntur Flores admodum compacti: tum affunde ſpiritum Vitrioli guttatim, tam diu continuando, donec Spiritus Vitrioli omnes diſſolverit Flores, & Spiritus limpidus conſpiciatur. Hunc poſtea moderato Igne, evapora ad ſiccitatem: Videbis tunc Sal partim, in altum elevatum, & in ramulos elegantes, nive candidiores diſperſum, partim, in fundo, in Cryſtallos, Nitrum puriſſimum repræſentantes, coactum. Omne deinde Sal collige, & uſui ſerva.

Sal hoc Schæfflerum Auctorem agnoſcit, ab eodemque valde commendatur, tanquam Remedium attenuans, aperiens, & deoppilans, quam maxime conveniens in Febribus, Morbisque Chronicis. Doſis ad ſcrupulum, ſcrupulos duos, & ultra. *Sed has ipſas in Febribus præſertim compeſcendis, Virtutes potius Sali Ammoniaco adſcribendas eſſe equidem cenſuerim, quam inertibus illis & fatuis Fraxini cineribus; Conf. ſi pla-*

cet, ſupra a nobis hanc in rem, dicta, ad ipſum Fraxini Corticem. *De Salis autem Ammoniaci Virtute antifebrili notiſſima, vid.* HOFFMANN. Obſ. Chym 19. *Lib. II. pag.* 202. BOERHAAVE Elem. Chym. *Tom. II. pag.* 293. LEMERY Curſ. Chym. *pag.* 421. *& innumeros alios & Medicos, & Chemicos: Inde enim celeberrimum illud Sal febrifugum Sylvii, cujus deſcriptio ſupra, & in omnibus fere diſpenſatoriis, habetur. Sed hæc obiter. nemini enim Medicorum hæc quidem ignota eſſe arbitramur.*

Sal Volatile Anglicum Siccum.

Vid. HOFFMANNI *Obſ. Chym.* 26. *L. II. pag.* 233. *ſqq.*

Diſp. Wirt. Vienn. Collect. Leyd. Chym. pag. 160.

℞. Salis Tartari, *uncias duas.*
Ammoniaci, *uncias ſex.*

Terantur ſeorſim atque immittantur cucurbitæ vitreæ, addantur
Olei deſtillati Lavendulæ, *drachm. tres.*
Spiritus vini rectificatiſſimi, *uncia una.*

Superimponatur ſtatim alembicus, atque leniſſimo igne ſublimetur ſal, quod vitris parvis incluſum, atque operculis vitreis obturatis, ſervetur.

Ex tempore parari poteſt, ſi
Salis Ammoniaci, *partes duæ.*
Salis Tartari, *pars una*, additis,
Olei Lavendulæ, vel alius odorati, *guttis aliquot*, miſceantur.

Ad olfaciendum offertur hyſtericis & a cephalalgia vexatis: Non tamen adeo ſecure & utiliter, ut vulgo quidem putatur: de quo vid. BOERHAAVE, Elem. Chem. *Tom. II. Part.* 2. *Proc.* 106. *pag.* 293.

Sal Volatile Oleoſum.

Diſp. Leid. Wirt. Brand. Prag.

℞. Cinnamomi electi, *unciam unam.*
Macis,
Nucis moſchatæ, *ana drachmas ſex.*
Caryophyllorum aromaticorum, *drachmas duas ſemis.*
Corticum recent. Aurantiorum,
Citri, *ana uncias duas.*
Cardamomi minoris,
Cubebarum, *ana drachmas duas.*
Spiritus vini rectificati, *libras tres.*

Stent per triduum, poſtea adde, ſeorſim in pulverem redactorum,
Salis ammoniaci, *uncias quatuor.*
Cinerum clavellatorum, *uncias ſex.*
Aquæ fontanæ, *libram unam.*

Deſtillentur, lento igne, ad remanentiam, *libræ unius ſemis.*

Ventriculi & inteſtinorum atoniam corrigit, flatus diſſipat, & hyemali ac pluvioſo tempore ſumtum, tranſpirationem inſenſibilem promovet, atque a morbis præſervat.

Doſis guttæ viginti quinque, ad quadraginta.

Sal Volatile Oleoſum Angelicæ Boerhave.

Elem. Chem. Tom. II. Part. II. Proceſſ. 123. *pag.* 324. *ſeqq.*

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Radicum angelicæ recentium tenuium, menſe Februario effoſſarum, & minutim inciſar. *uncias duas.*
Salis ammoniaci, in pulverem triti, *unciam unam.*
Tartari, *drachmas tres.*

Spiritus vini bonæ notæ, *libras duas.*

Fiat ſtatim, arcte agglutinato excipulo, deſtillatio leni igne.

Spiritui prolecto denuo radicis angelicæ unciam adde, atque rurſus deſtilla, & in vaſe arctiſſime clauſo repone.

Celebratur ab auctore, cardiacum, ſtomachicum, ſudoriferum, diureticum, antiparalyticum, antiſpasmodicum, antepilepticum, anthyſtericum, anthypochondriacum & anticolicum, &c.

Doſis guttæ viginti quatuor, triginta, ad quadraginta in vehiculo aquoſo.

Sal Volatile Oleoſum *ſive* Liquor Oleoſus Sylvii.

Diſpenſ. Wirt. Prag. Brand. Hamb.

℞. Olei deſtill. Aniſi,
Caryophyllorum.
Cinnamomi, *ana dr. ſemis.*
Macis, *ſcrupul. unum.*
Zedoariæ.
Succini, *ana ſcrup. ſemis.*
Spiritus ſalis ammoniaci volatilis, vinoſi, *uncias novem.*

Digerantur in vaſe optime clauſo & ſerventur.

Vires ſunt carminativæ, ſtomachicæ & aperitivæ. Vid. RIEDLINI Lin. Med. *Ann.* 1695. *Menſ. Jul. Obſ. XI. pag.* 203. & *Ann.* 1697. *Menſ. Mart. Obſ.* 15. *pag.* 171. *ſeqq. item Ann.* 1699. *Menſ. Auguſt. Obſ.* 10. *pag.* 821. & *An.* 1700. *Menſ. Nov. Obſ.* 14 *pag.* 1286. *ſeqq.* & Cur. Med. 143. *Cent.* 11. *pag.* 84. & *Cur.* 643. *Cent. VII. p.* 399. *it. Cur.* 911. *Cent. X. p.* 638. *item* SCHULZ. Præl. *p.* 286. & CARTHEUSER. Pharmacol *p.* 175. STAHLIUS *autem* Mat. Med. *Part. I. Claſſ.* 6. *pag.* 303. *nec Virtutis, nec pretii quidquam huic Sali Sylviano tribuit. Sed qui quæſo poterat ſecure ſententiam decretoriam ferre de Medicamento, cujus veram compoſitionem ipſe* Sylvius *per omnem Vitam, diligenter celaverat, obſervantibus* Wedelio, Schulzio, Cartheuſer. & *aliis? Quæ enim vulgo circumfertur ejusdem Salis deſcriptio, Sylvium ipſum Auctorem non habet, quod certiſſime conſtat. Igitur hic non tam Sylvius ipſe carpendus erat, ſed iſte potius audax imitator, qui ipſius nomine & invento, in ſua lucra, & illius damna, abuſus fuerat. Hoc enim certum eſt, Sal illud oleoſum, hodie vulgatum, præcipuas iſtas Virtutes haud exſerere, quas Sylvius ipſe, crebra fidaque experientia edoctus ac confirmatus, de ipſo prædicaverat.*

Ceterum lepidam de hoc Sale Oleoſo Sylvii, Hiſtoriam retulit KAEMPFERUS, *in* Deſcript. Regni Japon. *Part. V. Cap.* 10. *pag.* 426.

Doſis guttæ triginta, ad quadraginta quinque. Conf. infra, *Spiritus Salis Ammoniaci aromaticus Edinburgenſium*: item *Spiritus volatilis aromaticus oleoſus Pariſienſium.*

Sal Volatile Urinæ.

Diſpenſ. Pariſ. Wirt. Vienn. Prag.

Urinæ juvenum vel puerorum magna quantitas, in vaſe terreo, evaporetur, ad mellis conſiſtentiam. Magma hoc vel e cucurbita, vel retorta leni igne deſtilletur, ſic prodit, una cum ſpiritu & oleo fœtido, ſal urinæ, quod, uti in ſalis cornu cervi præparatione docuimus, ab oleo & ſpiritu ſeparandum atque depurandum eſt.

Cum ſale cornu cervi per omnia, convenit, igitur, quæ ibi diximus, repete-

re ſupervacaneum foret. Vid. SCHULZ. Præl. *p.* 286. *ubi cautiſſime cum eo mercandum eſſe, prudenter monet.*

Sal Volatile Urinæ Vinoſum.

Illius parandi modum, uſusque multos præſtantiſſimos, vel in Morbis periculoſiſſimis, etiam a minima ejusdem doſi, expectandos, diligenter enarrat *Nicol.* GRIMM, in *Laboratorio Ceylon.* pag. 5. ſeqq.

Sanguis Cichorii Rhabarbarinus.

vid. infra

Tinctura *ſive* Anima Rhabarbari.

Sanguis Hirci Præparatus.

Vid. Diſpenſ. fere omnia.

Sanguis excipitur, atque, in clibano ſiccatus, ſervatur.

Ab Helmontio item, quod mirum, Ludovico, & *aliis, ipſum ſequutis, Cl. Medicis, ad pleuritidem tanquam ſpecificum, commendatur, ſed fruſtra omnino, ut dudum oſtendimus, in Lib. noſtro de* pleuritide, *Cap. II. pag.* 19. & *Cap. III. pag.* 42. & *p.* 48. *Conf.* SCHULZII Prælect. *p.* 286. & Diſpenſ. Brand. *pag.* 142. *in Not. ubi tamen in utramque partem diſſeritur. Sed rectius parum virtutis ipſi tribuit Verna, Tract. de* pleurit. *Part. V. Cap.* 7 *pag.* 132. & *Cap.* 5. *pag.* 126. *Conf. ſuperius dicta, ad Pulverem pleuriticum* Muſitani, & Ludovici. *Inprimis vid.* RIVINI *Diſſ. de* Medico ſuperſtitioſo, & *de* Cenſura Medicament. officinal. *item ill. van.* SWIETEN, Comment. in Aphoriſ. BOERHAAVE, *Tom. III. p.* 39. *Apud plebejos uſus eſt, quoties lapſi, aut aliam contuſionem, vel ſubluxationem, paſſi ſunt: Singulares præterea ipſi virtutes diureticæ & lithonthrypticæ tribuuntur vulgo ab Aëtio, Galeno, Alex.* & *aliis, non improbante quod mirum,* FORESTO, Obſ. 25. *Lib.* 24. *pag.* 143. & *alibi: ſed dubio plerumque ſucceſſu.*

Doſis drachma ſemis, ad integram.

Sapa Vomitoria Sylvii.

Diſp. Brand. Collect. Chym. Leydenſ. p. 25.

℞. Vitri Antimonii hyacinthini, per ſe, ſine ullo additamento, parati, *uncias duas.*
Muſti recentis, aut, quod melius, ſucci Cydoniorum recens expreſſi, *libras ſex.*

Stent in digeſtione Balnei Maris, dies quinque circiter, aut ſex. Tum cola per Bibulam. Colaturam leni Balnei Maris calore inſpiſſa, exhalando ad Conſiſtentiam Extracti ſpiſſioris juſtam, quam ſolicite ſerva; ſi placeat.

Vocatur etiam ſapa vomitoria Tilemanni, a Profeſſore medico Bremenſi, qui eam inter primos, publici juris fecit. Quantum Sylvius ipſe huic Vomitorio tribuerit, ex variis ſcriptorum illius locis colligitur. Ipſe de uſu nos edocet, Lib. II. de Methodo Med. *Cap. X.* §. 41. *pag.* 104. *Qui minus ſpiſſum Medicamentum paraverunt, ut guttis admetiri poſſint, tres, vel quatuor ſumendas præcipiunt, ut* Eman. KOENIG. Regn Miner. *pag.* 62. *Ceterum legi meretur Obſervatio Jo. Petr.* ALBRECHTI, *in* Ephemerid. Nat. Cur. *Dec. II. Ann. VI. p.* 46. *ipſique ſubjuncta admonitio de præſtantiſ-*

ſimo uſu hujus aliorumque Vomitoriorum antimonialium, in admodum refracta doſi, exhibitorum & aliquandiu continuatorum. *Hæc* SCHULZIUS, *p.* 287. *Multum vero convenit hæc ipſa Sapa cum Aqua ſic dicta Benedicta Rulandi, cujus deſcriptionem ſupra dedimus, hincque parem etiam cum ipſa, laudem meretur, id eſt perquam ambiguam atque exiguam: omnia enim illa medicamenta, quæ quidem ex Vitro Antimonii præparantur, admodum violenta, & hinc magis ſuſpecta, minusque tuta ac fida eſſe, inter omnes Medicorum doctiorum abunde conſtat. Conf.* GEOFFROY Mat. Med. *T. I. pag.* 222. STAHLII Diſſ. *de* Vitro Antimon. *& alios infra allegatos ad ipſum* Vitrum Antimonii hyacinthinum.

Sapo Fragrans.

GAUB. *de Formul. pag.* 394.

℞. Saponis Venet. *uncias octo.*
Pulv. ſubtiliſſ. Rad. Iridis Florent.
Flor. Lavandul, *ana dr. tres.*
Olei ſtillat. Cortic. Citri, *guttas quindecim.*
Tincturæ Benzoin. Aqua Lavandul. præcipitatæ, *quantum ſufficit.*

Concorporentur in Paſtam, ex qua formentur Pilæ hinc inde Auri foliis exornandæ.

Lavandis manibus, faciei, &c. inſervit: cuti nitorem & lævorem conciliat, & ipſi corpori ſuavem odorem. Conf. ſupra Pulvis Coſmeticus ad Manus, *ex quo pariter, additis addendis, ejusmodi Sapo fragrans commodius parari poteſt.*

Sapo Medicatus.

Diſpenſ. Wirt. vid. Chymicos

℞. Calcis vivæ recentis ſolidæ, *libras duas.*

Committantur ollæ magnæ, atque ſuperponantur.

Cinerum clavellatorum, *libræ quat.*

Ita, ut calx cineribus clavellatis undique tecta ſit, reponantur, linteo leviter tecta, tam diu, donec calx incipit fiſſa dehiscere, tum demum permiſceantur, atque addantur.

Aquæ fontanæ calidæ libræ, *viginti quatuor.*

Coquantur in ferreo vaſe, ad tertiæ vel quartæ partis conſumtionem, transcolentur per linteum denſum. Lixivium ita paratum ovum recens injectum ſuſtinere debet, & a ſaponariis Magiſtra, Meiſter-Lauge appellatur, aqua magis dilutum, ſic, quod in illo ovum recens ad fundum ſubmergatur, ſecundarium vocatur.

℞. Hujus lixivii ſecundarii.
Olei olivarum puri & recentis, *ana libras tres.*

Miſceantur accuratiſſime atque leni igne, ſub perpetua agitatione coquantur, donec, evaporata maxima parte humiditatis, quam optime inter ſe coire inceperunt; tum affundantur.

Lixivii prioris, ſive Magiſtræ, circiter, *libræ novem.*

Coquantur leniſſimo igne, continuata agitatione, usquedum mixtura pellucida, & quaſi mucilaginoſa ſit, atque gelatinæ inſtar, frigefacta, concreſcat. Tum aliquot uncias ſalis communis adjice, atque coctio continuetur, donec portiuncula hujus mixturæ ſaponaceæ, diſco inſtillata, lixivium a ſapore coagulato, prompte ſecedat. Removeatur ignis, & ſapo, lixivium ſuper natans, mediante cochleari in formas ligneas perforatas, quibus linteum ut lixivium tranſtillare poſſit, im-

mitti debet, effundatur; Refrigeratus ſapo eximatur, atque in partes diſſectus exſiccetur. Signa laboris bene peracti & ſaponis perfecti ſunt, ſi in frigore ſciſſili duritie conſtet, in aqua perfecte ſolvatur, ad linguam non alcalino-acris ſit, & in aëre non liqueſcat.

Acrem alcalinum ſaporem ſi exhibet, ſignum eſt, alcali abundare, & tum olei parum addi & coctio continuari debet; ſi, ſapone in aqua ſoluto, olei nota apparet, tunc lixivii fortis portio addatur, & ulterius coquantur, donec æquabiliter diſſolvatur in aqua ſapo ita confectus.

A celeberrimis hujus ſeculi Medicis, & imprimis BOERHAAV. Element. Chem. *Tom. II. Part. I. Proc.* 73. *pag.* 225. *&* Conſil. Med. *de Saponis uſu, in* Conſultat. Med. *pag.* 374. *ſeqq. Edit. Pariſ.* 1750. *& pag.* 362. *in uſum medicum internum vocari cœpit ſapo, & quidem optimo cum ſucceſſu. Ut igitur purus proſtet, præparationis methodum adponere lubuit. Faſtidioſum quidem atque nauſeoſum eſt medicamentum, at virtute egregie aperiente, attenuante, reſolvente & diſſolvente nulli cedit. Aqua ſolutus, calore, motu & contritu tam gummoſa, quam reſinoſa, oleoſa & pinguia diſſolvit, redditque ſaponacea atque in aqua diſſolubilia. Obſtat acido, coagulationem chyli & lactis impedit, imo coagulata reſolvit; inveteratas obſtructiones reſerat, vias permeabiles reddit, calculoſis convenit, & vires novi medicamenti lithontriptici Anglicani inprimis ſaponi ſunt adſcribendæ. In partu difficili bono cum ſucceſſu adhiberi etiam poſſe compertum eſt.*

Uſus eſt, in aqua ſolutus & probe dilutus. Doſis drachma una vel duæ; *largiorem quidem alii commendant, præſtat vero minori doſi & repetitis vicibus exhibere, ſimulque motum corporis ſubjungere ſufficientem. Vid. plura in Cl.* SCHULZII Diſſert. *de* Saponis uſu medico: *& Cl.* LOESEKE, Mad. Med. *pag.* 542. *ſqq. Ceterum alium Saponem medicatum, Amygdalinum dictum, qui ex Lixivio Saponario & Oleo Amygdalarum dulcium recens expreſſo, paratur, deſcriptum habes apud* CHARAS Pharmac. Reg. *Tom. II. p.* 656.

In morbis vero putredinoſis ejus uſus exulet.

Sapo Odoratus.

BIERLING, *Append. Med. p.* 177.

℞. Pulv. Roſarum.
Lavendulæ.
Majoranæ.
Menthæ.
Chamomillæ Romanæ, *ana drachmas tres.*
Caryophyllorum.
Cinnamomi.
Nucis Moſchatæ, *ana dr. duas.*
Radicis Ireos Florent. *unciam ſemis.*
Ligni Rhodii, *drachm. duas.*
Olei deſtill. Majoranæ.
Menthæ, *ana guttas quat.*
Hyſſopi.
Spicæ, *ana ſcrupul. ſemis.*
Ol. Tartari per deliq. *unciam unam.*
Saponis Veneti, *libras duas.*

Cum ſufficienti quantit. Aquae Lavend. Fiant Globuli. Uſus ex ipſa Inſcriptione & Compoſitione patet.

Ceterum alios ejusmodi Sapones artificiales & odoratos ad varia Cutis vitia profuturos, vid. apud eundem BIERLINGIUM, *pag.* 160. 167. *& p.* 180.

Sapo contra Scabiem Wepferi.

℞ Saponis Veneti, *uncias quatuor.*
Sevi cervini.
Unguent. Pomat. *ana unciam ſemis.*
Florum Sulphuris, *drachmas duas.*
Sacchari Saturni.
Tutiæ præparatæ.
Spermetis Ceti, *ana dr duas ſemis.*
Olei Tartari, *unciam ſemis.*
Solut. Lithargyr. *drachm. duas.*
Olei Lavendulæ, *guttas quatuor.*

Cum Aquæ Roſarum ſufficienti Quantitate ſubact Fiant ſecundum Artem, Globuli.

Tum demum in uſum externum advocandi, quando prius corpus impurum intus probe expurgatum & præparatum fuit.

Sapo Tartareus, *ſive* Correctør Starckey.

Ex BOERHAAVII Elem. Chem. *Tom. II. p. 226. ſqq.*

Diſp. Wirt. Pharm. Bat pag. 97. & Edinburg. Pariſ.

℞. Salis Tartari puriſſimi, *libram ſemis.*

Fluat in crucibulo, forti igne, per horam unam aut alteram, ſicut pro paranda tinctura tartari fieri ſolet, ut igneus quaſi ac acerrimus fiat. Hunc ſalem effunde in mortarium ferreum, probe calefactum, & piſtillo pari modo calente in pulverem tenuem tere, quem, ab igne adhuc ferventem & tantum non candentem, immitte in purum, ſiccum, calidiſſimum vitrum, urinale vulgo dictum, in loco calido & ſicco, die ſereno; ipſo momento, quo ſal fervidus in vitri fundo collectus hæret, inſtillatur oleum Terebinthinæ deſtillatum, puriſſimum ac æthereum, nullo modo adulteratum, pariter calefactum, guttatim, ita, ut gutta guttam trudat, in mediam partem ſalis ferventis, tum, ingenti cum fumo & ſibilo ſtrepente, trahetur illapſum oleum illico in ſalem ſiticuloſum, ad intima usque, & diffundet ſe per totam maſſam ſalinam. Inſtillatio continuatur ocyſſime, donec tantum olei in ſalem attractum ſit, ut purum ſupernatet, ſicque omnem acceſſum aëris a ſuperficie ſalis arceat, impediatque. Reponitur vitrum in locum ſubterraneum, charta tectum, brevi oleum diſparebit, unitum ſali alcalino; affunditur tum iterum aliquid olei calidi ejusdem, & baculo ligneo miſcetur priori maſſæ. Reponitur, ut prius, ſicque pergitur, donec triplum fere olei ſali ſic adunatum ſit; eritque maſſa ſaponacea, æquabilis, mire penetrabilis. Quæ, quo magis conteritur & movetur, eo citius & felicius perficietur.

Cognoſcimus bene abſolutum eſſe opus, quando hic ſapo aquæ miſcetur, ſine olei nota. Vid. CHARAS, *Pharmac. Reg.* Tom. II. p. 677. & Chemicos alios recentiores, inprimis Cl. KLEIN. *Select. rat. Med.* pag. 225. ſeqq.

Correctør vocatur, quod ſi opio, vel alii vegetabili, ob vehementiam alias nocuo, exempli gratia Elleboro additur, eum corrigat & ſalutarem reddat.

Additur hic ſapo pilulis polychreſtis Starkeyanis, ſuo loco deſcriptis.

Abſtergit, aperit, diureticus & balſamicus eſt, atque in gonorrhœa & hydrope feliciter adhibetur.

Doſis grana octo, ad undecim, in vehiculo aquoſo.

Saturnina Magneſia.
Vid. ſupra
Magneſia Saturnina Poterii.

Scillæ Præparatio.

Diſpenſ. Argent. Wirt. Pariſ. Vienn. & reliq.

Scilla integra paſtæ, e farina & aqua, ex qua panis pinſi ſolet, involvitur, poſtea in clibano cocta, eburneo vel ligneo cultello ſquamæ a ſe invicem ſeparantur, & filo trajectæ, in umbra ſiccantur.

Attenuat, incidit & reſolvit potenter, in affectibus pectoris, a viſcida, craſſa materia ortis, hydrope & cachexia commendatur. Vid. inprimis HOFFMANN. Med. Rat. Syſtem. *Tom. IV. Part. III. Sect. II. Cap.* 2. *Obſ.* 8. & *ſuperius jam dicta, Part. I. ad* Scillæ Radicem.

Doſis in infuſo ſcrupulus, vel drachma ſemis; in ſubſtantia vel pulvere grana tria, vel quinque.

Secundinarum Humanarum Præparatio.

Diſp. Wirt. DALE *Pharmacol Part. IV. pag.* 588. *& al.*

℞. Placentam uterinam humanam, demptis membranis & funiculo, mundetur & lavetur in vini ſufficiente quantitate, atque, in fruſta diſciſſa leniterque ſiccata, loco tepido aſſervetur.

Uſus eſt in pulveribus, ut creditur quidem, ad ſtrumas gutturis tollendas, quin & ad Epilepſiam & philtra compeſcenda, & potiſſimum ad partum difficilem: Sed pertinet ad Medicinam ſordidam & inhumanam. Vid. LUDOVICI *Diſſ. I. p.* 415. Rivin. & *alios.*

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Sericum Toſtum.

Eadem methodo, qua Spongiæ, torretur. vid. *Diſp. Vienn. Pharm. Auguſt. &c.* SCHRODER. & DALE Pharm. pag. 489.

Species cordiales ingreditur, & pro antepileptico habetur, aut creditur. vid. Zwelfer. & Rivin.

Doſis ſcrupulus unus.

Sief Album.

Diſp. Argent. Wirt. Vienn. & rel.

℞. Gummi Arabaci.
Tragacanthæ.
Amyli, *ana unciam ſemis.*
Ceruſſæ, *drachmas ſex.*
Sarcocollæ, *drachmas tres.*
Miſce, fiat pulvis, ſervetur.

Additur collyriis, adverſus ophthalmiam, a ſero acri ortam. vid. SCHULZ. *pag.* 288.

Si SIEF CUM OPIO expetitur, addatur ſcrupulo granum dimidium Opii.

Solutio Coralliorum.

Diſpenſ. Wirt. Argent. & reliq.

Coralliorum rubrorum pulveri ſubtiliſſimo aceti deſtillati quantitatem ſufficientem affunde, eoque ſoluto, acetum per chartam emporeticam colatum leni igne, evapora, & ſiccatam ſolutionem ſerva.

Eodem recidit cum ſale coralliorum prætenſo.

* * *

Solutio Matris Perlarum, Oculorum Cancrorum,

eodem parantur modo, quo Coralliorum.

Sunt quaſi ſal medius, ex alcali terreorum & acido aceti. Aperiunt, urinam movent, & cum aqua commode dilui poſſunt; in febribus, vulnerariis præſertim, feliciter adhibentur.

Sparadrapum Album ſive Tela Gualth.

Diſpenſ. Pariſ. Wirt. Leod.

℞. Emplaſtri Diapalmæ.
Diachyl. ſ. *ana libr. unam.*
Albi cocti, *libr. dimidiam.*
Liquatis admiſce.
Pulveris radic. iridis Flor. *unciam unam ſemis.*

Immitte lintea, ſive telas vetuſtate detritas. F. Sparadrapum.

Commendatur ad ulcera inveterata, excoriationes a longo decubitu ortas, nec non ad fonticulos.

Sparadrapum, ad Corpus Conditum Involuendum.

Diſpenſ. Paris.

℞. Ceræ albæ, *libras octo.*
Olei Nucis Moſchatæ, *libram ſemis.*
Oleorum Eſſential Citrei,
Lavendulæ,
Neroli,
Thymi. *ana unc. quatuor.*
Eſſentiæ Regiæ, *drachmas duas.*

Liquefiat Cera Balneo Maris, cui refrigeſcenti adde primo Oleum Nucis Moſchatæ; tum & cetera Olea. Fiat ex Arte, Unguentum, cui Tela, vel pannus ſericus immergatur, & Fiat Sparadrapum.

Sparadrapum Rubrum.

Diſpenſ. Leod.

℞. Minii, *uncias quatuor.*
Cinnabaris, *uncias duas.*
Terebinthinæ Venetæ, *uncias tres.*
Reſinæ, *uncias quatuor.*
Ceræ citrinæ, *uncias ſedecim.*

Liquatis omnibus adde pulveres, dein immitte Lintea, ut fiat lege Artis, Sparadrapum.

Sparadrapum Viride.

Diſpenſ. Leod. ibidem.

℞. Viridis Aeris, *unciam unam.*
Reſinæ, *uncias quatuor.*
Terebinthinæ, *uncias duas.*
Pulveris Radic. Ireos, *unciam unam.*
Ceræ Citrinæ, *uncias ſedecim.*

Procedendum, uti antea, ut fiat ſecundum Artem, Sparadrapum, ad eundem uſum. Plura ejusmodi Sparadrapa, alba, Viridia, rubra, aliorumve colorum, vid. apud Gockelium, *Conſil. Med.* XXXIII. pag. 380. ſq. conf. Cl. Gaub. de Form. pag. 337. Renod. *Inſtit. Pharm.* L. III. C. 5. pag. 147. & præcipue Vigon. in *practica chirurg.*

Species Alexicacæ.

Diſpenſ. Prag.

℞. Radicum Buglosſæ.
Acetoſæ.
Tormentillæ.
Scorzoneræ, *ana unc. tres.*
Folior Endiviæ.
Cichorii.
Acetoſæ.
Pimpinellæ, *ana Manipul. tres.*

Tamarindorum, *uncias quatuor.*
Raſuræ Cornu Cervi, *unciam unam ſemis.*
Florum Borraginis, *Manipul. duos.*
Seminis Napi, *drachmas decem.*

Inciſa omnia diligenter Miſceantur.

In Febribus epidemiis malignis & Catarrhalibus, item Variolis ac Morbillis expellendis, in forma Infuſi, per modum Theæ, vel decocti, pro potu ordinario, commendantur.

Species Alexipharmacæ.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Radicum Leviſtici.
Vincetoxici, *ana libr. unam.*
Herbarum Galegæ.
Scordii, *ana libram ſemis.*
Corticum Citri, *unciam unam ſemis.*

Conciſa Miſceantur pro uſu eodem, in potu.

Species de Althaea:

Ibidem.

℞. Radicum Althææ, *uncias octo.*
Graminis.
Aſpargi.
Glycyrrhizæ.
Uvarum paſſarum mundatarum.
Herb. Althææ, *ana uncias duas.*
Scolopendrii Veri.
Malvæ.
Parietariæ.
Pimpinellæ.
Plantaginis.
Adianthi albi.
nigri, *ana unc. unam.*
Cicerum rubror. *uncias quatuor.*
Seminum quatuor frigid. major. *ana uncias tres.*

Mixta & inciſa ſerventur pro uſu, *qui eſt diureticus*, antinephriticus, & lithagogus. Ceterum ex iisdem tere ſpeciebus paratur *Syrupus de Althæa Ferudii*, cujus infra habetur deſcriptio.

Species Anodynae & Carminativæ pro Thea, Noſtræ Triller.

℞. Herbar. Meliſſæ.
Menthæ.
Millefol.
Salviæ, *ana Manip. unum.*
Florum Chamomill vulg.
Rom. *ana pugill. duos.*
Verbaſci.
Papav. errat.
Sambuci.
Tiliæ, *ana pugillum unum.*
Semin. Cardamom. min. *drach. duas.*
Carvi.
Cumini.
Anis.
Fœnic. *ana drach unam.*

Groſſo Modo Conciſ & Contuſ. Miſc. Fiant Species, pro Thea

In Ventris torminibus, Colica flatulenta, diarrhœa, cum acutis doloribus ac Teneſmo, Conjuncta: item paſſionibus hyſtericis, a flatibus præſertim obortis, ut & Menſibus, cum ſumma moleſtia & anxietate, erumpentibus, nec non acerbis doloribus, poſt partum, & generatim denique, in variis affectibus ſpaſmodicis Viſcerum Abdominis, hoc quidem Infuſum Theiforme præſentiſſima & præſtantiſſima præſtitiſſe auxilia, ſemperque fere expectationi noſtræ & ægrotorum Voto reſpondiſſe, fide quadraginta plus minus annorum Experientiæ, religioſe teſtari poſſumus, & in publica

commoda, omnino debemus. Sed non ſolum loco Theæ, hæ quidem Species, ſummo cum fructu, adhiberi poſſunt; Verum & haud minorem utilitatem, in mitigandis protinus doloribus acutiſſimis, præbent, ubi ſub forma Clyſmatis, ipſarum decoctum una cum Oleo Lini, papaveris, aut Amygdal. dulc. Alvo commode injectum fuerit; quod & eadem incorrupta fide teſtamur. Sed ipſi Medici faciant periculum.

Species Antiphthiſicæ pro Thea.

Ex BOERHAAVE, GAUB. *pag.* 149.

℞. Radic. Caryophyllat. mont. *uncias duas.*
Glycyrrhiz. *unc. unam ſemis.*
Herbar. Veronicæ.
Hederæ Terreſt. *ana Manip. unum.*
Florum Hyperici, *pugillos tres.*
Centaur. min. *pugillos duos.*
Semin. Fœnicul. dulc. *drachm. tres.*
Conſciſſa & tuſa Miſc. Fiat Thea medicata.

Cujus quantum vaſculo Theæ potui dicato, capi poteſt, infundatur, cum Aquæ ferventis vaſculis ſex ſimilibus: Stent vaſe clauſo, calida, per aliquot Minuta: Tum æger bibat omni hora Vaſculum, in quo prius diſſolutum ſit Mellis Virginei cochleare exiguum.

Species Antiphthiſicæ pro Thea, noſtræ, Triller.

℞. Herbar. Tuſſilag.
Pulmonar.
Veronicæ.
Hederæ Terreſt.
Rutæ murar.
Hyſſopi, *ana Manip. unum.*
Radic. Althææ.
Glycyrrhizæ, *ana unc. unam.*
Caryophyllat. *unc. ſemis.*
Ireos Florent. *drachm. duas.*
Semin. Aniſi ſtellati.
Fœniculi, *ana drachm. unam.*
Groſſ. modo Conciſ. & Contuſ.
Miſc. Fiant Species pro Thea

Plurimum ſæpiſſime nobis profuerunt, in variis pectoris morbis, a lenta præſertim pituita ortis, item aſthmate, raucedine, tuſſi ferina & rebelli, & phthiſi quoque incipiente & adhuc ſanabili. Sumuntur ad inſtar vulgaris Theæ, nunc cum, nunc ſine lacte; & loco conſueti Sacchari, cum Melle recenti puriſſimo. Ceterum ſimiles fere ſpecies pectorales, cum optato ſucceſſu, præſcripſimus ſæpius in pleuritide, *uti videre eſt Cap. III. Libelli noſtri, pag.* 46.

Species Aperitivæ & Hydragogæ.

Diſpenſ. Brandenb.

℞. Herbarum Marrubii albi.
Abſinrhii.
Centaurii minoris.
Agrimoniæ, *ana Manip. unum.*
Florum Geniſtæ, *Manipul. ſemis.*
Foliorum Sennæ, ſine ſtipit. *unciam.*
Corticum Aurantiorum, *drach. ſex.*
Seminum Leviſtici.
Apii ſativi.
Radicum Helenii.
Pimpinellæ albæ.
Caryophyllatæ, *ana drach. duas.*
Aſari.
Vincetoxici.
Hellebori nigri, in fibrillis.
Salis Geniſtæ, *ana unciam ſemis.*

Inciſa & Contuſa, probe Miſceantur.

Sunt ex incidentibus, diureticis & laxantibus, hæ Species concinnatæ. Videntur optime infundi Aqua fervida, qua emollitis affundi deinceps Vinum poterit, atque poſt Macerationem ſufficientem, per aliquot dies, potari in Cachexia, Oedematibus & hydrope. *Ita Cl.* SCHULZIUS, Præl. *pag.* 305. *de hac Thea medicata, ſive rectius Infuſo, proprie ſic dicto. Vid. ſupra ſuo loco, Infuſa id genus varia, & præſertim Infuſum contra Hydropem* Bœrhaavii *atque* Gaubii, *quod huc potiſſimum ſpectat. Ceterum ut, nihil celem, in hac ſat concinna alias compoſitione, haud ſatis placet adjecta illa Aſari Radix, admodum ſuſpecta, ob rationes ſupra ad ipſum Aſarum, jam productas, licet potenter Aquas pellat, ut notum, immo ſæpius potentius, quam ægroti ferant.*

Species contra Apoplexiam.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. in reliquis deſiderantur.

℞. Succini præparati.
Cornu cervi ſine igne præparati.
Ligni Aloës.
Radicis Pæoniæ, *ana unciam ſemis.*
Corticum citri, *drachm. unam.*
Sacchari perlati, *uncias tres.*
Olei deſtillati cinnamomi, *guttas ſedecim.*

Redigantur in pulverem, in vitro aſſervandum.

Completus efficitur, ſi
Ambræ, *ſcrupulus ſemis.*
Moſchi, *grana quinque adduntur.*

Ad dolores capitis etiam chronicos laudantur; Vertigni, atque apoplecticis & epilepticis inſultibus præcavendis deſtinantur.

Doſis drachma dimidia, ad ſcrupulos duos. Ceterum alias Species contra Apoplexiam, vid. apud ZWELFER. in *Pharm. Reg.* p. 114. & JUNGKEN. *Corp. Pharm.* p. 838.

Species Aromaticae Caryophyllatæ.

Diſp. Vienn. Wirt. Argent. Prag. Brand. Hamb.

℞. Glycyrrhizæ, *drachm. duas.*
Zedoariae.
Galangae.
Ligni Aloës.
Sandali citrini.
Cinnamomi.
Macis.
Piperis longi.
Cardamomi, *ana drachmam unam.*
Cubebarum, *ſcrupulos duos.*
Florum roſarum, *unciam ſemis.*
Caryophyllorum aromaticorum, *unciam unam.*

Fiat Pulvis.

Completæ redduntur, ſi unciæ harum ſpecierum adduntur.
Ambrae griſeae, *grana octo.*
Moſchi, *granum ſemis.*

Vires ſunt ventriculum roborandi, flatus diſcutiendi; phlegmaticis præcipue conveniunt, quibus etiam in cephalalgia & affectibus catarrhalibus, a copioſo ſero, conducunt. Plura de his ſpeciebus Caryophyllatis, vid. apud SCHULZ. Prael. *pag.* 289. *ſeqq.*

Dantur in trageis, a ſcrupulo uno ad duos.

* *
*

Species

Species Aromaticæ Roſatæ.

Diſp. Wirt. Vienn. Brand. Argent. & rel.

℞. Glycyrrhizæ, *drachmas ſeptem.*
Galangæ, *drachmam unam.*
Ligni Aloës,
Sandali citrini, *ana drachmas duas.*
Cinnamomi acuti, *drachmas ſex.*
Caryophyllorum aromaticorum,
Macis, *ana drachmas duas ſemis.*
Nucis moſchatæ,
Cardamomi minoris, *ana dr. unam.*
Florum Roſarum, *uncias duas.*
Fiat pulvis.

Completae redduntur, ſi *unciis duabus* adduntur
Ambrae griſeae, *grana octo.*
Moſchi, *grana tria.*

Sunt roborantes, leniter adſtringentes, cephalicæ & carminativæ. In trageis vel confectionibus exhibentur. vid. SCHULZ. *pag.* 291.

Doſis ſcrupulus unus, ad duos.

Species Bechicæ, pro Thea.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Herbarum Betonicae,
Salviae, *ana unciam unam ſemis.*
Veronicae,
Scolopendrii,
Hederae Terreſtris,
Farfarae,
Scabioſae, *ana uncias tres.*
Groſſo Modo conciſa, Miſceantur.

In defluxionibus catarrhoſis, Tuſſi, Raucedine & conſimilibus Affectibus, deſideratum effectum præſtat.

Species Bechicæ Aliæ Hoffmanni.

Med. Rat. Syſtemat. Tom, IV. p. 434.

℞. Herbarum Veronicae,
Chaerefolii,
Salviae, *ana manipulos duos.*
Radicis Glycyrrhizae, *unciam unam.*
Seminis Fœniculi, *drachmas tres.*
Mediocriter Conciſ. & Contuſ.
Miſc. Fiant ſpecies pro Thea.

Species Bechicæ Similes Ejusdem.

Med. Rat. Syſtem. Tom. IV. pag. 581.

℞. Herbarum Scabioſae,
Veronicae,
Saniculae,
Menthae,
Meliſſae,
Millefol. *ana manipul. unum.*
Florum Hyperici,
Papaveris errat. *ana pugillos duos.*
Conciſ. Miſc. Fiant Species pro Thea.

Plures ejusmodi Compoſitiones Theiformes paſſim occurrunt in eadem Med. Syſtematica, item & Conſultatoria & reliquis Viri maximi operibus, junctim VI. Voll. in Fol. Genevae, *bis jam editis: quo & inprimis pertinet ejusdem Diſſertat. de* Infuſi Veronicae Efficacia, *præferenda Herbæ Theæ; ut &* Franci *Tract. de Veronica Theezante potiſſimum vero* Cohauſenii *Tract. ſingularis, de* Neo-Thea, *ſeu* variis domeſticis plantis ſalutaribus, *quæ exoticæ illi Theæ commodiſſime ſurrogari poſſunt. Conf. &* ZORNII Botanol. *pag.* 676. *item* CARTHEUSERI Fund. Mat. Med *Part. II. Sect. XIII. pag.* 453. *ſqq. nec non noviſſime Cl.* HEINS Pharm. Rat *p.* 161. *ſqq. ubi plures formulæ.*

Species Carminativae & Stomachicæ Weickardi.

℞. Radicum Zingiberis albi,

Calami aromatici,
Galangae, *ana unciam ſemis.*
Cinnamomi acuti, *drachmas duas.*
Cardamomi,
Zedoariae,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatae,
Macis, *ana ſcrupulos quatuor.*
Cubebarum, *drachmam ſemis.*
Corticum Aurantiorum, *ſcrup. duos.*
Confect. Seminum Aniſi,
Carvi,
Fœniculi, *ana unc. unam, aut dimidiam.*

Miſceantur exacte, ut inde fiant Species.

Parum differt hæc compoſitio, a poſteriore Zwelferiana; *inde & uſu ipſo accurate inter ſe convenient. Sed plures ejusmodi Species carminativas vid. in Cl.* HEINS Pharm. Rat. *pag.* 129. *ſqq.*

Species Carminativæ Zwelferi.

Pharm. Reg. pag. 114.

℞. Radicum pimpinellae,
Enulae Campanae,
Zedoariae, *ana drach. unam ſemis.*
Galangae, *drachmam unam.*
Corticum Aurantiorum,
Citri, ana extim. & recenter ſiccat. *drachmam unam ſemis.*
Florum Chamomillae Romanae,
Cinnamomi acuti, *ana drachm. duas.*
Caryophyllorum,
Macis,
Croci Auſtriaci, *ana drachm. unam.*
Nucum Moſchatarum,
Cardamomi minoris,
Seminum Aniſi,
Apii,
Carvi,
Fœniculi,
Cumini, *ana drachm. unam ſemis.*

Miſceantur; Fiant Species, ſeu pulvis ſubtilis.

Ventriculi inflationi, ructibus acidis, flatibus & inflationibus auxiliatur, concoctionemque promovet. Doſis eſt a drachma ſemis, ad unam. *Conf. ſupra* Pulveres Carminativi. *Ejusdem vero* ZWELFERI Species Decocti Carminativi, *exhibebimus infra ſuo loco.*

Species Cephalicæ, pro Cucuphis.

Diſp. Wirt. in reliquis aliæ ſubſtituuntur.

℞. Radicum Cyperi rotundi,
Iridis Florentinæ, *ana unc. ſemis.*
Florum Lavendulæ,
Roriſmarini,
Roſarum, *ana drachmas ſex.*
Ligni Rhodii,
Sandali citrini,
Aloës, *ana unciam ſemis.*
Caryophyllorum aromaticorum,
Cinnamomi,
Nucis moſchatæ,
Succini citrini,
Styracis, *ana drachmas tres.*
Miſce.

Inciſa & contuſa groſſo modo ſerventur, quibus pro lubitu addi poteſt una aut altera gutta
Olei ligni Rhodii,
Lavendulæ,
Majoranæ.

Uſum docet titulus. Vires ſunt cephalicæ, nervinæ, roborantes. Vid. RIEDLINI Lin. Med. *Ann.* 1697. *Menſ. Mart. Obſ.* 25. *pag.* 193. & HEUCHER. Opp. Med. *Tom. I. pag.* 237. *Conf. ſupra* Pulveres Cephalicos odoratos.

***

Species Cephalicæ pro Cucuphis Capiti Debili, Frigido, Catarrhis Obnoxio Proficuae.

GAUBIUS, *de Formul. Med. pag.* 265.

℞. Radicis Angelicæ, *unciam unam.*
Herb. Majoranæ,
Salviæ,
Folior. & Florum Roſmarin.
Summitat. Serpilli, *ana manip. ſemis.*
Semin. Nigellæ Rom. *drachmas tres.*
Caryophyllor. aromat. *drachm. unam.*
Maſtiches,
Styracis Calamit. *ana drachmas duas.*

Conſciſſa, tuſa ruditer & miſta, Goſſypio excepta, includantur duplicaturæ cuculli, & punctim interſuantur. Cucullo, mane & veſperi, fumo Ligni Juniper. accenſi imbuto, ſemper tegatur caput infirmum & catarrhis obnoxium.

Cucupha Roborans, contra Catarrhos.

JUNGKEN. *Fund. Med. pag.* 847.

℞. Rad. Ireos Florent.
Cyper. rotund. *ana unciam ſemis.*
Fol. Majoranæ,
Roriſmarini,
Serpilli,
Flor. Anthos,
Roſar.
Lavendulæ,
Summitat. Thymi,
Verbenæ, *ana pugillum unum.*
Gummi Anime,
Storacis Calamit.
Benzoin.
Ladani de Barba,
Succini,
Caryophyllor.
Cinnamomi, *ana drachm. unam.*
Inciſa Miſceantur. Add. Ambræ quid, ſi lubet.

Species Cephalicæ pro Cucuphis, Adverſus Catarrhos.

GEOFFROY, *Mat. Med. Tom. III. pag.* 764.

℞. Foliorum Majoranæ,
Salviæ,
Roriſmarini,
Summitatum Lavendulæ,
Stoechados,
Radicum Iridis Florentinæ,
Calami aromat. *ana quant. lubet.*

M. Fiat pulvis, ex quo paretur Cucupha interpuncta; excipiendo hunc pulverem pauco Goſſypio, & includendo in panno ſericio, qui pileo aſſui poteſt, vel in forma Calanticæ, geſtari, præſertim hieme.

Species Cephalicæ pro Cucuphis.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 31.

℞. Radic. Pæoniæ Maris ſiccatæ, *drachmas duas.*
Angelicæ Hiſpan. *drachm. unam.*
Iridis Florentinæ,
Flor. Lavendulæ, *ana drachm. ſemis.*
Stoechad. Arab. *drachmam unam.*
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ,
Macis, *ana ſcrupulum unum.*
Styracis Calamit.
Labdani,
Succini,
Balſami Tolut. *ana drachmam unam.*
Olei Roriſmarini, *guttas quinque.*

Miſc. Fiat pulvis craſſiuſculus, qui Bombace exceptus, & panno ſeriçeo interſutus, formetur, ut Artis eſt, pro Cucupha, quae ſingulis Noctibus,

fumo Succini, Balſami Tolut. aut ſimilium, ſuper Carbones injectorum, calefacta, ſuper caput geſtetur.

Inſignis eſt utilitatis, in Affectibus Capitis, humidis, pituitoſis: in doloribus frigidis, diuturnis, catarrhalibus. Spiritus recreare, & robur capiti cerebroque conciliare creditur. Sed præſtat, quantum poteſt, ut talia externa plerumque ſolent.

Species Cephalicæ pro Cucuphis.

MORELL. *de Formul. Remed. pag.* 267.

℞. Radicum Acori,
Calami aromat.
Cyperi,
Irid. Flor. *ana drachmas duas.*
Folior. ſicc. Roriſmarini,
Meliſſæ,
Salviæ,
Origani, *ana manipulum ſemis.*
Florum Stœchados Arab.
Lavendulæ,
Lilior. Convall.
Spicæ Nard. *ana pugillum ſemis.*
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Caryophyllorum, *ana ſcrupulos duos.*
Storacis,
Benzoin, *ana drachmam ſemis.*

Miſc. Fiat lege Artis, Pulvis, qui excipiatur Catone Moſchato, & cum panno ſericeo interpuncto, formetur Cucupha.

Species Cordiales Lemery.

℞. Lapid. Bezoar. orientalis,
Oſſis de Corde Cervi, *ana drachm. unam ſemis.*
Succini albi,
Raſuræ Eboris,
Ungulæ Alcis,
Radicum Tormentillæ, *ana dr. unam.*
Angelicæ,
Zedoariæ,
Ligni Aloës,
Corticis Citri, *ana ſcrupulos duos.*
Ambræ gryſeæ, *ſcrupulum ſemis.*
Moſchi, *grana quatuor.*

Miſc. Fiat lege Artis pulvis; qui parum differt a ſequenti Londinenſi, atque hinc iisdem Virtutibus pollebit.

Species Cordiales Londinenſ. *ſeu* Pulvis Cardiacus Magiſtralis.

Diſpenſ. Lond.

℞. Lapidis Bezoard. oriental.
Oſſis de Corde Cervi, *ana drachm. unam ſemis.*
Magiſterii Corall. albor.
rubror.
Succini albi,
Perlarum,
Cornu cervini,
Raſuræ Eboris,
Boli orientalis,
Terræ Germanicæ,
Samiæ,
Lemniæ,
Raſuræ Ungulæ Alcis,
Radicis Tormentillæ, *ana dr. unam.*
Ligni Aloës,
Corticum Citri,
Radic. Angelicæ,
Zedoariæ, *ana ſcrupulos duos.*
Foliorum Auri, *No. viginti.*
Ambræ griſeæ, *ſcrupul. unum.*
Moſchi, *grana ſex.*

Miſceantur: Fiat pulvis, uſui ſervandus.

Plurimum convenit cum præcedentibus ſpeciebus cordialibus pretioſis; ideo & pares vires habebit.

Species Cordiales Solares & Alexipharmacæ Zwelferi.

Pharm. Reg. pag. 115.

℞. Bezoard. aurei, (ſup. p 98. deſcript.) *uncia ſemis.*
Lapid. Bezoard. Oriental. Veri,
Occident. *ana drachm. duas.*
Unicornu min. ſeu foſſilis,
Veri marini,
Cortic. Aurantior.
Citri, ana extim. & recenter ſiccator. *drachmas duas.*
Ligni Aloës gummoſ. *drachm. tres.*
Granorum Chermes legitim.
Cinnamomi acuti, *ana drachm. duas.*
Croci Auſtriaci, *drachm. unam ſemis.*
Semin. Citri excorticat. *drachm. duas.*
Magiſterii ſolubil. Margaritar. oriental.
Corallior. rubr. *ana dr. unam ſemis.*

Quibus omnibus in pulverem redactis, & probe mixtis, imprimatur manibus tantum

Succus Oleaginoſus fragrans & ſubtilis. Corticum quatuor Pomorum Limoniorum. Servetur poſt, uſui, in Vitro arcte clauſo.

Sunt Species præſtantiſſimæ in peſte, & Febribus malignis, Cor inſigniter roborantes, Spiritusque Vitales in omnibus pæne infirmitatibus egregie reficientes.

Doſis eſſe poteſt a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis, ut ſupra, in præcedenti Compoſitione.

A qua etiam ratione ingredientium, parum diſtat niſi, quod illa adhuc pretioſior & ſumtuoſior ſit, propter adjectos lapides Bezoardicos. Igitur pro ditioribus tantum cœna quaſi hæc eſt præparata, quos etiam forte plus juvabit, quam pauperes, tam pretioſis dapibus haud indigentes. Sed hæc obiter, ex ſancto Veritatis ſtudio.

Ceterum conf. ſupra, Pulveres Cardiaci, Cordiales, Alexipharmaci & Bezoardici, *eidem ſcopo nempe inſervituri, & mox* Species de Gemmis calidae alexipharm. *ejusdem* Zwelferi.

Species Cordiales Temperatæ.

Diſp. Argent. Brand. Wirt. Prag. Vienn. Lond.

℞. Serici crudi toſti,
Spodii ex ebore,
Coralliorum alborum,
rubrorum, *ana unciam ſemis.*
Margaritarum præparatarum, *unciam unam ſemis.*
Radicum Doronici,
Been albi & rubri, *ana dr. tres.*
Ligni Aloës, *unciam ſemis.*
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Oſſium e cordibus cervi, *ana dr. tres.*
Hyacynthi,
Smaragdi,
Saphiri, *ana drachmam unam.*
Croci, *ſcrupulos duos.*

Fiat omnium pulvis tenerrimus, cui addantur
Foliorum Auri &
Argenti pro lubitu.

Vires ſunt roborantes, & ad febres malignas, ad palpitationem cordis, lipothymias, a terrore excitatas, commendantur. Vid. SCHULZ. *pag.* 292. & CARTHEUSER. Pharmacol. *p.* 597.

Doſis a ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis. *Ceterum in quibusdam Diſpenſator. additur his Ambra griſ. &*

Moſchi, ana drachm. ſemis. *& tum vocantur Species completæ; ſed malim incompletas.*

Species Cordiales Temperatæ Pretioſæ Zwelferi.

Pharm. Reg. pag. 115.

℞. Sacchari albi Canar. *uncias duas*
Solvantur ſuper igne leni, *cum ſuff. quant.*
Succi ex Corticibus Citri extimis, radula comminutis, expreſſi,
Sine ebullitione, ac ſi tabulæ ex ſuccis acidis confici deberent; cui ab igne remoto deinde adde, ut in eo ſenſim liqueſcant,
Ambræ griſeæ, *drachmam ſemis.*
ſed prius cum
Seminis Citri excorticati, *dr. ſemis.*
probe ſubactam,
Reſinæ Storacis Calamit. *dr. ſemis.*
Et quum nonnihil refrixerint, ſuperaddantur:
Pulv. Ligni Aloës gummoſ. *uncia ſemis.*
Radicis Doronici Veri,
Croci Auſtriaci, *ana dr. dua.*
Nucis Moſchatæ,
Macis, *ana drachma una ſemis.*
Seminum Chermes legit. *dr. duas.*
Magiſter. ſolub. Perlar. Oriental. *drachm. ſemis.*
Coralliorum rubrorum,
Matris Perlarum, *ana ſcrup. duo.*
Oleor. ſtill. Cinnamomi, *ſcr. unus.*
Roſarum Veri, *guttæ duodecim.*
prius autem cum
Eſſentiæ Citri ſaccharatæ, *uncia ſemis.*
intime permixtorum,
Miſc. Fiat Pulvis ſubtilis, in Vitro probe Clauſo, diligenter cuſtodiendus.

Præſtantes ſunt Species, ad omnes Corporis imbecillitates, Spiritus cum Vitales, tum animales languentes excitant, recreant: Concoctionem adjuvant, & Vertiginem abolent; ſalubre Senibus Medicamentum. Doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.

Hactenus ipſe Zwelferus, *laudator, forte nimius hujus ſuæ Compoſitionis ſatis operoſæ & pretioſæ: cui tamen non omnem Virtutem analepticam ac cardiacam, cephalicamque abjudicamur. Mallemus tamen cum in hac, tum præced. compoſitione*, de Spec. Cardial. Solar. *abeſſe ſuſpectam illam Doronici Radicem, ob cauſſas ſupra jam allegatas graviſſimas.*

Species Decocti Antifebrilis.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Radicum Acetoſæ, *libras tres.*
Scorzoneræ, *libram unam.*
Raſuræ Cornu Cervi, *libram ſemis.*
Hordei Crudi, *libras duas.*
Seminis Fœniculi,
Corticum Citri recent. aut ſiccat. *ana unc. tres.*
Inciſa Miſceantur & ſerventur pro uſu.

In omnibus febribus, & inflammationibus internis gratum & refrigerantem hauſtum ſuppeditant.

Species Decocti Antifebrilis Sudoriferæ Boerhaave.

Mat. Med. p. 102.

℞. Radicum Apii, *unciam ſemis.*
Bardanæ,
Chinæ, *ana unciam unam.*
Cichorii,
Graminis,
Napor.
Petroſelini,

Raparum,
Ruſci, *ana unciam ſemis.*
Sarſaparillæ, *unciam unam.*
Scorzoneræ, *unciam ſemis.*
Folior. Acetoſæ,
Cichorii,
Endiviæ,
Taraxaci, *ana manipul. unum.*
Florum Sambuci, *uncias duas.*
Seminum contuſor. Apii,
Petroſelini, *ana unc. unam.*

Conciſ. Miſceantur, & ſerventur uſui, cum Aqua decoct. *Pintas tres* exhibe:

Hauriat Aegrotus uncias tres calidas, omni Quadrante Horæ, donec leviter ſudet.

Idem vero Vir ſummus Prax. Med. T. III. p. 105. *breviorem hanc formulam ejusdem longioris compoſitionis, ſic exhibet:*

℞. Radicum Chinæ, *uncias duas.*
Graminis, *uncias tres.*
Sarſaparillæ, *unciam unam ſemis.*
Foliorum Taraxaci, *manip. quatuor.*
Florum Sambuci, *uncias duas.*
Sem. Petroſelini contuſi, *dr. duas.*

Conciſ. Miſc. & ſuo tempore decocta, ut ante, exhibeantur.

Species Decocti Antinephritici, *ſive* Nephrocatharticum Foreſti.

Obſ. 29. *Lib.* 24. *pag.* 181. *& Obſ.* 23. *pag.* 119. *alibique ſæpius, mutatis ſubinde aut omiſſis non nullis ingredientibus.*

Diſp. Wirt. Brand.

℞. Radicum liquiritiæ, *unc. un. ſemis.*
Petroſelini,
Fœniculi, *ana uncias duas.*
Ireos Florentinæ, *unc. un. ſemis.*
Florum Malvæ,
Althææ, *ana drachmas ſex.*
Seminum Fœniculi,
Saxifragiæ, *ana drachmas ſex.*
Cicerum rubrorum confractorum, *uncias ſex.*
Jujubarum,
Caricarum, *ana numero triginta.*
Hordei mundati & prius loti, *uncias tres.*

Inciſa & contuſa craſſiuſcule ſerventur ad uſum.

In nephritide, ad urinæ ardorem mitigandum & calculum pellendum, utiliter decoctum adhibetur. Conf. ſupra Eſſentia Nephrocathartica Roſini Lentilii.

Ad libram unam aquæ, ſpecierum uncia una ſemis requiritur. *Vid.* Decker. *ad* Prax. Barbett. *p.* 207. *& p.* 213. *&* Heins. Pharm. Rat. *p.* 225. *ubi plura ejusmodi decocta.*

Species Decocti Antiſcorbut. Ettmülleri.

℞. Radic. Filicis recentis, *uncias duas.*
Armorac. recent. *unciam unam.*
Herbarum Cochleariæ,
Naſturtii,
Fumariæ, *ana manipulum unum.*
Perſic.
Piperis, *ana manipulum ſemis.*
Cremoris Tartari, *drachmam ſemis.*

Coq. in Aquæ fontan. & Vini albi, *ana libra una,* in cucurbita Alembico munita: In Colat. diſſolve
Extracti Martis, cum ſucco pomorum, *unciam unam.*
Sacchari albi, *quantum ſuff.*

Fiat decoctum antiſcorbuticum, uſui ſervandum. Vid. Jungken. Corp. Pharm. *pag.* 328. *ſqq. ubi plura.*

Species pro Decocto Avenæ, Loweris ſive Bromio.

Diſpenſ. Wirt. Vienn et. KLEIN. *Salut. Rat. Med. pag.* 44. *& rel.*

℞. Avenæ albæ electæ, ſæpius lotæ & iterum ſiccatæ, *uncias ſex.*
Ligni ſandali rubri, *unciam unam.*
Radicum cichorii ſylveſtris, *unciam unam ſemis.*
Miſce.

Paratur ex his ſpeciebus celeberrimum illud decoctum Lowerianum: praeſcriptam quantitatem in
Aquae fontanae, *libris duodecim.*
ad tertiae partis conſumtionem, coquendo, & poſt repetitam colaturam,
Nitri antimoniati, *unciam dimidiam.*
Sacchari, *uncias duas,*
addendo.

Commendatur ad defluxiones acres, ſalinas, ſcorbutum, arthritidem, hypochondriacum malum, nephritidem, hecticam; humorum acrimoniam demulcet, humectat, & partes nimium conſtrictas relaxat. Hinc in Febribus lentis & hecticis illud Decoctum præcipue laudat HOFFMANNUS, Med. Rat. Syſtem. *Tom. IV. Part. I. Sect. II. C* 13. *p.* 568. *& alibi ſæpius, item in Med. Conſultat. præcipue in Diſſ.* de Cura avenacea. *Conf.* NICOLAI, *de* Formul. *pag.* 333.

Doſis unciae ſex, vel octo, quotidie, frigide vel calide, mane & veſperi hauſtae, uſu per aliquot ſeptimanas continuato.

Species Decocti Carminativi.

Diſp. Hamb. Wirt. Brand. Vienn. Argent.

℞. Seminum Aniſi,
Dauci,
Cumini,
Carvi,
Fœniculi, *ana uncias duas.*
Glycyrrhizae,
Florum Chamaemeli vulgaris, *ana drachmas ſex.*
Paſſularum, *uncias ſex.*
Inciſa miſceantur.

Decocti uſus eſt in clyſteribus, tormina a flatibus orta mitigat, alvum aperit, & flatus educit; prodeſt etiam, cum decocto ſpecierum emollientium, nephriticis. Vid. SCHULZ. *pag.* 293.

Pro adulto ſpecierum unciae duae, in aquae unciis quindecim coquuntur, ad librae remanentiam, pro clysmate.

Species Decocti Carminativi Zwelferi.

Pharmacop. Reg. pag. 86.

℞. Radic. Glycyrrhizæ raſæ, *unc. unam.*
Cichor. ſilveſt. *unciam unam ſemis.*
Enulæ Campanæ,
Calami aromat. *ana drachm. ſex.*
Galangæ,
Ireos Florent. *ana unciam ſemis.*
Herbar. Meliſſæ,
Menthæ,
Roriſmarini, *ana manip. duos.*
Florum Chamomillæ Rom. *manipul. duos ſemis.*
Geniſtæ, *manipul. unum.*
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Dauci,
Carvi,
Coriandri,
Anethi, *ana unciam ſemis.*
Baccarum Lauri, *unciam unam.*
Corticum Aurantiorum,

Citri,

Citri, ana recent. ſiccator. *drachmas ſex.*

Craſſiuſcule conciſa & contuſa, reponantur uſui, tum pro interno, Decoctiones ex iis conficiendo; easque ultimo condiendo, Cinnamomo, Aniſo, Fœniculo, ac Syrupo quodam convenienti, vel Saccharo citrato edulcorando; tum etiam pro Clyſteribus, alvo injiciendis. Hæc ipſe Zwelferus.

Ceterum noſtras Species Carminativas & Anodynas *eximii plane & per plures jam annos, explorati uſus, jam ſupra exhibuimus, cum aliis quibusdam Speciebus, ad varia decocta paranda, deſtinatis, quæ proprie in hunc locum erant referendæ. Licet parum interſit, quocunque demum loco inveniantur, modo inveniantur in aliquo. Conf.* HEINS. Pharm Rat. *ubi plures ejusmodi Species Carminativæ exhibentur. pag.* 129. *ſqq.*

Species Decocti Febrifugi.

Diſpenſ. Argent.

℞. Radicum Eryngii,
Cichorii,
Scorzoneræ, *ana drachmas tres.*
Herbar. Meliſſæ,
Endiviæ,
Capillor. Veneris,
Florum Violarum,
Bugloſſi, *ana pugillum unum.*
Paſſularum minor. *unciam unam.*
Seminis Fœniculi, *unciam ſemis.*
Foliorum Sennæ, ſine ſtip. *dr. ſex.*
Rhabarbari Alexandrini, *dr. duas.*
Agarici mundati, *drachm. un. ſemis.*
Tamarindorum cum nucleis & ſtipitibus, *uncias duas ſemis.*
Cryſtallorum Tartari, *drachm. tres.*
Salium Abſinthii,
Geniſtæ, *ana drachm. unam.*
Cinnamomi acuti, *ſcrupulos quatuor.*

Inciſa & contuſa probe Miſceantur.

Tempore uſus coquantur, in ſufficienti quantitate Aquæ, per horæ quadrantem, in vaſe optime tecto. De hoc decocto, ſingulis diebus intermiſſionis febrilis, hauſtus aliquot unciarum, v. gr. trium, vel quatuor, aſſumatur. Ut plurimum autem ad potiones laxantes, vehiculi loco, adhibetur; ſicut quoque haud incommode Manna in eo diſſolvitur. Ceterum drachma harum Specierum pro uncia una Liquoris, eſt ſumenda.

Species Decocti Febrifugi Lemery.

vid. Diſpenſ. Pariſ.

℞. Summitatum Centaurii minoris,
Foliorum Agrimoniæ,
Florum Chamomillæ, *ana manipul. ſemis.*
Radicis Gentianæ, *drachmas duas.*
Seminum Cardui benedicti,
Citri, *ana drachmam unam ſemis.*
Florum Calendulæ, *pugillos duos.*

Conciſ. & Contuſ. Miſceantur, ad uſum in Febribus intermittentibus. Ubi opus illis fuerit, coquantur in Aquæ fontanæ & Vini albi ana libra una ſemis, uſque ad dimidiam. Sed ingrata admodum & amara erit potio, inde & vocantur *Species amaræ.* Vid. JUNGKEN. *Corp. Pharm.* p. 340. & FULLER. *Pharm. Ext.* pag. 43. ubi alia compoſitio.

Species Decocti Florum & Fructuum.

Diſp. Hamb. Wirt. Brand. Vienn. Argent. Prag

℞. Radicum liquiritiæ, *uncias duas.*

Herbarum capillorum Veneris,
Endiviæ, *ana drachmas duas.*
Florum Borraginis,
Bugloſſi,
Violarum,
Roſarum, *ana drachmam unam.*
Lupuli, *drachmas duas.*
Jujubarum,
Siliquarum dulcium,
Prunorum Damaſcenorum, *ana uncias duas.*
Tamarindorum, *unciam unam.*

Incidantur groſſo modo & miſceantur.

Sunt pectorales, & pro decocto ordinario inſervire poſſunt. Sumitur ſpecierum uncia una, pro decocti libra una. Pro decocto dilutiore vero requiruntur, ad libras quatuor aquæ, ſpecierum unciæ duæ, ad conſumtionem quartæ partis. Vid. SCHULZ. *pag.* 294.

Species pro Decocto ad Gangrænam.

BOERHAAVE *Prax. Med. T. II. p.* 170.

℞. Foliorum recent. Scordii,
Rutæ,
Alliar. *ana manip. unum.*

Conſciſ. et Confract. Coq. in Vino: Colat. *unc. duodecim.* adde
Salis Ammoniaci, *unciam ſemis.*
vel
Aceti, *libram ſemis.*
Aquæ, *libram unam.*

Ut ſic fiat lege Artis, Fomentum antiſepticum.

Conf. ſupra Liquores contra Gangrænam *ejusdem Viri maximi*, Boerhaavii.

***

Species pro Decocto ad Gangrænam.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt. Vid. Chirurg.

℞. Herbæ Millefolii,
Abſinthii, *ana drachmas ſex.*
Scordii,
Salviæ,
Hyſſopi,
Rutæ,
Florum Sambuci,
Hyperici, *ana unciam ſemis.*
Roſarum, *unciam unam.*
Myrrhæ, *drachmas ſex.*
Aloës,
Aſae fœtidae, *ana unciam ſemis.*
Lithargyrii, *uncias ſex.*

Inciſa & contuſa ſerventur.

Non ſolum in gangræna & ſphacelo nondum confirmato, ſed etiam in inflammationibus, a contuſionibus vel alia violenta cauſa ortis, & gangrænam minantibus, bono cum ſucceſſu adhibetur decoctum harum ſpecierum,

Aquæ calcis vivæ libris quinque, &
Aceti vini libris duabus

paratum, atque linteis quadruplicatis, ſingulis duabus vel tribus horis, calide applicatum. Addi poſſunt, ante applicationem,

Spiritus vini camphorati, unciae quatuor, *vel* ſex.

Species Decocti pro Gargarismate.

Diſpenſ. Brand.

℞. Radicum Glycyrrhizae, *unc. quinque.*
Pimpinellae albae, *uncias duas cum ſemiſſe.*
Herbarum Salviae, *uncias tres.*
Hyſſopi,
Lyſimachiae, flore luteo,

Althaeae,
Malvae,
Verbaſci, *ana unciam unam.*
Florum Roſarum rubrarum,
Prunellae,
Verbaſci,
Millefolii,
Sambuci, *ana unciam ſemis.*
Inciſa Miſceantur, & uſui ſerventur.

Species Decocti pro Gargariſmate Adſtringente.

Diſp. Wirt. Vienn. & reliq.

℞. Herbarum Plantaginis,
Prunellae, *ana uncias quatuor.*
Salviae nobilis, *uncias duas.*
Florum Roſarum rubrarum,
Liguſtri,
Balauſtiorum, *ana unciam unam.*
Inciſa miſceantur.
Virtutes ex nomine patent.

Species Decocti pro Gargariſmate in Angina.

Boerhaave, *Prax. Med, T. IV. pag.* 74.

℞. Foliorum Scabioſæ,
Violarum,
Taraxaci, *ana manipulum un. ſemis.*
Florum Sambuci,
Roſarum pallidar. *ana manip. un.*
Conciſ. Miſc. Tum, ubi opus, in ſuff. Aq. quant. coq.
Colaturæ, *unciis viginti.*
addantur
Mellis Roſacei,
Syrupi diamor. *ana uncia una.*
Salis Polychreſti, *drachma una.*
Et ſic fiat Gargariſma, ſæpius adhibendum.

Species Decocti pro Gargariſmate.

Barbette, *in Prax. pag.* 52.

℞. Radicis Glycyrrhizæ,
Corticum Granatorum, *ana dr. duas.*
Florum Balauſtiorum, *pugill. unum.*
Jujubarum, *No. duodecim.*
Ficuum, *No. tres.*
Paſſularum minorum, *drachm. tres.*
Conciſa miſceantur, &, ſi neceſſitas exegerit, Coquantur ex Aqua Hordei; & Colentur: Tum in Colat. unciis viginti, diſſolvatur
Syrupi Capillorum Veneris,
Mellis Roſarum col. *ana uncia una.*
Sed plures ejusmodi Formulæ pro Gargariſmate, vid. ibidem & alibi.

Species Decocti pro Gargariſmate Emolliente.

Diſp. Wirt. Brand. & paſſim.

℞. Radicum althææ,
Herbæ malvæ,
Florum Papaveris erratici,
Malvæ arboreæ,
Sambuci, *ana unciam unam ſemis.*
Seminis pſyllii, *unciam ſemis.*
Caricarum pinguium, *uncias duas.*
Inciſa & contuſa groſſo modo ſerventur.
Uſum titulus docet.

Species Decocti pro Gargariſmate.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Herbarum Plantaginis,
Prunellæ, *ana unc. quatuor.*
Uvulariæ, *uncias tres.*
Salviæ, *uncias duas.*
Florum Roſarum rubrarum,
Malvæ arboreae,

Flor. Balauſt. *ana unciam unam.*
Inciſa Miſceantur, & pro uſu ſerventur.

Species Decocti Hepatici Aperient.

CHARAS. *Pharm. Reg. Tom. I. p.* 84.

℞. Radicum quinque aperientium,
Fragariae,
Bugloſſi, *ana drachmas ſex.*
Folior. Endiviae,
Cichorii,
Lupuli,
Agrimoniæ,
Pimpinellae,
Chaerefolii,
Taraxaci, *ana manip. unum.*
Capilli Vener. Monſpel.
Polytrichi, *ana manip. ſemis.*
Semin. Apii,
Milii Solis, *ana drachmas duas.*
quatuor frigid. maj. *ana dr. unam.*
Glycyrrhizae, *drachmas duas.*
Florum Bugloſſi,
Borraginis,
Geniſtae, *ana pugill. unum.*
Conciſ. & Contuſ. Miſc. Fiant Species ad libras octo Aquae fontanae, quae coquendae ad 3ae. partis conſumt.

Species Decocti Hepatici Hoffmanni Sen.

Theſaur. Pharm. pag. 46.

℞. Radicum Cichorii,
Taraxaci,
Aſparagi, *ana drachmas ſex.*
Seminum quatuor major. excort. *ana drachm. duas.*
Foliorum Scabioſae,
Cichorii,
Endiviae, *ana manip. ſemis.*
Radic. Glycyrrhizae, *drachm. duas.*
Paſſularum minorum, *unc. unam.*
Conciſ. & Contuſ. Miſceantur, & coquantur, ubi opus in jure Carnis macrae.

Ceterum vid. ibi plures ejusmodi Specierum hepaticarum Compoſitiones, ut & apud Timaeum *a* GÜLD. Deſcript. Medicament. *pag.* 411. *ſqq. &* JUNGKEN. Corp. Pharm. *pag.* 323. *ſqq. item* HEINS. Pharm. Rat. *p.* 233. *ſqq.*

Species Decocti Hyſterici.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 45.

℞. Raſurae Ligni Buxi,
Radicum Bryoniae albae, *ana unc. ſemis.*
Paeoniae maris,
Valerianae ſilveſt. *ana unc. unam.*
Florum Stoechados Arab. *dr. duas.*
Myrrhae contuſae, *drachmam unam.*
Conciſ. Miſc. Coq. ubi opus, in Aq. Font. *libra una ſemis.* ſub finem addendo
Succi Rutæ, *unciam unam.*
Colaturæ, *unc. quatuordec.* adde:
Aquæ Bryoniæ compoſ. *uncias duas.*
Tincturæ Caſtor. *drachmas duas.*
Olei Succini, *guttas triginta duas.*
Sacchari albi, *unciam unam.*
Iterum exactiſſime Miſceantur, pro uſu.

Species Decocti Icterici Ettmülleri.

℞. Herbarum Anſerinæ,
Chelidonii majoris,
Cochleariæ, *ana manip. unum.*
Foliorum Sennæ, ſine ſtipit. *unciam unam.*
Florum Anſerinæ,
Aquilegiæ,
Lavendulæ, *ana pugillos duos.*

Radicum Armoraciæ,
Hellebori nigri, *ana unciam unam.*
Rhabarbari, *unciam ſemis.*
Chelidonii majoris,
Curcumæ, *ana drachmas duas.*
Lumbricorum terreſtrium,
Paſſularum minorum, *ana dr. unam.*
Seminum Aquilegiæ,
Napi, *ana drachmas duas.*
Cinnamomi acuti,
Galangæ, *ana drachmam unam.*

Conſciſ. & contuſ. Miſceantur: dein ad uſum coq. in ſuff. quant. Aquæ ferratæ: Colat. adde

Syrupi de Cichor. cum Rhabarbaro,
Pomis Regis Saporis, *ana uncias duas.*

Denuo Miſceantur. *Ceterum aliæ Species decocti Icterici occurrunt in* Pharm. Batean. *pag.* 47. *Sed quoniam inter alia non mala, malum illud & ſordidum ſtercus anſerinum ſimul continent; ideo nauſea abſterriti, noluimus illas hic exhibere. Plures vero meliores ejusmodi compoſitiones antictericas. vid. in* Corp. Pharm. JUNGKEN. *pag.* 324. *ſqq.*

Species Decocti Lignorum.

Diſp. Vienn. Wirt. Argent. & rel.

℞. Ligni Guajaci, *libram unam ſemis.*
Saſſafras, *uncias ſex.*
Juniperini,
Radicum Sarſaparillae, *unc. quatuor.*
Chinae, *ana uncias duas.*
Liquiritiae, *unciam unam ſemis.*
Seminum Aniſi,
Fœniculi, *ana unciam ſemis.*

Inciſa & contuſa ſerventur.

Ad luem veneream, ſcabiem, aliosque lymphæ morbos conducit. Conf. BOERHAAVE *de* Lue Venerea curanda, *in divina præfat. Scriptoribus Aphrod. præmiſſa.*

Doſis eſt diverſa, pro diverſitate morborum.

Decoctum Mercuriale contra Vermes, *ſeu* Anthelminticum.

GAUB. *de Form. pag.* 171.

℞. Argenti vivi in ſacculo, ex Aluta ligati, *uncias quatuor.*

Bulliant cum Aq. commun. ſuff. quantitate, per horam, deinde Aquae immitte:

Seminum Santonici,
Tanaceti,
Abſinthii,
Rutae, *ana unciam ſemis.*

Coquantur adhuc per quadrantem. Colat. *unc. viginti* admiſce

Mellis albi, *uncias duas.*

Doſis, Mane, hora ante jentaculum, tria cochlearia, totidemque hora, ante prandium.

Conf. ſupra Aqua contra Vermes, & Electuarium Purificans, & *ad utramque Compoſitionem ibi notata. Inprimis vid.* Thom. BARTHOLINI Ciſta Med. Hafn. *pag.* 549. *ſqq.*

Decoctum Millefolii.

Diſp. Vienn.

℞. Millefolii, cum flore purpureo, *unc. novem.*
Herbae Tormentillae, cum Radice,
Pimpinellae, cum toto,
Plantaginis,
Conſolidae Saracenicae,
Florum Roſarum rubr. *ana unc. unam ſemis.*

Conciſa, pro uſu opportuno, Miſceantur.

In Affectibus Thoracis, Hæmoptyſi, & conſimilibus, præſtans ejus uſus eſt. Aliud vero Millefolii Decoctum vid. in FULLERI Pharm. Extemp. *p.* 50.

Species Decocti ad Morſum Canis Rabidi.

Pharm. Bat. pag. 48.

℞. Foliorum Rutae, *uncias ſex.*
Radicis Allii,
Theriacae Londinenſis, *ana uncias quatuor.*
Limaturae Jovis, *uncias quatuor.*

Conc. & Cont. Miſc. Tum coq. in Cereviſ. Vet. illupulatae Libris quatuor ad Conſumt. dimid. & macerentur.

Sed quid hic tanta Limaturæ Jovis, remedii per quam ſuſpecti copia? de quo jam ſupra abunde dictum. Ideo potius omittatur. Conf. FULLERI Pharm. Extemp. *pag.* 50.

Species Decocti ad Morſum Can. Rabid. Quercetani.

℞. Radicum Gentianae,
Valerianae, *ana unc. unam ſemis.*
Herbarum Conſolidae minoris,
Rutae,
Pulegii, *ana manipulum unum.*
Mumiae Verae,
Cancrorum Calcinator. *ana unc. un.*

Conciſ. & Contuſ. Miſc. & uſui ſerventur.

Plures ejusmodi Compoſitiones contra teterrimam Rabiem caninam, vid. apud JUNGKEN. Corp. Pharm. *p.* 360. *Sed utinam unam certam & exploratam tantum haberemus, a qua omnis inertis & irriti auxilii metus juſtus abeſſet?*

Species Decocti Nevrotici.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 50.

℞. Raſuræ Ligni Guajaci, *unciam unam.*
Radicum Pæoniæ maris, *unc. ſemis.*
Calami aromatici,
Angelicæ Hiſpan. *ana drach. duas.*

Conciſ. Fiant Species, quæ coq. in Aq. fontana *libris tribus, ad uncias viginti octo:* Colat. adde
Olei Rorismarini, *guttas triginta duas.*
Balſami Peruviani, *guttas ſedecim.*
Vitell. Ovi, *No. unum.*
Sacchari albi,
Aquae pæoniæ compoſ. *ana unc. duas.*
Spiritus Lavendul. compoſ.
Salis Ammoniaci, *ana gutt. octoginta.*

Miſceantur omnia; ad Caput & nervos roborandos.

Species Decocti Nigri.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deeſt.

Sed vid. Chirurg. & BIERLING. Append. Remed. *pag.* 26.

℞. Radicum Tormentillæ, *unc. unam ſemis.*
Herbarum Sabinæ,
Rutæ hortenſis,
Scordii,
Salviæ,
Abſinthii,
Foliorum Quercus, *ana drachm. ſex.*
Corticum Granatorum,
Gallarum Turcicarum, *ana uncias duas ſemis.*
Aluminis crudi, *uncias quatuor.*
Vitrioli viridis, *uncias duas.*
Viridis æris,
Tartari rubri crudi, *ana unc. unam.*

Miſce, inciſa & contuſa ſerventur.

Sumuntur harum ſpecierum, ad libram unam aquæ fontanæ & libram vini, unciæ ſex; decocto, pro intentione chirurgi & circumſtantia morbi, ſpiritus vini additur.

Uſus externus ad ulcera deſiccanda inveterata, ut plurimum autem ad

profundas inflammationes, & gangrænam. Aliud decoctum nigrum ejusdem Virtutis, vid. apud MYNSICHT. *pag.* 399. & Diſp. Vienn.

Species pro Decocto ad Ozænam, Deckeri.

℞. Florum Balauſt.
Cortic. Grantor. *ana drachmas tres.*
Foliorum Plantaginis,
Hederæ terreſtris,
Caudæ equinæ,
Piloſellæ, vel Herniar. *ana manip. unum.*
Radicis Biſtortæ,
Aluminis Crudi, *ana drachm. unam.*
Raſurae Ligni Guajaci, *unc. unam ſemis.*

Concif. & Contuſ. Miſc. Tum ad uſum, Coq. in ſuff. Quant. Aquae communis: Deinde in Colat. diſſolve
Mellis Roſati, *uncias duas.*

Hoc decoctum vel intra nares injiciatur, vel per attractionem, recipiatur. Vid. Tab. Smaragd. *pag.* 113. *Conf. noviſſime Cl.* HUNDERTMARK Exercit. *de* Ozaena Venerea. *Sed plura ſimilia decocta habet* BARBETTE *in* Chirurgie, *pag.* 234. *ſq.*

Species pro Decocto ad Ozænam.

GAUB. *de Form. pag.* 388.

℞. Radic. Ariſtolochiae rotund. *unciam ſemis.*
Herbarum Veronicae,
Scordii,
Menthae, *ana manipulum unum.*

Cum Aquae purae ſuff. Quant. coq. Vaſe Clauſo, per dimid. Horae: Colat. unc. ſedecim adde:
Tincturae Myrrhae,
Tinctur. Aloës, *ana unciam ſemis.*
Mellis Roſac. *unciam unam ſemis.*

Miſceantur. *Injiciatur hujus decocti tepidi Quantitas ſufficiens, aliquoties de die: Tum goſſypium, aut Carpta in Turundam convoluta, eo imbuta, applicentur. Egregium hoc eſt & plurimum profuturum decoctum.*

Species pro Decocto Pacifico.

Pharm Bat. pag. 48.

℞. Salis Tartari, cum Nitro facti, *unc. octo.*
Florum papav. rhoead. recent.
Baccarum Juniperi,
Radicis Hellebori nigri, *ana unc. octo.*

Conc. Miſc. & Coq. leni igne, vaſe clauſo, in Aquae Bened. ſimplicis Libris octo, per horas quatuor & viginti. Denique poſt Refrigerationem, fiat Colatura per Manicam Hippocratis.

Dentur Cochlearia tria, hora Somni, & Cochlearia quinque, mane, quotidie, cum vino albo ſaccharato.

Decoctum Pacificum Aliud.

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 51.

℞. Capitum papav. albi ſine ſemine, *unciam unam.*

Concif. coq. in Aquae font. *lib. tribus, ad unc. octo & viginti,* quibus deinde ſub finem addantur:
Florum paralys. ſiccator. *drach. duæ.*
In Colatura denique diſſolvantur:
Diaſcordii, *drachmæ duæ.*
Syrupi de Meconio, *unciæ tres.*
Limoniorum, *uncia una.*

Miſc. *Temperatum eſt, & ſomnum blandum invitat.* Doſis eſt ab unciis tribus, ad quatuor. *Habemus hic* Decocta pacifica, & *ſupra jam produximus* Mixturam pacificam & Confectio-

nem *quoque* pacificam. *Sic nobis non deſunt Remedia pacifica; deeſt tamen heu! nobis adhuc Pax ipſa, toties anxie quæſita, immo jugulo, ſed eheu! fruſtra, petita. Deus ipſe nobis aliquando oſtendat verum iſtud Remedium pacificum. Ignoſce quæſo hic Lector, juſto dolori, qui hanc querelam moeſto Corde, hac occaſione, expreſſit.*

Species Decocti Pectoralis.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Lond. Edinb.

℞ Paſſularum minorum mundatarum, *unciam unam.*
Siliquae dulcis,
Jujubarum, *ana drachmas ſex.*
Dactylorum, *uncias duas.*
Caricarum pinguium,
Hordei mundi, *ana unciam unam.*
Glycirrhizae,
Capillorum Veneris, *ana unc. ſemis.*
Hyſſopi, *drachmas duas.*
Incidantur & miſceantur.

Decoctum pectorale, lenta, molli, blandaque dulcedine dotatum, partim ſerum incraſſando, acre corrigendo, partim phlegma pulmonibus impactum maturando, bronchia & tracheam demulcendo, humectando, & lubricando, egregie tuſſientibus convenit; ſic etiam in pleuritide, nephritide & variolis, cum fructu adhibetur. Wirt.

Ad libras duas aquæ fontanæ ſpecierum uncia una ſemis additur, & ad quartæ partis conſumtionem coquitur. Conf. infr. Species pectorales *pro* Theae, *quæ huc proprie pertinent: Vid inprimis* HEINS. Pharm. Rat. *pag.* 161. *ſqq.*

Species pro Decocto Pleuritico, Batei.

℞ Foliorum Scabioſae, *manipulos duos.*
Semin. Cardui Mariae, *unc. ſemis.*
Nucis Moſchatae, *drachmas duas.*
Stercoris equini, (Sapidi) *unc. quat.*
Miſc. invicem: deinde, ubi uſus exigit, Coquantur parum in
Aquae Ulmariae,
Cardui Mariae, *ana libra una ſemis.*
poſtea Expreſſ. addantur:
Succi Aurantiorum, *unciæ tres.*
Syrupi papaveris erratici, *dr. quatuor.*
Clarif. & Fiat lege Artis decoctum antipleuriticum.

Sed ut gratioris ſit ſaporis, abjiciendum prius ſordidum illud ex Equo condimentum, Williſio *licet,* Dolæo, Ettmüllero, Schelhammero, Jungkenio *& aliis Medicis, communi præjudicio inductis, magno in pretio fruſtra habitum; quibus has lutoſas delicias haud invidebimus. Sed pudeat Medicos gratioſos tractare fimum. Vid. contra hoc cacoëthes dudum a nobis ſevere monita, Cap. III. de* Pleuritide, *pag.* 47.

Species pro Decocto Pleuritico, Boerhaave.

Mat. Med. pag. 121.

℞ Foliorum Scordii,
Alliariae,
Marrubii albi, *ana uncias duas.*
Cum Aqua decoct. *pintis duabus,* admiſce:
Oxymellis ſcillit. *uncias octo.*
Nitri, *drachmas tres.*
Aceti Theriacalis, *unciam unam.*
Bibat inde aeger uncias duas omni $\frac{1}{8}$ Horae, quantum poteſt, calidiſſimas.

Omnia hic quidem egregia & magno ſuo Auctore digna: Sed ſcrupulum tamen omnino injicit ingens illa Oxymelitis ſcillitici *quantitas, octo ſcilicet unciarum;*

ciarum: qua admiſſa, verendum eſt utique, ne æger, nauſea concepta, ad vomitum incitetur, qui in pleuritide vel maxime tamen vitandus. Quare vix dubium, quin ſummus Auctor aut re vera hic ſcripſerit, aut ſcribere certe voluerit Oxymellis ſimplicis uncias octo: *Quæ etiam juſtiſſima eſt ſententia ill. van* SWIETEN, Commentar. *in* Aph. Boerh. *T. III. pag.* 68. *Sed hæc pace maximi Viri manium, modeſte hic monita ſunto.*

Species pro Decocto Pleuritico Ejusdem.

Prax. Med. Tom. IV. pag. 193.

℞. Radicum Althaeae,
Lapathi acuti,
Graminis,
Scorzonerae, *ana uncias duas.*
Herbar. Bismalvae,
Agrimoniae,
Acetoſae,
Taraxaci, *ana manipulum unum.*
Florum Althaeae,
Papaveris erratici,
Violarum, *ana drachmam unam.*
Semin. Lactucae,
Papaveris albi, *ana uncias tres.*

Conciſ. & Contuſ. Miſc. poſtea Coq. in Aquae commun. ſuff. Quant. Colat. *pintis tribus* adde:

Salis Prunellae, *drachmas duas.*
Roob Sambuci, *uncias tres.*

Miſceantur denuo. *Aſſumat inde æger omni Quadrante Horæ, uncias tres calidas. Eſt egregium plane hoc decoctum.*

Species pro Decocto Pleuritico Ejusdem.

Prax. Med. Tom. IV. pag. 181.

℞. Radicum Cichorii,
Scorzonerae, *ana uncias duas.*
Glycyrrhizae, *unciam unam.*
Foliorum Biſmalvae,
Acetoſae,
Endiviae *ana manipulum unum.*
Florum papaveris erratici,
Althaeae,
Verbaſci, *ana manipulum ſemis.*
Seminum Contuſ. papaveris albi,
Melon.
Lactucae, *ana drachmas duas.*

Conciſ. Miſc. *Deinde ad uſum, cum Aqua decoct. Spatio Quadrantis Horæ, pintas tres exhibe: de* quibus aeger capiat uncias duas calide, omni Quadrante Horae *Conf. ſi placet, Comment. noſtr. de* Pleuritide, *Cap. III. pag.* 46. *& Cap. IV. pag.* 55.

Species pro Decocto ad Pleuritidem.

Diſpenſ. Argent.

℞. Herbarum Scordii, *unc. un. ſemis.*
Scabioſae, *uncias duas ſemis.*
Trifolii fibrini, *unciam ſemis.*
Florum Cichor. ſilveſtr. *drachmas ſex.*
Bellidis minor. *unciam unam ſemis.*
Papaveris Rhoeados, *unc. unam.*
Seminum Aniſi,
Fœniculi, *ana unciam unam.*
Radicis Glycyrrhizae, *unc. un. ſemis.*

Inciſa & Contuſa, ſerventur pro uſu.

Species Decocti pro Potu Infantum.

Diſpenſ. Wirt. Argent.

℞. Raſurae cornu cervi, *libras duas.*
Eboris, *libram ſemis.*
Radicum Liquiritiae, *libram ſemis.*
Polypodii, *libram ſemis.*
Caricarum pinguium,

Siliquae dulcis, *ana libram unam.*
Seminum Fœniculi,
Aniſi, *ana libram ſemis.*
Florum Tiliae, *uncias quatuor.*
Cornu cervi uſti, *libram unam.*
Miſce, incidantur.

Uſus cognoſcitur e titulo. Inſervit ſcilicet decoctum harum ſpecierum pro potu ordinario infantum.

Sumitur uncia una ad libras quatuor, vel quinque aquæ fontanæ, & poſt unam aut alteram ebullitionem, colatur.

Species Decocti ad Rhachitidem.

Pharm. Bat. pag. 49.

℞. Radicum Polypodii quern.
Apii,
Fœniculi, *ana unciam unam.*
Glycyrrhizae,
Semin. Aniſi, *ana unciam ſemis.*
Folior. Linguae Cervinae,
Capilli Veneris,
Cuſcutae,
Betonicae,
Chelidonii,
Tamariſci, *ana manipul. unum.*
Uvarum Corinthiacarum, *uncias quatuor.*

Conciſ. Miſc. poſtea Coq. in Aquae Hordei, libris quatuor, uſque ad dimidium: Tum fiat Colatura.

Dentur Cochlearia duo, tria, vel quatuor, pro Vice; bis, vel ter, in die: Interim purgando ſemel in hebdomade, cum Syrupo de Cichorio cum Rhabarbaro.

Species pro Decocto ad Rhachitidem.

MAYOW, *de Rhachitide, pag.* 138.

℞. Spicarum Radicis Oſmundae regalis,
Radicum Bardanae,
Graminis,
Cichorii, *ana unciam unam.*
Herbarum Veronicae maris,
Agrimoniae,
Linguae cervinae,
Hepaticae nobilis,
Capillor. Veneris, *ana manipul. ſemis.*
Raſurae Cornu Cervi,
Eboris, *ana unciam ſemis.*
Paſſularum exacinatarum, *unc. unam.*

Conciſ. Coq. in Aquae Fontan. *libris quatuor*, ad tertiae partis Conſumtionem: Adde
Vini albi, vel Rhenani, *libr. ſemis.*
& ſtatim coletur in Varidoneum, cui imponantur:
Foliorum Beccabungae,
Naſturtii,
Summitat. Abietis, *ana manip. ſemis.*
Baccarum Juniperi, *uncia ſemis.*

Fiat Infuſio tepida, & clauſa per horas circiter duas. Colatura ſervetur Vitris clauſis, & edulcoretur, pro lubitu. *Doſis ſit ab unciis duabus, ad unc. tres, horis medicis.*

Multum ibi virtutis huic ſuo decocto rhachitico tribuit Auctor Mayow; *neque dubium eſt, quin plurimum inde ſolatii atque emolumenti capere poſſint miſelli infantes nodoſo hoc Rhachitidis malo correpti, inprimis ſi & reliqua Cura ſecundum ſalutaria Auctoris præcepta, accurate inſtituta & peracta fuerit: Conf. &* GLISSONIUS *de* Rhachitide, *ubi etiam variæ ejusmodi compoſitiones ſaluberrimæ in uſum Rhachiticorum, exhibentur.*

* * *

Species Decocti ad Rhachitidem, pro Uſu Externo.

Ejusdem MAYOW, *p.* 148.

℞. Radic. Oſmund. regal. aut Filicis Maris, *unc. tres.*
Foliorum Betonicae,
Salviae,
Rorismarini,
Majoranae,
Naſturtii aquat. *ana manip. unum.*
Florum Chamaemel.
Meliloti,
Sambuci, *ana pugillum unum.*
Baccarum Lauri,
Juniperi, *ana unciam ſemis.*

Conciſ. Coq. in Aquae Fontan. ſuff. Quant. *ad libr. duas.* Adde Vini albi, vel Aquae Vitae vulg. *libr. unam:* Colatura uſui externo ſervetur.

Species pro Decocto contra Scorbutum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Herbarum Cochleariae,
Naſturtii aquatici,
Beccabungae,
Marrubii albi,
Fumariae,
Trifolii fibrini, *ana unciam ſemis.*
Radicis Rhaphani ſilveſtr. *libr. ſemis.*
Polypodii,
Sarſaparillae, *ana uncias tres.*
Seminis Aniſi, *drachmas ſex.*

Conciſa & mixta ſerventur pro infuſione,

Ad Acrimoniam humorum corrigendam, perutiliter adhibentur. Conf. BOERHAAVE, Mat. Med. *p.* 139. *ubi ſimilis fere Cereviſia medicata antiſcorbutica exhibetur.*

* * *

Species Decocti contra Sputum Sanguinis.

SORBAIT, *Prax. pag.* 758.

Diſpenſ. Prag.

℞. Herbarum Rutæ,
Alchimillæ,
Hyſſopi,
Capillorum Veneris,
Auriculæ muris,
Salviæ,
Polytrichi,
Pulmonariæ,
Farfaræ,
Scolopendr. *ana manipulum ſemis.*
Corticum Sambuci,
Rhapontici,
Hepatis Lupi,
Rhabarbari, *ana drachm. unam.*

Inciſa ſerventur uſui, & tum decoquantur:

Sed omiſſo inerti iſto rapacis Lupi hepate, nihil hic prorſus profuturo, ut ſupra ad Hepar Lupi, jam monitum.

Species pro Decocto Vulnerario.

Diſpenſ. Wirt. Vienn.

℞. Radicum Enulæ,
Symphyti majoris,
Tormentillæ,
Hirundinariæ, *ana unciam ſemis.*
Liquiritiæ, *drachmas ſex.*
Herbarum Alchimillæ,
Saniculæ,
Plantaginis,
Auriculæ muris,
Hyperici,
Agrimoniæ,
Pimpinellæ,
Bugulæ,
Virgæ aureæ,

Florum Bellidis, *ana unciam ſemis.*
Seminis fœniculi, *drachmas ſex.*
Inciſa ſerventur.
Sumuntur, loco infuſi Theæ, in vulneribus tam internis, quam externis.

Species pro Decocto Vulnerario, ſeu Travmatico.

Pharm. Batean. pag. 51.

℞. Summitatum Hyperici,
Veronicæ utriuſque,
Vincæ pervincæ,
Agrimon. *ana manip. duos.*
Radicum Chinæ,
Symphyti,
Lignorum Nephritici,
Santali albi, *ana unc. unam.*
Dactylorum inciſor. *No. triginta.*
Glycyrrhizæ, *unciam unam ſemis.*
Miſc. Infundantur per *horas duodecim,* in Aquæ Calcis ſufficienti Quantitate. Deinde Colatur. *libris quatuor* addantur
Syrupi de Piloſella,
Succo Elatines, ſeu Veron. *ana unciæ duæ.*
Servetur decoctum loco frigido, pro uſu.
Doſis eſt ad uncias tres vel quatuor, horis medicis.
Sed plura ejusmodi decocta Travmatica ſeu Vulneraria, ex optimis Auctoribus collegit JUNGKEN. *in* Corp. Pharm. *pag.* 358. *ſqq.*

Species Diaboracis.

Diſp. Vienn. Wirt.

℞. Boracis Venetae, *unciam ſemis.*
Caſſiae ligneae,
Croci Orientalis, *ana drachm. unam.*
Raſurae ligni Sabinae,
Succini albi praeparati, *ana drachm. ſemis.*
Oſſium de cordibus cervi,
Viſci querni,
Florum Cheiri, *ana ſcrupulum unum.*
Miſceantur, fiat pulvis.
Commendantur ab auctore MYNSICHTO *p.* 115. Theſ. Pharm. *ad partum difficilem, fœtum mortuum & ſecundinas pellendas.*
Doſis ſcrupulus unus, vel drachma ſemis.

Species Diacalaminthes Simplices, Galen.

Diſpenſ. Lond. Brand. Hamb.

℞ Calaminthae montanae,
Pulegii,
Origani,
Seminum Petroſelini Macedonici,
Vulgaris,
Seſeleos, *ana drachmas duas.*
Apii,
Cymarum Thymi, *ana unciam ſemis.*
Semin. Liguſtici,
Piperis nigri, *ana unciam unam.*
Miſc. Fiat pulvis ſecundum artem.

Species Diacalaminthes Compoſitæ.

Diſp. Lond.

℞. Pulveris Diacalaminthes ſimpl. *unc. ſemis.*
Foliorum Praſii,
Majoranae,
Meliſſae,
Artemiſiae,
Sabinae ſiccae, *ana drachm. unam.*
Radicis Cyperi,
Seminum Rubiae,

Rutae,
Macis,
Cinnamomi, *ana ſcrupulos duos.*
Terantur omnia & Miſceantur diligentiſſime, ut fiat pulvis ſecundum Artem.

Utriusque hujus pulveris uſus eſſe perhibetur hyſtericus, emmenagogus, anthelminticus, carminativus, diureticus & hydragogus. Plura vid. apud SCHULZIUM, *in* Praelect. *pag.* 295.

Species Diacinnamomii.

Diſp. Vienn. Wirt. Argent.

℞. Radicum Enulae, *unciam ſemis.*
Galangae, *unciam unam.*
Zinziberis,
Caryophyllorum,
Cardamomi utriusque,
Piperis longi,
Macis,
Nucis moſchatae,
Ligni Aloës, *ana drachmas tres.*
Croci, *drachmam unam.*
Caſſiae ligneae, *unciam ſemis.*
Cinnamomi acuti, *uncias duas.*
Miſce, fiat pulvis.

Digeſtionem promovet, & cum Saccharo, inſtar trageæ, ſumitur cum buccella panis toſti, Vino emolliti. Vid. SCHULZ. *pag.* 296.
Doſis drachma ſemis.

Species Diacinnabaris Mynſichti.

Theſaur. Pharm. pag. 110.

℞. Cinnabaris nativæ præp. *unc. ſemis.*
Lapidis ſtell. præp.
Cornu Alcis Spagyrice Calcin. *ana drachmas tres.*
Raſuræ Cranii humani,
Viſci quercini, *ana drachmas duas.*
Radic. & Sem. Pæoniæ, *ana drachm. unam ſemis.*
Specierum Diamoſchi dulc.
Diambræ, *ana drachm. unam.*
Magiſterii Perlarum Orientalium,
Corallor. rubror. *ana drach. ſemis.*
Croci Orientalis,
Olei Succini albi, *ana ſcrupul. unum.*
Foliorum Auri, *No. tredecim.*
Miſce: & fiat omnium pulvis.

Miram vim & efficaciam habent hæ ſpecies in Epilepſia, & omnibus aliis Morborum Capitis periculoſorum generibus, ſuntque tam certiſſimum, quam ſecretiſſimum experimentum, (ex ſententia nempe Mynſichti,) *quo Deo aſpirante, innumeros ceterorum Medicinæ immedicabiles hactenus, quantumvis eorum non paucos, ad novem, decem, duodecim, imo octodecim, pluresque annos, tali abominabili affectu laborantes, priſtinæ ſanitati reſtituimus.* Doſis in Curatione, a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis, & ſcrupulos duos, plus minusve, pro ætatis & Virium patientis diſcrimine, in vehiculis convenientibus & ſpecificis, omnique mane iterandis, uſque dum integram conſequatur ſanitatem. *Hactenus* Mynſichtus, *ſatis verboſe, ſatisque magnifice: utinam & ſatis vere! Interim ſit fides penes Auctorem. Ceterum hæ ipſæ Species ſunt Species quædam* Specifici *illius* Cephalici Michaëlis *notiſſimi, nec non* Pulverum Cephalicorum rubrorum, *quorum ſupra habetur deſcriptio. Aut igitur iſtis non minor virtus competet, quam huic pulveri, aut huic non major, quam illis. Ideo adhuc ſub judice lis eſt.*

Species Diacretæ Camerarii.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Cretæ præparatæ Anglicæ,

Nucum moſchatarum,
Lapidum cancrorum, *ana unciam unam ſemis.*
Liquiritiæ,
Seminis cydoniorum, *ana unc. unam.*
Boli Armenæ,
Coralliorum rubrorum praeparatorum, *ana unciam ſemis.*
Lapidum carpionum,
Macis,
Maſtiches electae, *ana ſcrupulos octo.*
Sacchari albi, *uncias viginti quatuor.*
Miſce, fiat pulvis.

Cum præcedentibus conveniunt. Plures vero ejusmodi Species Diacretæ dictas vid. apud JUNGKEN. *in* Corp. Pharm. *pag.* 898. *ſqq.*

Species Diacretæ Mynſichti.

pag. 114.

Diſp. Wirt. Vienn. Argent. &c.

℞. Cretae albae, aqua Roſarum praeparatae, *unciam unam ſemis.*
Nucum moſchatarum, *drachm. ſex.*
Glycyrrhizae,
Seminis cydoniorum, *ana unc. ſemis.*
Boli rubrae Orientalis praeparatae,
Coralliorum rubrorum praeparatorum, *ana drachmas duas.*
Lapidum carpionum,
Macis,
Maſtiches electae,
Croci Orientalis, *ana ſcrup. quatuor.*
Sacchari albiſſimi, *libram unam.*
Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Acidum in primis viis abſorbent, ad ardorem ſtomachi, quem Sodam vocant, fluxiones & diarrhœam commendantur. Conf. ſupra, Pilulae Cretaceae, *& de* Creta Palmarii.

Doſis drachma una, ad duas.

***

Species Diacubebarum.

Diſp. Vienn.

℞. Cubebarum,
Seminis Amomi, *ana uncias duas.*
Santalorum omnium,
Raſurae Eboris, *ana unciam unam.*
Succini praeparat. *unciam ſemis.*
Miſceantur pulveriſata.

Virtutes ſunt incidentes, Cerebrum, Cor & Hepar roborantes.

Species Diacumini Nicolai.

Diſp. Vienn. Prag.

℞. Seminis Cumini, *unciam unam ſemis.*
Cinnamomi,
Caryophyllorum, *ana unciam ſemis.*
Galangae,
Zinziberis,
Piperis nigri,
Herbae Saturejae,
Calaminthae, *ana drachm. duas.*
Semin. Ammeos,
Leviſtici, *ana drach. unam ſemis.*
Piperis longi,
Spicae Indicae,
Nucis Moſchatae;
Cardamomi minoris, *ana dr. unam.*
Miſceantur omnia ſubtiliſſime pulveriſata.

Ventriculi, inteſtinorum, & præcordiorum debilitati opitulantur, flatus & tenſiones Hypochondriorum reſolvunt, indeque in quartana præſertim Febri proſunt.

Species Diacurcumæ.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Radicis Curcumae, *uncias duas.*
Chelidoniae,
Rhabarbari, *ana unciam unam.*
Gentianae,

Galangae,
Valerianae verae,
Glycyrrhizae, *ana unciam ſemis.*
Corticis Rad. Capparum,
Tamariſci,
Seminis Naſturtii,
Aquilegiae,
Petroſelini,
Aniſi, *ana drachmas tres.*
Croci Auſtriaci,
Caryophyllorum,
Myrrhae rubrae, *ana dr. unam ſemis.*
Salis Abſinthii, *drachmas tres.*

Miſceantur omnia, in ſubtilem pulverem redacta.

Ventriculi, Hepatis & Lienis Morbis frigidis auxiliantur; Cachexiam, Hydropem & Obſtructiones præcavent, flatus diſcutiunt, & Urinam promovent. Vid. huc SCHULZ. Praelect. *pag. 296. ſqq. ubi plura & de nomine, & de re.*

Species Diagalangæ Meſue.

Diſpenſ. Vienn. Prag.

℞. Radicis Galangae,
Ligni Aloës, *ana drachmas ſex.*
Caryophyllorum,
Macis, *ana drachmas duas.*
Zinziberis,
Piperis longi,
albi,
Cinnamomi,
Calami aromatici, *ana dr. un. ſemis.*
Cardamomi majoris,
minoris,
Spicae Indicae,
Seminum Apii,
Aniſi,
Fœniculi,
Carvi,
Leviſtici,
Herbae Calaminthae, *ana dr. unam.*

Pulveriſentur ſingula, & probe Miſceantur.

Virtutis ſunt ſtomachicæ, hepaticæ, pepticæ & Carminativæ.

Species Diahyſſopi, Nicolai.

Diſpenſ. Prag.

℞. Hyſſopi,
Ireos,
Thymi,
Piperis, *ana drachmas quindecim.*
Pulegii,
Saturejae,
Rutae,
Cumini, *ana drachmas decem.*
Dactylorum enucleatorum,
Tragacanthi,
Glycyrrhizae,
Caricarum,
Paſſularum majorum enucleatarum,
Fœniculi, *ana drachmas quinque.*
Zinziberis,
Seminum Aniſi,
Carvi,
Liguſtici, *ana drach. duas ſemis.*

Miſceantur exacte, fiant Species.

Capitis Vitiis frigidis conducunt; Columellam a frigido humore prolapſam, vel tumefactam exſiccant: Plurima Thoracis & Stomachi Vitia emendant, & coctionem promovent. Sed hæc omnia poſſent efficere, ſi poſſent, etiamſi abeſſent Caricæ atque paſſulæ majores, quæ quid huc conferre valeant, præſertim in tam exigua quantitate; equidem haud ſatis intelligere ac perſpicere poſſum.

Species Diajalappæ Mynſichti. pag. 125.

Diſpenſ. Wirt. Vienn. Prag.

℞. Radicis Jalappae reſinoſae, *uncias duas ſemis.*

Cremoris tartari, *ſcrupulos undecim.*
Olei cinnamomi, *ſcrupulum unum.*
Miſce.

Sine moleſtia per inferiora purgant.

Doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam unam.

Species Diaireos Salomonis.

Diſpenſ. Prag.

℞. Rad. Ireos, *unciam unam.*
Pulegii,
Hyſſopi,
Glycyrrhizae, *ana drachmas ſex.*
Tragacanthae,
Amyli,
Cinnamomi,
Zinziberis,
Piperis,
Amygdal. amar.
Nucum pinearum, *ana drachm. tres.*
Caricarum,
Paſſularum majorum enucleatar.
Dactylorum enucleat. *ana drachm. tres ſemis.*
Styracis Calamit. *drach. duas & ſcrupulum unum.*
Miſceantur, & tum fiant Species.

Faucibus exaſperatis, & Columellæ fluxione tentatæ proſunt: Diſpnoicis, item arteriacis, & tuſſiculoſis auxilio ſunt, nec non frigidæ Capitis intemperiei & deſtillationi in fauces irruenti conducunt; ac vocis jacturam frigoris vehementia contractam ſenſim reſarciunt.

Multum hæ ipſæ Species conveniunt cum antecedentibus Speciebus diahyſſopi, *aut rectius* diahyſſopii, *dictis, hinc & ſimilis ab illis effectus erit expectandus; licet idem de Caricis & paſſulis ſit monendum, quod de iſta Compoſitione ſuperiore, monitum a nobis fuit. Ut vero paucis me expediam; ipſa Salomonis ſapientia hic admodum deſideratur. Conf. ſupra,* Opiata Salomonis.

Species Diaireos Simplices.

Diſp. Prag. Wirt. Brand. Leid.

℞. Ireos Florentinae,
Sacchari candi albi,
Specierum Diatragacanthae frigidae, *ana drachmas ſex.*
Miſce, fiat pulvis.

Serum acre ad fauces deſtillans demulcent, atque in tuſſi ſicca commendantur.

Doſis drachma ſemis, ad ſcrupulos duos. *Vid.* SCHULZ. *pag.* 297.

Species Dialaccæ Meſue.

Diſp. Vienn. Lond. Prag. Lugd.

℞. Gummi Laccae in *granis.*
Rhabarbari electi, *ana drachm. tres.*
Spicae Indicae,
Schœnanthi,
Maſtiches electae,
Myrrhae rubrae,
Coſti,
Cinnamomi,
Croci Auſtriaci,
Caſſiae ligneae verae,
Gummi Bdellii,
Herbae Hyſſopi,
Sabinae,
Salis Abſinthii,
Tartari Vitriolati,
Radic. Rubiae Tinctorum,
Ariſtolochiae rotundae,
Gentianae,
Semin. Ammeos,
Apii,
Fœniculi,
Aniſi, *ana drachm. unam ſemis.*
Piperis longi,
Zinziberis, *ana drachmam unam.*

Pulve-

Pulveriſentur omnia, & permiſceantur.

Ventriculo, Hepatisque infarctui & obſtructioni, urinæ & menſibus ſuppreſſis, Cachexiæ atque Calculo medentur. Neque mirum, quum totum fere pharmacopolium in his ipſis Speciebus contineatur.

Species Dialauri Mynſichti.

Theſ. Pharm. pag. 124.

℞. Baccarum Lauri ſiccat. & pulv. *unc. unam.*
Florum Centaur. min. *drachmas tres.*
Rubiae Tinctorum,
Myrrhae rubrae,
Croci Oriental. *ana drachmam unam.*
Ariſtolochiae rotundae,
Cardamomi minoris,
Galangae minoris, *ana ſcrupul. duos.*
Salis Cinnamomi,
Sabinae, *ana drachmam ſemis.*

Miſc. Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Obſtructiones in utero egregie aperiunt, nec non ſuppreſſos Menſes largiter movent: Doſis a drachm. dimidia, ad unam, in decocto Sabinae cum Croco, aut Vino.

Species Diamargaritæ Calidæ.

Diſp. Meſſan. Brand. Wirt. Hamb. Vienn. Argent. &c.

℞. Zinziberis, *drachmas quatuor.*
Doronici,
Zedoariae,
Been utriusque, *ana drachmas tres.*
Pyrethri, *drachmam unam.*
Seminis Apii,
Cardamomi utriusque,
Nucum moſchatarum,
Macis,
Piperis longi,
nigri, *ana drachmas tres.*
Cinnamomi, *drachmas quinque.*
Maſtiches,
Margaritarum Orientalium, *ana drachmas quatuor.*

Miſce, fiat pulvis.

Ad ventriculi inflationes, morbos nervorum, a cauſa frigida ortos, in trageis dantur. Vid. SCHULZ. *pag.* 298.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Species Diamargaritæ Frigidæ.

Diſp. Wirt. Meſſan. Vienn. Brand. Amſtel.

℞. Margaritarum Orientalium, *dr. ſex*
Corallii albi,
rubri,
Florum Borraginis,
Nymphaeae albae,
Roſarum rubrarum,
Granorum Kermes,
Ligni Aloës,
Sandali albi,
citrini, *ana drachmas duas.*

Miſce, fiat pulvis.

Sunt analepticæ, tabidis & a morbis malignis reconvaleſcentibus, dantur. Vid. SCHULZ. *pag.* 298.

Doſis ſcrupulus unus, ad duos.

Species Diambræ.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Lond.

℞. Doronici,
Galangae, *ana drachmas tres.*
Zinziberis, *drachmam unam ſemis.*
Spicae Indicae, *drachmam unam.*
Ligni Aloës,
Sandali citrini,
Piperis longi, *ana drachmas duas.*
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatae,
Macis, *ana drachmas tres.*

Cardamomi majoris,
minoris, *ana drachmam unam.*
Cinnamomi, *drachmas tres.*

Fiat pulvis, quem completum reddimus addendo

Ambrae, *drachmam unam.*
Moſchi, *drachmam ſemis.*

Calefaciunt, caput & ventriculum roborant, concoctionem adjuvant, & in affectibus a cauſa frigida ortis inſerviunt. Vid. SCHULZ. *pag.* 298.

Dantur in trageis & morſulis.

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Species Diamari Wedelii.

Tab. Smaragd. pag. 368.

℞. Mari Veri,
Xylaloës,
Cardamomi minoris,
Cinnamomi acuti, *ana unciam ſemis.*
Ambrae griſeae, *drachmam unam.*

Miſc. Fiat Pulvis, per ſe aſſervandus in uſum analepticum & cephalicum, vel extrahendus in Eſſentiam Diamari.

Species Diamumiæ Mynſichti.

Theſ. Pharm. pag. 116.

℞. Mumiæ transmarinæ Veræ,
Magiſter. Lapid. percarum, *ana drachmas duas.*
Sanguinis Hirci præparati,
Caryophyllorum,
Spermatis Ceti, *ana dr. unam ſemis.*
Radicum Rubiæ Tinctorum,
Hirundinariæ,
Tormentillæ, *ana drachm. unam.*
Succini albi præparati,
Boli rubræ orientalis,
Salis Corallior. rubror. *ana dr. ſemis.*

Miſceantur: Fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus.

Hæ Species valde proſunt ad Caſum: ſanguinem enim coagulatum diſſolvunt, vulneraque interna glutinant, & prohibent apoſtemata ex caſu abalto. Doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam unam, *in Aqua Chærefolii, vino, vel aceto vini.*

Vid. ſupra Pulvis contra Caſum.

Species Dianiſii.

Diſpenſ. Wirt. Vienn. Lond.

℞. Pyrethri, *drachmas duas.*
Zinziberis,
Galangæ, *ana drachmas quinque.*
Spicæ Indicæ, *drachm. unam ſemis.*
Glycyrrhizæ raſæ, *unciam unam.*
Calaminthæ, *drachmas duas.*
Seminum Aniſi, *uncias duas ſemis.*
Carvi,
Fœniculi, *ana drachmas quinque.*
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Cubebarum, *ana drach. unam ſemis.*
Piperum trium, *ana drachmas duas.*
Cinnamomi, *drachmas quinque.*
Caſſiæ ligneæ veræ, *drachmas duas.*
Macis, *drachmas quinque.*
Croci, *drachmam unam ſemis.*
Maſtiches, *unciam unam.*

Miſce, fiat pulvis.

Roborant ventriculum, flatus diſſipant, atque tuſſi ſtomachicæ ſubveniunt.

Dantur in trageis, a ſcrupulis duobus, ad drachmam unam.

Species Dianthus Nicolai.

Diſp. Vienn. Wirt. Hamb. Prag. Lond. & reliq.

℞. Radicum Liquiritiæ, *drachmas ſex.*
Zinziberis,
Zedoariæ,
Galangæ,

Ligni Aloës,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Cardamomi minoris,
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Spicæ Indicæ, *ana ſcrupulos quatuor.*
Florum Rorismarini, *unciam unam.*
Roſarum,
Violarum, *ana drachmas ſex.*
Seminum Anethi,
Fœniculi, *ana ſcrupulos quatuor.*
Miſce, fiat pulvis.

Sunt cephalicæ, ſtomachicæ, carminativæ; dantur melancholicis & animo languentibus. Vid. SCHULZ. Praelect. *pag.* 299.

Doſis drachma ſemis, ad ſcrupulos tres.

Species Diarrhodon Abbatis.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Leod. Meſſan. Lond. Leid. Amſtel. Hamb. &c.

℞. Florum roſarum rubrarum, *unc. duas.*
Radicis Liquiritiæ, *drachmas duas.*
Spicæ Indicæ,
Rhabarbari, *ana drachmam unam.*
Sandali albi,
rubri, *ana unciam ſemis.*
Seminum Aniſi, *drachmas duas.*
Baſilici,
Cinnamomi,
Croci Auſtriaci,
Maſtiches,
Matris perlarum præparatæ,
Raſuræ eboris,
Cornu cervi philoſophice præparati, *ana drachmam unam.*
Miſce, fiat pulvis.

Roborantes ſunt, concoctionem & chylificationem adjuvant; in ictero, cardialgia, & cœliaca paſſione proſunt.

Dantur a drachma ſemis, ad ſcrupulos duos.

Species Diaſennæ.

Diſpenſ. Leod. Leyd.

℞. Foliorum Sennæ mundatorum, *uncias duas.*
Cremoris Tartari, *unciam ſemis.*
Seminum Fœniculi dulcis, *dr. duas.*
Cinnamomi acuti,
Macis,
Salis Gemmæ, *ana drachmam unam.*
Miſceantur, Fiat omnium pulvis ad uſum Catharticum.

In Diſpend. Londinenſi, p. 225. *& in aliis paſſim additur his Diacrydii uncia ſemis; & dum fortiores exſurgunt Vires Catharticæ; inde & minor doſis erit exhibenda. Sed præſtat omittere formidabile illud Diacrydium, ob rationes paſſim ſupra in hoc opere, traditas. Pulv. vero Sennæ compoſitus major & minor, exhibentur ibidem, pag.* 224.

Species Diatabaci Mynſichti.

Theſaur. Pharm. pag. 118.

℞. Tabaci Ind. cum Oleo Aniſi præp. *unciam ſemis.*
Radic. Hellebori albi,
Liliorum convall.
Pyrethri, *ana drachmam ſemis.*
Granorum Pæoniæ maris,
Florum Lavendulæ,
Rorismarini,
Majoranæ,
Origani, *ana ſcrupulum unum.*
Piperis longi,
Gummi Peruviani,
Agarici trochiſcati.
Gallæ Moſchatæ, *ana ſcrupul. ſemis.*
Miſceantur, & in Pulverem ſubtiliſſimum redigantur.

Pertinet proprie hæc Compoſitio ad Pulveres Sternutatorios, quorum ſupra aliquot Specimina proſtant. Ceterum ipſe Mynſichtus *huic ſuo pulveri inſignes virtutes, pro more, tribuit, in Catarrhis, Vertigine, doloribus Capitis, & ipſa denique Epilepſia: quod ipſi Experientiæ relinquitur.*

Species Diatartari Mynſichti.

pag. 112.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Tartari Vitriolati,
Magiſter. Scammonii, *ana unc. duas.*
Turbith albi & gummoſ.
Hermodactylor. albor *ana unc. ſemis.*
Ol. Caryophyllorum,
Cinnamomi, *ana ſcrupulum ſemis.*

Miſceantur, *Fiat pulvis ad uſum. catharticum, & antiſcorbuticum, ſervandus: plura vid. apud* Mynſicht.

Species Diaterebinthinæ Mynſichti.

Theſ. Pharm. pag. 115.

℞. Terebinthinæ in Aqua citri bis lotæ, *uncias duas.*
Magiſterii Scammonii, *unc. unam.*
Turbith albi & gummoſ. *drachm. ſex.*
Tartari Vitriolati,
Hermodactylor. alb. *ana drach. tres.*
Specier. Lithonthrypt. *drachm. duas.*
Croci Oriental.
Macis, *ana ſcrupulum unum.*
Sacchari Violat. tabulat. *unc. quatuor.*
Oleorum ſtillat. Aniſi,
Aurantiorum,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Fœniculi, *ana ſcrup. ſemis.*

Miſce omnia, ut fiat pulvis.

Cujus uſus eximius perhibetur in Arthritide Colica, Gonorrhœa, Dyſuria, Stranguria, Renum ac Veſicæ Calculo, aliiſque meatuum urinalium Vitiis. Doſis a drach. ſemis, ad drach. unam & unam ſemis, *in jure Caponis, vel Gallinæ, aut ſimili.*

Species Diathamaron Nicolai.

Diſpenſ. Prag.

℞. Anthophyllorum,
Zinziberis, *ana drachmas ſex.*
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Carnium dactylorum, *ana drachm. quatuor ſemis.*
Galangæ,
Spicæ Indicæ,
Zedoariae,
Coſti albi aromatici,
Pyrethri,
Corall. rubr.
Tragacanthi,
Rhapontici,
Spicae celticae,
Anacardii,
Oſſium dactylorum,
Carpobalſami,
Aniſi,
Baccarum Juniperi,
Trium piperum, *ana drachm. unam, grana quadraginta octo.*
Margaritarum oriental. *ſcrup. quatuor.*
Blattae Byzant. ſeu unguis odorat. *ſcrupulos duos.*
Oſſis de Corde Cervi legitimi, *ſcrupulos duos ſemis.*
Raſurae Eboris, *drachmam ſemis.*
Foliorum Auri & Argenti, *quantum placet.*

Miſceantur: *& Fiat ex magna hac Specierum farragine, pulvis magnus, utinam & magni uſus: qui tamen enixe*

commendatur tabidis, tuſſientibus, difficulter ſpirantibus, aſthmaticis, ſtomachicis & nephriticis, immo quibus non? Præſcribuntur autem vulgo Foliorum Auri Centum viginti quinque, & Argenti ſeptuaginta quinque. En ergo pulverem, auri argentique prædivitem, auxilii vero forte egenum.

Species Diatragacanthæ.

Diſpenſ. Lond. nov.

℞. Gummi Tragacanthae,
Arabici,
Radicis Althaeae, *ana ſeſcunciam.*
Glycyrrhizae,
Amyli, *ana unciam dimidiam.*
Sacchari puriſſimi, *uncias tres.*

Omnia ſimul in pulverem terantur.

Cujus potiſſimum uſus eſt in tuſſi acri, raucedine, Catarrhis pituitoſis, & aliis pectoris Vitiis. Doſis eſt drachma ſemis, item una, & ultra; *vix enim hic quidquam peccatur. In eo vero hæc ipſa compoſitio Londinenſ. differt potiſſimum ab altera illa vulgari, etiam hic exhibita, quod prudenter omiſſis ſeminibus quatuor frigidis majoribus, ut & papaveris albi, quippe quæ diutius aſſervata, facile rancent, ceu notum, ſalutari conſilio, addita ipſorum loco, ſit Radix Althææ, una cum Saccharo, quod notandum utique merebatur.*

Species Diatragacanthæ Calidæ Nicolai.

Diſpenſ. Prag. Hamb.

℞. Tragacanth. *uncias duas.*
Hyſſopi, *unciam ſemis.*
Pinearum,
Amygdalor. utrorumque,
Seminis Lini, *ana drachmas tres.*
Fœnugraeci,
Cinnamomi, *ana drachmas tres.*
Glycyrrhizae raſae,
Succi Glycyrrhizae,
Zinziberis, *ana drachmam unam.*

Hæ quidem Species hodie rarus in uſum expetuntur; interim tamen Veteres illas ad pectoris affectus frigidos vehementer commendabant: Tuſſientes enim, aſthmaticos & ſuſpirioſos egregie relevare dicuntur. Doſis eſt a ſcrupulo uno, ad duos & ultra. *Illud autem hic inprimis obſervandum, quod ſemper recens debeat eſſe harum Specierum præparatio, quando in uſum bechicum advocantur; quoniam nempe pineæ amygdalæ & ſemina illa Lini ac Fœnugræci, ubi diutus permixta aſſervata fuerint, facile tempore rancent, atque hinc plus damni inferrunt ægrotis, quam emolumenti. Quod & generatim de omnibus illis Compoſitionibus notandum, quascunque ſemina pinguiora ingrediuntur; ut & ſupra jam paſſim monuimus. Ceterum autem has ſpecies calidas frigidis illis diatragacanthæ hic denuo adjungendas merito cenſuimus, ne quid nempe deeſſet.*

Species Diatragacanthæ Frigidæ.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Lond. Hamb. & rel.

℞. Gummi Tragacanthae albae, *uncias duas.*
Arabici, *drachmas decem.*
Amyli, *unciam ſemis.*
Glycyrrhizae, *drachmas duas.*

Miſce, fiat pulvis.

Serum acre demulcent; ſalutariter exhibentur tuſſientibus, cum calore lento exſiccativo, & in diarrhœa, a ſero acri orta, bonum effectum præſtant.

Doſis drachma ſemis & ultra. *Vid.* SCHULZ. *pag.* 300.

NB. Semina frigida ſunt omiſſa, quoniam brevi tempore rancore inficiunt ſpecies. Hinc conſultius eſt, ſi opus ſit ſeminibus hiſce, illa demum ſub quolibet uſu addere.

Species Dia-Trion Sandalon.

Diſp. Vienn. Brand. Wirt. Lond. Hamb. &c.

℞. Trium Sandalorum, *ana drachmas duas & ſcrupulos duos.*
Florum roſarum, *unc. tres dr. tres.*
Violarum, *unciam ſemis.*
Rhabarbari,
Seminis portulacæ,
Spodii ex ebore,
Succi Glycyrrhizæ, *ana drach. duas.*
Amyli,
Gummi Arabici,
Tragacanthæ, *ana ſcrupulos quatuor.*

Miſce. Cui Camphora arridet, illius ſcrupulum unum admiſcere poterit.

Veteres perſuaſi, ſandala calorem hepatis præternaturalem corrigere, exhibuerunt has ſpecies, febribus lentis, ictero & hydrope laborantibus, a drachma dimidia, ad integram. Vid. SCHULZ. *pag.* 301.

Species Diaturbith cum Rhabarbaro.

Diſp. Prag Lond. Leod. Brand. Hamb.

℞. Rhabarbari opt. *drachmas decem.*
Turbith albi & gummoſi,
Hermodactylorum, *ana unc. unam.*
Diacrydii, *unciam ſemis.*
Zinziberis,
Santali albi,
rubri,
Violarum, *ana drachm. unam ſemis.*
Maſtiches,
Aniſi,
Cinnamomi,
Croci, *ana drachmam ſemis.*
Sacchari albi, *libram unam.*

Miſceantur: Fiat inde pulvis.

Flavam Bilem & pituitam educit, atque aqua inter cutem laborantibus egregie confert: ad vermes etiam efficaciſſimum eſt Remedium & valde idoneum: Nam Rheum vermes maxime enecat, & Turbith pituitam ipſam, verum Vermium fomitem, ejicit. Veteres has Species in Morſulos, vel Tabellas redigere ſolebant. Doſis ad drachmam unam.

Species Dia Turbith, cum Rhabarbaro.

Diſpenſ. Vienn. Wirt.

℞. Rhabarbari,
Turbith, *ana unciam unam.*
Hermodactylorum, *unciam ſemis.*
Diacrydii,
Cremoris Tartari,
Seminis violarum, *ana drachm. duas.*
Olei Cinnamomi, *guttas quinque.*

Miſce, fiat pulvis.

Serum & bilem educunt, arthriticis & hydropicis conveniunt, lumbricos expellunt.

Doſis ſcrupulus unus, ad ſcrupulos duos.

Species Emmenagogæ Wepferi.

℞. Limaturæ Martis, *unciam ſemis.*
Cinnamomi acuti, *drachmas ſex.*
Caryophyllorum, *drachm. un. ſemis.*
Macis, *drachmam unam.*
Baccarum Lauri, *drachmas tres.*
Summitatum Meliſſæ,

Pulegii,
Roriſmarini, *ana pugillum unum.*
Croci orientalis, *ſcrupulum ſemis.*
Sacchari albi, *uncias tres.*
Miſceantur, Fiat pulvis groſſus.
Vid. *Tab. Smaragd.* pag. 369.

Species Emollientes.

Diſp. Wirt. Vienn.

℞. Radicum Altheæ, *uncias quatuor.*
Herbarum quinque emollientium, *ana uncias duas.*
Florum Chamomillæ vulgaris, *uncias tres.*
Inciſa & contuſa miſceantur.

Inſerviunt pro clyſteribus, emolliunt alvum, & leniunt dolores, a materia acri in inteſtinis hærente profectos. Coquitur uncia una & dimidia in aquæ libra una ſemis, ut reſtet libra una, pro clyſmate, adulto una vice injiciendo.

In pulverem tritæ, etiam cataplaſmati conficiendo aptæ ſunt.

Species pro Epithemate Capitis.

Diſpenſ. Brandenb.

℞. Herbarum Majoranæ,
Matriſylvæ,
Verbenæ, *ana manipul. unum.*
Florum Nymphææ,
Roſarum rubr. *ana manip. ſemis.*
Croci optimi, *drachmam ſemis.*
Nucis Moſchatæ, *unciam ſemis.*
Nucleorum perſicorum, *drach. ſex.*
Seminis papaveris albi, *dr. quinque.*
Craſſe Conciſa & Contuſa Miſce, & pro iis, qui commode ferre poſſunt, Camphoræ odorem, adde ipſius *ſcrupulum unum.*

Deſtinatæ ſunt hæ Species cephalicæ uſibus externis, atque a Speciebus pro Cucupha, hoc differunt, quod hæ ſiccæ inſuuntur Sindoni, in formam Mitræ redactæ: Noſtræ autem hic exhibitæ Linteo etiam involutæ, irrorari ſolent Aceto quodam, aut Aqua ſpirituoſa, ut theriacali, Spiritu Lavendulæ, Roſarum, aut denique, quod conſultiſſimum, ambobus mixtis, & circum frontem ac tempora ligari. Hæc bene SCHULZIUS, *in* Prælect. *pag.* 302.

Species pro Epithemate, Cephalicæ.

Diſp. Wirt. in reliquis aliæ compoſitiones.

℞. Herbar. & ſummitat. Betonicæ,
Hyſſopi,
Lavendulæ,
Majoranæ,
Origani,
Roriſmarini,
Rutæ,
Salviæ,
Serpilli,
Florum Chamomillæ,
Meliloti,
Roſarum,
Sambuci,
Foliorum Lauri, *ana unciam unam.*
Salis Ammoniaci, *unciam ſemis.*
Inciſa reponuntur.

A chirurgis pro fomentatione, in capitis & aliarum partium contuſione, expetuntur.

Applicantur in ſacculis vel epithematibus, cum vino calido.

Species pro Epithemate Cordis.

Diſpenſ. Vienn. Prag.

℞. Florum Bugloſſi,
Borraginis,
Meliſſæ,

Roſarum rubr. *ana part. æqual.*
Santalorum omnium, *ana unc. unam.*
Corticum Citri,
Seminis Acetoſæ,
Ligni Aloës,
Caryophyllorum, *ana drachmas ſex.*
Radicis Doronici Veræ,
Been utriusque,
Succini albi, *ana drachm. quinque.*

Pulveriſata & mixta, ſerventur uſui.

In palpitatione Cordis, Virium defectu, Syncope, aliisque Cordis affectibus commode adhibetur.

Species pro Epithemate Cordis.

Diſpenſ. Brand.

℞. Been utriuſque,
Cinnamomi,
Doronici,
Macis,
Succini, *ana drachmam unam.*
Croci optimi, *drachmam ſemis.*
Caryophyllorum,
Corticum Citri,
Ligni Aloës,
Seminis Acetoſæ, *ana dr. un. ſemis.*
Roſarum rubrarum,
Santalorum omnium, *ana dr. duas.*
Florum Borraginis,
Bugloſſi,
Meliſſæ, *ana manipulum ſemis.*

Hæc omnia bene trita ſerventur; quibus ſi addantur
Camphoræ, *grana ſex.*
Moſchi, *grana tria.*

Tum Species Completæ audiunt. Ceterum in multis conveniunt, cum deſcriptione Viennenſi, ſuperius exhibita. Interea vid. huc SCHULZ. Prælect. *p.* 302. *& conf. ſupra*, Aqua pro Epithemate Cordis.

Species pro Epithemate Cordis & Pulſuum.

Diſp. Argent. Wirt. Ratisbon.

℞. Herbarum Roriſmarini,
Majoranæ,
Meliſſæ,
Florum Cheiri,
Tunicæ, *ana unciam ſemis.*
Lavendulæ,
Roſarum, *ana drachmas ſex.*
Macis,
Nucis moſchatæ,
Ligni Aloës,
Rhodii, *ana drachmas ſex.*
Cinnamomi, *drachmas ſex.*
Corticum citri,
aurantiorum, *ana drachmas tres.*

Inciſa & contuſa groſſo modo miſce.

Uſus ex nomine patet; applicantur in ſacculis aqua carbunculi vel aceto madefactæ.

Species pro Epithemate Hepatis.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Santalorum omnium, *ana unc. duas.*
Florum Roſarum rubrar. *unc. ſemis.*
Camphoræ, *ſcrupulos quatuor.*

Pulveriſentur & Miſceantur omnia.

Hepatis inflammationes & exæſtuationes temperat, & refocillat.

Species pro Epithemate Cordis Palmarii.

Tract. de Febre peſtil. Cap. 20. *p.* 484.

℞. Florum Roſarum rubrarum,
Betonicæ coronariæ,
Violarum,

Folio-

Foliorum Myrti, ſingulor. *pugill. un.*
Corticis Mali citrii ſicci,
Macis,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ,
Cinnamomi acuti,
Santali citrini, ſingulor. *drach. duas.*
Ambræ,
Zibethi,
Moſchi, ſingulorum *grana ſex.*

Miſc. Fiat pulvis craſſiuſculus, qui Sacculo concluſus, cordi admovebitur, alias ſiccus, alias madidus; Irroretur autem, æſtate quidem, Aceto & Aqua Roſar. Hieme vero, Vino generoſo & Aqua Roſarum.

Species pro Epithemate Cordis Ejusdem Palmarii.

Ibid. pag. 484.

℞. Radic. Iridis Florentinæ, *unc. ſemis.*
Cyperi,
Calami aromat. utriusque, *ana drachm. unam ſemis.*
Flor. Roſar. rubr. pulv. *unciam ſemis.*
Caryophyllorum,
Macis utriuſque, *drachmam unam.*
Styracis Calamitæ,
Succi Cyrenaici,
Radicis Angelicæ, *ſingulor. dr. duas.*
Menthæ,
Sampſuchi, h. e. Majoranæ,
Pulegii montani,
Calaminthes, ſingulor. *dr. un. ſemis.*
Nardi Italicæ, *ſcrupulos quatuor.*
Nucis Moſchatæ,
Cinnamomi acuti,
Santali citrini, ſingul. *ana dr. unam.*
Zibethi,
Moſchi,
Ambar. ſingulor. *grana ſex.*

Miſceantur probe: Fiat pulvis, qui Marſupio concludatur, ad uſus neceſſarios, modo indicatos.

Species pro Epithemate Stomachi.

JUNCKER. *Conſpect. Form. pag.* 105.

℞. Radicum Acori,
Zedoariæ,
Galangæ,
Gentianæ rubræ, *ana dr. unam.*
Herbar. Abſinthii,
Menthæ criſpæ,
Meliſſæ,
Rutæ, *ana manipulum ſemis.*
Seminum Carvi,
Aniſi, *ana drachmam unam.*
Inciſa & Contuſa irrorentur
Oleorum deſtill. Menthæ criſpæ,
Fœniculi,
Cortic. citri, *ana guttis ſex.*

Includantur dein Sacculis, & imponantur ſtomacho languenti, frigido, aut ex vomitu nauſeanti. Conf. JUNGKEN. Corp. Pharm. *pag.* 921.

Species pro Fomentatione.

Diſpenſ. Brandenb.

℞. Florum Lupuli, *libram unam.*
Chamæmeli vulgaris,
Millefolii, cum toto,
Lavendulæ,
Herbar. Roriſmarini,
Hyſſopi,
Serpilli,
Lyſimachiæ,
Tanaceti,
Majoranæ,
Meliloti,
Menthæ,
Origani,
Saturejæ,
Botryos, *ana uncias duas.*

Inciſa omni Miſc. & ſerventur pro uſu externo.

Species pro Fotu Aromat.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Summitatum floridarum Anthos,
Rutæ,
Salviæ,
Hyſſopi,
Lavandulæ,
Abſinthii,
Origani,
Thymi,
Foliorum Lauri,
Florum Roſarum rubrarum,
Chamæmeli,
Meliloti,
Sambuci,
Salis Ammoniaci, *ana drachm. duas.*

Miſc. & ſerventur pro uſu, *in libris quinque vel Vini generoſi, vel ſimplicis Aquæ,* prout lubet, coquendae.

Species pro Gargariſmate in Aphthis.

BOERHAAVE *Mat. Med. p.* 127.

℞. Foliorum Malvæ,
Brancæ urſinæ,
Althææ,
Parietariæ,
Verbaſci,
Mercurialis,
Alchimillæ, *ana uncias duas.*
Radicis Althææ, *unciam unam.*
Bulborum Raparum, *uncias decem.*

Conciſ. Miſceantur. Pro ipſo uſu, cum Aq. decoct. & expreſſ. *unciis triginta* admiſce.

Vitellorum Ovorum, *No. quatuor.*
Mellis Roſarum, *uncias duas.*

Fiat ſic Collutorium ſeu Gargariſma aſſiduum, & ſemper in ore habendum.

Species pro Gargariſmate Aliæ. in graviſſima Angina.

DECKER. *Exercitat. Pract. p.* 242. *laudat. a Cel.* GAUBIO, *pag.* 409. *de Form.*

℞. Radicis Althææ recent. *unc. unam.*
Folior. Malvæ, *manipul. unum.*
Florum Sambuci, *pugillos tres.*

Conciſ. Miſc. ubi vero in uſum advocandæ ſint hæ ipſæ Species; tum Coq. ſecundum Artem, in ſufficienti quantitate Cereviſiæ dulcis; Colat. vero pintæ uni admiſce

Mellis Virgin. *unciam unam ſemis.*
Spiritus Vini, *drachmas tres.*
Salis Ammoniaci, *guttas triginta.*

Denuo Miſceantur omnia exacte.

Tepidi hujus Liquoris tantillum, ope Siphonis, injiciatur in Fauces, omni Horæ quadrante, donec levetur æger, quod expertus ſpondet DECKERUS, *quem & vid. in* Notis ad Praxin. Barbettianam, *pag.* 52. *ſeqq. ubi fere ſimiles Compoſitiones nonnullas adfert.*

Species pro Gargariſmate Emollientes & Demulcentes, ad Ptyaliſmum Mercurialem Promovendum.

GAUB. *de Formul. pag.* 410.

℞. Herbarum Althææ, *manip. duos.*
Malvæ,
Florum Rhœados,
Verbaſci, *ana manip. unum.*
Radicis Glycyrrhizæ, *unciam unam.*

Conciſa Miſceantur, tum, ubi opus, cum ſeri Lactis recentis ſufficienti Quantitate decoquantur ſpatio quadrant. Horæ, poſtea adde

Colat. expreſſæ, *libris duabus.*

Mellis puri, *uncias duas.*

Hoc decocto tepido miſer ægrotus gargariſet & colluat jugiter totum Oris Cavum.

Species de Gemmis Calidæ Alexipharmacæ Zwelferi.

Pharm. Reg. pag. 116.

℞. Bezoar. Oriental. Veri Luſitan. *drachm. unam.*
Occidental. *drachmas duas.*
Boli Armen. cum ſucco Scordii præparat. *unciam ſemis.*
Unicornu foſſilis albiſſimi,
Marini Veri,
Radicum Contrayervæ,
Zedoariæ,
Corticum Limonior. extim. recent. ſiccatorum,
Nucum Moſchatarum,
Cinnamomi acuti, *ana drachm. duas.*
Croci Auſtriaci, vel orient. *drachm. unam ſemis.*
Magiſter. ſolub. Margarit. oriental.
Corallior. rubr. *ana drach. ſemis.*

Fiant, omnibus dextre commixtis, Species compoſitæ pretioſæ & roborantes; quæ epidemicis & contagioſis Morbis, Cor præcipue a labe venenata tuendo, opitulantur: Doſis eſt a drachm. ſemis, ad unam, immo tempore neceſſitatis, uſque ad duas. *Ceterum multum conveniunt hæ Species cum Speciebus Cordialibus ejusdem* Zwelferi *in antecedentibus, jam exhibitis.*

Species de Gemmis Frigidæ.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. & rel.

℞. Eboris ſpagyrice præparati, *unciam unam.*
Margaritarum Occidentalium præparatarum, *drachmas ſex.*
Corallii utriuſque, *ana unciam ſemis*
Hyacinthi,
Smaragdi,
Sapphiri,
Sardæ,
Granati,
Sandali albi,
citrini,
rubri, *ana drachmas tres.*
Florum Borraginis,
Bugloſſæ,
Nympheæ, *ana drachmas duas.*
Roſarum, *drachmas tres.*
Miſce, fiat pulvis, addantur
Foliorum Auri, *No. viginti.*

Creduntur analepticæ, & tabe conſumtis, nec non ſudoribus nocturnis vexatis præſcribuntur. Vocantur Species frigidæ, & re ipſa, quod ad uſum ſpectat, frigidæ, languidæ & inefficaces ſunt, adeo ut hinc pretioſa & ſplendida Miſeria dici jure mereantur. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 303. *ſq.*

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Species de Gemmis Frigidæ Zwelferianæ.

Diſpenſ. Vienn. Prag.

℞. Apicum Cervi uſtorum præparatorum,
Corticum Citri extimor. recenter ſiccatorum,
Nitri præparati, *ana unciam unam.*
Radicis Contrayervæ, *drachmas ſex.*
Bezoar occidentalis,
Unicornu marini veri,
foſſilis, *ana unciam ſemis.*
Seminum Citri excortorum,
Aquilegiæ,
Raparum,
Macis,
Margaritarum præparatarum,

Coralliorum rubror. præparat. *ana drachmas duas.*
Croci Auſtriaci, *drachm. un. ſemis.*

Cuncta in ſubtiliſſimum pulverem redacta, Miſc.

In Febribus malignis, Variolis, Morbillis, aliiſque Exanthematibus expellendis, inſignis ſunt efficaciæ: etiam prophylacticæ habentur in podagra, ſi nondum inveterata fuerit. Doſis eſt ſcrupulus ad drachmam ſemis, in convenienti vehiculo.

Ceterum in ipſa Pharmacop. Regia ZWELFERI, *pag.* 117. *hæc compoſitio, paullo aliter exhibetur, quibusdam nempe omiſſis, & rurſus quibusdam additis; quod paucis hic indicandum cenſemus.*

Species Hieræ Picræ Simpl.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand.

℞. Radicum Aſari,
Spicæ Indicæ,
Cinnamomi,
Cubebarum,
Maſtichis,
Croci, *ana drachmas ſex.*
Aloës Socotorinæ, *libram unam.*

Fiat pulvis.

Sunt alvum laxantes, & ob addita aromata, ventriculum roborant.

Paratur ex his ſpeciebus, addito mellis triplo, electuarium, quod clyſteribus admiſcetur; de quo ſupra, ſuo loco. Raro interne in forma pulveris, ſed in pilulari exhibentur, ut & in Tinctura: vid. infra Tinctura Sacra Edinburg. & Pharmac. Batean.

Doſis grana quindecim, ad ſcrupulum unum.

* * *

Species Hieræ Picræ Rhaſis Dictæ.

Diſpenſ. Brand.

℞. Aloës puræ, *unciam unam.*
Aſari,
Cinnamomi,
Carpobalſami, vel ejus loco, Cubebarum,
Caſſiæ ligneæ,
Ligni Aloës, loco Xylobalſami,
Maſtiches,
Roſarum rubrarum,
Spicæ Indicæ, *ana ſcrupulum unum ſemis.*

Miſceantur, Fiant exinde Species Hieræ picræ compoſitæ; ejusdem Virtutis, ac ſimplices.

Sed ab utrisque vellemus, ut abeſſent Radices illæ Aſari violentæ & virulentæ, de quarum ferociſſima indole ſupra parte prima, ſuo loco, egimus.

Ceterum ſimiles plures Species Hieræ, *Nicolai, Logadii, Pachii &c. Vid. in* Diſpenſ. Prag.

Species Hippocraticæ.

Diſpenſ. Argent. Pariſ. vet. Batean. Renod. &c.

℞. Cinnamomi acuti, *uncias quatuor.*
Zingiberis, *unciam unam ſemis.*
Caryophyllorum, *unciam unam.*
Macis, *drachmas tres.*
Granorum paradiſi, *drachmas ſex.*
Galangæ,
Cardamomi, *ana unciam ſemis.*

Inciſa & Contuſa, groſſo modo, reſerventur uſui futuro.

Inſerviunt pro Vino aromatico notiſſimo parando, quod Hippocraticum vocatur, a Manica ſic dicta Hippocratis, per quam colari ſolebat. Ita autem paratur.

Vinum Hippocraticum.

℞. Specierum præſcriptarum, *drach. ſex.*
Sacchari albi, *libram ſemis.*
Vini rubri, *menſuram unam.*

Stent in Infuſione, quam diu opus fuerit, poſtea colentur, per dictam modo Manicam Hippocratis.

Vinum eſſe ſtomachicum & thermanticum, nemo non videt. Valet autem & hic maxime ne quid nimis.

Ceterum hoc Vini factitii aromatici genus Claretum *quoque vocari, notiſſimum eſt: illud vero non omnibus notum, dici quoque a Batavis præcipue, apud quos maxime in uſu eſt,* Sponſæ lacrymam, *referente* LINDENIO, *in* Select. Med. Exercitat. *X. p.* 340. *Utinam omnes ſponſæ in omnibus terrarum oris, ſic benigne & largiter lacrymarent! Optabunt haud dubie ſicco & ſitientiore omnes ſtrenui Vini potores, quibus ſemper anima avida eſt in cado atque poculo. Sed hæc obiter, & per jocum, ſi liceat.*

Species de Hyacintho.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand.

℞. Hyacinthorum præparatorum,
Boli Armenae,
Terræ Lemniæ veræ, aut Strigenſis ſigillatæ,
Coralliorum rubrorum præparatorum, *ana drachm. unam ſemis.*
Margaritarum occidentalium præparatarum,
Smaragdorum præparatorum, *ana drachmam unam.*
Cornu cervi præparati,
Eboris raſuræ præparatæ,
Oſſium de cordibus cervorum præparatorum,
Radicum Dictamni albi,
Tormentillæ,
Sandalorum omnium,
Roſarum rubrarum,
Granorum Kermes,
Seminum Acetoſæ,
Citri decorticati,
Portulacæ,
Croci optimi,
Myrrhæ electæ, *ana ſcrupul. quatuor.*

Miſce, fiat pulvis: qui operoſior & variis ingredientibus pretioſis multo auctior, extat in Guil. PISONIS Mantiſſa aromatica, pag. 223. ubi cum videat, cui volupe fuerit: vid. & *Diſpenſ. Vienn.* & *Argent.* &c. item JUNGKEN. *Corp. Pharm.*

Leniter adſtringunt, ad fluxiones & hæmorrhagias nimias moderandas, pulveribus temperantibus nitroſis utiliter admiſcentur. Vid. SCHULZII Prælect. *pag.* 304. *& præſertim* STAHL. Mat. Med. *Part. II.* 14. *pag.* 9.

Ex illis, cum ſyrupo citri, paratur confectio: de qua ſupra, ſuo loco.

Doſis a ſcrupulo ſemis, ad unum.

Species Imperatoris.

Diſp. Vienn. Wirt. Argent.

℞. Cinnamomi optimi, *drachm. decem.*
Zinziberis,
Caryophyllorum, *ana unciam ſemis.*
Galangæ,
Macis,
Nucis moſchatæ, *ana drachm. duas.*
Miſce.

Ventriculum roborant, & morſulis ac trageis ſtomachicis adduntur; pro morſulis conficiendis incidendæ, pro trageis pulveriſandæ ſunt.

* *
*

Species pro infuſo Polychreſto, Loco Theæ.

Diſp. Brand.

℞. Foliorum Saniculæ,
Artemiſiæ,
Vincæ per Vincæ,
Pyrolæ,
Rutæ Murariæ,
Veronicæ,
Agrimoniæ,
Hederæ Terreſtris,
Salviæ,
Plantaginis,
Betonicæ,
Meliſſae, *ana manipulum unum.*
Florum Chamomillae Romanae,
Anthos, *ana pugillos duos.*
Radicum Sarſaparillae,
Chinae,
Glycyrrhizae,
Bardanae,
Cichorei, *ana unciam ſemis.*
Ligni Saſſafras,
Corticum Citri, *ana drachmas tres.*
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Coriandri, *ana drachmam unam.*
Inciſa & Contuſa minutim Miſce, pro Thea.

Quod ad has Species attinet, inquit hic Cl. SCHULZIUS, *pag.* 305. *inſunt ipſis varia vegetabilia tonica, travmatica, reſolventia, uterina, Carminativa, diuretica, quæ Infuſum non ineſficax reddunt. Sed vereor, ut laudatiſſimas Herbæ Theæ veræ vires tam blande anodynas, æquare, & in quovis ſtatu valetudinis, æque ſecure & fructuoſe adhiberi poſſint.* Hactenus celeb. ille Vir, inſignis olim ipſe Theophilus Bibaculus, ſi ita quidem cum ornatiſſimo Pechlino, jocari hic nobis liceat. *Interea vero rectum & ſincerum in eo, hic tulit judicium, quod hæc ipſa Compoſitio nimia variorum ingredientium mole laboret, neque hinc in omni morbo, ſine diſtinctione, in uſum generalem vocari poſſit, niſi quædam ex illa demantur, aut mutentur. Quæ autem noſtra potiſſimum ſit ſententia de promiſcuo illo & immodico Theæ exoticæ vulgaris uſu, aut abuſu, rectius, de eo vid. ſuperius jam dicta, ad ipſam Theam.*

Species Laxativæ Polychreſtæ Wedelii.

℞. Radicum Acetoſae,
Scorzonerae,
Cichorii, *ana drachmam unam.*
Summitat. Fumariae,
Centaur. minor. *ana manip. ſemis.*
Florum quatuor cordial. *ana pugillum unum.*
Foliorum Sennae ſine ſtipit. *unciam ſemis.*
Rhabarbari electi, *drachm. un. ſemis.*
Coſti Veri, *ſcrupulum unum.*
Cremoris Tartari, *ſcrupulos quatuor.*
Conciſ. & Contuſ. Miſc. & fiant Species pro Nodulo. Conf. infra *Species Stomachico-laxativæ.*

Species Lætificantes, ſeu Pulvis Lætificans.

Diſpenſ. Pariſ. Pharm. Reg. CHARAS, *Tom. I. pag.* 202. *Lond.*

℞. Croci optimi,
Zedoariæ,
Xylaloës,
Caryophyllorum,
Corticis Mali Citrei ſicci,
Galangæ minoris,
Macis,
Nucis Moſchatæ,

Styracis Calamitæ,
Seminum Ocimi caryophyllati,
ana drachmas duas ſemis.
Aniſi,
Raſuræ Eboris,
Thymi,
Epithymi,
Margaritar. præparat. *ana dr. unam.*
Oſſis e Corde Cervi,
Caphuræ,
Ambarae cineritiæ, *ana dr. ſemis.*
Moſchi Orientalis,
Foliorum Auri,
Argenti, *ana ſcrupul. ſemis.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem, pulvis.

Pretioſus quidem, non diffiteor, atque Margaritarum, item auri argentique dives eſt hicce pulvis; An vero hæc omnia, quantumvis ſpecioſa, opulenta & odore quoque ſuavi jucunda, animum triſtem lætificare Corque in gaudia torpens denuo excitare & erigere valeant? de eo quidem vehementer dubito, & mecum, ſat ſcio, omnes dubitabunt, qui rite ſapiunt, expertique ſciunt, aliis plane Remediis opus eſſe ad expugnandum animi mærorem, quam quidem ſpeciebus lætificantibus, ut modo monuimus.

Species Lætificantes Rhaſis.

Diſp. Florent. Wirt. Vienn. Brand. & rel.

℞. Radicum Been albi,
rubri,
Zedoariae,
Doronici,
Herbae Meliſſae,
Seminum Ocymi caryophyllati,
Paeoniae,
Croci,
Caryophyllorum,
Cardamomi minoris,
Cinnamomi,
Corticum citri,
Maſtiches, *ana unciam ſemis.*

Miſce, fiat pulvis, qui completus redditur additione
Galliae moſchatae, *unciæ ſemis.*
Moſchi, *ſcrupuli unius.*

Attribuuntur vires cordiales, cephalicæ, ſtomachicæ & lætificantes.

Dantur incompletae a drachma ſemis, ad unam; completae a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.

Neſcio vero, atque hinc vehementer adhuc dubito, an hæ ipſæ quidem Species lætificantes ſic vulgo dictæ, lætificare atque erigere re ipſa poſſint cor mœſtum atque dejectum? Meliores ego certe atque certiores novi Species lætificantes, non vero ex re medica, ſed potius ethica, petendas. Illæ autem ſunt Mentis Corporisque Sanitas, Conſcientia tranquilla, animi corporisque libertas, opes non ſuperfluæ, ſed ad vitam jucunde tranſigendam ſufficientes & neceſſariæ, amici pauci, ſed certi ac fideles, ſtudia, ſeria quidem & utilia, ſed grata tamen amœnitate ac varietate diſtincta, Conditio Vitæ quæ ſui potius juris eſt, quam alieni, & ſibi magis ſervit, quam aliis, atque id genus pauca adhuc alia, quæ ſic elegantius deſcribuntur a Martial. Epigr. 47. *Lib. X. Conf. ſi lubet,* poemat. noſtr. *Tom. I. pag. 532.* & Gellii Noct. Att. *C. I. Lib. XVIII.*

Res non parta labore, ſed relicta;
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuae, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Convictus facilis, ſine arte Menſa;
Nox non ebria; ſed ſoluta Curis:
Non triſtis torus; attamen pudicus:
Somnus, qui faciat breves tenebras

Quod ſis, eſſe velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem, nec
optes.

Hæ quidem Species lætificantes Martialis, hominis metrici potius, quam Medici, meliores tamen ſunt ac certiores, quam illæ lætificantes Species ſummorum Medicorum, Galeni inquam, atque Rhaſis, de quibus vid. SCHULZII Praelect. *ad* Diſpenſat. Brand. *pag.* 306 *Sed hæc quidem, Lectorum, ut ſpes eſt, pace, non tam neceſſitatis, quam potius gratæ amœnitatis, & amœnæ Varietatis gratia, hic obiter a nobis adjecta ſunto. Conf. huc* GABELCHOVERI Obſ. Med. 80. *Cent. III. pag.* 137. *ſqq. Ceterum de* Electuario *Perſarum* exhilarante *dicto, vid.* LOCHNERI Meconopaeg. *pag.* 55. *&* KAEMPFERI Amœnitat. Exot. *Faſcic. III. Obſ.* 15. *pag.* 644. *cujus & meminit* GEOFFROY, *Tom. II.* Mat. Med. *Cap. VIII, Sect. I. Art. IV. pag.* 691. *Illud vero adhuc hic addendum potius, quam approbandum penitus, Angelum nempe* SALAM, *Tract. II. de* Erroribus Galeniſtarum, *pag.* 46. *has ipſas Species Rhaſis lætificantes vocaſſe inviſo Nomine, Electuarium Aſininum, quod illud Aſinis magis conveniret, quam ipſis hominibus, aliudque hinc ipſi ſubſtituiſſe, illo aliquanto melius, quod ibi videndum & examinandum.*

Species Pectorales, pro Thea.

BOERHAAVE Conſult. Med.
per HALLER. *p.* 33. *&* 178.

℞. Herbar. recent. Agrimoniae,
Betonicae,
Fœniculi,
Hyſſopi,
Chaerophylli,
Meliſſae,
Veronicae,
Virgae aur. *ana manip ſemis.*

Minutim ſciſſa, pro potu Theae, adhibeantur. Conf. inf. *Species decocti pectoralis*, quorſum & hae pertinent.

Species e Scordio, cum Opio.

℞. Opii colati, *drachmas tres.*

Speciebus praedictis inter contundendum, addatur, poſtquam paulatim exſiccatum fuerit, ut commode in pulverem redigi poſſit.

Species e Scordio, ſine Opio.

Diſpenſ. Lond. nov.

℞. Boli Armenae, aut Gallicae, *uncias quatuor.*
Scordii, *uncias duas.*
Cinnamomi, *ſeſcunciam.*
Styracis Calamit. colat.
Radicum Tormentillae,
Biſtortae,
Gentianae,
Foliorum dictamni cretici,
Galbani colati,
Gummi Arabici,
Roſarum rubr. ſingulor. *unc. unam.*
Piperis longi,
Zingiberis, ſingulor. *unc. dimidiam.*

Omnia in pulverem ſubtilem, contundantur.

Species Stomachico-Laxativæ.

Diſpenſ. Argent.

℞. Diacrydii optimi, *unciam unam.*
Florum Roſarum rubrarum,
Cinnamomi acuti,
Santali citrini,
albi,
rubri,
Radicis Glycyrrhizae,
Maſtiches albiſſimae, *ana dr. unam.*

Per-

Permiſceantur omnia exactiſſime, pro uſu.

Doſis aliquot Cultri Cuſpides, ad drachmam ſemis, uſque ad ſcrupulos duos. Sed reſpectu reliquorum Ingredientium, larga nimis ac liberalis hic videtur diacrydii Quantitas, quod probe obſervandum. Ceterum Conf. ſupra Species laxativae Polychreſtae Wedelii.

Species Tabaci, pro Fumo, Camerarii.

Diſpenſ. Wirt. Hamburg.

℞. Styracis,
Maſtiches,
Benzoës,
Succini, *ana unciam ſemis.*
Olibani,
Seminis fœniculi,
aniſi, *ana drachmas duas.*
Caryophyllorum aromaticorum,
Cubebarum, *ana drachmas tres.*
Foliorum tabaci, *uncias octo.*
majoranae, *unciam unam.*
Florum Calendulae,
Cyani,
Roſarum rubrarum Damaſcenarum,
Lavendulae, *ana unciam ſemis.*
Liliorum convallium, *dr. duas.*

Incidantur groſſo modo.

Commendantur ad dentium dolores & defluxiones rheumaticas. Sed dum illis malis forte medentur; alia contra excitant vehementiore & fragrantiore ſua anathymiaſi, nimirum capitis dolores, vertigines, aurium tinnitus, oculorum rubedines, lacrymas & lippitudines, aliosque capitis affectus; quod per ipſam experientiam, didicimus. Hinc, me quidem judice, præſtat, ſolam laudatiſſimam Nicotianam, ſine iſto peregrino & pretioſo Mangonio, in uſum advocare. Hauritur fumus fiſtula.

Species Tabaci, pro Fumo, Officinales.

Diſp. Wirt.

℞. Foliorum tabaci, *uncias ſedecim.*
Majoranae,
Baſilici, *ana unciam ſemis.*
Florum Roſarum,
Lavendulae,
Liliorum convallium, *ana dr. duas.*
Seminis Aniſi, *uncias quatuor.*
Fœniculi, *unciam unam.*
Styracis,
Aſae dulcis, *ana drachmas quinque.*
Ligni Rhodii,
Sandali citrini,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cubebarum, *ana drachmas tres.*

Incidantur & contundantur groſſo modo.

Commendantur, cum præcedentibus, ad eosdem affectus. Sed & idem de iisdem, judicium juſtum ferendum.

Species Tabaci Suaveolentes. Cephalicæ.

Gaubius *de Formul. pag.* 322.

℞. Herbarum Siccatar. Salviae,
Majoranae, *ana manip. ſemis.*
Thymi,
Florum ſiccator. Lilior. convall.
Roſar. *ana pugill. unum.*
Cortic. Caſcarillae,
Cinnamomi, *ana ſcrupul. unum.*

Comminutis craſſiuſcule admiſce:
Foliorum Nicotianae conſciſſ. *uncias quatuor.*

Tum conſperge tantillo Eſſentiae Ambrae.

Perquam egregia quidem hæc eſt Compoſitio, & ceteris ſuo jure, præferenda: Interim tamen nec hanc ipſam Nicotianam ſuaveolentem impune ferre

poſſunt qui debilioris præſertim ſunt capitis & in cephalalgiam, vertiginem, aurium tinnitum & odontalgiam proclives, ut experientia ipſa ſæpius docuit. Aliis tamen etiam profuit. Ceterum alias Tabaci medicati Species, ſub inſolito & peregrino titulo Mixturæ Tubularis, *vid. ſi placet, in* Pharm. Batean. *p.* 99. *quæ nobis quidem vix dignæ viſæ ſunt quæ huc adſcriberentur, ob rationes nempe, jam ſupra datas.*

Specificum Antatrophum
Wepferi.
Vid. ſupra
Pulvis Antatrophicus.

Specificum Antifebrile
Crollii.
Diſp. Arg. Wirt. Hamb.

℞. Teſtarum concharum oblongarum acuminatarum, quæ in ſtagnis aut lacubus reperiuntur, *quantum placet.*

Macerentur in aceto forti, ut ab impuritatibus mundari queant, quas, aqua fontana lotas & rurſus exſiccatas, in pulverem ſubtiliſſimum redige.

Crollius conchas calcinare & ita in veram calcem redigere jubet.

Acidum in primis viis potenter abſorbet, ſudorem & urinam movet; calcinatas vero conchas, in majori doſi exhibitas, cardialgiam nonnunquam excitaſſe compertum eſt. Vid. Schulz. Prælect. *pag.* 310. *ubi ſimul obſervat,* Stahlium *hujus Specifici providum uſum commendaſſe.*

Datur a ſcrupulo uno, ad drachmam dimidiam, ante febrium intermittentium paroxyſmum.

Specificum Cephalicum
Michaelis.
Diſp. Wirt. Brand. Argent.

℞. Cinnabaris nativæ ſublimatæ, *uncias tres.*
Radicis Pæoniæ, *unciam unam ſemis.*
Cranii humani,
Ungularum alcis,
Cornu cervi ſine igne præparati,
Smaragdi præparati,
Coralliorum rubrorum præparatorum, *ana drachmas duas.*
Margaritarum Occidentalium præparatarum,
Unicornu marini,
Succini præparati, *ana drachm. ſemis.*

Miſce, fiat longa trituratione pulvis ſubtiliſſimus.

Eſt medicamentum longo uſu comprobatum, antiſpaſmodicum & antepilepticum. Commendatur in cephalalgia, hemicrania, epilepſia, aliisque nervorum affectibus. Sed negat hoc Superville, *Diſſ. de* inani Specif. cephalici, *in* Cephalalgia, uſu. *Neque generatim multum Virtutis ipſi tribuit* Cel. Stahlius, Mat. Med. *Part. I. pag.* 156. *ut &* Cartheuser. Pharmacol. *pag.* 594. *& alii. Mitius tamen & præclarius de eodem ſentit* Schulzius, Prælect. *pag.* 310. *Ceterum conf. ſupra* Pulvis Cephalicus rubeus Auguſtanor. *ejusdem fere Compoſitionis.*

Doſis a granis decem, ad viginti quatuor. Dimidiam partem cinnabaris conſtituit.

Specificum Febrifugum
Craanii.
Videatur
Regulus Antimonii Medicinalis.

Specificum Jalappinum.

Diſp. Vienn. Wirt. & al.

℞. Magiſterii Jalappæ,
Scammonii, *ana drachmas tres.*
Pulveris Jalappæ, *unciam un. ſemis.*
Cremoris Tartari,
Tartari vitriolati, *ana unciam unam.*
Olei cinnamomi, *ſcrupulum unum.*

Magiſteria optime, cum Amygdalarum dulcium, *dr. duabus.* terantur, quibus additur, Pulvis jalappæ, ſalia, & tandem Oleum cinnamomi.

Purgat ſatis commode.

Doſis a ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum, uſque ad drachmam ſemis. *Drachma una continet grana quinque Magiſteri Jalappæ & totidem Scammonii.*

Specificum Tartari Pharyngicum Zobelii. in Tartarolog. Cap. 19. pag. 43.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Acidi ſive cryſtallorum Tartari, *uncias quatuor.*
Aluminis crudi,
Nitri cryſtalliſati, *ana uncias tres,*
Aceti vini deſtillati, *libras quatuor.*

Solvantur & rurſus coagulentur.

Magnis laudibus ab Autore pro more ſuo evehitur, in Tartarologia, *pag.* 44. *ſqq. præſertim vero ad affectus pharyngis, anginam, uvulæ & gingivarum laxitatem commendatur.*

Præſcribit unciam ſemis, in Aquæ plantaginis vel Brunellæ unciis octo ſolutam, pro gargarizatione, & collutione faucium & oris. Vid. Klein. Select. Rat. Med. *pag.* 218.

***

Specificum Virgineum.

Vid. ſupra
Pulvis Viennenſis Albus Virgineus.

Sperniola Crollii.

Diſpenſ. Wirt. Vienn. Brand.

℞. Myrrhæ electæ,
Olibani electi, *ana uncias duas.*
Croci optimi, *unciam ſemis.*

Miſceantur, fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, qui in patina vitrea Aqua ſpermatis ranarum, per ſaccum deſtillata, vicies vel tricies irroretur & exſiccetur, tandem addantur
Camphoræ, *drachmæ tres,*
& exacte mixta aſſerventur.

Uſus eſt externus, ad hæmorrhagias & inflammationes compeſcendas. Vid. Spindleri Obſ. Med. 20. *p.* 37. & Schulz. *pag.* 312.

Commendatur etiam ad vulnera a morſu canis rabidi.

Spiritus Aeruginis, *ſive* Viridis æris & Veneris.

Diſp. Brand. Wirt. & reliq. vid. Chem.

℞. Aeruginis, ſive viridis æris, *libram unam.*

In pulverem trita immittatur retortæ vitreæ, inſtituatur deſtillatio ex arena, per gradus, in fine ad incandeſcentiam retortæ usque ignem augendo. Prodit liquor acidus, haud ingrati ſaporis; rectificetur per retortam & ſervetur.

A venere nihil participat, ſed eſt acetum deſtillatum concentratum; interne ad excitandum appetitum & bilem frænandam, ſitimque mitigandam, a guttis octo, ad quindecim, in vehiculo aquoſo datur. *Vid.* Schulz. *pag.* 313.

Uſibus autem plurimum chemicis inſervit, & iddoneum præbet menſtruum, ad ſolvenda corpora terrea, & extrahendas tincturas.

Nota: Majorem quantitatem purioris ſpiritus, Ærugo in aceto deſtillato ſoluta, & rurſus leni igne coagulata, largitur. Wirt.

Spiritus Aeruginis Compoſitus, *ſeu* Aſthmaticus.

Diſpenſ. Brand.

℞. Viridis æris, *unc. quatuor.*
Gummi Ammon. *unc. duas.*
Sulphuris, *unc. unam ſemis.*

In pulverem redacta & miſta deſtillentur e Retorta Vitrea, ex Arena, igne caute & gradatim adminiſtrato. Oleo fœtido a ſpiritu ſeparato, hic rectificetur, ut artis eſt, & ſervetur in vaſe clauſo: pro uſu.

Dantur guttæ decem, ad triginta, in Aquis pectoralibus. Vid. SCHULZ. Prælect. *p.* 316. *malim tamen eo carere.*

Spiritus Alkermes.

Pharm. Bat. pag. 145.

℞. Spiritus Cinnamomi,
Citri,
Ceraſ. nigror.
Anthus, *ana uncias quatuor.*
Succi Chermeſin. *uncias duas.*

Miſceantur optime: dein agantur per Chartam emporeticam: Tum addantur:

Sacchari optimi, *unciæ duæ.*
Foliorum Auri, *No. decem.*

Miſceantur ſecundum Artem: ſunt, qui addunt

Spiritum Ambræ, pro ditioribus, ſi illis placuerit.

Vapores tetros diſcutit. Spiritus naturales, vitales & animales recreat: parturientibus ſubvenit, item apoplecticis, attonitis, & animi defectionem paſſis. Aureus eſt hic Spiritus, etiam ſine adjecto Auro, quod & hic, & alibi in compoſitionibus med. eſt fatuum & inefficax, ut ſæpius monitum.

Spiritus Angelicæ.

Diſp. Leid. Wirt. & paſſim in aliis.

℞. Radicum Angelicæ, *uncias quatuor.*
Spiritus vini rectificati, *libras duas.*
Aquae fontanae, *libram unam.*
Deſtillentur.

Alexipharmacus eſt & carminativus habetur, & ad drachmam unam, quin duas commendatur.

Spiritus Aniſi.

Diſp. Prag. Wirt. Ratisbon. &c.

℞. Seminis Aniſi contuſi, *libram ſemis.*
Spiritus vini, *libras quatuor & ſemis.*

Macerentur per octiduum, & lege artis ſpiritus eliciatur.

Eſt pectoralis & carminativus; aqua & ſaccharo temperatus bibitur.

Spiritus Aniſi Compoſitus

Roſin. Lentilii.

℞. Semin. Aniſi, *unc. ſedecim.*
Coriandri,
Rad. Glycyrrhiz. *ana unc. duas.*
Cortic. Citri, *uncias tres.*
Florum Borraginis,
Bugloſſ.
Roſar. *ana manip. unum ſemis.*
Inciſ. & Cont. infund. cum
Spirit. Vini, *libris decem.*
Fiat lege Artis, deſtillatio.

Uſus eſt bechicus, carminativus, diureticus, analepticus.

Spiritus Anthos.

Diſp. Prag. Wirt. Ratisbon. &c.

℞. Florum Roriſmarini recens collectorum, *uncias ſex.*

Macerentur & deſtillentur cum Spiritus vini rectificati, *libris duabus.*

Eſt cephalicus & nervinus; interne raro, externe ſæpius ad odoratum exhibetur.

Spiritus Anticolicus Dolæi.

Eucyclopæd. Med. pag. 532.

℞. Spiritus Roriſmarini, *unciam ſemis.*
Lumbricor. *drachmas duas.*
Cornu Cervi,
Salis Succini volatilis,
Viperarum volatilis, *ana ſcrupulum unum.*

Digerantur invicem, & ubi neceſſitas exegerit, addatur
Tincturæ opii, *drachma una.*

Doſis ad quindecim, aut viginti guttas, bis in die, & corpus ſemper diſponatur ad ſudorem. Uſus vero inprimis ipſius in colica flatulenta frigida.

Spiritus Anticolicus Tentzelii.

Exegeſ. Chymiatr. pag. 643.

℞. Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Carvi,
Cumini, *ana uncias quatuor.*
Florum Chamœmeli, *manipul. duos.*

In Aqua Vitæ aliquandiu macerata, deſtillentur in diplomate. Colore petroſelini ex manipulo uno ipſius exſiccati, imbutus, denique Julapio aliquo dulceſcat, & Filtro chartaceo trajectus, ſervetur.

***

Spiritus Antiſcorbuticus Boerhaavii.

Mat. Med. pag. 139.

℞. Seminum Sinapi,
Raphani hortenſis,
Erucæ,
Eryſimi,
Naſturt. hortenſ. *ana unciam unam.*
Foliorum Cochleariæ,
Lepidii,
Raphani ruſticani, *ana manipulos duos.*

Conſciſſis & Contuſis deinde adde
Salis marini, *uncias duas.*
Florum Cereviſiæ, *unciam unam.*
Spiritus Vini, *quantum ſatis.*
ad exceſſum *duorum digitorum.*

Deſtilla ſecundum Artem, & cohoba ter.

Spiritus Antiſcorbuticus Dekkeri.

Diſpenſat. Leidenſ.

℞. Radicum Raphani ruſticani, *unciam unam.*
Angelicæ, *drachmas tres.*
Foliorum Cochleariæ,
Scordii,
Menthæ criſpæ, *ana manip. unum.*
Seminis Fœniculi dulcis,
Flavedinis Corticis Citri recentis,
Corticis Winterani, *ana dr. tres.*
Salis Ammoniaci, *dr. unam ſemis.*

Conciſis & Contuſis omnibus affundantur
Vini Gallicani, &
Spiritus Vini, *ana pintæ duæ cum ſemiſſe.*

Leni Calore deſtillentur per Bal-

neum Mariæ, ad dimidiam uſque partem, & uſui ſerventur.

In multis convenit egregia hæc Compoſitio Dekkeriana cum ſequenti infr. Lentiliana. Conf. Cl. KLEINII Select. Rat. Medicam. *pag.* 259.

Spiritus Antiſcorbuticus Dekkeri.

in Not. ad Praxin Barbett. p. 157.

℞. Corticum Fraxini,
Rad. Tamariſci,
Radicum Fraxinellæ,
Cappar. *ana unciam unam ſemis.*
Polypodii querc. *uncias duas.*
Raphani ſilveſt. ſeu Armoraciæ, *uncias tres.*
Herbarum Cochleariæ, *manipulos quatuor.*
Naſturtii hiemalis,
Beccabungæ,
Acetoſæ,
Scolopendrii, *ana manipul. tres.*
Baccarum Lauri,
Juniperi, *ana drachmas ſex.*
Summitat. Centaur. min. *pugill. quatuor.*
Stercoris Anſerini, (recentis nempe & ſapidi) *unciam unam.*
Seminum Citri,
Sinapis,
Cardui Benedicti, *ana unc. ſemis.*
Caryophyllorum,
Zinziberis,
Cinnamomi acuti,
Nucis Moſchatæ, *ana drachm. tres.*

Conciſa & Contuſa digerantur in Arena tepida, cum
Vini Gallicani, *libris octo*, &
Spiritus Vini vulgaris, *libris tribus.*
per triduum: deinde deſtillentnr ex Arena, per Alembicum, & Spiritus deſtillatus uſui ſervetur.

Practicus quidam feliciſſimus (ita inquit ibi Deckerus, forte ipſe fuerit.) omnibus ſuis Medicamentis admiſcet hunc Spiritum antiſcorbuticum: quoniam nempe in Batav. regionibus, nullus fere reperiatur Morbus, cui non aliquid Scorbuti ſubſit: ut vere obſervat ipſe BARBETTE *in* Praxi, *p.* 144. BOERHAAVE, *&* *alii. Et profecto nihil quidquam eſſet, quod in hac egregia, quidem Compoſitione jure reprehenderetur, niſi præter ullam neceſſitatem, fœde contaminata fuiſſet ſordido illo Condimento anſerino; quare illud, me quidem ſuaſore, cum faſtidio & indignatione juſta, ex illa ejiciatur, & in locum illum cœnoſum effundatur, quo potiſſimum pertinent ejusmodi abominabiles dapes de heſterna cœna, ut Poeta ait.*

Spiritus Antiſcorbuticus.

Diſpenſ. Brand.

℞. Radicum Angelicæ, *uncias duas.*
Polypodii quercini,
Filicis,
Raphani marini, *ana unc. unam ſemis.*
Foliorum Cochleariæ, *manip. quatuor.*
Naſturtii hortenſis,
Beccabungæ, *ana manip. duos.*
Menthæ criſpæ,
Rutæ,
Salviæ, *ana manip. unum ſemis.*
Seminum Fœniculi dulcis,
Aniſi, *ana drachmas ſex.*
Cinnamomi acuti, *drachmam unam.*
Zinziberis albi,
Corticum extremor. Citri, *ana drach. ſemis.*

Conciſis his & Contuſis omnibus affunde

Vini Gallicani, *menſuras duas.*
Spiritus Vini, *menſuram unam.*

Stent loco tepido vaſe bene clauſo; poſt deſtillentur Calore moderato Arenae, aut Balnei: denique Spiritus abſtractus, magnae adverſus Scorbutum, efficaciæ, ſervetur.

Qui judice hic SCHULZIO, *pag.* 314. *diſtemperari tamen debet aquis & ſucco citri, ſi interne dare volumus: Ad oris collutionem, decoctis additur, aut melle Aquilegiæ temperatur.*

Spiritus Antiſcorbuticus Drawizii. Vid. ejus Tract. de Scorbuto.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Vitrioli ad rubedinem calcinati, *libras duas.*
ſuperfunde
Spiritus Tartari, *libram unam.*
Cochleariæ, *uncias quatuor.*

Digerantur per aliquot dies, poſtea deſtillentur e retorta, donec & ſpiritus vitrioli tranſierit. Spiritus prolectus, ſulphurei odoris & acidiuſculi ſaporis, ſervetur.

Cum Spiritu aperitivo Penoti convenit. Laudatur ab autore in ſcorbuto; conducit etiam in hypochondriaco malo, calculo & arthritide.

Plures hujus egregii Spiritus virtutes in febribus, paralyſi, ſtomachi ſupinitate, cachexia, quin & ipſa apoplexia, præſertim recenti, aliisque diris malis, expertus, enarrat ill. WERLHOFIUS, *in* Obſervat. de Febr. *Sect. IV. pag.* 145. *ſqq.*

Doſis guttæ triginta, ad quadraginta.

***

Spiritus Antiſcorbuticus,

FULLER. *Pharm. Extemp. p.* 344.

℞. Corticis Guajaci, *uncias ſeptem.*
Aurantior. *uncias quinque.*
Baccarum Juniperi, *libram unam.*
Seminis Dauci vulgaris, *dr. ſex.*
Sacchari, *libras ſex.*
Aquæ communis, *libras aliquot, q. ſ.*
Fœcum Cereviſiæ, *quantum ſufficit.*

Fermententur ſimul, *duodecim dies;* poſt adde,

Semin. quatuor calid. major.
minor. *ana unc. unam.*

Deinde peracta fere fermentatione, adjice:

Herbarum Cochleariæ, *manip. duodecim.*
Beccabungæ, *manipulos tres.*
Naſturtii aquatici,
Indici, *ana manip. quatuor.*
Radicis Raphani Ruſticani, *unc. duas.*
Ligni Saſſafras, *uncias tres.*

Poſtea Fiat deſtillatio & Rectificatio, ſecundum Artem.

In Scorbuto frigido convenit: Acidum infringit; Flatus diſcutit, & alia præſtat in Morbis ſcorbuticis, egregia. Doſis ipſa eſt a ſcrupulo uno, ad drachmam unam, & ultra, in vehiculo. *Egregia hæc eſt Compoſitio, uſu ſuo eximio profecto haud caritura, ſi opportune quidem & tempeſtive adhibeatur. Ceterum in ipſa hac* Fulleri *deſcriptione, Aquæ communis libræ L. ſeu quinquaginta, præſcriptæ vulgo ſunt, quod ut videtur, mendum typographicum forſan eſt, quorſum enim iſte undarum Cataclyſmus, qui omnia reliqua abſorbet ſua ingenti quantitate, atque haurit? Sed ego Editione Fulleri utor, Lauſannæ,* 1737, *edita, haud ubique, quod aliquoties deprehendimus, ſatis accurata. Corrigant*

igitur, quæſo, hunc errorem, qui correctiores hujus utiliſſimi Libri Editiones poſſident.

Spiritus Antiſcorbuticus Hagienſium.

Diſpenſ. Hagienſ.

℞. Radic. Raphani ſilveſtris, *uncias tres.*
Herbarum Acetoſæ,
Naſturtii aquatici,
Beccabungæ, *ana manip. tres.*
Trifolii aquatici,
Cochleariæ,
Fumariæ, *ana manip. duos.*
Sempervivi tertii, *manip. unum,*
Mala citria, *No. tria.*

Radices & herbæ contuſæ, & Citria in orbiculos conciſa, infundantur per horas viginti quatuor, in
Spiritus Vini, *libris ſeptem.*
poſtea ſecundum Artem, deſtillentur, & Spiritus prolectus uſui ſervetur.

Ceterum multum convenit hic ipſe Spiritus, cum infra ſequenti Spiritu Scelotyrbico, ut & ex parte, cum reliquis Spiritibus antiſcorbuticis, ſupra exhibitis.

Spiritus Antiſcorbuticus Hoffmanni.

℞. Radicis Angelicæ, *uncias duas.*
Herbarum Menthæ,
Rutæ,
Cochleariæ, *ana manip. duos.*
Seminum Aniſi,
Naſturtii,
Fœniculi, *ana uncias duas.*
Corticum Citri,
Aurantior. *ana drachmas tres.*
Vini opt & Malvat. *ana libras tres.*

Digerantur per Menſem: poſtea deſtilla per Balneum Mariæ, donec appareat ſignum phlegmatis. *Hujus Spiritus uſus circa Veſperam, hora una ante ſomnum, cochleare unum; mane, cochlearia duo, ad ſudorem, ſi fieri poterit quotidie.* *Vid.* BIERLING. Append. Med. *pag.* 43.

Spiritus Antiſcorbuticus Roſin. Lentilii.

℞. Herbæ Cochleariæ, cum tot, *quantum vis*, prævia Fermentatione, lege artis, deſtilla Spiritum: deinde denuo

℞. Sedi minoris, *manipulum unum.*
Raphani ruſticani, *uncias quatuor.*
Radicis Ari, *drachmas duas.*
Corticis Winterani, *uncias tres.*

Conciſis & Contuſis ſuperfunde priorem Spiritum & deſtilla: poſtea rurſus.

℞. Herbarum Naſturtii aquatici,
Trifolii fibrini,
Chelidonii min. *ana manip. duos.*

Affunde iterum priorem Spiritum contuſis, & denuo deſtilla. *Doſis hujus egregii Spiritus antiſcorbutici, eſt a drachmis duabus, ad unciam ſemis.*

Spiritus Aperitivus Penoti.

Diſp. Brand. Wirt. Argent. Prag. Ratisbon.

℞. Vitrioli Hungarici, ad albedinem calcinati, *libras quatuor.*
Tartari albi, ſolutione & cryſtalliſatione depurati, *libram un. ſemis.*

Pulveriſata & mixta cellæ humidæ exponantur, ut paululum deliqueſcant, tum igne arenæ e retorta deſtillentur, & ſpiritus ſervetur.

Eſt Spiritus Tartari vitriolatus; laudatur ad obſtructiones hepatis, lienis, & meſenterii reſerandas. Sudoriferum & diureticum præbet. Vid. Vit. RIED-

LINI

LINI Lin. Med. *Ann.* 1695. *Menſ. Sept. Obſ.* 25. *pag.* 306.

Doſis eſt ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis, in vehiculo aquoſo.

Spiritus Arack.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Oryzæ, groſſo modo Contuſæ,
ſeu in Molendino fractæ, *libras viginti quinque.*

Irrorentur ſufficienti Quantitate Aquæ fontanæ; dein indantur vaſi ligneo capaci, & addantur:

Fæcum Cereviſiæ recent. *libræ decem.*

Stent probe clauſæ, per qnatuor Hebdomadas, in digeſtione: Tandem leni calore, inſtituatur repetitis Cohobationibus, Deſtillatio & Rectificatio.

Reſumtivum & nutriens eſt Medicamentum, Anglis Batavisque inprimis notum: Inſervit & præparationi Elixirii Rhabarbarini, *cujus Deſcriptio ſupra, ſuo loco, extat, ſub Tit.* Elixir. Rhabarbari, cum Spiritu Arack. *Ceterum, notiſſimus eſt ex Scriptoribus Hodæporicis, ſimilis potus inebrians, Indis, Sinenſibus aliisque gentibus alterius orbis admodum familiaris, qui pariter vocatur* Arack, *& etiam maximam partem, ex Oryza, præparatur. Conf.* ZORNII Botanologia, *pag.* 487. *& quos ibi laudat Auctores &* RHOD. *ad* Scribon. Larg. *pag.* 179.

Spiritus Aromaticus Lentil.

℞. Cinnamomi acuti, *uncias duas.*
Florum Roſarum rubrarum,
Ligni Santali citrini,
Nucis Moſchatæ,
Cubebarum, *ana ſcrupulos duos.*
Granorum Paradiſ.
Zingiberis, *ana drachmas duas.*
Caryophyllorum,
Galangæ, *ana unciam ſemis.*
Seminum Aniſi,
Fœniculi, *ana drachmas ſex.*
Spiritus Vini optimi, *libras ſex.*

Miſc. & per horas viginti quatuor, in Arena digere, poſtea deſtilla lege Artis, & Spiritum uſui ſerva.

Idem fere compoſitione eſt, ac Spiritus aromaticus Tilingii, deſcriptus a CHARAS, *in* Pharmacop. Regia, *Tom. II. pag.* 603. *& ab aliis nonnullis. Conf. le* MORTII Pharm. Med. Phyſ. *pag.* 96. *ubi ſimilis, ſed nonnihil auctior compoſitio.*

Spiritus Aromaticus Compoſitus.

BOERHAAVE, *Elem. Chem. T. II. Proceſſ.* 72. *pag.* 221.

℞. recentiſſ. puriſſime balſamicorum
Corticum Aurantiorum,
Cinnamomi,
Citrei,
pomorum ſinenſ. dictorum,
Limonii, *ana unc. quatuor.*
Florum recent. Aurantiorum,
Citreorum,
Limoniorum,
Lavandulæ,
Roſarum rubrar.
Roſmarini, *ana uncias duas.*
Radicum recent. Angelicæ,
Iridis Florent. *ana unc. unam.*
Caryophyllorum aromat.
Maceris,
Nucis Myriſticæ, *ana drachm. duas.*
Spiritus Vini rectif. *libras quindecim.*

Fiat ex his ſecundum Artem, deſtillatio per Veſicam; donec limpidus Spiritus exit, quem ſeorſum ſerva. Perge dein adhuc ſeparando libras duas, vel tres Aquæ albæ, quam ſerva Titu-

lo Aquæ aromaticæ, ſpirituoſæ, compoſitæ.

Quando Spiritus ita paratus, denuo deſtillatione educitur a paucis, novis, iisdem, ſimplicibus, ex Cucurbita vitrea: tumque Ambari Griſei ſubtiliter triti, pauculum, linteolo innodatum, libere in Alembico ſuſpenditur, ſpiritus adſcendens ſubtiliter fragrantiam ejusdem ſolvit, vehit ſecum, & Spiritui permiſcet.

Hactenus laudatiſſimus Vir, cujus fama per univerſum orbem tam gratum, jucundum ac ſuave olentem odorem ubique diffundit, ac hic ipſe ſpiritus fragrantiſſimus, ab ipſo quondam compoſitus.

Spiritus Aromatico-Oleoſus.

Diſpenſat. Brand.

℞. Cinnamomi acuti,
Flavedinis Corticum exteriorum,
Citri,
Aurantiorum,
Nucis Moſchatæ,
Macis, *ana drachmas duas.*
Caryophyllorum,
Cardamomi minor. excort. *ana ſcrupulum unum.*
Croci Orientalis, *ſcrupulum ſemis.*
Salis Tartari, *unciam ſemis.*
Spiritus Salis Ammon. *unc. quatuor.*

Digere vaſe bene clauſo, *horas viginti quatuor*: Tum affunde,

Spiritus Vini Gallicani rectif. *uncias duodecim.*

Stent denuo in digeſtione, diem unum: poſtea ut Artis eſt, provoca & diligenter ſerva Spiritum.

Eſt quaſi aliquod Sal Volatile oleoſum; ſed non adeo multum Olei in ſe recipit, ut nimia caliditas extimeſci debeat. Odorando adhiberi poteſt; & interius etiam, modeſta manu, in affectibus frigidis, propinari, ut Salia Volatilia. Ita Cl. Schulzius, *in* Prælect. *p.* 315. *Ceterum conf. ſupra* Salia Volatilia oleoſa & odorifera, & *infra* Spiritus Volatilis aromaticus oleoſus.

Spiritus Arthriticus, *ſeu* pro Articulis.

Henning. Arniſæi.

Thom. Bartholini *Ciſt. Med. Hafn. Locul.* 34. *p.* 388. & *Diſp. Hafn.*

℞. Rad. Pyrethri,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum, *ana drachmas duas.*
Florum Salviæ,
Betonicæ,
Roriſmarini,
Stoechad. Arabicæ,
Spicæ noſtr.
Celtic. *ana drachmas duas.*
Radic. Ariſtolochiæ rotund. veræ,
Hermodactyl. *ana unciam unam.*
Baccarum Juniperi, *uncias duas.*
Lauri, *drachmam unam.*
Maſtichis, *drachmam unam ſemis.*

Contuſis omnibus affundantur deinde:

Aquæ Vitæ, *unciæ ſedecim.*
Terebinthinæ, *libræ duæ.*

Macerentur omnia, per dies tres, Fiat demum Deſtillatio, per Alembicum.

Oleum quidem hanc ſuam compoſitionem ſat concinnam, vocat inventor, Arniſaeus, *magnus juxta Medicus ac Politicus, atque hinc puſillus quaſi* Conringius: *Sed rectius, eam Spiritus arthritici Nomen mereri & tueri, vel ex ipſa deſcriptione, cuivis, putem, manifeſtius illico patebit. Interim & hic, in verbis, ſimus faciles, modo in re ipſa, placide conveniamus, quod ſive hic Spiri-*

tus, ſive hoc oleum, apprime conducat in morbis articularibus, ſcilicet Arthritide ipſa, paralyſi, artuum debilitate, tremore, ſtupore & ipſa arida & exſucca Analdia, ſeu Atrophia; ſi nempe poſt diligentem frictionem, partes patientes & medelæ egentes, eodem frequentius irrigentur & foveantur.

Ceterum hanc Compoſitionem Arniſæanam exhibet quoque BIERLINGIUS, *in* Append. Med. *pag.* 48. *Sed quadam differentia, præſertim circa doſes & pondera: quod, etſi hic parum refert, indicandum tamen paucis videbatur.*

Spiritus Arthriticus Deckeri.

Not. ad Prax. Barbett. pag. 150.

℞. Spiritus Lumbricorum terreſtr. *uncias quinque.*
Salis Armoniaci, *unciam ſemis.*
Cochleariæ, *drachmas duas.*
In quibus deinde diſſolve,
Saponis Veneti, *uncias duas.*
Camphoræ, *drachmas ſex.*
Opii, *ſcrupulos duos.*
Croci, *ſcrupulum unum.*

Miſc. digere per aliquot dies & noctes: poſtea filtra & Vitro optime clauſo, uſui ſerva: poteſt cum Linteo prius calefacto, parti affectæ applicari: Sed vid. quæ hic prudenter monet Cl. KLEIN. in *Select. rat. Med. p.* 244.

Conf. ſupra Liquores anodyni, & Liquor arthriticus Lotichii.

Spiritus Arthriticus Drawizii.

℞. Florum Lilior. Convall. *manip. duos.*
Roriſmarini, *manipulum unum.*
Caſtorei,
Seminis Cochleariæ, *ana drach. ſex.*
Erucæ, *unciam ſemis.*

Infund. in Spiritus Vini opt. rectif. *unciis octo,* inſolando per tres dies: deinde exprime fortiter, & adde,
Spiritus Lumbricorum terreſt. *uncias duas ſemis.*
Camphoræ, *drachmam unam ſemis.*

Miſc. exacte, & ſervetur Spiritus pro uſu externo.

Spiritus Arthriticus, per Fermentationem Paratus Boeckleri.

Diſpenſ. Argent.

℞. Fæcum Vini, *Menſuras viginti quatuor.*
Herbæ Nicotianæ, *libras duodecim.*
Baccarum Juniperi, *libras ſex.*
Foliorum Origani,
Serpilli,
Roriſmarini,
Majoranæ, *ana manip. ſex.*

Miſceantur probe: Stent in Infuſione per aliquot dies: deinde deſtillentur per Veſicam, & Spiritus, pro uſu externo, rectificetur.

Spiritus Arthriticus Rolfincii.

BIERLING. *Append. Med. p.* 42.

℞. Foliorum Lauri,
Sabinæ,
Betonicæ,
Majoranae,
Chamepyt.
Chamaedr. *ana manip. ſemis.*
Florum Tunic.
Lavend. *ana manip. unum.*
Chamomill. Roman.
Anthos,
Veronicae,
Lilior. convall.
Balauſt. *ana pugill. quinque.*
Radicum Pyrethri,
Iridis Florentinae,
Galangae,

Macis,
Cardamomi, *ana unciam ſemis.*
Baccarum Juniperi, *manip. unum.*
Nucis Moſchatae,
Caſtorei, *ana drachmas quinque.*
Croci Orientalis,
Cinnamomi, *ana ſcrupulos duos.*

Conc. & Cont. infund. in Spiritu Vini opt. ſtent in digeſtione, per octo dies: deinde deſtillentur per Alembicum, & Sal ex Capite mortuo extractum, addatur. Interius adhiberi poteſt, & exterius ſimul.

Spiritus Arthriticus Ruber Henrici.

Diſpenſ. Argent.

℞. Radicis Sarſaparillae, *unciam unam.*
Corticis Ligni ſancti, *unciam ſemis.*
Herbarum Salviae,
Anthos, *ana manipul. unum ſemis.*
Florum Lavendulae, *manipul. ſemis.*
Baccarum Lauri, *unciam unam.*
Salis Tartari, *drachmam unam ſemis.*
Spiritus Vini rectificatiſſ. *libras duas ſemis.*

Stent in digeſtione, per quatuordecim dies: Colatura ſervetur ad uſum.

Spiritus Aſthmaticus.

Vid. ſupra

Spiritus Aeruginis Compoſitus.

Spiritus Aſthmaticus.

Woyt Gazophyl. Med. pag. 890.

℞. Meliſſae utriuſque, *ana pug. quinque.*
Borraginis, *pugillos tres.*
Florum Hyſſopi utriusque, *pugill. quatuor.*
Salis Ammoniaci, *drachmas ſeptem.*
Seminum Aniſi,
Fœniculi, *ana drachm. ſex.*
Mellis puri recent. *unciam ſemis.*
Vini optimi, *libras tres.*

Probe mixta, lege Artis, deſtillentur, & uſui ſervetur Spiritus antaſthmaticus.

Spiritus Balſamicus, *vel* Balſamum Vitæ Album.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Olibani,
Myrrhæ,
Galbani, *ana uncias tres.*
Ligni Aloës,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Nucum moſchatarum,
Galangæ,
Zedoariæ,
Zinziberis, *ana unciam unam.*
Baccarum lauri, *uncias quatuor.*
Terebinthinæ Venetæ, *unc. duodecim.*
Spiritus vini rectificati, *libras duodecim.*

M. deſtillentur poſt ſufficientem digeſtionem ex Balneo.

Æquiparatur balſamo illi celebri Auguſtanorum. Vires ſunt ſtomachicæ, diureticæ, carminativæ, nervinæ. Tam externe quam interne adhibetur. Ceterum aliud Balſamum album huic fere ſimile, vid. in JUNGKEN. Corp. Pharm. *p.* 179.

Doſis guttæ quadraginta ad ſexaginta.

Spiritus Balſamicus Fuchſii.

Diſpenſ. Prag.

℞. Terebinthinæ Venetæ, *uncias duas.*
Balſami de Copaiva, *unciam ſemis.*
Peruviani, *drachmas tres.*
Benzoë elect. *unciam ſemis.*
Croci Auſtriaci, *drachmas duas.*

Macis, *drachmas tres.*

Cum ſufficienti Spiritus Vini, quantitate, exempli gratia, *unciis decem*, deſtill. lege Artis, per Balneum Mariæ: Completus ſit tum Spiritus, addendo:

Moſchi, *ſcrupulum unum.*

pleriſque tamen forte magis placebit incompletus, ſine adjecto Moſcho, quem pauci amant.

In Vulneribus internis, Calculo Renum, Colica, Gonorrhœa &c. ſingulares exſerit vires.

Doſis eſt a ſcrupulo ſemis, ad guttas quindecim, & ultra, *in Vehiculo convenienti.*

Spiritus Balſami Peruviani Hoffmanni.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Hamb.

℞. Balſami Peruviani nigri, *uncias tres.*

Salis Tartari ſicciſſimi, *unciam unam.*

Terantur ſimul, & probe mixtis ſuperaffundantur

Spiritus vini rectificatiſſimi, *unciæ quindecim.*

Poſt digeſtionem per triduum, deſtillentur lento igne, e balneo, & ſpiritus prolectus fragrantiſſimus ſervetur.

Virtute gaudet analeptica & roborante; ſudorem & urinam movet. Tranſit, cum Julepo roſato mixtus, in ſyrupum balſamicum, ſi nimirum ſcrupulus unus ſpiritus hujus addatur unciæ uni julepi. Vid. Cl. KLEIN. Select. Rat. Med. *pag.* 244.

Spiritus Bezoardicus Buſſii.

Diſp. Wirt. Prag. Ratisbon. Hamb.

℞. Spiritus cornu cervi volatilis, vel eboris, *uncias duas.*

Salis Ammoniaci, *uncias quatuor.*

Cinerum clavellatorum, *uncias duodecim.*

Succini flavi pulveriſati, *uncias ſex.*

Olei de Cedro, *drachmas duas.*

Miſceatur Sal Ammoniacum cum ſuccino & oleo, quibus adde Cineres clavellatos, in libra una aquæ fontanæ ſolutos,

Spiritus vini rectificati, *libras tres.*

his adjunge Spiritum cornu cervi, & per ignem arenæ, e cucurbita probe luto munita, deſtilla.

Hæc fere eſt Compoſitio, quam deſcripſit HOFFMANNUS, Obſ. Phyſ. Chym. 28. *Lib. II. pag.* 239. *ubi & plura de hujus Spiritus Virtutibus medicis. Conf.* SCHULZ. Prælect. *pag.* 316. & KLEIN. Select. rat. Med. *pag.* 245.

Potenter ſudorem atque urinam movet, antiſpaſmodica virtute pollet, & ſicut reliqua alcalina, acidum infringit.

Doſis guttæ triginta, ad quinquaginta.

Spiritus Cardiacus Kœnigii.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 983.

℞. Seminis Coriandri *unc. quatuor ſemis.*

Benzoës, *uncias tres.*

Nuc. Moſchat. *No. ſeptem.*

Caryophyllorum, *No. novem.*

Pomorum Citri, *No. duo.*

Spiritus Vini rectif. *libras quinque.*

Roris majalis, *libras duas.*

Mellis optimi, *libram ſemis.*

Deſtilla lento igne, ſecundum artem, & ſerva ſpiritum. Conf. ſupra *Liquor Cardiacus,* & *Oleum Cardiacum.*

Spiritus Cardiacus Tentzelii.

Vid. ipſius Exegeſis Chymiatrica, *in* Opp. Angeli Salæ, *ubi pag.* 643. *operoſa & pretioſa hujus Spiritus Cardiaci Deſcriptio proponitur, ac commendatur.*

Spiritus Carminativus Dolæi.

Encyclopæd. Med. Lib. III. C. 7. p. 530.

℞. Cort Aurantiorum, *unc. un. ſemis.*
Radicum Helenii,
Acori,
Oſtrutii,
Galangæ,
Seminis Aniſi,
Baccarum Lauri, *ana unciam ſemis.*
Caſtorei, *drachmam unam.*

Cum Spiritu Baccarum Juniperi, & Vino generoſo, infundantur, deſtillentur, & ſerventur ad uſum. *Conf. infra Spiritus Nitri dulcis Compoſitus, ſeu Carminativus. Plures vero ejusmodi Spiritus Carminat. vid. ap.* Jungk. *pag.* 985. *ſeqq.* & le Mort. Pharm. Med. Phyſ. *pag.* 95.

Spiritus Carminativus Sylvii.

Prax. Med. Lib. I. Cap. 9. *pag.* 174.

Diſp. Wirt. Brand. Amſtel. Leyd. Hamb. Ratisbon.

℞, Radicum Angelicæ, *drach. unam.*
Imperatoriæ,
Galangæ, *ana drachm. unam ſemis.*
Foliorum Roriſmarini,
Majoranæ,
Rutæ hortenſis,
Baſilici,
Summitatum Centaurii minoris, *ana drachmas duas.*
Baccarum Lauri, *drachmas tres.*
Seminum Angelicæ,
Leviſtici,
Aniſi, *ana unciam ſemis.*
Zinziberis,
Nucum moſchatarum,
Macis, *ana drachmam unam ſemis.*
Cinnamomi, *drachmas ſex.*
Caryophyllorum,
Corticum Aurantiorum, *ana drachmam unam.*

Conciſis & contuſis affunde
Vini albi generoſi, *libras quatuor.*
Spiritus vini rectificati, *libram unam.*

Digerantur per biduum in Mariæ balneo, hinc deſtillentur ad dimidias, & ſpiritus egreſſus ſervetur.

Commendatur ab authore ad nauſeam, vomitus & ructationes, cum Aqua Menthæ, vel Fœniculi & Saccharo mixtus, cachecticis adhibetur.

Spiritus Carminativus de Tribus.

Diſp. Wirt. Brand. Hamb. Ratisbon.

℞ Nitri crudi cryſtallini,
Tartari albi puri, *ana libras duas.*

Miſce, & per retortam tubulatam in adaptatum magnum recipientem, cui ſpiritus vini rectificati libræ duæ antea infuſæ fuerunt, deſtilla; hac tamen cautione: ut nunquam, ultra drachmæ duæ, vel tres, una vice injiciantur per tubulum, hocque non niſi finita detonatione, repetatur. Peracta deſtillatione, ſpiritum in recipiente collectum, & ex cucurbita vitrea humili rectificatum, ſerva. Vid. Not. in *Diſpenſ. Brand.*

Sunt qui ſpiritum reſiduo in retorta affundere & rurſus abſtrahere jubent; cum vero hoc modo nihil præter ſpiritum vini, oleo tartari impraegnatum, producunt, præſtat ſine ulla additione ex cucurbita humili rectificationem inſtituere. Wirt.

Vires titulus indicat, Sunt vero non ſolum carminativæ, ſed & antiſpaſmodicæ, diaphoreticæ & diureticæ, atque hypochondriacis & hyſtericis commendari meretur.

Doſis guttæ triginta ad ſexaginta uſque. *Vid.* SCHULZ. Prælect. *p.* 317

Spiritus Carvi Compoſitus.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 345.

℞. Spiritus Vini Gallicani, *libras duas.*
Seminis Carvi candefact. *libram ſemis.*
Specier. aromat. roſat.
Lætificant. Galeni, *ana ſcr. duos.*
Infunde per dies quatuordecim.
Colaturæ adde,
Moſchi, &
Ambræ griſ. in nod. ligat. *ana gr. duo.*
Aquæ Naphæ, *uncias quatuor.*
Denique admiſce Foliorum Auri, *quantum velis*, aut etiam omitte, ſi velis; Nam ad ornatum potius ſpectant.

Spiritus Caſtorei Compoſitus, Jac. Pancrat. Brunonis.

in Prælect. SCHULZII, *pag.* 318.

℞. Herbæ Salviæ, cum Floribus,
Roriſmarini, cum Floribus,
Florum Lavendulæ, *ana manip. unum.*
Radicis Pæoniæ, *unciam dimidiam.*
Caſtorei optimi, *unciam unam.*
Spiritus Vini rectificatiſſ. *uncias duodecim.*
Spiritus Salis Ammon. *ſeſcunciam.*
Tartari, *uncias tres.*
Poſt digeſtionem, deſtilletur per Balneum Maris, pars ſpirituoſa; cui adde:
Olei Succini,
Rutae, *ana guttas viginti.*
Camphorae, *drachmam unam.*
Mixta lege Artis, ſerva ad uſum.

Hoc Spiritu, inquit ibi Cel. Schulzius, *crebro uſus ſum in Epilepſiis puerorum & adultorum; ut & hyſterica ſuffocatione, & torminibus, cum optatiſſimo ſucceſſu. Optime miſcetur, & cochleatim exhibetur.* Doſis non magna eſt, drachma dimidia adulto. *Etiam adorandus exhibetur fœminis hyſtericis. Non dubito, quin ſecundum hanc noſtram deſcriptionem paratus, paria facturus ſit. Ita-quidem laudatiſſimus* Schulzius. Conf. KLEIN Select. rat. Med *p.* 249. *Ceterum hanc ipſam Brunonianam Compoſitionem in plerisque, exacte convenire, cum altera illa deſcriptione, modo ex* Diſpenſ. Lond. & Wirtenberg. *relata, nemo non, opinor, confeſtim videt.*

Spiritus Caſtorei Compoſitus Lond.

Diſp. Wirt. Hamb.

℞. Caſtorei, *unciam unam.*
Florum Lavendulae, *drachmas ſex.*
Salviae,
Roriſmarini, *ana drachmas tres.*
Cinnamomi, *drachmas duas.*
Macis,
Caryophyllorum, *ana drachm. unam.*
Spiritus vini rectificati, *libr. un. ſemis.*
Aquae Lavendulae, *libram ſemis.*
Salis Ammoniaci, *uncias duas.*
Tartari, vel Cinerum clavellatorum, *uncias tres.*
Miſce, & poſt digeſtionem per triduum, deſtillentur, & ſpiritus unciae quindecim proliciantur, quibus adde
Camphorae, *drachmas duas.*
Olei deſtillati Rutae,
Succini, *ana guttas viginti.*

Uſus eſt tam internus, quam externus; naribus admovetur in affectibus hyſtericis. Datur interne in motibus convulſivis, colica hyſterica & torminibus, a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis, ex Aqua meliſſæ, vel alio vehiculo.

***

Spiritus Cephalicus Waldſchmid.

℞. Foliorum & Florum Lavendulae,
Rorismarini,
Majoranae,
Salviae, *ana manip. unum.*
Caſtorei, *unciam unam.*
Camphorae, *drachmam unam ſemis.*
Spiritus Vini, *libram unam ſemis.*
Salis Ammoniaci, *uncias duas.*
Tartari, *unciam unam ſemis.*
Aquae Lavendulae, *quantum ſufficit.*

Stent per tres dies, in digeſtione: deinde deſtillentur, ut prodeant *unciæ octo*: in quibus ſolve

Oleorum deſtillat. Rutae, *guttas quindecim.*
Succini, *guttas decem.*
Maceris,
Juniperi, *ana guttas ſex.*

Miſc. accurate: Fiat ex Arte, Spiritus. Cujus eximius uſus patet mox ex ipſo Titulo. Vid. *Tabul. Smaragd.* pag. 378. & JUNGKEN. *Corp. Pharm.* pag. 983. ſqq. ubi plures ejusmodi Spirituum Cephalicorum Compoſitiones leguntnr.

Hæc vero Compoſitio plurimum convenit cum illa, quam exhibet Diſpenſ. Brand. *utraque vero petita videtur ex* le MORTII Chymia Med. Phyſ. *pag.* 158. *ubi ſub ſpecioſo Elixirii egregii antepileptici Nomine proſtat, prudenter tantum in utraque omiſſis Vitriolo Lunæ, & Floribus Jovis, ut & Vitrioli Martis, malo, aut certe non ſatis ſecuro, conſilio, ab ipſo le Mortio ibi additis: de quo vid.* SCHULZII Praelect. *pag.* 317.

***

Spiritus Ceraſorum Nigrorum.

Diſp. Wirt. Prag. Hamb. &c.

℞. Ceraſorum nigrorum, maturorum, *quantum vis.*

Contundantur una cum nucleis, & doliolo querno, ad id accommodato ſatisque capaci, indita, loco tepido, pauxillo faecum cereviſiae addito, ſtent, donec fermentando acidiuſculum, aut vinoſum ſpirare cœperint odorem; tum e veſica deſtillentur, & ſpiritus inde natus rectificetur.

A nucleis vim quandam diureticam, de reliquo vix alias, quam ſpiritus vini, virtutes habet.

Simili modo parantur, etiam per fermentationem,

Spiritus Cydoniorum, Ebuli, Sambuci,

& aliorum fructuum.

Spiritus Ceraſorum Nigrorum Compoſitus.

Diſpenſ. Leidenſ.

℞. Herbae Majoranae nobilis, *manip. duos.*
Florum Anthos,
Liliorum Convallium,
Stœchados,
Tiliae, *ana drachmas ſex.*

Quibus probe conſciſſis adde:
Ceraſorum nigrorum, cum nucleis, bene in mortario marmoreo contuſor. *libras octo.*

Tunc omnibus his affunde:
Vini albi optimi, *libras decem.*

Poſt Macerationem ſeptem dierum, in Vitro, ſecundum Artem, ad dimidiam partem,

Spiri-

Spiritus Cochleariæ.

Diſp. Wirt. Brand. Roterod. Prag. Leid. Ratisbon. & rel.

℞. Herbæ Cochleariæ florentis, *libr. ſex.*
Contunde, ac veſicæ immiſſæ, affunde
Spiritus vini non rectificati, *libras quatuor.*
Aquae fontanae, *libram unam.*
Juncturis probe clauſis ac munitis, deſtilla igne moderato ſpiritum, quem, recenti herbae rurſus affuſum, iterum deſtilla, rectifica, ac in vitro probe obturato ſerva.

Magnæ efficaciæ eſt adverſus ſcorbutum; pollet etiam virtute carminativa & diuretica atque ad ulcera oris & gingivas exulceratas, melle roſato mixtus convenit. Datur interne a drachma ſemis ad unam, aqua dilutus. *Vid.* SCHULZ. *pag.* 319. CARTHEUSER. *pag.* 128. Wedel. MOELLENBROCC. *de* Cochlearia, *& omnes illos Auctores, qui de Scorbuto ſcripſerunt, ſupra jam laudatos, add.* ZORN. Bot. *pag.* 219. STAHLIUS *tamen* Mat. Med. *Part. I. pag.* 269. *Scorbuticis potius obeſſe, quam prodeſſe hunc ipſum acrem Cochleariæ Spiritum, confidenter aſſerit: licet ipſi herbæ ſingularem virtutem antiſcorbuticam haud deneget. Conf. infra* Spiritus Antiſcorbut. Drawizii.

Per fermentationem quoque paratur, minoris vero efficaciae ac gratiae.

Spiritus Cochleariæ Compoſitus.

Collectan. Chym. Leid. pag. 68.

℞. Cochleariae recentis, groſſo modo conciſæ, *libras duas.*
Corticum Aurantiorum ſiccatorum, *uncias quatuor.*
Calami aromatici, *unciam unam.*
Miſc. & affuſis
Spiritus Vini vulgaris, *unc. ſexaginta.*
Inſtituatur digeſtio, in cucurbita vitrea, in Arena, per d. noct. Tum applicato capitello, inſtituatur deſtillatio, igne ſecundi gradus, ad tertiae partis remanentiam. Vid. ibi reliqua.

Spiritus Cochleariæ Purgans Hamburgens.

℞ Spiritus Cochleariae rectif. *lib. unam.*
Radicis Jalappae reſinoſae, *unc. tres*
Extrahe & deinde adde
Foliorum Sennae, ſine ſtipit. *unciam unam ſemis.*
Miſce probe, digere, filtra, & filtratum uſui ſerva.

Doſis eſt a guttis quinquaginta, ad guttas ſeptuaginta, & nonaginta. Vid. Tab. Smaragd. *pag.* 378. *&* Pharm. Batean. *pag.* 147.

Spiritus contra Colicam Dekkeri.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. Tab. Smar. pag.* 372.

℞. Radicum Angelicae, *drachm. ſex.*
Galangae,
Zedoariae, *ana unciam ſemis.*
Foliorum Baſilici,
Majoranae nobil. *ana manip. unum.*
Salviae,
Rutae hortenſis, *ana manip. ſemis.*
Summitat. Fœniculi,
Florum Lavendulae,
Chamomillae Roman. *ana manip. duos.*
Baccarum Lauri,
Flaved. Cort. Aurant. *ana unc. duas.*
Seminum Aniſi,
Carvi,

Fœniculi, *ana unciam unam.*
Leviſtici,
Macis, *ana drachmas ſex.*
Nucis Moſchatae,
Caryophyllorum, *ana drachmas duas.*

Conciſis & Contuſis affundantur Vini Hiſpanici ſtop. ſeu *menſuras duas.*
Spiritus Vini opt. ſtop. ſeu *Menſuam unam ſemis.*

Digerantur per quatriduum in Balneo Mariæ; Tumque Spiritus leni Calore abſtractus reaffundatur Magmati, & iterum per triduum digeratur: Tum vero per Balneum Mariæ, Spiritus ad pintas ſex, vel ſeptem, abſtrahatur: Reſiduo affundatur Vini & Aquæ communis ana ſuffic. Quant. digeratur iterum, & abſtrahatur tam diu, quam diu aromaticum ſaporem retinet.

Hic vero Spiritus flatus egregie diſcutit, quare in Colica flatulenta & a cauſſa frigida orta potiſſimum locum habet; haud vero in Colica bilioſa, ſanguinea, aut hæmorrhoidali, ut & ſpaſtica aut hyſterica. In his enim affectibus colicis, omnia calida, aromatica & ſic dicta carminativa Remedia ad inſtar Veneni, propemodum, ſunt maxime vitanda, quoniam morbum non minuunt; ſed augent, &, dum oleum quaſi camino addunt, ægrotos in maximum Vitæ diſcrimen conjiciunt; quod ſæpe dolentes, ab audacibus nimis Medicaſtris peccatum & perpetratum vidimus. Sed hæc obiter, Tironum potiſſimum in gratiam; Nam periti in Arte Medici hæc probe ſciunt. Vid. inprimis Petri FORESTI Obſervat. Med. *Libr. XXI. de Inteſtinorum Affectibus.*

* * *

Spiritus contra Colicam Drawizii.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 985.
BIERLING. *pag.* 44.

℞. Radicum Angelicæ,
Leviſtici, *ana uncias duas.*
Calami aromatici, *unciam ſemis.*
Herbæ Menthæ, *manipulos tres.*
Florum Chamomillae Romanæ, *manipulos quatuor.*
Centaur. min. *manipul. tres.*
Sambuci, *manipulos duos.*
Corticum Aurantiorum, *uncias duas ſemis.*
Zedoariæ, *unciam unam ſemis.*
Galangæ, *unciam ſemis.*
Seminum Fœniculi,
Aniſi,
Carvi, *ana unciam unam.*
Baccarum Lauri, *uncias duas.*
Cinnamomi, *uncias quatuor.*
Caſtorei, *unciam unam.*

Conciſ. & Contuſ. Miſceantur: poſtea digerantur cum Spiritus Vini ſufficienti Quantitate, *ut fiat Spiritus in Colica frigida & flatulenta uſurpandus.*

Spiritus Convulſivus Geilfuſii.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 986.

℞. Foliorum Rorismarini,
Majoranæ,
Origani,
Salviæ,
Betonicæ,
Sabinæ,
Rutæ,
Scordii,
Cochleariæ,
Naſturtii aquat.
Summitat. Pini reſinoſ.
Juniperi, *ana manipul. unum.*
Florum Spicæ,

Lilior. convall.
Hyperic. *ana manip. unum ſemis.*
Caſtorei optimi, *drachmas ſex.*
Lumbricorum terreſtrium, *unc. duas.*
Cubebarum,
Cardamomi minor. *ana drachm. tres.*
Nuc. Moſchat. *drach. duas ſemis.*
Maſtiches, *drachmas duas.*
Theriacæ, *unciam unam.*

Inciſa & Contuſa infundantur in Vini generoſi, *libris quinque.*
Spiritus Vini, *libris duabus.*

Deinde deſtilla lege Artis, ac tempore uſus in eo diſſolve, ſi lubet,
Camphoræ, *quantum ſufficiat.*

Spiritus hic perhibetur efficaciſſimus ad pleroſque affectus ſpaſmodicos, paralyſin, contracturas, & ſimiles humani corporis calamitates artubus ac nervis illatas. Uſus vero ipſius tam internus, quam etiam externus eſt. Nec ſane incredibile, in tanta quidem optimorum Ingredientium copia, quædam certe adfore, quæ ſperatum forte auxilium præſtare poſſint.

Spiritus Cornu Cervi.

Uno eodemque labore, quo ſal volatile cornu cervi, obtinetur, & ab oleo empyrevmatico ſeparari & rectificari debet. Diſp. Wirt. Brand. Ratisbon.

Eſt antiſpaſmaticum longo uſu probatum, aperitivum, diaphoreticum ac diureticum. Vid. RIEDLINI Lin. Med. *An.* 1695. *Menſ. Jun.* Obſ. 18. *pag.* 175. & SCHULZ. Præl. *pag.* 320. *ipſe tamen* STAHLIUS, Mat. Med. *Part. I. pag.* 299. *parcior eſt in laudando hoc Spiritu. Conf. ſupra jam dicta ad* Sal volatile Cornu Cervi.

Doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis uſque.

***

Spiritus Cornu Cervi ad Uſus Externos.

Diſp. Wirt. in reliq. deeſt. Sed vid. Chem.

℞. Olei cornu cervi fœtidi, *unc. unam.*
Cinerum clavellatorum, *unc. duas.*
Miſceantur & affundantur
Spiritus vini non rectificati, *libræ octo.*

deſtilletur ſpiritus ex cucurbita vitrea ad dimidias & ſervetur in vaſe probe clauſo.

Uſus uti ex titulo patet, eſt externus ad membra paralytica. Interne ſumtus, ſudorem & urinam movet; verum, ob oleum empyrevmaticum ſanguinem exæſtuat: hinc parciori doſi, *i. e.* ad guttas triginta vel quadraginta exhibendus.

Qui ex ſale volatili C. C. mediante Spiritus vini rectificati, oleum extrahunt, ut ſalem puriorem habeant, eodem labore ſpiritum, oleo cornu cervi imprægnatum, nanciſcuntur, qui addita ſalis alcali portione rectificari poteſt. Wirt.

Spiritus Corticum Aurantiorum.

Diſp. Wirt. Hamb. Roterod. Leid.

℞. Corticum Aurantiorum recentium, *libram unam ſemis.*
Spiritus vini rectificati, *libras octo.*
Aquae fontanae, *libras duas.*

Deſtillentur e veſica, lento igne, & ſpiritus vini libræ octo proliciantur, qui, aqua fontana dilutus & ſaccharo edulcoratus, ſervetur.

Ad ventriculum confortandum, & flatus pellendos, ſumitur. Non dilutus nec edulcoratus inſervit pro menſtruo Tincturæ corticum aurantiorum.

Spiritus Corticum Citri.

Ad normam ſpiritus corticum Aurantiorum, ſuperius modo deſcripti, conficitur. *Diſp. Wirt.* & *rel.*

Easdem virtutes habet, & menſtruum præbet, pro eſſentia carminativa.

Spiritus Croci Simplex.

Diſp. Wirt. Prag. & reliq.

℞. Croci Orientalis, *uncias duas.*
Spiritus vini rectificati, *libras duas.*
Aquæ fontanæ, *libram ſemis.*

Miſceantur & ſtent per aliquot dies in digeſtione, poſtea deſtillentur, leni igne, e cucurbita vitrea, atque ſpiritus unciæ viginti eliciantur.

Raro in uſum venit, niſi ad Elixir croci anticolium parandum. Externe, cum aliis ſpirituoſis applicatus, virtute paregorica ſe commendat.

Spiritus Croci Compoſitus.

Diſpenſ. Prag.

℞. Salis Ammoniaci, *uncias duas.*
Tartari, *uncias quatuor.*
Croci optimi, *unciam unam.*
Spiritus Vini, *libram unam ſemis.*

Deſtillentur, ut Artis eſt, & ſpiritus ſervetur.

Vires hujus Spiritus Compoſiti Cephalicæ, nervinæ & anodynæ ſunt: Doſis eſt a guttis viginti, viginti quatuor, uſque ad triginta, *in vehiculo convenienti.*

Spiritus Diapente, Auguſt.

pag. 427.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Elixirii proprietatis, *unciam unam.*
Spiritus Theriacalis camphorati,
Salis rectificati,
Vitrioli rectificati,
Tartari rectificati, *ana dr. unam.*

Miſceantur, digerantur, & ſervetur uſui ſpiritus, *ſudorem & urinam prolicit: Capitis ventriculique affectibus medetur.*

Spiritus Diatrion,

vid. ſupra
Mixtura Simplex.

Spiritus Emmenagogus Dekkeri.

℞. Radicum Ariſtolochiæ rotundæ,
Bryoniæ,
Acori,
Angelicæ, *ana drachmas duas.*
Foliorum Rutæ,
Sabinæ,
Pulegii,
Artemiſiæ, *ana manipul. ſemis.*
Florum Calendulæ,
Cheiri, *ana pugillos duos.*
Baccar. Lauri, *unciam ſemis.*
Seminum Leviſtici,
Dauci, *ana drachmas duas.*
Myrrhæ rubrae, *drachm. un. ſemis.*
Aſae fœtidae,
Caſtorei, *ana drachmam unam.*

Conciſis & Contuſis poſtea affundantur
Spiritus Vini, *pinta una.*
Aquae pulegii, *unciæ octo.*

Poſt Macerationem, per biduum, Spiritus per Alembicum, ex Arena, abſtrahatur, deſtillatoque adde
Spiritus Salis Ammoniaci, *dr. duas.*

Miſceantur.

Univerſalibus praemiſſis, hic Spiritus Ollae Vitreae patellaeve inditus, carbonibusque vivis impoſitus,

halitibusque inde elevatis, tritorii ope, acceptis, ad Menſtrua cienda, perquam potens deprehenditur. Vid. *Tab. Smaragd.* pag. 382. Conf. infra *Spiritus uterini.*

Spiritus Epilepticus Charas.

Pharmac. Reg. Tom. II. pag. 487.

℞. Florum Lilior. convallium,
Lavendulae,
Tiliae,
Salviae,
Primulae Veris,
Rorismarini, *ana manipul. duos.*
Viſci quercini,
Radicum Valerianae, &
Paeoniae, maris, *ana unc. quatuor.*

Quibus contuſis, & per octo dies, maceratis in
Vini Malvatici, *libra una.*
Admiſceantur poſtea
Cinnamomi acuti,
Macis,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatae, *ana uncia ſemis.*

Denique deſtillentur ſecundum artem, & Spiritus antepilepticus productus, uſui ſervetur: *Cujus doſis eſt a drachma una, uſque ad duas, aut ſemunciam, in Aquis cephalicis, aut analepticis: poteſt etiam naribus, temporibus, capitis vertici & carpis, applicari.*

Spiritus Euphraſiæ Mindereri.

ex Pharm. Aug. p. 427. JUNGKEN. *pag.* 987.

℞. Spiritus Ceraſorum nigrorum, *libram unam.*
Aquae Hirundinum compoſit. maj. *uncias ſex.*
Doronici Veri,
Caſſiae ligneae verae,
Amomi veri,
Radicis Valerianae,
Chelidonii, *ana drachmas duas.*
Mari veri,
Foliorum Rutae, *ana drachm. unam.*
Florum Euphraſiae ſelectiſſ. ſiccor. *unc. unam ſemis.*
vel recentium, *uncias tres.*

Infundantur per Noctem, in Liquoribus his, Vaſe bene clauſo: Mane, per Balneum Mariae deſtillentur leni igne, ut ſenſim prodeat Spiritus.

Qui viſui debili potiſſimum confert, dum Spiritus opticos, & reliquos animales reficit, Cerebrique frigiditatem temperat; in Scotomia etiam & Vertigine perquam utilis deprehenditur. Conf. ZORN. Botanolog. *pag.* 290. Simon PAULLI Quadripart. Botan. *p* 294 GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. III. pag.* 457. *ſqq. & alios plures. Præſertim vero in morbis ophthalmicis, plurimum virtutis huic Mindereri Spiritui tribuit* GOCKELIUS, Conſil. Med. *II. pag.* 32.

Spiritus Formicarum.

Diſp. Brand. Wirt. Argent.

℞. Formicarum, menſibus Junio vel Julio captarum, *libram unam.*
Spiritus vini rectificati, *libras duas.*

Miſce. Deſtillentur ex Mariae balneo ad ſiccitatem.

Adſcribuntur virtutes aphrodiſiacæ, antapoplecticæ, analepticæ & diureticæ. Interne ad drachmam unam, uſque ad duas exhibetur. Externe commendatur ad rhevmaticos & arthriticos dolores; paralyticis membris conducit. Vid. huc inprimis EWALDTI *Diſſ. de* Formicarum uſu in Medicina.

Sunt, qui ex formicis, ſine additione ſpiritus vini, per retortam ſpi-

ritum deſtillant volatilem, qui tamen, prae aliis ejusmodi ſpiritibus empyrevmaticis, ex animalibus deſtillatis, vix ullam prærogativam habet. Ad externos uſus ejusmodi ſpiritus cum ſpiritu vini maritantur, uti de ſpiritu C. C. ſuo loco diximus. *Wirt.*

Spiritus Fuliginis.

Diſpenſ. Brandenb. Wirt. Vienn.

℞. Fuliginis nigerrimæ, compactæ & ſplendentis, *quantum vis.*

Deſtilletur e retorta, juncturis optime clauſis, igne arenæ, initio leni, poſtea gradatim aucto, ſpiritum prolectum ab oleo ſepara ac rectifica.

Egregium eſt ſudoriferum & diureticum. Laudatur etiam ab Hartmanno *ad epilepſiam, morbos ſoporoſos & hyſtericos. Vid.* LEUTWEIN Diſſert. *de* Fuligine, *Altorf.* 1722. *&* SCHULZ. Prælect. *pag.* 322.

Doſis guttæ triginta, ad quinquaginta.

Spiritus Fuliginis ex Ligno Cinnamomi.

GRIM, *Laborat. Ceylon. pag.* 75.

℞. Partem quandam Ligni Cinnamomi, minutim conciſi, & eodem terreum Inſtrumentum adimple: depone illud in igne aperto, ſuo Recipiente munitum, atque Humiditatem, quam etiam oleum quoddam comitatur, deſtilla.

Hoc peracto, extrahe Maſſam, eam in Retortam ferream injice, ipſi ſuperaddendo parumper Spiritus Cinnamomi: & deſtilla Spiritum, in Arena.

Spiritus iſte penetrantiſſimus eſt, ſudores optime movet, aperit & incidit, atque maximo cum fructu, adhiberi poteſt.

Doſis ipſius eſt ſemiſcrupulus, ſcrupulus unus, ad ſemidrachmam uſque. *Hæc* Grimmius.

Ita ille ſcribere poterat, ipſe haud dubie expertus; nos vero credere tantum oportet, quoniam occaſione illa opportuna deſtituimur, pretioſum iſtum fuliginis ſpiritum commode præparandi, & præparatum deinde explorandi, & in ipſum ægrotorum uſum convertendi.

Spiritus Juniperi.

Diſpenſ Prag. Wirt. Brand. Argent.

℞. Baccarum Juniperi conquaſſatarum, *libras quatuor.*

Spiritus vini phlegmatici, *libras octo.*

Deſtillentur ad dimidias.

Remedium eſt carminativum, diureticum & ſudoriferum; uſus eſt tam internus, quam externus, in affectibus colicis & rhevmaticis.

Spiritus Lavendulæ Simplex.

Diſp. Wirt. Lond. Brand. Argent.

℞. Florum Lavendulae, *libram unam.*

Spiritus vini non rectificati, *libras quatuor.*

Digeſtione per triduum facta, deſtillentur ad dimidias.

Raro interne eo utimur; externe ad membra paralytica confortanda, ſugillationes reſolvendas, & ad odoratum adhibetur.

Spiritus Lavendulæ Compoſ.

Diſp. Lond. nov.

CHARAS, *Pharm. Reg. T. II. p.* 487.

℞. Spiritus Lavendulæ ſimplicis, *libras tres.*

Roriſmarini, *libram unam.*

Cinnamomi acuti,

Nucis Moſchatæ, *ana unciam ſemis.*

Ligni Santali rubri, *drachmas tres.*

Bene permixta digerantur ali-aliquandiu; deinde colentur, & ad uſum tam internum, quam etiam externum, probe ſerventur.

Aliam vero Spiritus Lavendulæ compoſiti compoſitionem Matthiæ cuidam vulgo tributam, ſed hac ipſa longe operoſiorem & pretioſiorem, pæne & adjeciſſam, ineptiorem, gemmas enim & Margaritas ſimul continet, videas, niſi grave, in Diſpenſ. Lond. Veteri, *de An.* 1680.

Spiritus Ligni Guajaci.

Diſp. Brand. Wirt. Hamb. Prag. Paris. Vienn.

Impleatur retorta ſcobe ligni ſancti vel Guajaci, & igne arenæ deſtilletur, ſic prodit primo phlegma, quod ſequitur ſpiritus & tandem oleum nigrum empyrevmaticum.

Viribus cum ſpiritu fuliginis convenit, & eadem doſi datur.

Spiritus Liliorum Convallium.

Diſp. Roterod. Wirt. Leid. Grœning.

℞. Florum liliorum convallium, *libram unam.*

affunde

Vini generoſi albi, *libras decem.*

Spiritus vini rectificati, *lib. un. ſemis.*

Ad dimidias e cucurbita deſtilla, prolectam aquam ſpirituoſam novis affunde floribus, & deſtilla iterum ad dimidias atque ſpiritum ſerva.

Aquarum antapoplecticarum & epilepticarum ingrediens ſunt lilia convallium. Adſcribitur illis vis ſpecifica, cordialis & nervina, ac memoriam confortans. Raro tamen ſpiritus interne datur; externe ad convulſiones, luxationes & dolores rhevmaticos utiliter adhibetur; naribus attractus, adverſus odontalgiam laudatur.

Spiritus Lumbricorum Compoſitus Mollenbrocc. de Arthritide vaga Scorbut. Cap. XIII. p. 140.

Decker. *Not. ad Prax. Barbett. pag.* 152.

℞. Radicum Angelicæ, *unciam ſemis.*

Ireos Illyr. *unc. unam ſemis.*

Peucedani, *unciam unam.*

Herbarum Pulegii,

Chamæpit. *ana manipulos tres.*

Salviæ, *manipulos duos.*

Serpilli, *manipulum unum.*

Florum Primulæ Veris,

Chamomillæ vulg. *ana manip. tres.*

Hyperic. *manipulos duos.*

Anthos,

Lavendulæ, *ana manipul. ſemis.*

Raſuræ Ligni Saſſafras, *uncias duas.*

Caſtorei opt. *drachmas duas.*

Baccarum Lauri, *unciam ſemis.*

Hiſce omnibus probe conciſis & contuſis ſuperfunde Spiritum Lumbricorum terreſtrium ſimplicem, & deſtilla; habebisque ita Spiritum Lumbricorum terreſtrium compoſitum.

Doſis erit a guttis triginta, ad quadraginta, quinquaginta, & ultra, ſi opus, in convenienti vehiculo. Sed & uſui externo inſervire aliquando poteſt.

Spiritus Lumbricorum Terreſtrium Compoſitus.

Diſpenſ. Brand.

℞. Lumbricorum terreſtr. per ſtupam depuratorum, *quantum placet.*

Miſce cum Medulla panis triticei *quant. ſuff.* Affunde porro Spiritus Vini rectificati, *quant. ſat.* Digerantur

aliquandiu, & colentur, idque ter repete: Huic infuſioni tandem addantur recentes Lumbrici depurati, quantitate ſufficiente: Hiſque adjice:

Radicum Angelicae,
Iridis,
Ariſtolochiae rotundae, *ana unciam unam.*
Herbarum Chamaedryos,
Chamæpityos,
Meliſſae, *ana manip. unum.*
Florum Anthos,
Salviæ,
Tiliæ,
Primulæ Veris,
Liliorum Convallium, *ana manip. ſemis.*
Croci Auſtriaci, *drachm. unam.*

In pulverem prius redactis, affunde prædictum Spiritum infuſum & colatum: ſtent unum, alterumve diem, in digeſtione Coloris blandi: Tum Organis Vitreis, ut artis eſt, deſtilla, & deſtillatum commode in uſum, ſerva.

Operoſa quidem & diffuſa hæc eſt Compoſitio; ſed tamen adhuc operoſior & longe auctior habetur in Diſpenſ. Lond. Vet. *quæ ibi videri poteſt, ubi volupe fuerit. Ceterum de illo Spiritu Lumbricor. Compoſito Brand. vid.* SCHULZ. *p.* 326.

Spiritus Lumbricorum Vinoſus.

Diſp. Prag. Wirt. Brand.

℞. Lumbricorum terreſtrium vivorum, *libras duas.*
Superfunde
Spiritus vini phlegmatici, *libras quinque ſemis.*

Poſt digeſtionem per biduum, deſtillentur, leni igne, ad dimidias, e veſica.

Uſus eſt externus, & ad rhevmaticos & arthriticos dolores laudatur. Sed parum virtutis ipſi tribuit SCHULZ. *p.* 325.

Spiritus Lumbricorum Volatilis.

Diſp. Wirt. Brand. Hamb. Prag. Vienn. Argent. & reliq.

Vid. Chem.

℞. Lumbricorum terreſtrium exſiccatorum, *libras tres*, vel *quantum placet.*

Committantur retortæ vitreæ & ex arena, per ſucceſſivos ignis gradus deſtillentur; ſic prodeunt ſpiritus, ſal volatile & oleum empyrevmaticum fœtidum, quæ refrigerata, ſeparentur, & ſal, ut ab oleo fœtido liberetur, oſſium calcinatorum triplo vel quadruplo miſceatur, & ſublimetur; quæ ſublimatio bis vel ter repetenda, donec ſatis albus & ab oleo liberatus exiſtat; ſpiritus vero, ab oleo empyrevmatico, ope chartæ bibulæ madefactæ, ſeparatus, rectificetur.

Vires habet ſal volatile & ſpiritus, cum ſpiritu & ſale volatili cornu cervi communes; a nonnullis magis diuretici & antarthritici deprædicantur. Spiritus adhiberi etiam ſolet externe in rhevmatiſmis, contuſionibus, luxationibus & paralyſi. Rectificatus datur interne *ad guttas triginta, & ſal volatile ad grana ſex, vel octo. Vid.* SCHULZ. Praelect. *pag.* 326.

Spiritus Maſtichinus.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur, ſed alii ſubſtituuntur.

℞. Maſtiches, *uncias quatuor.*
Cinnamomi, *unciam ſemis.*
Caryophyllorum,

Nucis

Nucis moſchatae, *ana drachmas tres.*
Zinziberis,
Galangae,
Cardamomi,
Corticis Winterani, *ana dr. duas.*
Pulveriſata infundantur in
Spiritus Vini rectificati, *libris decem.*
Stent per aliquot dies in digeſtione, poſtea, additis
Aquæ fontanæ, *libris duabus.*
e veſica deſtillentur.
Quodſi
Spiritus hujus prolecti, *libris duabus.*
Aquae fontanae, in qua Sacchari unciae decem ſolutae ſunt, *libra una.*
additur, nominatur ELIXIR MASTICHINUM, quod loco aquae vitae haurire ſolent.

In morbis ventriculi, a cauſa frigida ortis, colica flatulenta & ructibus, cum inſigni fructu, datur.

Doſis aqua diluti & edulcorati, eſt uncia ſemis, ad integram.

Spiritus Maſtichinus Compoſitus.

Diſpenſ. Brand.

℞. Nucis Moſchatae, *drachmas tres.*
Santali albi,
Citrini, *ana drachmas duas.*
Cardamomi minoris, *drach. unam.*
Cinnamomi acuti, *drachmas tres.*
Maſtiches, *libram unam ſemis.*
Conſciſſ. & Contuſa infundantur in
Spiritus Vini rectif. *libris tribus.*
quibus mox addatur
Aceti deſtillati, *libra una ſemis.*
Denique deſtillentur e Retorta Vitrea, Excipulo immiſſis
Ligni Aloës, *drachmis duabus.*

Ceterum multum convenit cum Spirit. Maſtich. Docreri, apud BIERLING. *p.* 46.

Spiritus Maſtichinus Simonis Paulli.

Diſpenſ. Hamb.

℞. Maſtiches ſelectae, *uncias tres.*
Cardamomi minoris,
Cinnamomi optimi,
Galangae,
Zedoariae, *ana unciam ſemis.*
Coſti Arabici,
Ligni Aloës,
Caryophyllorum,
Macis, *ana drachmam unam.*
Spiritus Vini Gallici optimi, *libras quatuor.*
Digerantur per triduum, loco calido: deinde deſtillentur per Arenam, ſecundum Artem.

Spiritus Matricalis Aromat.

Diſpenſ. Brand.

℞. Cinnamomi Acerrimi,
Nucis Moſchatae,
Macis,
Zingiberis,
Caryophyllorum,
Granorum Paradiſi,
Cubebarum,
Cardamomi minoris, *ana unc. unam ſemis.*
Piperis longi, *unciam ſemis.*
Galangae,
Zedoariae, *ana unciam unam.*
Foliorum Salviae minoris,
Menthae criſpae,
Fœniculi,
Meliſſae, *ana manipulum unum.*
Pulveriſatis ſingulis prius ſeorſum, dein mixtis omnibus affund.

Spiritus Vini generoſi, *menſuras tres.*

Poſtea digerantur vaſe optime clauſo, aliquandiu; tum lege Artis, deſtillentur. Roſtro autem Alembici Camphorae quid inditum reddet tum Spiritum Matricalem camphoratum; de quo vid. THONERI *Obſervat. Med.* in Append. pag. 366. & *Diſp. Brand.*

Spiritus Matricalis Burrhi.

Diſp. Amſtel. Wirt. Leyd. Brand. Argent. Vienn.

℞. Maſtiches,
Myrrhae,
Thuris,
Succini, *ana unciam unam ſemis.*
Spiritus vini rectificati, *libr. quatuor.*

Deſtillentur e balneo, ad ſiccitatem.

Ad luxationes, ſugillationes, & ubi paregorica, ſpirituoſa locum inveniunt, adhiberi poteſt. Vid. SCHULZ. Praelect. *pag.* 327. *Alium Spiritum Matricalem ſuaviorem & fragrantiorem vid. in Append. ad* THONERI Obſſ. Med. *pag.* 366.

Spiritus Meliſſæ.

Paratur, ut ſpiritus Lavendulae.

Nervinus, carminativus, ſtomachicus & uterinus eſt, & pro menſtruo, ad Tincturam Caſtorei extrahendam, inſervit. Vid. BOERHAAVE, Elem. Chem. *T. II. pag.* 67.

Spiritus Mellis.

Diſpenſ. Hamb. Wirt. Vienn.

℞. Mellis puri, *libras duas.*
Arenae mundae, *libras tres.*

Miſceantur, & e retorta, arenae igne, per gradus fiat deſtillatio. Liquor prolectus ab oleo ſeparetur, atque in arena rectificetur, phlegmate prius prodeunte, & dein ſpiritu ſubſequente.

Eſt acidus & empyrevma olet. Specifica huic ſpiritui attribuitur vis diuretica; aperitivus & diaphoreticus etiam eſt, quod oleo, quo imbutus, empyrevmatico tribuendum. Vid. le MORT, FEBURE, JUNGKEN. *& alios Chymicos.*

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Spiritus Menthæ.

Cum ſpiritu vini, ad normam Lavendulae ſpiritus, conficitur.

Vires ſunt ſtomachicæ, nervinæ & carminativæ. Vid. BOERHAAVE, Elem. Chem. *Tom. II. pag.* 220. *& pag.* 67.

Spiritus Nephriticus Dekkeri.

Not. ad Prax. Barbett. pag. 209.

℞. Radicum Ononidis,
Saxifrag. alb. *ana unciam unam.*
Glycyrrhizae, *unciam ſemis.*
Sanguinis Hirci, *drachmas ſex.*
Oculorum Cancr. contuſorum,
Nucis Moſchatae,
Cinnamomi acuti, *ana unc. unam.*
Croci Orientalis, *drachmas tres.*
Caryophyllorum, *drachmas duas.*
Terebinth. Argentinenſ. *unc. ſedecim.*
Spiritus Vini Malvatici, *libr. quinque.*

Conciſa & Contuſa, ſtent in Infuſione, per dies quatuordecim: poſtea per Balneum Mariae, lege Artis, deſtillentur.

Doſis eſt Cochleare unum, vel alterum, jejuno ſtomacho, bis, terve, de die, pro neceſſitate: Delicatioribus temperetur Aqua petroſelini, vel Graminis, addaturque parum ſacchari.

Nihil præſtantius eſt Spiritu hoc noſtro antinephritico, inquit ibi Auctor Deckerus; *neque dubitamus, quin ſæpius*

expertus, vera dixerit. Unum tamen eſt, quod pace quidem præclari Viri manium, hic monuerim; nempe haud ſatis bene perſpicio, quænam virtus ſingularis ex deſtillatione potiſſimum, tranſire poſſit in hunc ſpiritum, ab iſtis terreis aridisque oculis cancrorum, item ex ſex drachmis ſanguinis illius fatui & effœti hirci miſere trucidati: Igitur quum iſta bina ingredientia ex regno animali petita, nullam plane huc utilitatem inferre poſſe videantur; me quidem arbitro ac ſuaſore, ex hac compoſitione, alioqui ſat concinna, rectius in poſterum omittantur. Conf. infra Spiritus Nephriticus Waldſchmidii, *qui cum hoc Spiritu Deckeriano maximam partem convenit, etiam in eo, quod fatuum ſanguinem hircinum fruſtra adjectum habet.*

Spiritus Nephriticus Pariſienſis. *ſive* eau de JOURDAIN.

Diſpenſ. Argent.

℞. Turbith gummoſi, *uncias duas.*
Maſtiches,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatae,
Galangæ,
Cubebarum,
Cinnamomi, *ana unciam unam.*
Ligni Aloës, *unciam ſemis.*
Terebinthinae Venetae, *uncias tres.*
Mellis crudi, *uncias quatuor.*
Pulpæ Caſſiæ, *unciam unam ſemis.*
Granorum Berberum,
Baccarum Aquifolii,
Ruſci,
Hederæ arbor. *ana No. ſexaginta.*
Fructuum Cynosbat. exacinatorum, *No. triginta.*
Millepedum,
Florum Lavendulæ,
Virgæ aureæ, ſeu Conſolidæ ſaracen.
Saxifragiæ, *ana unciam unam.*
Cancrorum fluviatilium, *No. duodecim.*
Spiritus Vini, *libras ſex.*

Inciſa & contuſa, infundantur per octo dies: poſtea fiat lege Artis, deſtillatio.

Huic Spiritui antinephritico in doloribus nephriticis ſedandis, avenulis, calculisque & urina expellendis, ut & Calculi generatione impedienda, multum laudis attribuunt Pariſienſes. Ubivis autem non poſſe locum habere, facile ex ipſa compoſitione patet. Datur ad Cochlear dimidium, ad duo, in convenienti vehiculo. *Conf. ſupra* Aqua antinephritica, *vulgo* de Bellegarde; *cum reliquis Aquis* nephriticis, *ibi exhibitis.*

Spiritus Nephriticus Waldſchmid.

Corp. Pharm. JUNGK. *pag.* 989.

℞. Radicum Saxifragiæ,
Ononidis, *ana unciam ſemis.*
Sanguinis Hirci, *uncias tres.*
Nucis Moſchat.
Cinnamomi, *ana unciam ſemis.*
Caryophyllorum, *drachmam unam.*
Croci orient. *drachmam unam ſemis.*
Terebinthinæ Venet. *uncias octo.*
Spiritus Vini Malvat. *libr. duas ſemis.*

Stent per quatuordecim dies, in Digeſtione, & deinde fiat lege Artis, ſpiritus, etiam tum utilis, ubi inutilis ille Hirci ſanguis fuerit omiſſus. Vid. ſupra notata ad *Spiritum nephrit. Deckeri,* a quo non multum abit hæc ipſa compoſitio Waldſchmidiana.

* * *

Spiritus Nephriticus Warſchavienſis.

JUNGKEN, *ibidem.*

℞. Foliorum Hederæ terreſtris, *manipulos quatuor.*
Seminis Dauci, *manipulos duos.*
Radicum Petroſelini,
Raphani majoris, *ana unc. unam ſemis.*
Fructuum Cynosbati, *manipul. duos.*
Nucleorum Perſicor. contrit. *manipulum unum.*
Spiritus avenacei, *libras octo.*

Stent in infuſione, per dies octo: poſtea deſtillentur in Balneo Mariæ, vel Balneo Vaporis.

Spiritus Nervinus Hoffmanni, Hall.

℞. Olei Cornu Cervi, rec. deſtill. a Spiritu & ſale volatili ſimul prodeunte, ſeparati, *unciam unam.*
Aquæ epilepticæ Langii, *uncias octo.*

Deſtillentur ex Cucurbita Vitrea, Igne blandiſſimo, quamdiu ſtriatim exſtillat. Servetur in Vitro optime clauſo.

Doſis ſit a drachma ſemis, ad ſcrupulos duos. In plerisque Nervorum affectibus. Vid. *Tabul. Smaragd.* p. 382.

Spiritus Nitri Acidus.

Diſp. Wirt. Brand. Argent. Prag. & rel.

℞. Nitri puriſſimi, *libram unam.*
Terrae argillaceae, vel Boli rubrae, *libras ſex.*

Pulveriſata miſceantur exacte, humectentur ſufficiente quantitate aquae fontanae, atque e maſſa formentur globuli parvi, qui rurſus exſiccati immittantur retortae lapideae, aut vitreae, probe loricatæ, & igne gradatim adminiſtrato, in receptaculum valde capax, cui libra ſemis aquae ſimplicis antea immiſſa ſit, deſtillentur, donec rubri vapores ceſſent. Spiritus prolectus rectificetur, atque a phlegmate ſeparetur. Vid. NEUMANNI *Prælect:* de *Nitro.*

Spiritus Nitri plurimum expetitur ad chymicos uſus; externe ad verrucas aliasque excreſcentias præternaturales auferendas chirurgi eo utuntur. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 328.

Spiritus Nitri Anticolicus.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Spiritus Nitri acidi ordinarii, *libram ſemis.*
Carminativi Sylvii, *libram unam.*
Eſſentiae carminativae Wedelii, *uncias duas.*

Miſceantur, & poſt digeſtionem per triduum, filtrentur.

In colica, a flatibus orta, bonam præſtat opem; vim habet carminativam & diureticam. Doſis ſcrupulus unus vel drachma ſemis. *Sed* SCHULZ. *pag.* 328. *vix magnas ipſi prærogativas tribuit præ Spiritu Nitri dulci.*

Spiritus Nitri Concentratus, *ſive* Fumans.

Diſp. Wirt. Vienn.

Sed vid. Chemicos; inprim. NEUMANN. *de* Nitro.

℞. Nitri cryſtallini ſicciſſimi,
Olei Vitrioli, *ana quantum lubet.*

Immittatur Nitrum pulveriſatum, & optime ſiccatum retortæ ſatis capaci, ſiccae, antea calefactae; ſuperfunde Oleum vitrioli, & ſtatim igne arenae deſtillationem inſtitue, vaſorum juncturis probe clauſis, leni igne: ita ſpi-

ritus, ſub fumorum rubicundorum forma prodit, qui in vitro, epiſtomio vitreo clauſo, ſervandus.

Eſt acidum concentratum puriſſimum nitri; & ad ſpiritus nitri dulcis præparationem inſervit.

Curioſum eſt experimentum, quod cum oleo caryophyllorum genuino, terebinthinæ, aliisve inſtituitur; quando ſcilicet ſpiritui huic fumanti nitroſo inſtillantur guttæ aliquot prædictorum oleorum, flamma erumpit, citra acceſſum ignis elementaris, luculentiſſima. Vid. plura de hoc ſingulari & formidabili experimento, apud HOFFMANN. Obſ. Chym. 10 *L. I. pag.* 38. *ſqq.*

Spiritus Nitri Dulcis Simplex.

Diſp. Wirt. Brand. Vienn. Argent.

℞. Spiritus Nitri fumantis, *unc. unam ſemis.*
Vini rectificatiſſimi, *libram unam.*

Spiritus Nitri ſucceſſive inſtilletur ſpiritui vini, & poſt digeſtionem aliquot dierum, in loco frigido, lento igne e cucurbita deſtillentur. Vid. modo laudati HOFFMANNI *Obſſ. Chym.* 4. Lib. II. pag. 127. ſqq. & ad POTER. *Pharm. Spag.* L. II. pag. 370. ubi notatu digna.

Cum vehiculo aquoſo in colica flatulenta egregium effectum anodynum & carminativum exſerit. Scopo diuretico etiam a guttis quadraginta, ad ſexaginta, ſufficienti aqua dilutus, dari poteſt. *Longe plures eximias virtutes tam internas, quam etiam externas, in dentibus dealbandis, huic eximio & odore ſuaviſſimo Spiritui, merito tribuit* BOERHAAVE, Elem. Chem. *T. II. P. III. Proceſſ.* 136. *p.* 345. *item* CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 161. SCHULZ. Prael. *pag.* 328. *aliique plures. Vim quoque lithonthrypticam ipſi adſcribit* Wilhelm ten RHYNE, Meditat. in Hippocr. *pag* 221. *parcior tamen in hoc ipſo Spiritu, ubivis laudato, laudando, eſt* STAHLIUS Mat. Med. *Part. II. p.* 26. *& alibi, quin & febre ardente vel acuta laborantibus, item & nephriticis, illius uſum ceu damnoſum, plane interdicit. Quod de nephriticis quidem verum interdum eſſe poteſt, renibus præſertim jam exulceratis. Aſt in Febribus quidquam nocuiſſe hunc ſpiritum rite præparatum & edulcatum, nunquam obſervavi, in Praxi.*

Spiritus Nitri Dulcis Compoſitus, *ſeu* Carminativus.

Diſpenſ. Vienn. Prag.

℞. Florum Chamaemeli Romani,
Baccarum Juniperi, *ana unc. unam.*
Lauri,
Corticum Citri, *ana drachmas tres.*
Aurantior. *unciam ſemis.*
Radicis Angelicae,
Foliorum Menthae,
Seminum Fœniculi,
Aniſi,
Carvi,
Badiani, *ana unc. ſemis.*
Macis,
Nucis Moſchatae,
Cinnamomi, *ana drachmas duas.*
Salis Tartari *unciam ſemis.*
Spiritus Vini, *libras quatuor.*

Poſt Macerationem, fiat, lege Artis, Deſtillatio: poſt quam deinde

℞. Hujus deſtillati Spiritus, *unc. ſeptem.*
Spiritus Nitri, *uncias tres.*

Digerantur per aliquot dies: dein leniter Spiritus abſtrahatur, & bis, vel ter, ſecundum Artem, cohobetur.

Ad Colicam ſiſtendam, flatus diſpellendos, & paroxyſmos aſthmaticos ſopiendos, commendatur admodum a Deckero. *Conf. ſupra,* Spiritus Carminativi.

Spiritus Odontalgicus Jungkenii.

Medic. præſ. Sæculo accommod. P. II Cap. X. pag. 567.

℞. Cortic. Radicis Mandragorae, *drachmas duas.*
Seminum Hyoſcyami,
Papaveris albi, *ana ſcrup. quatuor.*
Florum Lavendulae,
Papaveris erratici, *ana dr. duas.*
Semin. ſtaphidis agriae,
Radicis Pyrethri,
Caryophyllorum.
Olibani, *ana unciam ſemis.*
Camphorae,
Croci opt. *ana grana quindecim.*
Opii electi, *drachmam ſemis.*
Spiritus Vini rectificati, *unc. decem.*

Infunde per tempus; poſtea exprime, & filtra: de hoc vero Spiritu anodyno contineatur Cochlear in ore. Similem fere Spiritum odontalgicum vid. apud MYNSICHT. *pag.* 276.

Spiritus Otalgicus Barbette.

Op. Chirurg. Lib. II. Cap. I. pag. 339.

℞. Ovorum Formicarum majorum, *No. centum.*
Caſtorei optimi,
Pulpae Colocynthidis, *ana dr. unam.*
Herbarum Majoranae,
Sabinae,
Abſinthii,
Rutae, *ana manipulum unum.*
Seminum Cumini,
Aniſi,
Carvi,
Fœniculi, *ana drachmas tres.*
Baccarum Lauri excorticatarum,
Juniperi, *ana unciam ſemis.*
Corticum Mali punici, *drachm. ſex.*
Radicum Hellebori nigri,
Cyperi rotundi,
Raphani minoris,
Cyclaminis, *ana unciam unam.*
Ceparum mediocrium, *No. ſeptem.*
Amygdalarum amarar. *uncias duas.*

Infuſa per dies quatuordecim, in ſufficienti Quantitate Spiritus Vini rectificati, deſtillentur in Balneo Mariae.

Guttæ duæ hujus Spiritus otalgici anodyni, Mane & Veſperi, in Aurem inſtillatæ, mira præſtant, ita inquit ibi Cl. Auctor. Si non mira, tamen bona ac ſalutaria præſtare hunc ipſum Spiritum Deckerianum, nulli dubitamus. Sunt tamen ea diligenter ſimul obſervanda, quæ circa infuſionem ejusmodi Liquidorum in aures dolentes, aut ſurdas, poſt alios, monuimus in Diſſertat. de Veritate Paradoxi Hippocratici &c. *p.* 8. *Monendum vero adhuc, hanc ipſam compoſitionem* Mynſichto *potius deberi, quam* Barbette, *ut ex illius* Theſauro Pharm. *pag.* 277. *manifeſto patet.*

Spiritus Panis.

Diſpenſat. Viennenſ. Wirt.

℞. Panis tritici bis cocti, optime ſiccati, *quantum placet.*

Immittatur in fruſta confractus retortae vitreae, atque ex arena, leni igne per gradus aucto, deſtilletur. Spiritus, poſt deſtillationem ab oleo ſeparatus, rectificetur.

Adſcribuntur vires ſtomachicæ, & appetitum augentes. Vid. HOFFMANNI Obſſ. Chym. 22. *Lib. II. pag.* 211. *Sed*

contrarium ſtatuit, forte rectius, ZWELFER. *in* Pharmac. Reg. *pag.* 234. *item* LUDOVICI *in* Pharm. hodiern. *pag.* 579 *Conf. ſupra dicta* ad Aquam Panis.

Inprimis vero ad Coralliorum Tincturam extrahendam adhibetur.

Doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.

Spiritus Paralyticus.

Diſpenſ. Brandenb.

℞. Radicum Angelicæ,
Aronis, *ana unciam ſemis.*
Ireos Illyricæ,
Peucedani, *ana unciam unam.*
Pyrethri, *unciam ſemis.*
Herbarum Chamæpityos,
Origani,
Pulegii,
Salviæ,
Serpilli, *ana manipulos duos.*
Foliorum Nicotianæ recent. *manipulum unum.*
Cochleariæ recent. *manip. quinque.*
Florum Anthos,
Chamomillæ,
Cheiri,
Hyperici,
Lavendulæ, *ana manipulum ſemis.*
Liliorum Convallium,
Primulæ Veris,
Stœchados Arabicæ,
Summitatum Abietis recentium, *ana manipul. unum.*
Baccarum Lauri, *unciam ſemis.*
Caryophyllorum, *drachmas duas.*
Caſtorei pinguis,
Raſuræ Ligni Saſſafras, *ana unc. unam.*
Seminis Erucæ,
Sileris montani, *ana drachmas ſex.*

Conciſ. & Contuſ. infundantur Spiritus Lumbricor. terreſtrium ter ſuper recentibus Lumbricis cohobati, *libris octo;* juncturis optime clauſis, ſtent in digeſt. octiduum: Tum Balneo Mar. deſtillentur. Spiritus inde prolectus, vaſe exacte obturato ſervetur.

Spiritus Paralyticus Cnœphelii.

JUNGK. *Corp. Pharm. pag.* 990.

℞. Baccarum Lauri,
Juniperi,
Caſtorei,
Euphorbii, *ana drachmas duas.*
Caryophyllorum,
Macis, *ana drachmas tres.*
Maſtiches,
Myrrhae,
Styracis liquidae, *ana unciam ſemis.*
Succini albi,
Gummi Elemi,
Galbani, *ana drachmas tres.*

Contuſa & mixta infundantur in Spiritus Vini, *libris tribus.*

Stent in digeſtione, per tres dies: deinde deſtillentur per Alembicum; & Spiritus ſervetur uſui externo.

Spiritus Pectoralis, Dekkeri.

Diſpenſ. Leidenſ.

℞. Radicum Angelicae,
Iridis Florent. *ana unciam ſemis.*
Foliorum Hyſſopi,
Veronicae, *ana manipul. unum.*
Florum Gummi Benzoin ſimplici ſublimat. præparator. *dr. unam.*
Seminis Fœniculi dulcis, *drach. tres.*
Baccarum Lauri, *drachmas duas.*
Raſuræ Ligni Santali citrin. *unc. ſemis.*
Terebinthinae Venetae,
Styracis Calamitae, *ana drachm. duas.*
Croci optimi, *drachmam unam ſemis.*
Salis Ammoniaci, *drachmas duas.*
Cinerum Clavellat. *drachmas ſex.*

Conſciſſis & Contuſis his omnibus affunde

Hydromellis, ex Melle Virgineo Maſſienſi recenter parati, &
Spiritus Vini, *anā pintas tres.*

Poſt triduum, deſtilla leni Calore, ex Balneo Mariæ: Abſtracto deinde infunde

Florum Hyperici, *manipulos duos.*
Glycyrrhizæ Viridis, exteriore Cortice liberatæ, *unc. unam ſemis.*

Digerantur omnia per quatriduum: Tinctura fortiter expreſſa, & decantata, ſervetur uſui. Conf. ſupra ſuo loco *Elixiria pectoralia*, & *Eſſent. pect.*

Spiritus Pectoralis Mynſichti.

Theſaur. Pharm. pag. 279.

℞ Paſſularum minorum,
Seminis Aniſi, *ana uncias quatuor.*
Loch ſani & experti,
de Pino, *ana uncias duas.*
Succi Glycyrrhizæ ext. *unc. un. ſemis.*
Conſerv. Florum Hyſſopi,
Violarum,
Symphyti, *ana unciam unam.*
Cinnamomi acuti, *drachmas ſex.*
Specierum Diatragacanth. frigid.
Diaireos ſimplic.
Diarrhod. Abbat. *ana unciam ſemis.*
Cardamomi minoris,
Croci Orientalis,
Macis, *ana drachmam unam ſemis.*
Herbarum Capillorum Veneris,
Marrubii, *ana drachmam unam.*
Florum Malvae arboreæ rubræ,
Farfaræ,
Salviæ, *ana drachmam ſemis.*

Contuſa & mixta infundantur in Spiritus Vini ſimplicis, *libris octo.*

Digerantur diebus octo: Poſtea Balneo Mariæ deſtillentur, & Spiritus abſtractus Saccharo canto albo, quantum ſatis, edulcoretur.

Ad Catarrhos frigidos, pectorisque ægritudines, Tuſſim, Aſthma antiquum, & Anhelitum malum, expertiſſimus hic eſt Spiritus.

Doſis ſit a Cochleari uno, ad Cochlearia duo. Pectus enim ab humoribus craſſis & Viſcidis purgat, mundificat, omneſque in eo oppilationes aperit. *Hæc ſplendide quidem* Mynſichtus; *ſit vero fides penes Auctorem, aut rectius penes Experientiam ipſam. Quæ enim virtus ſingularis ex illis florum Conſervis, item & tribus iſtis Speciebus, tranſire poſſit per deſtillationem, ut Spiritus inde efficacior reddatur; id equidem me haud ſatis intelligere, ingenue fateor.*

Spiritus Podagricus Jungken.

Med. præſ. ſæc. accommod. P. II. C. 19. *pag.* 700.

℞. Salis Tartari, Aceto deſtillato impraegnati,
Calcis vivæ, *ana libram unam.*

Ab his Spiritum Vini, *quant. ſuff.* aliquoties abſtrahe: deinde vero adde:

Silicum cum Sale Tartari calcinatorum, *libram unam.*
Salis Urinæ Volatilis, *uncias quatuor.*
Camphorae, *uncias tres.*

Miſce omnia, ut fiat Maſſa ſicca; ſi non ſufficiat Calx viva; adde tantum Silicum pulverat. quantum ſufficit: Tum Retortæ immiſſa deſtilla per gradus; ultimo forti igne, maximo adhibito Recipiente; & prodit Liquor, in dolore podagrico, ſummæ efficaciæ. Hæc ille.

* * *

Spiritus

Spiritus Polychreſtus Hafnienſium.

Diſpenſ. Hamburg. Hafnienſi.

℞. Radicis Angelicæ, *unciam ſemis.*
Foliorum Menthæ,
Majoranæ, *ana drachmas tres.*
Seminis Fœniculi,
Baccarum Juniperi, *ana unc. unam.*
Cinnamomi acuti, *unciam ſemis.*
Nucis Moſchatae,
Croci Orientalis,
Origani Cretici, *ana drachmas duas.*
Spicæ Indicæ,
Cardamomi, *ana drachmam unam.*
Macis, *drachmam ſemis.*
Inciſa & Contuſa, groſſo modo Miſce, addendo,
Salis Tartari,
Ammoniaci, *ana uncias ſex.*
Spiritus Vini Gallici, *libras tres.*
Deſtillentur per Retortam Vitream, in Arena.

Spiritus Podagricus de Spina.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 990.

℞. Sacchari Saturni, *drachmas duas.*
Spiritus Vini rectificati, *unc. quatuor.*
Camphoræ, *ſcrupulum unum.*
Opii Thebaici, *ſcrupulos duos ſemis.*
Miſceantur: Fiat inde Spiritus, pro uſu externo, ad dolores pedum mitigandos.

Uſum quidem habet hic Spiritus, non nego, & refrigerandi, & acres dolores demulcendi; prius enim per Saccharum potiſſimum Saturni, alterum vero per Camphoram atque opium, præcipue efficitur. Interea tamen & hic Spiritus, ut omnia alia topica in genere, maxima cum prudentia & circumſpectione, & probe ponderatis prius omnibus circumſtantiis & ſymptomatibus, in podagra, erit adhibendus, ne ipſa medicina deterior & periculoſior fiat ipſo morbo; quod ſæpius per ejusmodi epithemata antipodagrica externa, accidiſſe, conſtat. Vid. Simon PAULLI Quadripart. Bot. *pag.* 197. SEIDEL. *de* Morb. incurabil. *pag.* 83. *ſqq.* RIVINI *Diſſ. de* Morbo retrogrado, *pag.* 743. HOFFMANN. Med. Rat. *Syſtem. Tom. III. pag.* 191. *aliosque plures, laudatos jam a nobis in Diſſ. de* Veritate Paradoxi Hipp. *pag.* 22. *ſqq. ubi & ipſi funeſtum ejusmodi exemplum perquam memorabile produximus. Sed hæc obiter: digna tamen omnino videbantur, ob vitandum periculum metuendum, quæ hic adjicerentur.*

Spiritus Regius Hoffmanni, Sen.

Theſaur. Pharm. pag. 102.

℞. Spiritus Roſarum rectificatiſſ. *uncias quatuor ſemis.*
Salis rectificatiſſ. *unc. unam ſemis.*
Infunde in Retortam Vitream, & Collo Retortæ inde
Ambrae griſeæ, *drachmam ſemis.*
Moſchi, *ſcrupulos duos.*
Miſce linteolo mundo involuta; deſtillata igne leni, per Arenam, reſolvunt Ambram & Moſchum in Liquorem, & ſecum evehunt, inſtar Gelatinæ. Spiritui deſtillato add.
Confect. Alkermes, *quantum ſufficit.*
Cum Linteolo, in quo Ambra & Moſchus fuerunt: Reſerva invicem in uſui, in Vitro bene clauſo.

Mirifice roborare dicitur Spiritus animales & vitales, vel per ſe, in Vino, ad guttas triginta, vel ſexaginta: *vel cum Syrupo Rubi idæi, vel violarum propinatus.*

Spiritus Rhœados Crapularius.

Pharm. Batean. pag. 150.

℞. Florum papaveris Rhœados recent. *libram unam.*
Seminis Carvi, *uncias duas.*
Nucis Moſchatæ, *unciam unam.*
Ambræ griſeæ, *grana quatuor.*
Spiritus Vini, *libras quatuor.*

Macerentur, ſecundum Artem fiat Colatura.

Doſis unciæ quatuor, hora ſomni, vel mane, poſt Crapulam. Specifice pleuritidi ſubvenit.

Forſan vero de utroque nonnulli hic dubitabunt. Licet enim Flores papaveris rhœadis, cum Aqua infuſi, æſtum temperare & dolores mitigare poſſint; ut inde & Crapulam diluere, & dolores laterales ſopire forſan nonnihil valeant. Tamen hic una cum Semine Carvi, & Nuce moſchata, in Spiritu Vini macerati, in aliam quaſi, id eſt, calidam naturam tranſeunt, adeo, ut hinc & crapulam intendere, & ipſos lateris affecti dolores magis exacerbare æſtumque febrilem adaugere valeant, præſertim in tam enormi doſi, unciarum nempe quatuor, quum, ut mihi quidem videtur, vel totidem drachmæ jam nimiæ eſſent & juſtam doſin excederent. Quæ mihi hic propter periculum, neceſſario monenda videbantur.

Spiritus Roſarum.

Pari ratione, ut Spiritus Liliorum convallium, deſtillatio peragitur.

Spiritus Roſarum, per Fermentationem.

Diſp. Wirt. Hamb. Argent. Brand. & reliq.

℞. Florum roſarum, in mortario contuſorum, *libras duodecim.*
Sacchari, *libras duas.*
Fermenti panis, *libram ſemis.*
Aquæ fontanæ tepidæ, *libr. triginta.*

Stent in vaſe ligneo, donec fermentata odorem vinoſum ſpirent; deſtillentur poſtea e veſica, & ſpiritus rectificetur. Vid. JUNGKEN. *Chym. experiment.* pag. 148.

Laudantur eædem virtutes, quæ Spiritus Liliorum convallium.

Spiritus Salis Ammoniaci Aromatiſatus, Dekkeri.

Diſpenſ. Prag.

℞ Salis Ammoniaci triti & cribrati,
Tartari pulveriſati, *ana libram ſemis.*

Solvatur Sal Ammoniacum in Spiritus Vini, *unciis octo.*

Sal Tartari vero liqueſcat in Vini generoſi, *unciis duodecim.*

Quæ ſoluta Miſceantur, immittanturque Cucurbitæ, quibus ſequens pulvis craſſus addendus:

℞. Radicis Angelicæ, *unciam ſemis.*
Foliorum Menthæ criſpæ,
Majoranæ, *ana drachmas tres.*
Seminis Fœniculi,
Baccarum Juniperi, *ana unc. unam.*
Cinnamomi acuti, *unciam ſemis.*
Nucis Moſchatæ,
Croci Orientalis,
Origani Cretici, *ana drachmas duas.*
Spicæ Nardi,
Cardamomi majoris, *ana dr. unam.*

Quibus mixtis Capitellum cito imponatur, appoſitoque Recipiente, juncturis probe clauſis, fiat deſtillatio ex Arena, leni calore; donec omne Sal coagulatum fuerit ſolutum; & Spiritus Volatilis aromaticus prolectus, ſervetur bene clauſus.

Multum Commendatur hic Spiri-

tus aromaticus in Morbis præſertim chronicis, a Cauſſa frigida enatis; unde hypochondriacis, flatulentis & colicis affectibus opitulatur. Doſis ſit ad drachmam ſemis, & ultra. *Ceterum multum convenit hæc Compoſitio cum* Spiritu Salis Ammoniaci aromatico Edinburgenſium, *cujus ſupra exhibita fuit deſcriptio. Conf. & ſupra* Spiritus Aromatici.

Spiritus Salis Ammoniaci Aniſatus.

Diſpenſ. Prag. Wirt. Brand. & in rel.

℞. Salis ammoniaci in pulverem triti, *libram ſemis.*
Cinerum clavellatorum, *libr. unam.*
Seminis aniſi, *uncias tres.*
Spiritus vini non dephlegmati, *libras quatuor.*

Miſceantur & deſtillentur ex cucurbita, vitrea atque proliciantur liquoris oleoſi volatilis, *libræ duæ ſemis.*

Serventur in vitro probe clauſo.

Pectoris infarctu pituitoſo reſolvendo tonum pulmonum roborando, decubitum humorum prohibendo, & flatibus diſcutiendis, egregium eſt remedium. Præterea quoque non parum valere videtur ad lumbricos & alia tetra animalia in inteſtinis latentia ejicienda, ut ſingulari exemplo fœminæ cujusdam, quæ illius ope, complures ranas ventre excluſit, probat SCHULZIUS, *in* Præl. *pag.* 331. *ubi plura de hoc Spiritu, lectu digna.*

Doſis guttæ decem, ad quadraginta.

Spiritus Salis Ammoniaci Aromaticus Pharmacop. Edinburg. pag. 43.

Diſp. Wirt.

℞. Radicum Angelicæ,
Galangæ,
Summitatum Majoranæ,
Roriſmarini,
Corticum Aurantiorum,
Citri, vel Limon.
Cinnamomi, *ana drachmas ſex.*
Caryophyllorum,
Nucum moſchatarum,
Macis, *ana drachmas tres.*

Inciſis & contuſis affunde Spiritus vini non dephlegmati, *libras tres.*

Digerantur per triduum, poſtea addantur cinerum clavellatorum,
Salis ammoniaci, *ana unciæ quatuor.*

Deſtillentur leni igne ex cucurbita vitrea ad dimidias.

Vires celebrantur cephalicæ, ſtomachicæ, carminativæ, nervinæ. Externe etiam odoratui inſervit, & ſpiritibus nervinis, pro frictione membrorum paralyticorum, additur. Convenit in multis, cum notiſſimo illo ſic dicto, volatili oleoſo Sylvii Sale, cujus deſcriptio ſupra, ſuo loco, habetur: item cum Spiritu volatili aromatico oleoſo, cujus compoſitio ex Pharmac. Pariſ. *infra dabitur. Ceterum ſimilis fere compoſitio, ſub Tit. Salis Volat. Oleoſ. Sylv. extat in* Diſp. Argent. *quæ plurimum differt ab aliis ejusdem Salis Sylviani deſcriptionibus, ut ſuo loco notatum. Vid. &* Diſpenſat. Vienn.

Doſis a guttis quindecim ad quadraginta in vehiculo aquoſo.

Spiritus Salis Ammoniaci Chalybeatus.

Pharm. Batean. pag. 151.

Diſpenſ. Prag

℞. Ex Capite mortuo Florum Salis Ammon. martiatorum, *quantum vis;*

quod aëri prius aliquandiu expoſitum, deſtilla deinde, per Retortam, ſecundum Artem.

Omnes obſtructiones tollit, Menſes & urinam provocat: Sudorificus etiam cenſetur.

Doſis eſt a guttis quinque, ad decem, quindecim, & ultra, ubi opus, in convenienti Vehiculo.

Spiritus Salis Ammoniaci.
Succinatus, *ſive* Eſſentia Succini, Spiritu Salis Ammoniaci Extracta.

Diſp. Wirt. Brand. & in paucis aliis.

℞ Succini flavi odorati, *uncias duas.*
Pulveriſato affunde
Spiritus Salis Ammoniaci vinoſi, *uncias ſex.*

Digerantur in vitro probe clauſo, in loco tepido, per aliquod tempus; poſtea clarum a ſpiſſo, per inclinationem ſeparetur & ſervetur.

Nobile ac egregium eſt cephalicum, anticatarrhale, ſtomachicum, anthyſtericum & diureticum. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 332.

Doſis guttæ quindecim, ad quadraginta.

Spiritus Salis Ammoniaci
Tartariſatus.

Pharm. Batean. pag. 151.

℞. Salis Tartari,
Ammoniaci, *ana partes æquales.*

Quas cum triplo Aquæ Fontanæ, deſtilla ſecundum Artem.

Vires habet diureticas, diaphoreticas, & antilepticas, ut Spiritus Salis Ammoniaci ſimplex.

Spiritus Salis Ammoniaci
Volatilis, Urinoſus.

Diſp. Wirt. Brand. Leid.

℞. Calcis vivæ recens calcinatæ, *uncias duodecim.*
Salis Ammoniaci, *uncias quatuor.*
Aquæ fontanæ, *libras duas.*

Calci vivæ & ſali ammoniaco, ſingulis ſeorſim in pulverem redactis, & cucurbitæ vitreæ immiſſis, ſuberfundatur aqua fontana, & juncturis, impoſito alembico, probe lutatis, ſtatim leni igne inſtituatur deſtillatio, & ſpiritus unciæ octo proliciantur, qui in vaſe optime clauſo ſervandus.

Penetrantior eſt illo, cum ſpiritu vini deſtillato, & conſervari vix poteſt. Præcellit virtute diuretica præcedentem vinoſum.

Uſus ut plurimum eſt externus, ad excitandos ſopore profundo ſepultos; naribus epilepticorum etiam admovetur, ſub ipſo paroxyſmo; additur ſpiritibus nervinis, ad membra paralytica fricanda: adhibita tamen cautione, ne in tenerioribus præſertim ſubjectis, cutim exulceret. Vid. SCHULZ. *pag.* 332.

Spiritus Salis Ammoniaci
Volatilis Vinoſus.

Diſp. Wirt. Brand.

℞. Salis Ammoniaci in pulverem triti, *libram ſemis.*
Cinerum clavellatorum, *libr. unam.*

Immittantur cucurbitæ vitreæ atque affundatur
Aquæ fontanæ, *libra ſemis.*
Spiritus vini rectificati, *libra una.*

Alembico ſuperimpoſito & juncturis probe lutatis, deſtillentur lento igne, ex arena, & ſpiritus volatilis

prodeuntis circiter unciæ decem vel undecim colligantur.

Eſt ſal volatile liquidum, urinoſum, puriſſimum, & in morbis partium ſolidarum, ab atonia ortis, ſcopo tonico, bonam præſtat opem, egregium eſt diureticum & reſolvens: Sed caute & parce eo utendum eſſe, exemplo triſti docet RIEDLIN. Lin. Med. *An.* 1696. *Menſ. Aug.* Obſ. 13. *pag.* 379. *ſq. Conf. omnino* BOERHAAVE Elem. Chem. *T. II. pag.* 293.

Datur interne a guttis viginti, ad triginta; externe ad reſolvendum, cum aliis nervinis ſpiritibus mixtus, dolentibus partibus illinitur.

Additis oleis deſtillatis, varia ſalia volatilia, ſic dicta oleoſa, ex tempore parari poſſunt.

Spiritus Salis Coagulatus Mynſichti, pag. 26.

Diſp. Hamb. Wirt.

℞. Salis abſinthii, *uncias duas.*
Spiritus Salis, *unciam unam.*

Evaporentur mixta in vitro ad ſiccitatem.

Ad ſalium neutrorum naturam accedit, & virtutes habet diureticas reſolventes: Sed longe plures ipſi tribuuntur in Pharm. Batean. *p.* 151. *ex* Mynſichto *repetitæ.*

Spiritus Salis Communis Acidus.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Hamb. Argent.

℞. Salis communis decrepitati, *libras duas.*
Terræ figulinæ, *libras ſex.*

Miſceantur, addita aquæ ſufficiente quantitate, ut globuli exinde formari poſſint, qui exſiccati retortæ loricatæ indantur, & igne gradatim adhibito, in vas recipiens amplum, deſtillatio inſtituatur, quouſque nulli amplius ſpiritus, ſub nebularum forma comparentes, egrediantur. Liquor deſtillatus rectificetur.

Quæ de concentrato mox dicentur, hic etiam locum habent.

Spiritus Salis Communis Concentratus, *ſive* Glauberianus.

Diſpenſ. Wirt. Brand.

Vid. BOERHAAVE Elem. Chem. *T. II. pag.* 355. *ſqq.* CHARAS & *al. Chem.*

℞. Salis communis, *libram unam.*
humectetur
Aquæ fontanæ, *unciis octo.*

Immittatur cucurbitæ vitreæ, atque ſucceſſive ſuper affundantur
Olei vitrioli, *unciæ quatuor.*

Superimpoſito alembico & juncturis optime clauſis, leni igne arenæ inſtituatur deſtillatio. Spiritus prolectus fumans, volatilis, e cucurbita rectificari poteſt, & in vitro, epiſtomio vitreo clauſo, aſſervari.

Reſiduum ſal, eſt ſic dictum SAL MIRABILE GLAUBERI. de quo ſupra ſuo loco.

Genuinus eſt hic ſpiritus ſalis, & brevi compendio paratur, acidiſſimi ſaporis eſt, & ſubtiliſſimus, cum ex vitro aperto omnis exhalet, & conclave vapore albo repleat.

Virtute gaudet refrigerante & diuretica; additur julapiis, appetitum excitat, cruditates bilioſas præcipitat, alvum & urinam movet. Pectori inimicus eſt, nec etiam, ubi ſuſpicio ulceris renum adeſt, adhiberi debet. Vid. STAHL.

Mat. Med. *Part. I. pag.* 204. *ſqq.* CARTHEUS. *pag.* 63. *ſq.* SCHULZ. Prael. *p.* 332. *& inprimis Cl.* POTT. *&* NEUMANN. *de* Sale Communi.

Dari poteſt a guttis tribus, ad octo, in vehiculo aquoſo copioſo.

Spiritus Salis Dulcis.

Diſp. Wirt. Brand. & rel. vid. Chem.

℞. Spiritus Salis concentrati, *unciam unam & ſemis.*

Vini rectificatiſſimi, *unc duodecim.*

Digerantur, poſtquam ſpiritus ſalis vini ſpiritui ſucceſſive inſtillatus eſt, per aliquot dies, in vaſe probe clauſo, & poſtea deſtillentur e cucurbita, atque aliquoties cohobentur.

Spiritus nitri & vitrioli, cum ſpiritu vini alembicum tranſcendunt, atque ſic dulcificantur; ſpiritus ſalis vero cum ſpiritu vini quidem non evehitur, veruntamen illum notabili acido ſapore inficit.

Aperitivus, ſtomachicus & diureticus eſt.

Datur a guttis triginta, ad quadraginta.

Spiritus Salis Martialis.

Pharm. Bat. pag. 151.

℞. Salis gemmæ, *partem unam.*

Martis, *partes duas.*

Deſtillentur per Retortam, lege Artis.

Diureticus eſt & valde aperitivus:

Doſis ſit a guttis quinque, ad guttas quindecim, & ultra.

Spiritus Salutis Maxvelli.

JUNGKEN. *Corp. Pharm. pag.* 991. *Tab. Smaragd. pag.* 385.

℞. Spiritus Vini generoſiſſimi, *libr. un.*

Foliorum Sennæ ſine ſtipit. *uncias duas.*

Jalappæ reſinoſ. *unciam unam.*

Hellebori nigri præparati, *drach. ſex.*

Olei ſtillatit. Fœniculi,

Aniſi, *ana guttas ſex, aut ultra.*

Folia Sennæ & Helleborus contundantur: Jalappa autem minutim incidatur, & macerentur omnia per dies quatuordecim: Tunc vero exprime, & adde iterum tantum novarum ſpecierum; quantum prius addidiſti, &, ut prius, procede: digeſtione repetita, & Colatura facta, ſi placeat, adhuc ſemel adde novas Species, &, ut prius, negotium tracta: Tunc Spiritum expreſſum & colatum, pro uſu, probe aſſerva. *Doſis eſt ab uncia ſemis, ad unciam unam.*

Eſt proprie Spiritus catharticus, qui alvum ſubducit, atque inde ad Elixiria ſic dicta proprietatis pertinet, quorum ſupra aliquot deſcriptiones dedimus. An vero ſplendidum ac magnificum illum Salutis *Titulum proinde jure mereatur: alii æqui iudices candide pronuncient. Mihi certe in Helleboro præſertim, parum ſalutis repoſitum videtur, ut jam ſupra paſſim in hoc opere, a me monitum fuit.*

Spiritus Sambuci Compoſit. Blochwitii.

Anatom. Sambuci, Sect. III. p. 226.

℞. Corticis mediani Sambuci, *unciam unam.*

Radicum dictamni albi,

Ariſtolochiæ rotund. *ana dr. tres.*

Foliorum Sambuci ſiccator. *manipul. unum.*

Herbarum Artemiſiæ rubræ,

Meliſſophylli fragrantis, *ana manipul ſemis.*

Antheræ Lilior. albor. *drachm. duas.*
Spongiolarum Sambuci mundator. *No. tres.*

Inciſa infunde in ſpiritus Sambuci Quantitatem juſtam, ut nimirum altitudine palmæ transverſæ, ſuperemineat. Stent deinde in Infuſione, per decem dies, indies bis agitata. Poſtea deſtillentur in Balneo, pro Spiritu Sambuci compoſito, ſeu hyſterico.

De quo in Paroxyſmo, integrum, vel dimidium cochleare exhibe, eodemque ventrem inferiorem fricando, inunge. Sic intus & extra multum proderit hic Spiritus ſambucinus hyſtericus, qui & antepilepticus dici meretur.

Spiritus Sambuci Florum.

Ad normam Spiritus lavendulæ deſtillatur. Vid. BLOCHWITII *Anat. Sambuci.*

Eſt bezoardicæ & anodynæ virtutis.

Datur a drachma una, ad unciam ſemis.

Spiritus Scelotyrbicus, *ſeu* Antiſcorbuticus.

Diſpenſ. Brand.

℞. Herbarum recent. Cochleariæ,
Trifolii paluſtris,
Beccabungæ, *ana manip. tres.*
Naſturtii aquatici,
Nummulariæ, *ana manip. duos.*
Perſicariæ,
Rutæ, *ana manip. unum ſemis.*
Radicum, Raphani marini recentis,
Ari recentis, *ana unc. unam ſemis.*
Seminum Aniſi mundati, *unc. ſemis.*
Cochleariæ, *drachmas duas.*
Corticum Citri exteriorum recentium, *drachmas ſex.*

Conciſis & Conquaſſatis affunde Spiritus Baccarum Sambuci, per Fermentationem parati, quantum ſufficit ad eminentiam quatuor digitorum: Digere triduum, vel quatriduum, vaſe bene obturato: Tandem leni Calore Arenæ, aut Maris Balnei, Spiritum evoca, in vaſe optime clauſo, futuris uſibus ſervandum.

Paullo acrior eſt hic ſpiritus, quam ſuperior antiſcorbuticus; haud ſcio, an melior, & ad rei ſummam valde proficuus: Si experientiam magis conſulas; quam hypotheſes, quas docti Viri ad Syſtema Scorbuticum fundandum, ſubſtraverunt. Ita docte & prudenter, ut ſolet, hic commentatur Cl. SCHULZIUS, *in* Prælect. *pag.* 334.

Spiritus Serpilli.

Paratur ad modum ſpiritus Meliſſæ, Menthæ, &c.

Virtute gaudet diſcutiente, anodyna, & ut plurimum externe in affectibus rhevmaticis & arthriticis commendatur. Vid. SCHULZ. Prælect. *p.* 334.

Spiritus Stomachicus Mynſichti.

Theſaur. Pharm. pag. 281.

℞. Cinnamomi electi, *uncias quatuor.*
Galangæ minoris,
Seminis Aniſi, *ana uncias duas.*
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ, *ana unciam unam.*
Menthæ Cryſpæ,
Roriſmarini, *ana unciam ſemis.*
Calami aromatici,
Zingiberis albi,
Roſarum rubrarum, *ana drach. duas.*

Craſſiuſcule contuſa & mixta, infundantur in

Spiritus Vini ſimplicis, *libris octo.*

Et poſt debitam digeſtionem, Balneo Mariæ deſtillentur: poſtea Spiritus evocatus vel Saccharo canto albo, vel Miva Cydoniorum, edulcoretur. *Doſis eſt Cochlear unum, vel alterum.*

Uſus ex inſcriptione jam patet, magis tamen ex ipſis ingredientibus aromaticis & orecticis. Ipſe Mynſichtus *inventor, innumeras pæne virtutes, pro more, huic ſuo pullo quaſi, larga manu tribuit; interque illas præſertim, quod viſum & mentem acuat, oblivionem deleat, & canitiem retardet. Unde, ſi hæc forſan vera ſint, quod ipſi experientiæ relinquitur,*

Nil majus generatur ipſo.

Vid. & TENTZELII Exegeſ. Chymiatr. *pag.* 642. *ubi ſimilis fere Spiritus ſtomach. habetur.*

Spiritus Sulphuris per Campanam.

Diſp. Wirt. ex BOERHAAVE Elem. Chem. *Tom. II. p.* 367. *ſqq. Brand.*

Funditur ſulphur citrinum, vel, ſi haberi poteſt, griſeum in olla figulina, tres pollices alta & quatuor lata; vaſculum hoc, ſulphure fuſo, ponatur ſub camino, qui fumum perfecte ſurſum dirigit, emittit. Incendatur ſulphur, atque ſtatim ſuperponatur campana magna vitrea, quæ antea ſupra vaporem aquæ calidæ fuit detenta, ut ſuperficies ejus interna ſubhumida ſit; campana vitrea formam habeat alembici, ut per ejus roſtrum ſpiritus in vas recipiens adpoſitum deſtillare poſſit, ita etiam diſponatur, ut lateribus in triangulum poſitis innitatur, & aëris tantum admittat, ut flamma non extinguatur. Tali modo, multiplicatis campanis, & novi ſulphuris repetita accenſione, colligitur liquor acidus flaveſcens. Melius ſuccedit operatio noctu & diebus frigidis, pluvioſis, quam ſereno tempore. Nulla quidem inter ſpiritum ſulphuris & ſpiritum vitrioli eſt differentia, & plerumque ſpiritus vitrioli a deſtillatoribus pro Sulphuris ſpiritu venditur; deſtillatio per campanam etiam non ſolum tædioſa, ſed & pretioſa eſt, & magno cum ſulphuris diſpendio fit, libra integra enim vix ultra drachmas duas acidi concentrati exhibet; attamen, quia nonnulli vim quandam ſpecificam in ſpiritu ſulphuris quærunt, in eorum gratiam celeberrimus STAHLIUS in *Opuſcul. Chym. Med.* pag. 247. ſqq. & *Experim. Chym.* 50. pag. 75. aliam methodum faciliorem, & quæ copioſiorem ſpiritus quantitatem elargitur, tradit: jubet, eum in finem, lintea ſolutione ſaturata ſalis alcali madefieri, atque ſulphure incenſo, in vaſe ad hunc laborem adaptato, perfumare; ſic alcali acidum ſulphuris avide attrahit, & cum illo in ſal abit neutrum. Cui, mediante aqua fontana, e linteis extracto, & ad ſiccitatem fere inſpiſſato, ſuperfunditur oleum vitrioli, & per retortam, leni igne, ſpiritus volatilis ſulphuris expellitur; e reſiduo vero Tartarus vitriolatus parari poteſt. Aliam etiam faciliorem Spiritus illius acidi parandi Methodum propoſuit HOMBERGIUS, in *Act. Reg. Scient. Acad.* Ann. 1703. pag. 31. ſqq. Vid. BOERHAAVE *Elem. Chem.* Tom. II pag. 368.

Inſervit ſpiritus ſulphuris uſibus chemicis; additur julapiis & potionibus, ut acido imbuantur ſapore, ad ſitim & calorem nimium temperandum.

Doſis

Doſis guttæ tres, vel plures, pro aciditate ſpiritus.

Spiritus Tartari Simplex.

Diſp. Wirt. Brand.

℞. Tartari depurati, *quantum vis.*

Imple illo duas tertias retortæ, ac ex arena in recipientem ſatis capacem, probe adaptatum ac lutatum, primo moderato, poſtea gradatim aucto igne, ſpiritus omnes, una cum oleo fœtido, deſtilla; ſpiritum ab oleo, mediante charta emporetica duplicata, humectata, ſepara, ac utrumque per ſe, e cucurbita, rectifica.

Sal Tartari in reſiduo calcinato quære, & ut artis eſt, ſolvendo elue, coagula & depura.

Multi rectificationem ſpiritus Tartari diſſuadent; quod vi ſua ex parte privetur; ſi vero oleum charta emporetica ab illo ſeparatur, & ſpiritus e retorta ad ſiccitatem abſtrahitur, fœtorem non ſolum deponit, absque ulla virium ſuarum jactura, ſed & penetrantior evadit. Vid. ZOBELII & *Angeli* SALAE *Tartarologia*, ubi plura.

Incidit, attenuat, reſolvit, ſudorem atque urinam movet, in colica, menſibus retentis, paralyſi, ictero, & hydrope conducit. Sed longe plures Virtutes ipſi tribuit laudatus Angel. SALA, *in* Tartarologia, *Sect. I. Cap. I. pag.* 136.

Doſis a ſcrupulo uno, ad duos.

OLEUM TARTARI FOETIDUM, quod ſimul acquiritur, raro, ob fœtorem, in uſum vocatur; potens tamen eſt reſolvens, unguentis ad ſcabiem addi poteſt, mulieribus hyſtericis pro odoratu convenit.

***

Spiritus Tartari Compoſitus Angeli Salae,

Tartarolog. pag. 130.

℞. Spiritus Tartari ſimplicis,
Aquæ vitæ juniperinæ, *ana libras duas ſemis.*
Theriacæ Andromach. optimæ, *uncias quatuor.*
Camphoræ reſin. *unciam ſemis.*
Oleorum Radicis Carlinæ,
Petaſit.
Angelicæ, *ana drachm. ſemis.*

Camphora primum, & Olea, cum Theriaca, in Mortario, optime mixta, in Cucurbita ſatis ampla, ac, ne quid expiret, probe clauſa, ſuperfuſis Spiritibus, lentiſſimo ignis calore, per octiduum, digerantur. Dein Liquor hic ad ſiccam Theriacæ infundo, Remanentiam, in Balneo Mariæ deſtilletur: Spiritui vero egreſſo permiſceatur

Spiritus Nitri correcti, *uncia ſemis.*
Croci orientalis, *drachma dimidia.*

Ad colorem nempe aureum inducendum: ſicque optime ad uſum ſervetur, *qui eſt alexipharmacus, diaphoreticus & cardiacus.*

Spiritus Tartari Volatilis.

Videatur
Sal Volatile Tartari.

Spiritus Terebinthinæ.

Diſp. Brand. Wirt. & reliq.

℞. Terebinthinæ claræ, *libras duodecim.*
Affuſis, in veſica cuprea,
Aquæ fontanæ, *libr. quadraginta octo.*

Deſtillentur; ſic prodit, una cum aqua, oleum æthereum Terebinthinæ clarum, quod ab aqua ſeparan-

dum, & propter ſubtilitatem, Spiritus Terebinthinæ vocatur.

Reſiduum in veſica exhibet TEREBINTHINAM COCTAM: Vel ulteriori coctione, absque aqua, lento igne inſtituta, brunnum colorem induit, & tunc COLOPHONIUM nuncupari ſolet.

Interne in gonorrhœa & ſcopo diuretico, ad paucas guttas, quinque vel duodecim, datur; externe ad puncturas nervorum, tendinum, vulnera, & hæmorrhagias ſiſtendas, calide applicatur. Lumbricos quoque pellit, umbilico inunctus, ubi prius cum ſucco Abſinthii, per æneam Retortam, deſtillatus fuit, teſte BARTHOLINO, Epiſt. Med. 54. *Cent. IV. pag.* 347 *quid & ibidem obſervat, calculos ab ipſo pariter propelli, ſi ſine adjecto Abſinthii ſucco, regioni Renum externæ applicatus fuit. Sed neſcio, quam vere.*

Spiritus Theriacalis.

Diſp. Wirt.

℞. Radicum Angelicæ,
Imperatoriæ,
Serpentariæ Virginianæ,
Zedoariæ, *ana unciam unam.*
Herbarum ſcordii, *uncias duas.*
Corticum citri,
Baccarum juniperi,
Myrrhæ rubræ, *ana unciam unam.*
Croci Orientalis, *unciam ſemis.*
Theriacæ Andromachi, *libram ſemis.*
Spiritus vini ſimplicis, *libras ſeptem.*

Radices, herbæ & reliqua, pulveriſata ſpiritu vini infuſa, digerantur, per triduum, quibus additur theriaca, & lento igne libræ quatuor ſpiritus abſtrahantur.

Cui, pro lubitu, ad unciam unam, camphoræ ſcrupulus unus additur, & tunc vocatur SPIRITUS THERIACALIS CAMPHORATUS. Cujus deſcriptionem habes in *Pharm. Batean* p. 152. & *Diſp. Prag.*

Eſt alexipharmacus, ſudorifer & anodynus. Datur a guttis triginta, ad ſeptuaginta quinque. *Ingreditur mixturam ſimplicem. Externe, ob pretium, raro adhibetur, cum ſpiritus vini camphoratus eadem præſtet.*

Spiritus Theriacalis Laxans.

Diſpenſ. Argent.

℞. Aloës puræ, *unciam unam.*
Agarici, *unciam ſemis.*
Rhabarbari veri,
Radicis Gentianæ, *ana drach. duas.*
Myrrhæ, *drachmam unam ſemis.*
Croci Orientalis, *drachmam unam.*
Theriacæ Andromachi, *drach. duas.*
Spiritus Vini rectificati, *libras duas.*

Miſce, extrahe, lege Artis, addendo ſaturatæ Extractioni Theriacam; digerendo per quatuordecim dies, calore blando Solis, vel fornacis, interdum vas agitando.

Commendatur potiſſimum tempore nebuloſo, maligno & peſtifero, prophylaxeos fine, ad guttas viginti, triginta, & ultra. Laudatur & in Morbis ſtomachi, cruditatibus & flatibus, ad cochlear dimidium, vel integrum, & paullo ultra.

Spiritus Theriacalis

Mynſichti, p. 285.

℞. Theriacæ Venetæ, *uncias quatuor.*
Radicum Angelicæ,
Enulæ campanæ,
Hirundinariæ,
Diptamni albi,

Morſus diaboli,
Serpentariæ,
Pimpinellæ,
Tormentillæ,
Valerianæ,
Zedoariæ,
Semin. Citri, *ana unciam unam.*

Miſc. Fiat omnium pulvis; cui affund. Spiritus vini ſimpl. libras octo: digerantur per quatuordecim dies; poſtea Balneo Mar. deſtill. & ad uſum ſerva antilœmicum.

Spiritus Trifolii Fibrini.

Eodem modo parari poteſt, quo ſpiritus cochleariæ evocatus fuit.

Eſt antiſcorbuticus, & pro conficienda eſſentia ſervatur.

Spiritus Urinæ.

Videatur SAL VOLATILE URINAE, ubi ſimul modus, ſpiritum deſtillandi, docetur.

Uſibus nonnullis chymicis inſervit; in medicina easdem virtutes, quas Spiritus cornu cervi, habet.

Doſis guttæ viginti quinque, ad quinquaginta.

Spiritus Uterinus.

CHARAS, *Pharm. Reg. T. II. p.* 561.

℞. Radicum Ariſtolochiæ longæ,
rotundæ,
Pæoniæ,
Valerianæ minoris, *ana unc. duas.*
Caſtorei, *unciam unam.*
Summitatum ſiccarum Abſinthii,
Artemiſiæ,
Tanaceti,
Matricariæ,
Florum Sambuci,
Chamomillæ, *ana manip. unum.*

Inciſ. & Contuſ. macerentur per triduum, in
Spiritus Vini rectificati, *libr. quatuor.*

Secundum Artem, Spiritus ad uſum ſervandus, deſtillatione eliciatur.

Spiritus hic reſolvit, aperit, & uſque in minima corporis vaſa facile penetrat. Multum efficaciæ habet in morbis uterinis, atque obſtructiones hinc inde ortus, tollit. Doſis ipſius eſt ab una drachma, uſque ad tres, in aquis, aut decoctis uterinis: *Uſus quoque ejus eſt externus, dum naribus admovetur, aut temporibus, itemque umbilico applicatur. Sic ergo intus & extra prodeſt.*

Spiritus Uterinus.

HOFFMANN. *Theſaur. Pharm. p.* 102.

℞. Radicum Zedoariæ, *libras tres.*
Angelicæ, *libram unam.*
Herbæ Meliſſæ recent. *manipulos quatuor.*

Infunde hæc in
Vini optimi, *libris octo.*

Deſtilla ac rectifica, pro lubitu, ſuper Caſtoreum, & uſui hyſterico ſerva.

Spiritus Uterinus, *ſeu* Hyſtericus, Burrhi.

℞. Gummi Ammoniaci,
Bdellii,
Opopanacis,
Galbani,
Sagapeni,
Myrrhæ, *ana unciam unam.*
Camphoræ, *drachmas duas.*
Spiritus Vini optimi, *uncias viginti.*

Infundantur, & lege Artis, deſtillentur.

Vid. Tabul. Smaragd. *pag.* 380.

Alium vero Spiritum Uterinum, *ſeu* Hyſtericum Blochwitii, *vid. ſupra ſub Tit.* Spiritus Sambuci Compoſitus Blochwitii.

Spiritus Uterinus.

JUNGKEN. *Med. Sæcul. accommod. pag.* 736.

℞. Radicum Angelicæ,
Zedoariæ, *ana libras duas.*
Herbarum Meliſſæ recent. *manip. ſex.*
Pulegii,
Leviſtici, *ana manip. quinque.*
Inciſa infunde deinde cum
Vini generoſi, *menſuris tribus.*
Tum lege Artis deſtilla, & rectifica.

Parum differre hunc ipſum Spiritum Jungkenianum a præcedenti Hoffmanniano, per ſe patet: additis quippe ſolum Herbis Pulegii atque Leviſtici, in iſto deſideratis, & forſan etiam compendii gratia, deſiderandis; quoniam ſola Meliſſa idem præſtat Virtute ſua balſamica & aromatica, ac pulegium & Leviſticum ſimul, ceu notiſſimum.

Spiritus Uterinus Zwelferi.

℞. Radicum Valerianæ,
Zedoariæ, *ana unc. unam ſemis.*
Allii recentis, *drachmas ſex.*
Ceparum, *unciam unam ſemis.*
Herbarum Meliſſæ,
Menthæ,
Matricariæ,
Pulegii, *ana recent. unc. duas.*
Caſtorei opt.
Myrrhæ rubræ, *ana unciam unam.*
Galbani, *drachmas ſex.*
Camphoræ, *drachmas duas.*
Cinnamomi optimi,
Macis, *ana unciam unam.*
Caryophyllorum, *drachmas tres.*
Coriandri, *unciam ſemis.*
Craſſiuſcule inciſa & contuſa, infundantur in
Spiritus Juniperi, *libris duabus.*
Ceraſorum nigrorum,
Aquæ Florum Tiliæ, *ana libra una.*
Factaque digeſtione diebus aliquot, in Alembico Vitreo, deſtillentur ad ſiccitatem ſpecierum, capitello ejusque roſtro immiſſis, & ſpiritui tandem deſtillato immerſis
Croci Auſtriaci, *drachma una.*
Caſtorei opt. *drachmis tribus.*
Ligni Aloës, *drachmis duabus.*
Opii Thebaici correcti, *drachm. una.*

Servetur poſtea Spiritus ad uſum hyſtericum tam internum; quam etiam externum.

Spiritus Vini Camphoratus.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. Paris. & rel.

℞. Spiritus vini optime rectificati, *libram unam.*
Camphoræ, *drachmas ſex.*
Stent in digeſtione, paucarum horarum ſpatio, atque ſic a ſoluta camphora ſpiritum vini impraegnatum habebis.

Uſus eſt externus, roborat, congeſtiones dolorificas diſſipat, & in affectibus ſpaſticis bonum edit effectum. Quibus cautionibus vero in ambuſtione, eryſipelate & lymphæ congeſtionibus adhiberi debeat, nimis longum foret, hic commemorare; igitur lectorem ad practicos ablegamus. Vid. inprimis RIEDLINI Lin. Med. *Ann.* 1695. *Menſ. Januar. Obſ.* 8. *pag.* 13. *ſq.*

⁂

Spiritus Vini Rectificatus.

Vid. WEDELII *Diſſertat. de* Spiritu Vini.

E veſica cuprea, per alembicum ſtanneum, deſtillatur, & a phlegmate fœtido ſeparatur; & ſi delicatior, atque ab omni fœtore liber expetitur, denuo bis vel ter, addita tertia parte aquæ fontanæ, deſtillatur. *Diſp. Wirt. Brand. Prag.* & reliqua fere omnia.

Spiritus vini rectificatus ad ambuſta, ſugillationes, luxationes, & ad hæmorrhagias externe adhibetur; inprimis inſervit ad eſſentias & tincturas parandas.

Spiritus Vini Tartariſatus.

Diſp. Wirt. & in omnibus Diſp. aliis.

℞. Spiritus vini optime rectificati, *libras duas.*
Salis tartari probe depurati & ſiccati, *uncias quatuor.*

Miſce, & e cucurbita vitrea, juncturis exacte munitis, igne arenæ moderato deſtilla.

Inſervit extrahendis reſinoſis, Succini & Ambræ eſſentiis, nec non aliis uſibus chemicis & pharmaceuticis.

Spiritus Vitrioli Coagulatus Mynſichti.

Theſ. Pharm. p. 27. *& Pharm. Batean. pag.* 253.

Eadem methodo, qua ſpiritus ſalis coagulatus, paratur; loco ſpiritus ſalis, ſpiritum Vitrioli ſumendo.

Cum tartaro vitriolato convenit, & virtutes habet aperientes, reſolventes, incidentes atque diureticas, pluresque alias, ingenti Mynſichti præconio celebratas, item a Bateo.

***

Spiritus Vitrioli Diaphoreticus.

ANGEL. SALAE, Anat. Vitriol. Tract. I. pag. 368.

SCHROEDER. *Pharm. p.* 481. *Pharm. Bat. pag.* 153.

℞. Salis Tartari,
Cornu Cervi calcinati, *ana unc. duas.*
Spiritus Vitrioli vulg. *uncias ſex.*

Deſtillentur per Retortam, ad ſiccitatem. Liquori deſtillato adde Spiritus Vini æquale cum ipſo, pondus, & ſerva iſtum ad uſum.

Purificat ſanguinem, abigitque ſcabiem ac pruritum, aperit obſtructiones; ſudorem provocat in peſte, venenis, hydrope, Ictero, contracturis &c. Efficax quoque eſt in mundificandis pulmonibus. Doſis eſt a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis, in vino generoſo.

Circa ipſam hanc Compoſitionem monuit olim quædam Frid. HOFFMANNUS, *in* Clave Pharmacevt. SCHROEDER. *pag.* 361. *inprimis circa effœtum Cornu cervi uſtum, cujus loco, maluit potius Salem Cornu Cervi volatilem: non improbante* JUNGKENIO, *in* Corp. Pharm. *p.* 1022. *nec nobis improbantibus.*

Spiritus Vitrioli Dulcis.

Videatur

Liquor Anodynus.

De quo lepidam vid. Hiſtoriam apud STAHL. *Exper. Chym.* pag. 410. ſeqq.

Spiritus Vitrioli Philoſophicus.

Diſp. Brand. Wirt. Ratisbon.

℞. Aquam a præcipitatione & edulco-

ratione Mercurii vitæ, bibula colatam; infunde retortæ vitreæ, ac calore leniſſimo, primum phlegma omne ſuperfluum evapora, donec guſtu perceperis ſpiritum ſatis acrem, linguam tentantem; tunc admoto ac adaptato recipiente, & lutatis juncturis, igne pedetentim aucto, omnem ſpiritum, ad ſiccitatem usque, evoca.

Nihil minus, quam vitrioli ſpiritus eſt; potius ſpiritus ſalis communis vocandus eſſet: omnes enim ejus qualitates habet, & a ſale communi, quod in Mercurii ſublimati præparatione adhibitum fuit, ortum habet. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 339.

Spiritus Vitrioli Simplex.

Diſp. Wirt. Brand. Ratisbon. & rel. Vid. Chem.

Deſtillatur e vitriolo, ad albedinem calcinato, per retortam vitream loricatam, recipiente capaciſſimo munitam, cui aquæ quarta pars, reſpectu ponderis vitrioli, ad hoc opus aſſumti, inſit, igne aperto primum leni, tum aucto gradatim ac ſucceſſive igne ad candeſcentiam usque retortæ, donec omnes nebulæ ſimulque ſpiritus ceſſant. Tum recipientem caute ſepara, ocyſſime obtura; ſpiritus prolectos, e retorta vitrea, arenæ igne rectifica Vid. *Angeli* SALÆ Diſſ. de proprietate & uſu Spiritus Vitrioli, pag. 404. ſqq. *Opp.* & STAHL. *Mat. Med.* Part. I. pag. 208. ſqq.

Cum ſpiritu ſulphuris convenit, & iisdem uſibus deſtinatur. Conf. STAHL. *laud. Tract. de* Spiritu Vitriol. *in copia parando item de* peculiari ſpiritu ſulphuris, & Mat Med. *l. c.* SCHULZ. Præl. *pag.* 340.

Spiritus Volatilis Aromaticus Oleoſus.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Cortic. exteriorum exſiccatorum
Arantiorum,
Citreorum, *ana drach. ſex.*
Vanillæ Mexicanæ, *unciam ſemiſſem.*
Macis, *drachmas duas.*
Salis Tartari,
Ammoniaci, *una uncias quatuor.*

Tunde omnia, & ſimul inde in Matratium, quibus inditis deinde affunde:

Aquæ Cinnamomi hordeatæ,
Spiritus vini rectificati, *ana unc. quatuor.*

Digere per aliquot dies, vaſe bene obturato, identidem agitando. Poſthac mitte omnia in cucurbitam vitream, capitello & receptaculo inſtructam. Commiſſuras diligenter obſera. Deſtilla Balneo Maris. Prodiens Liquor in vaſe idoneo ſervabitur.

Convenit maximam partem, cum Sale ſic dicto volatili oleoſo Sylvii, de quo ſupra, ſuo loco, & ejusdem quoque eſt uſus: item cum Spiritu Salis Ammoniaci aromatico Edinburg. cujus ſupra deſcriptio habetur: nec non cum illa Liquoris oleoſi Sylv. Compoſitione, quæ exhibetur in Diſpenſat. Argent. *ut ſupra jam monuimus, ad dictam modo Deſcriptionem Spirit. Sal. Ammon. Aromat. Edinburgenſ. Vid. &* Diſpenſ. Vienn. *Conf. ſupra* Spiritus aromatici.

Spongiarum Toſtio.

Diſp. Wirt. & in reliq.

Fragmenta ſpongiarum in vaſe, operculo tecto, igne aperto torrentur, atque toſta in pulverem teruntur.

Expetuntur inprimis ad pulveres

ſtrumales; ſolæ raro vel nunquam dantur, niſi forſan ad urinam ciendam adhibere velimus.

Succinum Præparatum.

Diſpenſ. Wirt. & reliq. Diſpenſat.

Succinum in ſubtiliſſimum teratur pulverem, atque, addita aqua fontana, ſuper marmore, ſicut reliqua præparata, lævigetur.

Leniter adſtringit & calefacit; ad capitis & uteri affectus, catarrhos, & menſium vitia commendatur.

Doſis ſcrupulus unus, ad duos.

Succus Acetoſæ, Acetoſellæ, Berberum, Citri, Cydoniorum, Mororum, Rubi Idæi, &

alii defæcati, in vitro, collo anguſtiori prædito, ſuperaffuſſo oleo, in loco frigido aſſervantur.

Pro ſyrupis parandis aſſervari ſolent.

Sulphur Auratum Antimonii.

Diſp. Wirt. Edinb. Paris. Lugd. Brand.

Scoriæ Reguli antimonii ſimplicis, vel reſiduum a tinctura Antimonii, affuſa aqua ſimplicis fontanæ aut pluviæ ea quantitate, quæ ſufficere videtur, ſolvantur, & ſolutio per chartam emporeticam percoletur. Filtratæ huic ſolutioni ſeu lixivio in vitro, aut olla munda debite vitreata, inſpergatur acetum vini, unde præcipitabitur ingens ſulphuris quantitas, quæ, ope chartæ bibulæ, a lixivio ſeparetur. Huic liquori vel lixivio denuo acetum inſpergatur, & demittetur inde alius pulvis, aurantii coloris, quem, a lixivio ſeparatum, ſeorſim ſerva. Denique eidem lixivio iterum novum & multum acetum adde, & præcipitabitur pulvis leviſſimus, aurantio-pallidi coloris qui edulcorandus, & ſub inſcriptione SULPHURIS ANTIMONII TERTIAE PRAECIPITATIONIS, ſervandus. Vid. CARTHEUSER. *Elem. Chym.* p. 154.

Primæ præcipitationis ſulphur vim plerumque habet emeticam, & hinc rarus ejus uſus eſt.

Secundæ præcipitationis autem adultioribus.

Tertiæ vero etiam teneræ ætati præberi poteſt.

Inſignes ſunt vires hujus ſulphuris aurati, bene præparati, ad contumaces & chronicas affectiones, præſertim quæ ex ſtagnatione & corruptione lymphæ proveniunt; ad pertinaces nimirum glandularum rebelles tumores, ulcera inveterata, aliosque cutaneos morbos, interpoſito decocto diluente & ſanguinem depurante; ad aſthma porro convulſivum, catarrhos ſuffocativos, hemicraniam, febres intermittentes pertinaces, ſcabiem malignam, quin & parva ex lue venerea incommoda hoc pharmaco profligata eſſe, celeberrimus HOFFMANNUS *perhibet.* Singulari Diſſert *item in* Obſ. Chym. 6. *Lib. III. pag.* 292. & Not. *ad* Poter. *pag.* 388. *Conf.* SCHULZII Prælect. *ad* Diſpenſ. Brand. *pag.* 341. *ſq.* & ALBERTI Diſſ. *de* Sulphuris aurati Antimonii uſu medico, *quem tamen haud magni facere videtur* BOERHAAVE, Elem. Chem. *T. II. P. III. Proc.* 214. *pag.* 449. *majore vero in pretio habet, ob*

ſingulares potiſſimum effectus egregios, in febribus exanthematicis, Cl. CARTHEUSER. Pharmacolog. *pag.* 500. *& ſqq. diſſentiente tamen* STAHL. Mat Med. *P. I. Sect.* 8. *p.* 111. *ſq. Vid. &* LOESEKE, Mat. Med. *p.* 75. *& pag.* 231. *præſertim* GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. I. p.* 225. *ſqq. item* Cl. BRENDELII comment. *de* Sulphure aurato Antimonii non vomitorio. *Gœtting* 1757. *vid. & huc Cl.* KLEIN. Select. rat. Med. *pag.* 270. *ſqq. ubi diligenter de hoc Sulphure Ant. aurato, tractat.*

Augentur vires, ſi cum Mercurio dulci adminiſtratur; requiritur vero continuatus uſus, etiam ſi primis diebus nauſeam excitaſſe obſervatum ſit, tamen diebus ſubſequis nullam amplius ſtomacho moleſtiam faceſſit.

Doſis in tenera ætate, ſulphuris tertiæ præcipitationis, granum unum, duo, ad tria, in adultioribus ad grana ſex, vel ſcrupulum ſemis evehi poteſt.

Suppoſitorium Acre, Fortiter Stimulans, in Affectibus Soporoſis Frigidis Utile.

GAUB. *pag.* 432.

℞ Mellis coctu indurati, *unciam unam.*
Salis Ammoniaci, *drachmam ſemis.*
Scammonei, *ſcrupulum unum.*
Trochiſcorum Alhandal,
Radicis Ellebori albi pulv. *ana ſcrup. ſemis.*
Euphorbii, *grana duo.*

Miſceantur: Fiant ſecundum Artem, ſuppoſitoria No. duo, Oleo Caſtorei illinenda.

***

Suppoſitorium Anthelminticum.

BOERHAAVE, *Mat. Med. pag.* 235.
GAUB. *pag.* 431.

℞. Mellis cocti ad ſpiſſitudinem debitam, *uncias quatuor.*
Aloës, *unciam ſemis.*
Vitrioli Martis, *drachmas duas.*

Miſc. ſecundum Artem, parva ſuppoſitoria, verbi gratia, *granor. duodecim, aut quatuordecim, pro puero.* Serventur oleo demerſa, ne deliqueſcant. Applicentur poſt alvum exoneratam.

Suppoſitorium Compoſitum.

Diſp. Wirt. Brand. Ratisbon.

℞. Specierum Hieræ picræ, *unc. ſemis.*
Salis Gemmæ, *ſcrupulum unum.*
Mellis ad ſpiſſitudinem cocti, *uncias duas.*

Miſce, & fiant ſuppoſitoria, variæ magnitudinis.

Suppoſitorium ad Excitandum Hæmorrhoidum Fluxum.

GAUB. *de Form. pag.* 432.

℞. Aloës pulveriſ.
Salis Gemmæ, *ana ſcrupulum unum.*
Pulv. Colocynthidos, *grana quinque.*
Mellis, *quantum ſufficit.*

Coctu redigantur in Suppoſitorium.

Suppoſitorium *ſeu* Glans, ad Alvum Sollicitandam, pro Adulto.

GAUB. *pag.* 432.

℞. Salis communis, *drachmam ſemis.*
Saponis Veneti, *drachmam unam.*
Mellis coctu inſpiſſati, *quant. ſufficit.*

Miſc. Fiat Suppoſitorium, Oleo Abſin-

Abſinthii prius illinendum. Ceterum conf. ſupra, *Pulvis ad Suppoſitoria communis*, item *Globuli Carminativi Utechti.*

Suppoſitorium Mercuriale Aſcaridibus Neandis Aptum.

GAUB. *pag.* 431.

℞. Mellis ad craſſitudinem cocti, *unciam unam.*
Specierum Hieræ ſimpl. Galeni, *drachm. unam.*
Miſc. lege Artis fiat inde ſuppoſitorium, quod oblinatur Unguento Enulato, cum Mercurio, aut Mercurio cum Terebinthina extincto.

Suppoſitorium ad Siſtendum Nimium Hæmorrhoidum Fluxum.

Pharm. Batean. pag. 157.

℞. Cretæ puræ pulv. *quantum opus.*
Unguenti Popul. *quant. ſufficit.*
Ut fiat inde Maſſa dura, ſecundum Artem.

Refrigerat iſta, ſanguinemque ſiſtit hæmorrhoidum. Sed ejusmodi adſtringentia & ſtaltica, in fluxu hæmorrhoidali, prudentiſſime & parciſſime, & in ſumma tantum neceſſitate, adhibenda ſunt, ob metuenda hinc mala atrociſſima & poſtea plane immedicabilia, quæ latius recenſuimus, variisque funeſtis exemplis ex multis Auctoribus in medium prolatis, comprobavimus in Diſſert. noſtra *de* Veritate paradoxi Hippocratici *&c. pag.* 25. *ſqq. quæ, ſi tanti, videatur. Sed huc obiter.*

Suppoſitorium Stimulans.

JUNCKER. *Conſpect. Form. pag.* 112.

℞. Specierum Hieræ picræ, *dr. unam.*
Pulv. Agarici,
Colocynthidis, *ana drachm ſemis.*
Scammonii, *ſcrupulum ſemis.*
Miſc. Fiat cum Melle, quantum ſatis, ex Arte, Suppoſitorium.

Suppoſitorium contr. Vermes ſeu Anthelminticum.

JUNCKER. *Ibid.*

℞. Aloës pulv.
Myrrhæ,
Fellis Tauri inſpiſſati, *ana dr. unam.*
Extracti Tanaceti,
Abſinthii, *ana ſcrupul. unum.*
Miſc. Fiat cum ſufficienti Mellis Quantitate, lege Artis, Suppoſitorium.

Syrupus de Abſinthio Compoſitus.

Diſp. Lond. Brand. Wirt. Vienn.

℞. Abſinthii pontici ſicci, *libram ſemis.*
Florum Roſarum, *uncias duas.*
Nardi Indicæ, *drachmas tres.*
Infundantur inciſa in
Vini albi &
Succi cydoniornm, *ana unciis octo.*
Digerantur in loco calido per biduum, poſtea exprimantur;
Colaturæ, *unciis decem,* adde
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
Fiat ſyrupus, per pannum colandus.

Ventriculi & aliorum viſcerum, a cauſa frigida ortis, vitiis auxiliatur; cachecticis prodeſt, appetitum reſtaurat, flatus diſcutit, ictericis convenit.

Datur in potionibus & electuariis.

Syrupus Acaciarum Florum.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand & rel.

℞. Florum Acaciarum recentium, *libras duas.*

Infundantur in
Aquæ fontanæ ferventis, *libris duabus.*

Stent in digeſtione per noctem, in vaſe figulino vitreato, probe tecto, mane leviter exprimantur & colentur.
Colaturæ, *unciis novendecim.* adde
Sacchari albi, *uncias triginta duas.*

Fiat unica ebullitione ſyrupus, qui, per linteum colatus, ſervetur.

Vires habet alvum laxandi: laudatur anthelminticus & antinephriticus; datur etiam in epilepſia & tuſſi. Teneris a drachma una, ad drachmas tres; adultioribus ad drachmas ſex, vel unciam unam exhibetur. *Vid.* SCHULZ. *pag.* 344.

Syrupus Acetoſellæ & Acetoſæ.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Brand.

E ſucci depurati, *unciis decem.* &
Sacchari, *unciis ſedecim.*
ſemel ebulliendo, fiat ſyrupus.

Commendatur billioſis, atque ad ſitim caloremque reſtinguendos.

Syrupus Acetoſitatis Citri.

Diſp. Lond. Wirt. Ratisbon.

℞. Succi Citri, *uncias decem.*
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*

Fiat unica ebullitione ſyrupus, in vaſe vitreo ſervandus.

Julapiis & potionibus additur, ſitim & æſtum mitigat. Conf. infra, Syrupus Limonum.

Syrupus Adianti Fernelii.

Diſpenſ. Prag.

℞. Adianti albi, *manipulos tres.*
nigri,
Saxifragiæ,
Betonicæ,
Pimpinellæ,
Aſplenii, *ana manipulos duos.*

Coquantur ex Aquæ *libris octo,* uſque dum ad quinque redeant. Deinde in Expreſſo ſolvantur.
Sacchari albi, *libræ quatuor.*
Mellis optimi deſpumati, *libra ſemis.*

Fiat ex Arte Syrupus.

Omnes in quacunque Corporis parte, humores incidit, atque detergit, cuivis Morbo incipienti, omnique fere Naturæ, ætati & regioni conducens.

Syrupus de Agno Caſto.

Diſpenſ. Lond.

℞. Sem. Rutæ,
Canabis, *ana drachm. ſemis.*
Endiviæ,
Lactucæ,
Portulacæ,
Cucurbitæ,
Melonum, *ana drachm. duas.*
Pſyllii, *unciam ſemis.*
Agni Caſti, *unc. quatuor.*
Flor. Nenupharis,
Foliorum Menthæ, *ana manip. ſemis.*
Decocti, ex Lentium & Sem.
Coriandri, *ana ſemunc. lib. tres.*

Simul coque lento igne ad Exhalationem *librar. duar.* & colato Reſiduo adde
Succi Limonum, *uncias duas.*
Sacchari albi, *libram unam ſemis.*

Fiat Syrupus, ſecundum Artem.

Dicitur ſtimulos venereos vehementiores obtundere, frenosque placidos injicere libidini nimiæ; ſed quam vere; ii demum experiantur, qui tentigine forte rumpuntur. Conf. quæ ſupra dicta hac de ambigua re, ad Eſſent. Caſtitatis. *Interim non negandum, huic egregio ceteræ Syrupo ineſſe vim blandam refrigerandi,*

demulcendi, ſomnumque ſenſim reducendi: Inde in Nephritide, Calculo, Ardore Urinæ, ſtranguria, dyſuria, Iſchuria, pityriaſi, aliisque Veſicæ affectibus, ut & fœda Gonorrhœa, &c. ſperato ſucceſſu haud prorſus carebit.

Syrupus de Agreſta.

Diſp. Brand. Wirt. Argent.

℞. Agreſtæ, ſive ſucci uvarum, paulo antequam maturuerint, expreſſi, *libram unam ſemis.*
Sacchari albi, *libras duas.*

Coquantur, in vaſe figulino vitreato, ad juſtam ſyrupi conſiſtentiam.

Uſus eſt in febribus malignis, & virtute cum ſyrupo citri convenit. Additur mixturis & julapiis.

Syrupus de Althæa Fernelii.

Diſp. Prag. Argent. Hamb. Brand. Wirt.

℞. Radicum Althææ,
Graminis,
Aſparagi,
Glyzyrrhizæ,
Herbar. Althaeæ,
Parietariæ,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Adianti albi, &
nigri, *ana drachmas tres.*
Uvarum paſſarum mundatarum, *ana unciam ſemis.*
Cicerum rubrorum, *unciam unam.*
Inciſa coquantur ex
Aquæ, *libris quatuor.*
uſque dum, *unciæ viginti octo*
ſuperſint, deinde cum
Sacchari albi, *libris quatuor,*
fiat ex arte ſyrupus.

Commendatur ad urinæ ardorem in nephritide & tuſſi, a materia acri & ſalſa orta. Vid. ſupra Species de Althæa, & *infra* Syrupus de Ibiſco, *ſ.* de Althæa compoſitus.

Additur vel decoctis, vel cochleatim ſumitur, ad unciam unam & ultra.

Syrupus de Ammoniaco.

Diſp. Wirt. KLEIN. *p.* 274. *in rel. deeſt.*

℞. Gummi ammoniaci electi, *unc. duas.*
Solve in
Vini albi, *unciis decem.*
Solutioni admiſce
Sacchari albi, ad conſiſtentiam tabulati cocti, *uncias ſedecim.*

Agitentur, usque dum refrigeſcant. Syrupus aſſervetur.

Validiſſime incidit, detergit & purgat pulmones; eleganter confert inveteratis affectibus, a craſſa & lenta pituita ortis; in aſthmate ſpecifice conferre perhibetur. Ceterum alium Syrup. de Ammoniaco Compoſitum vid. in Diſpenſ. Lond. & *in aliis.*

Doſis per ſe uncia ſemis, drachmæ ſex, ad unciam unam.

Syrupus Antepilepticus Dn. d'AQUIN.

CHARAS, *Pharm. Reg. T. I. p.* 133.

℞. Viſci quercini,
Rad. pæoniæ maris, & ſeminis ejusdem, *ana uncias duas.*
Radic. Valerianæ majoris,
Angelicæ,
Imperatoriæ,
Iridis Florentinæ,
Dictamni albi, *ana unciam unam.*
Foliorum Betonicæ,
Rutæ,
Florum Lilii convall.

Tiliæ,
Lavendul. *ana manip. unum.*
Tartari albi Monſpel. pulv. *unc. unam ſemis.*

Inciſis incidendis, contuſis contundendis, digerantur in phiala chymica obturata, calore Balneo Maris, per viginti quatuor horas,
Aquæ Ceraſorum nigrorum,
Florum Tiliæ, *ana libris tribus.*

Tum Infuſionem cola & exprime: Colaturam coque cum Sacchari albiſſ. ſuff. quantitate, idque calore balnei: ſub finem adde:
Oleorum Cinnamomi,
Lavendulæ, *ana guttas duas,*

Saccharo prius exceptas. Ita fiat Syrupus.

Ipſe Titulus Virtutem indicat egregiæ hujus Compoſitionis. Sed non ſolum in ipſa dira Epilepſia prodeſt; verum & in aliis Cerebri & Nervorum affectibus variis, opitulatur.

Ceterum alium Syrupum antepilepticum non minoris forſan virtutis, a ſe compoſitum, exhibet Timæus *a* GÜLDENKLEE, *in* Deſcript. Medicament. *pag.* 907. *Plures vero alios diverſorum Auctorum* JUNGKEN. *in* Corp. Pharmacevt. *pag.* 1040.

Syrupus Anticauſticus.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Succi Sempervivi majoris, *uncias quatuor.*
Cancrorum fluviatilium,
Roris Vitrioli,
Aceti Roſati, *ana uncias tres.*
Mellis clarificati,
Sacchari albi, *ana libram unam.*

Coquantur ad Syrupi Conſiſtentiam.

In Febribus ardentibus, Linguæ ſiccitatem humectat, aſperitatem lenit, & æſtum contemperat.

Syrupus Antiſcorbuticus.

Diſpenſ. Paris.

℞. Foliorum Cochleariæ,
Beccabungæ,
Naſturtii aquatici,
Radicis Raphani ruſticani, *ana quantum ſatis* ad extrahendas Succi, *libras tres,* quibus deinde adde:
Succi aurantiorum amarorum, *uncias viginti.*
Cinnamomi pulverati, *drach. unam.*
Corticis exterioris Aurantior. amaror. *unciam unam.*

Omnia macerentur in Matratio rite obturato, per duodecim horas, identidem agitando, donec Succus depuretur, & vinoſum colorem adquiſiverit. Filtra.

℞. Hujus Succi depurati, *libras duas ſemis.*
Sacchari opt. *libr. unam ſemis,* vel *ſuff. quant.*

Fiat Syrupus Balneo Maris: cui refrigerato miſce
Spiritus Cochleariæ acuti, *unciam ſemis.*

Servetur uſui.

Qui erit plane eximius in Scorbuto, Scabie, Cachexia, Hydrope, ictero, item Chloroſi Virginum & fluore albo feminarum, &c. Ceterum conf. infra: Syrupus Scelotyrbicus, & Vinum Scorbuticum.

***

Syrupus Aperiens Anticachecticus, ejusdem d'Aquin.

Charas, *Pharm. Reg. T. I. p.* 144.

℞. Radicum Apii,
Fœniculi,
Petroſelini,
Rubiæ Tinctorum,
Ariſtolochiæ tenuis, *ana unc. duas.*
Folior. Artemiſiæ,
Abſinthii,
Agrimoniæ,
Pulegii,
Chamaedryos, *ana manip. unum.*
Rutæ, *manipul. ſemis.*
Epithymi,
Florum Matricariæ,
Chamomillæ,
Hyperici, *ana pugill. duos.*
Rhabarbari elect. minutim inciſi,
Folior. Sennæ mundat *ana unc. duas.*
Radicum Jalappæ,
Mechoacannæ,
Hermodactylorum,
Bryoniæ, contuſar. *ana unc. unam.*

Ex his ſelectis Speciebus anticachecticis & antiſcorbuticis, aceto ſcillitico prius irroratis, & loco calido per viginti quatuor horas, digeſtis, dein leni calore, in Aquæ ferratæ libris octo, usque ad quartæ partis conſumtionem, percoctis, denique colatis & expreſſis, ſacchariqne quinque libris adjectis, Fit lege Artis, egregius ille Syrupus aperiens anticachecticus, cujus præparationis uberiorem & exactiorem modum ibidem pluribus enarrat ipſe Cl. Charas, *a quo proinde petant, qui plenius cognoſcere avent. Nimis enim diffuſa nobis viſa fuit Tractatio, quam quæ huc traduceretur.*

***

Syrupus de Artemiſia.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Argent.

℞. Radicum Rubiæ tinctorum,
Ruſci, *ana uncias duas.*
Herbarum Artemiſiæ, *unciam unam.*
Pulegii,
Meliſſæ,
Dictamni Cretici,
Sabinæ, *ana drachmas tres.*
Florum hyperici, *drachmas duas.*
Seminis nigellæ, *unciam ſemis.*
Caſſiæ ligneæ, *unciam unam.*

Radices inciſas infunde in Aquæ fontanæ, *libris tribus*; macerentur per noctem, mane leniter ebulliant, ad colaturæ remanentiam librarum duarum, in qua infunde herbas & reliqua ingredientia, minutim inciſa; facta digeſtione per viginti quatuor horas, exprimantur; in Colaturæ, *unciis novem.* diſſolve Sacchari albi, *uncias ſedecim.* & per pannum colatus Syrupus ſervetur.

Potionibus additur, ac in menſium ſuppreſſione, & lochiorum imminuto vel plane ſuppreſſo fluxu utimur. Aliam Compoſ. copioſ. vid. in Diſp. Lond. & *aliam in* Groning. *pag.* 33. *&c.*

Doſis drachmæ ſex, ad unciam unam.

Syrupus Artemiſiæ Fernelii.

Diſp. Leid. le Mort. *Pharm. pag.* 71. *Paris. Amſtel.*

℞. Radicum Fœniculi,
Helenii,
Iridis,
Leviſtici,
Pæoniæ,
Rubiæ Tinctorum, *ana unc. ſemis.*

Herbarum Artemiſiæ, *manipul. duos.*
Betonicæ,
Calaminthæ,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Hyſſopi,
Hyperici,
Majoranæ,
Matricariæ,
Meliſſæ,
Nepetæ,
Origani,
Praſii,
Pulegii,
Sabinæ, *ana manipulum unum.*
Seminum Aniſi,
Dauci,
Fœniculi,
Nigellæ,
Ocimi,
Petroſelini,
Rutæ, *ana drachmas tres.*
Aquæ puræ, *pintas quatuor.*

Deſtillando, abſtrahantur, *unciæ quindecim*, in quibus poſtea rite diſſolve:

Sacchari albi, *libras duas, cum ſemiſſe.*

Coquantur in Syrupum, priori commiſcendum, & condiendum

Cinnamomi, *uncia una.*
Spicæ Indicæ, *drachmis tribus.*

Menſes movet, obſtructiones reſerat; Hyſtericis, Epilepticis & paralyticis apprime convenit.

Ceterum autem alium ejusmodi Syrupum de Artemiſia compoſitum, multo operoſioris & diffuſioris adhuc compoſitionis, vid. ſi placet, in Diſp. Brand. *ibique* SCHULZ. Prælect. *pag.* 346.

* * *

Syrupus Balſamicus.

Diſp. Wirt. Edinb.

℞. Julapii roſati, *libram unam*, vel *uncias duodecim.*
addantur
Eſſentiæ balſami Peruviani, *drachmæ quatuor.*
Mixta ſerventur.

Eſt ſtomachicus & vere balſamicus; prodeſt vulneratis, & ubicunque ſuſpicio ulceris interni eſt, ſine notabili tamen calore febrili; tuſſientibus & aſthmaticis conducit.

Doſis drachmæ tres.

Syrupus Balſamicus Tolutanus.

GEOFFROY, *Mat. Med. T. II. p.* 485.
Diſpenſ. Lond. & Edinburg. Leod.
FULLERI *Pharmacop. extemp. p.* 353.

℞. Balſami de Tolu, *uncias duas.*
Aquæ limpidæ, *uncias duodecim.*

Coque in vaſe clauſo, Balneo Arenæ, per duas, tresve horas. Colaturæ frigidæ admiſce deinde,

Sacchari albiſſ. ad Electuar. ſolid. conſiſtentiam cocti, *unc. viginti.*

Ex Miſtis ita Fiat lege Artis, Syrupus.

Qui apud Anglos præſertim frequentioris eſt uſus, præcipue in phthiſi, & ulceribus internis. Inprimis autem celebratur ad vulnera conſolidanda & a putredine defendenda, &c. ita Cl. Geoffroy, *qui & plura ibi habet in laudes meritas & ipſius Balſami Tolutani, & in Syrupi, ex hoc egregio Balſamo travmatico potiſſimum confecti. Conf. ſupra dicta Part. I. ad ipſum* Balſamum Tolutanum.

* * *

Syrupus Bellidis e Succo.

Diſp. Wirt. Argent. ubi nonnihil abit. in reliquis fere deeſt.

℞. Succi e tota planta bellidis minoris depurati, & ad dimidias evaporati, *uncias novem.*
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
Fiat, ſaccharum unica ebullitione, ſolvendo, ſyrupus, qui, per pannum colatus, ſervetur.

Prodeſt tuſſientibus, vulneratis, ad ſanguinem coagulatum reſolvendum ab alto lapſis, &c.

Syrupus Berberum.

Diſpenſat. Brand. Wirt. Argent.

℞. Succi berberum depurati, *uncias decem.*
Sacchari albiſſimi, *uncias ſedecim.*
Fiat ſyrupus.

Refrigerans eſt, ſitim & æſtum mitigat, & calidis in febribus imprimis convenit.

Syrupus Betonicæ.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Argent. & rel.

℞. Herbæ betonicæ recens ſiccatæ, *uncias quatuor.*
Inciſa macerentur in
Aquæ betonicæ deſtillatæ, *libra una.*
Poſt ſufficientem extractionem exprimantur, & in expreſſi unciis novem, diſſolve unica ebullitione
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
Syrupus, colatus per pannum, ſervetur.

Capiti dicata eſt betonica, vulneraria eſt & diuretica; leniter adſtringit, in calculo renum & veſicæ commendatur; ob vim adſtrictoriam & vulnerariam, etiam in lochiorum nimio, poſt partum, fluxu, adhibetur. Easdem virtutes etiam ſyrupus habet, & commode potionibus medicis additur.

Syrupus Borraginis.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. & reliq.

℞. Florum Borraginis recentium, *libram ſemis.*
Infunde in
Aquæ fontanæ ferventis, *libra una.*
Digerantur per noctem, exprimantur, & infuſi clarificati unciis novem adde
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
Fiat ſyrupus.

Adſcribuntur vires cor roborantes, antimelancholicæ & antimaniacæ.

Pari modo paratur

Syrupus Bugloſſi.

Cui tribuuntur vires eædem.

Syrupus Botryos.

Diſpenſ. Lond.

℞. Herbarum Botryos,
Eryſimi,
Urticæ, *ana manipulos duos.*
Tuſſilaginis, *manip. unum ſemis.*
Coque in Aquæ limpidiſſimæ ſuffic. quantitate, ad medias partes:
Colaturæ, *libris duabus.*
adde ſucci expreſſi raporum, clauſo vaſe in furno
Coctorum, *libram unam.*
Sacchari albiſſimi, *libras tres.*
Clarificata coquantur in Syrupum.

Egregium uſum præſtat in Tuſſi, raucedine, aſthmate, aliiſque pectoris morbis, a lenta potiſſimum pituita, mucoque tenaci obortis. Senſim enim viſcidos humores incidit, acres demulcet, &

ad expectorationem blande ſolicitat, ut vulgo quidem dici ſolet.

Syrupus Boyleanus.

FULLER. *Pharm. extemp. pag.* 354.

℞. Radic. Symphyti majoris, *uncias ſex.*
Herbæ plantaginis, *manip. duodecim.*
Contuſis exprimatur ſuccus, cui adde,
Sacchari, *pondus æquale.*
Et Fiat ſecundum Artem Syrupus.

Hoſpitem in Medicina, eum eſſe oportet, ita inquit ibi, ipſe Fullerus, *cui non innoteſcit, quam fortiter hic Syrupus Hæmoptoicis ſubvenire ſolent. Egregium hoc eſt magni* Boylei *Medicamentum ſua & ſimplicitate, & ſecuritate, & utilitate denique, juxta commendabile & amabile. Conf. infra,* Syrupus de Symphyto Fernelii, *qui majoris potius operæ, in componendo, quam opis, in juvando.*

Syrupus Brunellæ.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Succi herbæ brunellæ depurati, & ad dimidias lento igne evaporati, *uncias novem.*
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
Fiat ſyrupus.

Commendatur ad oris & faucium ulcera & inflammationes, aphthis medetur. Vid. BOERHAAVE Hiſt. Plant. *Tom. II. pag.* 241. ZORN. *pag.* 543.

Pari modo paratur

Syrupus Plantaginis Majoris.

Syrupus Bryoniæ.

Diſp. Wirt. Brand.

℞. Succi radicum Bryoniæ defæcati, *libram unam ſemis.*
Sacchari, *uncias triginta duas.*
Fiat, unica ebullitione, poſt ſacchari deſpumationem, ſyrupus.

Serum expurgat, potenter reſolvit; hinc hydropicis & aſthmaticis commendandus; ob inſignem amaritiem etiam vermibus aliis inſectis, atque beſtiolis, in corpore humano natis, adverſatur, menſtruum educit, & ad virginum morbos laudatur. Vid. SCHULZ. Præl. *p.* 347.

Doſis uncia ſemis, ad unciam unam.

Syrupus Byzantinus Simplex.

Diſp. Brand. Lond. Renod.

℞. Succorum recentium & per reſidentiam depuratorum,
Apii,
Endiviæ, *ana libras duas.*
Bugloſſi,
Lupuli, *ana libram unam.*
Sacchari, *libras quatuor.*
Coque, deſpuma, &, ut artis eſt, clarifica, denique ad inſtar Syrupi de Betonica, in Syrupum juſtæ conſiſtentiæ reduc.

Commendantur hi Syrupi a Meſue Auctore, potiſſimum ad Icterum, hepatis, lienis ac Meſenterii obſtructiones, item ad febres putridas, bilioſas, & phlegmaticas, ſolutu contumaces. Vid. SCHULZII Prælect. *p.* 347. RENOD. *p.* 663. *& alios plures.*

Syrupus Byzantinus Compoſitus, ſ. Dynari.

Diſp. Brand. Lond. Renod.

℞. Roſarum rubrarum, *uncias duas.*
Glycyrrhizæ raſæ, *unciam ſemis.*
Spicae Indicae, *drachmas duas.*
Seminis Aniſi,
Apii,

Seminis

Seminis Fœniculi, *ana drachm. tres.*
Contuſ. ac Cucurbitæ vitr. inditis affunde:
Succi expreſſi & depurati Apii,
Endiviæ, *ana libras duas.*
Bugloſſi,
Lupuli,
Aceti deſtillati, *ana libram unam.*
Coq. ſub Alembico, igne ſufficienti: Aquæ primo exſtillantis libra una ſervetur ſeorſim. Reliqua abſtrahatur, ad trium circiter librarum remanentiam. Quæ exemta e Cucurbita & expreſſa cum albumine ovi clarificetur, cui Sacchari puriſſimi, libras quatuor adde, & ad conſiſtentiam tabulato ſpiſſiorem coque, tumque Aquæ primo abſtractæ libram redde, ſicque ulteriori una alterave ebullitione ſyrupum juſtæ conſiſtentiæ exacte paratum ſerva.

Syrupus Capillorum Veneris Simplex, Monſpelienſis.

Diſp. Paris. Wirt. Vienn. Brand. Argent. Prag. Renod. Meſſan.

℞. Capillorum Veneris, parum inciſorum, *uncias tres.*
Infundantur in
Aquæ fontanæ ferventis, *libris tribus ſemis.*
Stent in digeſtione per noctem, mane leniter coquantur ad ſeptimæ partis conſumtionem, colatura albumine ovorum clarificetur, & cum
Sacchari albi, *libris tribus.*
fiat ſyrupus, cui pro lubitu addantur vel
Aquæ Roſarum,
vel
Naphæ, *uncia una aut duæ.*
Humores incidit, attenuat & reſolvit; loco ſacchari, pro edulcoratione infuſi Theæ utuntur, ad tuſſim & ad pectoris morbos, a materia viſcida ortos. Vid. Petr. FORMII *ſingularis liber de* Virtutibus hujus Syrupi; *add.* SCHULZII Prælect. *pag.* 348.

Syrupus Capillorum Veneris Compoſitus.

Diſp. Brand. Wirt. Ratisbon.

℞. Capillorum Veneris, *uncias quinque.*
Linguæ Cervinæ, *unciam ſemis.*
Malvæ, *drachmas duas.*
Radicum Aſparagi, *unciam unam.*
Glycyrrhizæ, *uncias duas.*
Macerentur in
Aquæ fontanæ ſimplicis, *libr. duabus.*
& digerantur loco calido per noctem. Mane coquantur ad conſumtionem circiter unciarum ſex. Reſiduo expreſſo, & albumine ovi clarificato, adde
Sacchari albi, *uncias triginta duas.*
Fiat, unica ebullitione, ſyrupus.
Vires non differunt a præcedentis. Vid. SCHULZ. *ibidem.*

Syrupus Cardiacus.

Diſpenſat. Wirt. Lond. Ratisbon.
JUNGK. *pag.* 973.

℞. Vini generoſi, *uncias octo.*
Aquæ Roſarum, *uncias duas ſemis.*
Cinnamomi, *drachmas tres.*
Caryophyllorum, *drachmam unam.*
Zinziberis, *drachmam ſemis.*
Infuſa digerantur, ac ſufficienti facta extractione exprimantur; in expreſſo ſolvantur
Sacchari, *unciæ ſex & decem.*
Fiat ſyrupus.
Eſt gratus, aromaticus, ventriculum roborans; additur electuariis.

Syrupus Cardui Benedicti.

Diſp. Wirt. Brand. Ultraject.

℞. Succi defecati, & ad dimidias evaporati, Cardui benedicti, *uncias octodecim.*
Sacchari albi, *uncias triginta duas.*
Fiat ſyrupus.

Tribuuntur illi vires ſtomachicæ, alexipharmacæ, antifebriles; potionibus & electuariis additur.

Syrupus Carminativus.

Le Mort. *Pharm. Med. Phyſ. p. 72.*

℞. Ligni Saſſafras, *unciam unam ſemis.*
Macis,
Nucis Moſchatæ, *ana drachm. duas.*
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Carvi, *ana unciam unam ſemis.*
Herbæ Menthæ, *manipulos tres.*
Corticum Aurant. *uncias duas.*
Seminis Leviſtici, *drach. un. ſemis.*

Contundantur omnia groſſo modo, & infundantur in ſufficienti quantitate Aquæ Fœniculi, Menthæ, æqualibus partibus: Macerentur ſimul, per aliquot horas: dein leviter ebulliant in Balneo Mariæ: Fiat Colatura, quæ Sacchari clarificati, & ad Conſiſtentiam tabellati percocti libris quinque permiſceatur absque coctione: Syrupo ita confecto adde:

Oleor. deſtillat. Cort. Aurant.
Menthæ,
Carvi,
Fœniculi,
Aniſi,
Caryophyll. *ana guttas duas.*

In Saccharo nempe prius excepta & pulveriſata.

Flatus egregie diſcutit, ventriculum languidum mire roborat, affectibus frigidis potiſſimum convenit: unde in paſſionibus colicis a cauſſa præſertim frigida obortis, inſignem uſum præſtabit. Quibus vero major oleorum copia placet, eam addere pro lubitu, poterunt: modo, ne quid nimis.

Syrupus Caſcarillæ, e Corticibus Ligni Saſſafras,

eodem modo, quo infra Syrupus Kinæ Kinæ parari poſſunt ſcilicet
Caſcarillæ,
vel
Corticum ligni ſaſſafras, *uncias tres,*
in
Vini albi, *unciis viginti duabus,*
infundendo, & cum
Sacchari, *unciis triginta duabus.*
in ſyrupum redigendo. Conf. *Diſpenſ. Pariſ.*

Vires habent eaſdem, quas cortices, ex quibus parati ſunt.

Syrupus Centaurii Minoris.

Diſp. Wirt. in aliis deeſt.

℞. Florum Centaurii minoris recentium, *libram unam.*
Inciſi infundantur in
Aquæ fontanæ ferventis, *libra una.*
Stent per noctem, mane exprimantur, & in expreſſo
Florum recentium libra una infundantur; poſt macerationem per noctem exprimantur,
Colaturæ, albumine ovi clarificatæ, *unciis novem.*
adde
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
Fiat ſyrupus.

Author, qui commendat, Quercetanus, ait: hoc ſyrupo nunquam care-

re debent officinæ, ob ſummam ejus neceſſitatem ac utilitatem; febrium ex bile ortarum ferociam compeſcit, bilioſum illum ſuccum benigne educit, ictericis conducit; proprium in ſe continet Rhabarbarum Centaurium minus, fel terræ & febrifuga appellatur, electuariis additur.

Syrupus Ceraſorum Acidorum.

Diſp. Wirt. Prag. Brand. Argent. &c.

℞. Succi ceraſorum acidorum, per ſubſidentiam defecati, *unc. viginti.*
Sacchari albiſſimi, *unc. triginta duas.*
Fiat ſyrupus.

Convenit cum reliquis ſyrupis acidiuſculis, inprimis Berberum. Vid. ZORN. Botan. *pag.* 187. *ſqq.* & GEOFFROY, *de* Mat. Med. *Tom. III. p.* 288.

Syrupus Ceraſorum Acidorum cum Floribus Tunicæ.

Diſpenſ. Brand.

℞. Succi Ceraſorum acidorum maturorum rite deſpumati, *libras undecim.*
Florum Borraginis,
Bugloſſi, *ana libr. ſemis.*
His bene mixtis infunde
Foliorum Florum Tunicæ rubror. plenorum, *uncias duas,*
Stentque in Infuſione, biduum; dein colentur, ac leviter exprimantur, idque novis aſſumtis floribus, ter minimum iteretur: poſtea cum
Sacchari clarificati, *libris ſex.*
Fiat lege Artis, Syrupus, ſub finem coctionis.
Pulveris Xylaloës,
Santali citrini, *ana drach. duabus.*
Cinnamomi elect. *drachm. tribus.*
In petia ſubtili ligatis, aromatiſandus.

Uſus eſt analepticus, cardiacus, nervinus ac cephalicus: Inde in magna virium proſtratione, poteſt aqua & vino ſimul diſtemperatus commode præberi. Vid. SCHULZ. Prælect. *p.* 349. *Conf. infra,* Syrupus de Floribus Tunicae; *qui ejusdem eſt uſus & efficaciæ.*

Syrupus Chalybeatus.

GRIM. *Laborat. Ceylon. pag.* 158.

℞. Radicum Polypodii Indici,
Aſparagi ſilveſtris,
Filicis,
Morung.
Petroſelini,
Cichor.
Curcum. cum Herbis, q. v.
Iisque minutim conciſis, deinde ſuper adjice:
Rad. Minerae Martis, *manipul. unum,* aut *duos.*
Superaffunde optimum Acetum, adeo, ut ſub ea, Maſſa illa bene ſubmergatur: Colloca illud in ſole, ſuper Arena, ſurſum bene contectum: Permitte, per ſeptem, vel octo dies, ut ita conſiſtat, atque in ſe laboret: tunc adde:
Sacchari, *libras duas,* vel *tres.*
Atque cura, ut lente ſimul, per duas, aut tres horas, coquantur: Tandem illud Linteo transcola, atque ulterius, ad convenientem conſiſtentiam, decoque.

Aſſerva Syrupum iſtum accurate: nam exquiſitiſſimus eſt in obſtructione atque duritie Lienis, & Hepatis, ut & in Cachexia, quæ in noſtra Ceylonia, Morbi communes & ordinarii ſunt. Sed conducit etiam iſte Syrupus Chalybeatus, in fœdo fœminarum fluore albo, & pallida

virginum languentium Chloroſi, aliisque Morbis ſeroſis, pituitoſis & humidis, uti notum eſſe arbitror. Hæc quidem poſt Grimmium, adjicere viſum fuit. Conf. ſupra Bolus Chalybeatus, *item* Electuaria Chalybeata, *vel de* Croco Martis *parata: ad eosdem nimirum uſus. Ceterum plures ejusmodi Syrupos chalybeatos. vid. in* Pharmacop. extemp. FULLERI, *pag.* 354. *& alibi: item in* Pharmacop. Batean. *pag.* 158.

Syrupus Chamomillæ.

Diſp. Wirt. Argent.

℞. Florum Chamomillae vulgaris recentium, *libram unam,*
Infunde in
Aquae fontanae ferventis, *libra una.*
Stent in vaſe probe clauſo, per duodecim horas, poſtea exprimantur; infuſio repetatur,
Chamaemeli novam ſumendo, libram,
poſt extractionem exprimatur & clarificetur infuſum, atque ex
ejusdem, *unciis novem.*
cum
Sacchari albi, *unciis ſedecim.*
Fiat ſyrupus.

Multum valet hic ſyrupus ad colicam, tam flatulentam, quam ſpasmodicam, in febribus quartana & tertiana, cum aliis permixtus, bonum edit effectum; adhibetur in potionibus, vel electuariis, additur etiam clyſteribus.

Syrupus Chenepodii; *ſive* Atriplicis Mexicanæ.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deficit.

℞. Herbar. chenepodii ſive atriplicis ſuaveolentis Mexicanae, *manipulos quatuor.*
Eryſimi,
Urticae, *ana manipulos duos.*
Farfarae, *manipulum.*
Infundantur in aquae fontanae bullientis libra una, & ſucci raparum albarum libra ſemis, poſt ſufficientem extractionem exprimantur, expreſſo addantur
Sacchari albi, *libræ duæ.*
Fiat ſyrupus.

Pectoralis & diureticus eſt, atque in aſthmate & nephritide, laudatur.

Doſis uncia dimidia, vel drachmae ſex.

Syrupus de Cichorio. cum Rhabarbaro.

Diſp. Brand. Wirt. Hamb. Leid. Vienn. Argent. &c.

POTTER. *p.* 447.

℞. Radicum Cichorii, *unc. duas ſemis.*
Coque in
Aquae fontanae, *libra una ſemis.*
ad remanentiam, *libræ unius,* huic adde
Rhabarbari minutim inciſi, *unciam unam.*
Salis Tartari, *grana viginti.*
Ebulliant lento igne, exprimantur, in expreſſo diſſolve
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
clarificato & colato ſyrupo adde
Aquae cinnamomi ſpirituoſae, *unciam unam.*
Servetur.

Bilem leniter ſubducit; pueris recens natis & infantibus a drachma una, ad drachmam unam ſemis, usque ad unciam ſemis, ad educendum meconium, & in torminibus, indeque ortis motibus convulſivis, commode datur.

* * *

Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro Nicolai.

Diſp. Brand. Prag. Lond. Leyd. Renod.

℞. Endiviae utriusque, hortenſis & campeſtris, *ana manipul. duos cum ſemiſſe.*

Cichorii,
Taraxaci, *ana manipulos duos.*
Fumariae,
Hepaticae fontanae,
Lactucae domeſticae,
Lupuli ſummitatum,
Sonchi laevis, *ana manipulum unum.*
Capillor. Veneris, *uncias duas ſemis.*
Adianti albi, ſeu Rutae murariae,
Radicum Apii,
Aſparagi,
Fœniculi, *ana uncias duas.*
Glycyrrhizae,
Ceterach,
Cuſcutae,
Halicacabi, *ana drachmas ſex.*
Hordei, *uncias duas.*

Coq. in ſuff. quant. Aquae ſimpl. fontanae, ad mediae partis Conſumtionem. Colaturae clarificatae libris decem infunde

Pulveris Rhabarbari electi, *uncias octo.*
Spicae Indicae, *unciam ſemis.*

Stent in Infuſione, vaſe clauſo, diem & noctem; Tum cum leni expreſſione cola, & additis ſacchari albi ac puri libris decem, unica ebullitione, ad juſtam Syrupi conſiſtentiam redige.

Non ſolum easdem, ſed & adhuc majores vires habet, cum præcedenti Compoſitione ſimpliciori, vid. SCHULZII Praelect. *p.* 350. *ubi plura in ipſius meritas laudes adnotata leguntur.*

***

Syrupus Cinnamomi.

Diſp. Brand. Wirt. Hamb. Lond. Arg.

℞. Cinnamomi optimi, craſſiuſcule contuſi, *uncias quinque.*

Reponantur in cucurbitam vitream, addanturque

Aquae Cinnamomi optimae, cum vino deſtillatae, *libras duas.*
Aquae roſarum odoratiſſimae, *uncias duas.*

Stent in loco calido, bene obturato vaſe, ne quid exſpiret, horis viginti quatuor, atque, cum

Sacchari albiſſimi clarificati, ad conſiſtentiam tabularum cocti, *libris tribus, unciis quatuor.*

fiat ſyrupus.

Virtute gaudet analeptica, & ventriculum, nec non nervos roborante. Datur vel per ſe, vel cum aquis cordialibus. *Similem fere Syrupi Cinnamomi præparationem, vid. apud.* GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. II. pag.* 168. *vid. &* GRIM. Laborat. Ceyl. *pag.* 76.

Syrupus Citri e Toto.

Diſp. Hamb. Wirt. Brand.

℞. Corticum citri exteriorum recentium, *uncias duas ſemis.*

Inciſos infunde in

Succi citri recentis, *unciis viginti duabus.*

Poſt digeſtionem exprimantur, in expreſſo diſſolve

Sacchari albi, *uncias triginta.*

Serventur uſui.

In febribus malignis exanthematicis potionibus additur, malignitatem non ſolum arcere, ſed & vires inſtaurare compertus eſt. Vid. NEBELII *Diſſ. de* Malo Citreo, *Cap. X. pag.* 642. *in* Mantiſſa Exoticor. VALENTINI, *ubi plura.*

Syrupus Cochleariæ.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Succi cochleariæ recenter expreſſi, *libram unam ſemis.*

Abſtrahantur lento igne, in cucurbita vitrea, unciæ ſex; reſiduum clarificetur & evaporetur ad remanentiam unciarum ſex, in quo diſſolve

Sacchari albi, *uncias octodecim.*

Atque per pannum colato ſyrupo adde

Aquam abſtractitiam,

& ſerva.

Cochlearia eſt antiſcorbutica planta; hinc ſyrupus inde confectus ſcorbuticis convenit. Vid. BOERHAAVE Hiſt. Plant. *T. II. p.*419. & inprimis ZORN. Botanolog. *pag.* 219.

Syrupus Cochleariæ Compoſitus.

Diſpenſ. Hag. Ultraject.

℞. Succorum recenter expreſſorum
Cochleariæ, *uncias quinque.*
Beccabungæ,
Naſturtii aquatici, *ana. unc. unam.*

Depurentur, leviter calefaciendo, cavendo, ne effervescant: Tum ſenſim immiſce

Sacchari albiſſ. tenuiſſime triti, & per cribrum trajecti, *libr. unam & uncias octo.*

Miſtis & refrigeratis denique adde:

Spiritus ex prædictis ſuccis, per Alembic. Vitrum deſtill. *uncias duas.*

Fiat lege Artis Syrupus, in Morbis Scorbuticis egregii plane uſus.

* • *

Syrupus Contrayervæ.

Diſp. Wirt. Argent.

℞. Radicum contrayervæ minutim inciſarum, *uncias quatuor.*

Infundantur per noctem in

Aquæ fontanæ ferventis, *libr. duabus.*

mane leniter ebulliant, ad colaturæ, expreſſione forti factæ, remanentiam, *libræ unius*, adde

Succi citri, *uncias octo.*

Sacchari albi, *uncias triginta duas.*

Fiat, ſaccharum unica ebullitione ſolvendo, ſyrupus, in vitreo vaſe reponendus.

Laudatur in febribus malignis, variolis, morbillis & aliis exanthematicis, atque, ob vim blandam alexipharmacam, non adeo calidam commendari meretur, potionibus & mixturis admiſcendus.

Syrupus Contrayervæ Compoſitus.

Diſp. Wirt. Vienn.

℞. Pomorum Citri integrorum, *numero ſex.*

Conciſis & cucurbitæ vitreæ injectis adde

Radicum Contrayervæ, *unc. unam ſemis.*
Serpentariæ Virginianæ, *unciam unam.*
Seminum cardui benedicti,
Mariæ, *ana unciam ſemis.*
Granorum Chermes, *drachm. duas.*
Succi granatorum dulcium, *libras duas.*

Digerantur per *viginti quatuor horas*, tum, facta expreſſione ac additis

Sacchari albi, *libris tribus.*

fiat, in vaſe probe vitreato clauſo, ſyrupus, qui colatus ſervetur.

Eſt alexipharmacus, malignitati & putredini reſiſtit, virtute analeptica vires reſtaurat, diuretica & diaphoretica vi materiam noxiam, tam per ſudorem, quam urinam, expellit.

Syrupus Coralliorum.

Diſpenſ. Argent. Wirt. Vienn. Prag.

℞. Coralliorum rubrorum pulveriſatorum, *uncias duas.*
Succi berberum, perfectæ maturitatis, depurati, *libram unam.*

Digerantur, calore moderato, per triduum, vel quouſque corallia bullulas emittere ceſſant: dein ſuccus affuſus, per inclinationem, ſeparetur.

Succi hujus, coralliorum ſolutione impraegnati, *unciæ decem* &
Sacchari, *unciæ ſedecim.*
lenta ebullitione, redigantur in formam ſyrupi.

Virtutes ſunt refrigerantes, leniter adſtringentes, in fluxionibus quibuscunque cohibendis, ad abortum & hæmorrhagias uteri præcavendas mulierculæ utuntur. Vid. LANGII Epiſt. Med. *Lib. III. pag.* 809.

Potionibus & electuariis additur, vel ſolus, ab uncia ſemis, ad integram, ſumitur.

Syrupus Corticum Aurantiorum.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn.

℞. Corticum aurantiorum recentium & extimorum, *uncias quatuor.*
Vini albi generoſi, *libram unam.*

Macerentur per viginti quatuor horas, in loco calido, bene obturato vaſe; poſtea vinum decantetur, filtretur, & cum
Sacchari clarificati, atque ad conſiſtentiam tabellarum cocti, *unciis octodecim* permiſcendo,
fiat ſyrupus.

Ventriculum roborat, flatus diſſipat, & virtute gaudet analeptica & carminativa.

Exhibetur in potionibus.

Syrupus Corticum Citri.

Diſp. Prag. Wirt. Vienn. Brand.

℞. Corticum citri recentium & extimorum, *uncias quatuor.*
Granorum Chermes, *drachm. duas.*
Vini albi generoſi, *libram unam.*

Macerentur loco calido, vaſe bene tecto, per viginti quatuor horas; poſtea vinum decantetur, filtretur, atque, cum
Sacchari clarificati, & ultra conſiſtentiam tabellarum cocti, *unciis octodecim.*
fiat ſyrupus.

Eſt cordialis, alexipharmacus & carminativus, ad febres epidemicas catarrhales, malignas laudatur. Addi etiam poteſt potionibus.

Syrupus Corticum Citri Eſſentif.

LE MORT *Pharm. Med. Phyſ. p.*74.

℞. Aquæ ſtillat. fortioris Cort. Citri, *uncias decem.*
Corticum Citri recentium exteriorum, *uncias duas.*

Digerantur ſimul per horas viginti quatuor, dein clarum a ſpiſſo ſeparetur; huic adde:
Succi Citr. recenter expreſſi, *uncias duas.*
Sacchari ad Conſiſtentiam debitam percocti, quantum ſufficiat, ut cum præcedentibus Liquoribus

in Syrupi Conſiſtentiam redigi queat absque coctione, ultimo, adde ſyrupo jam confecto

Elæoſaccharum Citri, e *guttis ſex vel octo.*

Olei recentis Citri, confectum.

Miſc. Fiat lege Artis, Syrupus.

Temperatus eſt, Cordis affectibus ſummopere conducit, flatus diſcutit, Ventriculi debilitati, nauſeæ & anorexiæ potenter ſuccurrit, Vomitus compeſcit, & in lipothymiis quoque, viriumque defectibus egregium uſum præſtat. Denique etiam ex mari nauſeantibus, atque hinc de ſtomachi ſubverſione conquerentibus plurimum proderit, inprimis ubi unum alterumve granum opii, vel Theriacæ cæleſtis, adjectum fuerit: quanquam melius ſit ſolum opium; omiſſa illa Theriaca cœleſti, quæ ne terrenas quidem laudes meretur, multo minus autem cœleſtes; ut infra candide monuimus, ad ipſam Theriacam Cœleſtem. Sed hæc obiter tantum, ferente nempe ſic occaſione.

Ceterum autem conf. ſupra Syrupus de toto Citro eſſentificatus, e Diſpenſatorio Brand & *infra* Syrupus diacitri roſatus, Mynſichti.

Syrupus Croci.

Diſp. Wirt.

℞. Croci Orientalis, *drachmas ſex.*
Infunde in
Aquæ ferventis fontanæ, *unc. decem.*

Stent, vaſe clauſo, in digeſtione per triduum, poſtea exprimantur. In colatura diſſolve

Sacchari albi, *uncias ſedecim,* & poſt unicam ebullitionem, coletur ſyrupus per pannum.

Lene & ſecurum præbet anodynun pueris; pectorale & alexipharmacum, & in catarrhis utiliter adhibetur.

Uncia ejusdem una Croci fere habet grana quindecim.

Pueris teneris, pro una doſi, ultra drachmam unam non dandus.

Syrupus Croci Alius.

Pharm. Batean. pag. 159.

℞. Croci Angl opt. *drachmas duas.*
Lachrymarum ſtillantium ex capitibus papaveris exotici ſupra laminam ferri ſiccatarum & pulveriſat. *unciam ſemis.*
Spiritus Vitrioli, *guttas triginta.*
Aquæ Citri totius, *uncias octo.*

Digere in Balneo Mariæ, ut extrahatur Tinctura, quæ filtretur exactiſſime. Tum

℞. Sacchari optimi, *uncias octodecim.*
Aquæ Citri totius, *uncias ſex.*

Coq. deſpumando, ad Syrupi craſſioris Conſiſtentiam: Cui adde Tincturam prædictam, ut fiat Syrupus conſiſtentiæ debitæ, ſine Coctione. *Doſis ſit a drachma una, ad drach. tres, & ultra.*

Eſt Remedium cardiacum, analepticum, anodynum & blandum quoque hypnoticum, ut ex ipſa nempe compoſitione facile patet.

Syrupus de Cucurbita Meſues.

Vid. Franciſc. Alexandri VERCELL. Apoll. *ſeu* de Med. Compoſ. Rad. *IV. pag.* 487.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur, ceu obſoletur ſcilicet.

℞. Cucurbitam ſativam magnam, paſta pro pane involutam, coque cum pane in clibano; e calente adhuc ſuccum exprime, & ex unciis duodecim, ad novem uſque, & ſacchari evapo-

evaporati & clarificati unciis ſedecim ſyrupum confice.

Vires laudantur ad febres bilioſas & ardentes, ardorem urinæ, & ſitim mitigandam; ad pectoris affectus, pleuritidem & faucium aſperitatem. Hinc conqueritur Franciſcus Alexander, *loc. cit. quod hodie neglectus jaceat hic de Cucurbita, Syrupus, quum tamen uſu ſit ſaluberrimus.*

Syrupus Cydoniorum.

Diſpenſ. Brand. Wirt. Argent. Hag.

℞. Succi Cydoniorum, ad tertiæ partis conſumtionem evaporati, *libram unam ſemis.*

Sacchari albi, *libras duas ſemis.*

Fiat diſſolutione & deſpumatione, unica ebullitione facta, Syrupus.

Gratus eſt ſtomacho, leniter adſtringit, & in nauſea vomitu & fluxionibus alvi; & ad abortum præcavendum adhiberi poteſt. Electuariis & potionibus additur. Vid. Sylv. Method. Med. *Lib. II. Cap.* 10. & Geoffroy, Mat. Med. *T. III p.* 376. *item* Boerhaave Hiſt. Pl. *T. II. pag* 557.

Doſis ad unciam unam & ultra.

Syrupus e Cynogloſſo.

Pharm. Extemp. Fuller. *pag.* 355.

℞. Herb. Cynogloſſ. *libram unam ſemis.*

Coquendo purgetur, dum inclareſcat, & cum

Sacchari albi, *libra una ſemis.*

Fiat lege Artis, ſyrupus.

Populus Medicorum uno ore, vim ſoporiferam attribuit Cynogloſſo: Ipſe vero hunc Syrupum licet millies in uſum duxerim, nullam tamen ejusmodi ejus virtutem adhuc obſervare potui. Nihilo minus egregium eum agnovi, nullique cedentem, ad defluxiones calidas, acres, tenues, catarrhoſas, Tuſſimque inde oriundam. Hactenus ipſe Fullerus. *Ceterum conf. ſupra* Pilulæ de Cynogloſſa.

Syrupus Diacitri Roſatus.

Mynsicht. *pag.* 260.

℞. Succi Citri & Limonum, per pannum, aut filtrum, ſine ulla vi, aut expreſſione, deſtillati, & cum pulv. Roſarum rubr prius Rubini inſtar, tincti, *ana libr. unam.*

Rob de Berberis,
Rib. *ana uncias octo.*

Syrupi de Agreſta,
Oxyſacchari,
Rubi Idæi optimi,
Fragorum, *ana uncias quatuor.*

Aquæ Cinnamomi Bugloſſatæ, in qua Species diarrhod. Abbat infuſæ fuerint, *uncias duas.*

Nitri præparati, *drach. unam ſemis.*

Mixta decoque, ut eſt Artis, & Fiat juſtæ Conſiſtentiæ Syrupus.

Potentiſſime refrigerat, penetrat, ſiccat, & a putredine vindicat. Febribus malignis, bilioſis, morbisque contagioſis plurimum confert. Intemperiem calidam Capitis, Cordis, Ventriculi, Hepatis, Lienis, Viſcerum, omnemque ſitim extinguit. Renum ceſtum emendat; urinam & ſudorem movet: vomitum bilioſum reprimit: Choleræ medetur, &c. Vid. ibi plura inſuper elogia. Doſis ſit ab uncia ſemis, ad unciam unam, & duas, per ſe, vel in vehiculis ſpecificis, affectum proprie reſpicientibus. *Ceterum conf. ſupra,* Syrupus Citri e toto, & Corticum Citri eſſentificatus.

***

Syrupus Diacodion, *ſive* De Capitibus Papaveris, *ſive* Diacodium Liquidum Montani.

Diſp. Brand. Wirt. Argent. Vienn. Gron. Rotterdam.

℞. Capitum Papaveris, cum ſeminibus, *uncias duas.*
Siliquarum dulcium, *unc. duas ſemis.*
Inciſis affunde
Aquæ fontanæ, *libram unam ſemis.*

Coquantur lento igne, ad colaturæ remanentiam unciarum decem, in fine coctionis addendo
Liquiritiæ recentis minutim inciſæ, *unciam unam ſemis.*
in colatura diſſolve
Sacchari candi rubri, *uncias ſedecim.*

Deſpumatus & colatus ſyrupus ſervetur.

In tuſſi acri, ad materiam incraſſandam, a veteribus valde laudatur.

Dari poteſt infantibus lingendus, ad drachmam unam; adultis, ad unciam unam.

Syrupus, Diacodium Crocatum.

Diſp. Vienn. Wirt.

Fit, ſyrupo antecedenti, ſive Diacodio ſimplici addendo,
Croci optimi, *drachmam unam.*

Vires ſunt eædem, propter crocum tamen, magis anodynæ ac reſolventes.

Syrupus Diaſereos Andernaci.

Diſp. Brand. Prag. Vienn.

℞. Radicum polypodii querni, *unciam unam.*
Glycyrrhizæ raſæ, *drachmas ſex.*
Apii,
Aſparagi,
Fœniculi, *ana unciam ſemis.*
Herbar. Adianti albi,
Agrimoniæ,
Capillorum Veneris,
Ceterach,
Fumariæ,
Lupuli, *ana manipulum ſemis.*
Cichorii,
Endiviæ, *ana manipulos tres.*
Flor. Borraginis,
Bugloſſi,
Violarum, *ana pugillum unum.*
Semin. Carthami, *unciam un. ſemis.*
quatuor frigid. maj. rec. *ana. drach. duas.*
Hordei integri, *pugillos duos.*
Prunorum Damaſcenor. *No. viginti.*
Myrobalanorum Chebularum,
Citrinarum, *ana unc. ſemis.*
Agarici recens trochiſcati, *unc. unam.*
Foliorum ſennæ ſine ſtipit. *unc. unam ſemis.*
Rhabarbari electi, *uncias duas ſemis.*
Cinnamomi,
Zinziberis, *ana drachmam unam.*

Coq. in ſuffic. Aqua, ad librarum trium remanentiam: Colaturæ expreſſæ poſtea adde
Sacchari albi, *libras duas.*

Clarificetur, ut Artis eſt, ac coquatur ad Conſiſtentiam Syrupo debitam: Cui tandem adde:
Syrupi Roſarum ſolutivi, *uncias tres.*

Deſcriptus hic non contemnendus Syrupus ab inventore ipſo Jo. Guinther. Andernaco, *in* Comment. de Med. Vet. & nova, *Part. II. pag.* 438. *ſqq. & ibidem eximie commendatus, ob virtutes potiſſimum aperientes, reſolventes, antictericas, anthelminthicas aliasque. De quibus & vid.* Schulz. *in* Præl. *p.* 354.

Syrupus Dynari, *ſeu* Dimari.

Vid. ſupra Syrupus Byzantinus; *Cur vero* Dynari *vocetur Arab. nempe ab uſu diuretico, oſtendit* RENODAEUS, *pag.* 662. *contra* Deſſennium; *cujus tamen falſam ſententiam denuo, quod mirum, aſſumſit* SCHULZIUS *in* Prælect. *pag.* 348. *Sed hoc obiter.*

Syrupus Domeſticus, *ſive* de Spina Cervina; *ſive* Derhamno Cathartico, *vel* Solutivo.

Diſp. Lond. Amſt. Pariſ. Lugd: Wirt. Vienn. Hamb. Prag. Argent.

℞. Baccarum fruticis, quem Spinam cervinam vocant, circa finem Septembris, aut Octobris initio collectarum, quantitatem ſufficientem;

Conquaſſatæ & calefactae exprimantur.

Succi hujus colati, *unciis viginti* addantur

Sacchari albi, *unciæ triginta duæ,* ſolvantur & colentur, addendo, in petia ligata,

Aniſi,
Maſtiches, *ana drachmas tres.*
Zinziberis,
Cinnamomi,
Caryophyllorum, *ana dr. unam ſemis.*
Fiat ſyrupus.

Commendatur a River. Solenand. Sydenham. *& aliis, ad hydropem, cachexiam, arthritidem, nec non luem veneream. Vid.* BOERHAAVE Hiſt. Plant. *T. I. p.* 159. SCHULZ. Prael. *pag.* 354. *& præſertim* ZORN. Bot. *pag.* 569. *&* Sim. PAULLI Quad. Bot. *p.* 129. *maxime laudat.* SYDENHAM, Tract. *de* Hydrope, *pag.* 251. *ſqq. Tom. II. Opp. Sunt, qui etiam recens natis, ad expurgandum meconium, dare ſolent.*

Datur drachma una, ad unciam & ultra.

Syrupus de Duabus Radicibus.

Diſpenſ. Vienn. Brand.

℞. Radicis Petroſelini,
Fœniculi, *ana uncias quatuor.*
Aquae fontanae, *libras quinque.*

Coquantur ad medietatem; deinde colaturae poſt clarificationem, addantur

Sacchari albiſſimi, *libræ duæ.*

Ut Fiat lege Artis, ſyrupus.

Obſtructiones Viſcerum reſerat, humores craſſos incidit, & attenuat, urinamque ut & calculum interdum, pellit.

Syrupus Dyſentericus Medicorum Pariſienſium.

Collectan. Pharm. Pariſ.

℞. Rhabarbari minutim inciſi, *dr. duas.*
Cinnamomi, *ſcrupulum unum.*
Infunde in
Aquae Roſarum ſtillatitiae, *libra una.*
Infunde pariter in
Aquæ ſtillat. plantaginis, *libra una.*
Florum Roſarum rubrar. *unc. ſemis:*

Macerentur ſeparatim, per horas viginti quatuor: quibus poſtea adde

Succi Berberum depurati, *libram un.*

Deinde miſceantur: Colaturæ per reſidentiam claræ, addantur

Sacchari Canti albiſſimi, *libræ duæ,* vel *quantum ſuff.*

denique coq. in Syrupum, *ut opus eſt.*

Lienteriæ & Dyſenteriæ mederi dicitur.

Nec omnem medendi vim equidem ipſi plane denegaverim. Interim autem,

dum omnia dulcia; quod nempe notiſſimum, in Dyſenteria nocent, quoniam & tormina magis augent, & ipſum alvi ſolutæ fluxum vehementius citant: tum demum hunc Syrupum uſui fore crediderim, ubi nimia Sacchari quantitas multum imminuta & arctius circumſcripta fuerit. Ceterum alium Syrupum Dyſentericum laxativum, ſed operoſioris Compoſitionis, vid. ſi lubet, apud MYNSICHT. *p.*265.

Syrupus Emeticus.

Diſpenſat. Brand. Wirt. Vienn.

℞. Vitri Antimonii hyacinthini, ſubtiliſſime pulveriſati, *drach. duas.*
affunde
Vini albi Rhenani, *uncias duodecim.*

Stent per triduum, leni calore in digeſtione; poſt filtratis per chartam bibulam, adde
Sacchari albi, *uncias triginta duas.*

Sola diſſolutione & unica ebullitione, fiat ſyrupus, in vaſe vitreo reponendus.

Delicatulis propinatur, ad vomitum ciendum.

Doſis eſt a drachma una, ad drachmas quinque, vel ſex.

In apoplexia & catarrho ſuffocativo etiam clyſteribus, ab uncia una, ad unciam unam ſemis addi poteſt.

Syrupus Emeticus Angeli Salæ.

*Exegeſ. Chymiatric. pag.*737.
Diſp. Wirt. Prag. Ratisbon.

℞. Vitri Antimonii optime triti, *unciam unam.*
Cinnamomi electi,
Zedoariæ,
Seminis angelicæ, *ana drachm. duas.*
Sandali rubri, *unciam ſemis.*
Croci Orientalis, *drachmam ſemis.*

Infundantur in
Aceti roſati, *unciis viginti;*

Macerentur per viginti quatuor horas, colentur & filtrentur, in filtrato liquore diſſolvantur
Sacchari albi, *unciæ viginti.*

Fiat ſyrupus.

Vires ſunt eædem, quæ præcedentis. In peſte tamen non ſemper tuto adhiberi poſſe hunc Syrupum, egregie oſtendit THONERUS, Obſ. med. 8. *Lib. I. pag.* 70. *ſqq.*

Doſis drachma una, ad unciam dimidiam.

Syrupus Enulæ.

Diſpenſat. Prag. Vienn. Wirt. &c.

℞. Succi radicis Enulæ defecati, *libr. unam ſemis.*
Sacchari albi, *libras duas ſemis.*

Solvantur & fiat ſyrupus, per pannum colandus.

Reſolvit, & ad pectoris vitia adhibetur: etiam urinam, arenam, aquam & vermes pellit, pluresque alias virtutes exſerit, abunde laudatas a ZORNIO, *in* Botanolog. *pag.*281. *ſqq.*

Syrupus de Eryſimo Lobelii.

Diſp. Brand. Wirt. Pariſ. Lond. Prag. Vienn. Hamb.

℞. Eryſimi totius recentis, *uncias tres.*
Radicum Helenii,
Tuſſilaginis, *ana uncias duas.*
Herbarum Borraginis,
Cichorii,
Capillorum Veneris, *ana unc. ſemis.*
Florum quatuor cordialium,
Anthos,
Stœchadis Arabicæ, *ana dr. duas.*
Seminis Aniſi, *drachmas ſex.*
Paſſularum mundatarum, *unc. duas*

Inciſa & contuſa coquantur in

Aquæ fontanæ, *libris duabus & ſemis.*
Succi Eryſimi, *unciis ſex,*
ad remanentiam unciarum octodecim,
in expreſſo liquore diſſolvantur
Sacchari albi, *unciæ triginta duæ.*
Fiat ſyrupus.

NB. Eryſimum vel Irio illa eſt planta, quæ Verbena fœmina vulgo vocatur: de qua ſupra Parte I.

Ad raucedinem præcipue commendatur, & multis jam amiſſam vocem reſtituiſſe, exempla proſtant: Inde & ſcite vocatur Syrupus Cantatoris, ſeu Gallice le Syrop du Chantre, *vid.* GEOFFROY Mat. Med. *Tom. III. pag.* 446 BOERHAAVE, Hiſt. Plant. *Tom. II. p.* 428. & HERMANN. Cynoſ. Mat. Med. *pag.* 522. *item* ZORN. *p.* 288. & TOURNEFORT. Hiſt. Plant. *circa Pariſ. naſcent. pag.* 19.

Datur ab uncia dimidia, ad integram, ex infuſis, decoctis, ſero lactis, aliisque vehiculis.

Syrupus Exhilarans, Schillingi, *ſive rectius* Laurentii, *aut* Caſtellani,

Vid. RENOD. *p.* 679. & *Tab. Smaragd. pag.* 397. *item* BIERLING. *p.* 80.
Diſpenſ. Meſſan.

℞. Succorum Borraginis,
Bugloſſ. *ana libram unam ſemis.*
Pomorum redolentium, *libram un.*
Meliſſæ, *libram ſemis.*
Granor. Kermes, *drachm. duas.*
Lign. Aloës, *drachmam unam.*
Santali citrini, *ſcrupulos duos.*
Specier. diamargarit. frigid. *dr. ſemis.*
Diambr. *ſcrupulos duos.*
Sacchari albiſſimi, *libras duas.*
Miſceantur: Fiat lege Artis, Syrupus.

Cognominatur Exhilarans, quia vim habet eximiam ad Cor, & Spiritus vitales exhilarandos, facultates erigendas, moerorem abigendum, & qualitatem humoris melancholici malignam contemperandam. Hæc Renodæus *dixit: utinam vero dixiſſet! Sed vid. ſupra jam a nobis monita, ad* Species *ſic dictas* lætificantes. *Interim ſerio optandum eſſet, ut verus ejusmodi* Syrupus exhilarans *alicubi venalis proſtaret, qui his duris dirisque eheu! temporibus, quibus toto fere orbe Mars impius ſævit, reficere & exhilarare poſſet animos afflictos, & longis moeroribus peritus fere confectos. Ex noſtris enim civibus, immenſo furibundi belli onere oppreſſis, & viribus pæne omnibus plane exhauſtis, nemo fere eſt, qui non deficiens animo, moeſto cum corde jaceret. Verum hæc vota ſunt, quibus tamen ſævientia fata nondum proh dolor! flectuntur. Sed ignoſcat quæſo, æquus lector moeſtæ querelæ, quam juſtus dolor & hoc ipſo loco, forſan minus convenienti, hac data occaſione, ſubito expreſſit. Expletur lacrymis egeriturque dolor.*

Syrupus Farfaræ e Floribus.

Diſp. Wirt. Argent. Prag. Brand. Hamb. Leod.

℞. Florum Farfaræ, ſive Tuſſilaginis, recentium, *libram un. ſemis.*
affunde
Aquæ fontanæ ferventis, *libras duas.*
Macerentur per viginti quatuor horas, exprimantur, & in
Colaturæ, *unciis novem*
diſſolve
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
Fiat ſyrupus.

Ad pectoris vitia inſervit, materiam acrem ſalſam incraſſat, & expectorationem adjuvat. Vid. BOERHAAVE

Hiſt. Plant. *p.* 152. *Tom. I.* Continuat. Mat. Med. GEOFFROY, *Tom. III. pag.* 256. *ſqq.* & ZORN. *pag.* 688. *ſqq. item* TOURNEFORT. Hiſt. Plant. Paris. *pag.* 236.

Datur in decoctis pectoralibus.

Syrupus Fragrans Laxativus Kufferi.

Diſpenſ. Argent.

℞ Folior. Sennæ ſine ſtipit. *unc. quatuor.*
Rhabarbari optimi, *unc. unam ſemis.*
Radicis Polypodii, *unciam unam.*
Seminis Coriandri, *unciam ſemis.*
Croci Orientalis, *drachmam ſemis.*
Florum Borraginis,
Bugloſſi,
Violarum, *ana manipulum ſemis.*

Coq. in Aquæ fontanæ ſufficienti quantitate, ad remanentiam trium librarum: Colaturæ adde:
Succi Rubi Idæi,
Fragorum, *ana libram unam.*
Sacchari albi, *libras quatuor.*

Coq. ad Syrupi Conſiſtentiam, lege Artis.

Pro ſcopo laxandi alvum, adhibetur, ad unciam unam, duas, aut tres, prout diverſæ naturæ ferant.

Syrupus Florum Nymphææ Simplex.

Diſpenſ. Lond. Brandenb. Renod. Hamb. Paris.

℞. Florum Nymphææ albæ, *libr. duas,*

Infunde in Aqua Nymphææ, aut ſaltim fontanæ ferventis libris quatuor. Stent in digeſtione caloris balnei, horas viginti quatuor: Tum exprimantur valide: Expreſſum recentibus reaffundatur Floribus; digeratur, exprimatur, idque tertia vice repetatur: Expreſſioni poſtremæ addantur Sacchari, libræ totidem, quot Succi ſunt, ac clarificando & ebulliendo, ut Artis eſt, fiat Syrupus.

Syrupus Florum Nymphææ Compoſitus.

Diſp. Lond.

℞. Florum albiſſimorum Nymphææ recent. *libram ſemis.*
Violarum, *uncias duas.*
Folior. Lactucæ, *manipulos duos.*
Semin. Lactucæ,
Portulacæ,
Cucurbitæ, *ana unciam ſemis.*

Coquantur in Aquæ puræ, *libris quatuor*, donec una evanuerit: Expreſſo dein adde:
Aquæ Roſar. rubrar. *libram ſemis.*
Sacchari albi, *libras quatuor.*

Percoquantur ſecundum Artem, in Syrupum.

Uterque Syrupus eſt anodynus, & refrigerans: Inde in Gonorrhœa virulenta, urinæ ardore, menſibus dolorificis, cum fluore albo & hæmorrhagiis impetuoſis, confert. Datur cum decocto aliquo, aut Sero Lactis. *Hæc* SCHULZIUS, *in* Prælect. *pag.* 360. *Ceterum alius Syrupus de Nymphæa compoſitus, ſed diffuſioris, &, ut ingenue fatear, confuſioris ſimul compoſitionis, qui Franciſcum* Pedemontanum *Auctorem habet, deſcriptus extat in Antidotario Meſſanenſi, pag.* 6. & *in aliis nonnullis vetuſtioribus Diſpenſatoriis. Quare vix dignus nobis viſus fuit, qui huc tranſcriberetur.*

***

Syrupus Florum Paralyſeos, *ſive* Primulæ Veris.

Diſpenſ. Wirt. in reliquis deeſt.

℞. Florum Paralyſeos mundatorum recentium, *libram unam.*
affunde
Aquæ ferventis fontanæ, *unc. decem.*
Poſt ſufficientem macerationem exprimantur, in colatura, unica ebullitione, diſſolve
Sacchari albiſſimi, *uncias ſedecim.*
Servetur.

Speciales floribus Paralyſeos adſcribuntur vires nervinæ; vid. BOERHAAVE, Hiſt. Plant. *Tom. I. pag.* 281. *&* *maxime* ZORN. Botanol. *pag.* 542. *quosque ibi laudat Auctores plures. datur igitur etiam ſyrupus convulſis tremulis, & paralyticis; ulcera oris perſanare & tuſſientibus auxiliari creditur.*

Syrupus Fragorum.

Diſp. Argent. Wirt. Prag. Brand. Hamb.

℞. Succi fragorum depurati, *unc. decem.*
Sacchari, *uncias ſedecim.*
Fiat lege artis ſyrupus, ad normam ſyrupi berberum.

Eſt analepticus & diureticus.

Syrupus de Fumaria.

Diſp. Wirt. Argent. Paris. Prag.

Paratur e
Succi defecati, & ad tertiæ partis conſumtionem inſpiſſati, *unciis novem,* &
Sacchari, *unciis ſedecim.*

Ad ſanguinem & lympham corrigendam, ſcabiem & alia cutis vitia commendatur.

Addi poteſt electuariis & decoctis.

***

Syrupus de Fumaria Compoſitus.

Diſpenſ. Lond. Leyd.

℞. Herbar. Endiviæ,
Abſinthii vulgaris,
Lupulorum,
Cuſcutæ,
Scolopendrii, *ana manipul. unum.*
Epithymi, *unciam unam ſemis.*
Coq. in Aquæ purae lib. quatuor, ad medias: Colat. adde
Succi Fumariae expurgati, *libr. unam ſemis.*
Borraginis,
Bugloſſi, *ana libram ſemis.*
Sacchari albi, *libras quatuor.*
Fiat Syrupus, ſecundum Artem.

Vires jam ſupra indicatæ ſunt: ſed in hac compoſitione ſunt adhuc majores, in depurando nempe ſanguine vitioſo. Ceterum aliam hujus Syrupi compoſiti deſcriptionem multo operoſiorem, Meſuæ adſcriptam, hac vero vix meliorem, vid. apud RENOD. *pag.* 658. *uti & varia in eadem recte reprehendit: item in* Diſpenſat. Vienn. Prag. *& aliis.*

Syrupus Glycyrrhizæ.

Diſp. Lond. Wirt. Vienn. Brand. Hamb. Hag. Ultraject.

℞. Glycyrrhizae, *uncias duas.*
Capillorum Veneris, *unciam unam.*
Hyſſopi, *unciam ſemis.*
Aquae, *libras duas.*
Species praedictae in aqua, prius fervefacta, horis viginti quatuor macerentur, deinde decoquantur ad dimidias, colaturae addendo
Mellis deſpumati, *uncias octo.*
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
Aquae roſarum, *uncias quatuor.*
Fiat ſyrupus, ſecundum artem.

Cum ſyrupo Capillorum Veneris convenit; pectoralis eſt, & pro edulcoratione decoctorum pectoralium inſervire poteſt.

Syrupus Granatorum.

Diſp. Argent. Wirt. Brand. Hamb. Prag.

℞. Succi granatorum acidodulcium depurati, *uncias decem.*
Sacchari albiſſimi, *uncias ſedecim.*

Solvantur & colentur; ſyrupus in vaſe vitreo ſervetur.

Eſt analepticus & leniter adſtringens; refrigerat, ſitim ſedat, bilem refrænat: inprimis in cardialgia, pro ſummo ſpecifico cenſetur a Jac. FABRICIO, *referente & approbante ipſius denero,* SIM. PAULLI, Quadrip. Bot. *pag* 384. *& ex eo,* GEOFFROY, Mat. Med. *T. III. pag.* 794. *&* ZORN. *pag.* 333.

Datur in potionibus, mixturis & julapiis.

Syrupus Granorum Kermes.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Groning. Prag.

℞. Coccinellæ, *unciam ſemis.*
Optime trita in
Aquæ Roſarum &
Cinnamomi, ſine vino, *ana unciis duodecim.*
Salis tartari fixi, *granis duodecim.*

Infundantur per noctem, addantur
Sacchari albi, *unciæ triginta duæ.*
Succi granorum Kermes, *unciæ duodecim*

Unica ebullitione fiat ſyrupus liquidus, qui, per linteum colatus, reponatur.

Analepticus eſt, diureticus & alexipharmacus; datur in variolis & morbillis, nec non febribus catarrhalibus.

Cum Confectione Alkermes convenit. Immo illi longe præferendus, quod caret nempe ſuſpecto illo lapide Lazuli, item Moſcho & Ambra. Vid. ſupra dicta ad Lap. Lazuli, *& ad* Conf. Alkermes.

Syrupus Hederæ Terreſtris.

Diſp. Wirt. Brand. Argent. Prag.

Sicut Syrupus betonicæ ex aqua deſtillata & herba ſicca paratur.

Hedera terreſtris vulneraria eſt, & nephritica; ſyrupus ad abſceſſus internos, ſputum cruentum ſanioſum phthiſicorum commendatur; conſolidat & mundificat, urinam & menſes promovet, ut & hydropicis utilis eſt. Vid. LANG. Ep. Med. *L. III. pag* 808.

In potionibus & electuariis propinari poteſt.

Syrupus Hyperici.

Diſp. Wirt. in reliquis fere deeſt.

℞. Florum hyperici recentium, *libram unam ſemis.*
Aquæ fontanæ ferventis, *libram un.*

Macerentur per diem integrum in loco calido; poſtea exprimantur, & ex
Infuſi clarificati, *unciis novem,* cum
Sacchari albi, *unciis ſedecim,*
Fiat ſyrupus.

Easdem vires, quas flores, habet; vulneratis, calculoſis, ac renum doloribus vexatis auxiliatur.

Docente QUERCETANO *in* Pharm. reſtituta; *inſtar balſami, omnibus reſiſtit corruptionibus ventriculi, ſpecificum eſt contra vermes: quod facilius quidem credendum, quam prius.*

* * *

Syruus

Syrupus Hyſſopi.

Diſp. Wirt. Vienn. Arg. Prag. Hag.

℞ Hyſſopi ſiccatæ, *uncias duas.*
Capillorum Veneris, *unciam ſemis.*
Radicum Helenii, *unciam unam.*
Apii, *unciam ſemis.*

Coque radices & Capillum Veneris in
Aquæ, *libris duabus ſemis.*
ad colaturæ remanentiam unciarum ſedecim, in qua infundatur Hyſſopus, & poſt digeſtionem in loco calido, infuſo expreſſo & clarificato adde
Sacchari albi, *libras duas, uncias octo.*
Fiat ſyrupus.

Viſcidos humores reſolvit, pulmones roborat, tuſſientibus & aſthmaticis commendatur, in potionibus & electuariis.

Syrupus Hyſſopi Compoſitus, Meſ.

Diſp. Brand. Lond. Prag. Hamb. Renod.

℞. Herb Hyſſopi in umbra mediocriter ſiccat.
Radic. Apii,
Fœniculi,
Glycyrrhizæ,
Petroſelini, *ana drachmas decem.*
Capillor. Veneris, *drachmas ſex.*
Semin. Cydoniorum,
Malvæ,
Tragacanthi, *ana drachmas tres.*
Hordei mundati, *unciam ſemis.*
Cibebarum exacinat. *unc. unam ſemis.*
Dactylorum,
Ficuum pinguium, *ana Num. decem.*
Jujubarum,
Sebeſten, *ana Num. triginta.*

Coq. in Aquæ fontanæ, *libris octo*, ad tertiæ partis remanentiam; Colaturae expreſſæ, &, ut Artis, clarificatæ add.
Sacchari albi, aut canti, *libras duas cum ſemiſſe.*

Et una alterave ebullitione, fiat ex arte, ſyrupus.

Eſt pectoralis & bechicus: compoſitus ex blandis reſolventibus, aperitivis, incraſſantibusque pectoralibus. Convenit ergo in tuſſi & aſthmate. Vid. huc SCHULZII Prælect. *pag.* 357. *&* CARTHEUSERI Pharmacol. *pag.* 649. *qui inſuper hæc in laudes hujus Syrupi, addit: ob egregiam virtutem demulcendi ac lubricandi, in morbis pectoris, a ſero acri productis, v. g. raucedine, angina ſpuria, tuſſi, aſthmate, nec minus in ardore urinæ frequentiſſime cum fructu præſcribitur, &c. Quæ utique ab ipſa veritate & experientia confirmantur. Ceterum plures ejusmodi ſyruporum bechicorum & pectoralium compoſitiones ægrotis profuturas, vid. in Cl.* HEINS Pharm. Rat. *pag.* 162 *ſqq.*

Syrupus de Ibiſco, *ſive* de Althæa Compoſitus Paris.

Diſpenſat. Paris.

℞ Radicum Althææ tuſarum & meditullio repurgatarum, *uncias duas.*
Raphani domeſtici,
Silveſtr. in talleolas ſectar.
Fœniculi,
Aſparagi,
Petroſelini,
Eryngii,
Bardanæ, contuſ. & a meditull. repurg.
Cicerum rubrorum, *ana unc. unam.*
Saxifragiæ albæ rotundifoliæ totius,
Foliorum Betonicæ,

Foliorum Pimpinellæ,
Helxines,
Plantaginis,
Summitatum Althææ, *ana unc. tres.*
Fructus Halicacabi, *No. triginta.*
Seminum quatuor frigidorum majorum,
Lithoſpermi, *ana drachm. tres.*
Glycyrrhizæ raſæ & contuſæ, *unc. unam.*

Coq. in Aquæ puriſſimæ, libris octodecim, ad libras decem, quibus deinde permiſce
Sacchari optimi, *libras quinque.*

Clarifica, & coque in Syrupum.

Ardorem urinæ demulcet, ac citra manifeſtum calorem, craſſam obſtruentemque pituitam, nec non viſcidam purulentamque Renum ſaniem & arenulas blande expurgat. Ceterum plurimum convenit cum quoad compoſitionem, tum quoad ipſum effectum, cum notiſſimo illo Syrupo de Althæa Fernelii, *cujus ſupra ſuo loco, deſcriptio exhibetur. Conf.* & Species de Althæa, *ſuperius ſub* Speciebus *variis, deſcriptas.*

Syrupus de Jujubis.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Lond. Prag. Leyd. Hag. ultraject.

℞. Jujubarum recentium, *uncias tres.*
Liquiritiæ, *drachmas ſex.*
Capillorum Veneris,
Florum violarum, *ana drach. quinque.*
Seminum Malvæ,
Cydoniorum,
Papaveris albi, *ana drachm. tres.*
Inciſa coquantur, in
Aquæ fontanæ, *libris duabus ſemis,* ad colaturæ remanentiam unciarum octodecim, in qua diſſolve
Tragacanthæ albæ electæ, *dr. unam.*
Sacchari albi, *uncias triginta duas.*

Fiat ſyrupus, qui, per colatorium trajectus, ſervetur.

Commendatur ad tuſſim ſiccam, ſputum tenuo ſuo lentore maturat, incraſſat, glutinat & expectorationem adjuvat idemque ad urinæ vitia confert. Vid. ZORN. Botanol. *pag.* 369. & RENOD. Diſp. Med. *pag.* 675. SCHULZ. Prael. *pag.* 357.

Propter mucilaginoſa ſemina & tragacantham, eſt conſiſtentiæ ſpiſſioris, & potius linctus, quam ſyrupus, vocari deberet; præſtat etiam, illum per linctus, quam hauſtus, aſſumi, aut aquis dilutum hauriri. Melior quoque & ſuavior eſt recens paratus, quam per diuturnius tempus, jam aſſervatus, inprimis propter adjecta ſemina, quæ inde etiam, ſine jactura virtutis ipſi adſcriptæ & competentis etiam, me quidem judice, rectius omitti poſſent.

Syrupus Kinæ Kinæ.

Diſp. Wirt. Paris. &c.

CHARAS Pharm. Reg. *T. I. p.* 142.

℞. Corticum Kinae Kinae pulveriſatorum, *uncias quatuor.*
Cinnamomi electi, *unciam unam.*
Vini rubri generoſi, *libras duas.*

Macerentur, in vitro probe clauſo, ſaepius vitrum movendo, per biduum; poſtea exprimantur ac colentur, in colatura, unica ebullitione, diſſolve
Sacchari albi, *uncias triginta duas.*

Fiat ſyrupus, qui per panum colatus, ſervetur.

Pueris medicamenta reformidantibus dari poteſt; præter vim antifebrilem, etiam tonicam & ſtomachicam habet.

Doſis uncia ſemis, ad integram

Syrupus Kinæ Kinæ ſine Vino.

Diſpenſ. Paris.

CHARAS, Pharm. Reg. *T. I. p.* 142.

℞. Cortic. peruv. triti, *uncias tres.*
Bulliant in Aquae fontan. *lib. quatuor*, ad tertiae partis Conſumtionem, Infunde per horas viginti quat.
Colat. expreſſae poſtea adde
Sacchari, *libram unam ſemis.*
Coq. lege Artis, in ſyrupum.

Utrique huic Syrupo vis quædam antifebrilis ineſt; ſed perquam exigua, ut ingenue fatear: igitur in febribus inveteratis & pertinacioribus, Medentis voto rarius reſpondebit ſperatus inde Effectus. Conf. in hanc rem jam ſupra dicta, ad Elixiria & Extracta Antifebrilia: *par enim eſt ratio. Præſtant igitur ſemper his omnibus* Electuaria antifebrilia, *ex ipſo Cortice peruv. recenti, aliisque commodis in hanc rem ingredientibus adjectis, parata. Quorum aliquot egregiæ compoſitiones ſupra ſuo loco, exhibitæ fuerunt. Interim tamen Syrupus iſte febrifugus teneris præſertim infantibus, forſan non ſine omni effectu, ſubinde offerri poterit.*

Syrupus Limonum.

Diſp. Groning. Paris.

℞. Succi Limonum, per ſubſidentiam depurat. *uncias ſedecim.*
Sacchari albiſſimi, *uncias triginta.*
Redigatur ſine coctione, in ſyrupum.

Blande refrigerat, ſitim ſedat, putredini reſiſtit, nauſeam tollit, & vomitus cohibet: Hinc in febribus ardentibus, putridis & malignis, quin & peſte ipſa, ſummi & notiſſimi uſus. Conf. ſupra Syrupus Acetoſitatis Citri, *qui ejusdem eſt virtutis.*

Syrupus de Manna Laxativus.

Diſp. Wirt. Vienn. Prag. Brand.

℞. Radicis Polypodii, *unciam un. ſemis.*
Specierum florum florum & fructuum,
Paſſularum minorum, *ana unc. duas.*
Macerentur, per noctem, in
Aquae fontanae ferventis, *libris duabus ſemis.*
mane coquantur ad tertiae partis conſumtionem, colentur, in colatura infunde
Foliorum Sennae electae, *unc. quatuor.*
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Galangae,
Macis,
Zinziberis, *ana drachmam unam.*
Digerantur per viginti quatuor horas, in loco calido, exprimantur, expreſſum albumine ovi clarificetur, atque cum clarificato diſſolvantur
Mannae Calabrinae, *unciæ ſex.*
Sacchari albi, *unciæ viginti duæ.*
Fiat ſyrupus.

Datur pueris, ſcopo laxativo, ad humores a pectore derivandos, & recens natis, ad meconium educendum. Vid. THONERI Append. *ad* Obſſ. Med. *pag.* 367. *Conf. ſupra* Electuarium de Manna.

Doſis ſcrupuli duo, ad unciam ſemis.

Syrupus de Manna Solutivus, Mindereri.

BENNET. *Theatr. Tabid. pag.* 181.

℞. Pulpae Tamarindor. *uncias duas.*
Jujub.
Sebeſt. *ana No. viginti.*
Prunorum damaſcen.

Caricarum ping. *No. decem.*
Hordei integri, *manipulum ſemis.*
Polypodii quern. *unc. quatuor ſemis.*
Semin. Fœniculi, *drachmas duas.*
Aquae Fontan. *libras ſeptem.*

Coque ad Remanentiam, *librarum quinque.*

In Colatura calida infund. per noctem:

Folior. Sennae elect. *unc. duas.*
Agarici trochiſcati,
Rhabarb. opt. *ana drachmas tres.*

Colaturæ leviter expreſſae iterum adde:

Mannae Calabrinae,
Mellis roſac. ſolut. *ana uncias octo.*
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*

Miſc. Fiat lege Artis, ſyrupus, dr. duabus Cinnamomi aromatizandus.

Easdem pæne virtutes habet, ac præcedens Syrupus de Manna laxativus: *In Morbis pectoris, a lenta pituita præſertim ortis, mirum in modum, commendatur ab ipſo Inventore* Minderero, *nec non* Benneto, *ſeu* Benedicto, *qui ſalutarem ejus uſum a fida experientia plus ſemel didicit, ut paſſim in ipſo egregio opere docet. Ceterum conf. ſupra* Electuaria de Manna.

Syrupus Maſtichinus.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Maſtiches electae, parum contuſae, *uncias duas.*

Infunde in

Aquae maſtichinae, *unciis duodecim.*

Stent in vaſe probe clauſo, in digeſtione, per triduum; poſtea colentur, in colatura diſſolve

Sacchari albi, *uncias ſedecim.*

Syrupus in vaſe probe munito ſervetur.

Ad ventriculi vitia, a cauſa frigida orta, catarrhos, & ad cerebrum roborandum convenit.

Potionibus & electuariis additur; vel etiam, pro lubitu, ab uncia dimidia, ad integram exhibetur.

Syrupus Meliſſæ.

Eodem modo paratur, quam ſequens Syrup. Menth.

Adſcribuntur vires cordiales, nervinæ & uterinæ.

Syrupus Menthæ.

Diſp. Paris. Wirt. Prag. Argent.

℞. Herbae Menthae ſiccae, *unc. quatuor.*
Aquae Menthae, *libram unam.*

Digerantur in vaſe clauſo, per biduum, exprimantur, & in colatura, unica ebullitione, diſſolvantur

Sacchari albi, *unciæ ſedecim.*

Ventriculum roborat, vomitus & nauſeam tollit, carminativus & hyſtericus eſt: quæ etiam omnia conveniunt Melli Menthæ, Superius ſuo loco, deſcripto.

Syrupus Menthæ Compoſitus.

Diſpenſ. Lond. Renod. Leyd. ultraject. Rotterdam. Amſtel.

℞. Succi Cydoniorum dulc. & acidodulcium,
Granator. acidodulc. & acid. *ana libram unam ſemis.*
Menthæ ſiccæ, *libram ſemis.*
Roſarum rubrarum, *uncias duas.*

Miſceri macerarique patere in ſequentem diem: tum coque ad medias; & cola: ſaccharoque injecto, ad *libras quatuor*, fiat Syrupus ſecundum Artem.

Iisdem pollet virtutibus, cum præcedenti Syrup. de Manna ſolutiv. Mind.

immo adhuc majoribus, in compeſcendo vomitu, & nauſea cohibenda, ob adjecta nempe acida: unde inde ſuaviſſimum enaſcitur Medicamentum, tam odorem, quam ſaporem. Ceterum alium Syrupum ex Menthæ recentis ſucco, vel decocto paratum exhibent Diſp. Hamb. Prag. Argent. Brand. *& alia nonnulla.*

Syrupus Mercurialis, *ſive* Prophylacticus, *Syrop te Longue Vie Dictus.*

Diſp. Paris. Wirt.

Pharm. Reg. CHARAS, *p.* 137. *T. I.*

℞. Succorum Mercurialis, *libr. quatuor.*
Borraginis,
Bugloſſi, *ana libram unam.*
Mellis optimi albi, *libras ſex.*

Coquantur & deſpumentur; poſtea

℞. Radicum Gentianae, *uncias duas.*
Iridis noſtratis, *uncias tres.*
Vini albi, *libram unam ſemis.*

Radices inciſæ macerentur in vino, per viginti quatuor horas; poſtea exprimantur, cum ſuccis e melle permiſceantur, lenique igne ad ſyrupi conſiſtentiam coquantur, atque per pannum colatus ſyrupus ſervetur.

Adſcribitur huic ſyrupo virtus ſingularis prophylactica, ad vitam prolongandam, podagræ, hydropis, calculi, aliorumque morborum inſultus arcendos & mitigandos. Sed credat, qui volet, immo qui poterit. Neſcio enim, unde tanta virtus huic Syrupo venerit.

Doſis, jejuno ſtomacho, quotidie uncia dimidia, vel integra.

Syrupus Mororum.

Diſp. Wirt. Renod. Paris.

℞. Succi mororum maturorum, *uncias viginti.*
Sacchari albiſſimi, *unc. triginta duas.*
Fiat ſyrupus.

Cum ſyrupo ceraſorum convenit; præcipue autem ad oris & linguæ aſperitatem & inflammationem, aphthas & anginam laudatur: qualibus virtutibus etiam gaudet Mel Mororum, *ſuperius ſuo loco deſcriptum.*

Syrupus de Mucilaginibus.

Diſpenſat. Lond.

℞. Seminum Althææ,
Malvarum,
Cydoniorum, *ana unciam unam.*
Gummi Tragacanthæ, *drachm. tres.*

Horum perfuſioni ſex Horæ concedantur in decocto tepido
Malvarum,
Semin. papaveris albi, &
Granorum Alkekengi,

Tum exprimatur Mucilago, ad *unciam unam ſemis*, ex qua, cum decocti prædicti decocti *unciis tribus*,
Sacchari albiſſimi, *unciis duabus*,
Fiat ſecundum Artem, Syrupus.

Eſt blande demulcens anodynum, paregoricum & bechicum. Inde tam in pectoris, quam renum & veſicæ, morbis a cauſſa acri ortum ducentibus, non ſine fructu ac ſperato ſucceſſu, adhiberi poterit.

Syrupus de Muſco Querno. *ad Tuſſim convulſivam.*

Diſp. Wirt. FULLER. Pharm. extemp. *p.* 358. *in reliquis Diſpenſat. deſideratur.*

℞. Muſci querni barbati, Bryon dicti, *uncias tres.*
Herbæ botryos, ſive Atriplicis Mexicanæ ſuaveolentis,
Paſſularum minorum, *ana unciam unam ſemis.*
Radicum Symphyti majoris, *unc. un.*

Radicum Liquiritiæ, *unciam ſemis.*
Infundantur in
Aquæ fontanæ ferventis, *libra una ſemis*;
digerantur per noctem, coquantur lento igne, ad colaturæ remanentiam unciarum decem, in qua clarificata diſſolve
Sacchari, *uncias ſedecim.*
Fiat ſyrupus, cui refrigerato adde
Balſami Tolutani, *dr. unam ſemis.*
cum
Sacchari albi, *uncia una ſemis triti.*
Miſce exacte & ſerva.

Celebris in Anglia & efficax eſt contra tuſſes clangoſas & convulſivas puerorum, ſi cochlear unum vel duo propinentur, ſæpe, in die, ante & poſt ſingulos tuſſiendi conatus. Vid. ſuperius P. I. ad Muſcum arboreum quernum *dicta.*

Dari etiam poteſt in aqua hyſſopi, vel decocto pectorali, per aliquot dies.

Syrupus de Myrrha.

Pharm. Batean. p. 160.

℞. Myrrhæ optimæ, *drachmas quinque.*
Croci, *ſcrupulos quatuor.*
Hyſſopi,
Tuſſilaginis, *ana manipul. tres.*
Capillor. Veneris, *manipul. unum.*
Sem. Bombac. *unciam unam.*
Uvar. paſſ. exacinat. *uncias tres.*

Coq. in Vini albi, *libra una ſemis,* ad mediet. Col. add. Sacchari optimi, *uncias octo.* Coq. in Syrupi Conſiſtentiam ſec. artem.

Pectoralis eſt, aſthmaticus, aperitivus, emmenagogus, &c. Doſ. unc. un. ad duas. *Alium Syrup. de Myrrha ſimpliciorem vid. apud* FULLER. *pag.* 357.

Syrupus Myrtillorum.

E ſucco, ſicut ſyrupus mororum paratur.

Refrigerat & leniter adſtringit, in fluxionibus alvi & ſanguinis commendatur. Vid. LANG. Epiſt. Med. *Lib. III. pag.* 809.

Syrupus Myrtinus Compoſitus Meſ.

Diſp. Brand. Lond. Ratisb. Rotterdam. Amſtel. Leyd. Groning.

℞. Baccarum Myrti, *uncias duas cum ſemiſſe.*
Berberum,
Balauſtiorum,
Roſarum rubrarum,
Sumach,
Santali albi,
rubri, *ana uncias duas.*
Meſpilorum immaturorum, *uncias ſex.*
Succi Cydoniorum,
Pomorum agreſtium, *ana libram ſemis.*
Aquæ fontanæ, *libras octo.*

Coquantur ad caſum duarum fere tertiarum: In Colatura expreſſa & clarificata, ſolve
Sacchari puri, *libras tres.*
Tum levi ebullitione, fiat lege Artis, Syrupus.

Et Græci, & Arabes Myrti baccis multum tribuebant in compeſcendis omnis generis profluviis, tam ſanguinis, quam Ventris, & uteri. Dabant aqua ferrariorum dilutum; pro qua hodie fere aqua, aut ſuccus plantaginis adhibetur. Præcipue ad Electuaria & Confectiones, quibus tali caſu utimur, ſolet expeti. Hæc SCHULZ. *in* Præl. *p.* 359. *Add.* CARTHEUSERI Pharmacol. *pag.* 651.

ubi plura de laudibus, & uſu potiſſimum externo hujus egregii Syrupi. Conf. RENOD. *pag.* 668.

Syrupus de Nicotiana.

Diſp. Brand. Wirt. Batean. Arg.

℞. Succi nicotianæ, *libras duas.*
Hydromellis ſimplicis, *libr. un. ſemis.*
Oxymellis ſimplicis, *uncias quatuor.*

Digere in balneo, aut alio loco temperato, per duas vel tres dies, ut defecetur; clarum, per declinationem vaſis, a fecibus ſeparatum denuo, per viginti quatuor horas, digere: donec ab omni feculentia ſuccus depuratus ſit, adde

Sacchari albi, *libras tres.*

Permiſce, & in ſyrupi conſiſtentiam redige.

Nota: Ad vehementiam nicotianæ corrigendam, opus eſt, ut digeratur & quaſi fermentetur ſuccus, quæ vehementia poſtea per longiorem coctionem magis diminuitur; ſecundum deſcriptionem igitur praeparanda eſt. Wirt.

Ad aſthmaticos affectus, ubi pulmones pituita craſſa ac viſcoſa infarcti, tuſſim humidam, ubi expectoratio difficulter ſuccedit, commendatur; cerebrum a catarrhis & fluxionibus ſeroſis & frigidis liberare, imo epilepſiam tollere perhibent; præter quod pectus mirifice per ſuperiora evacuet, per inferiora etiam potenter educit. Conf. ſupra Extractum Nicotianae, & Oxymel *de* peto, *apud* FULLER. Pharm. Ext. *pag.* 271.

Pectorali ſcopo, modica quantitate, quæ vomitum excitare nequeat, ſed potius reſolvendo & anodyno effectu juvet, ſyrupus hic exhiberi debet; quodſi vero vomitus vel nauſea excitetur, hauſto vino calido aromatiſato mox conquieſcet. Vid. SCHULZ. Praelect. *pag.* 360.

Doſis drachma una, ad duas, tres, vel quatuor.

Syrupus Nuciſtæ.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Nucis moſchatae, *uncias duas.*
Pulveriſatis affunde
Vini generoſi Burgundiaci, *libram unam.*

Digerantur in vaſe clauſo, per tres dies; poſtea exprimantur & in colatura diſſolvantur

Sacchari albi, *unciæ ſedecim.*

Serventur.

Eſt carminativus & ſtomachicus, alvi fluxiones & vomitus ſedat. Vid. SCHULZ. *pag.* 360.

Datur in mixturis & electuariis.

Syrupus Ophthalmicus Cardani.

CHESNEAU, *Ord. Remed. Alphabet. pag.* 574.

℞. Ligni ſancti raſpati, *libram unam.*
Corticis ejusdem, *uncias tres.*
Sarſaparillae, *uncias duas.*
Rutae,
Euphraſiae,
Chelidon. *ana manip. unum ſemis.*
Folior. Sennae, ſine ſtip. *uncias duas.*
Cinnamomi,
Santali citrin. *ana drachm. tres.*
Aquae fontanae,
Vini opt. *ana libras quinque.*
Mellis puri, *libras duas.*

Fiat Syrupus ſecundum Artem ex Colatura.

Cujus doſis cochlearia duo, aut tria, quolibet Mane, vacuo adhuc ſtomacho.

Hoc Remedium in debilitate viſus, poſt ipſum Cardanum, mirum in modum commendat HORSTIUS, *ipſe expertus, Lib. II. de* Sanitate tuenda. *Ceterum ex hujus decocti Reſiduo fit etiam commode potus ordinarius, in eadem quantitate Aquæ & Vini.*

Syrupus Pæoniæ Florum.

Diſp. Arg. Wirt. Ratisbon. & al.

℞. Paeoniae florum recentium, *libras tres ſemis.*
Aquae fontanae ferventis, *libras quatuor.*

Fiat infuſio per horas viginti quatuor, poſtea exprimantur.

℞. Expreſſi hujus, *uncias octodecim.*
Sacchari albi, *uncias triginta duas.*
Fiat ſyrupus.

Epilepticis dicatus eſt, & vi ſua anodyna motus reſtinguere valet. Vid. BOERHAAVE, Hiſt. Plant. *Tom. I. pag.* 373. FRIDERICI, Diſſ. *de* Paeonia, & ZORN. Botanol. *p.* 532. & *inprimis* HÜNERWOLFF. *in* Anat. Paeoniae, *pag.* 72.

Datur in mixturis infantibus, ad drachmas duas, vel tres.

Syrupus Papaveris Albi.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. Hamb. Groning. Hag.

℞. Capitum Papaveris albi, cum ſeminibus *uncias octo.*
Aquae, *libras quatuor.*

Decoquantur ad dimidium, cui decocto addantur
Sacchari albi, *libræ tres.*
Fiat Syrupus.

Adhiberi ſolet in tuſſi acri, a materie tenui, humores inſpiſſat, demulcet, anodynus eſt, & ſomnum conciliat; datur etiam in ardore urinæ; exhibetur in emulſionibus, vel ſolus.

Doſis a drachmis duabus, ad ſex.

Syrupus de Papavere Compoſitus Meſ.

Diſpenſ. Brandenb.

℞. Capitum utriusque papaveris recentium cum Semine, *uncias ſeptem.*
Capillorum Veneris, *unciam unam cum ſemiſſe.*
Glycyrrhizae raſae, *drachmas ſex.*
Jujubarum, *No. triginta.*
Seminis Lactucae, *uncias quinque.*
Cydoniorum,
Malvae, *ana drachmas ſex.*

Coq. in Aquae fontanae *libris ſeptem,* ultra dimidii evaporationem. Colat. expreſſ. & clarificatae adde:
Sacchari canti albi, *libras tres.*

Fiat coquendo, lege Artis, Syrupus durabilis.

Commendatur a Meſue Auctore, ad Tuſſim ſiccam, deſtillationes acres irritantes, phthiſin & vigilias nimias, præſertim ab importuna tuſſi dependentes. Alii laudant effectum præſentem a ſola gargariſatione, ſi dilutus vel aqua frigida, vel deſtillata farfaræ, aut Capilli Veneris, adhibeatur. Jac. Sylvius etiam ad alvi fluxus & dyſenteriam bene ipſum facere perhibet. Hæc SCHULZ. *in* Praelect. *pag.* 361.

Syrupus Papaveris Erratici.

Diſpenſ. Lond. Wirt. Hamb. Brand. Groning. Hag.

℞. Florum Papaveris erratici, *libr. duas.*
Infundantur in
Aquae ferventis purae, *libris tribus.*
Mace-

Macerentur per viginti quatuor horas, exprimantur, & cum

Sacchari albiſſimi, *libris quinque, unciis quatuor.*

Fiat ſyrupus.

Specificum habetur in pleuritide: præmiſſis nempe præmittendis, ſed larga præſertim venæ ſectione in parte affecta, ut docuimus in Libello noſtro. *Blandiſſimum eſt anodynum & demulcens; additur julepis & electuariis, nec non decoctis.*

Syrupus Paſſularum Laxativus.

Diſp Brand. Hag. Ultraject.

℞. Paſſularum minorum, *libras duas.*

Coq. cum Aquae fontan. ſimpl. ſuffic. quantitate. Colaturae leniter expreſſ. recipe *libras tres*, quibus add.

Foliorum Sennae Alexand. *uncias duas cum ſemiſſe.*

Seminis Aniſi mundati, *unciam ſemis.*

Cinnamomi acuti, *drachmas duas.*

Digere aliquantiſper, tum cola: huic colatur. add.

Sacchari albiſſimi, *libram unam.*

Mannae Calabr. recent. *libram ſemis.*

Coquantur lege Artis, ad juſtam Syrupi conſiſtentiam.

Mitiſſime alvum ducit: Vires habet a Foliis Sennæ & Manna: Ideo non eſt contemnendus, modo caveatur, ne Sennæ Virtus laxativa Coctione, quam non perfert, diſſipetur. Ita SCHULZIUS *in* Praelect. *pag.* 361. *ubi & exemplum ſingulare cujusdam Hernioſi commemorat, cui hic ipſe Syrupus, aut, ad hanc certe normam paratus, præſentiſſimum atrociorum dolorum levamen ac Solatium attulit. Ceterum conf. ſupra* Mel Paſſulatum Mayerne.

Syrupus Perſicorum Florum.

Diſp. Lond. Wirt. Renod. Amſtel.

℞. Florum Perſicorum recentium, *libram unam.*

Macerentur horis duodecim in

Aquæ calentis, *libra una;*

poſtea exprimantur, & in

colaturæ depuratæ, *unciis novem,* ſolvendo

Sacchari albi, *uncias ſedecim.*

fiat ſyrupus.

Infantibus teneris vomitum movet; provectioris ætatis laxat alvum, bilem & lumbricos educit. Vid. GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. III. pag.* 807. PAULLI, *pag.* 90. HERMANN. *p.* 384. & ZORN *pag* 507.

Datur a drachma una, ad unciam dimidiam & integram.

Syrupus Pomorum Regis Saboris, *vel* Saporis, Mes.

Diſpenſ. Prag. Vienn. Paris. Flor. Meſſan. Lond. Renod. Hamb. Potter.

℞. Succi pomorum dulcium fragrantium,

Borraginis,

Bugloſſi, *ana libram unam ſemis.*

Folliculorum Sennæ, *uncias duas.*

Seminis Aniſi, *unciam ſemis.*

Senna conciſa per viginti quatuor horas, in ſuccis maceretur; ſemel, aut bis, ebulliendo; dein colentur: Colatura clarificata cum

Sacchari albi, *libris duabus.*

Coquatur in Syrupum; in fine denique addendo

Croci Auſtriaci in petia ligati, *drachmam unam.*

Vitales ſpiritus recreat, mentem exhilarat, melancholicum humorem contemperat, & purgat, craſſos & lentos

humores attenuat, flatus diſcutit, ventrem blande ſubducit, & ſanguinem puriorem reddit. Ita ſatis magnifice RENODAEUS, *pag* 668. *qui & inſuper addit: Nullum pharmacopolium hoc Syrupo eximio carere debet. At multa tamen eodem hodie carent pharmacopolia, ſine ullo humanæ ſalutis detrimento. Interim autem huic ipſi Syrupo ſatis concinnæ quidem compoſitionis, ſuæ virtutis laus minime deneganda.*

Syrupus Pomorum Simplex.

Diſp. Arg. Brand. Paris Hamb.

℞. Succi pomorum vinoſorum, *libras quinque.*

Cum Sacchari partibus æqualibus Fiat ex arte, Syrupus.

Huic Syrupo vires roborandi, refrigerandi, ſitim ſedandi, & bilem compeſcendi, tribuuntur. Conf. SCHULZ. Prælect. *p.* 362. & RENOD. *p.* 667.

Syrupus de Portulaca Compoſitus.

Diſp. Brand. Meſſan. Amſtel.

℞. Seminis Portulacæ triti, *libram ſemis.*
Succi Endiviæ depurati, *libras duas.*
Granatorum acidorum, *unc. novem.*

Infuſum cum Succis ſemen macera horis viginti quatuor; poſtea igne leni coque ad conſumtionem mediæ partis.

In Colaturæ Libra una cum ſemiſſe, ſolve Sacchari tantundem, ac unica ebullitione & clarificatione, ex Arte, Syrupum confice durabilem.

Commendatur a Meſue Auctore, ad ſitim, febrium ardorem, ventriculi & hepatis intemperiem calidam corrigendam, tanquam valenter refrigerans. Ita SCHULZ. *in* Prælect. *p.* 362. *Ceterum alium Syrup. Portulacæ compoſitum vid. apud* LANG. Epiſt Med. *L. III. p.* 808.

Syrupus Quinque Radicum Aperientium Majorum.

Diſp. Brand. Leid. Hamb. Argent. Paris. Prag. Groning. Lond.

℞. Radicum Apii,
Aſparagi,
Fœniculi,
Petroſelini,
Ruſci, *ana uncias duas.*
Aquæ Fontanæ, *libras quinque.*
Aceti Vini albi, *uncias octo.*

Coquantur ad Conſumtionem tertiæ circiter partis: Colaturæ expreſſæ adde
Sacchari, *libras tres.*

Clarificando ex Arte & coquendo, fiat ſyrupus.

Leniter incidendo & abſtergendo, agit, & in hepatis, lienis, meſenterii, renum, aliorumque viſcerum obſtructionibus prodeſſe, bilemque viſcidam temperare, atque reſolvere dicitur. Ita Cl. CARTHEUSERUS, *in* Pharmacol. *pag.* 652. *Add. B.* SCHULZII Prælect. *pag.* 363. & Cl. KLEINII Select. Rat. Medic. *pag.* 277.

Syrupus de Rhabarbaro Deodati, In Valetudinar.

Diſp. Wirt. Lond.

℞. Rhabarbari veri,
Foliorum Sennæ, *ana unciam unam ſemis.*
Cinnamomi, *drachm. unam ſemis.*
Salis Tartari, *ſcrupulos duos.*
Zinziberis, *drachmam ſemis.*

Infunde inciſa in
Aquæ Cichorii, *unciis decem.*
Roſarum, *unciis quatuor;*

ſtent in digeſtione, per triduum, in loco calido, donec, unica ebullitione facta, exprimantur; in

colaturæ, albumine ovi clarificatæ, *unciis novem.*

diſſolve

Sacchari albi, *uncias ſedecim.*

Fiat ſyrupus.

Alvum leniter ſubducit, bilem evacuat, & præcipue recens natis, ad educendum meconium utiliter datur.

Doſis tenerrimis drachma ſemis, ſcrupuli duo, ad drachmam unam; in adultioribus ad unciam unam aſcendere licet.

Syrupus Ribium.

Diſp. Brand. Wirt. Prag. Amſt. ultraject.

℞. Succi Ribium depurati, *unc. decem.*
Sacchari albiſſimi, *uncias ſedecim.*

Fiat præſcripto modo ſyrupus.

Acidus eſt & mitior Syrupo berberum, ſitim & æſtum mitigat, & bilioſis convenit.

Syrupus Rorellæ.

Diſp. Wirt. Paris.

℞. Herbæ Rorellæ, *uncias duas.*
Eryſimi, *drachmas ſex.*
Pulmonariæ quercinæ, *unc. ſemis.*
Florum Farfaræ,
Radicum curcumæ, *ana drach. duas.*
Liquiritiæ, *unciam unam.*
Paſſularum minorum, *uncias duas.*
Croci Orientalis, *drachmam unam.*

Inciſa perfundantur

Aquæ fontanæ bullientis, *libr. tribus.*

Coquantur parum, exprimantur; in expreſſo diſſolvantur,

Sacchari albi, *libræ duæ.*

Coquantur ad juſtam ſyrupi conſiſtentiam.

Commendatur ad raucedinem inveteratam, aſthmaticis, & tuſſim ferinam.

Doſis uncia ſemis ad integram.

Syrupus Roſatus Simplex.

Vid. Diſpenſat. omnia.

℞. Muchari Roſarum, *libram un. ſemis.*
Sacchari albi, *uncias triginta duas.*

Solvantur unica ebullitione, & per pannum colatus ſyrupus ſervetur.

Alvum laxat leniter; Aphthis medetur, ac non ſine fructu decoctis pectoralibus additur.

Syrupus Roſatus Solutivus.

Diſp. Wirt. Brand. Lond. Amſt.

℞. Florum Roſarum pallidarum, *libras quatuor.*

Infundantur in

Aquæ fontanæ calidæ, *libris octo.*

per viginti quatuor horas, poſtea colentur & exprimantur. In colatura denuo

Roſarum eadem quantitas infundatur, idque tertium repetatur; tandem, in

infuſi, *unciis novem.*

ſolvendo

Sacchari albi, *uncias ſedecim.*

fiat ſyrupus.

Alvum blande ſubducit, & neonatis atque tenerrimis ad drachmam unam datur; adultioribus ab uncia ſemis, ad drachmas ſex porrigi poteſt. Conf. ſupra Mel Roſatum ſolutivum. *Sed vid. inprimis* PANAROLI Obſ. Med. 34. Pentecoſt. *V. pag.* 334.

***

Syrupus Roſatus Solutivus cum Senna.

Diſpenſ. Leid. Hag. Rotterdam.

℞. Foliorum Sennæ mundator. *uncias octo.*

Macerentur biduo, in
Infuſionis Roſarum pallidarum, *quant. ſuff.*

Colaturæ expreſſæ adde:
Sacchari albi, *libras duas.*

Fiat ſecundum Artem, Syrupus; cui, antequam frigeſcat, admiſce Elæoſaccharum ſeq.

℞. Olei ſtillat. Aniſi,
Fœniculi, *ana guttas octo.*
Sacchari opt. *unciam dimidiam.*

Fiat ex Arte, in Mortario Vitreo Elæoſaccharum.

Ad hanc normam fiunt etiam Syrupi Roſ. ſolut. cum Agarico, atque Helleboro, quorum deſcriptiones extant in Diſpenſat. Lond. *& in aliis: Vid. &* Diſp. Paris. *ubi Agaricus & Senna ſimul addita.*

Syrupus e Roſis Siccis.

Diſp. Vienn. Wirt. & reliq.

℞. Florum Roſarum rubrarum ſiccorum, finiſſimorum, *libr. ſemis.*
Aquæ fontanæ ferventis, *libram unam ſemis.*

Macerentur per *viginti quatuor horas*, exprimantur, in
colaturæ, *unciis novem*
diſſolvantur
Sacchari albi, *unciæ ſedecim,*
fiatque ſyrupus.

Leniter adſtringit, atque in alvi fluxionibus utiliter adhibetur.

***

Syrupus Rubi Idæi.

Diſp. Wirt. Prag. Hamb. Ratisbon.

℞ Succi baccarum rubi idæi depurati, *uncias viginti.*
Sacchari albi, *uncias triginta duas.*
Fiat ſyrupus.

Sapore & odore delectat, analepticus & refrigerans eſt; omnibus hinc gemmis, & remediis analepticis & cardiacis eum longiſſime anteponit GESNERUS, *ipſius uſum & in ſe ipſo, & in aliis expertus,* Epiſt. Med. *L. I p.* 4. 6. *admiſcetur julapiis & mixturis cordialibus, & in febribus tam intermittentibus, quam continuis malignis, non ſine effectu exhibetur.* (*Vid.* CAMERARII *&* SCHULZII Diſſert. *de* Rubo Idæo.)

Syrupus Sambucinus Compoſitus.

Pharm. Batean. pag. 161.

℞. Baccarum Sambuci maturarum & a ſtipit. liberatar. *libras duas.*
Uvarum Corinthiacar. mundat. & inciſar. *libram unam.*
Florum ſiccat. Borraginis,
Bugloſſ.
Violarum,
Roſ. rubr. *ana unc. ſemis.*
Vini rubelli, *libras duas.*

Coq. in Clibano: poſt Colaturæ claræ adde
Sacchari optimi, *quant. ſuff.*

Tumque coq. in Syrupum ſecundum Artem.

Cardiacus, alexipharmacus & uterinus eſt: Sudorem quoque & urinam movet, & alia præſtat egregia. Ceterum alium Syrupum Sambucinum acetoſum alexiterium deſcribit & mire commendat BLOCHWITIUS, *in* Anatomia Sambuci, *Sect. III. Cap.* 19. *pag.* 147. *&*

paſſim in iſto utili opuſculo. Conf. ſupra Mel Sambuci.

Syrupus Scelotyrbicus.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Brand. Hamb.

℞. Succi Naſturtii aquatici,
Beccabungæ, *ana libram ſemis.*
Fumariæ,
Lupuli, *ana uncias tres.*
Miſceantur & coquantur, cum
Sacchari albi, *unciis ſedecim,*
ad ſyrupi ſpiſſioris conſiſtentiam, qui, per pannum colatus,
Aquæ naſturtii,
vel
Cochleariæ, *uncia una,* vel *duabus* diluendus.

Commendatur a Foreſto *inventore, ſcorbuticis, & præſertim ejus uſus externus, ad oris & gingivarum exulcerationes. Vid.* SCHULZ. Præl *pag.* 365. *Conf. ſupra* Syrupus antiſcorbuticus. *& infra* Vinum ſcelotyrbicum.

Syrupus de Scilla, *ſive* Oxyſaccharum Scilliticum Londinenſ.

Diſp. Wirt.

℞. Aceti ſcillitici, *libram unam ſemis.*
Cinnamomi acuti,
Zinziberis, *ana unciam unam.*
Poſt digeſtionem per triduum colentur, addantur
Sacchari albi, *unciæ triginta*
& fiat unica ebullitione in vaſe figulino probe vitreato ſyrupus, qui colatus, in vitro, vel vaſe porcellano, ſervandus.

Prodeſt aſthmaticis, reſolvit atque easdem, quas oxymel ſcilliticum, vires habet; gratior tamen eſt, & pro illis, qui mel tolerare nequeunt, parandus.

Doſis drachmæ duæ, uncia dimidia ad drachmas quinqu. Conf. ſupra *Eſſentia Scillæ.*

Oxyſaccharum Emeticum.

Vid. ſupra ſuo loco.

Syrupus de Scolopendrio, Ferneli.

Diſpenſ. Lond.

BAUDERON. Pharm. *pag.* 41.

℞. Scolopendrii, *manipulos tres.*
Polypodii quern.
Radic. utriusque Bugloſſi,
Cort. Radic. Capparum,
Tamariſci, *ana uncias duas.*
Lupi ſalictarii,
Cuſcutæ,
Capill. Veneris,
Meliſſophyll. *ana manipulos duos.*
Aquæ fontanæ, *libras novem.*
Coctis ad Liquoris *libras quinque* & colatis adde:
Sacchari albi, *libras quatuor,*
Fiat ſic Syrupus ſecundum Artem.

Commendatur in obſtructionibus hepatis, lienis & meſenterii, ictero, Cachexia, Melancholia, Malo hypochondriaco, & aliis Morbis a Viſcerum inprimis obſtructione aut labe ortum ducentibus. Nec inde contemnenda eſt compoſitio; a magno nempe Fernelio *inventore, merito laudata.*

Syrupus Scordii.

Diſp. Argent. Brand. Wirt. Prag.

℞. Herbæ ſcordii, in umbra ſiccatæ, *uncias quatuor,*
infunde in
Aquæ fontanæ ferventis, *libra una.*
Digerantur per noctem, poſtea exprimantur, & in

expreſſi clarificati, *unciis novem*
diſſolve
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
Fiat ſyrupus.

Alexipharmacus & anthelminticus eſt. Vid. SCHULZ. Prælect. *p.* 366.

Syrupus de Scordio Compoſitus.

Diſpenſ. Brand. Meſſan.

℞. Florum Borraginis,
Citri,
Nymphææ,
Roſarum, *ana drachm. quinque.*

Coq. in Aquæ Hordei, *libris duabus,* ad mediæ partis conſumtionem. Colaturæ expreſſæ libræ uni adde:
Succi Scordii recens expreſſ. & depurati, *libras tres.*
Sacchari albi totidem,

Coq. ex Arte; clarificato ſub finem addendo:
Camphoræ, *ſcrupulum ſemis,*
ad exactam nempe ſyrupi conſiſtentiam.

Auctore Hieron. MERCURIALI, *Lib. de* Febribus, *Cap. de* Febri malignæ, *cui hæc concinna compoſitio debetur, convenit præcipue hic ſyrupus in Febre petechiali, omnibusque Morbis ab humorum corruptela, ſeu putredine ortis. Vid.* SCHULZ. Prælect. *p.* 366.

Syrupus Sedi Majoris, *ſive* Sempervivi.

Diſp. Wirt. Argent. in reliquis rarius occurrit.

℞. Succi Sempervivi majoris, ad dimidiæ partis conſumtionem, in vaſe terreo vitreato, evaporati, *uncias decem.*
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*

Miſce, fiat ſolvendo, ebulliendo & colando ſyrupus.

Febrium æſtus potenter extinguit, præcipue vero ad linguæ & faucium ariditatem, aphthas, & inflammationem valet.

Datur cum mucilagine cydoniorum.

Syrupus de Spina Cervina, *vid. ſupra* Syrupus Domeſticus.

Syrupus de Stoechade.

Diſp. Leid. Wirt. Paris. Leod. Lond. Amſt. Brand. Groning.

℞. Florum Stœchadis Arabicæ, *uncias duas.*
Rorismarini, *drachmas duas.*
Calaminthæ montanæ,
Origani,
Thymi, *ana drachmas tres.*
Betonicæ,
Salviæ, *ana drachmas duas.*
Seminum Aniſi,
Pæoniæ, *ana drachmas duas ſemis.*
Calami aromatici,
Cinnamomi,
Zinziberis, *ana drachmam unam.*

Inciſa infundantur in
Aquæ ferventis, *libra una;*

Macerentur per biduum in loco calido; poſtea exprimantur, & in
expreſſi, *unciis novem,*
diſſolve, unica ebullitione,
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*

Per pannum colatus ſyrupus ſervetur.

Cerebri atque nervorum morbis, a cauſa frigida, medetur, ventriculum corroborat, & concoctionem adjuvat: Multisque aliis virtutibus pollet, teſte

FERNELIO, *inventore*, *Lib. VII. de* Method. med. *p.* 127. *vid.* SCHULZ. Prælect. *pag.* 366. & CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 655.

Additur electuariis & potionibus.

Syrupus de Sulphure.

Pharm. Bat. pag. 162.

℞. Hepatis Sulphuris, *uncias duas.*
Vini Hiſpanici, *libram unam.*

Digere per dies tres, & Vinum tinctum filtratum

℞. Sacchari optimi, *libras tres.*
Aquæ Tuſſilaginis, *libram unam.*

Coq. deſpumando, ad Conſiſtentiam craſſiorem, poſtea (Tinctura prædicta addita) Fiat ſyrupus debitæ conſiſtentiæ ſecundum Artem.

Ejusdem pæne eſt Compoſitionis, cum præcedenti; ideoque etiam ejusdem erit effectus: qui ibi mire prædicatur in Aſthmate, Tuſſi, phthiſi, & ipſa quoque dira peſte; ſi verum. Ceterum Vinum hic additum eſt, quod nec ipſe WILLISIUS *in* ſua Compoſitione, *ſemper omiſit, quin potius interdum quoque admiſit; pro indole nempe & natura Morborum ac circumſtantiarum.*

Syrupus Sulphuris, *ſive* Arcanum Bechicum Williſii.

Diſp. Wirt. in reliquis fere deſideratur.

℞. Epatis ſulphuris, *unciam ſemis.*
Solve in
Aquæ fontanæ &
Fœniculi, *ana unciis quatuor ſemis.*
adde
Sacchari albi, *uncias ſedecim;*

Unica ebullitione coquantur in ſyrupum, qui, per pannum colatus, ſervetur.

Laudatur a celeberrimo Autore de Operat. Med. *Part. II. Sect. I. Cap.* 6. *p.* 67. & *paſſim in ſeqq. ad aſthma, tuſſim, phthiſin Vid. ſupra* Hepar. Sulphuris, & BOERHAAV. Elem. Chem. *T. II. pag.* 373 *ubi contra* Williſium.

Doſis uncia ſemis, ad integram.

Syrupus e Symphyto Fernelii.

Diſp. Brand. Wirt. Hamb. Vienn. Argent. Groning. Leid. Prag. & in reliq.

℞. Radicum & foliorum Symphyti majoris, *manipulos ſex.*
Roſarum rubrarum,
Betonicæ,
Plantaginis,
Pimpinellæ,
Polygoni,
Scabioſæ,
Tuſſilaginis, *ana manipulos duos.*

E contuſis omnibus recentibus exprimatur ſuccus, cujus, deſpumati vel defecati, unciis novem adde
Sacchari, *uncias ſedecim.*

Fiat ſyrupus: Conf. ſupra, ſuo loco, *Syrupus Boyleanus,* qui facilioris eſt laboris, nec tamen minoris utilitatis.

Author de hoc ſyrupo promittit, quod tabidorum & ulceratorum pulmonum ſaniem & pus blande expurget, ſine metu hæmorrhagiæ; ſubadſtringens eſt, & non minus ad omnis generis fluxus, tam alvinos, quam ſanguineos, utiliter adhiberi poteſt. Additur electuariis, potionibus & decoctis. Vid. ipſum FERNELIUM, *Lib. VII. de* Methodo Med. *pag.* 129. *hunc ſuum Syrupum multis eximiis laudibus efferentem, & ex eo* SCHULZ. *in* Prælect. *pag.* 366 *add.* CARTHEUSERI Pharmacolog. *p.* 653.

***

Syrupus de Teſtudinibus Reſumtivus.

Diſpenſ. Paris. Meſſan. Renod.

℞. Carnis Teſtudinum, *libram unam.*
Hordei mundati, *uncias tres.*
Carnis dactylorum, *uncias duas.*
Paſſularum damaſcenarum,
Glycyrrhizæ raſæ, *ana unciam unam.*
Sebeſten,
Jujubar, *ana No. duodecim.*
Nucleorum Pineorum,
Piſtaciorum, *ana unciam unam.*
Fructuum Cacao ex arte uſtulatorum,
Seminum Bombacis,
Melonum,
Cucumeris,
Citrulli, *ana unciam ſemis.*
Lactucæ,
Malvæ,
Papaveris albi, *ana drachm. duas.*
Foliorum Ungula Caballina,
Pulmonariæ, *ana uncias duas.*
Florum Violarum,
Nenupharis, *ana unciam unam.*

Fiat decoctum ex Arte, in Aquæ *libris quindecim*, ad medias. Deinde colatum clarificatum cum
Sacchari Roſacei, *libris quatuor,*
Coque in Syrupum, aromatiſandum, *guttis aliquot.* Olei Citreorum ſtillatitii.

Ad refectionem Virium per diuturnas morbi pertinacis moras fractarum & pæne exhauſtarum, inducendum, inducendam, apprime confert. Hinc in atrophia, febribus lentis & hecticis, ardore urinæ, malo nephritico, item tuſſi atque aſthmate, & ipſa denique cachexia commode ſatis in uſum vocari poteſt. Ceterum conf. ſupra eosdem, quidem in uſus, Electuarium Reſumtivum.

Syrupus Theriacalis.

FULLER. *Pharm. extemp. pap.* 358.

℞. Radicis Contrayervæ Contuſæ,
Theriacæ Andromachi, *ana unciam ſemis.*
Mithridat.
Diaſcord. *ana drachmas duas.*
Seminis Angelicæ, *drachmam unam.*
Croci orientalis,
Coccinellæ, *ana drachmam ſemis.*
Aquæ Theriacalis,
Epidemic. *ana unciam unam.*
Aceti Vini, *uncias quatuor.*

Fiat Infuſio calida, & clauſa in Vaſe vitreo, per horas duodecim: Liquori per ſubſidentiam, & multiplicem tranſcolationem, depurato, adde:
Sacchari albi ad Tabulat. cocti, *libram ſemis.*
Fiat Syrupus ſine Coctione.

Optime ingreditur Julapia alexipharmaca: vel dentur Cochlearia duo in vehiculo commodo. Ceterum videtur quædam ſpecies eſſe ſic docti diaſcordii Fracaſtorii, cujus deſcriptio ſupra ſuo loco habetur.

Syrupus de Toto Citro Eſſentificatus.

Hujus Compoſitionem eximiam vid. accurate deſcriptam in Diſpenſat. Brand. *debetur vero iſta Camillo inventori, Chemico Patavino, a quo accepit Prevotius, pariter Patavinus, qui eam deinde communicavit cum* Neucrantzio, *Medico Lubecenſi; hic vero publici juris illam fecit in Libro ſuo ſatis noto, de purpura, pag.* 425. *Vid. huc* SCHULZII Prælect. in Diſpenſ. Brand. *pag.* 351. *Ceterum conf. huc* Syrupus Corticum Citri eſſentificatus, *infra ſuo loco e* MORTII

TII Pharmacia Med. Phyſica, *diligenter deſcriptus.*

Syrupus Tolutanus Magiſtralis.

Pharm. Batean. pag. 162.

℞. Balſami de Tolu,
Mecha, vel ejus defectu,
Capivi,
Styracis Calamit.
Benzoës opt.
Olibani,
Maſtichis,
Myrrhæ,
Ammoniaci granulati,
Tacamahac.
Gummi Elemi,
Terebinth. e Chio,
Rad. Ireos Florent. *ana unciam ſemis.*
Aquæ Bechicæ, *libram unam ſemis.*

Coq. in vaſe circulatorio optime clauſo, in Arena calida poſito per horas aliquot: Colaturæ denique adde:
Sacchari albiſſimi, *quantum ſatis.*
Ut Fiat ſecundum Artem, ſyrupus albiſſimus.

Pectoralis eſt, aſthmaticus & antiphthiſicus, &c. Doſis ſit ab uncia dimidia, ad unam, aut ultra, *ſi Natura Aegroti & indoles morbi commode ferat.*

Syrupus Tunicæ Florum.

Diſp. Paris. Wirt. Lugd. & al.

℞. Infuſi florum Tunicæ ſaturati, *uncias novem.*
Sacchari, *uncias ſedecim.*
Fiat, lege artis, ſyrupus.

Analepticus, ventriculo & nervis gratus eſt, leniterque adſtringit. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 367.

***

Syrupus Vermifugus.

Pharm. Bat. pap. 163.

℞. Foliorum Helleboraſtri recent. *uncias duas.*
Seminis Santonici, *unciam un. ſemis.*
Radic. Bryoniæ recentis, *unc. ſemis.*
Abſinthii Romani, *manipulos duos.*

Coq. in Aquæ fontanæ quant. ſuff. ad *libram unam*, deinde ipſi Colaturæ adde:
Sacchari optimi, *libram unam,*
Et coq. ſecundum Artem, ut fiat Syrupus, Doſ. cochlear unum, bis indies.

Conf. ſupra *Electuarium Anthelminthicum*, & *Vermifugum.*

Syrupus Veronicæ.

Diſpenſat. Brandenb. Wirt. & reliq.

℞. Herbæ Veronicæ recentis ſiccatæ, *uncias ſex.*
Macerentur in
Aquæ Veronicæ, cum vino deſtillatæ, *libra una;*
poſt ſufficientem extractionem, in loco calido, fortiter exprimantur, in expreſſo diſſolvantur
Sacchari albi, *unciæ ſedecim.*
Fiat ſyrupus.

Abſtergit & conſolidat, pulmonibus & renibus præcipue convenit. Vid. TOURNEFORT. Hiſt. Plant. circa Pariſ. naſcent *p.* 166. & ZORN. *p.* 699. *item* SCHULZ. Præl *p.* 367.

Datur *cum decoctis & electuariis; in tuſſi pulmonali etiam ſolus, vel per ſe,* ad unciam dimidiam, *vel* integram, ſumi poteſt. *Conf. ſupra* Roob Veronicæ.

***

Syrupus Violarum.

Diſp. Brand. Wirt. Groning. & reliq.

℞. Florum Violarum recentium, mundatorum, *libram unam.*

Contundantur in mortario lapideo, & ſuperaffundantur, in vaſe figulino, optime vitreato,

Aquæ fontanæ ferventis puriſſimæ, *unciæ octodecim;*

poſt digeſtionem, per aliquot horas, exprimantur & colentur.

℞. Infuſi hujus colati, *uncias viginti.*

adde

Sacchari albiſſimi Canarienſis, *uncias triginta duas.*

Leni ac unica ebullitione, in ſtanneo vel figulino vaſe facta, fiat ſyrupus, qui, per pannum colatus, ſervetur.

Teneræ ætati potiſſimum dicatus eſt, & ad aphthas, tuſſim, pectoris infarctus, ardorem urinæ, & calorem præter naturam temperandum, commendatur. Cum aqua ceraſorum plerumque exhibetur, vel cum oleo amygdalorum dulcium lingendus propinatur. Vid. BOERHAAVE Hiſt. Plant. *T. I. p.* 328. TOURNEFORT. Hiſt. Plant. Pariſ. *pag.* 171. & ZORN. *pag.* 704.

Syrupus Violarum Solutivus.

Diſp. Wirt. Brand.

℞. Florum violarum mundatorum, *uncias quatuor.*

Foliorum ſennæ electæ, *uncias duas.*

Infunde in

Aquæ fontanæ ferventis, *libra una.*

Digerantur per noctem, in loco calido, mane exprimantur; ad

expreſſi, *uncias novem*

adde

Sacchari albi, *uncias ſedecim.*

Colata ſerventur.

Leniter alvum ſubducit, & pueris delicatioribus, qui alia medicamenta reformidant, datur. Alium ejusmodi Syrupum violar. ſolut parabat Timæus, *a* Güldenklee, *laudatum ab* ETTMULLERO, & TOURNEFORT. Hiſt. Plant. Pariſ. *pag.* 171.

Doſis a drachmis duabus, ad ſex, vel unciam unam. *Vid.* SCHULZ. Præl. *pag.* 367.

Syrupus Violatus Elegans Pariſienſ.

Diſpenſ. Lugd.

℞. Violarum recentium mundat. *libram unam.*

Aquæ ferventis, *libras quatuor.*

Succi Citri depurati, *unciam unam.*

Sacchari optimi pulverati, *unc. tres.*

Infundantur ſimul per horas decem: poſtea colentur & exprimantur leviter, per pannum album & novum. In expreſſo calidiuſculo infunde ſecundo,

Violarum recentium mundatar. *libram unam.*

Succi Citri defecati, *unciam unam.*

Sacchari optimi triti, *uncias duas.*

poſt horas decem, colentur iterum, per eundem pannum, & exprimantur leviter. In expreſſo infunde demum tertio per horas decem,

Violarum recentium mundat. *libram unam.*

Sacchari opt. in pollinem redacti, *uncias duas.*

Colatum & leviter expreſſum, immittatur in fictile vitreatum, diſſolvendo:

Sacchari optimi pulverati, *libras quatuor.*

Ponatur Vas in Balneo Mariæ

fervente, & lento Calore diſſolvatur Saccharum, coquaturque in Syrupum, excipiendum tandem vaſculis oris anguſti, rite obturandi Saccharo pulverato.

Operoſa quidem hæc eſt Compoſitio; nec tamen inconcinna, aut uſu caritura, qui ſcilicet eſt cephalicus, cardiacus, nervinus & analepticus.

Syrupus de Viperis Roborans.

Diſpenſ. Pariſ.

℞. Viperas, *Numero duodecim.*
Santali citrini,
Cinnamomi, *ana uncias duas.*
Radicum Chinæ,
Sarſaparillæ, *ana unciam unam.*
Cardamomi minoris,
Nucis Moſchatæ,
Ligni Aloës, *ana drachmas duas.*

Viperæ recens mactatæ & in partes ſectæ coq. in
Aquæ communis, *libris duabus,*
ad quartæ partis reſiduum, & exprimantur. Radices chinæ & ſarſaparillæ conciſæ per horas duodecim, ſupra cineres calidos maceratæ cum
Aquæ communis, *libris duabus,*
coquantur ad medias, & colentur. Aromatis vero craſſiuſcule tritis, & in Alembico poſitis, deinde affunde
Vini albi optimi,
Aquæ Naphæ, *ana libras duas,*
Fiatque per diſtillationem ex Arena, *unciarum decem*, vel circiter, Aquæ ſpirituoſæ Extractio, quæ in ſyrupi conſiſtentiam reducatur, ſola diſſolutione Sacchari canti pulverati ad ſufficientem juſtamque Quantitatem. Exin
℞. Supradictum jus Viperarum, decoctum Chinæ & Sarſaparillæ, Liquoremque ex diſtillatione, in fundo Vaſis ſuperſtitem colatum.
Miſceantur ſimul; clarificentur cum
Sacchari opt. *libris tribus,*

Percoquantur in ſyrupum craſſiorem, qui priori frigide permixtus, aromatiſetur,
Tincturæ Ambari, *uncia una,*

Atque inde pluribus Lagenulis exceptus, uſui diligenter recondatur.

Operoſa hæc atque ſumtuoſa ſimul, de Viperis compoſitio conducit præſertim ex longo gravique morbo reſurgentibus, & inde virium defectu adhuc laborantibus, item ex nimia venere, exhauſta latera dolentibus, & generatim omnibus illis, qui quocunque demum modo, corpus amiſerunt, illudque reficere ſtudent. Sed licet omni fere naturæ hic pretioſus ſyrupus conveniat; tamen non ſemper convenit omni crumenæ. Sit joco venia!

Ceterum conf. infra Vinum Viperinum, *item* Trochiſci de Vipera.

Syrupus Zingiberis.

Diſpenſ. Lond. nov.

℞. Zingiberis tenuiter conciſi, *uncias quatuor.*
Aquæ bullientis, *libras tres.*

Macera per aliquot horas & cola: deinde addendo ſaccharum puriſſimum Fiat lege Artis, ſyrupus.

Cujus Virtus eſt ſtomachica & carminativa: parce tamen ſumendus, & frigidioris temperamenti ſubjectis potius commendandus, quam calidioris, aut bile abundantioris, ut ſcilicet cuivis per ſe jam patet.

Tartarus Antimoniatus.

Pharm. Bat. pag. 170.

℞ Cremoris Tartari, *partes ſex.*
Florum Antimonii, *partem unam.*

Coq. in Aqua: Filtra & exhala

ad ſiccitatem, Ecphracticum eſt, diureticum, diaphoreticum, & febrifugum. Alvum laxat, cietque vomitum. *Doſis ſcrupulus unus, aut drachma ſemis.*

Tartarus Chalybeatus.

CHARAS Pharm. Reg. *T. II. p.* 586.

Diſp. Wirt. Bat. Hamb.

℞. Tartari albi crudi, pulveriſati, *libram unam.*

Limaturæ ferri, *uncias quatuor.*

Coque cum

Aquæ fontanæ *libris duodecim*, ad remanentiam quartæ partis; liquorem colatum per chartam emporeticam filtra, atque ad cryſtalliſandum, in cellam vel locum frigidum repone.

Cryſtallos a liquore ſalino, rurſus evaporando, & ad cryſtalliſationem reponendo, ſepara ac ſicca.

Ictericis, cachecticis & hypochondriacis, febre quartana laborantibus convenit.

Doſis a granis decem, ad quindecim.

In majori quantitate exhibitus, nauſeam & vomitus excitare ſolet. Vid. SCHULZ. *pag.* 368.

Tartarus Chalybeatus Solubilis.

CHARAS, Pharm. Reg. *T. II. p.* 587.

℞. Tartari ſolubilis, *uncias quatuor.*

Tincturæ Martis Tartariſat. *libram unam.*

Vaporent ſimul, igne Arenæ, in Vaſe terreo vitriato, ad ſiccitatem: Reſiduum Sal in vaſe rite obturato, uſui ſerva. Qui idem fere eſt, ac præcedentis Tartari Chalybeati ſimplicis.

Tartarus Emeticus.

Diſp. Wirt. Vienn. Argent. Hamb. & vid. Chym.

℞. Croci metallorum,

Cryſtallorum tartari, *ana uncias ſex.*

Affundantur

Aquæ fontanæ, *libræ duæ ſemis*; ſtent per unum alterumque diem, pro lubitu.

Hinc leni igne, in vaſe figulino probe vitreato, coquantur, ad ſufficientem ſolutionem & imprægnationem tartari. Liquor fervens filtretur, filtratus evaporetur leniſſimo igne, ſub perpetua agitatione, fere ad ſiccitatem; & poſtquam leni calore tartarus penitus exſiccatus fuerit, in pulverem teratur, non ita quidem albidum futurum, ac ille cryſtalliſatus, ſed efficaciorem. Vid. SCHULZ. *Prælect.* pag. 368.

Eſt Emeticum univerſale, & datur tenerioribus a grano dimidio, ad unum & ſemis; robuſtiores grana duo, tria, vel quatuor perferre poſſunt. Optimus modus, tartarum hunc exhibendi eſt, cum grana tria in unciis tribus aquæ ſolvuntur, hujusque ſolutionis hauriat æger dimidiam partem, vel duas tertias; ſi effectus voto non reſpondeat, reliqua portio dari poteſt. Ita hyperemeſis periculoſa evitatur.

Tartari Oleum per Deliquium.

Diſp. Wirt. Brand. & reliq.

Fit, ſal tartari, in manica, aëri humido in cella exponendo, ut ſenſim in vitrum ſuppoſitum deſtillet; liquor ſalinus, per chartam filtratus, ſervetur.

Citius autem parari poteſt:

Salis tartari, *libram unam* in

Aquæ calidæ fontanæ, *unciis quatuor*, vel *quinque*,
ſolvendo & filtrando.

Uſibus pharmaceuticis & chymicis inſervit. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 369.

Tartarus Tartariſatus Liquidus Citratus.

Diſpenſ. Brandenb.

℞. Tartari albi optime depurati, *partes tres.*
Salis Tartari, *partes duas.*

Aqua limpida ſoluta & confuſa leni igne coque, cavendo, ne ebulliant, donec paullulum inſpiſſentur, liquida tamen maneant. Liquorem hunc corticibus citri aut Aurantiorum recentibus comminutis affunde, quo virtutes illorum imbibat, &c. Vid. SCHULZ. *Prælect.* pag. 371.

Tartarus Tartariſatus, *ſive* Solubilis, *Sal Vegetabile* dictus.

Diſpenſ. Wirt. Hamb. Pragenſ.

℞. Cryſtallorum tartari, *uncias ſedecim.*
Diſſolvantur in
Aquæ fontanæ bullientis, puriſſimæ, *libris decem*, vel *duodecim*;
inſtilletur, inter bulliendum,
Solutionis ſalis tartari, quantum ad ſaturationem acidi tartari ſufficit,
donec ab illapſo alcali, inter bulliendum, nulla efferveſcentia amplius excitetur.

Liquor ſaturatus per chartam bibulam filtretur, atque ad ſiccitatem evaporetur.

Ex hac combinatione acidi & alcalini tartari reſurgit novum ſalis medii genus, quod virtute gaudet leniter purgante, reſolvente & diuretica. Dari poteſt ſcopo laxandi, a drachmis duabus, ad quatuor, in ſufficiente quantitate aquæ dilutus; *ſcopo digeſtivo & diuretico ſufficit* drachma dimidia, vel integra. *Externe ulceribus ſordeſcentibus mundificandis prodeſt. Vid.* SCHULZ. Prælect. *pag* 371. & BOERHAAVE, Chem. *Part. II. pag.* 265.

Tartari Terra Foliata.

Videatur
Arcanum Tartari.

Tartarus Vitriolatus.

Diſp. Wirt. Brand. Hamb.

℞. Salis tartari, per diliquium, vel in aqua fontana ſoluti & purificati, *uncias quatuor.*

Huic ſpiritus vitrioli guttatim inſtilletur tantum, donec efferveſcentia ceſſet, poſtea humiditate lento calore evocata, exſiccentur.

Conf. JUCHII *Diſſ. de* Tartaro Vitriolato, *& inprimis* BOERHAAVE, Elem. Chem *Tom. II. Part. III. Proc.* 158. *p.* 363. *ſqq. item* CHARAS Pharm. Reg. *Tom. II. pag.* 590. *ſqq.* & ZOBELII Tartarologia. *De* Tartaro *autem* Vitriolato Volatili, *ejusque* viribus medicis, *nuper Diſſ. habuit Cl.* BÜCHNERUS, *Halæ*, 1757. *vid.* & SCHULZ. Prælect. *pag.* 371.

Tartarus Vitriolatus Antimon.

Pharm. Bat. pag. 171. *Hamb.*

℞. Tartari Antimoniat. *q. v.*
Cui paulatim add.
Olei Vitrioli, *quant. ſuff.*
deinde ſiccando, in Aqua ſolvendo,

filtrando & ad ſiccitatem exhalando, obtinebis *Tartarum Vitriolatum Antimonialem*, qui febrifugus eſt, ictericus, cachecticus & digeſtivus. *Doſis eſt a granis quindecim, ad drachmam dimidiam, & ultra, ſi opus.*

Tartarus Vitriolat. Emetico Purgans.

Ibidem, pag. 171.

℞ Salis Tartari fuſi, *uncias octo.*
Vitri Antimonii, *unciam unam.*

Probe miſce in Crucibulo; effunde, Aqua ſolve, filtra & in Arenæ calore exicca, paullatim inſtillando
Olei Vitrioli, *quant. ſuff.* & ſiccando.

Vires easdem obtinet cum priore, immo majores & vehementiores: purgat enim per ſuperiora & inferiora, ob Vitrum nempe Antimonii: Quare circumſpectus ſit ipſius uſus, & a granis tribus, vix ad ſex, aut octo, adſcendatur: ſi nempe natura ægri ferat, quod prius probe indagandum.

Tartarus Vitriolatus Tackenii.

Diſp. Wirt. Brand. Argent.

℞. Cinerum clavellatorum,
Vitrioli Hungarici, *ana libras duas.*

Utrumque ſeparatim in aqua calida ſolvendum eſt; deinde ſolutiones ſucceſſive confundantur, & quidem tam diu, donec non amplius effervescant, vel ſibilent. Præſtat autem, plus ſalis alcali, ut omne vitriolum ſaturetur, addere. Reponantur commixti liquores ad ſubſidentiam, a qua limpidus humor decantetur; maſſæ vero ſubſidenti ſuperfunditur denuo aqua calida, & ſpatula agitatur; poſt ſubſidentiam rurſus limpidior humor decantandus, atque hoc modo omnis ſalſedo extrahenda eſt.

Poſtea in vaſe vitreo humor, ad tertiam partem, evaporandus, & reponendus in locum frigidum, ad cryſtalliſationem. Cryſtallis ſupernatans humor, decantatus, rurſus evaporetur, & ad cryſtalliſandum reponatur; cryſtalli collectæ probe exſiccandæ ſunt. Hunc vero Tartarum Vitriolat. pro acri ſuo & vehementi in ipſum Tachenium ſtomacho, plane damnabat & rejiciebat *Zwelferus;* contra cujus tamen inanes inſultus, Tachenium rurſus fortiter defendit STAHLIUS, *Mat. Med.* Part. I. Tit. X. pag. 231. ſqq. & alibi: conf. BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. III. Proc. 148. pag. 363. ſqq.

Eſt ſal medium, ex acido vitrioli & alcali enatum, & revera digeſtivum univerſale, ad ſolvendos & emendandos ſpiſſos lentosque humores. Conducit hypochondriacis, lienoſis, cachecticis, ictero & hydrope laborantibus; in febribus maximi eſt uſus.

Dari poteſt a ſcrupulo uno, ad quatuor, imo, ſcopo laxativo & diuretico, ad drachmas duas, in aqua dilutus.

Præmiſſa tam de tartaro vitriolato e ſpiritu vitrioli, & e tartaro parato, quam de Tacheniano, intelligi volumus; qui poſterior, præter dictos effectus, etiam excellet in ulceribus repurgandis, atque in carne gingivarum luxuriante, & quæ in vulneribus capitis e meningibus pullulat, inſperſus, præſtantiſſimam fert opem. Vid. SCHULZ. Prælect. *p.* 372. CARTHEUS. Pharmacol. *p.* 415. *& al.*

***

Terebinthina Cocta.

Vid. Diſpenſat. omnia.

Coquitur Terebinthina Veneta, in ſufficienti quantitate aquæ fontanæ, ad ſpiſſitudinem, quæ cum refrigeſcit, duritiem acquirit.

Inſervit pro conficiendis pilulis de Terebinthina. Oleo æthereo ſuo ex parte orbata, ſecure interne datur, in Gonorrhœa, ulceribus internis; &c.

Datur drachma ſemis, ad ſcrupulos duos.

Terra Foliata Nitri.

Vid. ſupra

Nitrum Catharticum.

Teſtes Equi Præparati.

Diſpenſ. Wirt.

E vivo equo exemti, vino albo abluendi, exſiccentur cito & in pulverem terantur.

In epilepſia calculo, colica, fœtu mortuo pellendo, partu difficili & lochiis ſuppreſſis commendantur: præcipue a Conr. GESNERO, *qui ipſe ceu ſummum ac certiſſimum arcanum in ſecundis præſertim ſine mora pellendis hunc teſtium ſiccatorum pollinem jactat, in* Epiſt. med. *Lib. I. pag. 27. quod Ruſticus quidam e Rhetia alpina, primus in uſum introduxiſſe ibi dicitur, qui ipſo plus quam in quinquaginta puerperis, feliciter ſemper uſus fuerit, quod & pariter in deplorata pæne puerpera ſucceſſiſſe viderit Miniſter quidam eccleſiæ: quibus omnibus ſuam quoque experientiam ipſe adjungit* GESNERUS. *Conf. ſupra Part. I. jam dicta ad* Equi Teſtes. *Teſtes igitur hi magni ſunt de teſtibus illis magnis, quibus cura iſta peragitur. Judicium ergo hic meum ſuſpendo, donec novi teſtes acceſſerint, & ſcrupulum omnem exemerint.*

Doſis a ſcrupulo uno, ad duos.

Theriaca.

Videatur Electuaria.

Theriaca Cœleſtis.

De Theriaca Cœleſti, atque hinc ad immortales potius Cœleſtes, quam quidem mortales homines, ut videtur pertinente, (utinam vero minus cœleſtis, magisque humana eſſet!) poſt ipſum Quercetanum, cui illa, ut notum, & nomen auguſtum debet, & compoſitionem anguſtam, in arctius nempe compendium ex majori illa & vulgari Theriaca ab ipſo contractam, multi multa variaque ſcripſerunt, atque in cœleſtes pæne ipſius laudes certatim effuſi ſunt: ex quibus potiſſimum eminent hic laudandi, Jo. DOLAEUS, *qui magnificum Theriacæ cœleſtis Hoffſtadianæ Theatrum exſtruxit,* & Chriſt. Franc. PAULLINI, *qui de Theriaca cœleſti reformata, (& forte adhuc reformanda,) ſingularem juſtæ magnitudinis Librum edidit, quibus accedunt* Jo. Gothofr. BECKERUS, *qui* Hafniæ, & Georg. FRANCUS, *qui hic* Wittebergæ, & *tandem* WEDELIUS, *qui* Jenæ, *item* BUDAEUS, *qui* Budiſſæ, *Diſſertationes de Theriaca cœleſti, ejusque deſcriptione & uſu, evulgarunt. Quod vero jam ad ipſam hujus cœleſtis, ſi diſplacet, muneris deſcriptionem attinet: ea non una eſt, ſed perquam diverſa variaque paſſim in Libris pharmaceuticis deprehenditur, ut neſciat Lector, quam eligat, ſive rectius forſan, quam non eligat. Solum autem fere, quod mirum, Diſpenſatorium Wirtemberg. alias locupletiſſimum, & propter concinnum ordinem, & eximium optimorum Remedio-*

rum delectum, ſingulari præconio dignum, aliisque id genus Libris longiſſime merito præferendum, nullam plane hic Theriacæ cæleſtis compoſitionem exhibet: Sed potius, pag. 204 *Part. II. nude hoc Titulo:* Theriaca Cœleſtis Wirtenbergica, *poſito, ſequentem brevem, ſed attentione dignam, Adnotationem ſubjungit:* Compoſitionem jam olim magnis ſumtibus, conciliavit ſibi Sereniſſima Domus Wirtenbergica, inter Arcana hactenus ſervatam, Seniori Archiatrorum, & pharmacopoeo aulico ſolis cognitam. *Non omnes ergo ad hæc Sacra inacceſſa admittuntur. Vid. interea* WALDSCHMIDII *Diſſert. de* Theriaca Greiffiana *dicta, alias cæleſti, ubi ſatis ampla de ipſa, Tractatio habetur, ſimulque ipſa compoſito exhibetur. Add. inprimis cit.* JUNGKEN. Corp. Pharm. univ. *pag.* 647. *ſqq. Iſte enim* Greiffius, *Chemicus quondam ac pharmacopœus Tubingenſis, primus fuiſſe traditur, qui illam ipſam Theriacam Quercetani cæleſtem nonnihil immutaverit, correxerit, auxerit, atque veluti cæleſtiorem reddiderit, heu! quanta mortalium potentia. Conf. huc* Diſpenſat. Brandenburg. Argentorat. Pragenſ. *& alia nonnulla. Reliqua autem Diſpenſatoria pleraque, præſertim majora, (exceptis vero illis minoribus, Amſtelod. Londinenſi, Leydenſi Roterodamenſi, Edinburgenſi, Leodienſi, & paucis aliis,) aliquanto liberaliora fuerunt in diſpenſando hoc cæleſti quaſi Theſauro, variasque hujus Theriacæ arcanæ compoſitiones larga veluti manu, nobis paſſim munificentiſſime obtulerunt. Sic, ut nonnullas tantum hic paucis commemoremur, in* Diſpenſat. Argent. *perquam longa ac diffuſa ipſius deſcriptio exhibetur; longior vero & multis novis, ac maximam quidem partem, ſuperfluis ingredientibus, præter neceſſitatem, auctior, in* Diſpenſ. Hamburgenſi, *quam plauſtrum rectius variorum Remediorum ſimplicium, ſæpius inter ſeſe pugnantium, dixeris, immo integram pæne officinam pharmaceuticam, in unam informem quaſi maſſam coactam & congeſtam, niſi potius temere conjectam. Omnium vero operoſiſſima, & in ſeptem adeo claſſes quam diligentiſſime diſtributa ejusdem Compoſitio, non ſine legentium admiratione, producta viſitur, in* Diſpenſat. Brand. *Sed ex his aliisve ejusmodi Compoſitionibus, juſtum fere modum & æquam menſuram excedentibus, quæ paſſim quidem in Libris pharmaceuticis leguntur, hic vero a nobis ſtudio ac conſilio, omiſſæ & neglectæ fuerunt, nullam plane huic operi noſtro inſerere placet, cum propter faſtidioſam illarum copiam, tum & inprimis, ob ſperandæ exinde utilitatis inopiam ut ſic dicam, & fruſtratam expectationem. Ne vero Lectores potiſſimum cæleſtium rerum cupidi, in hoc noſtro opere, hic quidquam deſiderarent, aut de erepto ſibi tanto quidem Theſauro, flebiliter conquererentur; binas præſertim ex multis, Theriacæ cæleſtis compoſitiones, quas huc transferremus, elegimus, ſi non reliquis meliores, aut utiliores; ad certe tamen, noſtra quidem opinione, modeſtiores, ut ita dicam, adductiores, & caſtigata ſua brevitate tanto magis, ut ſpes eſt, commendabiles. Prior ex iſtis, Auctorem habet ſummum noſtrum* HOFFMANNUM, *in Not. ad* Poterii Pharmac. Spagyr. *Lib. III. Sect. IV. pag.* 459. *unde eam crebro repetitam exhibent* Diſpenſat. Hamburg. Ratisbonenſe, *&, ut alia taceam,* Pariſienſe, *non nominato quidem, ut decebat tamen, Auctore Hoffmanno. Sed en nunc ipſam illam Compoſitionem.*

Theriaca

Theriaca Coeleſtis Hoffmanni.

℞. Extract. Opii, *drachm. ſex.*
Croci liquidi,
Storacis, *ana drachm. tres.*
Myrrhæ elect. & per ſolut depurat. *unc. ſem.*
Galbani,
Maſtichis,
Opoponacis, per ſolution. depurat. *ana ſcrupul. duos.*
Extracti Caſtorei, *ſcrupul. unum.*
Cardui Benedict.
Centaur. minor.
Scordii,
Tormentill.
Contrajerv.
Angelicæ, *ana unciam ſemis.*
Vincetoxici,
Valerianæ,
Gentianæ,
Ariſtolochiæ rot. *ana drachm. tres.*
Reſinæ Lign. Aloës,
Ladani,
Guajaci, *ana drachmam unam.*
Olei Cinnamomi,
Zedoariæ,
Cardamomi,
Cubebarum,
Camphoræ,
Macis,
Caryophyllorum,
Juniperi,
Citri, *ana guttas duodecim.*
Balſami peruviani,
Olei Nucis Moſchat. expreſſi, *ana drachmas tres.*
Bezoardici Mineralis,
Cinnabaris nativ. præparat.
Succini præparati,
Pulveris Viperarum, *ana unc. ſemis.*
Salis Succini, *drachmam unam ſemis.*
Ambræ gryſeæ, *ſcrupulum unum.*
Salis Corn. Cervi volatil. *drachmam unam ſemis.*
Miſc. Fiat leg. Artis Theriaca

Alterius vero Theriacæ cœleſtis Deſcriptionis Inventor habetur Jo. Helfric. JUNGKEN. *celebris quondam Medicus Francofurtanus: ceu clarius patet ex ipſius* Chymiæ Experimental. *P. II. C. V. pag.* 426 *ſqq. quanquam aliam adhuc compoſitionem, nonnihil ab iſta diverſam, ex alio ejusdem Libro pharmaceut. retulit* Diſpenſat. Pragenſe, *ut &* Viennenſe, *ſuppreſſo quamvis ipſius Auctoris nomine, vel rectius forte, obiter omiſſo. Iſta vero Deſcriptio Theriacæ Cœleſtis Jungkeniana hæc eſt:*

Theriaca Cœleſtis Jungken.

℞. Extracti Angelicæ,
Imperatoriæ,
Gentianæ,
Ariſtolochiæ rotund.
Tormentill.
Calami Aromat.
Zedoariæ,
Cardui Benedict.
Rutæ,
Scordii, *ana unc. unam ſemis.*
Croci,
Myrrhæ, *ana unciam unam.*
Caſtorei, *drachmas duas.*
Opii, *uncias ſex.*
Bezoar. Oriental.
Cornu Cerv. philoſ. præparat.
Cinnabar. Antimon. præp. *ana drachmas ſex.*
Succini præparati, *unciam ſemis.*
Olei Macis,
Nucis Moſchatæ,
Angelicæ, ana deſtill. *dr. unam.*
Camphoræ, *drachmas tres.*
Ex his omnibus rite commixtis,

addito Spiritu Theriacali, q. ſ. Fiat leg. Artis, Theriaca Cœleſtis, reliquis, ob incertitudinem tam doſium, quam & ingredientium farraginem, longe anteferenda. Ita quidem hæc Theriaca multum laudatur in Diſpenſat. Prag. *plus vero ab ipſo Auctore* JUNGKENIO, *qui ſuam iſtam Compoſitionem potiſſimum extollendo, ſic reliquas operoſiores merito reprehendit pag.* 428. Chym. Experiment. Invenies in illis revera multa inconſiderate admodum addita, quæ quidem molem, at vires minime addunt. *Utinam vero & ſua ipſa ab hoc vitio aliis objecto, prorſus immunis eſſet! inprimis vero illa altera deſcriptio, in* Chym. Exper. Curioſ. Mathem. *Cap. V. pag.* 451. *ſqq. Sed modum fere omnem in celebranda ſua Theriaca Cœleſti, ſeu benedicta, uti etiam ab eo nimis religioſe vocatur, exceſſit iſte faſtoſus, & inde merito faſtidioſus, Quercetanus, cujus immania, verique plane inania in eam, elogia, plusquam hiſtrionali loquacitate ab ipſo temere effuſa, legi poſſunt, ſi quidem ſine ſtomacho, poſſint, apud* SCHULZIUM, Prælect. *ad* Diſpenſat. Brand. *pag.* 377. *qui juſtam proinde in ea cenſuram exercuit. Mihi vero, ne quid pro noto candore meo, hic diſſimulem & vulgaris illa, ſeu ut ita dicam, terreſtris Theriaca diſplicet, & hæc cœleſtis ob ſacrum veluti horrorem, ex tanto Nomine conceptum, non ſatis placet. Quum enim Poterio, Hoffmanno, Stahlio, Ludovico, & aliis clariſſimis Medicis, quin immo, ipſo Junckenio, recte ſic judicantibus, omnem medendi & dolores ſopiendi, opem, ſi qua ſcilicet utrique Theriacæ inſit, ab opio fere ſolo, ejusque virtute ſoporifera, expectare debeamus: quid obſecro, opus erat, nigris Aethiopum populis, Arabumque beatis gentibus, Indisque ditibus, gazas veluti ſuas, pretioſas merces, peregrinosque odores eripere, atque ingentibus impenſis, e longinquo, illud demum arceſſere, quod tamen longe melius ac convenientius, ante noſtros quaſi pedes, plerumque gratis, naſcebatur?* Fruſtra nempe, *ut Plinius elegantiſſime & acutiſſime loquitur, procœm. Lib. XXIV.* compoſitiones & miſturæ inexplicabiles decantantur, Fruſtra Arabia atque India in Remedia, æſtimantur, ulcerique parvo Medicina a rubro Mari imputatur, quum Remedia vera quotidie pauperrimus quisque cœnet. *Quum ergo ſolum hic opium, ut dixi, opus faciat, omnemque pæne medendi virtutem unice exſerat; præſtaret utique, meo quidem judicio, vel ſolum illud opium nudum, juſta & moderata doſi opportune adhibere, vel compoſitum ex iſto Laudanum ſic dictum opiatum, aut alterum hyſtericum, aut denique liquidum Sydenhamianum, in uſum tempeſtivum advocare: quam tot ſpecioſa ac pretioſa thymiamata, aromata & odoramenta ex alieno orbe, ægre advecta, magnoque ære redemta, ad inſtar coquorum illorum, qui omnia jura temere in unum confundunt, in offam maſſamque unam rudem atque informem incaſſum compingere, eoque ipſo ægrotis velimitis, offerre Medicamentum, nec odore gratum, nec ſapore jucundum, nec uſu denique, ob vim calidam nimis ac narcoticam, tutum ſemper, omnique periculo vacuum. In pauciſſimis enim morbis, omniumque minime in illis, qui a cauſſa calida, æſtuque ſanguinis intenſo, originem potiſſimum ducunt, Theriacam cœleſtem, omniaque generatim Theriacalia, appoſite convenire; quin potius nociva immo ſæpius peſtifera eſſe, nemini non Medicorum, putem notiſſimum eſt. Conſ.*

RIEDLINI Cur. Med. 769. *Cent. octav. Unde nulla facile auctor ſuaſorque fuerim, ut doloſum hic Dolæi conſilium ſequatur, qui in* Encyclopœdia Med. *pag.* 40. 104. 149. 318. *& alibi paſſim, Theriacæ cœleſtis uſum, tanquam ſecurum & optato effectu nunquam cariturum, nimis profecto temere & confidenter, commendat in diris illis Morbis, phrenitide, Epilepſia, pervigilio, convulſionibus, Catarrhalibus febribus, Colica convulſiva, pleuritide, & aliis affectibus. Ego vero certus hic atque firmiſſime perſuaſus ſum, duce ipſa ſana ratione, ac fida experientia, Theriacam cœleſtem in omnibus his quidem Morbis, perfecte ſanare omnes ægrotos, eosque ad cœleſtem patriam ſedesque beatas, certiſſime transferre: in phrenitide certe, pleuritide, item & colica bilioſa, hæmorrhoidali, & convulſiva, (ſolam hic excipio colicam flatulentam & a cauſſa frigida ortam, in qua moderatus Theriacæ cœleſt. uſus nonnihil prodeſt,) triſtiſſima aliquoties & funeſtiſſima vidi exempla, unde luculenter patuit, non cœleſtem vim tum exſeruiſſe Theriacam illam, ſed potius ſceleſtam ac mortiferam. Abeat ergo hæc Theriaca cœleſtis e Terris, & in Cœlos redeat, ſi forſan venerit. Ego ſane pro mei ingenii modulo, parum curo cœleſtia illa munera.*

Tinctura Aloës.

Diſpenſat. Prag. Wirt. Vienn.

℞. Aloës Socotorinæ, *uncias duas.*
Spiritus vini rectificati, *uncias decem.*

Stent in leni digeſtione, ad ſufficientem extractionem; poſtea filtrata tinctura ſervetur.

Excellens eſt vulnerarium & mundificans, ac a Chirurgis expetitur. Uſus internus rarus. Conf. ſupra Eſſentia Aloetica, *&* Extractum Aloës Gummoſum, *& infra* Tinctura Sacra.

Tinctura Amara Londinenſ.

Diſp. Wirt.

℞. Radicum Gentianæ, *uncias duas.*
Flavedinis aurantiorum, *unc. unam.*
Cardamomi minoris, *unc. dimidiam.*
Spiritus Vini, *libram unam ſemis.*

Digerantur, & poſt extractionem ſufficientem exprimantur & filtrentur.

Stomachica & tonica eſt.

Doſis guttæ quinquaginta & ultra.

Tinctura Anodyna.

Videatur Eſſentia Anodyna.

Tinctura Antihypochondriaca.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Pulv. Rad. Hellebori nigri, *uncias duas.*
Croci Auſtriaci,
Nitri,
Santali rubri,
Salis Tartari, *ana drachmas duas.*
Florum Hyperici, *drachmas ſex.*

Cum Spiritus Nitri dulcis ſufficienti Quantitate extrahatur Tinctura.

Cujus Virtutes ipſa Nominis Inſcriptio manifeſtat. Ceterum pertinet fere ad Elixiria *ſic dicta* proprietatis, *de quibus ſupra ſuo loco.*

Tinctura Antimonii Acris Hoffmanni.

Obſ. Chym. 4. *Lib. III. p.* 281. *& ad* POTER. *Pharm. Spag. L. II. C.* 12. *p.* 389. *Diſpenſ. Wirt.*

℞. Reguli Antimonii martialis,
Nitri puriſſimi, *ana libram unam.*

Pulveriſata & mixta detonentur in crucibulo, & operculo tecta, fortiter per horam calcinentur, atque, dum adhuc calet materia, in mortario calefacto illico contundatur, vitroque digeſtorio, itidem calefacto, immittatur;

Spiritusque Vini rectificati, *libra una ſemis*

affundatur, atque, ope caloris, tinctura rubicunda extrahatur.

Conf. huc Abr. VATERI *noſtri Diſſert. de* Tincturæ Antimonii præparatione, *&* HILSCHERI, de partibus Antimonii, ejusque Tincturis: *&* BÜCHNERI Mat. Med. *pag.* 157. *item* CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 308. *ſqq. nec non* GEOFFROY Mat. Med. *T. I. pag.* 233. *ſqq. Sed parum admodum Virtutis plerisque his Antimonii Tincturis expertus tribuit* STAHLIUS, Mat. Med. *Part. I. Sect.* 8. *pag.* 141. *ſqq.*

Eſt potentiſſimum reſolvens, & in affectibus lymphæ rebellibus, tumoribus hydropicis, ſuppreſſione urinæ & venerea lue, non ſine inſigni fructu, datur. Vid. tamen STAHL. *l. c. p.* 143. *ſq. &* Diſp. Hamb.

Doſis, propter acrimoniam, non temere larga nimis ſit; in vehiculo etiam aquoſo exhibenda, ſufficiunt guttæ triginta, ad quadraginta quinque.

Tinctura Antimonii Aniſata.

Diſp. Vienn.

℞. Antimonii crudi, *libram unam.*
Tartari crudi,
Nitri, *ana uncias novem.*
Limaturæ Martis, *libram ſemis.*

Pulveriſata & mixta, ſucceſſive infundantur in Crucibulum, & calcinentur ſuper ignem, per mediam horam: dein effundatur Maſſa in Vas martiale: pulveriſetur de novo, & irroretur

Olei Aniſi, *uncia una,*

Tandem vero Maſſæ huic affundantur

Spiritus Vini rectificatiſſimi, *libr. duæ.*

Et tum extrahatur lege Artis, Tinctura.

In obſtructionibus, tam a viſcoſo lentore, quam a flatibus, ortis, ſubvenit viſceribus internis, diſcutiendo, reſolvendo, & blandiſſime ſubducendo.

Tinctura Antimonii cum Liquore Nitri Fixi.

Diſp. Vienn.

℞. Liquoris Nitri fixi, vel
Tartari concentrati, *prout lubet.*
Mineræ Antimonii ſolaris, *ana libram unam.*

Digerantur invicem ſæpius agitando; Liquor tinctus decantetur, huicque decantato affundatur

Spiritus Vini Tartariſati, *libra una.*

Qui ſubito hanc Tincturam attrahet, remanente Liquore in ſuo Calore: Abſtrahatur rurſus ad medietatem, vel ultra, ut magis concentretur, & ſervetur uſui.

Diaphoreticum eſt inſigne: Hinc in inflammationibus, febribus, & conſimilibus affectibus, optimo ſucceſſu adhibetur.

Tinctura Antimonii Tartariſata.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. Prag. &c.

℞. Salis Tartari, *libram unam.*
Antimonii electi, *libram ſemis.*

Pulveriſata & mixta fluant in crucibulo, valido igne, per horam; poſtea maſſa in mortarium calidum effunditur citiſſime, & ignita adhuc, in pulverem contunditur. Pulveri, in phiola,

Spiritus Vini rectificatiſſimi, *libra una*
affunditur, & ad digeſtionem reponitur. Liquor, rubineo colore tinctus, a fecibus ſeparatur, atque reſiduo.
Spiritus Vini rectificati, *libra ſemis.* denuo affunditur, qui tinctus, uti prior, decantetur.

E reſiduo Sulphur Antimonii parari poteſt.

Conf. Chr. Alb. MAYERI Diſſ. *de* Tinctura Antimonii Tartariſata, & Cl. SCHULZ. Prælect. *pag.* 380. *ſqq.*

Reſolvit, ſanguinem purificat, attenuat, urinam movet, ictericis, hypochondriacis & lienoſis prodeſt.

Doſis guttæ quadraginta ad ſeptuaginta.

Tinctura Antinephritica.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Millepedar. præparat.
Fructus Cynosbati,
Baccar. Juniperi, *ana unciam unam.*
Radicis Pareiræ bravæ, *drach. ſex.*
Florum Hyperici,
Geniſtæ,
Seminis Milii ſolis,
Saxifragiæ, *ana unciam ſemis.*
Opobalſami, *unciam unam.*
Balſami Copayvæ,
de Peru nigri.
Salis Tartari, *ana unciam ſemis.*
Spiritus Salis dulcis,
Nitri dulcis, *ana libram unam.*

Haec, facta digeſtione, filtrata, ſervetur uſui.

Virtutes reſpectu doloris nephritici, nomini ſunt conſonæ. Ceterum conf. ſupra Eſſentia nephritica. *&c.*

* * *

Tinctura Antiphthiſica Gramanni.

Diſp. Wirt. Edinburg. Brand. Vienn. Argent. FULLER.

℞. Sacchari Saturni, *unciam ſemis.*
Vitrioli Martis, *drachmas tres.*
Aceti vini boni non deſtillati,
Spiritus vini rectificati, *ana uncias duas.*
Aquæ Roſarum, *drachmas ſex.*

Solvatur Saccharum Saturni aceto, in vaſe ferreo, leni igne, admiſceatur Vitriolum Martis tritum, invicem ſolutis addatur Spiritus vini rectificatus, Aqua Roſarum permixtus; reponantur in locum temperatum.

Aqua Roſarum additur, ut phlegma ſpiritui vini, alias huc non rectificato expetito, reſtituatur, atque ſic præcipitatio evitetur, & tinctura ſaturatior obtineatur, atque ideo gratior, utque ſic ſimul fœtor empyrevmaticus, qui ſpiritui vini non rectificato inhæret, evitetur.

Eſt mixtura ſaturnino-martialis, valde adſtringens; hinc vix in phthiſi, niſi ſymptomatibus urgentibus, ſudoribus ſcilicet colliquativis, ſuadenda eſt; laudatur etiam ad ſiſtendam gonorrhœam, & pollutiones nocturnas; caute tamen ubique adhibendam eſſe, cenſemus. Ita Celeb. Wirtenberg.

Sed nuſquam potius eam adhibendam eſſe exiſtimamus, ob ſummum nempe, quod ex ejus uſu, & ſanitati, & Vitæ adeo ipſi, imminet, periculum. Quum enim tanta noxa a Saturninis intro ſumtis, corpori humano immineat, prudenter ii agunt, qui plane ejusmodi Medicamentis, quæ plumbum habent, in curationibus abſtinent, ut ſunt Saturni Saccharum, Tinctura Gramanni

Antiphthiſica, *ita graviter & ſapienter monet magnus* HOFFMANNUS *noſter*, Med. Rat. *Syſt. Tom. II. Part. II. C.* 9. *pag.* 296. & *Tom. IV. Part. I. Sect. II. Cap.* 13. *pag.* 574. *quem & vid. in Diſſ. de* Læſion. extern. Venen. philtr. &c. *Obſ. XIV. in Schol. pag.* 30. & *paſſim alibi, in ipſius opp. pari modo, eodemque jure, hanc deteſtabilem Tincturam in perniciem humani generis infeliciſſime repertam, inter mitiora venena conſtrictoria refert, ac inde e ſelectiorum Medicaminum cenſu exterminandam cenſet* Cl. CARTHEUSERUS, *in* Pharmacologia, *Sect. V. p.* 314. *item* Cl. BÜCHNERUS, *in* Fundament. Mat Med. *p.* 195. *Conf.* & Cl. SCHULZII, Prælect. *ad* Diſp. Brand. *pag.* 382. *Hinc celeb. quondam* STAHLIUS, Mater. Med. *P. I. p.* 92. *obſervante etiam* GOETZIO, *in* Recenſ. Scriptor. Stahlian. *pag.* 162. *hanc ipſam Tincturam Gramannianam, una cum Antihectico* Poterii, *probe permiſtam, per apertam feneſtram, in publicam plateam, effundere præcepit, ut nempe ibi ex ſuo merito, ab omnibus prætereuntibus proculcaretur. Et profecto digniore iſta loco jacere non poteſt, quam hoc quidem ipſo. Eſt enim vitioſa & viroſa progenies vitioſi & venenoſi parentis, nempe* Saturni, *cujus promeritas laudes jam ſupra, pro noſtris viribus, decantavimus, ad Tit.* Saccharum Saturni; & *antea, ad* Pilulas Saturninas, *mali ergo corvi malum eſt ovum, ut vulgo dicitur, & lupus lupum hic, ut ſolet, genuit, non agnum. Inde præter laudatos ſupra Viros celeb. eandem quoque Tincturam recte damnant ipſe* Boerhaavius, Ludovici, Bohnius, Nenterus, Bartholinus, Loeſeke; & *alii plures; noviſſime vero* Cl. BARON, *in* Addit. *ad* LEMERII Curſ. Chym. *fruſtra licet pro ea Apologiam ſcribentibus, ipſamque laudantibus noviſſime* Wrigtho, Scoto, & *dudum ante ipſum* Michaëli, Rolfincio, FRICCIO, *de* Virt. Venenor. Med. *Cap. XIV. pag.* 271. *item* WEDELIO, Amœnitat. Mat. Med. *Lib. II. Sect. II. Cap.* 6. *pag.* 349. *qui & ipſe, ne quid malis nempe deeſſet, eam ipſam Tincturam, poſt Gramannum, triplici modo, meliore ſcilicet, (imo pejore, nam in omni, deteſtabile illud Saturni ſaccharum adhibetur,) parare docet, in* Pharmacia acroamat. *L. II. Sect. V. Cap.* 5. *pag.* 516. *quam miris laudibus effert* DOLAEUS, Encyclopœd. Med. *Lib. II. Cap* 4. *pag.* 343. *qui ipſe ibi quoque novam ſuam ejusdem compoſitionem interponit, ſed peſtifero illo Saturni Saccharo pariter inquinatam; quam tamen iratum ſuum Cardimelechem mirifice placare, ibidem affirmat; quod equidem facile crediderim ipſe; namque Tincturam hanc ex Saturno paratam, & omnia generatim Saturnina, ita plerumque placant & pacant miſeros ægrotos, ut corporeis vinculis placide exſoluti, Vitam in æternum pacatam poſtea ducant. Sed nec alii defuerunt laudatores peſſimo huic Medicamento, in primis vero ex ſecretiori illa Schola Chemicorum, aut, ut ſeſe vocari amant, philoſophorum per ignem; quos tamen jam prudens, tacite prætereo, quoniam multi ex illis adhuc vivunt, quidam etiam amici noſtri ſunt, quos publice lædere, nec tutum, nec honeſtum aut decens. Inde igitur hæc Tinctura Antiphthiſica, tam ſplendido ſane Titulo nequaquam digna, in omnibus fere ſic dictis Diſpenſatoriis Pharmaceuticis, hodie præſcribitur; utinam vero ex omnibus æternum proſcriberetur! Veneficium enim miſeris phthiſicis potius præſtat, quam Beneficium; nec Morbum tabificum ulli aufert, ſed auget potius,*

quin mortem ipſam citius adfert. Tradit quidem WEDELIUS, *in* Amœnitat. Mat. Med. *pag.* 349. *iſtam inprimis colliquativos ſic dictos Tabidorum ſudores, moleſtiſſimos, fortiter compeſcere ac reprimere: quod vero, mea quidem ſententia, tanto pejus: ſic enim effectus tantum tollitur, non cauſſa, Symptoma mitigatur, non Morbus ipſe; fumus quaſi abigitur, ſed flamma ipſa non extinguitur; conf.* SCHULZ. *in* Prælect. *ad* Diſp Brand. *pag.* 382. *Abeat igitur in poſterum hæc ipſa* Gramanni Tinctura antiphthiſica, *una cum fido ſuo ſodali,* Antihectico *ſcil.* Poterii, *&* *ipſo* Bezoardico Joviali, *de quo ſupra, ad extremos barbarosque Garamantas, ſi ita quidem dicere liceat, nunquam in hunc noſtrum orbem poſthac reverſura: ne Medici his violentis & virulentis Remediis, famam amplius perdant, Aegroti autem ipſam Vitam. Sed ſatis.*

Doſis guttæ viginti, ad triginta.

Tinctura Aromatica Londinenſ.

Diſpenſ. Lond. Wirt.

℞. Cinnamomi acuti, *drachmas ſex.*
Cardamomi minoris, *drachmas tres.*
Piperis longi,
Zinziberis, *ana drachmas duas.*
Spiritus Vini, *libram unam.*

Miſceantur, atque poſt digeſtionem exprimantur & filtrentur.

Datur ad ventriculum roborandum, atque phlegmaticis convenit.

Doſis guttæ quinquaginta ad ſexaginta usque.

* * *

Tinctura Auri, *ſeu* Aurum Potabile.

GEOFFROY, Mat. Med. *T. I. p.* 317.
CHARAS, Pharm. Reg. *T. II p.* 858.
Diſpenſ. Paris.

℞. Auri puriſſimi, *drachmam ſemis.*
Spiritus Salis, *uncias duas.*

Fiat diſſolutio, cui affundatur
Olei eſſentialis limpidi Rorismarini, *uncia una,*

Liquores confuſi agitentur. Subſidebit Spiritus Salis, flavo colore ſpoliatus, & oleum flavo colore tinctum, ſupernatabit. Oleum a Spiritu Salis, per inclinationem ſeparetur. Miſceatur deinde cum

Spiritus Vini rectificati, *unciis quatuor,* vel *quinque,*

Digerantur ſimul per Menſem. Miſtura purpuraſcentem colorem acquiret. Diaphoreticum eſt & ſudoriferum. Commendatur in Febribus malignis. *Doſis a Guttis tribus, ad guttas quindecim.* Ipſius autem vis præcipua pendet ab Oleo Rorismarini.

Inter reliquas multas fruſtra jactatas, Auri ſic dictas Tincturas, a Jo. Poppio, Angelo Sala, Jo. Agricola, Barnero, *aliisque propoſitas, conf. &* CHARAS, Pharmac. Reg. *Part. II. p.* 858. *&* Diſpenſ. Vienn. *hanc ipſam omnibus elegantiorem & præſtantiorem ſibi viſam fuiſſe, ibi pronunciat* Cl. GEOFFROY: *Simul tamen paullo poſt, ita candide fatetur:* Verum, neque hæc Tinctura Auri genuina exiſtimanda eſt, quum ſit tantum Aurum ab Aquæ Regiæ ſpiculis tenuiſſime diviſum, & Oleo Rorismarini innatans. Quod quidem Olei evaporatione, reduci poteſt in pulverem, & fuſione, in Metallum reſtitui. Neque etiam ullam Auri Tin-

ctūram radicalem novimus. *Sapientiſſime per Deum immortalem! & veriſſime. Quomodo & rectiſſime ſtatuerunt Viri in arte Chemica maximi*, Angelus SALA, *in* Chyſologia, Herm. CONRINGIUS, *in* Hermet. Med. *Lib. II. Cap.* 5. *pag.* 251. *ſqq.* & *pag.* 238. *ſqq. item Cap.* 8. *pag.* 294. Sennertus, Agricola, Lud. Duretus, ZWELFERUS, *in* Mantiſſa Spagyr. *P. I. C* 1. *p.* 321. *ſqq.* LUDOVICI Pharmac. *Diſſ. I. pag.* 97. *inprimis* STAHLIUS, Mat. Med. *Part. I. Cap.* 3. *p.* 29. *ſqq.* & *Part. II. pag.* 19. *ſq.* & GMELINUS, *Diſſ. de* Botan. & Chem. Bohnius, Boerhaavius, & *præſertim* HOFFMANNUS, Obſ. Chym. 21. *Lib. III. pag.* 372. *ſqq. item* Neumannus, Feburius, Schulzius, Cartheuſerus, *aliique innumeri fere Medici præſtantiſſimi & Chemici ſolertiſſimi. Eant igitur nunc, & æternum exulent cum ſuis fictis & mentitis Auri Tincturis*, Theophraſtus, Crollius, Valentini, Hartmannus, Mynſichtus, Helmontius, Brentzius, Fiſcherus, Tilemannus, Brendelius, Antonius, Poterius, Geigerus, Glauberus, Foſſius, Faber, Locatellus, Turnheuſerus, Arnoldus, Villanovanus, Rolfincius, Michaëlis, BATE, *in* Pharm. Batean. *pag.* 16. DIGBY, *apud* Monconys, *in* Itinerar. *pag.* 609. & *ipſe præſertim* MONCONYS, *ibidem, pag.* 793. *ſqq.* & *pag.* 996, de Blauen, Bernhardus a Kallen, Tachenius, & *reliqua omnis paracelſiſtarum ac philoſophorum per ignem, ſive rectius, fumum & fucum, turba pæne innumerabilis: quam mire laudat & preſſe ſequitur magnus alioqui* BORRICHIUS, *in* Hermet. Med. *Cap. II. pag.* 304. *ſqq.* & *C. VII. p.* 410. *Manet enim manebitque Aurum potabile ſemper putabile ut ſic loqui liceat.*

Tinctura Balſamica.

FULLER. Pharm. Ext. *pag.* 360.

℞. Balſ. Gilead.
Copaiv.
Peruv.
Tolut. *ana drachmas duas.*
Spirit. Vin. rectif. *libram ſemis.*
Tinct. Benz. *unciam unam.*

Digere in Balneo Mar. *duos dies.* Valet ad Pulmonum excoriationes ſanandas, eorumque infarctus expediendos: ad Mixtum ſanguineum & affectus nephriticos.

Doſ. gutt. triginta, ter in die, in vehiculo idoneo.

Tinctura Bellidis Florum.

Diſp. Brand. Wirt. Ratisbon.

℞. Florum Bellidis hortenſis, colore rubro, a capitulis ſuis decerptorum & exſiccatorum, *unc. ſemis.*
Spiritus Vitrioli, *drachmam unam.*
Aquæ florum Bellidis, *unc. quatuor.*

Stent in digeſtione per diem & noctem; poſtea exprimantur & filtrentur.

Pari modo parantur:

Tinctura Florum Aquilegiæ, Papaveris, Roſarum.

Ad fervorem & æſtum ſanguinis temperandum commendatur. Vid. SCHULZ. Præl. *pag.* 383.

Doſis a dimidia uncia, ad integram. Julapiis & potionibus admiſceri poſſunt.

* * *

Tinctura

Tinctura Bezoardica Ceylonica.

GRIMM. *Laborat. Ceylon. p.* 40.

℞. Pulv. Viper. cum hepat. & Cord. *unciam unam.*
Salis Volat. & fixi Viper. *ana drach. unam.*
Lapid. porcini Ceylon. *dr. un. ſemis.*
Cortic. Radic. Cinnamomi,
Cinnamomi ſilveſtr.
Ariſtoloch. long. *ana dr. duas.*
Radic. Zedoariæ,
Zerumbeth,
Calami aromatici,
Galangæ Maj. *ana drachmam unam.*
Ligni Colubrin. *drachmas tres.*
Spiritus Vini Camphorat. *uncias octo.*
Miſceantur.

Hæc omnia ſimul in magnam phialam injice, quam bene lutatam, in Arena calida collocabis, ut fiat Extractio. Quum autem hoc modo, per octo dies, conſtituta fuerit; tunc totum in Retortam effundes, & ſpiritus extrahes, quos iterum ſuperaffundes, & de novo Tincturam elicies; tunc eam claram excipe, atque ad uſum ſerva.

Habes hic præterea Medicamentum exquiſitiſſimum, quod Theriacæ, Mithridato, plurimisque aliis inutilibus Remediis anteferes: illa enim, illa putrefactioni ſubjiciuntur; iſtud vero melius ultima, quam prima die, permanet. Doſis eſt ſemi ſcrupulus, ad ſcrupulum unum. *Ita quidem Cl. Auctor de hac ſua Tinctura Bezoardica, pulcherrimo ſane fœtu, veriſſime haud dubie, & candidiſſime pronunciat. Utinam vero in his noſtris Terris ſterilioribus & aſperioribus, occaſio, facultas & præſertim felicitas illa Ceylonica, non deeſſet. Tincturam illam pretioſam juxta & efficacem commode & cum ſucceſſu, præparandi. Vid. quæ jam ſupra, ea de re jure conqueſti ſumus, quum ex eodem celeberrimo & per utrumque orbem, notiſſimo Auctore,* Theriacam Ceylonicam *præſtantiſſimam ac pretioſiſſimam, pari cum mæſto & nihil profuturo deſiderio, Lectoribus noſtris proponeremus. Interea tamen nec hujus Tincturæ Bezoardicæ omittenda hic erat mentio, ne, quantum quidem in noſtris eſſet viribus ſat exiguis, forte quid deſideraretur, quod memoria præcipue eſſet dignum: quanquam, ut ille ait, fungar inani Munere. Conf. & ſuperius dicta, ad* Diaſcordium Spagyricum Ceylonicum, *item ad* Emplaſtrum Cephalicum Ceylonicum. *Ceterum aliam* Eſſentiam Viperarum Bezoardicam, *vid. ſupra, ſub* Eſſentiis.

Tinctura Bezoardica Ludovici.

Pharmac. Diſſ. I. pag. 209. *ſqq. Diſp. Wirt.*

℞. Radicum Angelicæ,
Carlinæ,
Enulæ,
Fraxinellæ, *ana unciam unam.*
Myrrhæ electæ, *drachmas ſex.*
Croci Orientalis, *drachmas duas.*
Caſtorei, *drachmam unam ſemis.*
Spiritus Vini rectificati, *uncias quadraginta.*

Stent in digeſtione ad ſufficientem extractionem, exprimantur, & in expreſſo diſſolvatur
Opii thebaici, *drachma una ſemis.*
Filtretur tinctura & ſervetur.

Vires ſunt eædem ac tincturæ bezoardicæ officinalis; magis tamen propter opium, cujus uncia una, ultra duo grana continet: anodyna & ſudorifera eſt.

Doſis guttæ quadraginta ad quinquaginta.

NB. Aliam etiam deſcriptionem, hujus tincturæ vulgo circumferunt, quæ largiorem opii doſin continet; cum vero hæc, quam dederunt Cl. Wirtenbergenſes, apud quos, jam a longinquo tempore in officina aulica in uſu eſt, melior ſecuriorque videatur, illam merito cum illis, referre voluimus.

Tinctura Bezoardica Michaëlis. pag. 102.

(*Vid.* SCHULZII *Diſſ. de* Natura Tincturæ Bezoard. Mich.)

Diſp. Vienn. Wirt. Arg. Brand. Hamb.

℞. Radicum Zedoariæ, *uncias duas.*
Angelicæ,
Pimpinellæ,
Valerianæ veræ,
Vincetoxici,
Calami aromatici, *ana unciam unam.*
Coſti electi,
Corticum Citri exteriorum recentium,
Baccarum Juniperi, *ana uncias duas.*
Myrrhæ, *uncias tres.*
Herbarum Scordii, *unciam un. ſemis.*
Meliſſæ,
Millefolii,
Rutæ, *ana unciam ſemis.*
Camphoræ, *unciam unam.*
Theriacæ optimæ, *libram unam.*
Spiritus vini rectificati, *libras ſex.*

Poſt octiduanam digeſtionem adde
Aquæ fontanæ, *libras duas.*
abſtrahatur ſpiritus; cujus
℞. *libras duas.*
Spiritus tartari genuini, *libram ſemis.*
Spiritus vitrioli, *uncias tres.*

Miſceantur & tingantur cum fructu Solani quadrifolii, quod vulgo Herba Paris dicitur, ac filtrentur. Qui tamen herbæ paridis fructus ob malignam ſuam naturam, & ſuſpectum effectum, potius omitti debet.

Hæc quidem Tinctura Bez. Mich. a longo jam tempore, in officinis, obtinuit magis locum, quam meruit. Interim tamen uſu alexipharmaco haud plane caret, ſi quidem parce & opportune adhibeatur.

Tinctura Bezoardica Officinalis Ordinaria, Wirtenberg.

Diſpenſ. Wirtenberg. in reliquis deeſt.

℞. Radicum Zedoariæ,
Serpentariæ Virginianæ,
Angelicæ,
Pimpinellæ,
Herbarum Scordii,
Dictamni Cretici,
Baccarum juniperi,
Corticum citri,
Myrrhæ, *ana drachmas ſex.*
Sandali rubri, *unciam unam.*

Inciſis & contuſis affunde
Spiritus florum ſambuci rectificati, *libram unam.*

Poſt ſufficientem extractionem exprimantur; expreſſo adde
Spiritus Tartari, *uncias ſex,*
Vitrioli, *uncias duas.*
Camphoræ, *unciam ſemis.*

Miſce, poſt digeſtionem filtrentur, & ad uſum reponantur.

Vires ſunt alexeteriæ, ſudoriferæ; hinc in eryſipelate, febribus, quas vocant, malignis & continuis, bono cum effectu, adhibetur; flatus etiam diſſipat, & urinam movet.

Addunt hic clariſſimi Diſpenſato-

rii Wirtenbergenſis Editores, hanc ſuam Tincturam Bezoardicam officinalem nec Michaëlis, *nec* Wedelii *Tinctura Bez. virtute cedere; ſed palmam potius utrique ſimplicitate ſua, præripere: à quorum ſententia, utpote juſta ac vera, nos quoque ſtare, veritatis viribus impulſi, ultro profitemur.*

Doſis a ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.

Tinctura Bezoardica.

Pharm. Bat. pag. 174.

℞. Radicum Enulæ,
Angelicæ,
Zedoariæ,
Serpentar. Virg. *ana unc. un. ſemis.*
Croci optimi, *unciam unam.*
Myrrhæ,
Cinnamomi,
Cortic. Citri ſiccat. *ana drachm. ſex.*
Folior. Scordii,
Rutæ, *ana manipul ſemis.*
Theriacæ Androm. *uncias tres.*
Opii Thebaici, *drachmas duas.*
Spiritus Tartari rectif. *uncias quindecim.*
Vitrioli, *uncias tres.*
Baccarum Sambuci,
Junip. rectif. *ana unc. octodecim.*

Digere ſecundum Artem, ac filtra: Tum adde
Salis Succini, *unciam unam.*
Camphoræ, *drachmas duas.*

Digere iterum ad uſum. *Doſ. drach. tres, ad unciam ſemis, aut unam.*

Valet in peſte morbisque omnibus malignis, ſi juſto tempore & ordine adhibeatur. Spiritus inſigniter recreat, & ſudorem urinamque movet. Conf. huc Diſpenſat. Amſtelæd. *ubi ſimilis fere compoſitio, quæ paullo quidem operoſior & copioſior: maximam tamen partem cum hac ipſa convenire videtur. Sed plures Tincturarum Bezoard. Compoſitiones, vid. apud* JUNGKEN. *in* Corp. Pharm. *pag.* 1152. *ſqq.*

Tinctura Bezoardica Wedelii.

Amœnitat. Mat. Med. Lib. II. Sect. II. C. 3. pag. 328. ſq.

Diſpenſ. Wirt. Hamb. Argent.

℞. Radicum Zedoariæ,
Gentianæ veræ,
Angelicæ,
Anthoræ,
Contrayervæ,
Carlinæ,
Biſtortæ,
Dictamni albi,
Tormentillæ,
Scorzoneræ Italicæ montanæ,
Vincetoxici,
Olsnitii, *ana unciam unam.*
Florum Galegæ,
Ulmariae,
Calendulae,
Scabioſae,
Rutae, *ana unciam ſemis.*
Seminum Fraxini,
Cardui benedicti,
Aquilegiæ,
Rutæ, *ana drachmas duas.*
Baccarum paridis, *unciam unam ſemis.*
Cubebarum,
Granorum chermes,
Opobalſami, *ana unciam ſemis.*
Corticum citri, *drachmas ſex.*
Camphoræ,
Myrrhæ electæ, *ana unciam unam.*
Croci, *drachmam unam.*

Conciſis & contuſis, groſſo modo, affundantur
Spiritus ſambuci citrati, *libræ tres;*

Cum per aliquot dies ſteterint, in leni digeſtione, addantur

Spiritus ſalis volatilis, *unciæ duæ*,
Sandali rubri, *uncia una ſemis.*

Tinctura ſaturata exprimatur, & filtrata ſervetur.

Vires, quæ ordinariæ officinalis. Parum vero diſtat à præcedenti Tinctura Michaëlis Bezoard. *niſi quod, præter neceſſitatem, auctior longiorque illa ipſa ſit facta, adjectis multis ingredientibus novis, non ſemper melioribus; quo inprimis pertinent viroſæ illæ & vitioſæ* paridis baccæ, *& quidem tanta copia additæ, ut ſcil. tanto magis nocerent; & tanto minus juvaret ipſa Tinctura Bez. Ejiciendæ ergo prorſus hic ſunt peſtiferæ illæ Baccæ, ob rationes jam ſupra Part. I. prolatas, ad* Paridis Baccas *& præſertim, ad* Pulverem Saxonicum, *ſic dictum. Conf.* GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. III. pag.* 558.

Doſis eadem, quæ ordinariæ officinalis.

Tinctura Cantharidum Pharm. Edinburg.

Wirt. Lond. nov. FULLER. *pag.* 360.

℞. Cantharidum, *drachmas duas.*
Coccinellæ, *drachmam ſemis.*

In pulverem tritis ſuperaffundantur

Spiritus vini rectificatiſſimi, *unciæ octodecim.*

Digerantur leniſſimo calore per biduum, addantur

Reſinæ Guajaci, *drachmæ quatuor.*
Balſami de Copaiva, *uncia una.*
Camphoræ, *drachmæ duæ.*
Olei juniperi, *drachma una.*

Poſt ſufficientem digeſtionem ad ſolutionem reſinæ & balſami, clarum a ſpiſſo per inclinationem vaſis ſeparetur.

Commendari ſolet ad gonorrhœam pertinacem; circumſpectione tamen adhibendam eſſe cenſemus: propter Cantharides, quarum uſus internus admodum noxius, vid. ſupra, ad Balſamum magnanimitatis, *&* Eſſentiam Aphrodiſ. *conſ.* BARTHOLIN. Cent. V. Hiſt. med. rar. 82. *pag.* 159. *ſqq. etſi contrarium ſtatuit* GROENVELT, *de* tuto cantharidum uſu interno: *quem tamen merito damnat* CARTHEUSER. Fund. Mat. Med. *P. I. pag.* 436. *ſq.*

Doſis guttæ viginti, ad viginti quinque.

Tinctura Cardiaca.

Diſpenſ. Amſtel.

℞. Ambræ gryſ. *drachmas duas.*
Moſchi optimi, *ſcrupulos duos.*
Ligni Aloës, *drachmam unam ſemis.*
Benzoini optimi, *drachmas tres.*

Contuſis, & commixtis, affundi Spiritum Vini Rectificatum, ut tres digitos ſupereminneat: & ad leniſſimum Cinerum Calorem, extrahatur Tinctura.

Cujus uſus eſt analepticus, cardiacus ac nervinus; ſed iis duntaxat, qui Ambram & Moſchum impune, perferre poſſunt. Quare non omnibus, præſertim vero delicatioris uteri fœminis, promiſcue eſt commendandus, ob varia mala inde metuenda. Ceterum conf. ſupra, Liquor Cardiacus, *&* Pulveres Cardiaci.

Tinctura Coralliorum.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur. Sed vid. Diſp. Vienn.

℞. Coralliorum rubrorum, pulveriſatorum, *uncias duas.*

Affunde

Aceti deſtillati, *libram unam.*

Stent in digeſtione, per triduum, ebulliant aliquoties, ad coralliorum ſufficientem ſolutionem; refrigerata ſolutio per chartam bibulam filtretur, atque in vaſe figulino vel vitreo, ad ſiccitatem evaporetur;

℞. Solutionis hujus ſiccæ, *unciam unam*, ſolve in

Aquæ cinnamomi cydoniatæ, *unciis tribus*,

ſolutioni adde

Spiritus vini rectificati, *unciam unam ſemis*.

Tincturæ ſacchari, *unciam ſemis*.

Digerantur per aliquot dies; poſtea, per chartam bibulam, filtrata tinctura ſervetur. Conf. *Commerc. litt. med. Norimb.* Ann. 1732. pag. 20. & JUNGKEN. *Corp. Pharm.* pag. 1146. ſqq. ubi plures Tincturæ Coralliior. Compoſitiones longa ſerie, exhibentur.

Leniter adſtringit, roborat, ſudorem & urinam movet. Plures virtutes ipſi tribuit MYNSICHT. *in* Armament. *p.* 42. & LEMERY Curſ. Chym. *pag.* 355. & *alii. Sed vid. quæ mox in contrarium allegabuntur.*

Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis.

Tinctura Coralliorum Sincera.

GEOFFROY, Mat. Med. *Tom. II. pag.* 255.

℞. Coralliior. rubror. contuſor. *quantum lubet*, Bulliat in Olei eſſentialis Aniſi, vel Fœniculi, quant. ſuff. per ſex ſeptemve horas, in vaſe clauſo, donec Coralli fruſtula albeſcant, & oleum rubro Colore tingatur.

Oleum a Coralli fragmentis ſeparatum deſtilletur igne medico, uſque dum Guttulæ Olei rubræ, prodeant.

Tum Maſſæ reſinoſæ, in Retorta remanenti affunde Olei Tartari per deliq. ad eminentiam duorum, vel trium digitorum. Digerantur ſimul, donec Reſina prorſus diſſoluta fuerit.

Solutio evaporetur ad ſiccitatem: Tum Maſſæ Salinæ reſinoſæ affunde iterum Spirit. Vini rectificati quant. ſuff. ad ſupereminentiam trium quatuorve digitorum. Macerentur in Balneo Cinerum, & Tinctura a Salina Maſſa ſeparetur. Novum Spiritum Vini affunde, & digerantur: Affuſiones repete, donec nulla amplius Tinctura extrahatur. Tincturæ omnes ſimul miſtæ evaporentur ad medietatem.

Liquor ſervetur ad uſum, tanquam ſincera Coralli rubri Tinctura; cujus tamen effectus Agyrtarum promiſſis non reſpondebunt. In hoc Liquore Sulphurea & bituminoſa Coralli pars continetur.

Hæc quidem celeb. GEOFFROY. *An vero vel ſic, vera & ſincera Coralliorum Tinctura extracta fuerit; adhuc ſub judice lis eſt. Certe jam olim magni illi per ignem, philoſophi,* Crollius, Sala, Billichius, *aliique plures, quibus noſtra ætate, acceſſerunt* Conringius, Ettmüllerus, & Frieſius, *in Examine Tincturæ Coralliorum, inprimis autem* STISSERUS, *in* Actor. labor. Chym. *Spec. III, C.* 5. *ut* & SCHULZIUS, *in* Præl. *ad* Diſpenſ. Brand. *pag.* 387. & HOFFMANNUS ipſe, Obſ. Chym. 21. *L. III. p.* 375. & *alibi, item* CARTHEUSER. Fund. Mat. Med. *P. I. Sect. II. C.* 7. *p.* 149. *præcipue* NEUMANNUS, *in* Commerc. litt. med. Norimb. *Ann.* 1735. *pag.* 370. *ſqq.* & *pag.* 377. *ſqq. aliique innumeri fere: hi inquam, omnes ſtrenue & aperte negarunt, veram & efficacem Corallio-*

rum Tincturam unquam confici potuiſſe, aut poſſe. Contrarium tamen contra negantes, & præſertim Conringium, non ſine magna veritatis ſpecie, tuetur Chemicorum doctiſſimorum ſuæ quidem tempeſtatis, princeps, Olaus BORRICHIUS, *Tract. de* Hermetis *&* Chemicorum Sapientia. *Cap. III. p.* 329. *ſq. ubi perquam facilem methodum proponit, & Salem ex Coralliis extrahendi, & Tincturam ipſam. Conf. & ipſius* Epiſt. 97. *Cent. III.* Epiſt. med. BARTHOLIN *p.* 425. *& ipſius* BARTHOLINI *Ep.* 96. *ad* Borrich. *p.* 415. *Quæ ſi etiam vera ſint, uti putem; nondum tamen video, quæ vel tum etiam ineſſe poſſit virtus præcipua iſti rubicundiſſimæ coralliorum Tincturæ? Non enim virtus Remediorum in ipſorum colore conſiſtit, ſed in ipſa potius eorum ſubſtantia: Vid. huc* STAHL. Mat. Med. *Part. II. C.* 10. *pag.* 8. *ubi de hoc ipſo rubicundo Tinct. Corall. colore agitur, ſicut ipſius Auri pretium non a fulvo ſplendore, ſed ab ipſa nobilitate interna recte petitur: quod & in aliis Metallis, quin & plantis ipſis, utique locum habet. Ceterum de variis Tincturas Corall. præparandi modis, vid.* HARTMANNI Tirocin. Chym. *Lib. II. Cap.* 10. *&* MICHAEL. Med. Famil. 158. *pag.* 99. *item* Commerc. Med. Nor. *An.* 1734. *pag.* 404. *& An.* 1732. *p.* 20.

Tinctura Croci.

Diſp. Ratisbon. Wirt. Edinburg.

℞. Croci Auſtriaci, *drachmas decem.*
In ſpiritus vini rectificati, *libra ſemis* macerentur, & poſt digeſtionem exprimantur, & filtrentur.

Anodynæ, cordialis & antiſpasmodicæ eſt virtutis; menſtrua movet, atque ad icterum laudatur.

Doſis guttæ triginta, ad quadraginta.

Tinctura Croci Vinoſa.

Diſp. Prag. Wirt.

℞. Croci Auſtriaci, *unciam unam.*
Micæ panis ſimilaginei, *uncias duas.*

Contundantur ſimul in mortario lapideo, ſenſim affundendo vini boni Canarienſis, quantitatem ſufficientem, ut fiat puls mollis, omniaque ſtamina croci ſint comminuta. Pulti huic porro affunde vini ejusdem uncias ſex, & in vitro probe clauſo aliquandiu relinque ac digere.

Tinctura ſanguinis inſtar rubicunda a fecibus ſeparetur & loco frigido ſervetur. Conf. ſupra, *Extractum Croci.*

Roborare, excretiones ſine violentia ſtimulare, animam exhilarare, lithiaſin cohibere, & ad vitam longam ac ſanam procurandam, utiliſſime adhiberi. B. SCHULZIUS *cenſet. in* Prælect. *ad* Diſpenſ. Brand. *p.* 136. *Conf.* HOFFMANN. *ad* Poter. Pharm. Spag. *L. I. pag.* 299.

Doſis guttæ decem, viginti, triginta, usque quinquaginta.

NB. Eſſentiæ & Tincturæ, menſtruo vinoſo paratæ, vel aceſcunt, vel mox ſitu corrumpuntur. Igitur vel parva in quantitate parandæ, vel parum ſpiritus vini rectificati addi debet.

Tinctura Gingivalis Balſamica.

Diſpenſ. Wirt.

℞. Terræ Japonicæ,
Myrrhæ electæ, *ana unciam unam.*

In pulverem trita irrorentur Balſami Peruviani, *drachma una.*

Superfundantur

Spiritus Cochleariæ,

Vini rectificati, *ana unciæ tres.*

Digerantur, & per chartam filtrata tinctura ſervetur.

Commendatur ad ſtomacacem, ſeu ſcorbutum oris, laxitatem & purulentam affectionem gingivarum, atque, cum melle roſato mixta, applicari ſolet.

Tinctura Guajaci.

Hujus præparationem & eximium uſum, præſertim externum, in pulchre ſanandis ulceribus malignis ac venereis, vid. apud BOERHAAVE, *Elem. Chem.* Tom. II. Part. I. Proc. 60. p. 203. ſq. Conf. *Diſpenſ. Lond. Brand.* & ſupra, *Eſſentia Guajaci,* item *Extractum Ligni Guajaci.*

Tinctura Hellebori Compoſita.

Diſpenſat. Wirtemberg.

Vid. Pharm. Batean. pag. 178.

℞. Fibrarum Hellebori nigri, *unciam unam ſemis.*

Squinanthi, *unciam unam.*

Galangæ minoris, *unciam ſemis.*

Cardamomi minoris, *drachmas tres.*

Croci, *drachmam unam ſemis.*

Vini Canarienſis,

Spiritus vini, *ana libram unam.*

Stent in digeſtione, poſt ſufficientem extractionem, exprimantur atque filtrentur.

Commendatur in affectibus hypochondriacis, obſtructione menſium. Datur maniacis & melancholicis.

Doſis drachma una vel una ſemis.

***

Tinctura Hydragoga.

Diſpenſ. Amſtel.

℞. Radic. Jalappæ reſinoſæ, *uncias duas.*

Hellebori nigri, *unciam ſemis.*

Mechoacannæ,

Scammonii, *ana drachmas ſex.*

Cinnamomi, *drachmas duas.*

Macis, *drachmam unam.*

His omnibus probe contuſis affunde

Spiritus Vini rectificat. *uncias ſedecim,*

Digerantur in Arena, modico Calore, & Tinctura filtrata exhibeatur uſui, *qui eſt hydragogus,* ut Nomen indicat. Ceterum conf. ſupra *Electuaria Hydragoga,* & *Species Hydragogæ.*

Tinctura Hydropica ad Exemplum Boerhaave.

GAUB. *de Formul. Med. pag.* 169.

℞. Radicum Helenii, *unciam unam.*

Ariſtolochiæ utriusque,

Zedoariæ, *ana drachm. ſex.*

Zingiber. *unciam ſemis.*

Bulb. Allii, *unciam unam ſemis.*

Summitatum Abſinthii,

Centaur. minor.

Seminis Dauci,

Baccarum Juniperi,

Ligni Saſſafras raſi, *ana unc. unam.*

Corticis Winterani, *unciam ſemis.*

Conſciſſa, tuſa, cum

Spiritus Juniperi, *pintis duabus.*

In phiala alta chemica ebulliant, per ſex horas. Tinctura frigida, pura, decantetur.

Capiat hydropicus unciam dimidiam, quater de die, vacuo ſtomacho, cum Regimine.

***

Tinctura Hyperici Florum.

Diſp. Brand.

℞. Florum Hyperici, circa ſolſtitium æſtivum collectorum, *quantitatem ſufficientem*, quibus affunde in vaſe commodo, ſpiritus, eorundem Florum abſtractitii, ad eminentiam quatuor digitorum: digere vaſe exacte clauſo, loco tepido, triduum, aut quatriduum, & tingetur colore ſaturate rubro, qui, ſi non ſit ſatis ſaturatus, novis Floribus additis, adquiri poteſt: poſtea per emporeticam filtretur.

Angeli SALAE *encomio maxime innotuit*, qui admirandam eam prædicat, ad curandam melancholiam, ac depravatam imaginationem, majusque præſtare auxilium, quam aliud quodvis nobiliſſimum ac pretioſiſſimum medicamentum teſtatur, ſuamque experientiam allegat, in *Myrothec.* Sect. VII. pag. 798. Etiam externus uſus eſt in vulneribus & ulceribus. Interne datur, ubi morbus ſpirituoſa admittit liberalius danda; drachma dimidia, ad integram. Ita SCHULZ. in *Prælect.* p. 388. Ceterum vid. ſupra *Eſſentia Hyperici*, quæ pæne ejusdem eſt compoſitionis, ejusdemque uſus, ut vulgo quidem perhibetur, vid. ibidem a nobis hanc in rem, adnotata.

Tinctura Laccæ.

Diſpenſ. Wirt. Vienn. Brand. Paris. FULLER. *pag.* 363.

℞. Gummi Laccæ, quod baculis adhæret, & cui tinctura nondum extracta, *unciam unam.*
Aluminis crudi, *drach. unam ſemis.*
Aquæ Salviæ,
Roſarum,
Cochleariæ, *ana unciam un. ſemis.*

Lento igne, in vaſe fictili, ebulliant, & colata uſui aſſerventur.

Ad laxitatem & cruentationem, a ſcorbutica ulceratione, gingivarum adhibetur; locum etiam invenit in tonſillarum & uvulæ relaxatione, quæ ſub ſalivatione, a mercurio excitata, exoriri ſolet. Vid. BOERHAAVE, Elem. Chem. *T. II. Part. I. Proc.* 56. *pag.* 200. DECKERS, *ad* Barbette Prax. Med. *L. IV. Cap.* 3. *pag.* 147. FULLER. Pharm. Extemp. *pag.* 363. SCHULZ. Præl. *p.* 388.

Tinctura Lunæ.

Diſpenſat. Vienn. Batean. pag. 91.

℞. Salis Armoniaci, *uncias ſex.*
Tartari, *uncias octo.*
Aquæ epilepticæ, *uncias ſex.*
Spiritus Liliorum Convall.
Ceraſorum nigrorum,
Lavendulæ, *ana uncias duas.*

Mixta, deſtillentur per Alembic. ad *uncias ſex.*

℞. Hujus Liquoris, *uncias ſex,*
Lunæ raſpatæ finiſſimæ, *unc. unam ſemis.*

Stent in digeſtione, ad extractionem Tincturæ valde cæruleam, quæ filtretur, & uſui ſervetur.

In affectibus capitis & nervorum, ut Epilepſia, & conſimilibus, virtutes ſuas exſerere dicitur. Vid. CHARAS Pharm. Reg. *Tom. IV. pag.* 747. LEMERY Curſ. Chym. *pag.* 105. Jungken *& alios Chemicos. Res enim ſatis nota: & notior ipſo Lunæ in corpore humano, uſu: qui nempe major eſt, ad fortunam parandam atque augendam, quam ad morbos ſanandos, aut omiſſam ſanitatem reſtituendam, ut nonnulli vulgo jactant. Conf.* Diſp. Hamb.

Tinctura Martis Adſtringens.

Diſp. Wirt. Vienn. Ratisbon.

℞. Limaturæ Martis puriſſimæ, *uncias quatuor.*

Aceti vini albi, *uncias novem.*

Stent in digeſtione, ad ſufficientem extractionem; poſtea in vaſe ferreo acetum, ad quartæ partis remanentiam, ſub continua agitatione, ſpatula ferrea, evaporetur, & reſiduo magmati, in vitro,

Spiritus cydoniorum, *unciæ quatuor* affundantur, & per digeſtionem probe unitis, clarum a ſpiſſo, per chartam bibulam colando, ſeparetur.

Omnes quidem tincturæ martiales ſunt adſtringentes pro ratione vero menſtrui, quo extractæ ſunt, plus aut minus. Hæc tinctura, aceto parata, magis adſtringit, reliquis, & in fluxionibus quibuscunque inhibendis, & ubi adſtrictione opus eſt, adhibetur. Aliam vero adhuc magis adſtringentem vid. in Pharm. Batean. *pag.* 47. *Conf. ſupra* Electuaria de Croco Martis.

Tinctura Martis Amara.

WOYT Gazophyl. Med. pag. 948.

℞. Limaturæ Martis, Vino albo irroratæ, *uncias duas.*

Aquæ Lactis, *libras duas.*

Eſſ. Abſinthii compoſitæ,

Gentianæ Compoſ. *ana uncias tres,*

Diger. in Balneo Mar. per triduum, aut quatriduum: deinde adde:

Marrubii albi, *manipulum unum.*

Summitatum Centaur. min. *pugillum unum.*

Radicis Gentianæ, *drachmas tres.*

Cortic. Aurantior. recent. *No. duos.*

Diger. rurſus per horas viginti quatuor, Colaturæ hujus Libris duabus admiſce

Spiritus Caſtorei, *uncias duas.*

Fiat lege Artis, Tinctura.

Eſt inſigne tonicum, roborans in fibra laxa, hyſtericum, antiſcorbuticum, & anthelminthicum. Prodeſt etiam in fœdo fluore albo, & chloroſi pallidarum puellarum; item in Ictero, & variis quoque ſtomachi languentis & nauſeantis Vitiis.

Ceterum huc quoque ſpectat Tinctura Martis abſinthiaca, *laudata* WEDELIO, *in* Amœnitat. Mat. Med. *L. I. Sect.* 3. *Cap.* 8. *pag.* 180. *& alibi. Conf.* JUNGKEN. Corp. Pharm. *pag.* 1131. *ſqq. ubi plures ejusmodi Compoſitiones Tincturar. Mart.*

Tinctura Martis Aperitiva, *ſive* Aroph Paracelſi.

Diſp. Wirt.

℞. Florum Salis Ammoniaci Martialium, *unciam unam.*

Spiritus Vini rectificatiſſimi, *uncias quatuor.*

Miſce exacte, & lentiſſimo igne tincturam, aurei coloris, extrahe, quæ filtrata reponatur. Vid. ſupra, *Flores Salis Armoniaci Martiales*, ſeu *Hæmatiſati.*

Hæc tinctura præ aliis ſe commendat, quod, ſine alteratione pelluciditatis, cum aliis eſſentiis ac tincturis ſpirituoſis commiſceri poſſit. Suavitate odoris, & virtute leniter adſtringente ac anodyna alias præcellit; in atonia viſcerum, & ex illa natis morbis, cachexia, hypochondriaco malo, ictero, & poſt febres intermittentes, ea, bono cum ſucceſſu, uti licet.

Doſis guttæ triginta quinque, ad quadraginta.

Vid. *hæc* TEUTSCH *Diſſert. de* Tincturis Martialibus, *add. Scriptores ſupra laudatos, qui de Remediorum Martialium præparatione & uſu, ſcripſerunt. Conf.* RIEDLINI Lin. Med. *An.* 1697. *Menſ. Sept. Obſ.* 21. *pag.* 633.

Tinctura Martis Aperitiva, Tartariſata Ludovici, Pharm. Diff. I. pag. 425.

Diſpenſ. Wirt. CHARAS Pharm. Reg. *P. II. pag.* 760. *Arg. Ratisbon. Brand.*

℞. Vitrioli Martis,
Cremoris Tartari, *ana unc. quatuor.*
Coque, in vaſe ferreo, in
Aquæ fontanae, *libris ſex,*
ſub continua agitatione, fere ad ſiccitatem. Maſſa griſea ſolvatur denuo in
Aquae cinnamomi, ſine vino, *unciis quatuor,*
& diluatur
Spiritus Vini rectificati, *unciis octo.*
Stent in digeſtione; liquorem tinctum, per filtrum, a fecibus ſepara & ſerva.

Tonica eſt, roborat, & appetitum excitandi gratia, poſt diuturnos morbos, in refracta doſi exhibetur. Vid. RIEDLINI Lin. Med. *An.* 1698. *Menſ. April. Obſ.* 16. *pag.* 304. *ſqq. Conf. ſupra*, Eſſentia Vitrioli Martis. *Impenſe quoque hæc Tinctura Ludov. laudatur a* STAHL. Mat. Med. *P. I. C.* 3. *p.* 161. *ſqq.* SCHULZIO, Prælect. *p.* 392. Wedelio, Hoffmanno, *& aliis. Conf. ſupra* Eſſentia Martiata aperitiva.

Doſis guttæ quinquaginta, ad octoginta.

***

Tinctura Martis cum Arcano Tartari, Zwelf.

Diſpenſ. Brand. Vienn. Witt.

℞. Arcani, ſeu Terræ foliatæ Tartari nigri, *uncias tres.*
Vitrioli Martis, puri, *uncias duas ſemis.*

Solve cum ſufficienti Quantitate Aquæ communis in Vaſe ferreo: poſtea Aqua rurſus exhaletur leni calore, agitando ſpatula: Sub refrigeratione, immiſc.
Spiritus Vini, *menſura ſemis,*
Tumque indatur filtro tota mixtura, filtratumque reaffundatur aliquoties; donec Tinctura optime ſaturata eſſe videatur.

Eſt Vitrioli Martis cum Liquore Terræ Fol. Tartari, Solutio & Conjunctio. Non poteſt nimius effectus adſtrictorius de ipſa metui; Ventriculo autem, inteſtinis, & hypochondriorum viſceribus amicam virtutem, omni flacciditati, ut & verminoſæ colluviei, contrariam promittit, ſi parvis doſibus præbeatur, juveturque ſufficienti humido diluente & aperiente. Hæc SCHULZIUS *in* Prael. *pag.* 391. Doſis, Guttae triginta, ad quinquaginta.

Tinctura Martis Aurea.

Pharm. Bat. pag. 177.

℞. Croci Martis, *unciam unam.*
Spiritus Salis, *uncias quatuor.*
Infund. dies duos, ſæpe agitando: dein add.
Spiritus Vini rectificatiſſ. *unc. quatuor.*
Digere tepide per dies tres, vel quatuor, Filtra, & erit Tinctura coloris aurei: *Doſ. ad guttas viginti:* Valet in pertinacioribus Viſcerum obſtructioni-

bus reſerandis, ut notum. Vid. Wedel. *Amœn. Mat. Med.* pag. 178.

Tinctura Martis Cœrulea Ettneri.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur, excepto Diſp. Ratisbon.

℞. Limaturæ Martis puriſſimæ,
Salis Ammoniaci, *ana quantum vis.*

Probe mixta deſtillentur, & ſi flores aſcendere incipiunt, deſiſtatur a deſtillatione. Maſſa vero relicta ſtet adhuc, per tempus, ſupra fornacem hypocauſti calidi, ut hoc fotu, magis magisque aperiatur limatura Martis. Tunc adde
Salis Tartari,
vel
Cinerum clavellatorum, *ana*, &
Aquæ fontanæ tantundem, inde deſtilletur ſpiritus.

E reſiduo vero ſal elixivietur, & ad ſiccitatem iterum evaporetur, cui ſali affundatur ſpiritus prolectus, qui, colore cœruleo inde tinctus, ſervetur.

Magis curioſa, quam utilis eſt hæc tinctura, & colorem a particulis venereis, marti adhærentibus, habet.

Commendatur ab authore hypochondriacis & melancholicis; quæ virtus potius ſpiritui ſalis ammoniaci adſcribenda videtur. Vid. Tab. Smaragd. *p.* 193. *ubi & ipſa methodus hanc cœruleam magis, quam cœleſtem Tincturam componendi exacte docetur.*

Doſis guttæ viginti, ad triginta.

Tinctura Martis Cydoniata. Wedelii.

Diſp. Wirt. Hamb. Jungk *pag.* 1132. *Ratisbon.*

℞. Limaturæ Martis puriſſimæ, *libram unam.*
affunde
Succi cydoniorum, recens expreſſi, *libras tres.*

Stent per aliquot dies in digeſtione, poſtea lento igne, in cacabo ferreo, ad dimidiæ partis conſumtionem, coquitur; ab igne remotis adde
Aquæ cinnamomi ſpirituoſæ, *uncias tres.*

Probe mixta filtrentur & ſerventur.

NB. Aquam cinnamomi addimus, ut gratior ſtomacho exiſtat, & ne ſitu corrumpatur tinctura.

Vires habet, cum aliis martialibus, adſtringentes, tonum viſcerum roborat, atque in cachexia, hypochondriaco affectu, anomaliis menſium, utiliter dari poteſt.

Doſis eſt ſcrupulus unus, ad ſcrupulum unum ſemis, in convenienti vehiculo.

Tinctura Martis Elleborata.

(*Vid.* Ern. Henr. Wedelii *Diſſ. de* Tinctura Mart. elleborata.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. Argent.

℞. Tincturæ Martis Ludovici, *uncias quatuor.*
Extracti Ellebori nigri, *drach. duas.*

Mixta digerantur & filtrentur.

Commendatur in affectibus hypochondriacis & melancholicis, & febre quartana inveterata, expugnandis.

Doſis guttæ quadraginta, ad ſexaginta, majori alvum laxat. Vid. Schulz. *Prælect.* p. 390. & Klein. *Select. rat Med.* pag. 293.

Tinctura Martis pomata.

Diſp. Wirt. Vienn. Brand.

Eodem modo paratur, quo Tin-

ctura Martis cydoniata, *atque easdem cum illa virtutes habet*, eademque doſi exhibetur. *Conf. ſupra* Extractum Martis Pomatum.

Tinctura Martis Roborans, Herm. Boerhaave, *Mat. Med. pag.* 184.

℞. Limaturæ Martis, *unc. unam.*
Aceti ſtillatit. acerrimi, *unc. decem.*
Sacchari, *uncias tres.*

In phiala alta ebulliant leniter, ſpatio viginti ſex horarum: Filtratus Liquor ſervetur uſui, vaſe clauſo.

Dentur guttæ ſex, bis quotidie, horis medicis, ex pauxillo Vini Hiſpanici.

Miſeris præſertim pueris tenellis, fœda Rhachitide diſtortis hanc Martiatam Tincturam, ceu Medicamentum eximie roborans, nervisque flaccidis novum tonum ac vigorem infundens, merito commendat Vir iſte maximus, cujus late per orbem diffuſum Nomen nulla unquam ſilebit ætas.

Tinctura Martis, cum Vino Malvatico & Pomis Aurantiis.

Diſp. Wirt. Brand. Hamb.

℞. Limaturæ Martis puriſſimæ, *uncias quatuor.*
Pomorum Aurantiorum amarorum, ſucculentorum, *num. quatuor.*

Excorticentur poma Aurantia, & a fungoſa albedine & ſeminibus liberentur; poſtea cortices & ſucculenta caro, in mortario lapideo, cum limatura Martis impaſtentur; paſta reponatur in vitro, ampliore collo, ad digerendum per biduum; donec affundantur

Vini Malvatici, *unciæ decem.*
Spiritus corticum Aurantiorum, *unciæ duæ.*

Digeſta & expreſſa filtrentur.

Cum reliquis tincturis martialibus, virtute leniter adſtrictoria, tonica, convenit; præter hanc etiam gaudet viribus balſamicis, ſtomachicis & carminativis, atque hypochondriacis, flatibus & ructibus vexatis, & poſt febres diuturnas, exhibetur. Vid. SCHULZ Praelect. *p.* 391.

Doſis drachma ſemis, ad ſcrupulos duos.

Tinctura Martis Vitriolata Antiſcorbutica.

Diſp. Brand.

℞. Vitrioli Martis artificialis,
Florum Salis Ammoniaci martialium, *ana unciam ſemis.*
Spiritus Cochleariæ, *libram ſemis.*

Mixta ſtent dies aliquot in digeſtione. Caloris blandi, donec omnia extracta, tum per emporeticam colata, vaſe idoneo bene clauſa ſerventur.

Medicamentum in affectionibus hypochondriacis, ſcorbuticis & hyſtericis, viſcerum obſtructionibus reſerandis, ac menſtruorum obſtaculis removendis, nobile. Dari poteſt, ad drachmam unam cum vehiculo convenienti. *Refertur ab aliquibus, ad Auctorem* b. Wedelium. *Ita* SCHULZIUS *in* Praelect. *pag.* 392. *Recte vero refertur ad* Wedelium, *quem ipſum de hac Tinctura vid. in* Amœn. Mat. Med. *L. I. Sect. III. C.* 8. *p.* 178.

Tinctura Metallorum. *ſeu* Lilium Paracelſi.

CHARAS Pharm. Reg. *P. II. pag.* 857. *Wirt. Brand. Vienn. & rel. vid. Chem.*

℞. Reguli Antimonii martialis, *uncias duas.*

Cupri,
Stanni Anglici, *ana unciam unam;*
Fundantur violento igne, fuſa effundantur.
Reguli hujus, in pulverem redacti, recipe *uncias duas.*
Nitri optimi cryſtalliſati, ſicciſſimi, pulveriſati, *uncias duodecim.*

Commiſceantur exacte, & paulatim in crucibulum probe candens injiciantur; detonatione peracta, tegatur crucibulum tegula, ignisque adhibeatur vehemens, in quo detineatur, donec maſſa in ſcorias cœruleas, virideſcentes redacta ſit. Tum in mortarium effundatur calefactum, pulveriſetur ſtatim, & vitro immiſſæ, ſuperaffundatur

Spiritus vini rectificatiſſimi, *libra una ſemis.*

Digerantur, donec tinctura ſit extracta pulcherrime rubens.

Cum Tinctura Antimonii acri convenit, & ad viſcidos & lentos humores reſolvendos, utilis; adeoque in humorum impuritatibus, obſtructionibus, & infarctibus viſcerum & glandularum adhibetur.

Doſis, *propter acrimoniam, parca ſit, & in vehiculo exhibeatur aquoſo;* ſufficiunt guttae triginta, ad quadraginta.

Tinctura Oculorum Cancri,

Vid. ſupra
Eſſentia Oculorum Cancri.

Tinctura Odontalgica Maurit. Hoffmanni.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Raſuræ ligni ſancti, *uncias duas.*
Corticum ligni Saſſafras, *unc. ſemis.*
Seminis hyoſcyami,
Radicis pyrethri, *ana drachm. duas.*
Caryophyllorum,
Piperis longi, *ana drachmam unam.*
Camphoræ,
Opii, *ana drachmam ſemis.*
Sandali rubri, *drachmas duas.*
Spiritus vini rectificati, *uncias quindecim.*

Digerantur, & poſt ſufficientem extractionem, filtrentur.

Efficaciſſimum remedium contra dolores dentium, vel goſſypio denti dolenti ſuperimpoſitum, vel parum calefactum in ore detentum. Conf. ſupra, ſub Electuariis, Sotirella parva, *ex* Diſpenſ. Vienn. *Similem fere* Tincturam Odontalgicam *vid. apud* MYNSICHT. *in* Armament. *Sect. II. pag. 52. Conf. ſupra, ſuo loco,* Emplaſtra ad dolores dentium, *quæ exterius applicata, eidem ſcopo atque uſui inſerviunt, ceu ubique notum. Vid. & ſupra* Emplaſtra odontalgica. *Aliam vero* Tincturam odontalgicam, *in* Pharmacopœa Bateana, *pag.* 122. *Conf. ſupra,* Eſſentia odontalgica Stahlii.

Tinctura Proprietatis Mynſichti.

Armam. Med. pag. 47.

Diſpenſ. Wirt. Hamburg. Brandenb.

℞. Spiritus aniſi, *uncias ſedecim.*
Elixirii proprietatis, *unciam unam.*
Confectionis Alkermes, *unc. ſemis.*
Florum tunicæ rubrorum, *dr. unam.*

Stent in digeſtione, donec perfecte tingantur, poſtea ſpiritum tinctum & filtratum ad uſum ſerva.

Autor eam laudat, pro more ſuo, in melancholia, hemicrania, vertigine, paralyſi, catarrho, aſthmate, tuſſi, cardialgia & cæteris morbis.

Clariſſimis vero Medicis Wirten-

bergenſibus eſt ſtomachicum, carminativum & pectorale remedium non contemnendum. Conf. SCHULZ. Prælect. *p.* 394.

Doſis drachma una, ad unam ſemis.

Tinctura Regia.

CHARAS, *Pharm. Reg. T. II. p.* 724.

℞. Ambræ griſ. *ſcrupulos duos.*
Moſchi, *ſcrupulum unum.*
Zibethi, *grana decem.*
Olei Cinnamomi, *guttas ſex.*
Ligni Rhodii, *guttas quatuor.*

Miſce optime, donec omnia unita ſint: dein adde:

Spiritus ardentis rectif. Roſarum,
Florum Aurant. *ana unc. unam.*

Digere in loco calido, per aliquot dies, identidem agitando, deinde Liquorem a fœcibus ſubſidentibus per inclinationem, ſepara, & ſerva uſui.

Qui creditur quidem analepticus, cardiacus, cephalicus, nervinus, immo & aphrodiſiacus. Sed ſi Regibus etiam forte placuerit hæc ipſa quidem Tinctura Reg. nunquam tamen, ſat ſcio, placebit Reginis, ob ingentem nempe Ambræ, Moſchi & Zibethi copiam, quam nunquam impune ferre poſſunt ſubtilioris naris & delicatioris uteri fœminæ, uti notum.

Tinctura Rhabarbari,

ſive Anima Rhabarbari. *Alias etiam* Sanguis Cichorii Rhabarbarinus.

Diſp. Wirt. Brand. Edinb. Prag. Hamb.

℞ Pulveris Rhabarbari optimi, *unciam unam.*
Salis tartari, *drachmas duas.*
Aquæ Cichorii,
Cinnamomi bugloſſatæ, *ana uncias ſex.*

Infuſa ſtent loco calido, per horas viginti quatuor; poſtea per bibulam colentur.

NB. Situi valde obnoxia eſt hæc tinctura; nunquam igitur, niſi in caſu neceſſitatis, parari debet, quod ex tempore, in vaſe figulino, igne leni fieri poteſt.

Hypochondriacis & ictericis conducit, reſolvit, & majori doſi exhibita, *alvum laxat,* quo ſcopo ad unciam integram, imo duas, dari poteſt; ſcopo alterante ſufficiunt drachmæ duæ. *Vid.* SCHULZ. Praelect. *pag.* 145. CARTHEUSER. Pharmacol. *pag.* 350.

Tinctura Rhabarbari Compoſita.

Diſp. Wirt. Edinburg.

℞. Rhabarbari, *unciam unam.*
Gentianæ, *drachmam unam ſemis.*
Serpentariæ Virginianæ, *dr. unam.*
Spiritus vini,
Vini generoſi, *ana libram ſemis.*

Miſceantur, & extrahatur Tinctura.

Laudatur in affectibus bilioſis, febribus, & ipſa dyſenteria.

Doſis guttæ quinquaginta ad octoginta.

Tinctura Rhabarbari Compoſita.

Pharmac. Batean. pag. 122.

℞. Rhabarb. optimi,
Glycyrrhizæ, *ana uncias duas.*
Uvar. paſſ. enucleat. *No. ſexaginta.*
Aniſi, *unciam unam.*
Sacchari canti, *uncias ſex.*
Spiritus Vini, *libras duas.*

Digere ſecundum Artem, Fiat Colat.

Dentur Cochlear. 2. 3. 4. *Mane.*

In ventriculi cruciatibus &c. mira præſtat. Ita ibi Auctor Neque dubitamus ipſi de Veritate: Eſt enim Medicamentum ipſa Natura & indole, mite & blandum, & præterea quoque, Sapore non ingratum. Quare delicatioris palati ægrotis, præſertim fœminis & infantibus, commode exhiberi poterit.

Tinctura Rhabarbari Compoſita Spirituoſa.

Diſpenſat. Lond.

℞. Rhabarbari opt. *uncias duas.*
Seminum Cardamomi minoris de cortic. *unciam ſemis.*
Croci opt. *drachmas duas.*
Spiritus vinoſi tenuioris, *libras duas.*

Digere ſine Calore, & cola, ut Fiat lege Artis, Tinctura.

Iisdem quidem uſibus inſervit; & ſimplicioris eſt compoſitionis, ac illa altera, ſuperius poſita; ſed non tam grati ſaporis; forte & non tam lenis & blandi effectus: ut ipſa experientia liquidius monſtrabit. Ceterum vid. & ibidem, pag. 70. Tinct. Rhab. vinoſam, *ſed parum diverſam.*

Tinctura Rhabarbari Dulcis.

Diſpenſ. Edinb.

℞. Rhabarbari electi,
Glycyrrhizæ raſæ, *ana uncias duas.*
Uvarum paſſarum enucl. *unc. unam.*
Corticis Winterani,
Cardamomi minoris, *ana dr. duas.*
Spiritus Vini Gallici, *libras duas.*

Digere per biduum, & Tincturæ colatæ adde:

Sacchari canti albi triti, *uncias tres.*

Digere rurſus, donec ſolvatur.

Convenit maximam partem, cum altera illa Tinctura Rhabarbari compoſita, *quam ſuperius, ex pharmacop. Bateana, produximus: inde & utriusque idem erit uſus.*

Tinctura Sacra.

Diſpenſ. Lond.

℞. Aloës Socotorinæ, *uncias octo.*
Canellæ albæ, *uncias duas.*
Vini albi, *libras decem.*

Aloë & Canella ſeparatim in pulverem redigantur; tum mixtis vinum affundatur; dein macera, ſine calore, per hebdomadam, vel diutius, ſubinde agitans; & poſtremo cola. Non inutile erit, Arenam albam probe a ſordibus ablutam pulveribus admiſcere, quo minus concreſcat Aloë madefacta.

Mite eſt Catharticum, *quod inde, & in ipſis Variolis, & in atroci præſertim Capitis Eryſipelate, ſecure adhibuit* FREIND: *ceu ex* ejus Comment. *VII. in* Hipp. Epidem. *I. & III. Libb. pag.* 139. *& alibi patet.*

Tinctura Sacra Alia.

Diſp. Edinb. Pharm. Bat. *p.* 177. *Leod.*

℞. Pulveris Hieræ picræ, *unciam unam.*
Cochinillæ, *ſcrupulum unum.*
Vini albi Hiſpanici, *ſeſqui libram.*

Digere, per biduum, Calore leniſſimo, & cola. Uſus hujus Tincturæ, idem eſt, ac præcedentis: Ceterum conf. ſupra *Tinctura Aloës,* & *Eſſentia Aloëtica,* in eosdem nempe uſus compoſitæ.

Tinctura Salutifera.

vid. ſupra

Eſſentia Salutifera.

Tinctura Saſſafras.

Pharm. Bat. pag. 180.

℞. Cortic. Saſſafras, *uncias quatuor.*
Salviæ ſiccæ, *uncias duas.*
Nucis Moſchatæ, *unciam unam.*
Cinnamomi, *unciam ſemis.*
Ambræ gryſ. *ſcrupulum ſemis.*
Extrahe Tincturam, lege Artis, cum
Spiritus Vini, *libris duabus.*

Doſis Cochlearia duo: Lenit Arthritidem vagam, & ſanguinem emundat. Ceterum conf. ſupra *Eſſentia Ligni Saſſafras compoſita.*

Tinctura Saturni.

Ibidem, pag. 181.

℞. Saturni laminat. *quantum vis.*
Extrahe Tincturam cum
Spiritu Saturni eſſentificato.

Filtra, abſtrahe ſecundum Artem, tum vero ſine Arte abjice, nec uſui ſerva.

Apprime conducit, ita ibi Auctor, Maniæ, Melancholiæ, Quartanæ & phthiſi, quod probe notandum: & quod ego his omnibus jure addo, ad Mortem ipſam accelerandam. Vid. ſupra & infra, a nobis hanc in rem dicta, ad Saccharum Saturni, Tincturam Gramanni antiphthiſicam, Pilulas Saturninas, & Trochiſcos de Terra Catechu, *ad* Sputum cruentum: *& paſſim alibi, in hoc ipſo opere. Igitur hanc Tincturam Saturni hic produximus, non, ut in uſum eam advocarent Medici, ſed ut ab eo potius ſibi quam religioſiſſime caverent. Quoniam nempe Mors in olla eſt. Quam ſecurum enim hoc ſit Medicamentum, nec ex* ipſa doſi liquido patet, quæ a gutta una, ad quinque uſque guttas, vix aſcendere debet. *Tam nocivum nempe atque formidabile hoc ipſum eſt Remedium.*

Tinctura Scorbutica.

Pharm. Batean. pag. 181.

℞. Folior. Cochleariæ,
Naſturtii aquat. *ana manip. unum.*
Radic. Raphani ruſtican. *drach. duas.*
Rhabarbari, *unciam ſemis.*
Polypodii quern. *unc. unam ſemis.*
Folior. Sennæ, ſine ſtip. *unciam unam.*
Spiritus Vini, *libras duas.*

Infunde dies duos, & Fiat Colatura.

Doſis, uncia una, vel duæ unciæ, omni mane, cum Aqua Cochleariæ.

Mirum eſt, quantum levaminis affert hydropicis ac ſcorbuticis.

Ceterum conf. ſupra Eſſentiæ Antiſcorbuticæ, & Elixiria antiſcorbutica, *item* Electuaria antiſcorbutica, & *infra,* Vinum Scorbuticum.

Tinctura Stomachica Aromatica.

Diſp. Wirt. Paris.

℞. Cinnamomi acuti, *unciam unam.*
Caryophyllorum aromaticorum,
Nucum moſchatarum,
Croci Orientalis, *ana unciam ſemis.*
Calami aromatici, *drachmas ſex.*
Macis, *drachmas duas.*
Corticum citri recentium, ex *duobus pomis.*
aurantiorum recentium, *unius pomi.*
Inciſa & contuſa infundantur
Spiritus vini rectificati, *libra una ſemis.*

Poſt digeſtionem exprimantur, & per chartam filtrentur.

Ori & ſtomacho grata eſt, atque vel

vel ſola vel cum aliis Eſſentiis amaris mixta, ad guttas quinquaginta vel octoginta exhiberi poteſt. *Conf. ſupra* Elixir. ſtomachal. & Eſſentias ſtomachicas.

Tinctura Stomachica Biſteri.

Diſpenſat. Hamb.

℞. Zingiberis condit. *libram ſemis.*
Corticum Aurantiorum,
Balſami peruviani, *ana unciam ſemis.*
Santali rubri pulveriſati, *dr. ſemis.*
Spiritus Vini rectificatiſſ. *libras duas ſemis.*

Stent in Digeſtione, per quatuordecim dies; Poſtea coletur, uſuique ſervetur Tinctura.

Quem ipſum Nomen ipſaque Compoſitio ſatis indicat. Conveniet tamen inprimis, frigidioris & humidioris Naturæ ſubjectis, non æque iis, quibus ſanguis, aut bilis fervet. Ceterum aliam Eſſentiam ſtomachicam amaram, *ab eodem* Biſtero, *ſcite compoſitam, vid. ſupra, ſuo loco, ſub* Eſſentiis.

Tinctura Stomachica Fulleri.

Pharm. Extemp. pag. 364.

℞. Cinnamomi opt. *drachmas duas.*
Macis,
Nucis Moſchat. *ana drach. un. ſemis.*
Caryophyllorum, *grana quadraginta quinque.*
Granor. Paradiſi, *ſcrupulum unum.*
Flavedinis Cortic. Aurant. recent. *drachm. unam.*
Croci oriental. *ſcrupulos duos.*
Coccinellæ, *grana quindecim.*
Tincturæ Salis Tartari, *unc. duodecim.*

Digere ſecundum Artem, & fiat Tinctura.

Quæ propter jucundum ſaporem, ori grata erit, & propter Virtutem calidam aromaticam, ipſi languido frigidoque Ventriculo perquam utilis ac commoda, ut per ſe patet. Ceterum multum convenit cum Tinct. ſtomach. aromat. *ſupra exhibita, quam vide, ſi placet.*

Tinctura Stomachica Lipſienſis.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Spiritus Salis armoniaci vinoſi, *uncias duas.*
Vini rectificatiſſimi, *unciam unam.*
Olei deſtillati veri abſinthii, *dr. tres.*
Caryophyllorum aromaticorum, *drachmam ſemis.*

Miſceantur & digerantur, addatur

Tincturæ ſandali rubri, *uncia una.*

Efficaciſſima eſt in affectibus ventriculi, ſic dictis frigidis, tonum reſtaurat, digeſtionem promovet, flatus diſcutit, & anthelmintica cenſetur.

Doſis guttæ viginti, ad triginta.

Tinctura Stomachica Londinenſ.

℞. Uvar. paſſar. detractis interioribus, granis, *uncias quatuor.*
Cinnamomi, *unciam dimidiam.*
Seminum Carvi,
Cardamomi minor. decorticat.
Coccinellæ, ſingulorum, *dr. duas.*
Spiritus Vini tenuioris, *libras duas.*

Digere ſine calore, & cola, ut fiat Tinctura.

Tincturæ ſtomachicæ nomen & virtutem tueri utique poſſet, etiamſi ab ea plane abeſſent Uvæ paſſæ. Quid enim iſtæ potiſſimum valeant, præſertim tanta quantitate, ad roborandum ac fulciendum ſtomachum ruentem & languidum, equi-

dem haud ſatis bene perſpicere valeo, quum potius, me quidem judice, ex iſta nimia dulcedine, contrarius plane effectus ſit ſperandus. Non enim dulcia ventriculo laboranti conveniunt; ſed potius amara & aromatica, uti inter omnes conſtat.

Tinctura Stomachica Martialis Edinburgenſ.

Diſpenſ. Wirt. in aliis deeſt.

℞. Radicum Calami aromatici,
Galangæ,
Gentianæ,
Zedoariæ,
Corticum Aurantiorum,
Peruvianor. *ana unciam ſemis.*
Herbarum Abſinthii,
Centaurii minoris,
Florum Chamomillæ Romanæ, *ana drachmas duas.*
Limaturæ ferri, *unciam unam ſemis.*
Vini albi generoſi, *uncias ſedecim.*
Spiritus vini rectificati, *uncias duas.*

Digerantur, & poſt extractionem ſufficientem exprimantur, atque filtrentur.

Ad tonum ventriculi & viſcerum reſtaurandum poſt febres diuturnas, imo in febribus intermittentibus, cachexia, ictero, menſium vitiis, commendabilis eſt.

Doſis drachma ſemis, ad integram.

Tinctura Stomachica Stockhameri.

Diſpenſ. Prag.

℞. Aloës Succotorin.
Myrrhæ electæ,
Florum Tunicæ,
Croci Auſtriaci, *ana drachmas duas.*
Cortic. Aurant. exter.
Rad. Galangæ, *ana drachmas ſex.*
Confect. Alkerm. incomplet. *unciam unam.*

Inciſ. & miſtis affundatur:

Elixirii Vitæ Mathiol. *libra una ſemis.*
Spiritus Vitrioli, *drachma una.*

Stent in Vitro bene clauſo, ad Tincturæ Extractionem, quæ filtrata, uſui ſervetur. *Qui multis ibi extollitur; dubito tamen nonnihil, an ſatis digne & convenienter.*

Eſt enim hæc Compoſitio Species quædam Elixirii proprietatis, de quorum varia præparatione, ſupra ſuo loco, plura. Certe, ſi & utilitate ſtomacho laboranti conducat; ſaporis tamen ſuavitate ori ſeſe haud, ut opinor, commendabit.

Tinctura Sulphuris.

Diſp. Wirt. Brand.

℞. Sulphuris citrini, *unciam un. ſemis.*

Fluat lento igne, in patina terrea, admiſce ſucceſſive

Salis tartari,
vel
Cinerum clavellatorum ſiccorum, *uncias tres;*

Auge ignem, ut materia fluat, cui, in mortarium calidum effuſæ atque pulveriſatæ, in vitro,

Spiritus vini rectificatiſſimi, *uncias decem*

affunde, & extrahe tincturam.

Ad pectoris affectus, ſcabiem, ulcera ſcorbutica, commendatur. Aliam Tincturam Sulph. vid. in Pharm. Batean. *pag.* 124.

Doſis guttæ quadraginta, ad ſexaginta, in vehiculo idoneo.

Tinctura Tartari.

Diſp. Vienn. Wirt. Leid. Brand. Argent. & reliq. vid. Chem.

℞. Salis Tartari depurati, *libram ſemis.*

Fundatur in valido crucibulo, igne intenſo, inque fluore tam diu conſervetur, donec in colorem e rubro cœruleum tranſierit; effuſum in mortarium calefactum, cito pulveriſetur, & calens, ne aërem attrahat, in phialam ſiccam, itidem prius calefactam, immittatur, ſuperfundatur

Spiritus vini rectificatiſſimi, *libr. una;* digerantur, per aliquot dies, in arena, interdum agitando, donec ſpiritus vini rubicundo colore tingatur, qui decantatus, pro tinctura Tartari, ſervetur.

Eſt tinctura alcalina, ideo, quæ de tinctura antimonii & metallorum diximus, huc referenda. Reſolvens eſt & egregium diureticum, illis etiam utiliter adhibetur, in quibus acidum in primis viis peccat. Vid. plura de his miris hujus Tincturæ polychreſtæ virtutibus, apud BOERHAAVE, Elem. Chem. *Tom. II. Part. I. Proceſſ. 79. pag. 235. ſqq. Conf.* & ZOBELII Tartarologia, *Cap. 3. pag. 56. ſqq.*

Doſis guttæ triginta, ad ſeptuaginta.

Tinctura Tartari Acris.

Diſp. Wirt. & reliq. vid. Chem.

℞. Salis Tartari, *uncias ſex.*

Pulveris carbonum, *unc. unam ſemis.*

Miſceantur, & calcinentur fortiſſimo igne, per horam integram. Maſſæ ſalinæ ſuperaffunde

Spiritus Vini rectificati, *libr. unam.*

Digerantur leni calore, & tinctura, per inclinationem vaſis a fecibus ſeparata, ſervetur.

Magis ignea eſt tinctura ordinaria tartari, atque cum tinctura antimonii acri convenit, & eadem doſi exhibetur. *Multas vero ipſi virtutes in Cachexia, Gonorrhœa, ipſa lue Venerea aliisque pertinacibus Morbis, tribuit* STAHL. Mat. Med. *Part. II. pag.* 161. & CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 356.

Tinctura Tartari cum Aurantiis.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Tincturæ Tartari ſimplicis, *libram unam.*

Infundantur in ea

Flavedinis Cortic. Aurant. amaror. *unciæ duæ.*

Fiat ſuper novos Cortices duplex Infuſio, fortis expreſſio, filtratio, & ſervetur uſui.

Qui eſt ecphracticus, nephriticus, diureticus, orecticus & carminativus, &c.

Tragea Alba.

Diſpenſ. Argent.

℞. Gummi Tragacanth. alb. *unc. tres.*
Arabici, *uncias quinque.*
Radic. Glycyrrhizæ,
Ireos Florent. *ana unc. duas ſemis.*
Amyli, *libras duas.*
Sacchari albi, *libras ſex.*

Miſceantur: Fiat inde pulvis,

Convenit præſertim Infantibus, ad Tormina curanda, aut præcavenda: datur cuſpidatim. In Diſpenſat. Brand. *ut & nonnullis aliis, alia* Tragea alba *deſcripta proſtat, quæ ex meris aromatis compoſita eſt, nec quidquam, me quidem judice, habet, quo nomen* albæ, *tueri*

poſſit. Sed hæc obiter: Hic enim de rebus potius, quam Verbis, diſpiciendum.

Tragea Aromatica Gabelchoveri.

Obſ. Med. 45. Cent. III. pag. 79. & Obſ. 61. Cent. IV. p. 134. & alibi.

Diſp. Wirt. Brand. Hamb.

℞ Cinnamomi, *drachmam unam.*
Zinziberis, *drachmam ſemis.*
Caryophyllorum aromaticorum,
Galangæ minoris,
Granorum Paradiſi,
Macis,
Nucis Moſchatæ, *ana gr. quindecim.*
Sandali albi,
rubri, *ana drachmam ſemis.*
Sacchari albi, *uncias octo.*
Miſce, fiat pulvis.

Concoctionem adjuvat, & tam grato ſapore, quam virtute roborante, ſtomachica & carminativa ſe commendat; ſumitur cum pane toſto & vino, vel per ſe, ad drachmas ſex.

Tragea Aromatica Officinalis.

Diſp. Wirt. Ratisbon. Argent.

℞ Cinnamomi acuti, *unciam unam.*
Caryophyllorum aromaticorum,
Nucis moſchatæ, *ana drachmas tres.*
Macis, *drachmas duas.*
Zinziberis, *drachmas tres.*
Sandali rubri, *unciam unam.*
Sacchari albi, *uncias triginta duas.*
Miſce, fiat pulvis.

Vires ſunt eædem, quæ præcedentis.

Tragea Cephalica Baſilenſium.

VERZASCHA, *Obſ. Med. 49. p. 105.*

℞ Cinnamom. opt. *drachmas duas.*
Sem. Coriandri præp. *unciam ſemis.*
Santal. rubr. *unciam unam.*
Zingiberis,
Caryophyllorum,
Galangæ,
Zedoariæ,
Cardamom.
Granorum Paradiſi,
Nucis Moſchatæ,
Spicæ Indic.
Majoran.
Salviæ,
Sem. Erucæ,
Cubebarum, *ana drachmam unam.*
Sacchari opt. *uncias ſedecim.*
Miſceantur: Fiat ſecundum Artem Tragea, uſus patet ex ipſa inſcriptione, & compoſitione.

Tragea Emmenagoga.

GAUB. *de Form. pag. 75.*

℞ Limaturæ Martis recent. ſubtiliſſimæ, *uncias duas.*
Semin. quatuor calid. major.
minor.
Cortic. Cinnamomi, *ana dr. duas.*
Caryophyllorum aromat. *ſcrup. duos.*
Boracis pur. *drachmas duas.*
Sacchar. albiſſ. ad pond. omnium,
Miſc. Fiat pulvis, ſeu Tragea.

Menſes blande provocat ex ſanguinis lentore ſuppreſſos: de qua cochleare dimidium, quater de die, aſſumendum, hauſtulusque Vini Rhenani ſuperbibendus. Eſt egregiæ Virtutis.

Tragea Epileptica, *ſeu* Pulvis Pepticus, Brunneri, *Conſil. Med. XXII. pag.* 147.

℞. Seminum Coriandri, *unciam ſemis.*
Carvi, *drachmas tres.*
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ, *ana drach. unam.*
Cinnamomi, *drachmas tres.*
Macis, *drachmam unam.*
Radic. Pæoniæ, *ſcrupulos quatuor.*
Calami aromat. *drachmam ſemis.*
Margaritar. præparat. *ſcrupulos duos.*
Coralliorum rubror. *drachm. unam*
Sacchari Roſati tabulat. *uncias duas ſemis.*

Miſceantur, Fiat lege Artis, Tragea.

Tragea Granorum Actes.

Diſp. Wirt. Argent. Batean. Paris. Leod.

℞. Succi baccarum Sambuci, *quantum placet.*
Farinæ ſecalinæ, *quantum ſufficit.*

Miſceantur, fiat paſta, ex qua formentur panes parvi, in clibano ad duritiem coquendi. Cocti denuo in pulverem terantur, & ſucco ſambuci impraegnati, rurſus exſiccentur, laborque tertia vice repetatur.

Tandem
Maſſæ hujus, in pulverem tritæ, ſingulis unciis
addatur
Nucis moſchatæ, *drachma una.*

Egregium celebratur antidyſentericum, & a drachma una, ad drachmas duas exhibetur.

Tragea Hydropica Williſii, *de Medicam. Operat Part. II. Sect. II. Cap.* 5. *pag.* 195.

℞. Pulv. Rad. Ari,
Cortic. Winteran. *ana drachmas tres.*
Rad. Galangæ minoris,
Cubebarum, *ana drach. unam ſemis.*
Chalybis, cum Sulph. præp. *unciam ſemis.*
Sacchari anthoſat. *drachmas ſex.*

Miſce: Fiat ex Arte, Tragea; dividatur in viginti partes; *Doſis pars una, omni mane, & hora quinta poſt meridiem, cum Hauſtu decocti ſudoriferi, alibi deſcripti.*

Tragea Ophthalmica.

Diſp. Wirt.

℞. Euphraſiæ *drachmas decem.*
Millepedum præparatorum, *unciam ſemis.*
Macis,
Cubebarum, *ana drachmam unam.*
Fœniculi, *drachmas tres.*
Cinnamomi acuti, *dr. unam ſemis.*
Sacchari albi, *uncias tres.*

Trita ſerventur.

Præter uſum ad viſus debilitatem, etiam confert ad capitis dolores, urinam movet, & chylificationem adjuvat, emendat.

Doſis a drachmis duabus, ad unciam ſemis, bis de die ſumenda.

Tragea Ophthalmica Verzaſchæ.

Obſervat. Med. 84. *pag.* 200.

℞. Specier. de Nuce Moſchat *drachm. unam ſemis.*
Aromatic. Caryophyllat.
Dianthos, *ana drachmam ſemis.*
Herbae Euphraſiae, cum florib. *drachmam unam.*
Olei ſtillat. Fœniculi, *guttas ſex.*
Nucis Moſchat.

Caryophyllorum,
Cinnamomi, *ana guttas duas.*
Sacchari optimi, *uncias ſex.*
Miſceantur: Fiat, ſecundum Artem, Tragea.

Cui multum Virtutis tribuit ipſe Auctor, in Viſu obtuſo acuendo, & amiſſo, reſtituendo; ſed quam vere; ipſe viderit: quum & alia plura ſimul adhibuerit remedia ibidem latius commemorata. Aliam vero Trageam Ophthalmicam *vid. in* Diſpenſ. Brand. *& de ea juſtum* SCHULZII judicium, *in* Prælect. *pag.* 397.

Tragea Stomachica Baſileenſium.

VERZASCHA, *Obſ. Med.* 49. *pag.* 105.

℞. Cinnamom. elect *drachmas ſex.*
Zinziberis, *unciam ſemis.*
Galangae, *drachmam unam ſemis.*
Macis, *drachmam unam.*
Nucis Moſchatae, *drachm. un. ſemis.*
Caryophyllorum, *drachmam unam.*
Sacchari opt. *uncias viginti duas.*
Miſceantur: Fiat lege Artis, Tragea.

Virtutes ejus ſunt ſtomachicæ, analepticæ, anticolicæ & Carminativæ.

Tragea Stomachica Brunneri.

Conſil. Med. IV. pag. 18.

℞. Coriandri praeparati, *unciam ſemis.*
Aniſi, *drachmas tres.*
Cinnamomi, *unciam ſemis.*
Caryophyllorum, *drachmam unam.*
Calami Aromatici, *ſcrupulum ſemis.*
Maſtichis, *ſcrupulos duos.*
Sacchari albi, *uncias duas, dr. duas.*
Miſceantur: Fiat ſecundum Artem, Tragea.

***

Tragea Stomachica & Cephalica.

HOECHSTETTERI, *Obſ. Med.* 2. *Decad. IV. pag.* 357.

℞. Semin. Paeoniae,
Acetoſae,
Viſci querni,
Cornu Cervi praeparat.
Coralliorum rubrorum praeparat.
Cryſtall. praeparat.
Oſſis Botentriſciae,
Ungulae Alcis, *ana drachm. ſemis.*
Cranii humani praeparati, *dr. tres.*
Florum Cichorii,
Paeoniae,
Lilior. convall. *ana drachm. ſemis.*
Manus Chriſti perlatae, *uncias tres.*
Miſceantur: Fiat lege Artis, Tragea.

Quæ vero, meo quidem qualicunque judicio, nec ſtomachica eſt, nec cephalica. Si enim ſolos illos flores cephalicos & nervinos exceperis, parum profecto ipſi ineſt, quod caput magnopere juvet; nihil vero plane, quod ſtomachum: cujus potius robur & appetendi cibos, cupidinem Terrea iſta, nimia quidem quantitate, adjecta, debilitant & infringunt. Licet igitur multum, imo nimium Cranii humani, in hac mira Compoſitione, deprehendam; tamen admodum parum ipſius cerebri humani, ſi ita quidem, per ſerium jocum, dicere liceat, in eadem invenio: Sic uti nec in altera, quæ ibidem, mox ſequitur, quamvis cranium fœminæ, & os ſubuloxis, ut alia vilia taceam, additum ſit.

***

Trochiſci Adverſus Acidum Ventriculi.

GAUB. de Formul. Med. *pag.* 119. *conf. pag.* 125.

℞ Margaritar. præparatarum,
Corall. rubr. præparat. *ana dr. tres.*
Nucis Moſchat. *drachm. ſemis.*
Saponis Venet.
Extract Rad. Helen. *ana drach. unam.*
Balſ. Peruv. *quantum ſuff.*

Ut fiant lege Artis Trochiſci, piſi magnitudine.

Sumatur unus atque alter, quum acidum infeſtat, aut ante uſum Lactis.

Trochiſci Alhandal.

In omnib. Diſpenſat.

Fructus Colocynthidis, (*Handal* enim ſeu cum Artic. *Alhandal*, Arabice eſt *Colocynthis*, ceu notum: Inde denominationis patet ratio, de quo ſupra, Part. I. ad ipſam *Colocynthidem*, plura.) a corticibus exterioribus & ſeminibus mundatus, cum mucilaginis tragacanthæ & gummi arabici ſufficiente quantitate, in mortario contunditur; poſtea maſſa, leni calore exſiccata, in pulverem teritur, & vel in forma pulveris ſervatur, vel in trochiſcos, ope mucilaginis tragacanthæ, formatur, ſic enim melius vires integræ conſervari creduntur, quam, ſi aër omnes pulveris atomos ſubire & vires auferre, vel alterare poteſt. Wirt.

Sunt vehementer purgantes, & pilulis, pro ſtimulo, adduntur. Haud vero tuto, & ſine metu juſto atrocis hypercatharſeos, dari poſſunt, ac debent, prout id poſt alios, exemplis oſtendit Vitus RIEDLINUS, Lin. Med. *Ann.* 1696. *Menſ. Jul. Obſ.* 2. *pag.* 309. *ſqq. Conf. ſupra notata Part. I. ad* Colocynthida.

Doſis grana duo, ad quinque.

Trochiſci Aliptæ Moſchatæ.

Diſp. Vienn. Wirt. Prag. Lond. & rel.

℞. Styracis calamitæ, *uncias quatuor.*
Ladani,
Benzoës, *ana unciam unam.*
Vigni Aloës, ſubtiliſſime pulveriſati, *drachmas ſex.*
Sacchari albiſſimi, *unciam un. ſemis.*
Moſchi Orientalis, *ſcrupulum unum.*
Ambræ griſeæ, *drachmam unam.*

Omnibus ſubtiliſſime pulveriſatis, fiat, ſufficiente quantitate mucilaginis tragacanthæ, aqua roſarum paratæ, maſſa, ex qua formentur trochiſci minores.

Trochiſcorum horum uſus plerumque eſt ad ſuffitus, vel ſuffumigia pretioſa, cucuphas, aliasque res odore imbuendas. Interne commendatur pueris, aſthmate & conſtrictione pectoris laborantibus, & lac revomentibus, quibus pauca grana, unum, duo, vel tria ſufficiunt. *Vid.* SCHULZ. Prælect. *pag.* 399.

Trochiſci Alkekengi.

Diſpenſat. Wirt. Brand. Vienn. Prag. Paris. &c.

℞. Baccarum Alkekengi, *drachm. octo.*
Seminum Papaveris albi, *unc. unam.*
Apii,
Hyoſcyami, *ana drachmas duas.*
Gummi Arabici,
Amyli,
Tragacanthæ,
Radicis Altheæ,
Succi liquiritiæ inſpiſſati, *ana unciam unam ſemis.*
Boli Armenæ,

Thuris,
Sanguinis draconis, *ana dr. undecim.*
Succini præparati,
Terræ ſigillatæ, *ana drachmas duas.*

Pulveriſata aqua roſarum, vel alkekengi humectentur, & in maſſam cogantur, ex qua formentur trochiſci.

Si præcedentibus opii drachmæ duæ adduntur, fiunt:

Trochiſci Alkekengi, cum Opio.

Diſp. Wirt. Lond. Hamb. Leid. Paris.

Commendantur ad renum & veſicæ ulcera, ac natam inde dyſuriam; acrimoniam urinæ temperant, & ardorem mitigant.

Quælibet drachma habet opii, granum unum.

Doſis eſt a ſcrupulis duobus, ad drachmam unam; ſed, cum continuari debeant, præſtat ſine opio ſumere.

Sumuntur autem in ſyrupo dialthææ, aqua alkekengi, vel alia diluti, quibus, pro lubitu, oleum amygdalorum dulcium addi poteſt.

Trochiſci Alkermes Completi.

Diſp. Wirt. Vienn. Argent.

℞. Confectionis Alkermes completæ, *unciam unam ſemis.*
Laccæ Florentinæ, *drachmas tres.*
Ambræ,
Moſchi, *ana ſcrupulum ſemis.*
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
Mucilaginis Tragacanthæ, aqua roſarum factæ, *quantum ſatis.*

Fiant trochiſci minores.

Ad bonum halitum conciliandum, & caput confortandum, ſumuntur.

* * *

Trochiſci de Ambra.

Diſp. Wirt.

℞ Ambræ gryſeæ, *ſcrupulum ſemis.*
Olei Cinnamomi deſtillati, *guttas ſex.*
Moſchi, *grana quatuor.*
Sacchari albiſſimi, *uncias ſedecim.*
Mucilaginis tragacanthæ, *quantum ſatis.*

Fiant trochiſci minores.

Sunt cephalici, & bonum halitum conciliant. Similis fere compoſitio extat apud Celeb. Gaub. *de* Form. *pag.* 118. *quam infra damus.*

Trochiſci Antacidi ſeu Cardialgici.

Diſpenſat. Londin. nov.

℞. Cretæ præparatæ, *uncias quatuor.*
Chelarum Cancror. præp. *unc. duas.*
Boli Armen. aut Gallic. *unc. dimidiam.*
Nucis Moſchatæ, *ſcrup. unum.*
Sacchari puriſſ. *uncias tres.*

Omnibus in pulverem redactis, Aquam inſtilla, ut fiant lege Artis Trochiſci, qui inſerviunt iisdem uſibus, ubi neceſſe. Ceterum conf. ſupra, *Morſuli adverſus Acidum, & contra Ardorem Ventriculi.* Item *Pulveres contra Cardialgiam,*

Trochiſci Anthelmintici, ſive Hermetici Scretæ, ſeu Zwingeri.

Diſp. Wirt. Prag. Vienn. Argent. Ratisbon.

℞. Mercurii dulcis, *unciam ſemis.*
Cornu cervi, philoſophice præparati, *ſcrupulos duos.*
Cinnamomi acuti, *ſcrupulum unum.*
Diacrydii ſulphurati, *drachm. unam.*
Sacchari albi, *unciam unam.*

Con-

Conſervæ roſarum rubrarum, *drachmas duas.*

Cum mucilagine tragacanthæ, in aqua roſarum ſolutæ, fiant trochiſci, numero ſexaginta quatuor.

Adverſus vermes, & inde ortos morbos, utiliter adhibentur,

Pendet trochiſcus grana quindecim, & continet mercurii dulcis grana quatuor, diacrydii granum unum.

Doſis, pro ratione ætatis, unus vel duo.

Trochiſci Apoplectici,

FULLER. Pharm. ext. *pag.* 364.

℞. Ambræ griſ. *drachmam ſemis.*
Oleor. Rorismarini,
Cinnamomi,
Nucis Moſchat. *ana guttas duas.*
Caryophyllorum,
Aniſi, *ana guttam unam.*
Spiritus Lavendul. comp. *ſcrupul. quatuor.*
Sacchari albi, *uncias quatuor.*
Gummi Tragacanth. *quantum ſuff.*

Fiant lege Artis, Trochiſci drachmales, quorum uno veſcatur Patiens ad libitum, præſertim mane, & ſub veſperam.

Ipſum nomen, merito impoſitum, indicium eſt virtutis ab hac egregia quidem compoſitione expectandæ.

Trochiſci Balſamici.

Diſp. ext. FULLERI, *pag.* 365.

℞. Sanguin. dracon. in guttulis, *ſcrupul. duos.*
Florum Benzo. *grana ſedecim.*
Balſami Gilead, *gutt. duodecim.*
Sacchari albi, *uncias quatuor.*
Mucilag. Gummi Tragacanth. *quant. ſuff.*

Fiant lege Art. *Trochiſci, pro Phthiſicis.*

Trochiſci Bechici Albi.

Diſp. Lond. Hamb. Wirt. Leid. Poter. pag. 470. *Prag.*

℞. Sacchari albiſſimi, *libram. unam, uncias octo.*
Radicum Ireos Florentinae, *unciam unam ſemis.*
Amyli, *uncias duas ſemis.*
Mucilaginis tragacanthae albiſſimae, aqua roſarum factae, *quantum ſatis.*

Fiat maſſa, ex qua formentur trochiſci parvi. Moſchum & Ambram addunt nonnulla Diſpenſat. Sed praeter neceſſitatem aut uſum. Vid. *Diſp. Brand.*

Trochiſci Bechici Citrini.

Diſp. Hamb. Wirt. Prag. Argent.

℞. Sacchari albi, *libram unam.*
Radicis Ireos Florentinae,
Liquiritiae, *ana unciam unam.*
Croci, *ſcrupulos duos.*
Mucilaginis tragacanthae, *quantum ſufficit.*

Fiant maſſa & trochiſci.

Trochiſci Bechici Gryſei.

Diſpenſ. Norimb.

℞. Pulv. Glycyrrhizae, *drachmas duas.*
Spec. de Iride, *unciam dimidiam.*
Pulv. Seminis Aniſi, *unciam unam.*
Styracis Calamit. *unciam unam ſemis.*
Sacchari albi, *libras duas*, p. c.

Cum Mucilagine Tragacanth. fiat Maſſa, add.

Olei deſtill. Aniſi, *guttas aliquot,* dein formentur lege Artis, Trochiſci, *quorum uſum ipſum impoſitum Nomen*

ſatis indicat. Conf. NICOLAI *de* Formul. *pag.* 257.

Trochiſci Bechici Majores Friderici Wilhelmi Electoris Maximi.

Diſpenſ. Brand.

℞. Succi Glycyrrhizae inſpiſſati, *quantum vis.*

Solve in quantitate ſufficiente Aquae Looch Sani, aut alterius cujusdam pectoralis: Solutum per manicam Hippocratis cola: Colatum ad Mellis conſiſtentiam rurſus inſpiſſa. Tandem admixto Saccharo canto, aut ſaltim albo Canarienſi, fiat lege artis, Maſſa, e qua formentur juſtae magnitudinis Trochiſci.

Fando accepi, verbis loquor Cl. SCHULZII Praelect. *pag.* 400. *Belgam quendam apud glorioſiſſimæ memoriæ Principem, magnam gratiam hoc Remedio ſimplici facilique iniiſſe, quo ſæpe & feliciter uſus eſt. Noſtro tempore, ſub nomine Gallico,* la Regliſſe, *celebratur idem ſuccus Glycyrrhizæ, cum Saccharo & Gelatina Cornu Cervi; cujus inſignem fructum in tuſſi acri, raucedine, & defluxionibus acribus catarrhalibus, ſemel iterumque expertus, candide laudare debeo. Hactenus amiciſſimus heu! quondam nobis* SCHULZIUS, *nunc deſideratiſſimus.*

Trochiſci Bechici Nigri.

Diſp. Hamb. Wirt. Prag. Arg. Brand. Norimb.

℞. Pulveris radicum Ireos Florentinae,
Liquiritiae,
Seminum Aniſi,
Foeniculi, *ana unciam unam.*
Succi liquiritiæ, in aqua hyſſopi ſoluti, *uncias quatuor.*
Sacchari albi, *uncias ſedecim.*
Mucilaginis tragacanthae, aqua roſarum ſolutae, *quantum ſufficit.*
Miſce, fiant ex arte trochiſci.

Trochiſci Bechici Rubri.

Diſp. Prag. Wirt. Norimb.

℞. Specierum Diatragacanthae,
Boli Armenae, *ana unciam unam.*
Sacchari albi, *libram unam.*

Fiat, mucilagine tragacanthae, maſſa, ex qua formentur trochiſci minores.

Trochiſci bechici tam albi, quam nigri & reliqui, ad tuſſim acrem, raucedinem & defluxiones acres, catarrhales inſerviunt, & tam reſolvendo, quam demulcendo opem ferunt.

Trochiſci de Camphora Myrep.

Diſp. Paris. Lond. Lugd. &c.

℞. Camphorae, *ſcrupulos quatuor.*
Radicis Nymphaeae,
Florum Roſarum rubrarum,
Violarum,
Spondii ex Ebore praeparati,
Glycyrrhizae,
Santali citrini,
Gummi Arabici,
Tragacanth.
Amyli, *ana drachmas duas.*
Quatuor ſeminum frigidorum majorum,
Portulacae, *ana drachm. unam.*

Cum mucagine ſeminis Pſyllii, Aqua Solani, vel Roſar. extracta, fiant ſecundum Artem, Trochiſci.

Ad febres ardentes, & ſanguinis fluorem, Ventriculi & hepatis intempe-

riem calidam, ad ſitim & icterum, utiliter adhibentur; ſed ſemper recentes in promtu ſunt habendi; propter adjecta nempe ſemina & ipſam Camphoram.

Trochiſci de Capparibus, Meſ.

Diſp. Vienn. Brand. Prag. Argent. Lond. Lugd. &c.

℞. Corticis Radicum Capparum,
Seminis Agni Caſti, *ana drach. tres.*
Nigellae,
Naſturtii,
Succi Eupatorii inſpiſſati,
Herbae Calaminthae,
Rutae,
Radicis Ariſtolochiae rotundae verae,
Acori,
Gummi Ammoniaci, *ana dr. duas.*
Radicis Cyperi rotundi,
Herbae Scolopendrii, *ana dr. unam.*

Omnia pulveriſata, cum Ammoniaco, in Aceto diſſoluto, excipiantur, & formentur in Trochiſcos, lege Artis conſueta.

Ad inflationem & duritiem Splenis, a Meſue *commendantur.* Dare jubet drachmam unam cum Vino, *cui incocta ſint Radix Capparum, Cortex fraxini & Tamariſci.* SCHULZ. *pag.* 401.

Trochiſci de Carabe.

Diſp. Prag. Wirt. Brand. Vienn. Paris. Edinburg.

℞. Carabe, id eſt Succini, *drachm. ſex.*
Cornu cervi uſti,
Corallii rubri,
Gummi Arabici,
Tragacanthae,
Maſtiches,
Gummi Laccae,
Succi Acaciae,
Hypociſtidis,
Balauſtiorum,
Seminis Papaveris nigri, *ana dr. duas.*
Thuris,
Croci,
Opii, *ana drachmam unam, grana quindecim.*
Mucilaginis Pſylii, *quantum ſatis.*
Formentur trochiſci.

Sunt adſtringentes & opiati. Commendantur ab Authore Meſue ad hæmorrhagias, & in ſpecie ad ſputum cruentum & uteri fluxum; diarrhœas & hæmorrhoides nimium fluentes ſiſtunt.

Drachma continet grana tria opii; hinc in doſi, *niſi urgente neceſſitate*, non ultra ſcrupulum excedendum. *Vid.* SCHULZ. Prælect. *p.* 402.

Trochiſci Catarrhales.

Pharm. Extemp. FULLER. *pag.* 365.

℞. Succi Glycyrrhizæ, *uncias duas.*
Sacchari albi, *uncias quatuor.*
Opii, *drachmam unam.*
Mucilag. Gummi Tragacanth. *q. ſuff.*
Fiant Trochiſci ſecundum artem.

Drachma una continet unum circiter granum opii: Sunt inde anodyni, paregorici, & blande hypnotici, & maxime bechici. Ceterum conf. infra, Trochiſci de Succo Glycyrrhiz. correcti.

Trochiſci Catarrhales Dragoneri.

Tab. Smaragd. pag. 433.

℞. Paſſular. mundatar. *unciam un. ſemis.*
Contundantur prius; poſtea adde
Succi Glycyrrhizæ, *drachmas quinque.*
Cinnamomi electi,
Nucis Moſchatæ, *ana drachm. duas.*
Styracis Calamit. *drachm. unam ſemis.*
Thuris Candidi, *ſcrupulum unum.*

Boli Armen. in Aqua Tuſſilag. lot. *drachm. tres.*
Gummi Arabici,
Tragacanth. in Aqua Beton. ſolut. *ana drachm. ſemis.*
Sacchar. roſat. tabul. ſolut. in Aqua violar. *unc. quindecim.*

Miſc. Fiant lege Artis, Trochiſci Catarrhales, *quod nomen re ipſa merentur, & ſalutari haud dubie effectu, etiam tuentur.*

Trochiſci Catechu, *ſive* Muſcerdæ.

Pharm. Bat. pag. 24.
Wirt. Vienn. Hamb. Paris. Argent. Ratisbon.

℞. Terræ Catechu, *unciam unam.*
Sacchari canti albi, *uncias duas.*
Ambræ gryſeæ,
Moſchi Orientalis, *ana ſcrup. ſemis.*
Mucilaginis tragacanthæ, *quantum ſatis,*

Fiant trochiſci, inſtar muſcerdarum. Conf. NICOLAI de *Form.* p. 255.

Ad laxitatem gingivarum corrigendum, & bonum halitum conciliandum, in ore detinentur. Vid. HAGENDORNII Tract. *de* Catechu, *Sect. IV. Cap.* 2. *p.* 53. *ſqq. conf. infra* Trochiſci ſuaveolentes.

Trochiſci Cephalici.

FULLER. *Pharm. extemp. p.* 365.

℞. Pulv. de Gutteta,
Cinnab. Antimon. *ana ſcrup. duos.*
Olei Rorismarin.
Nucis Moſchat. *ana guttas duas.*
Sacchari albi, *uncias duas.*
Mucilag. Gummi Trag. *quant. ſuff.*

Fiant lege Artis, Trochiſci.

Ad Cephalalgiam idiopathicam, Vertiginem, Epilepſiam, & effectus convulſivos.

Trochiſci de Cremore Tartari.

Diſp. Argent. Wirt. Prag.

℞. Cremoris Tartari, *unciam un. ſemis.*
Sacchari albiſſimi, *uncias ſex.*
Mucilaginis tragacanthæ, *quantum ſatis.*

Fiat maſſa, ex qua formentur trochiſci. Conf. infra *Trochiſci Stellati*, ſeu *Sternbergici.*

Ad æſtum febrilem temperandum, & ſitim mitigandam commendantur.

Trochiſci Cypheos. Gal. pro Mithridatio,

Diſp. Pariſ. Lond. Prag. Edinb.

℞. Pulpæ Uvarum albarum paſſar. pinguiſſ. quales fere damaſcenæ,
Terebinthinæ Chiæ puræ, *ana uncias tres.*
Myrrhæ,
Schœnanthi, *ana unciam unam ſemis.*
Calami aromatici, *drachmas novem.*
Cinnamomi, *unciam ſemis.*
Bdellii lacrymæ,
Spicæ Nardi,
Caſſiæ ligneæ,
Radicis Cypri rotundi veri,
Baccarum Juniperi pinguium, *ana drachmas tres.*
Ligni Aloës, *drachm. duas & ſemis.*
Croci, *drachmam unam.*
Mellis deſpumati,
Vini Hiſpanici, *ana quantum ſatis.*

ad Trochiſcos nempe efformandos.

Ingrediuntur quidem hi Trochiſci, ceu notum ipſam Mithridatii domacrat. compoſitionem, de qua ſupra, ſuo loco.

Interim tamen vel per ſe quoque commode illis dari poſſunt, qui jecur, aut pulmones, vel renes, aut aliud aliquod viſcus dolent, aut nonnihil exulceratum habent.

Trochiſci Diaſulphuris.

Diſpenſat. Edinburg.

BARBEIRAC *de* Form. *pag.* 308.

℞. Florum Sulph. *unciam unam.*
Benz. *drachmam unam.*
Sacchari alb. *unc. octo.*
Mucilag. Gummi Tragacanthæ, cum Aqua Hyſſopi parat. *quantum ſufficit.*

Miſc. Fiant ſecundum Artem, Trochiſci.

Quorum uſus eſt pectoralis, in aſthmate, tuſſi, raucedine, & ſimilibus affectibus.

Trochiſci Eſcharotici.

Diſp. Wirt. Paris.

℞. Mercurii ſublimati corroſivi, *unciam ſemis.*
Amyli albi,
Panis triticei, *ana unciam unam.*
Minii rubri, *unciam ſemis.*
Mucilaginis tragacanthæ, *quantum ſufficit.*

Fiant trochiſci.

Inſerviunt chirurgis, ad mundificanda ulcera, & carnem luxuriantem extirpandam.

Trochiſci Galliæ Moſchatæ.

Diſp. Vienn. Lond. Wirt. Brand. Lugd.

℞. Ambræ gryſeæ, *drachmas tres.*
Ligni Aloës, *drachmas quinque.*
Moſchi, *drachmam unam.*
Sacchari albi, *unciam unam.*
Mucilaginis gummi tragacanthæ, *quantum ſufficit.*

Miſce, fiant trochiſci.

Adduntur ſpeciebus & pulveribus, atque aliis medicamentis, ut odorem gratum ipſis tribuant. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 403.

Trochiſci Hyſterici.

Diſpenſat. Lond. Paris. Meſſan.

℞. Aſæ foetidæ,
Galbani, *ana drachmas duas, ſemis.*
Myrrhæ, *drachmas duas.*
Caſtorei, *drachmam unam ſemis.*
Radicum Aſari,
Ariſtolochiæ longæ,
Folior. Sabinæ,
Matricariæ,
Nepetæ, *ana drachmam unam.*
Dictamni, *drachmam ſemis.*

Cum ſucco, aut decocto Rutæ, Fiant ſecundum Artem, Trochiſci.

In provocandis Lochiis, diu ſuppreſſis, horum Trochiſcorum fumum, per infundibulum, partibus inferioribus pudendis, exceptum, egregium uſum præſtitiſſe, ſingulari exemplo, probat VERZASCHA, Obſ. Med. 88. *p.* 228. *Nec minoris ſunt efficaciæ, in ipſa pertinaci Menſium obſtructione, feliciter tandem expugnanda, ut notum. Ceterum ſimiles his fere* Trochiſcos Hyſtericos, pro ſuffitu, *commendat* GEOFFROY, *Tom. II.* Mat. Med. *p.* 634. *ubi & plura, quæ huc pertinent. Sunt vero iſti* Trochiſci *hujus quidem Compoſitionis:*

℞. Galbani,
Aſae foetidæ,
Myrrhæ, *ana drachmam ſemis.*
Caſtorei, *ſcrupulum unum.*

Miſceantur: Fiant lege Artis, Trochiſci, cum ſucco quodam idoneo.

***

Trochiſci Hyſterici, contra Abortum.

Corn. a SOMEREN, in *Epiſt. Quæſt.* Jo. BEVEROVICII, *pag.* 225.

℞. Specierum Diambræ,
Diamoſch. dulc. *ana drach. unam.*
Seminis plantaginis, *drachm. unam.*
Magiſterii Coralliorum,
Perlarum, *ana ſcrupul. unum.*
Cornu Cervi uſti, *ſcrupulos quatuor.*
Sacchari albiſſimi, in Aqua plantaginis diſſoluti, *quant. ſufficit.*

Ex his rite permiſtis, Fiant lege Artis, Trochiſci, Quibus quotidie ad Matricis & Fœtus ipſius roborationem, utantur Gravidæ, Abortum inprimis jamjam aliquoties perpeſſæ.

Ita quidem Cl. ibi Auctor; jure autem dubito, an omnibus, ſine diſtinctione, gravidis, conveniant hi ipſi Trochiſci? potiſſimum, ob adjectas, larga doſi, Species Diambræ & Diamoſchi, quas quippe fœminarum pauciſſimæ, ob uteri tumultus, inde metuendos, impune ferre poſſunt, ceu ubivis notiſſimum. Inde & nec pulverem illum penitus probare poſſum, quem Miraculi inſtar, ſæpe fœminis prægnantibus, in avertendo abortu, profuiſſe, ibidem, ſcribit idem Auctor; quoniam Ambræ ſcrupulos duos adjectos habet, in pulvere trium tantum doſium; quod utique mireris, licet alias Trochiſcos de Carabe, Bolum Armen. Veram & Camphoram, ex quibus ceterum iſte pulvis Antectromaticus, bene compoſitus eſt, multum valere poſſe in roborando utero & fœtu, abortuque ipſo arcendo, minime negaverim. Sed hæc obiter, data hic occaſione.

***

Trochiſci de Myrrha Rhaſ.

Diſp. Paris Lond. Wirt. Vienn. Brand. Edinb.

℞. Myrrhæ electæ, *drachmas tres.*
Aſæ fœtidæ,
Sagapeni,
Opoponacis,
Rubiæ tinctorum,
Foliorum Rutæ,
Menthaſtri,
Seminis Cymini,
Lupinorum, *ana drachmas duas.*

Myrrha, Aſa fœtida, Sagapenum & Opoponax vino humectantur, quibus reliqua pulveriſata adjiciuntur, ut fiat maſſa, ex qua formentur trochiſci.

Menſtrua ſuppreſſa, fœtum mortuum, & ſecundinas retentas promovent. Vid. SCHULZ. *pag.* 405.

Dantur a drachma ſemis, ad integram.

Trochiſci Opiati.

BOERHAAVE, Mat. Med. *pag.* 145.
GAUB. de Form. *pag.* 118.

℞. Succi Glyzyrrhizæ,
Flor. Sulph. *ana drachmas duas.*
Olibani, *ſcrupul. duos.*
Opii puri, *ſcrupul. unum.*
Balſami Copayb. *quantum ſuff.*

Ut exacte miſtis Fiant Trochiſci pacantes, *No. quadraginta.*

Proſunt in pulmone ſuppurato, rupto: qualibet Veſpera, ante Somnum, duos de iis, ſumat ægrotus, & quieſcat.

Trochiſci ad Ptyalismum ab Aphthis delapſis,

GAUB. de Form. *pag.* 117.

℞. Succi Catechu, *drachmas duas.*
Sanguin. draconis,

Cortic. Granator.
Extract. Agrimon. *ana drachm. unam.*
Mucilag. Sem. Cydon. cum Aqua Roſ. extract. *quant. ſuff.*

Miſc. Fiant lege Artis, Trochiſci, Piſi magnitudine.

Sunt Trochiſci roborantes, quorum unum aſſiduo ore volutet æger, ac lente deglutiat.

Trochiſci de Scilla.

Diſp. Wirt. Paris. Leid.

℞. Scillam albam ponderoſam.

Cortice exteriori detracta, & parte inferiori duriore, cui fibroſae radices adhaerent, abjecta, maſſae panis, e farina & aqua, involve, atque in clibano, donec maſſa panis in cruſtam abierit, coque, quam ſeparabis, atque medulloſam vel carnoſam ſcillae partem, in mortario marmoreo, piſtillo ligneo, quam optime in pultem contunde; ad
Scillae, *libr. unam*, vel *unc. duodecim.* adde
Farinae Orobi, vel lupinorum, *uncias octo*,
atque contundendo in maſſam redige, ex qua formentur trochiſci, pondere drachmarum duarum, qui leni calore ſiccandi.

Sunt ingrediens Theriacæ; vim habent reſolvendi, alexipharmacam, diureticam, & in majori doſi exhibiti, emeticam.

Doſis grana quinque, ad octo.

Trochiſci ad Sitim Fallendam.

GAUB. de Form. *pag.* 119. NICOLAI, *pag.* 256.

℞. Nitri puri, *drachmam unam.*
Cryſtallor. Tartari, *drachmas tres.*
Pulv. Glyzyrrhizae,
Gummi Arab. *ana drachmas duas.*
Pulpae Tamarindor. *quantum ſuff.*

Ut Fiant lege Artis, Trochiſci parvi, ex quibus ſaepius de die unus ſub Lingua teneatur.

Conf. infra, Trochiſci de Tamarindis.

Trochiſci Stellati, *ſeu* Sternbergici.

Diſpenſ. Prag.

℞. Cremoris Tartari, *unciam unam.*
Fœculae Acetoſellae, *ſcrup. unum.*
Sacchari albiſſimi, *uncias tres.*

Cum Succo Citri Mucilagine Tragacanth. ſubacto, quant. ſuff. Fiant Trochiſci majores.

In Ariditate Linguæ, & ſiti vehementi expeti ſolent: ductus enim reſerando, ſalivam proliciunt, dum in ore, lingendo, circumvolvuntur.

Pro majore gratia, Palato conciliandа, paratur prius Elæoſaccharum; dum Saccharum flavedini Pomorum Citri & Aurantiorum atteritur.

Ceterum conf. ſupra, *Trochiſci Sublinguales.* & *Trochiſci de Cremore Tartari.*

Trochiſci Stomachici.

Pharm. Extemp. FULLERI, *p.* 367.

℞. Pulv. Radic. Angelicæ Hiſpan.
Sanguinis draconis, *ana drach. unam.*
Oleorum Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum, *ana guttas duas.*
Menthæ,
Abſinthii, *ana guttam unam.*
Sacchari albiſſimi, *uncias quatuor.*
Aquæ Naphæ, *quant. ſuff.*

Cum Mucilagine Gummi Tragacanth. Fiant lege Artis, Trochiſci.

In languore ſtomachi, Anorexia, Nauſea & Vomitu, perquam utiles ac ſalutares.

Trochiſci Suaveolentes ad Fœtorem Oris.

Gaub. de Form. Med. *p.* 118. Nicolai de Form. *p.* 255.

℞. Reſin. Cortic. Thymiamat. Hoffm. *ſcrup. unum.*
Ambar. gryſ. *grana quindecim.*
Moſchi, *grana ſeptem.*
Olei Cinnamomi, *guttas ſex.*
Sacchari albiſſimi, *unciam unam.*

Cum Mucilag Gummi Arabic. in Aqua Cinnamomi factæ, ſuff. quant. Fiant lege Artis, Trociſci minimi.

De quibus unus vel alter, pro neceſſitate, ore fœtido volutetur, ut inde teter ſpiritus corrigatur. Ceterum conf. ſupra, Trochiſci Catechu, *ſeu* Muſcerdæ.

Trochiſci Sublinguales, ad Prophylaxin a Contagio.

Gaub. *de* Form. *pag.* 119. Nicolai, *p.* 256.

℞. Theriacæ Andromach. *drachm. duas.*
Myrrhæ electæ, *drachmam unam.*
Olei ſtillat. Cort. Citri, *guttas duodecim.*
Succi Citri recentis, *unciam ſemis.*
Pulv. Cort. Aurantior. *quant. ſuff.*

Ut Fiant lege Artis, Trochiſci, ſinguli *ſcrup. un.*

De quibus mane exiturus capiat unum; alterum autem ſub lingua detineat.

Trochiſci Sublinguales Completi contra Peſtem.

Diſp. Hamb.

℞. Extracti Ligni Aloës, *grana decem.*
Specier. Cordial. temperat. *dr. unam.*
Diamoſch. dulc. *drachm. ſemis.*
Radic. Iridos Florent. *ſcrupulos duos.*
Olei Corticis Citri, *guttas tres.*
Ambræ gryſeæ, *grana quinque.*
Moſchi, *grana quatuor.*
Olei Zedoariæ, *guttas duas.*
Sacchari albi, *uncias octo.*
Zibethi, *granum unum.*

Mucilaginis Tragacanth. cum Aqua Roſarum factæ, quantum ſat, ut fiant Trochiſci.

Trochiſci Sublinguales Incompleti.

Diſpenſ. Hamb. Vienn. Prag.

℞. Pulv. Rad. Angelicæ, *unciam ſemis.*
Pimpinellæ,
Zedoariæ,
Semin. Angelicæ,
Corticum Citri, *ana ſcrup. duos ſemis.*
Sacchari albi, *uncias ſeptem.*

Cum Mucilag. Tragacanth. cum Aqua Roſar. facta, quant. ſuff. formentur Trochiſci parvi, ut ſupra.

Trochiſci de Succo Glycyrhizæ Correcti.

Diſp. Brand.

℞. Succi Glycyrrhizæ, *libram ſemis.*
Lactis Sulphuris, *uncias quatuor.*
Opii citrati, *drachmas tres.*
Salis Tartari, *drachmas quinque.*

Miſc. Fiant lege Artis, Trochiſci.

Opium citratum fiat opio depurato, ante omnimodam inſpiſſationem Succi Citri congruam quatitatem, forte & Syrupi Corticum Citri, addendo.

Succus Glycyrrhizæ, ſatis magna quantitate Lactis Sulphuris adjecta, addito Sale Tartari modico, redditur magis ſolubilis & penetrans, atque tranſpirationi movendæ idoneus.

Quatuor

Quatuor unciis ineſt drachma fere opii citrati: ut in drachma ſint admodum duo grana: unde colligitur, ſcrupulum horum Trochiſcorum, per diem aſſumtum, doſin eſſe ſufficientem, in Tuſſi feroci & irritativa, aliisque catarrhalibus moleſtiis. SCHULZ. Prælect. *pag.* 406.

Conf. ſupra Trochiſci Catarrhales.

Trochiſci de Tamarindis.

FULLER. Pharm. Extemp. *pag.* 367.

℞. Tamarind. (ope Mucilaginis Tragacanth. tenuis diſſol. & per ſetaceum traject.) *unciam unam.*
Succi Glycyrrhizæ Hiſpan. pariter in eadem Mucilagine ſolut. *drachmas duas.*

Miſceantur, & Fiant Trochiſci, qui

Expetibiles & utiles ſunt, ad ſitim fallendam in Febribus; Conf. ſupra Trochiſci ad ſitim fallendam Cel. Gaubii.

Trochiſci de Terra Catechu ad Sputum Cruentum.

FULLER. Pharm. Extemp. *pag.* 365.

℞. Terræ Japon. ſ. Catechu, *dr. duas.*
Croci Martis adſtringentis,
Sacchari Saturni,
Sanguinis draconis, *ana dr. dimidiam.*
Sacchari albi, *uncias quatuor.*
Mucilag. Tragacanth. *quantum ſuff.*

Miſceantur: Fiant lege Artis, Trochiſci hæmoptoici.

Elegans utilisque atque ſecura tum demum erit hæc ipſa Compoſitio, ubi prius exemtum fuerit deteſtabile illud Saccharum Saturni, quod ceu malus aliquis dæmon, impudenter ſe hic aſſociavit ceteris bonis Dei filiis, ſi ita quidem loqui liceat. Quid enim de uſu Sacchari Saturni interno nocivo, ſit ſentiendum: Vid ſupra ad Sacch. Sat.

Trochiſci de Terra Catechu, ad Sputum Cruentum.

Diſp. Wirt. Edinb. Lond.

℞. Terræ Catechu pulveriſatæ, *unciam unam.*
Succi Liquiritiæ, *uncias tres.*
Specierum diatragacanthæ, *unciam ſemis.*

Miſce, fiant trochiſci minores; qui, in ore liquefacti, acrimoniam ſalſam mitigant, & hæmoptoicis mire proſunt. Vid. HAGENDORNII Tract. *de* Catechu, *Sect. III. Cap. I. pag.* 39. *ſqq. ubi plura. Conf. ſupra* Eſſentia Catechu.

Trochiſci de Terra Sigillata.

Diſp. Brand. Lond. Prag. Meſſan. Florent. Leid.

℞. Terræ ſigillat. vel ejus loco, Boli Armen. veræ, *unciam dimidiam.*
Succi Acaciæ veræ,
Hypocyſtidis,
Sanguinis draconis, in lacrymis,
Gummi Arabici aſſati,
Amyli aſſati,
Lapidis Hæmatit.
Corall. rubror.
Succini,
Spodii, ex Ebore,
Florum Balauſt.
Roſarum rubrarum,
Antheræ, ſ. Seminis Roſarum,
Seminis Portulacæ aſſat.
Nucum Cupreſſi,
Cornu Cervi uſti,
Thuris maſculi,
Croci,
Opii præparati, *ana drachmas duas.*
Semin. Papaveris nigri,

Margaritarum,
Gummi Tragacanth. *ana drachmam unam ſemis.*

Terantur ſeorſim Terra ſigillata, Gummi Arabicum, & Tragacanthum, Succinum, Crocus & Thus. Diſſolv. in ſuff. Quant. ſucci plantaginis, opium, ſuccum Acaciæ & Hypocyſtidis: Dein addantur dicti pulveres, & reliqua in pulverem redacta, ut formentur Trochiſci.

Sunt Meſuæ, qui ad modum efficaces prædicat ad ſputum ſanguinis, cum ſucco plantaginis potos. Ad fluorem vero ſanguinis e naribus, fronti illitos; ad Menſes immodicos, utero injectos, vel pubi illitos: ad Mictum ſanguineum, in Veſicam injectos, & ad alias Hæmorrhagias, parti ſanguine fluenti impoſitos: ad Excoriationem, cum ſucco Cydoniorum, vel alio adſtringente, applicatos. Caſu graviore, opium ſe addere ſcribit. Hæc bene & accurate SCHULZIUS, *in* Prælect. *pag.* 407.

Trochiſci de Viperà.

Diſp. Brand. Wirt. Paris. Lond. Prag.

℞. Viperas, detractis exuviis capitibus & caudis truncatas, atque exenteratas, quantum voles.

Coquantur in ſufficiente quantitate aquæ fontanæ, ſale & anetho conditæ, donec caro a ſpinis ſecedat.

Carnis hujus aliquantum a nimia humiditate ſiccatæ, *unciæ octo.*

Panis triticei albiſſimi, bis cocti & in pollinem redacti, *unciæ duæ* contundantur, in mortario marmoreo, in maſſam, ex qua trochiſci formentur tenues, in umbra ſiccandi, & ne ſitum contrahant, ſæpius vertendi, poſtea in vitro, in loco temperato ſicco ſervandi.

Quamvis trochiſci de viperis plerumque ex Italia petantur, tamen deſcriptionem præparationis apponere libuit; nam dubium non eſt, quin viperæ noſtræ indigenæ, eandem fere virtutem habeant, & cum ad Theriacæ confectionem expetantur, præſtaret, iſtos recentes confectos adhibere, quam inveteratos ex Italia conquirere. Raro præſcribuntur, ſed potius pulvere viperarum ex Italia allato, vel noſtrarum viperarum utimur. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 407. *De horum vero* Trochiſcorum de Vipera, *accurata præparatione, atque uſu medico, vid. inprimis Moſ.* CHARAS, Experiment. circa Viperas, *Cap. IV. p.* 123. *ſqq. Conf. ſupra* Syrupus de Viperis, *& infra* Vinum Viperinum.

Trochiſci Vitæ, Mynſicht. pag. 177.

Diſpenſ. Vienn.

Conf. BIERLING. *pag.* 91.

℞. Confect. Alkerm. complet. *unciam unam.*
Margaritar. præparat. *drachm. unam.*
Ambræ gryſeæ, *ſcrupulos duos.*
Lapidum quinque pretioſor. præp. ana,
Moſchi Oriental. *ana ſcrupulum unum.*
Oleorum Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Ligni Rhodii, *ana guttas decem.*
Sacchari albiſſimi, *uncias octo.*

Pulveriſanda pulveriſentur, & Miſceantur lege Artis, in Trochiſcos formando.

Vires proſtratas reficere creduntur, ſpiritus languentes erigere, & deficientes augere, Cor, Cerebrum & reliqua viſcera roborare, lenesque debiles refocillare.

Hæc quidem ſatis ſpecioſe tradun-

tur; utinam & ſatis vere! Quid enim præſidii & auxilii ſit expectandum a margaritis & lapidibus inprimis illis quinque pretioſis, una cum ipſa Confectione Alkermes, jam ſupra, paſſim, data occaſione, ingenue monuimus: Omnis igitur virtus, ſi qua ſit ſperanda, pendet in hac quidem Compoſitione, potiſſimum a ſuaviſſimo illo adjecto Elæoſaccharo: quod ſolum reliquis omnibus, fruſtra additis, longiſſime præferendum. Interim tamen vel ſic Trochiſci illi haud merentur magnificum illud Vitæ *nomen nimis profecto liberaliter illis impoſitum. Sed jam ſupra paſſim habuimus* Elixiria & Electuaria Vitæ, Balſama Vitæ, Spiritus, Aquas, Pulveres, Pilulas & Confectiones Vitae, *ut ſimilia plura taceam, ubivis obvia, quæ vero omnia Vitam ſemper promittunt; ſed nunquam præſtant: Sic in Titulo ſumma eſt Majeſtas; in re vero ipſa, extrema Egeſtas. Sed hæc obiter, & data hic occaſione.*

Turpethum Minerale, *ſeu* Mercurius Præcipitatus Flavus *vel* Citrinus.

Pharm. Reg. CHAR. *T. II. p.* 796.

Diſp. Wirt. Vienn.

℞. Argenti vivi, puri, *uncias quatuor.*
Olei vitrioli rectificati duplum, i. e. *uncias octo.*

Ponantur in vaſe vitreo ſupra prunas, ut ebulliant, atque mercurius diſſolvatur. Continuetur ignis, donec ad ſiccitatem perveniat, & non amplius fumet materies, ſed in maſſam albam ſalinam abeat. Quae aqua calida ſolvenda, & pulvis citrini coloris reſiduus, qui eſt turpethum, multa aqua tepida edulcorandus.

Apud veteranos nonnullos chirurgos in uſu eſt, ad ſalivationem excitandam; exhibent grana tria, ad quinque pro doſi. Non raro ſurſum ac deorſum purgat; præſtat igitur, ab ejus uſu abſtinere, cum alia minus violenta & ſecuriora mercurialia proſtent. Vid. huc SCHULZ. Prælect. *pag.* 410. & CARTHEUSER. Pharmacol. *pag.* 479. *precipue autem* STAHL. Mat. Med. *Part. I. Sect.* 3. *pag.* 53. *Noviter, tanquam ſpecificum contra Hydrophobiam, vel rabiem caninam, ab Anglis commendatur. Speciatim autem a M. James, qui multa ſeſe experimenta & in canibus, & in hominibus rabidis, cum hoc ipſo Turpetho, inſtituiſſe, & felicem ſemper effectum exinde vidiſſe, firmiſſime aſſeverat, quæ ex ipſo longe lateque recenſet Cl.* CHARAS, *in* Pharmacop. Reg. *T. II. Cap.* 68. *pag.* 797. *ſqq. & ill.* van SWIETEN, Comment. *in* Aphoriſ. BOERHAAVE, *Tom. III. pag.* 581. *ſq. Ne de aliis jam Anglis dicam, quos noviſſime ſequutus Cl.* MORANDO *edito publice ſcripto:* Della Cura preſervativa, della Rabbia canina, Oſſervazioni medicopratiche, *Ancon.* 1755. *Sed & eodem fere tempore, turpiſſimum & nocentiſſimum hoc* Turpethum *contra ſordidam Gonorrhœam, miris, nec meritis tamen, laudibus commendavit poſt ipſum magnum* SYDENHAM. Epiſt. Reſponſ. *II pag.* 68. *ſqq. immo &* BOERHAAVIUM, Elem. Chem. *Tom II. pag.* 428. *ubi generatim miras, quod mirum, virtutes tribuit huic indomito & ſuſpecto admodum Medicamento,* Robertus MURDOCH, *edita ſingulari de hoc infando morbo & digno inceſtæ Veneris flagello,* Diſſertatione, Edimburgi, 1755. *Sed dudum idem auſus fuit* Barry, *componendo ex eodem atrociſſimo Turpetho, pulverem ſuum ſic dictum* Alterantem,

immo forſan rectius, ægrotos ex hoc, in alterum Mundum promoventem, ſi jure quidem ſeria, jocari nonnihil liceat. Verum in laudando nefando hoc Turpetho, omnem penitus modum dudum exceſſit Hartmannus, *& præcipue* Erneſtus, *apud eundem, Tract. de* Oleis deſtillatis, *pag.* 114. *qui infallibilem omnium pæne morborum curam ex ipſo pollicetur, ipſe haud dubie fallibilis, ut cum eo, neceſſitate hic coactus, Barbare loquar.*

Doſis grana tria. *Videant. Collect. Lipſienſ. Tom. IV. &* SPINDLERI Obſ. Med. 41. *pag.* 72.

Turundæ Acuſticæ.

Pharmac. Batean. pag. 125.

℞. Galban.
Picis navalis, *ana drachmas duas.*
Hellebori albi pulv. *ſcrupul. quinque.*
Zibet. *grana ſex.*

Miſc. dividantur in partes octo, vel decem, forma, inſtar Caryophyllorum, ſindone rariſſime involvendas: Filo, ad extremitates majores appenſo, ut ex aure iterum avelli poſſint.

In gravi auditu, aurium tinnitu, ſordibus, aliisque vitiis, has Turundas nonnihil conducere, vel ex ipſa compoſitione patet. Præſtat tamen hic Balſamum illud Otalgicum, cujus deſcriptionem ex Le Mort. ſupra dedimus ſub Balſamis.

Tutia Præparata.

Diſp. Arg. Wirt. Hamb. &c.

Aliquoties, vel ad minimum ter, in crucibulo candefiat, ſingulis vicibus in aqua extinguatur, tum demum trita in marmore laevigetur.

Uſus eſt in collyriis, unguentis & emplaſtris exſiccantibus.

* * *

Unguentum Aegyptiacum.

Diſp. ultraject. Wirt. Vienn. Amſtel. Lond. Edinb. Leid. Paris. Wirt. &c.

℞. Aeruginis, *uncias tres.*
Mellis puri, *uncias octo.*
Aceti Vini acerrimi, *uncias quatuor.*

Aerugo in pulverem teritur, aceto diluitur, melliqne permixta, lento igne, ad mellis conſiſtentiam reducitur.

Vim habet deſiccandi & mundificandi, ſepticam; hinc in ulceribus malignis, ſinuoſis & ſphacelo utiliter chirurgi adhibent; Vid. præter alios plures, Hildan. *de* Gangraena *&* Sphacelo, *&* SCHULZ. Prael. *p.* 413. *item* CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 693. *&* BOERHAAVE, Elem. Chem. *T. II. P. III. Proceſſ.* 188. *pag.* 415. *cum melle roſato mixtum gingivis putridis & ulceroſis conducit: Caute tamen tum adhibendum: Aeris enim ærugo, ſeu viride æris gingivis admodum inimicum.*

Unguentum Agrippæ.

Diſp. Lond. Prag. Wirt. Vienn. Hamb. Brand.

℞. Radicum Bryoniae, *libras duas.*
Cucumeris aſinini, *libram unam.*
Ebuli,
Filicis,
Ireos noſtratis, *ana uncias tres.*
Scillae, *libram ſemis.*
Tribulorum aquaticorum, *unc. duas.*

Radices omnes recentes, conciſae & contuſae, cum tribulis macerentur, per octiduum in
Olei olivarum, *libris ſex*, poſtea lento igne coctis & expreſſis, addantur
Cerae flavae, *unciæ duodecim.*

Colliquata & mixta colentur; fiat unguentum.

Confert lienoſis, alvi obſtructione

& duritie laborantibus, hydropicis & œdematoſis, tumoribus duris, ſcirrhoſis: Item &, ut creditur quidem, in Venerem ſequioribus, Vid. SCHULZ. Prael. *pag.* 413.

Unguentum Alabaſtrinum.

Diſp. Wirt. Vienn. Brand.

℞. Flor. & Herbar. Chamaemeli,
Rutae, *ana uncias tres.*
Roſarum,
Sambuci,
Betonicae, *ana unc. unam ſemis.*
Radicis Altheae, *uncias duas.*
Olei roſati, *libram unam ſemis.*

Contundantur, & ad humiditatis exhalationem, coquantur, poſtea colentur, & exprimantur. E colatura, cum

Alabaſtri puri, optime laevigati, *unciis tribus,*

&

Cerae albae, *unciis quinque.*

Fiat unguentum.

Temporibus, fronti, ſpinæ dorſi, & plantis pedum illinitur, & lintea, illo imbuta, imponuntur; refrigerat, dolores mitigat, & ſomnum conciliat. Vid. SCHULZ. *pag.* 414. *ubi & ad Langii & Thoneri teſtimonia provocat: item* CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 708. *qui tamen ipſi adjecto Alabaſtro parum Virtutis pſyctica & anodynæ tribuit.*

Unguentum Album Camphoratum.

Diſp. Vienn. Wirt. Amſtel. Brand. Edinb.

℞. Axungiae porcinae, *libram unam.*
Ceruſſae Venetae pulveriſatae, *uncias octo.*
Camphorae, *drachmas ſex.*
Miſce.

Deſiccat, refrigerat, & levioribus inflammationibus medetur. Vid. SCHULZ. *pag.* 414. & CARTHEUSER. *pag.* 702. *Cave vero in eryſipelate applices: quod funeſta aliquot exempla apud* Hildanum, Foreſtum, Scultetum & *alios chirurgos, teſtantur.*

Unguentum Album Simplex.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand. Edinb.

℞. Axungiae porcinae, *libram unam.*
Ceruſſae albae, ſubtiliſſime pulveriſatae, *uncias octo.*

Miſceantur exacte, & agitentur piſtillo ligneo.

Deſiccat atque refrigerat; ad ſcabiem & reliqua cutis vitia, a ſero acri enata, ut & ambuſta conducit.

Unguentum Albuminum.

Pharm. Bat. pag. 187.

℞. Olei Roſarum, *uncias duas.*
Albumin. Ovorum, *uncias quatuor.*

Miſcendo exactiſſime Fiat lege Artis, Unguentum.

Ad Ambuſta, Inflammationes &c. optimum, licet ſimpliciſſimum & vulgariſſimum, Remedium. Conf. ſupra Unguenta ad Ambuſta.

Unguentum Aloeticum.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 375.

℞. Aloës pulv. *drachmas duas.*
Scammonii,
Trochiſc. Alhandal. *ana drach. ſemis.*
Fellis Tauri, *drachmam unam.*
Butyri, *quantum ſufficit.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem Unguentum,

quod idem præſtat, ac Unguentum de Arthanita, *item* ad Lumbricos, & contra Vermes; *nempe & alvum la-*

xando, & Vermes pellendo: neceſſaria tamen cum cautione: ut ſupra jam monuimus.

Unguentum Altheæ.

Diſp. Pariſ. Amſt. Wirt. Vienn. Hamb.

℞. Mucilaginis Radicum Altheae, *libram unam.*

Fœni graeci,

Lini, *ana libram ſemis.*

Butyri, *libras quatuor.*

Cerae, *libram unam.*

Terebinthinae, *uncias duas.*

Reſinae, *uncias ſex.*

Mucilagines coquantur cum butyro, & cum aquoſum conſumtum fuerit, addatur

Pulveris radicum curcumae, *uncia una;*

denique cera & reſina.

His liquatis & colatis, terebinthina admiſceatur, unguentum ſervetur.

Uſitatiſſimum ac celeberrimum hoc unguentum emollit, calefacit, & reſolvit; commendatur in pleuritide, nephritide, retentione urinæ, ad mammarum tumores reſolvendos, & membra rigida. Vid. ſupra, Emplaſtrum Dialthaeae, *&* HOFFMANN. *ad* Poter. Pharmac. Spag. *Lib. III. pag.* 487.

Unguentum ad Ambuſta.

CHARAS *Pharmac. Reg. P. I. p.* 366.

℞. Foliorum Sambuci,

Hyoſcyami,

Solani Scandentis

Stramonei, *ana manipul. unum.*

Axungiae porcinae depurat. *libras duas.*

Coque, donec Folia criſpa & exſiccata appareant: Tum ſemirefrigeratum cola, & ſerva ad uſum.

Excellentiſſimi & præſentiſſimi uſus hoc eſt unguentum in mitigandis pronitinus ſævis doloribus, ex ferventi ambuſtione obortis, ipſisque locis læſis ſubito & feliciter curandis, ſine fœdis cicatricibus relictis. Ita vere haud dubie pronunciat Nob. Charas, de hac egregia quidem compoſitione Unguenti hujus anodyni & anticauſtici. Aliud vero Unguentum ad ambuſta, paris, niſi forſan adhuc majoris, virtutis, ex MATTHIOLO *Auctore in* Dioſcorid. *L. IV. C.* 168. *producit & mire laudat* TOURNEFORT Hiſt. Plant. *circa* Pariſ. naſcent. *pag.* 360. *item* BOERHAAVE, Hiſt. Plant. *T. I. pag.* 208. *&* ZORN. *pag.* 600. *quod maxime ex Sambuci partibus conſtat: ipſam quoque illius laudatiſſimi unguenti deſcriptionem exhibet* BLOCHWITIUS, *in* Anatomia Sambuci, *Sect. II. Cap.* 4. *p.* 41. *ubi & pag.* 42. *aliam huic fere ſimilem compoſitionem ex* Felicis PLATERI Prax. Med. *Part. II. proponit. De priore vero vid. &* Continuat. Mat. Med. GEOFFROY, *Tom. II. pag.* 355. *Simile quoque his ipſis unguentum extat in Pharmac. Pariſ. quod vero magis adhuc placeret, ſi omiſſum ex eo fuiſſet ſordidum iſtud Gallinæ ſtercus, quod quid ad ambuſta mitiganda faciat, plane non liquet.*

Unguentum ad Ambuſta.

Diſp. Wirt. Brand. Ratisbon.

℞. Corticum mediorum ſucculentorum Sambuci,

Tiliae, *ana unciam unam ſemis.*

Succi Plantaginis recens expreſſi, *uncias duas.*

Sempervivi mojoris, *unc. unam.*

Olei lini expreſſi, *uncias ſex.*

Sevi cervini, *unciam unam.*

Bulliant leni igne, ad conſum-

tionem humiditatis, oleo colato immiſceantur exacte, in mortario plumbeo,

Ceruſſae Venetae, minutiſſime tritae, ac aqua Roſarum lotae, *uncia una.*

Sacchari, *drachmae duae,*

Olei ovorum recens parati, *uncia ſemis.*

Fiat, ſecundum artem, unguentum.

Ad ambuſta, uti titulus docet, adhibetur; paregoricum & refrigerans eſt.

Unguentum ad Ambuſta

Fabr. Hildani, Lib. de Combuſtionibus, Cap. VII.

℞. Butyri recent. in Aqua Roſ. lot. *unc. unam ſemis.*

Oleorum, Violarum,

Vitell. ovorum,

Amygdal. dulc. *ana drachm. duas.*

Farinae Hordei, *drachmas ſex.*

Croci opt. *ſcrupulum unum.*

Mucilag. Semin. Cydonior. *unciam ſemis.*

Cerae, *quantum ſufficit.*

Miſceantur: Fiat ſecundum Artem, Unguentum.

Inſignes plane Virtutes contra quascunque ambuſtiones, huic ſuo egregio unguento tribuit Auctor maximus, Fabricius Hildanus, frequentiore experientia convictus & confirmatus: & poſt eum, VERZASCHA, *in* Obſ. Med. 86. *pag.* 218. *ubi ingenue fatetur, ſeſe magno ſemper cum fructu, hoc quidem unguentum Hildani anticauſticum uſurpaſſe: de quo ipſe nullus dubito. Plura ejusmodi unguenta anticauſtica vid. apud* HEINS, Pharm. Rat. *pag.* 435.

***

Unguentum Anodynum

Thom. Reineſii.

in BIERLINGII Append. Medic. *Cap. XXII. pag.* 132.

℞. Unguenti alabaſtr. *unciam ſemis.*

Camphorae, *ſcrupulos duos.*

Olei Nymph. *unciam unam ſemis.*

Unguent. popul.

Roſat. Meſ. *ana unc. unam.*

Cerae modicum, *quant. ſuff.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Ejusdem eſt Virtutis, in ſapiendis acerrimis artuum & nervorum doloribus, ac infra Compoſitio Vin. Viperin. valet & ad ambuſta mitiganda, & blande refrigeranda. Ceterum ſat eſt. magnum Reineſium hujus concinnae Compoſitionis fuiſſe Auctorem, & Arte Clinica, & Critica, juxta eximium, immo incomparabilem, ceu ubivis notum.

Unguentum Anodynum.

Diſp. Brand. Wirt. Ratisbon.

℞. Florum recent. Chamomillae, *libras duas.*

Malvae,

Meliloti,

Verbaſci,

Anethi,

Folior. recent. Hyoſcyami, *ana unciam unam.*

Radicum recent. Altheae, *unc. duas.*

Seminis Fœni graeci,

Lini, *ana drachmas tres.*

Flores, herbae & radices recentes, cum ſeminibus probe contuſis, macerentur in

Olei Olivarum, *libris duabus.*

per diem & noctem, poſtea leni igne coquantur, ad humiditatis omnis conſumtionem, in colatura colliqua

Cerae flavae recentis, *uncias quatuor.*
Fiat ſic, lege artis, unguentum.
Dolores a rigida fibrarum tenſione mitigat, convenit in cephalalgia, & lumborum doloribus ex nephritide & febre. Vid. SCHULZII Prælect. *pag.* 415.

Unguentum Anodynum H. Boerhaave, pag. 109.

GAUB. de Form. *pag.* 352.

℞. Aceti Lithargyrii, *unc. unam.*
Olei expreſſ. Semin. Hyoſcyami,
Papav. alb.
Roſar. infuſ. *ana drachm. duas.*
Fiat ſecund. Art. Nutritum, cui ſub finem denique admiſce
Opii puri, *grana ſex.*
Motum ſedat, ſcirrho dolenti aptum eſt, & acres dolores pacat, ſi eodem leniter inungatur Locus adfectus.

Unguentum Antipſoricum.

Diſpenſat. Edinb.

℞. Radicis recentis Helenii,
Oxylapathi, *ana uncias tres.*
Inciſis & Contuſis mox affunde:
Aquae fontanae, *libras tres,*
Aceti, *libram unam.*
Coq. ad medias: Colaturae fortiter expreſſae adde:
Fol. recent. Naſturtii aquatici, *uncias octo.*
Salviae, *uncias duas.*
Sint Herbae optime contuſ. & immixtæ
Axungiae porcinae, *libris quatuor,*
Coq. ad humoris Conſumtionem, & exprime unguentum; in quo porro liqueſcant:
Cerae flavae,
Olei laurini, *ana unciæ quatuor,*
Miſc. Sulphur denique additur, pro re nata.

Unguentum Antipſoricum, cum Mercurio.

Ibidem.

℞. Hydrargyri, in Terebinthinæ Venetæ ſufficienti quantitate extincti, *unciis quatuor.*
Addatur prius unguentum antipſoricum, & probe invicem ſubigantur, ut fiat unum corpus.
Utriusque uſus eſt eximius in Scabie, ſeu pſora, ut nomen ipſum indicat; neceſſariis tamen cum præcautionibus, jam alibi a me allatis. Ceterum conf. infra Unguenta ad Scabiem.

Unguentum Aperitivum.

FULLER. *Pharm. Extemp. pag.* 375.

℞. Olei Lilior. alborum,
Tamariſc. *ana uncias duas.*
Succi Rad. Bryoniæ albæ,
Apii, *ana unciam unam.*
Bulliant ad Succorum conſumtionem, add.
Unguenti Dialthææ,
Butyri inſulſi, *ana unciam unam.*
Gummi Ammoniac. col. *unciam ſemis.*
Ceræ, *quantum ſufficit.*
Miſc. Fiat ſecundum Artem, unguentum.
Inſigniter valet hoc Unguentum ad Tumorem tenſivum, (non autem aquoſum, glanduloſum & ſcirrhoſum) Hepatis, Lienis, & Abdominis.

Unguentum ex Apio.

Diſpenſ. Lond.

℞. Succi Apii, *libram unam.*
Mellis, *uncias novem.*
Farinæ Tritici, *uncias tres.*
Ex coctis, ad juſtam Spiſſitudinem, Fiat lege Artis, Unguentum.

Quod

Quod mundificativum eſt, & in Mammillarum tumoribus ſuppuratis mitigantis & ſanandis, egregii plane & comperti uſus habetur, judice SCHROEDERO, Pharm. *Lib. IV. Claſſ. I. p.* 20. *quod & alii præclari in Arte Viri paſſim affirmant. Ceterum aliud unguentum mundificativum, de Apio, operoſiſſimæ compoſitionis, vid. in* Diſp. Paris. *quod tamen, ne quid forte deſideretur, infra ſuo loco exhibituri ſumus.*

Unguentum Apoſtolorum, *ſeu* Dodecapharmacum.

CHARAS Pharm. Reg. *P. I. p.* 380.
Diſp. Wirt. Pariſ. Amſtel. Vienn. Lond. &c.

℞. Terebinthinæ,
Reſinæ,
Ceræ citrinæ, *ana uncias duas.*
Ariſtolochiæ longæ,
Thuris,
Bdellii,
Myrrhæ,
Galbani, *ana drachmas quatuor.*
Opoponacis præparati,
Aeruginis, *ana drachmas duas.*
Lithargyrii, *unciam unam,*
Olei communis, *libras tres.*

Oleum cum Lithargyrio coquatur, lento igne, inter coctionem
Aceti vini albi, *uncias duas*
addendo;

Poſtea immiſceatur cera, cum reſina, liquefacta & colata, atque his, ab igne remotis & nonnihil refrigeratis, terebinthina ac reliqua in pulverem contrita addantur.

Fiat unguentum.

Mundificat, detergit, maturat & conſolidat; ut plurimum ad ulcerum curam adhibetur.

* * *

Unguentum de Arthanita.

Diſp. ultraject. Wirt. Brand. Hamb. Lond. & reliq.

℞. Succi radicum Cyclaminis, vel, in ejus defectu,
Bryoniæ, *libras tres.*
Cucumeris agreſtis,
Butyri recentis, *ana libram unam.*
Olei Olivarum, *libras duas.*
Polypodii querni, *uncias ſex.*
Pulpæ Colocynthidis, *uncias quatuor,*

Polypodium & Colocynthis, minutim inciſa, contundantur cum ſucco; & macerentur per viginti quatuor horas; poſtea, additis oleo & butyro, coquantur, ad humiditatis conſumtionem, exprimantur & colentur, in colatura diſſolvantur

Ceræ flavæ *unciæ quinque,* refrigeſcant, & ſub continua agitatione, pulverem e ſequentibus inſperge:
Pulveris Aloës epaticæ,
Baccarum Mezerei,
Colocynthidis, vel trochiſcorum Alhandal,
Scammonei,
Turpethi, *ana unciam unam.*
Euphorbii, *drachmas ſeptem.*
Salis gemmæ,
Florum Chamomillæ,
Myrrhæ,
Piperis longi,
Zinziberis, *ana drachm. quatuor;*
tandem adde
Fellis tauri, ad mellis conſiſtentiam inſpiſſati,
Sagapeni in aceto ſoluti, *ana unc. un.*

Exactiſſimé uniantur, reponatur unguentum. Vid. GEOFFROY, *Mat. Med.* T. III. pag. 393. BOERHAAVE *Hiſt. Plant.* T. II. pag, 622. & maxime ZORN. pag. 252.

Ob multa, quæ ad hoc unguentum concinnandum accedunt, purgantia fortiſſima, abdomini illitum, alvum clauſam reſerandi virtutem accipit, tumores ædematoſos diſcutit, aquas hydropicorum expellit; menſes retentos & ſuppreſſos provocat, vermes, abdomini applicitum, expellit; ſed cave, ne pueris delicatioribus, ſub emplaſtri ſpecie, imponas, euphorbium enim rubefaciendi vim habet, ne excoriationem excitet: Diarrhœam quoque ipſis item nauſeam & vomitum hoc Emplaſtrum concitat. Vid. BOERHAAVE, Prax. Med. *T. V. pag.* 290. *Ceterum easdem Virtutes eademque vitia hoc unguentum habet, qualia habet* Emplaſtrum Purgans Cnoeffelii, *de quo ſupra ſuo loco, item* Emplaſtrum contra Vermes, *quod vid. ſupra &* Oleum Colocynthidis, *de quo ſupra, ſuo loco: item* Unguentum ad Lumbricos & Unguentum contra Vermes, *infra. Vid. rurſus ſupra;* Extractum umbilicale purgans, & Oleum Habacucinum.

Sufficit, inunxiſſe abdomini unguentum ſemel in die.

Unguentum de Aurantiis.

Pharm. Batean. pag. 187.

℞. Poma Aurant. recent. ſed immatura & virid. in pulpam cum Cort. contuſa, *No. ſex.*
Foliorum Lauri, *manipulos quatuor.*
Salviæ,
Acetoſæ,
Calendulæ, *ana manipulos duos.*
Succi Naſturtii aquatic. *libras duas.*
Butyri recentis, *libras duas.*

Coq. ad Succorum Conſumtionem: poſtea fiat Expreſſio fortis: Cui demum adde:

Folia recentia Lauri,
Salviæ, contuſa,
Cinnamomi acut. *unciam unam.*
Nucis Moſchatæ, *unciam ſemis.*

Coq. iterum, ad Herbarum Putrilaginem, & fiat denuo Expreſſio.

In Scabie ac pruritu, ſimilibusque fœdis Cutis exaſperatæ affectibus, inſignis efficaciæ eſſe, perhibetur.

Unguentum Aureum.

BOERHAAV. Mat. Med. *pag.* 59.

Diſp. Wirt. Leid. Brand. Lond. Norimb.

℞. Olei communis, *libras duas ſemis.*
Ceræ citrinæ, *libram ſemis.*
Terebinthinæ, *uncias duas.*
Colophonii,
Reſinæ pini, *ana unciam ſemis.*

Lento igne coliquatis, colatis, & nonnihil refrigeratis, inſpergantur
Pulveris Maſtiches,
Thuris, *ana uncia una.*
Croci, *drachma una.*

Miſce, fiat unguentum.

Vulnerarium eſt, & per excellentiam vocatur aureum, conducit in vulneribus, ubi nulla adeſt inflammatio, & præſertim membranoſarum & nervearum partium vulneribus ſanandis inſervit. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 417.

Unguentum Baſilicum Majus.

Diſp. Lond. Wirt. Edinb. Renod.

℞. Ceræ flavæ,
Sevi arietini,
Reſinæ pini,
Picis navalis,
Terebinthinæ, *ana uncias tres.*
Olei communis olivarum, *libram un.*

Fundantur, lento igne, cera, ſevum, reſina & pix cum oleo, quibus liquatis additur terebinthina, & per ſtupam colatis, adde

Pulveris Olibani, *unciam unam ſemis*
Miſce.

Digerit, maturat, ſuppurationem promovet. Vid. CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 711. & SCHULZ. Prælect. *pag.* 417.

Unguentum Baſilicum Minus.

ſeu Tetrapharmacum.

Diſp. Paris. Groning. Leod. Lond. Amſtel. Hag. Leid. Renod.

BOERHAAVE, Mat. Med. *pag.* 59.

℞. Ceræ citrinæ,
Picis nigræ
Reſinæ vulgaris, *ana libram ſemis.*
Olei Lini, vel Olivar. *libras duas.*

Liquata ubi parum refrixerint, piſtillo ligneo agitentur, & in Unguenti Conſiſtentiam redigantur.

Unguentum Bernhardinum.

Diſpenſ. Argent.

℞. Axungiae porcinae, *uncias ſex.*
Sulphuris vivi, *uncias tres.*
Olei Roſarum, *uncias duas.*
Pulveris Caryophyllorum,
Granorum Paradiſi,
Zingiberis, *ana unciam ſemis.*

Miſc. Fiat lege Artis, Unguentum.

Confert ad ſcabiem & pruritum. Vid. ſupra Antipſoricum, & ad Scabiem, *item* Deſiccativum rubrum.

Unguentum de Bills.

FULLER. Pharm. Extemp. *pag.* 377.

℞. Unguenti albi, *unciam unam ſemis.*
Camphoræ, aliquot. gutt. ol. Amygdal. ſolutæ,
Florum Sulphuris, *ana grana viginti quatuor.*
Benzoës, *grana duodecim.*
Aquæ Reginæ Hungariae, *guttas quadraginta.*
Olei Ligni Rhodii, *guttas octo.*
Caryophyllorum, *guttas quatuor.*

Miſc. Fiat lege Artis, Unguentum.

Ad puſtulas, & Faciei turpes maculas tollendas, perquam utile, in ſolatium venuſtioris ſexus, cui omnis cultus curaque in Facie. Conf. infra, Unguentum Saponaceum.

Unguentum Calendulæ Florum.

Diſp. Vienn. Wirt. Ratisbon.

℞. Florum calendulae recentium, excerptorum, *uncias quatuor.*
Butyri recentis, non ſaliti, *libram unam.*

Inciſi flores coquantur cum butyro, ad humiditatis conſumtionem, expreſſum, & colatum unguentum reponatur.

Emolliente & diſcutiente vi pollet, tumores mammarum lactantium reſolvit, & a mulierculis ad ambuſta, aliasve leves inflammationes adhibetur.

Unguentum Cardiacum Schroederi.

Diſpenſ. Argent. Hamb.

℞. Herbarum Cardiacae,
Chamaedryos,
Malvae,
Senecionis,
Jaceae,
Amarae dulcis,
Scabioſae,
Sempervivi,
Morſus Gallinae, recent. omn. *ana manipul. duos.*

Incidantur, & deinde coquantur in

Butyri recentis, *libris octo*,

Ad Conſumtionem Aquoſitatis; dein exprimantur, & ſecundum Artem, fiat unguentum.

Frequentis uſus eſt in affectu Infantum, quem Cardiacum appellant: Fricantes Hypochondria & locum Cardiæ dictum. Vid. ipſum SCHROEDER. Pharmac. *Lib. II. Cap.* 87. *pag.* 301.

Unguentum ad Cariem Oſſium.

BARBETTE, Chirurg. *pag.* 217.

℞. Radicum Ariſtolochiae rotundae,
Ireos,
Peucedani, *ana unciam ſemis.*
Myrrhae,
Aloës, *ana unciam unam ſemis.*
Cort. Pini,
Scoriae aeris, *ana drachmam unam.*
Lumbricorum Terreſtr. *drach. duas.*
Mellis, *quantum ſufficit.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum, *cui multum virtutis antiſepticæ tribuit præſtantiſſimus Auctor.*

Unguentum Carminativum.

Diſp. Wirt. Vienn. Brand.

℞. Florum recent. Chamomillae, *uncias tres.*
Meliloti,
Herbarum rec. Abrotani,
Hederae terreſtris,
Rutae,
Menthae criſpae,
Tanaceti, *ana unciam unam.*

Contuſis & conquaſſatis addatur
Olei Olivarum,
Adipis porcini recentis, *ana libr. una.*

Macerentur per dies aliquot, dein leniter ebulliant, ad humiditatis conſumtionem, exprimantur & colentur, adde
Cerae citrinae, *uncias duas.*
Olei deſtillati aniſi,
Carvi,
Menthae, *ana drachmam unam.*
Lauri expreſſi, *uncias duas.*

Miſce pro unguento.

In colica, torminibus infantum & flatulentia, diſtenſione abdominis, utiliter abdomini illinitur.

Unguentum Carminativum.

GRIM. Laborat. Ceylon. *pag.* 71.

℞. Olei cocti ex Baccis Cinnamomi,
Fol. Cinnamom. *ana uncias ſex.*
Olei ſtillat. Folior. Cinnamomi,
Rad. Cinnamom. *ana unc. ſemis.*
Bacc. Cinnamomi, *drach. duas.*
Cerae ex Bacc. Cinnamomi, *libram unam.*

Miſceantur: Fiat Unguentum.

Iſtud viribus magnis præditum eſt, inquit ibi Auctor Grimius, ad Curationem Colicæ, Torminum, inflationum, ac Ventris ingentium Cruciatuum.

Neque id mirum, addo ego, omnia enim hic merum Cinnamomum ſpirant, quod Natura ipſa, ceu benefica, aut prodiga nimis Mater, ſolis fere Ceylonenſibus indulſit; nobis contra, tanquam parcior Noverca, inclementius denegavit. Inde generoſum haud dubie atque egregium hoc Unguentum Carminativum mirari potius licet, quam imitari. Conf. ſupra dicta ad Tincturam Bezoardicam Ceylonicam, *& infra dicenda, ad* Unguentum Nervinum Ceylonicum.

Unguentum Cephalalgicum.

Pharm. Batean. pag. 188.

℞. Unguenti Alabaſtrini,

Unguenti Roſati, *ana uncias duas.*
Opii, *drachmam unam.*
Croci, *drachmam ſemis.*
Olei Nucis Moſchat. *drachm. unam.*

Miſc. Fiat lege Artis, Unguentum, pro temporibus, ac fronte inungendis; *quod eſt refrigerans, anodynum, paregoricum & hypnoticum. Debet tamen caute, & in tempore, adhiberi.*

Unguentum Clysmaticum.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn.

℞. Radicum Althaeae recentium,
Liliorum alborum, *ana unc. duas.*
Herbarum Parietariae,
Malvae,
Mercurialis, *ana unc. unam ſemis.*
Altheae,
Violariae,
Florum Chamaemeli,
Meliloti, omnium recentium, *ana unciam unam.*

Coquantur in
Butyri recentis, non ſaliti, *libris duabus.*
ad humiditatis conſumtionem,
exprimantur & colentur.

Abdomini illitum alvum emollit, & clyſteribus, eodem ſcopo, additur ad unciam ſemis, uſque ad uncias tres.

Unguentum Comitiſſæ, Auctore Guilielmo de Varignana.

Diſpenſat. Brand. Wirt. Argent. Meſſan.

℞. Corticum mediorum Glandium,
Caſtanearum,
Quercus arboris junioris,
Baccarum Myrti,
Gallarum,
Acinorum uvarum,
Calicum glandium,
Sorborum immaturorum ſiccorum,
Meſpilorum acerborum ſiccatorum,
Foliorum Plantaginis,
Quercus,
Equiſeti,
Pruni Silveſtris,
Radicis tormentillae, *ana unc. unam ſemis.*

Contundantur aliquantulum & coquantur in
Aquae fontanae
&
Vini rubri, *ana libra una,* donec media pars conſumta fuerit.

Colatura ulterius coquatur, cum
Olei Myrtillorum, *libra una ſemis,* ad humiditatis aquoſae conſumtionem; poſtea in ea diſſolvantur
Cerae novae, *unciæ octo ſemis;* ab igne depoſitis addatur
Olei maſtichini, *libra una ſemis,* atque inſpergatur ſequentium tenuiſſimus pulvis:

℞. Corticum Quercus arboris, *unciam unam.*
Sanguinis Draconis,
Nucis Moſchatae,
Gallarum,
Succi hypociſtidis,
Baccarum myrti,
Acinorum uvarum,
Sorborum immaturorum, *ana unciam ſemis.*
Trochiſcorum de carabe, *unc. duas.*

Miſce, fiat unguentum.

Unguentum hoc e meris adſtringentibus & ſiccantibus paratum, laudatur ad abortum prohibendum, uteri, alvi & renum laxitatem, ad hernias, ani & uteri procidentias, item diabetem, vid. Riedlini Lin. Med. *Ann.* 1698. *Menſ. Maj. Obſ.* 12. *pag.* 381. *ſqq.*

Applicatur lumbis, abdomini &

femoribus, vel illinendo, vel linteis illitum imponendo. Plurimum laudat illud SCHULZ. Prælect. *pap.* 418. *ipſius ſalutarem uſum ipſe expertus.*

Unguentum Cordiale.

FULLER. Pharm. ext. *pag.* 378.

℞. Unguenti e Floribus Aurant.
Olei Palmæ, *ana drachmas duas.*
Balſami Apoplect.
Oleorum Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchat. *ana guttas quatuor.*

Miſc. Fiat Unguentum, *analepticum & roborans. Conf. infra* Unguentum Cordiale de Nymphææ.

Unguentum Cordiale Ludov. ab Horning.

SCHROEDER. Pharm. *L. II. C.* 87. *pag.* 302.

℞. Unguenti Roſati optime loti, *uncias tres.*
Balſami apoplectici, *ſcrupul. unum.*
Olei Nuciſtæ expreſſi, *drach. unam.*
Stillat. Cortic. Citri, *ſcrup. ſemis.*
Cinnamomi, *guttas quinque.*
Roſarum, *guttas ſex.*

Miſceantur optime, ad eundem uſum.

Unguentum Cordiale, Thom. Reineſiii.

apud BIERLING. *in* Append. Med. *Cap. XXII. pag.* 131.

℞. Cerat. Santal. *uncias duas.*
Mithridat. *drachmas ſeptem.*
Camphor. *drachmam unam.*
Aceti Roſat. *unciam ſemis.*
Olei Hyperic. *uncias tres.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Nervinum eſt, Cardiacum, roborans, paregoricum & anodynum. Prodeſt in ſumma virium debilitate, cordis palpitatione, & lipothymiis: Poteſt & magno cum fructu, adhiberi in nauſea & vomitu, item & colica flatulenta, ventris torminibus, & ipſa quoque ſæva dyſenteria, inuncta nempe ipſo, regione abdominis, ſed debita cum circumſpectione. Verum ſufficit ad ejus commendationem, maximum Reineſium ipſius eſſe Auctorem. Conf. ſupra Oleum Cordiale.

Unguentum Defenſivum, Ejusdem Reineſii.

Ibidem

Apud BIERLING. *pag.* 130.

℞. Bol. Armen. *uncias duas.*
Cort. Granator.
Sanguinis Dracon. *ana unciam ſemis.*
Camphor. *ſcrupulos quatuor.*
Farin. Lent. *unciam unam.*
Cum Oleo & Aceto Roſac. *q. ſuff.*

Miſc. Fiat ex Arte, unguentum.

Stypticum eſt, antiſepticum, refrigerans, mundificans, conſolidans, & paregoricum. Inde & ad ambuſta, egregie valet, & ſævum dolorem mitigat, extinguendo ſenſim ardorem. Conf. ſupra Emplaſtrum defenſivum Rubrum, Viride & Coeruleum.

Unguentum Deopilativum.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Florum Chamæmeli recent. *unc. tres.*
Corticis Tamariſci,
Herbar. recent. Anethi,
Apii,
Fœniculi,
Ebuli,
Rutæ hortenſis,
Menthæ criſpæ,

Radicis Bryoniæ, *ana uncias duas.*
Recentia incidantur, Miſc. & infundantur in
Axungiæ porcinæ, *libris ſex,*
Coquantur ad humiditatis Conſumtionem, colentur, & exprimantur: tum in Colat. diſſolvantur,
Axungiæ anſerinæ, *libra una.*
Ceræ citrinæ, *unciæ octo,*
Ut fiat lege Artis, unguentum.
Vires ſunt reſolventes, flatus diſcutientes, obſtructiones hepatis & lienis, (præcipue in Juvenculis) tollentes.

Unguentum Deſiccativum Rubrum.

Diſp. Edinburg. Amſtel. Lugd. Lond.
℞. Olei Olivarum, *ſeſquilibram.*
Ceræ albae, *ſemilibram.*
Liquefactis ſimul, & ab igne remotis, inſperge mox ſequentia in pulverem trita:
Boli Armenæ,
Lapidis Calaminaris, *ana unc. quatuor.*
Lithargyri aurei,
Ceruſſæ, *ana uncias tres.*
Camphoræ, cum Oleo Amygdal. prius tritæ, *drachmas tres.*
Agitando ſtrenue, fiat lege Artis, unguentum.
Deſiccat ſenſim ulcera ſordide humentia, hinc in ſcabie præſertim humida, exſiccanda, utiliter adhibetur: præmiſſa tamen prius & abſoluta Cura interna: qua nempe neglecta, omnia ejusmodi Remedia externa, quantumvis alias optima & præſtantiſſima, ſemper magis obſunt, quam proſunt, ut alibi jam ſæpius monuimus. Ceterum Conf. Unguenta Antipſorica, & ad Scabiem dicta.

***

Unguentum Digeſtivum.

Diſp. Wirt. Brand. Vienn. Hamb.
℞. Terebinthinæ Venetæ, *libram ſemis.*
ſolve ac miſce cum
Vitellis ovorum, *numero quatuor,*
adde
Olei hyperici, *unciam unam ſemis.*
Pulveris Olibani,
Myrrhæ, *ana drachmas tres.*
Miſce.
Digerit & ſuppurationem promovet, in vulneribus ac abſceſſibus.

Unguentum Digeſtivum.

BARBETTE, Chirurg. *pag.* 188.
℞. Olei Olivarum, *uncias duas.*
Ceræ Citrinæ, *unciam ſemis.*
Thuris,
Maſtiches, *ana drachmam unam.*
Vitell. Ovi, *No. unum.*
Butyri, ſine Sale, *quantum ſufficit.*
Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.
Uſum ipſum Nomen indicat: prodeſt maxime, ad vulnera ad debitam ſuppurationem perducenda, quem in finem potiſſimum commendatur ab Auctore.

Unguentum Digeſtivum.

BOERH. Mat. Med. *pag.* 76. GAUB. de Form. *pag.* 352.
℞. Terebinth. *unc. duas.*
Vitell. ov. *No. unum.*
Exacte miſtis admiſce:
Unguent. Baſilic. *unc. duas.*
Aloës puræ, *drachm. quatuor.*
Fiat ſecundum Artem, unguentum.
Eſt attenuans & antiſepticum. Hujus tantillum plumaceolis exceptum, imponatur loco contuſo, & tegatur Emplaſtro de Galbano.

Unguentum Digitalis.

Diſp. Wirt. Batean.

℞. Florum digitalis purpureæ vulgaris, *uncias quatuor.*

Adipis Suillæ, *libram unam.*

Macerentur per aliquot dies, poſtea coquantur lento igne ad humiditatis conſumtionem, coletur & ſervetur in vaſe vitreo unguentum.

Commendatur ad ulcera ſcrophuloſa humida, pure manantia. De digitali, Itali dicere ſolent: Aralda tutte le piaghe ſalda. *h. e, Digitalis ſanat omnia vulnera. vid.* TOURNEFORT. Hiſt. Plant. Pariſ. *pag* 432. BOECLER. Continuat. Mater. Med. Herm. *pag.* 468. GEOFFROY, Mat. Med. *T. III. pag.* 405. PAULLI Quadrip. Bot. *pag.* 284. *& ſupra dicta ad* Digitalem purpuream, *ſub* Herbis & Foliis.

Unguentum Diſcutiens.

MORELL. *de* Formul. Remed. *p.* 238.

℞. Oleorum Chamæmel.
Roſarum,
Maſtich. *ana unc. ſemis.*
Terebinth.
Lumbric. Terreſt. *ana drach. duas.*
Sevi Vitulini,
Hircini, *ana drachm. unam ſemis.*
Pingued. Vulpis,
Canis, *ana drachmam unam.*
Cerae, *quantum ſufficit.*

Ut lege Artis, Fiat unguentum.

Emollit & diſcutit ſenſim tumores pertinaces.

Unguentum Diſſipans.

FULLER. Pharm. Extemp. *pag.* 379.

℞. Unguenti Dialtheæ, *unciam unam.*
Gummi Ammoniaci, *dr. unam ſemis.*
Mercurii crudi, *drachmam ſemis.*
Olei Abſinthii Chym. *guttas quatuor.*

Miſceantur: Fiat Unguentum, ad eosdem uſus.

Unguentum Enulatum.

Diſp. Wirt. Brand. Renod.

℞. Radicum Enulæ recentium, *libram unam.*
Pinguedinis porcinæ, *libram ſemis.*
Olei olivarum puriſſimi, *unc. quatuor.*

Pinſantur in mortario lapideo, coquantur leni igne, ad humiditatis conſumtionem, exprimantur & colentur; colaturæ adde

Ceræ flavæ,
Terebinthina purae, *ana unc. unam.*

Optime commixta fiant unguentum. (quibus nonnulla Diſp. ut Amſtel. & al. addunt Mercurium, item & Sulphur.)

Laudatur ad ſcabiem & tineam, & bono cum effectu adhibetur, ubi mercurio & metallicis præparatis mixta unguenta locum non habent. Vid. huc SCHULZ. Prælect. *pag.* 420.

Unguentum ad Eryſipelas.

FULLER. Pharm. Ext. *pag.* 379.

℞. Succi Folior. Sambuci,
Olei Lini, *ana uncias duas.*

Coq. ad Succi Conſumtionem: dein adde

Pulv. Lithargyrii, *quantum ſuff.*

Miſc. Fiat, ut Artis eſt, unguentum, *quod in Eryſipelate, uſu quidem ſuo haud caret; parce tamen & circumſpecte, juſtoque inprimis tempore, adhibendum, ut alibi jam, plus ſemel, monuimus.*

⁂

Unguentum ad Eryſipelas Foreſti.

℞. Lithargyr. *uncias tres.*
Unguenti popul.
de Ceruſſa,
Refrig. Galeni. *ana unc. un. ſemis.*
Olei Roſar. *unciam unam.*

Miſceantur probe in Mortario plumbeo, & fiat ſecundum Artem, unguentum.

Egregium quoque contra Eryſipelas, unguentum; ſed & cum eadem cautione, applicandum, ubi uſus exigit, ipſo bene monente Foreſto, Auctore.

Unguentum Friderici Epiſcopi.

Diſpenſ. Argent.

℞. Olei olivarum, *uncias octo.*
Lithargyrii pulv. *uncias novem.*

Coquantur ad Conſiſtentiam unguenti, add.

Unguenti albi ſimplicis,
Populei, *ana libram unam.*

Miſce: Fiat lege Artis, unguentum.

Vulnerarium eſt, Ambuſtis medetur, pruritum Cutis mitigat, Scabiei convenit, & dolores ſedat.

Unde vero ſanctum & Venerabile quaſi, Epiſcopi Nomen ipſi impoſitum fuerit; me quidem fugit; nec multum ſane intereſt, ut curioſius indagemus. Interim conf. ſupra Balſamum Epiſcopale.

Unguentum Frontale.

GAUB. *de* Form. *pag.* 381.

℞. Unguenti Nervini, *drachmas ſex.*
Theriacæ Andromachi, *dr. duas.*
Croci pulveris, *grana octo.*
Olei infuſi Chamæmel. *quant. ſufficit.*

Ut Fiat unguentum molle,

Exceptum ſtupis cannabinis, duobus Linteis incluſum, Fronti imponatur.

Eſt anodynum, diſcutiens, ac calefaciens. Vid. ibidem alia ejusmodi Frontalia anodyna & hypnotica, a Celeb. Auctore ſcite ſapienterque, pro more nempe ſolito, præſcripta, & in publicos uſus munifice communicata.

Unguentum Frontale.

FULLER. Pharm. Ext. *pag.* 379.

℞. Unguenti de Alabaſtro, *drach. unam ſemis.*
Olei Macis expreſſi, *ſcrupulum unum.*
Opii, in Aqua Roſar. ſoluti, *ſcr. ſemis.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Ad vigilias, Capitis dolores, & deliria, in febribus, ex ſanguinis fervore oborta, plurimum prodeſt. Conf. ſupra Unguentum Cephalalgicum.

Unguentum Fuſcum Myrepſi.

Diſp. Wirt. Brand. Vienn. Prag.

℞. Olei communis, *libram unam ſemis.*
in quo diſſolve
Cerae flavae recentis, *uncias quatuor.*
Colophonii,
Picis navalis, *ana uncias duas.*
Maſtiches electæ,
Terebinthinæ, *ana unciam unam.*

Colentur, atque colaturae refrigeratæ admiſce

Gummi Galbani,
Sagapeni,
Thuris electi, *ana unciam unam.*
Ariſtolochiæ rotundae, *unciam ſemis.*

Miſce, fiat unguentum, quod unguento Aegypt. vulgo analogum eſt, de quo ſupra, vid. CARTHEUS.

Pharmacol. pag. 702. SCHULZ. p. 421.

Eſt vulnerarium, emolliens, & mundificans; digerit & carnem generat. Aliud unguentum fuſcum, vulgo de la Mere, *dictum, levioris compoſitionis, vid. in* Pharmac. Pariſ.

Unguentum Griſeum.

vid. infra

Unguentum Neapolitanum.

Unguentum Hæmorrhoidale.

Diſpenſ. Paris.

℞. Unguent. Popul.
Nutrit. *ana uncias tres.*
Vitellos ovorum, *numero tres.*
Croci pulverati, *dr. unam & ſemis.*
Opii, *drachmam ſemiſſem.*
Miſce; Fiat lege Artis, unguentum.

Unguentum Hæmorrhoidale,

Arcan. Goddard. *pag.* 11.

℞. Olei Roſar. *unciam unam ſemis.*
Emplaſtri de Minio, *unciam unam.*
Ceræ albæ, *unciam ſemis.*
Liquatis adde:
Aethiopis mineralis, *drachmas duas.*
Opii, *unciam ſemis.*
Croci Oriental. opt.
Nucis Moſchatæ,
Florum Chamæmel. *ana drach. unam.*
Syrupi Roſat. *unciam unam.*
Leni calore exhaletur Humiditas, & Miſc. ſecundum Artem.

Sævos & urentes Hæmorrhoidum, præſertim cæcarum ſic dictarum, dolores hoc egregium quidem unguentum anodynum ac paregoricum mitigare & compeſcere poſſe, nullum quidem eſt dubium, ut vel ex ipſa concinna ipſius compoſitione manifeſto patet. Interim tamen, ut ingenue fatear, haud ſatis bene perſpicio, quemnam potiſſimum in finem, adjectus hic ſit Syrupus Roſatus, cujus quippe loco, ſubſtituere mallem Oleum Sem. Hyoſciami, vel Liliorum alborum, vel denique ſimplicis Lini, a quibus nempe cunctis certior virtus anodyna utique expectanda, quam quidem a fatuo illo, hoc certe in uſu externo, Syrupo Roſar. uti nemini non, putem, notiſſimum.

Unguentum Hæmorrhoidale Aliud.

Pharm. Bat. pag. 190.

℞. Pulveris Suberis combuſti, *dr. unam.*
Camphoræ, *ſcrupulos duos.*
Opii Thebaici, *grana ſex.*
Unguent. popul. *unciam unam ſemis.*
Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Unguentum Hæmorrhoidale.

Pharm. Batean. pag. 190.

℞. Butyri Majal. recent. *libras tres.*
Florum Sambuc. & Geniſt. recent.
Quant. infarciri poteſt Contuſ.
Inſolentur per Menſem: Dein agitentur, & ſub Terra defoſſa, ſimul putreſcant per Menſem. Poſtea Coq. ſecundum Artem, & fiat Expreſſio. Conf. infra *Unguentum Verbaſci*, in eosdem uſus anodynos.

Unguentum Hepaticum.

GRIM. Laborat. Ceylon. *pag.* 70.

℞. Olei ſtillat. Baccar. Cinnamom. *drachmas duas.*
Radicis Cinnamom. *uncias tres.*
Stercoris Vaccini,

Caprilli, *ana uncias duas.*
Olei cocti Folior. Cinnamom. *uncias quatuor.*
Ceræ, ex Baccis Cinnamomi, *libram unam.*
Miſceantur: Fiat lege Artis, unguentum.

Iſtud maximum & incredibilem Effectum exhibebit, ita ipſe ibi inquit Grimius, ad dolores ac tumores Hepatis abigendos. Credo equidem ipſe, etiamſi ab hac bella & ſuavi alias compoſitione longe abeſſent fœda illa vaccarum atque Caprarum ſtercora, ad ſordidas potius Apothecas ſic dictas ſtercorarias æternum releganda, de quo vid. dicta quondam nobis, in Lib. de Pleuritide, *Cap. III. pag.* 47. *Niſi forte, ſi jocari quidem hic liceat, iſtorum animalium, in beatioribus illis ſilvis Cinnamomiferis Ceylonenſibus, paſtorum, recrementa ipſum Cinnamomum redoleant; quod tamen ego ipſe nec explorare velim, ſi poſſim, nec, longiſſime remotus, poſſim, ſi velim. Vehementer ergo miror, Auctorem gravem celebremque, ſuæ quaſi dignitatis oblitum, ad hæc ſordida & abjecta deſcendiſſe, & Medicum elegantem ineleganter hic tractaſſe obſcœnum pecorum fimum. Sed hæc obiter.*

Unguentum Herpeticum Barbette,

Chirurg. Part. II. Lib. I. C. 8. p. 125.

℞. Lapidis Prunellæ, *drachmam unam.*
Florum Sulphuris, *unciam ſemis.*
Salis Saturni, *drachmam unam ſemis.*
Olei Raparum Veterum, *quantum ſufficit.*
Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Ibidem & aliud proſtat operoſioris Compoſitionis; aliud rurſus acerrimæ virtutis, atque hinc ſingulari cum cautione adhibendum in Pharmac. Batean. *pag.* 190.

Unguentum de Hyoſcyamo.

Diſp. Wirt. in reliquis fere omnibus deſideratur.

℞. Foliorum hyoſcyami recentium, *libram unam.*
Contundantur cum
Axungiæ porcinæ, *unciis decem;*
coquantur ad humiditatis conſumtionem, exprimantur & expreſſo addantur
Olei hyoſcyami, e ſemine expreſſi, *unciæ duæ.*
Mixta ſerventur.

Anodynum eſt, & egregium emolliens; cum unguento linariæ, hæmorrhoidum dolores ſedat. Ceterum conf. ſupra Emplaſtrum de Hyoſcyamo.

Unguentum Infrigidans Galeni.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. Hamb. Prag.

℞. Olei roſati, *libram unam.*
Ceræ albæ, *uncias tres.*
Cera liquetur & oleo permiſceatur, ut fiat unguentum.

Nephriticis & hecticis, dorſo & renum regioni inunctum commendatur.

Unguentum de Linaria.

Diſpenſat. Brand. Wirt. Vienn. Hamb. Ratisbon. Prag.

℞. Herbæ Linariæ, cum floribus,
Pinguedinis porcinæ, *ana libr. unam.*
Contundantur, coquantur ad humiditatis conſumtionem, & exprimantur.

Specificum creditur eſſe ad hæmor-

rhoides dolentes, quibus plumaceolo, vitello ovi mixtum, applicatur. Vid. HARTMANNI Prax. Chymiatr. *p.* 203. *&* VERZASCHAE Obſ. Med. 31. *p.* 82. *ubi ſimul lepida hiſtoria refertur, quod nempe hoc unguentum de Linaria, anodynum opimo ſaginati Bovis pretio dignum habitum fuerit a* Ludovico Seniori, Haſſiæ Landgravio Sereniſſimo. *Conf. &* GEOFFROY Mat. Med. *T. III. pag.* 732. *& præſertim* TOURNEFORT. Hiſt. Plantar. *circa Pariſ. naſcent. p.* 25. *ubi & pag.* 24. *ipſam illius unguenti anodyni compoſitionem docet. add.* SCHULZ. *pag.* 422. *&* CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 709.

Unguentum de Liquiritia.

Diſp. Vienn. Wirt. Argent.

℞. Radicum Liquiritiæ recentis & ſucculentæ, inciſarum,
Butyri recentis, *ana libram unam.*

Pinſantur ſimul in mortario, poſtea frigantur in ſartagine, ad humiditatis conſumtionem, & prelo exprimantur, expreſſo adde

Pompholygos, *drachmas ſex.*
Ceruſſæ ſubtiliſſime tritæ, *unc. tres.*
Camphoræ, *ſcrupulos duos.*

Fiat unguentum.

Inflammationes partium leviores, vel potius excoriationes, a ſero ſalſo productas, ut & fiſſuras papillarum in mammis lactantium, ſanat.

Unguentum de Lithargyrio, *alias* Nutritum.

Diſp. Brand. Wirt. Hamb. Argent. & in omnibus aliis.

℞. Lithargyrii, *libram ſemis.*
Ceruſſæ, *unciam unam ſemis.*
Aceti, *libram ſemis.*
Olei roſati, *libram unam.*

Fiat in mortario plumbeo, optime agitando, unguentum.

Epuloticum & ſarcoticum eſt, adverſus ſcabiem, pruritum & alia cutis vitia, utiliter adhibetur. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 422. *&* CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 706.

Unguentum ad Lumbricos.

Pharm. Batean. p. 129. *ſeu p.* 190.

℞. Foliorum Abſinthii vulg.
Menthæ,
Tanaceti,
Rutæ,
Porri,
Juglandis, *ana manipul. tres.*
Sabinæ, *manipulos quatuor.*
Helleboraſtri, *manipulos ſex.*

Contunde probe & exacte, cum
Seminis Santonici, *unciis duabus.*
Radicis Bryoniæ recentis, *unciis quatuor.*
Colocynthidis,
Aloës, *ana unciis duabus.*
Fellis Taurini, *libra una.*
Butyri recentis inſulſi, *libris quinque.*
Vini albi, *libris duabus.*

Coquantur omnia leni igne, ad Vini & Succorum Conſumtionem: Fiat lege Artis, Expreſſio.

Abdomini illitum hoc Unguentum Bateanum idem præſtat, ac alterum notius de Arthanita, *de quo mox; nempe vermes pellit & necat, alvi obſtructionem reſerat: Sed & juſto diutius adhibitum, diarrhœam movet & vomitum. Quare circumſpecte applicandum. Vid.* Emplaſtrum Vermifugum *in eadem* Pharmac. Batean. *pag.* 44. *Conf. ſupra* Extractum Umbilicale purgans, *& ibi monita.*

* * *

Unguentum Majoranæ.

Diſp. Vienn Wirt. Prag.

℞. Herbæ recentis majoranæ,
Butyri recentis, *ana libram unam.*

Contuſa & probe mixta coquantur leniſſimo igne, ad humiditatis exhalationem, exprimantur & colentur, colaturæ adde

Olei deſtilati majoranæ, *guttas triginta.*

In narium infantum obſtructione, a muco viſcido, expetitur; loco unguenti carminativi etiam abdomini illini poteſt.

Unguentum Malvæ.

Diſp. Wirt.

℞. Herbæ Malvæ recentis, *libram unam ſemis.*
Butyri recentis, *libras duas.*

Contundantur inſimul, & coquantur leni igne, ad humiditatis conſumtionem, colentur cum expreſſione, & unguentum ad uſum reponatur.

Cum unguento clysmatico convenit, & eisdem uſibus inſervit.

Unguentum Martiatum.

Diſp. Wirt. Hamb. Vienn. Lond. Lugd.

℞. Foliorum Lauri recentium, *libram unam.*
Rutæ hortenſis, *uncias decem.*
Majoranæ, *uncias octo.*
Roriſmarini, *uncias ſex.*
Myrti veræ,
Ebuli,
Menthæ,
Baſilici, *ana uncias duas.*

Herbæ & folia recentia, minutim inciſa, macerentur in
Vini albi, *libra dimidia*, &
Olei olivarum, *libris duabus.*

per aliquot dies digeſtis adde
Butyri recentis,
Axungiæ urſi,
Gallinæ,
Medullæ cervi, *ana unc. unam ſemis.*

Coquantur leniſſimo igne, ad humiditatis conſumtionem, colentur & exprimantur; in expreſſo diſſolvantur
Ceræ flavæ, *unciæ quindecim.*
refrigerato unguento admiſceantur
Styracis, *drachmæ decem.*
Maſtiches, *uncia una.*
Thuris, *drachmæ quinque.*
omnia in ſubtilem pulverem trita.

Cum unguento nervino convenit, & ad nervorum reſolutionem, tumores a cauſa frigida ortos, infantum tormina & hydropem commendari ſolet.

Unguentum Martiatum Aliud.

Diſpenſ. Pariſ. Leid. Groning. Lugd. Amſtel. Ultraject.

℞. Radicum Enulæ Campanæ,
Valerianæ ſilveſtris,
Bardanæ,
Herbarum Abſinthii,
Abrotani,
Ocimi,
Calaminthæ,
Hyperici,
Coſti hortenſis,
Majoranæ,
Menthæ aquaticæ,
Sabinæ,
Salviæ,
Sambuci, *ana uncias tres.*
Foliorum Lauri,
Roriſmarini,
Rutæ, *ana uncias ſex.*
Seminum Cumini,
Fœnugræci,

Seminum Urticæ majoris, *ana unc. ſemiſſem.*
Florum Chamæmeli,
Meliloti,
Stœchados, *ana unciam unam.*
Ceræ flavæ, *libras duas.*
Axungiæ Urſinæ,
Anſerinæ,
Medullæ cervinæ, *ana unc. quatuor.*
Olei Olivarum, *libras octo.*

Cera, Axungiæ & Medulla cum oleo, liquefiant. Cetera minutim inciſa, aut contuſa, in eodem oleo macerentur, per biduum, in Balneo Maris. Coque ad humidi fere conſumtionem; Cola & exprime fortiter. Tum add.

Styracis liquidæ,
Balſami Peruviani, *ana uncias duas.*
Olei Nucis Moſchatæ, *unc. ſemiſſem,*
Balſami de Copaiva,
Gummi Elemi,
Maſtiches pulveratæ, *ana unc. unam.*

Agita, donec frigeſcant; & fiat lege Artis, unguentum roborans ac nervinum.

Convenit hæc deſcriptio maximam partem, cum illa veteri, quam dedit RENOD. *in* Diſp. *pag.* 935. *niſi, quod iſta, longe correctior ſit, & omiſſis multis ingredientibus, a ſcopo plane alienis, concinnior & ad uſum ipſum aptior. Aliam vero breviorem & minus operoſam hujus unguenti compoſitionem vid. in* Diſpenſ. Leod. *& in* LE MORT. Pharm. Med. Chym. *pag.* 164.

Unguentum Maſtichinum.

Diſp. Lond.

℞. Olei Maſtichini,
Abſinthii,
Nardini, *ana unciam unam.*
Maſtiches,
Menthæ,
Roſarum rubrarum,
Corallior. rubr.
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Ligni Aloës,
Schœnanthi, *ana drachmam unam.*
Ceræ, *quantum ſufficit,* ut fiat ſecundum Artem, unguentum.

Roborans ac nervinum eſt; hinc in paralyſi membrorum, & aliis affectibus a partium debilitate & atrophia ortis, eximie forſan conducit. Sed quid in hac, alioqui ſat concinna Compoſitione, potiſſimum faciant Corallia rubra, & quemnam præcipue uſum præſtare poſſint, equidem divinare haud valeo, nec pronunciare audeo. Mea certe opinione, Corallia, ceu dura & aſpera corpora, perquam ægre ingredi poſſunt blandum & fluidum unguentum. Hinc etiam illud forte omiſſum fuerit in recentiſſima Pharmacop. Lond. Editione, de Anno 1746. *recuſa,* 1748. *Francofurt. ad Mœn.*

Unguentum Maturativum, Thom. Reineſii,

apud BIERLING. Append. Medicam. *Cap. XXII. pag.* 130.

℞. Terebinth. Cyprin. *uncias quinque.*
Pollinis Thur.
Maſtich. *ana unc. ſemis.*
Olei Hyperic. *uncias duas.*
Vitell. ovor. *No. tres.*
Croci orient. *ſcrupulum unum.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Ipſe præfixus Titulus ſatis indicat, quibus præſertim uſibus inſerviat hoc egregium Viri magni unguentum, omnibus hinc Chirurgis ſerio ſeduloque commendandum. Sed forte major ac lar-

gior Croci quantitas ipſi ſecure adjicienda fuerit.

Unguentum de Minio Camphoratum.

Diſp. Renod. Wirt. Brand. Vienn. Ratisbon.

℞. Olei roſati, *libram unam ſemis.*
Lithargyrii, *uncias duas.*
Minii, *uncias tres.*
Ceruſſæ, *unciam unam ſemis.*
Tutiæ præparatæ,
Camphoræ, *ana drachmas tres.*
Ceræ albæ, *uncias duas.*

Liquatam lento igne ceram, oleum, & reliqua tenuiſſime trita additis,

Aceti deſtillati, *unciis tribus,*
commiſce, ſub finem addendo camphoram ſpiritu vini ſolutam.

Refrigerantis & exſiccantis virtutis eſt, & ad ulcera, quæ ob humorum acrimoniam ſerpunt, conducit, & ambuſtis medetur. Vid. CARTHEUSER. Pharmacol. *pag.* 705. *Convenit ceterum cum unguentis de Lithargyr. Saturnino, albo, de quibus ſuo loco.*

Unguentum Mundificans Poterii.

Obſervat. Med. *Cent. II. C.* 28. *p.* 129.

℞. Folior. Nicotianæ recent. *manip. ſex.*
Butyri inſulſi, *libras duas.*
Terebinth. Venet. *uncias quatuor.*

Miſc. ſimul, & inſolentur per octiduum, colentur, & Torculari fortiter exprimantur: Expreſſis add.

Ceræ Citrinæ parum,
Gummi Ammoniaci,
Galbani, *ana uncias duas.*

Facto unguento, & fere refrigerato adde:

Pulv. Antimonii crudi, ſubtiliſſ. triti,
Cinnabaris, *ana drachmas tres.*
Myrrhæ,
Thuris, *ana drachmas duas.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Eximiam plane Virtutem, in mundandis & perſanandis ulceribus, eorumque potiſſimum ſinubus nova carne replendis, & ad cicatricem ſcite perducendis, huic quidem ſuo unguento tribuit Auctor Poterius, neque immerito, ſi quid meum valeat judicium. Sed viderint alii. Ceterum conf. infra, unguentum de Styrace. *Plura vero ejusmodi unguenta mundificantia vid. in* HEINS Pharmac. Rational. *pag.* 438.

Unguentum Mundificans Stahlii.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Mercurii vivi,
Saturni, *ana unciam unam.*

Fluat plumbum in tigillo, cui adde mercurium, & ſpatula agita, quo uniantur, & fiat amalgama, quod, cum

Terræ tripolitanæ, *uncia una,*
ſubtiliſſime teratur. Qui pulvis
Unguenti albi camphorati, *unciis octo*
optime permiſceatur.

Ad efflorescentias cutis ſcabioſas, præſertim ſiccas & pruriginoſas, præmiſſis præmittendis, utile eſt, ſi vel immediate loco affecto inducatur, vel articulationibus manuum & brachiorum ſubinde affricetur. Ita SCHULZ. *p.* 423. *Vid. &* KLEINII Select. rat. Medic. *pag.* 313. *magna tamen circumſpectione hoc ipſo unguento utendum eſſe jure cenſeo.*

***

Unguentum Mundificativum de Apio.

Diſpenſ. Pariſ. CHARAS, *Tom. I. pag.* 382. *Lugd.*

℞. Foliorum recent. Apii, *libram unam.*
Nicotianæ,
Sempervivi majoris,
Solani, *ana ſemi libram.*
Abſinthii,
Agrimoniæ,
Betonicæ,
Chelidonii majoris,
Marrubii,
Millefolii,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Brunellæ,
Vincæpervincæ,
Summitatum Anagallidis,
Centaurii minoris,
Scordii,
Veronicæ, *ana uncias duas,*
Radicum recent. Ariſtolochiæ clematit,
Cyperi longi,
Iridis noſtratis,
Scrophulariæ maj. *ana unc. duas.*
Aloës pulveratæ,
Myrrhæ ſelectæ contuſæ, *ana unciam unam.*
Olei Olivarum, *libras quatuor.*
Ceræ flavæ, *uncias duodecim.*
Sebi arietini, *ſemi libram.*
Reſinæ Pini,
Terebinthinæ claræ, *ana unc. quinque.*

Aloë & Myrrha in oleo, igne lento, diſſolvantur: Diſſolutis adde Sebum; dein projice Radices & herbas contuſas: Coquantur, ſæpius movendo, donec totus plantarum humor fere conſumtus fuerit. Poſtea colentur, & fortiter exprimantur. Expreſſo, fæcibus omnibus exemtis, adde Ceram, Reſinam & Terebinthinam. Coletur iterum, & perfectum erit unguentum.

Detergit & emundat ulcera ſordida; vulnera purgat, conſolidat, & ad decoram cicatricem perducit: dicitur etiam contra morſum canis rabidi admodum prodeſſe.

Ceterum conf. ſupra unguentum de Apio ſimplex, *quod pæne iisdem gaudet Virtutibus.*

Unguentum Mundificativum de Reſina.

CHARAS, Pharm. Reg. *T. I. p.* 383.

℞. Olei communis, *libram unam.*
Reſinæ,
Terebinthinæ,
Mellis communis, *ana libram ſemis.*
Ceræ flavæ, *uncias tres.*
Myrrhæ electæ,
Sarcocollæ,
Farinae Lini,
Fœnugræci,
Thuris,
Maſtiches, *ana unciam unam.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Iisdem pæne pollet Virtutibus, in repurgandis & ad ſanitatem perducendis ulceribus & vulneribus, ac præcedens de Apio, unguentum, operoſioris compoſitionis: quare & illi propter concinnam ſuam brevitatem & amœnam ſimplicitatem, commodiſſime ſubſtitui poteſt.

Unguentum Neapolitanum, *ſeu* Griſeum.

Diſp. Argent. Wirt. Paris.

℞. Mercurii crudi, *uncias quatuor.*

Tere-

Terebinthinæ clarae, *unciam unam ſemis.*

Probe miſceantur, ut Mercurius extinguatur, adde

Axungiae porcinae lotae, *unc. decem.*
Olei ſpicae, *drachmam unam.*

Uſus eſt in lue venerea, ad ſalivationem excitandam; modus applicandi e practicorum libris petendus. Vid. inprimis, poſt Cl. ASTRUC, *aliosque, Cl.* BARBEIRAC, *de* Med. Formul. *L. II. Cap.* 10. *pag.* 404. *ſqq.*

Unguentum Neapolitanum Collegii Lugdun.

Pharm. Lugd.

℞. Axungiae Suillae, ſucco Salviae lotae, *unc. decem.*
Hydrargyri extincti, *unc. ſex, aut octo.*
Pinguedinis Vituli, *unc. quatuor.*
Olei Chamaemeli,
Laurini,
Lumbricorum Terreſt.
Terebinthinae, ſucco Rad. Enulae, cum Aq. vitae extracto lotae, *ana unc. duas.*
Olei de Spica, *unc. unam.*
Theriac. Veteris, *unc. ſemis.*

Miſce, Fiat ex Arte, unguentum.

Unguentum Nervinum.

Diſp. Leid. Groning. Hag. Leod. Amſtel.

℞ Unguenti Altheaeae, *uncias octo.*
Axung Porci, *uncias quatuor.*
Oleorum Anethi,
Chamaemelini cocti,
Laurini,
Lumbricor. *ana unciam un. ſemis.*
Spiritus Vini, *uncias duas.*

Liqueſcant leni igne, & agitentur in unguentum, deinde frigide ſenſim admiſcendo:

Oleorum Petrae,
Spicae,
Terebinthinae, *ana drachm. ſex.*

Fiat lege Artis, unguentum.

Cujus potiſſimum uſus in paralyſi & atrophia Membrorum. Conf. ſupra, Emplaſtra nervina varia.

Unguentum Nervinum.

Diſp. Wirt. Prag. Vienn. Hamb. Brand. Argent. ex Auguſt.

℞. Herbarum Salviae,
Chamaepytis,
Majoranae,
Rorismarini,
Menthae,
Rutae,
Lavendulae,
Hyperici,
Paralyſeos, cum flore,
Florum Chamaemeli,
Meliloti,
Hyperici,
Summitatum anethi,
Baccarum Lauri,
Juniperi viridium, *ana drach. ſex.*

Inciſa & contuſa macerentur in
Olei Olivarum, *libra una,*
per aliquot dies; poſtea lento igne, ad humiditatis conſumtionem, coquantur, exprimantur & colentur. Colaturae adde

Terebinthinae Venetae, *unc. duas.*
Cerae citrinae, *unc. quatuor & ſemis.*
Olei Terebinthinae, *unciam unam.*
Lumbricorum cocti,
Laurini, *ana uncias duas.*
Benzoës, in unciis tribus ſpiritus vini rectificatiſſimi ſoluti, *unciam unam.*

Fiat unguentum,

Ad frigidos nervorum affectus, paralyſin & ſimiles commendatur.

Mm mm m

Unguentum Nervinum.

CHARAS, Pharm. Reg. *Part. I. p.* 369.

Diſp. Edinb. Lond.

℞. Foliorum Abrotani maris,
Majoranae,
Menthae,
Pulegii,
Rutae,
Sabinae,
Salviae,
Florum Chamaemeli,
Lavendulae,
Summitat. Hyperici,
Rorismarini, *ana unc. unam.*

Herbae recentes & contuſae, coquantur ad Humoris evaporationem in Olei e pedibus bovin. *libr. quinque.* Sevi bovini, *libris tribus.*

Tum fiat Colatura, cum expreſſione, cui adde:

Olei laurini, *libram ſemis.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Ipſa hæc concinna & egregia Compoſitio jam per ſe liquidiſſime oſtendit, quam apte commodeque conveniat huic quidem unguento ſplendidum illud Nomen, ut ſcilicet Nervinum appelletur.

Unguentum Nervinum.

GRIM. Laborat. Ceylon. *pag.* 69.

℞. Olei ſtillat. Fol. Cinnamom. *unc. tres.*
Radic. Cinnamomi, *uncias quatuor.*
Oſſ. Elephant.
Cornu Cerv. *ana drachmas tres.*
Olei Coct. Baccar. Cinnamom. *uncias tres.*
Cerae, ex Baccis Cinnamomi *libras duas.*

Miſceantur; Fiat lege Artis, unguentum.

Iſtud reſpectu Paralyſeos, podagræ; aut convulſoriarum tenſionum, atque ceterarum Nervorum infirmitatum, plus auxilii, unica die, quam quævis alia vulgaria, per unius hebdomadis, uniusque Menſis, integrum decurſum, præſtabit. Ita ibi, ipſe loquitur Grim, ſatis quidem magnifice & pæne hyperbolice; nec tamen prorſus ſine ipſius veritatis ſpecie. Magna enim, ut notum, roborandi & fovendi ineſt Virtus Remediis omnibus Cinnamominis, quæ hic ingenti quidem quantitate conjunguntur. Quid vero huc faciant Elephantorum rigida oſſa & ipſum adjectum Cornu cervi, in Nervis nempe externe juvandis & reficiendis; id equidem me vix ſatis capere, palam profiteor. Interea tamen nolo clariſſimo Auctori temere adverſari. Forte ſuas habuerit cauſſas, nobis quidem ignotas Ceterum nec hoc egregium Unguentum Nervinum Ceylonicum apud nos præparare licebit, propter defectum potiſſimum Cinnamomi; ſicut omnia fere Remedia Ceylonica, ob eandem præcipue cauſſam, apud nos in uſum publicum venire non poſſunt. Conf. ſupra dicta, ad Diaſcordium Ceylonicum, Theriacam Ceylonicam, Tincturam Bezoardicam Ceylonicam, & Emplaſtrum Cephalicum Ceylonicum, *item proxime, in antecedentibus*, Unguentum Carminativum Ceylonicum.

Unguentum de Nicotiana.

Diſp. Wirt. Vienn: Argent. Brand. Prag.

℞. Foliorum nicotianae, *libras duas.*
Succi nicotianae, *libram ſemis.*
Axungiae vel pinguedinis porci, *libram unam.*

Herba inciſa & contuſa, cum ſucco & adipe ſuillo, per noctem macerentur; mane lento igne, ad humi-

ditatis conſumtionem, coquantur, exprimantur, & colentur, addantur

Reſinae, *unciæ duæ.*
Cerae, *uncia una.*
Ariſtolochiae rotundae, ſubtiliſſime tritae, *unciæ duæ.*

Fiat unguentum.

Autor Laurentius JOUBERTUS, *in* Pharmacop. *miram huic unguento, in ſcrophulis diſſipandis, vim adſcribit; laudatur etiam ad ulcera, ad morphæam & tineam capitis; cutim a ſcabie ſanat. Vid.* SCHULZ. Praelect. *pag.* 424.

Unguentum Nihili ad Oculos.

Diſp. Wirt. Hamb.

℞. Tutiae praeparatae,
Nihili albi, *ana unciam unam.*
Coralliorum rubrorum praeparatorum,
Matris perlarum, *ana unciam ſemis.*
Camphorae, *drachmam unam.*
Pinguedinis porcinae mundatae, *libram unam.*

Fiat miſcendo unguentum.

Ad ophthalmiam, a ſero acri ſalſo, & dolores inde natos, conducit: quod de ſe ipſo gravi & pertinaci ophthalmia laborante, ingenue teſtatur Vit. RIEDLINUS, Lin. Med. *Ann.* 1695. *Menſ. Decembr. Obſ.* 26. *pag.* 456.

Unguentum de Nymphæa Cordiale.

Diſp. Brand.

℞. Florum recent. Aurantiorum,
Borraginis,
Bugloſſi,
Roſarum rubrarum,
Tunicae, *ana pugill. unum.*
Seminis Acetoſae,
Ocymi Caryophyllati,
Agollochi, *ana ſcrupulum unum.*
Santali citrini,
rubri, *ana ſcrupulos duos.*

Contuſa & conquaſſata, macera paululum

Olei e floribus Nymphaeae alba cocti, *unciis ſex.*

Poſtea igne leni coque ad exhalationem humiditatis: Quo facto, exprime & cola: denique in iſta Colatura diſſolve:

Olei deſtillati Corticum Citri,
Meliſſae,
Ligni Rhodii, *ana guttas octo.*
Camphorae, *ſcrupulum ſemis.*
Cerae albae, in aquae Nymphaeae lotae, *quantum ſufficit.*

Miſc. Fiat ex Arte, unguentum.

Ad Cordis Regionem, frontem, tempora, carpos, applicatur, in Lipothymiis, debilitate, febribus malignis. Ita SCHULZIUS, Praelect. *pag.* 420. *Conf. ſupra,* Unguenta Cardiaca & Cordialia, *in eundem uſum analepticum compoſita.*

Unguentum Nutritum.

Vid. ſupra
Unguentum de Lithargyrio.

Unguentum Oculare.

Diſp. Amſtel. Hag. Groning. Leid. Ultraject.

℞. Lapidis Calaminar. praeparat. *uncias tres.*
Tutiae praeparatae, *unciam unam.*
Vitrioli albi,
Camphorae, *ana ſcrupulos duos.*
Unguenti Roſacei, *libram unam.*

Miſc. Fiat ſecundum Artem, unguentum.

Unguentum Oculare,

Diſp. Edinb.

℞. Unguenti Tutiae, *uncias duas.*
Sacchari Saturni, *ſcrupulos duos.*
Vitrioli albi, *ſcrupulum unum.*
Camphorae, *ſemi ſcrupulum.*

Miſce, Fiat ſecundum Artem, unguentum.

Unguentum Oculare.

Diſp. Leod.

℞. Pompholygos,
Tut. praep. *ana unciam unam ſemis.*
Vitrioli alb. *unc. ſemis.*
Aq Roſar. *uncias duas.*

Seorſim pulv. Miſc. cum Butyro & Aqua: Coq. ſec. Art. ad Aquae praedictae conſumtionem: Fiat unguentum ad uſum: Sub finem adde

Camph. *unc. ſemis*, vel *drach. duas.*

Unguentum Oculare Keiſeri.

Diſpenſ. Amſtel.

℞. Butyri recentis inſulſi, *uncias duas.*
Tutiae praeparatae, *unciam ſemis.*
Camphorae, *drachmam unam.*
Viridis aeris, *grana duodecim.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Simile fere habet JUNCKERUS, *in* Conſpectu Formular. Med. *p.* 110.

Unguentum Ophthalmicum, *ſeu* Oculare.

a Celeb. Medico, H. SLOANE nuper publicatum. Ill GAUBIUS, de Formul. Med. pag 354.

℞. Tutiae praeparatae, *unciam unam.*
Lapidis Haematit. praep. *ſcrup. duos.*
Aloës lucidae praepar. *gr. duodecim.*
Margaritarum praepar. *gr. quatuor.*
Pinguedinis Viperin. genuinae, *quantum ſufficit.*

Terantur curioſe ſuper porphyrite, ac ſubigantur ad impalbabilem uſque pulverem ſubtilitatem, ut Fiat lege Artis, unguentum molle.

Tantillum hujus unguenti cum penicillo pictorum, oculo affecto affricetur, clauſisque mox palpebris. aliquamdiu retineatur, mane & veſpere.

Singulares plane virtutes in variis oculorum morbis feliciter curandis, huic ſuo unguento ophthalmico tribuit ill. Auctor, quas ipſe in longiore ſua vita, per diuturnum uſum, in innumeris fere ophthalmia laborantibus, fauſto cum ſucceſſu, expertus quondam fuit. Neque nobis ipſis ignota prorſus ſunt exempla, quae de eodem ſalutari ipſius effectu liquide teſtantur. Nec ſane eſt, quod quisquam in hac alioqui ſat concinna & appoſita compoſitione, jure reprehendat, niſi forſan dubius non nihil hæſerit circa exiguam atque parcam nimis Margaritarum doſin. Nulla enim, me quidem judice, juſta apparet ratio, quid grana duntaxat quatuor earum, reſpectu ad reliqua ingredientia habito, juvare magnopere poſſint, & quid contra ſcrupulus dimidius, aut grana duodecim, quindecim, plurave, nocere potuiſſent, ſi intrepide & ſecure adjecta fuiſſent. Verum hæc minima non curat prætor: & ubi plurima nitent in formula; haud ego paucis offendor maculis.

Unguentum Pectorale.

Diſp. Wirt. Lond. Vienn. Hamb.

℞. Olei Amygdalarum dulcium, *uncias quatuor.*
Chamaemelini,
Violati, *ana uncias tres.*
Butyri recentis, *uncias ſex.*

Pinguedinis Gallinae,
Anatis, *ana uncias duas.*
Ireos Florentinae, *drachmas duas.*
Croci, *drachmam ſemis.*
Cerae albae, *uncias tres.*

Cera & pinguedine in oleis liquatis, poſtea addito Ireos & croci pulvere, fiat unguentum.

Commendatur in pleuritide, ad tuſſim & difficilem reſpirationem infantum.

Unguentum Pectorale, *ſeu* Antipleuriticum.

BOERHAAVE Mat. Med. *pag.* 150. & GAUB. *pag.* 353.

℞. Unguent. Popul.
Althaeae,
Nutriti, *ana unciam unam.*
Camphorae, *drachmas duas.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, unguentum.

Hoc calido Latus dolens, ter de die, inungatur, ſuperponendo dein Fomentum, a BOERHAAVIO, *pag.* 120. & GAUBIO, *pag.* 256. *deſcriptum, quod ſcil ex Foliis Malvæ, Biſmalvæ, Parietariæ, papaveris hortenſ. Hyoſcyami, & Floribus Sambuci, Chamæmeli & Meliloti, lacti dulci incoctis, &c. conſtat. Utrumque vero in ſæviſſima pleuritide mitiganda, egregium uſum & ſperatum ſucceſſum ſæpius præſtitiſſe, læti adhuc recordamur.*

Unguentum Pectorale.

FULLER. Pharm. Extemp. *p.* 379.

℞. Cerae flavae, *drachmas ſex.*
Spermatis Ceti,
Olei Macis expreſſ. *ana drachm. duas.*
Amygdal. dulc. *uncias tres.*
Nucis Moſchatae, *guttas ſedecim.*
Caryophyllorum, *guttas octo.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Quod ejuſdem eximii uſus eſt, cum præcedentibus Compoſitionibus, quas vide. Conf. ſupra, Emplaſtrum pectorale.

Unguentum Pectorale Gaubii.

Ad Tuſſim, ex perfrigeratione, ortam, pro infante. Method. Concinnandi Formulas, pag. 352.

℞. Emplaſtri de Spermate Ceti, *unciam ſemis.*
Cerati e Cumino, *drachmas tres.*
Olei Nucis Myriſticae expreſſi, *drachmas duas.*
Amygdalar. dulc. recent. *unc. duas ſemis.*

Leni Calore colliquefactis, Fiat, ſecundum Artem, unguentum.

Mane & Veſpere, pectus tantillo hujus unguenti calidi, inungatur & leniter fricetur; tum charta cærulea contegatur. Egregium utique hoc eſt unguentum.

Unguentum Pectorale, *ſeu* Litus Antipleuriticus.

CHARAS, Pharm. Reg. *T. I. p.* 369. *Diſpenſ. Edinb.*

℞. Unguenti Dialthææ, *uncias duas.*
Spermatis Ceti, *unciam ſemis.*
Olei Macis, per Expreſſ. *drach. duas.*
Amygdalar. dulcium, *unc. unam.*
Stillatit. Aniſi,
Rorismarini, *ana drachm. ſemis.*

Liqueſcant ſimul unguentum dialthææ, Sperma Ceti, cum oleo Amygdalar. dulc. deinde ab igne remotis addantur olea ſtillatitia & Macis, ut

denique fiat ſecundum Artem, unguentum

Intolerabiles ſæpe lateris affecti dolores illico mitigat ac temperat, ipſius cutis ariditatem tollit, & quidquid congeſtum & impactum ibi hæret, promte reſolvit. Sed hæc omnia haud dubie quoque præſtaret egregium hoc unguentum, etiamſi abeſſent olea illa ſtillatitia valentiora, una cum oleo Macis, quæ quid huc potiſſimum faciant, equidem ſat bene perſpicere haud valeo. Ceterum alia ejusmodi unguenta paregorica antipleuritica ſimpliciora & paratu faciliora, propoſuimus olim in Lib. noſtro, de Pleuritide, *C IV. pag. 53. ſqq. Conf. ſupra, ſuo loco,* Emplaſtrum Antipleuriticum.

Unguentum Pediculorum.

Diſp. Wirt. Brand. Hamb.

℞. Seminis ſtaphidis agriæ, *uncias duas.*
Hellebori albi, *unciam unam.*
Argenti vivi, *uncias duas.*
Pinguedinis porcinæ, *libras tres.*
Olei laurini, *uncias ſex.*
Saponis Veneti, *uncias tres.*

Sapo in lixivio ſolutus, cum pinguedine, coquatur, ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, poſtea oleum Laurinum & pulveres, tandem Mercurius cum
Terebinthinæ Venetæ, *uncia una,*
addantur.

Fiat unguentum.

Uſum titulus indicat. Cautiſſime tamen hic procedendum; inprimis, ubi forte Caput ulceroſum, aut fœdis cruſtis, ex tetra pediculorum pullitie ortis, Obſitum, in medelam, inungendum fuerit: Tum enim ſæpius atrociſſima mala exinde oborta fuiſſe, probe novimus. Conf. ſi placet. Diſſ. noſtr. *de* veritate paradoxi Hippocrat. *pag. 14. ſqq. ibique laudatos Auctores.*

Unguentum ad Pelliculas Oculorum.

HOFFMANN. ad POTERI Pharm. Spagyr. *pag.* 480.

℞. Tutiæ præparatæ, *drach. ſemis.*
Vitrioli albi, *grana decem.*
Florum Antimonii, *grana ſex.*
Salis Ammoniaci, *grana ſeptem.*
Camphoræ, *grana quatuor.*
Pinguedinis Viperar. *drachm. unam.*
Axungiæ ſuillæ, ſive unguenti pomati, *unciam ſemis.*

Miſc. & Fiat lege Artis, unguentum, cui & addi poteſt Amiantus.

Uſus eſt, præmiſſis purgantibus Mercurialibus, in Maculis, item Cataracta Oculorum. Conf. ſupra, Unguenta ocularia, & ophthalmica.

Unguentum Piperinum.

Pharm. Batean. pag. 191.

℞. Pulv. Rad. Enulæ,
Florum Sulph. *ana uncias duas.*
Piperis nigri, *unc. unam ſemis.*
Unguenti Roſati, *unc ſedecim.*
Olei Ligni Rhodii, *ſcrupulos duos.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Quod contra Scabiem, pruritum, & turpes cutis maculas, elegantiſſimum & præſtantiſſimum.

Unguentum Pleuriticum.

Diſp. Vienn.

℞. Unguenti dialthææ, *libram ſemis.*
Axungiæ Muris montani, *uncias quatuor.*
Ceræ citrinæ,
Olei Lini, *ana uncias tres.*

Croci Auſtriaci, *drachmas duas.*
Olei Chamæmeli,
Cumini,
Ceræ; ana deſtillat. *drachm. unam.*
Miſc. ut fiat unguentum, in dolore pleuritico ſedando, utile.

Unguentum Pleuriticum.

BARBETTE, Prax. *pag.* 78.

℞. Unguenti Althææ compoſ.
Pectoralis, *ana unc. ſemis.*
Olei Seminis Papaveris,
Liliorum albor. *ana drachm. tres.*
Myrtillorum,
Roſac. *ana drachmas ſex.*
Miſc. in unguentum, ſeu Linimentum, *quod ejuſdem eſt efficaciæ, ac dolores acutos blande obtundit & demulcet. Sed nec ſequens eſt hic omittendum, quod præſertim inter Topica antipleuritica, excellere, prædicat itidem in Notis Deckers.*

Unguentum Pleuriticum Deckerianum.

℞. Unguenti Althææ compoſ. *unciam unam.*
Olei Amygdal dulc.
Roſar. *ana drachmas duas.*
Liliorum alb
Papaveris expreſſi,
Hyoſcyami expreſſ. *ana drachmam unam ſemis.*
Still. Chamomillae,
Cumini,
Philoſoph. *ana ſcrupul. unum.*
Camphoræ, *drachmam ſemis.*
Miſc. Fiat lege Artis, *unguentum paregoricum & anodynum in pleuritide.*

***

Unguentum Pleuriticum.

FULLER. Pharm. Extemp. *p.* 380.

℞. Unguenti Dialthææ, *uncias duas.*
Olei Lini, *unciam ſemis.*
Cymini, *drachm. ſemis.*
Camphorae, *ſcrupulum ſemis.*
Spiritus Salis Ammon. *drach. unam ſemis,*
Miſc. Fiat lege Artis unguentum.
Cujus uſum Titulus ipſe indicat; Conf. ſupra Emplaſtra antipleuritica, *& Libell. noſtr. de* pleuritide, *ubi plura de ejusmodi Topicis antipleuriticis.*

Unguentum Pleuriticum.

SYDENHAM. de Pleurit. *pag.* 294.

℞. Unguent. Popul.
Althææ,
Pomat. *ana unc. unam.*
Ol. Amygdal. dulc. *uncias tres.*
Eſt laxans, mitigans & ſopiens, in pleuritide quo latus affectum, mane & ſero, diligenter inungendum.

Unguentum Podagricum.

FULLER. Pharm. Ext. *pag.* 380.

℞. Saponis nigri, *uncias quatuor.*
Piſſelæi Indici,
Mellis liquidi, *ana unc. unam ſemis.*
Album. Ovi, *No. unum.*
Miſc. Fiat lege Artis, unguentum, *ſed cum ſumma cautione adhibendum, ut omnia topica antipodagrica, uti ſupra jam monuimus, ad Emplaſtra contra Podagram, & alibi paſſim in hoc opere.*

Unguentum Podagricum Singulare, Frid. Deckers.

℞. Terebinth. Venet: optime lotæ, *drachmas tres.*

Smegmatis Amſtelodam. *unc. ſemis.*
Vitell. ovor. *No. tres.*
Salis optime contuſ & lævigat. *drachmas duas.*
Croci optimi, *drachmam unam.*

Fiat diu conquaſſando & miſcendo unguentum, ſuper bubula polita, pumiceque complanata, extendendum, & ubi opus, ac ſecurum, dolenti pedi applicandum. Vid. *Tabul. Smaragd.* pag. 458.

Unguentum Pomatum.

Diſp. Brand.

℞. Caryophyllorum, *drachmas duas.*
Cinnamomi, *drachmas tres.*
Maceris, *ſcrupulos duos.*
Florum Lavendulæ, *drachm. unam.*
Gummi Benzoës electi,
Storacis Calamit. *ana drachm. tres.*
Ligni Aloës, *drachmas duas.*
Rhodii, *drachmam unam.*
Saſſafras, *drachmam ſemis.*
Radic. Ireos Florent. *unciam unam.*

Contuſa ſacculo lineo mundo inſuantur, & vaſi terreo optime vitreato imponantur, quibus adde
Aquæ Roſar. fragrantiſſimæ, *libram ſemis.*
Pinguedinis porcinæ recentis, *bis, terve.*
Aqua ſimplici lotæ, *libram unam.*
Pulpæ pomorum dulc. odorat. *unc. ſex.*
Sevi hircini recentis ac loti, *uncias quatuor.*

Coquantur igne leni, aliquantiſper, tum ab igne ſemota, ſtent tres quatuorve dies, in digeſtione & maceratione: poſt iterum ad humiditatis uſque evaporationem, igne leni coquantur; tunc colentur

Colatura refrigerata agitetur diligenter Aqua roſacea fragranti, donec albeſcat: denique adde:
Olei Ligni Rhodii, *guttas viginti*
Ac diligentiſſime Miſce, ut fiat ex Arte, unguentum.

Ad Labiorum fiſſuras ſanandas, decoremque Cuti conciliandum, expetitur. Qui Fuco delectantur ſolent Magiſterium Maccaſitæ huic unguento permixtum, faciei illinere, frictioneque in poros impellere, ut inde candidiores evadant. Ita SCHULZIUS, *in* Praelect. *pag.* 425.

Ceterum plura ejusmodi unguenta pomata ſuaveolentia in Diſpenſatoriis Pharmaceuticis, pæne omnibus, paſſim occurrunt; quæ, ubi commodum, opusque fuerit, inde petantur. Hæc vero interim Speciminis loco, ſufficiant. Præſtat enim meliora potius afferre, quam omnia, nullo prorſus delectu habito.

Unguentum Pomatum.

Diſp. Vienn.

℞. Axungiæ porcinae recentis, cum pomis Citri & Aurantiorum ana duobus, & pomis Borſtorffienſibus quatuor, ad humiditatis conſumtionem, coctæ & colatæ, *libras tres.*
Olei deſtillati Benzoës,
Cinnamomi,
Styracis, *ana guttas decem.*
Caryophyllorum,
Ligni Rhodii, *ana guttas viginti.*
Miſceantur, ut inde fiat unguentum.

Ad fiſſuras Oris, & Cutis decorem conciliandum commode adhibetur.

***

Unguen-

Unguentum *ſive* Pomatum Florum Naphæ, Pharm. Paris. pag. 138

Diſpenſ. Wirt.

POTER. Pharm. *pag.* 483.

℞. Adipis ſuilli, puri, *libras quinque.*
Florum Aurantiorum recentium & integrorum, *libras ſex.*

Indantur fictili vaſi, probe vitreato, atque Balneo Mariæ per unam aut alteram horam, ad digeſtionem, committantur. Exprimantur, & ut cito citius refrigeſcat, & adeps concreſcat, in cellam reponatur.

Repetatur proceſſus tertia vice, adipi recentes flores addendo; ultima tamen unciæ quatuor florum ſufficiunt. Tandem feces ab unguento vel pomato ſeparentur, & aquæ florum naphæ fragrantiſſimæ unciæ octo addantur, liquatum cum aqua unguentum ſupernatans, caute ſeparetur, atque ab omni humiditate liberum, reponatur.

Pari methodo ex aliis floribus odoratis, jasmino, lavendula, roſis &c. unguenta fragrantia parari poſſunt.

Uſus omnibus eſt notus, cosmeticus, & ad capillamenta & capillos inungendos.

Unguentum Pomatum.

Diſp. Hamb.

℞. Pinguedinis Suillæ, *libras tres.*
Radic. Ireos conciſar. *unciam unam.*
Florum Roſarum albarum recentium,
Pulpæ Pomorum dulcium, *ana libram ſemis.*

Coquantur invicem, ad humiditatis exhalationem; Tum colentur & exprimantur. Denique in pinguedine expreſſa liquefiant;

Ceræ albæ, *unciæ quatuor*, vel *quantum opus.*

Multum diuque agitentur, ut adquirant albedinem expetitam, in fine tandem addendo:

Olei Ligni Rhodii, *drachmam unam.*
Corticum Citri, *ſcrupulos duos.*
Lavendulæ, *ſcrupulum unum.*

Miſceantur: Fiat lege Artis, unguentum.

Parum diſtat a ſuperiore; hinc & ejusdem eſt uſus, tam medici, quam coſmetici.

Unguentum Dia Pompholygos,

Diſp. Lond. Wirt. Lugd. Meſſan.

℞. Olei roſarum, *uncias ſex.*
Cerae albae,
Succi baccarum Solani, *ana uncias quatuor.*
Ceruſſae optime tritæ, *uncias duas.*
Plumbi uſti,
Pompholygos, ſive Nihili albi,
Thuris electi, *ana unciam unam.*

Oleum roſarum, cum ſucco baccarum ſolani, ad humiditatis conſumtionem, coquitur, & in colatura cera diſſolvitur, quibus refrigeratis, reliqua, in ſubtiliſſimum pollinem trita, admiſcentur.

Commendatur ad ulcera exſiccanda atque conſolidanda. A nonnullis etiam ad ophthalmiam adhiberi ſolet.

Unguentum Populeum.

Pharm. Reg. CHARAS, *P. I. p.* 360.

Wirt. Vienn. Brand.

℞. Oculorum, ſive gemmarum Populi arboris recentium, *libram un. ſemis.*
Pinguedinis porcinæ depuratæ, *libras quatuor.*

Oculi contundantur & macerentur in pinguedine, donec ſequentes herbæ per æſtatem colligi queant, ſcilicet.

℞. Cymarum rubi tenerrimarum,
Foliorum Papaveris albi,
Hyoſcyami,
Bardanæ, cum radicibus,
Solani,
Lactucæ,
Herbarum Violariæ, *ana uncias tres.*
Sempervivi majoris, *uncias quatuor.*
Sempervivi minoris, *uncias tres.*

Herbæ contundantur, & miſceantur cum oculis Populi & pinguedine, deinde coquantur lento igne, ad humiditatis aqueae conſumtionem, colentur & exprimantur.

Eſt paregoricum, refrigerans & emolliens; commendatur ad hæmorrhoidum dolores, ambuſta, lac in mammis coagulatum diſſolvendum, linteis impoſitum, & in febribus, ſi temporibus, plantis pedum & pulſibus manuum applicetur, ſomnum conciliare perhibent. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 425. & CARTHEUSER. Pharmacol. *pag.* 710.

Unguentum Purpureum Wurzii.

Diſp. Brand. Wirt. Vienn. Prag. Argent.

℞. Terrae Vitrioli dulcis, *uncias duas.*
Viridis Aeris, *drachmas decem.*
Aceti vini, in quo
radices Scrophulariae,
folia Plantaginis, &
Folia Chelidonii majoris, recentia,
ſingulorum, *drachmæ tres.*
per aliquot dies macerata, ac poſtea expreſſa fuerint, *uncias quinque.*
Mellis deſpumati, *uncias octo.*

Inſpiſſentur leni igne, continuo agitando, ad mellis conſiſtentiam.

Convenit cum Aegyptiaco unguento; commendatur ad gangrænam & ſphacelum, ulcera putrida ſinuoſa, & carnem luxuriantem auferendam. Vid. SCHULZ. Prælect. *pag.* 421.

Unguentum ad Ranulam Linguæ.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Pulv. Viridis Aeris,
Aluminis ſaccharat. *ana unc. unam.*
Mellis deſpumati, *quantum ſatis.*

Fac molle unguentum, vel potius, Linimentum. Cujus uſus ex ipſa denominatione declaratur.

Unguentum Refrigerans.

FULLER. Pharm. Extemp. *pag.* 381.

℞. Sacchari Saturni, *drachmas tres,*
quod ſolve in
Aquae Spermatis Ranar. *drachm. ſex.*
Unquent. Roſat *uncias tres.*

Miſc. Fiat ex Arte, unguentum.

Pro dorſi dolore, æſtu, & pruritu. Conf. infra Unguenta Saturnina.

Unguentum Renale.

FULLER. ibid. *pag.* 381.

℞. Unguenti Popul. *unciam unam ſemis.*
Olei Scorp.
Succi Limon. *ana unciam ſemis.*
Opii, *ſcrupulum unum.*
Camphorae, *ſcrupulum ſemis.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Ad Dolores Nephriticos levandos perquam utile.

***

Unguentum Reſumtivum.

Diſp. Brand. Wirt. Lond. Prag.

℞. Seminum Lini,
Altheae,
Fœnu graeci,
Gummi Arabici,
Tragacanthae, *ana drachmas duas.*
Macerentur & bulliant in
Aquae ſimplicis, *libra ſemis,*
eliciatur mucilago, quae cum
Butyri recentis, *libra dimidia.*
Pinguedinis ſuillae,
Gallinae,
Anſeris,
Anatis, *ana unciis duabus.*
coquantur, ad humiditatis aquoſae conſumtionem, poſtea addantur
Sevi hircini, *uncia ſemis.*
Olei Violarum.
Chamaemeli,
Amygdalorum dulcium, *ana unciæ duæ.*
Medullae vituli, *libra ſemis.*

Fiat, ſecundum Artem, unguentum.

Hecticis, pleuriticis, & tabidis, e longo morbo reſurgentibus, membris a luxatione, vulneratione & fractura rigidis, conducit. Vid. SCHULZ. Praelect. *pag.* 426. & Foreſt. Obſ. 21. *Lib. XVI. pag.* 123.

Unguentum Roſatum.

Diſpenſ. Wirt.

℞. Axungiae porcinae albiſſimae, *libr. unam.*

Lavetur aliquoties Aqua roſarum fragrantiſſima, adde
Florum roſarum albarum, contuſarum, *uncias quindecim;*
coque lento igne, ad humiditatis conſumtionem, colentur & addantur
Olei roſarum veri deſtillati, *gr. tria.*
Miſce,

Ad hæmorrhoidum dolores, & unguento infrigidanti & anodyno ſubſtitui poteſt.

Unguentum Roſatum Simplex.

Diſp. Vienn. Wirt. & reliq.

℞. Axungiae porci albiſſimae, *libram unam.*

Lavetur ſaepius aqua roſarum odoratiſſima, donec albiſſimum & odoratum fuerit unguentum; adde
Olei ligni Rhodii, *guttas duodecim.*

Uſus eſt ad capillos & capillamenta inungenda, quo pulvis ex amylo facilius adhæreat.

Unguentum ad Ruborem & Puſtulas Oculorum Mercklini,

Tab. Smaragd. pag. 459.

℞. Butyri recent. inſulſ. in Aqua Euphrag. aliquoties loti, *unc. unam ſemis.*
Tutiae praeparatae, *dr. unam ſemis.*
Camphorae, *drachm. ſemis.*
Miſc. Fiat inde unguentum.

Conf. ſupra, Unguenta Ocularia, & ad Pelliculas Oculorum.

Unguentum Rubrum, ad Labia Oris.

Diſp. Wirt. in aliis vix occurrit.

℞ Radicum Alkannae, *unc. un. ſemis.*
Cerae albae, *drachmas ſex.*
Olei amygdalorum dulcium recens expreſſi, *uncias duas.*
Vini rubri, *uncias tres.*

Radices minutim inciſae in vino rubro macerentur, his adde oleum amygdalorum, & leniſſimo igne, ad

humiditatis conſumtionem, in vaſe terreo vitreato coquantur; addatur ſub finem cera alba, exprimantur, & in aquam roſarum effundantur. Refrigerata denuo, leniſſimo igne liquentur,

Olei cinnamomi *guttæ decem* addantur, & in capſulas papyraceas, ſicut ceratum citrinum, effuſa, in vitro probe clauſo ſerventur.

Ad fiſſuras labiorum a calore nimio interno, vel a frigore ortas, mulierculæ utuntur, & nocte, ante cubitum, labia oris eo illiniunt.

Unguentum Rubrum Potabile.

Diſpenſ. Wirt.

℞. Radicum Alkannæ, *libram unam.*
Vini rubri odorati, *libram ſemis.*

Macerentur per dies aliquot, loco frigido, cum

Butyri majalis recentis, non ſaliti, *libris ſex.*

Coquantur leni igne, ad conſumtionem humiditatis, colentur & exprimantur.

Commendatur iis, qui ex alto ceciderunt, ſanguinem ſpuentibus, & tuſſi ferina vexatis, atque ad ſanguinem intus coagulatum, a contuſione, reſolvendum. Vid. SCHULZ. *p.* 425. & CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 699.

Datur ad unciam unam, cum juſculo cereviſia, calidis.

Unguentum Rubrum Potabile.

Diſpenſ. Vienn.

℞. Butyri recentis, non ſaliti, *libr. ſex.*
Fibrarum Rubiæ Tinctorum,
Radic. Tormentillæ, *ana uncias tres.*

Bulliant invicem, in vini rubri odorati ſufficienti Quantitate, ad ejus conſumtionem; colentur, & facta Expreſſione, addendo denique,

Spermatis Ceti, *uncias tres.*

Fiat ſecundum Artem, unguentum.

Ad concretum ſanguinem reſolvendum, in contuſionibus, & aliis internis vulneribus, tam intus, quam extra, adhibetur.

Operoſior hujus unguenti rubri potab. compoſitio extat in Diſp. Brand. & Ratisbon. & *alia, quæ, neſcio quare, Caſtoreum adjectum habet, in* Diſpenſ. Hamb. *alia denique, quæ panacea illa Helmontiana, ſanguine inquam hircino ditata, niſi forſan rectius, inquinata eſt, occurrit in* Argent. & Prag. & *alibi. Sed quo ſimpliciores hujus unguenti potabilis ſunt compoſitiones, eo meliores; quo operoſiores autem, eo faſtidioſiores & inſuaviores. Hinc ſuperius propoſita mihi omnium optima videtur.*

Unguentum Salino Volatile.

FULLER. Pharm. Ext. *pag.* 381.

℞. Saponis Venet. raſ. *uncias duas.*
Olei Caſtor.
Spiritus Vini Camph. *ana drach. tres.*
Olei Juniperi, *drachmam unam.*
Spiritus Salis Ammon. *drachm. duas.*

Miſc. Fiat ex Arte, unguentum.

Ad dolores arthriticos, Rhevmaticos, & ſimiles Articulorum affectus.

Unguentum Sambucinum.

Diſp. Lond. Argent.

℞. Florum Sambuci, plene in petala expanſor. *libras quatuor.*
Sevi ovilli curati, *libras tres.*
Olei olivarum, *libram unam.*

Sevo cum oleo, liquefacto, in-

coque flores, donec fere criſpentur; deinde Cola exprimendo, Fiat lege Artis, unguentum.

Cujus præcipue virtus valet ad Ambuſta lenienda & blande refrigeranda. *Conf. ſupra*, Unguenta ad Ambuſta. *Vid.* BLOCHWITII Anatom. Sambuci, *Sect. II. pag.* 41. *ſqq.*

Unguentum Santalinum.

Diſp. Vienn. Wirt. Brand.

℞. Santali albi,
citrini, *ana drachmas ſex.*
rubri, *drachmas decem.*
Florum Papaveris erratici recentium, *unciam unam ſemis.*
Roſarum rubrarum recentium, *uncias duas ſemis.*
Macerentur in
Olei roſacei, *libra una.*
Vini albi unciis quatuor, per biduum; poſtea, ad conſumtionem humiditatis, leni igne coquantur, exprimantur & colentur. Expreſſis adde
Boli Armenæ, in pulverem ſubtiliſſimum tritæ,
Ceræ albæ, *uncias tres.*
Camphoræ, *drachmas duas.*
Fiat unguentum.

Virtute gaudet refrigerante & roborante; hepati & lieni a veteribus dicatum eſt.

Unguentum Saponaceum.

FULLER. Pharm. Ext. *pag.* 381.

℞. Saponis Caſtilian. *unc. unam ſemis.*
Olei Tartari per deliq *unc. unam.*
Terræ Cimol. *drachmas tres.*
Radic. Hellebori albi,
nigri, *ana drachm. unam ſemis.*
Unguenti Sambucini, *uncias duas.*
Miſc. Fiat ſecundum Artem, unguentum.

Ad Faciei cutisque Maculas, puſtulas, ſcabiem, & quascunque fœditates. Conf. ſupra, Unguentum de Bills, Unguenta pomata & *alia.*

Unguentum de Sapone, Cratonis.

Tab. Smaragd. pag. 460.

℞. Saponis Veneti, *libram ſemis.*
Olei Baccarum Juniperi, *unc. unam.*
Pulv. Seminis Erucæ, *drachm. ſex.*
Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Multum laudatur ab Auctore in Paralyſi, & contra Membra tabida, ac vigore deſtituta.

Unguentum Saturninum, *vulgo* Balſamum Univerſale.

Diſp. Edinburg.

℞. Lithargyrii aurei,
Minii, *ana libram unam.*
Aceti, *libras quatuor.*
Coque ad medias, & Cola: Reſiduo affunde,
Aceti tantundem,
Coquendo & colando, ut prius, idque repetatur ad ſextam vicem. Colaturæ omnes commixtæ in vaſe fictili vitreato, evaporent, ad Conſiſtentiam Extracti,

℞. hujus Extracti,
Ceræ albæ, *ana uncias tres.*
Olei Olivarum, *libram unam.*
Miſc. Fiat unguentum ſecundum Artem.

Habet easdem mitigandi, refrigerandi & exſiccandi virtutes. Convenit præterea & compoſitionis, & uſus ratione, cum Unguentis de Lithargyrio, item

de Minio, & Albo ſimplici, de quibus ſupra, ſuis locis.

Unguentum Saturninum.

Diſpenſat. Lond.

℞. Olei olivarum, *libram dimidiam.*
Ceræ albæ, *ſeſcunciam.*
Sacchari Saturni, *drachmas duas.*

Saccharum Saturni, in pulverem ſubtiliſſimum redactum, cum aliqua olei parte, contere: deinde Ceræ, cum oleo reliquo liquefactæ adde: & tum agitetur Mixtura, donec penitus refrixerit. Fiat ſecundum Artem, unguentum.

Iisdem pæne inſervit uſibus, in mitigandis & blando frigore permulcendis ferventibus Ambuſtionibus: Commendatur præterea, etiam ad ſordida, vetera & calloſa ulcera emundanda & conſolidanda. Sed tum, meo certe conſilio, cautius & circumſpectius adhibendum, propter illud ſuſpectum Saturni Saccharum, cujus uſus tam internus, quam externus, nunquam tutus aut periculo omni vacuus. Vid. ſuperius dicta, ad Acetum, *ut &* Balſamum Saturni. *Conf. ibidem* Emplaſtrum Saturninum Mynſichti, *& ſupra* Unguentum Refrigerans.

Unguentum ad Scabiem.

Diſp. Wirt. in reliquis deeſt: Sed alia ſubſtituuntur.

℞. Terebinthinæ, in Aqua roſarum lotæ, *uncias duas ſemis;*
Solvantur
Vitellis ovorum, *numero tribus,*
adde
Butyri recentis, *uncias ſex.*
Olei laurini, *unciam unam.*
Styracis liquidæ, *unciam ſemis.*
Mercurii præcipitati albi, *dr. duas.*
Ceruſſæ Venetæ optime pulveriſatæ, *unciam unam.*

Miſce exactæ, ut fiat unguentum.

Uſum titulus indicat. Inungantur hoc unguento vel articulationes in brachiis, manibus & pedibus, vel puſtulæ ſcabioſæ ipſæ; ſufficit pro una vice drachmam omnibus inungere. Conf. ſupra Unguentum Antipſoricum.

Unguentum ad Scabiem.

Diſp. Hamb.

℞. Pulv. Aluminis,
Baccarum Lauri,
Sulphuris Citrin. *ana libr. un. ſemis.*
Minii, *uncias quatuor.*
Axungiæ porci, *libras duodecim.*

Miſce, Fiat lege Artis, unguentum antipſoricum.

Unguentum ad Scabiem.

Diſp. Vienn.

℞. Axungiæ porcinæ, *libras tres ſemis.*
Olei laurini, *libram ſemis.*
Lithargyrii, *uncias novem.*
Florum Sulphuris ſimplic. *uncias quinque.*
Salis Nitri, *uncias duas.*
Olei deſtillat. Benzoin. *drach. unam ſemis.*

Lithargyrio cum Axungia ſoluto reliqua admiſceantur, ultimo addendo oleum Benzoin. & ſic fiat unguentum Uſus per ſe ex Nomine patet.

Unguentum ad Scabiem Zelleri.

Diſp. Wirt. in reliquis deſideratur.

℞. Unguenti roſati, *uncias tres ſemis.*
Mercurii præcipitati albi, *unc. ſemis.*
Miſce.

Proxime antecedentis uſum & vires æquat, odore vero gratius eſt.

Unguentum ad Scirrhum Lienis.

FOREST. Obſ. 8. Lib. XX. pag. 328.

℞. Oleorum Capparorum, *unc. unam.*
Lilior. alborum,
Amygdal. dulcium,
Chamæmelini cocti,
Butyri recentis, *ana unciam ſemis.*
Succorum Bryoniæ,
Cyclaminis, *ana unciam ſemis.*

Ebulliant olea ad conſumtionem ſuccorum; addendo:

Ammoniaci in Aceto ſolut. *drachm. duas ſemis,*
Pinguedinis Gallinæ,
Crurum Vituli,
Oeſypi humidi, *ana unciam ſemis.*
Corticum Radic. Tamaric.
Capparorum,
Ceterach,
Filicis, *ana drachmam unam.*
Seminum Agni caſti,
Geniſtæ, *ana ſcrupul. unum.*
Ceræ parum, ut fiat lege Artis, unguentum.

Magni pretii apud me habetur, inquit Auctor, quoniam multi eo feliciter curati ſunt Scirrho Lienis laborantes. Optime! Sed cur obſecro, tam exigua doſis Seminum Agni caſti & Geniſtæ? quid mali ex majore metuendum?

Unguentum Singulare Fuſcareni.

Tab. Smaragd. *p.* 461. BIERLING. *pag.* 126.

℞. Olei Olivar. bene matur. *libr. unam.*
Medullæ crurum bubul.
Reſinæ Pini,
Ceræ flavæ, *ana uncias duas.*
Butyri recent. inſulſi, *drachm. tres.*

Liquefiant omnia lento Igne; quumque liquefacta fuerit Medulla, removeto.

Miraculoſum eſſe experientia dicitur in Contuſionibus magnis ſanandis. Ex ipſa Turcia a Fuſcareno allatum traditur; quum tamen omnia in eo vulgaria ſint, domeſtica & ante pedes quaſi nata: Interim tamen uſu ſuo haud caret, & commendari meretur ob ſimplicitatem.

Unguentum Soleare.

Pharm. Bat. pag. 191.

℞. Radic. Allii contuſ. *uncias quatuor.*
Axungiæ, *uncias octo.*

Coq. ad Succi Conſumtionem: Fiat Expreſſio, tum adde

Croci pulverat. *drachmam unam.*
Spiritus Salis, *ſcrupulos duos.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Pro plantis Infantum inungendis, ad Tuſſim acrem mitigandam.

Unguentum Somniferum.

Diſp. Wirt. Brand. Hamb. Vienn.

℞. Unguenti alabaſtrini,
roſati, *ana unciam ſemis.*
populei, *uncias duas.*
Olei Hyoſcyami, *drachmas quatuor.*
Nuciſtæ expreſſi, *dr. unam ſemis.*
Opii Thebaici, in Aqua roſarum ſoluti, *drachmam unam.*
Croci Orientalis, *drachmam ſemis.*
Ceræ albæ, *unciam ſemis.*

Fiat unguentum.

Vires hujus unguenti titulus docet; temporibus & carpis, non ſine fructu, linteis applicatur. Conf. ſupra, Emplaſtrum Somniferum.

Unguentum Splanchnicum.

FULLER. Pharm. Extemp. *pag.* 382.

℞. Unguenti Dialthææ, *uncias duas.*
Gummi Ammon. col. *drach. ſemis.*
Olei Juniperi, *guttas viginti.*
Miſc. Fiat ſecundum Artem, unguentum.

Craſſos lentosque Humores, alicubi congeſtos, optime attenuat, & diſſolvit, atque ad Abdominis, & Hypochondriorum Tumores, apprime convenit.

Unguentum Splanchnicum,

Diſpenſ. Lond.

℞. Olei Capparum, *unciam unam.*
Liliorum alborum,
Chamæmelini,
Butyri recentis, ab agitatione,
Succi Bryoniæ,
Cyclaminis, *ana unc. ſemis.*
Coctis ad Succorum conſumt. adde:
Gummi Ammon. Aceto ſoluti, *drachm. duas ſemis.*
Pinguedinis Gallinæ,
Oeſypi,
Medullæ Cruris Vituli, *ana unc. ſemis.*
Pulv. Cort. Tamariſci,
Capparum,
Filicis,
Ceterach, *ana drachmam unam.*
Semin. Agni caſti,
Geniſtæ, *ana ſcrupul. unum.*
Ceræ, *quantum ſufficit*, ut Fiat lege Artis, unguentum.

Vires ſunt eædem, ac præcedentis, Unguent. Solear. *licet ſimplicioris Compoſitionis, Unguenti; quum hoc contra ſit operoſioris & copioſioris. Sed mox ibidem, pag.* 365. *ſequitur.*

Unguentum Splanchnicum Magiſtrale.

Quod, quoniam, paucis ſaltim exceptis, eiusdem pæne eſt compoſitionis, hincque ejusdem quoque uſus, ſtudio proinde hic a nobis omiſſum fuit, ne ſpatium, quod reſtat, dignioribus Remediis temere præriperetur.

Unguentum Spleneticum.

Diſp. Wirt.

℞. Radicum Filicis,
Ari, cum herba, *ana uncias duas.*
Foliorum Aſari,
Hyoſcyami,
Cicutæ,
Naſturtii aquatici, *ana unc. unam ſemis.*
Nicotianæ, *drachmas tres.*
Florum Chamomillæ,
Hyperici,
Geniſtæ,
Florum ſambuci, *ana unciam unam.*
Omnia contuſa macerentur cum Axungiæ ſuillæ, *libra una ſemis.* poſtea coquantur lento igne, ad humiditatis conſumtionem; expreſſo colato adde
Ceræ citrinæ, *unciam unam ſemis.*
refrigeratis adjunge
Gummi Ammoniaci,
Galbani ſubtiliſſime pulveriſati, *ana drachmas ſex.*
Olei deſtillati Cymini,
Anethi,
Ceræ, *ana drachmam unam.*
Reponantur ad uſum.

Utiliter adhibitur ad inflationes abdominis; duritiem & infarctum lienis & epatis, prodeſt hypochondriacis, ictericis, & flatibus vexatis; Hypochondria, lumbi

lumbi & totum abdomen, hoc unguento inungi debent.

Unguentum Spleneticum.

Diſp. Vienn. Prag.

℞. Pulv. Cortic. Capparum,
Tamariſci,
Herbæ Ceterach,
Seminis Cumini, *ana unc. unam.*
Gummi Ammoniaci,
Bdellii, ana Aceto ſcillit. ſolutor. *unciam unam ſemis.*
Olei Capparum,
Chamæmeli,
Anethi,
Ceræ Citrinæ, *ana uncias quatuor.*

Miſceantur lege Artis, in unguentum.

Virtutes ſunt calefacientes, emollientes, reſolventes, aperientes, & ſimul roborantes.

Unguentum Spleneticum.

Grim. Laborat Ceylon. *pag.* 70.

℞. Succ. Folior. Tabac. *uncias ſex.*
Sacchari Saturni,
Olei fœtidi Ligni Cannam. *ana unciam unam.*
Baccar. Cinnamomi, *uncias duas.*
Axungiæ porci, *uncias quatuor.*
Ceræ ex Baccis Cinnamomi, *libram unam.*

Miſceantur: Fiat ſecundum Artem, unguentum.

Iſtud duritiebus & Obſtructionibus Lienis efficaciſſime medebitur, exterius frequenter adhibitum, inquit ibi Auctor Grimius. *Neque dubium plane eſt, quin vera tradiderit ibidem, ipſe ejus uſum, ut probabile quidem videtur, aliquoties expertus. Sed apud nos ægre parari poterit hoc ipſum egregium unguentum, ob rationes nempe alibi paſſim in hoc noſtro opere, prolatas. Conf. ſupra, dicta, ad* Unguentum Carminativum, & Nervinum Ceyl.

Unguentum Spleneticum Aliud.

Bierling. Append. Med. *C. XXII. pag.* 135.

℞. Olei de Cappar. *unciam unam.*
Anethi, *drachmas ſex.*
Abſinth. *unciam ſemis.*
Amygdal. dulc.
amar *ana drachmas duas.*
Specier. diacymin. *ſcrupul. ſemis.*
Gummi Ammoniac.
Bdell. *ana drachmas duas.*
Trochiſcor. de Cappar. *drachmam unam ſemis.*
Ceræ parum.

Miſc. Fiat juxta Artem, unguentum.

Virtutes huic unguento, ſi quas habeat, ſunt eædem, quas præcedentibus eſſe, narratum fuit.

Aliud Unguentum Spleneticum, *operoſiſſimæ & diffuſiſſimæ Compoſitionis, vid. ſi lubet, in* Diſpenſat. Brand. *quod tamen laudatur a* Schulzio *in* Prælect. *pag.* 428.

Unguentum Splenicum.

Fuller. Pharm Ext. *pag.* 382.

℞. Gummi Ammon. col. *unciam ſemis.*
Ladan.
Balſ. Peruv. *ana drachmas duas.*
Adipis Gallinæ, *unciam unam.*
Olei Roſar. *uncias quatuor.*
Succi Cicutæ, *uncias tres.*

Coq ad ſucci conſumtionem, in unguentum ejusdem uſus.

Unguentum Stomachale.

Diſp. Wirt. Vienn.

℞. Herbæ Abſinthii,
Menthæ,
Salviæ, *ana uncias duas.*
Florum roſarum, *unciam unam.*
Olei olivarum, *uncias decem.*

Herbæ & flores, recenter conquaſſati, coquantur lento igne, ad humidi exhalationem, exprimantur, in expreſſo diſſolvantur

Ceræ citrinæ, *unciæ duæ.*

Miſceantur exacte; refrigeratis adde

Styracis liquidæ, *unciam unam.*
Olei deſtill. Menthæ,
Caryophyllorum,
Abſinthii, *ana ſcrupulum unum.*
Serventur.

Illinitur externe ventriculo & abdomini, ad vomitus & diarrhœas compeſcendos, ubi inſimul effectum carminativum præſtat.

Unguentum Stomachale Pretioſum.

Diſpenſat. Vienn.

℞. Olei Maſtichis,
Menthæ,
Cydonior. *ana unc. octo.*
Nucis Moſchat. expreſſ. *unc. duas.*
Pulv. Ligni Aloës,
Calami aromat.
Caryophyllorum,
Macis, *ana unc. unam.*
Balſami Ind. nigr. *unc. ſemis.*
Olei Caryophyll. *ſcrup. duos.*
Aniſi, *ſcrup. unum.*
Ceræ Citrin. *uncias octo.*

Ex permixtis, lege Artis, Fiat unguentum.

Pretioſi Nomen omnino meretur hoc unguentum, & quidem duplici ratione nimirum pretium habet ab ipſis pretioſis ingredientibus; & ab ipſis etiam præſtantibus virtutibus, quibus pollet in curandis variis ſupini ſtomachi querelis ac debilitatibus. Conf. ſupra Balſama, Emplaſtra *&* Epithemata Stomachica.

Unguentum de Styrace.

Diſp. Vienn. Paris.

℞. Styracis liquidæ,
Olei Nucum,
Gummi Elemi,
Ceræ Virgin. *ana uncias tres, drachmas tres.*
Colophonii, *uncias ſeptem.*

Miſce: & Fiat lege Artis, unguentum.

Vires in ulceribus ſcorbuticis emundandis, ipſo uſu opportuno, deprehenduntur.

Ceterum conf. ſupra Unguenta mundificativa *&* mundificantia, *ejuſdem nempe uſus.*

Unguentum Suppurativum, Thomæ Reineſii,

in BIERLINGII Append. Medicam. *Cap. XXII. pag.* 130.

℞. Butyri recent.
Olei Hyperic. *ana drachmas tres.*
Balſam. Sulph. Rulandi,
Maſtich.
Sarcocoll. *ana drachmam unam.*
Thuris,
Myrrhæ, *ana drachmam ſemis.*
Vitell. ovor. *No duos.*
Terebinth opt. *unciam ſemis.*
Unguent. Apoſtolor. *unciam unam.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

Ubi ad neceſſariam ſuppuratio-

nem, blande ſolicitanda ſunt ulcera, aut tumores materia viſcida, acri & incocta turgidi, emolliendi & ad maturationem, perducendi, hoc quidem egregium maximi Reineſii *Unguentum, eximium uſum præſtabit, & ſperato ſucceſſu vix carebit.*

Unguentum ad Tabida Membra.

Diſp. Wirt. Argent.

℞. Olei Laurini, *uncias tres.*
Juniperi,
Laterini, ſive Philoſophorum,
Caſtorei,
Spicæ,
Petræ rubri, *ana unciam ſemis.*
Axungiæ Caponis,
Cati ſylveſtris,
Anatis,
Anſeris, *ana unciam unam.*
Hominis, *unciam unam ſemis.*
Pulveris Euphorbii, *unciam ſemis.*
Aluminis plumoſi,
Herbæ ſabinæ, *ana drachm. duas.*
Saponis Veneti,
Spiritus vini rectificati, *ana uncias tres.*

Fiat, ſaponem in ſpiritu vini ſolvendo & cum reliquis commiſcendo, unguentum.

Ad ariduram partium, e cauſa frigida, commendatur; prodeſt paralyticis.

Unguentum ad Tabida Membra, *ſeu* Atrophiam.

Barbette, Chirurg. *pag.* 286.

℞. Summitatum Sabinæ,
Juniperi,
Folior. Leviſtici recent. *ana manip. duos.*
Flor. Chamomillæ,
Granor. Juniperi, *ana pugill. duos.*
Olei laurini,
Lilior. alb. *ana libram unam.*
Axungiæ Porcinæ, *uncias tres.*
Canis, *unciam unam ſemis.*
Aquæ Vitæ, *uncias duas.*

Coq. ad Conſumtionem Humiditatis, & Expreſſioni fortiter factæ ſtatim adde:

Olei Spicæ, *drachmas tres.*
Juniperi, *drachmam unam.*
Seminis Sinapi pulv. *unciam ſemis.*
Radic. Pyrethri,
Piperis longi pulv. *ana drach. duas.*
Ceræ flavæ, *quantum ſufficit.*

Miſc. Fiat lege Artis unguentum.

Quod inſignis plane eſſe Virtutis, ad membra tabida novo vigore imbuenda, ipſe expertus prædicat ibi Auctor & Inventor, Barbette.

Unguentum ad Tabida Membra, *ſeu* Atrophiam.

Fuller. Pharm. Extemp. *pag.* 377.

℞. Pinguedinis humanæ, *unciam unam.*
Olei Lauri, *unciam ſemis.*
Piperis albi, *drachmam ſemis.*
Euphorbii, *ſcrupulum unum.*
Aluminis plumoſi, Spiritu Vini ſolut. *unc. ſemis.*
Olei Juniperi,
Petrolei, *ana drachmam unam.*

Miſceantur, ut fiat lege Artis, unguentum.

Videatur Linimentum Aetii apud Riverium, Prax. *Lib. XVII. C. I. pag.* 540.

Quotidie fricetur Membrum tabidum, donec rubeſcat & intumeſcat; & tunc ceſſandum tantiſper a frictione.

Unguentum Tetrapharmacum.

Vid. ſupra
Unguentum Baſilicum Minus.

Unguentum Textoris.

De quo vid. ſupra, ſuo loco, ſub Emplaſtro Tonſoris.

Unguentum ad Ulcera Narium Maligna.

Morell. de Formul. Remed. *p.* 239.

℞. Unguenti albi,
Camphor.
Roſar.
Lithargyr. aut Tutiæ lotæ, *ana dr. unam.*
Plumbi uſti loti, *ſcrupulum unum.*
Olei Omphac.
de Vitell. Ovor. *ana drachm. duas.*
Ceræ, *quantum ſufficit.*

Miſceantur probe, in Mortario plumbeo, Fiat lege Artis, unguentum.

Valet ad ulcera narium & aliarum partium, maligna, item & ad Ambuſta; de quibus vid. ſupra.

Unguentum de Uvis.

Diſp. Brand. Wirt.

℞. Succi uvarum nigrarum minorum,
Aquæ roſarum fragrantis,
Butyri recentis, *ana uncias ſedecim.*
Ceræ flavæ odoratæ, *uncias quatuor.*

Coquantur lento igne, in vaſe figulino, ſpumam ſub coctura, cochleari ligneo, ſemper auferendo, donec ſpumare deſierit; effundantur refrigerata. Unguentum, ab adhærentibus fecibus mundatum, denuo leniſſimo igne liquetur, atque in patinas, vel vaſa porcellana, antea aqua roſarum humectata, effundatur. Refrigeratum inter chartas in ſcatula, loco frigido, ſervetur.

Refrigerat & leniter adſtringit; ad fiſſuras labiorum oris, mammarum papillas, hæmorrhoides & intertrigines adhibetur.

Unguentum Verbaſci.

Diſp. Vienn.

℞. Florum Verbaſci recent. *libram un. ſemis.*
Butyri recentis, non ſaliti, *libras duas.*

Inciſi Flores, cum Butyro, coquantur, colentur & exprimantur, ut inde rite Fiat unguentum.

Ad Teneſmum, *& dolores præcipue hæmorrhoidales mitigandos & diſcutiendos, bono ſucceſſu adhibetur.*

Conf. ſupra, Unguenta hæmorrhoidalia, *& præſertim* Oleum Florum Verbaſci.

Unguentum contra Vermes.

Diſpenſat. Wirtemberg.

℞. Radicum Filicis,
Bryoniæ,
Allii, *ana unciam unam ſemis.*
Herbarum Abrotani,
Abſinthii,
Tanaceti, *ana drachmas duas.*
Butyri recentis, *libram unam.*

Contuſa coquantur lento igne, ſub perpetua agitatione, ad humiditatis conſumtionem. Exprimantur, in expreſſo diſſolve

Ceræ flavæ, *unciam unam ſemis,* refrigeſcant; refrigeratis inſperge
Pulveris Aloës epaticæ, *unc. unam.*
trochiſcorum alhandal, *unc. ſemis;*

probe ſubactis adde

Fellis tauri, ad mellis conſiſtentiam inſpiſſati, *uncias duas.*

Serventur.

Abdomini inunctum, vel linteis applicitum, vermes enecat, expellit, & alvum laxat. Conf. ſupra Unguentum ad Lumbricos, *item* de Arthanita, & Aloëticum *nec non* Emplaſtrum contra Vermes, & Emplaſtrum Purgans Cnœfelii: *ut &* Emplaſtrum Umbilicale Purgans: *idem denique præſtat* Emplaſtrum Umbilicale, *deſcriptum ab* Harris, eximio, *de* Morbis Infantum, Libello, *pag.* 60, & *pag.* 111. *ut & ſupra jam notatum:*

Unguentum contra Vermes.

Diſp. Vienn. Argent.

℞. Ceræ Citrinæ, *uncias duas.*
Olei Abſinthii,
Amygdalar. amarar.
Abrotani,
Rutæ, *ana unciam unam ſemis.*

Liqueſcant invicem: dein addatur:

Pulv. Aloës hepat.
Corallinæ,
Semin. Cinæ,
Lupinorum,
Colocynthidis,
Herb. Tanaceti, *ana drachm. una.*

Et paretur inde unguentum: quod Abdomini inunctum, idem præſtat, ac præcedens. Ceterum aliud Unguentum contra Vermes, vid. in Diſp. Brand. & *ex hoc, in* Diſp. Ratisbon. *aliud quoque in* Diſp. Hamb. & Prag. *quod ſcil. eſt ex* Pharm. Aug. *Ref. vid.* & Renod.

***

Unguentum Viride Potabile.

Diſp. Hamb. Brand. Wirt.

℞. Herbarum recent. Abrotani,
Artemiſiæ,
Bellidis,
Betonicæ,
Fœniculi,
Hyſſopi,
Menthæ:
Matriſilvæ,
Millefolii,
Majoranæ,
Plantaginis,
Veronicæ,
Verbenæ,
Salviæ,
Rutæ, *ana unciam unam.*

Baccarum juniperi viridium, *uncias tres.*

Butyri recentis, non ſaliti, *libr. tres.*

Inciſa & contuſa miſceantur & coquantur cum butyro, leni igne, ad humiditatis evaporationem, exprimantur & colentur.

Tam externus, quam internus ejus eſt uſus; datur ex alto lapſis, parturientibus & vulneratis, cochlear unum aut alterum, cum juſculo; externe ad ſugillationes, & leniendos partium dolores, adhibetur.

Unguentum Viride Reginæ.

Diſpenſ. Vienn. Prag.

℞. Herbar. Chærefolii, *uncias tres.*
Salviæ,
Hederæ terreſtris,
Scabioſæ,
Farfaræ,
Marrubii,
Betonicæ,
Scolopendrii,
Fœniculi,

Herbar. Veronicæ,
Conſolidæ majoris,
Saracenicæ,
Alchimillæ,
Rutæ,
Millefolii,
Agrimoniæ,
Plantaginis,
Urticæ,
Hyſſopi,
Hyperici, *ana unciam unam ſemis.*
Limacum nigrorum,
Cancrorum fluviatilium, *ana No. quindecim.*
Butyri recentis, *libras decem.*

Coquantur ad humidi conſumtionem; colentur & exprimantur, ut lege Artis, fiat unguentum.

Et externe, & interne ruptis, convulſis, ex alto delapſis, catarrhoſis, aliisque pectoris affectibus laborantibus ſumme proficuum eſt.

Ceterum aliud ſic dictum Unguentum Viride Reginæ proſtat in Pharmac. Auguſt. Reform. *quod vero non minimis abſurditatibus refectum eſſe, ibidem cenſet* Zwelferus; *Hinc neceſſitate quaſi coactus, mox aliam, magis ſcilicet dextram ut ipſe quidem ait, compoſitionem ejusdem ſubjungit; ſed, ſi veritatem libere effari liceat, veteri iſta, acrius antea reprehenſa, non meliorem; quin potius in nonnullis, adhuc deteriorem.*

Sic cædimus, inque vicem præbemus crura ſagittis

Interea de hoc Unguento vid. ſi placet, Schulzii Praelect. *pag.* 426. *ubi hæc adjecit, notatu non indigna: Utiliſſimo compendio, ex ſolis baccis Juniperi vireſcentibus perficitur Unguentum viride, quod externo internoque uſu aptiſſimum eſt & Opilioni cuidam Rochlicenſi in arcanis fuiſſe legitur, qui ejus uſu, magnam famam & opes conſequutus fuit.*

Interdum & olitor valde opportuna loquutus.

Unguentum Virilitatis.

Pharm. Batean. pag. 191.

℞. Mellis deſpumati,
Olei Nucis Moſchatæ per Expreſſ. *ana unc. ſemis.*
Pyrethri,
Piperis nigri,
Cubebarum, *ana ſcrupulum ſemis.*
Zibethi, *ſcrupulum unum.*
Moſchi, *ſcrupulum ſemis.*
Balſami Peruviani, *drachmam unam.*

Miſc. Fiat lege Artis, unguentum, *inter Arcana Tori ſervandum: Dicitur frigidos torpidosque in lætam Venerem excitare & pronam languidamque Virilitatem erigere. Quid veri hic ſubſit, pronuncient candide experti; Sed feliciores tamen videntur illi, quibus nunquam neceſſitas miſera impoſita fuit, experimenta faciendi, atque ad hæc talia ambigua dubiaque Remedia entatica ac ſtytica, unquam confugiendi.*

Conf. hanc in rem jam ſupra aliquoties dicta, ad Balſamum *&* Confectionem Magnanimitatis, *item ad* Confectionem pacificam, *&* Elixirium Venereum, *nec non* Eſſentiam Aphrodiſiacam, *&c. Sed ſatis de his; conſulendum enim eſt pudori. Ceterum ſimile fere* Unguentum Aphrodiſiacum *occurrit apud* Bierling. Append. Med. *p.* 127. *conf* Jungken. Corp. Pharm. *pag.* 1187. *& pag.* 1219.

Unguentum ad Vitiliginem Dan Sennerti.

℞. Succi Chelidonii majoris,

Succi Lapathi acuti,
Fumariæ,
Scabioſæ, *ana unc. unam ſemis.*
Pulv. Sinap. *unciam unam.*
Adipis Gallinæ, *quant. ſuff,*
Ut inde Fiat ſecundum Artem, unguentum.

Quod fœdam Vitiliginem ſenſim tollit, modo præmiſſis præmittendis internis remediis antiſcorbuticis, quod quippe ſemper quam diligentiſſime obſervandum, juſto opportunoque tempore, adhibeatur.

Unguentum contra Vomitum.

Tim. a GÜLDENKL. *Lib. III.* Obſſ. Pract. *pag.* 117.

℞. Oleorum Roſat.
Omphacin.
Myrtin.
Maſtichin. *ana unciam ſemis.*
Extract. Tormentillæ, *ſcrup. unum.*
Pulv. Hypocyſtid.
Acaciæ, *ana drachm. ſemis.*
Olei ſtillat. Nucis Moſchat. *guttas ſeptem.*
Ceræ parum, *q. ſ.*
Miſce: Fiat lege Artis, unguentum.

Quod Regioni Ventriculi nauſeantis illitum vomitus compeſcit, nauſeam tollit, & appetitum dejectum ſenſim erigit atque reducit, præſertim, ſi interna ſimul Remedia idonea in uſum advocentur; ibidem a Timaeo *prudenter indicata. Ceterum conf. ſupra* Unguentum ſtomachale: *item* Emplaſtra & Epithemata Stomachica.

***

Unguentum Vulnera Conſolidans Hoffmanni.

Not. ad POTER. Pharm. Spag. *L. III pag.* 480.

℞. Olei Olivarum, cum Lithargyrio cocti, *unciam unam.*
Florum Millefolii,
Hyperici,
Lilior. albor. *ana pugillos tres.*
Stent in aëre liberiori per aliquot dies; deinde expreſſum novis iteratur Speciebus; ultimo add.
Balſami peruviani, *quant. ſuff.*
Pro unguento ex Arte, conficiendo

Uſus jam per ſe patet ex ipſa Inſcriptione: & ipſa Experientia reſpondet Nomini.

Unguentum Vulnerarium Ejusdem Hoffm.

Not. ad POTER. Pharm. Spag. *L. III. pag.* 480.

℞. Balſami Peruviani,
Olei Tartari deſtillati, *ana partes æquales.*
Miſc. Fiat exinde unguentum.

Unguentum ad Vulnera Nervorum ac Tendinum Barbette Chirurg. pag. 197.

℞. Terebinth. Venet.
Lacrym. Abiet. *ana unciam unam.*
Gummi Tacamahac. *unciam ſemis.*
Carannæ, *drachmas duas.*
Balſami Peruviani, *drachmas tres.*
Propoleos, *drachmas ſex.*
Olei Hyperici, *unciam unam.*
Miſc. Fiat lege Artis, unguentum.

***

Unguentum ad Vulnera Sclopetorum Ejuſdem Barbette, pag. 199.

℞. Pulv. Rad. Ariſtoloch. *ſcrupul. unum ſemis.*
Mumiæ,
Succini,
Maſtich. *ana drachmam unam.*
Terebinth. *unciam ſemis.*
Euphorbii, *drachmam unam.*
Unguent. Aegypt. *unciam ſemis.*
Vitell. ov. *No. unum.*
Olei Sambucin. *quant. ſuff.*
Croci, *ſcrupulum unum.*
Miſc. Fiat ex Arte, unguentum.

Unguentum Aliud Longe Præſtantius; *Ibidem.*

℞. Picis liquidæ,
Terebinthinæ puræ,
Galbani, *ana uncias duas.*
Maſtiches,
Thuris,
Nitri,
Salis Ammoniaci, *ana unciam unam.*
Aluminis, *drachmam ſemis.*
Viridis æris,
Vitrioli albi,
Camphoræ,
Pulv. Lumbricorum, *ana dr. unam.*
Olei Lini,
Roſac. *ana uncias duas.*
Lumbricorum,
Terebinth. Venet. *ana unc. unam.*
Miſc. Liquefiant ſuper igne, & Fiat lege Artis Unguentum.

Quod non ſolum egregium eſt travmaticum, ſed & ſimul antiſepticum, quod ipſam putredinem tollit, ſed vid. ibidem plura.

⁂

Ungula Alcis Præparata.

Diſp. Wirt.

Lima in ſcobem, & poſt in alcohol redigitur.

Pro ſpecifico antepileptico habetur, & fere omnibus pulveribus antepilepticis admiſcetur. Sed vid. ſupra dicta, Part. I. ad ipſam Ungulam Alcis.

Doſis grana quindecim, ad viginti quinque.

Unicornu Marinum Præparatum.

Diſpenſat. Wirt.

Lima in ſcobem redactum in pulverem ſubtiliſſimum teritur.

Cordiale, antiſpaſmodicum, nervinum prædicatur: Sed non ſemper ex voto, reſpondente effectu: Conf. ſupra dicta, Part. I. ad Unicornu Marinum.

Doſis ſcrupulus ſemis, ad drachmam ſemis.

Ventriculorum Gallinarum Præparatio.

Diſp. Wirt. & reliq. Vet. Diſpenſ.

Mundatæ pelliculae vino laventur, & leni calore exſiccatae ſerventur. Sed cui uſui? Vid. BOECLERI *Contin. Mat. Med.* HERMANN. p 747. &c.

Commendantur, ob vim leniter adſtringentem, ad ventriculum roborandum, alvi fluxum, & vomitus compeſcendos. Sed omnes has virtutes imaginarias merito explodunt LUDOVICI, *in* Pharm. Diſſ. *I. pag* 413. *& pag.* 583. *item* RIVINUS, *Diſſ. de* Med. Officin. Cenſura, *C.* 2. *pag.* 82. *aliique. Eſt enim fatua plane ſordida & inepta medicina. Præſtat ergo integros Gallinarum ventriculos recentes bene præparare ad eſum, in culina;*

culina; quam in officina nullum in uſum, exſiccare. Alimento inſerviunt iſti ventriculi; non medicamento.

Vinum Amarum.

FULLER. Pharm. Ext. *pag.* 371.

℞. Vini albi, *libras duas.*
Spiritus Vini, *uncias quatuor.*
Radic. Gentianae, *ſcrupulos quatuor.*
Summitat. Cardui bened.
Centaur. min.
Florum Chamomillae, *ana ſcr. octo.*
Cort. extern. flav. Aurant. rec. *drachmas duas.*
Macis,
Nucis Moſchatae,
Caryophyllorum,
Coccinell. *ana ſcrupulos duos.*

Macera duos dies, & deinde cola.

Eſt ſtomachicum, carminativum & anthelminticum.

Vinum Amarum Catharticum.

Ejusdem FULLER. ibidem.

℞. Vini praecedentis amari, *libr. unam,*
Fol. Sennae ſine ſtip. *unciam unam.*
Rhabarb. opt. *drachmas duas.*

Fiat lege Artis, Infuſio, & Col.

Doſis Cochlear. quinque, ſex, ad ſeptem &c.

Vid. ibidem aliud Vinum Catharticum, ſimplex & bonum.

Vinum Arthriticum.

Pharm. Batean. pag. 184.

℞. Sarſaparillae,
Guajaci, *ana unciam unam.*
Viſci quercin. *drachmas ſex.*
Folior. ſiccat. Chamaedryos,
Chamaepityos,
Salviae, *ana uncias tres.*
Florum Primulae Veris,
Roriſmarini,
Lilior. convall. *ana unc. ſemis.*
Hyperici, *drachmas ſex.*
Vini albi, *libras decem.*

Infunde per dies tres: Fiat lege Art. colatura.

Doſ. unciarum duarum: Bis de die, per dies triginta, aut quadraginta.

Vinum Arthriticum Purgans.

Ibidem.

℞. Rad. Chinae,
Sarſaparillae, *ana uncias duas.*
Polypodii, *uncias tres.*
Rhabarbari,
Fol. Sennae, ſine ſtipit. *ana unciam unam.*
Abrotani, *drachmas ſex.*
Caryophyllorum, *drachmam unam:*
Vini albi, *libras ſex.*

Infunde ſecundum Artem, & deinde cola.

Doſ. unc. quatuor, quotidie, per dies octo, Vere & Autumno: Deinde Vinum arthriticum præcedens in uſum vocetur.

Vinum Chalybeatum.

FULLER. Pharm. Extemp. *pag.* 372.

℞. Limaturae Chalybis, *uncias duas.*
Succi Aurantior. acidor. *No. octo,* vel potius *uncias quatuor.*

Stent ſimul per horas viginti quatuor: dein adde

Vini albi, *libras quatuor.*
Cinnamomi acut. *unciam ſemis.*
Caryophyllorum, *drachmas duas.*
Macis, *ſcrupulos quatuor.*

Stent iterum tepide, per quatuor dies.

Quidquid Virtutis Chalybs poteſt Vino impertire; hoc integre poſſidet. Prodeſt in fibra debili, languore ſtomachi, malo hypochond. ictero, hydrope, chloroſi, fluore albo. &c. Doſis eſt unc. trium, bis quotidie. *Conf.* Pharm. Lugd.

Vinum Chalybeatum.

Pharm. Batean. pag. 184.

℞. Martis crudi, *uncias octo.*
Radic. Eryngii,
Enulae, *ana unc. unam ſemis.*
Santali citrini, *unciam unam.*
Corall. rubr.
Raſur Eboris, *ana drachmas ſex.*
Caryophyllorum,
Macis,
Cinnamomi,
Zinziberis, *ana drachmas tres.*
Ceterach,
Anthos,
Florum Geniſtæ,
Epithymi, *ana pugillos duos.*
Vini albi optimi, *libras quatuor.*

Macerentur in Balneo Mar. per dies octo, ſæpe agitando; poſt reſidentiam filtra, ad uſum.

Doſ. cochlear. tria, ad ſex, &c, omni Mane, ad dies viginti, triginta, & ubi neceſſe, plures.

Prodeſt in Chloroſi, Hydrope, Ictero, Menſibus obſtructis, febribus quartanis, & aliis affectibus ſtomachi, Hepatis & Lienis. &c. Plura vina Chalyb. vid. ap. JUNGKEN. *pag.* 406. *ſqq.*

Vinum Cydoniorum, Granatorum, Rubi Idæi,

Adæquata proportio eſt, ut in libra una ſucci diſſolvantur unciæ tres ſacchari. Colentur, ſerventur. Vid. *Diſp. Vienn.* & reliq.

Julapiis & mixturis adduntur.

Vinum Diureticum Sennerti.

℞. Stramin. Fabarum, *manipulos ſex.*
Summitat. Juniperi,
Geniſtæ, *ana manip. duos ſemis.*
Matriſylv. *manip. unum ſemis.*

Comburantur in Cinerem, per quem Vinum bis, vel ter, coletur, cujus unciæ quinque calide exhibeantur.

Vinum Enulatum.

Pharm. Ext. FULLER. *pag.* 373.

℞ Radic. Enulæ viridis,
Sacchari albi,
Uvarum Corinth. inciſar. *ana uncias quatuor.*
Vini albi, *libras quatuor.*

Infunde frigide, & pro uſu ſerva.

Pulmones exonerat, ſtomachum roborat, Vermes necat; obſtructiones amovet, ſanguinem depurat, Calculum & urinam pellit. Doſ. unc. tres, bis in die: jejuno præſertim ſtomacho.

Vinum Epilepticum Purgans Waldſchmidii.

Tab. Smaragd. pag. 439.

℞. Radicum quinque aperientium,
Angelicæ,
Pæoniæ, *drachmam unam.*
Herbar. Betonicæ,
Salviæ, *ana manipul. unum.*
Flor. Tiliæ,
Stoechadis,
Lilii convall. *ana pugillum unum.*
Folior. Sennæ ſine ſtip *unciam unam ſemis.*
Agarici, *unciam ſemis.*
Seminis Carthami, *unciam unam.*

Cremoris Tartari, *ſcrupulos duos.*
Cinnamomi,
Zingiberis,
Maceris, *ana ſcrupulum unum.*

Infunde in Vini generoſi Menſura; pro uſu.

Vinum Hippocraticum.

Vid. ſupra.

Species Hippocraticæ.

Vinum Hydropicum.

FULLER. Pharm. Extemp. *pag.* 373.

℞. Corticis Ebuli,
Rad. Iridis Florent *ana uncias duas.*
Cortic. intern. Alni nigræ bacciferæ exſicc. *unciam unam ſemis.*
Radic. Enulæ Campan.
Scillæ, *ana unciam ſemis.*
Baccar. Juniperi, *drach. duas ſemis.*
Radic. Jalappæ, *unciam ſemis.*
Hellebori nigri, *drachm. duas.*
Folior. Sennæ ſine ſtip. *uncias duas.*
Salis Abſinthii, *ſcrupulos quatuor.*
Vini albi, *libras quatuor.*

Digerantur frigide per aliquot dies, deinde filtretur Liquor, & ſervetur uſui.

Vinum plane excellens exiſtit contra Hydropem, Anaſarcam: Nam lympham viſcoſam in partium poris, vel circa valvulas lymphaticas hærentem, inundationes cauſantem, & rupturam vaſorum minantem, incidit, attenuat; & poſtea per renum cataractas præcipitat; nec non per ſedes evacuat.

Vinum Hydropicum Aliud.

FULLER. Ibidem.

℞. Radic. Iridis Florent. *uncias duas.*
Enulæ Campan.
Scillæ, *ana unciam ſemis.*
Cortic. Sambuci,
Ebuli, *ana unciam unam.*
Winterani, *drachmas duas.*
Folior. Sennæ ſine ſtip. *uncias duas.*
Hellebori nigri,
Agarici,
Jalappae, *ana drachmas duas.*
Vini albi, *libras quatuor.*

Infunde omnia frigide: cola & uſui ſerva.

Præſtantiſſimum, & millies expertum eſt pharmacum: Colluriem quippe gelatinoſam, in corporis habitu ſtagnantem; indeque circulationis filum per tubulos abrumpentem, & lymphæ ſuffuſioni occaſionem præbentem, attenuat, exturbat, & circulanti ſanguini primo reddit, poſteaque per ſeceſſum & urinam, foras eliminat.

Doſis unc. quatuor, mane, jejuno Ventriculo.

Ceterum plura ejusmodi Vina hydropica vid. apud JUNGKEN. Corp. Pharm. *p.* 405. *item in* Pharm. Batean. *pag.* 185. *& alibi.*

Vinum Mirabile.

FULLER. Pharm. Ext *pag.* 374.

℞. Vini Canarienſ. ſeu potius Xerani, *libras duas.*
Aquæ Cinnamomi præſtantiſſ. *uncias quatuor.*
Caryophyllorum,
Macis,
Nucis Moſchatae,
Cubebarum,
Cardamomi,
Galangae,
Coccinellae,
Croci optimi, *ana drachmam unam.*

Digere diligenter, & uſui ſerva; qui eſt Cephalicus, Cardiacus, nervinus; ſtomachicus & analepticus.

Vinum Roborans, Calfaciens, Nervinum, Febrifugum, Emmenagogum.

GAUB. de Form. Med *pag.* 148.

℞. Limaturae Chalybis recent. in Nod. ligatae, *uncias tres.*
Radicis Angelicae, *unciam unam.*
Contrayervae, *unciam ſemis.*
Corticis Peruviani optimi, *uncias duas.*
Caſcarillae,
Cinnamomi, *ana unciam ſemis.*
Myrrhae electae, *drachmas duas.*
Vini Hiſpanici, *libras quatuor.*

Infundantur, vaſe clauſo digerantur in ſole, aut leni Calore, per tria nychthemera, ac ſubinde concutiantur. *Doſis unciarum duarum, quater de die.* Conf. ſupra *Vina Chalybeata.*

Vinum Roborans, ad Fluorem Album.

GAUB. ibidem, *pag.* 169.

℞. Corticis Peruviani optimi, *unc. duas.*
Radic. Cappar. *unciam unam.*
Cinnamomi, *unciam ſemis.*
Granatorum, *drachmas duas.*
Radic. Angelicae, *unciam unam.*

Conciſ. tuſis, in phialam altem chemicam immiſſis adfunde

Vini rubri auſteri, *uncias viginti quatuor.*

Bulliant per bihorium: dein frigida colentur, & admiſc.

Sacchari albiſſimi, *uncia una.*

Doſis, cochlearia duo, quater de die, horis medicis.

Vinum Scelotyrbicum.

Pharm. Batean. pag. 186.

℞. Folior. Acetoſae,
Beccabungae,
Naſturtii aquatici,
Cochleariae hortenſis, *ana manip. tres.*
Radic Enulae,
Ireos noſtratis,
Raphani ruſt. *ana unc. unam ſemis.*
Semin. Cochleariae, *unciam unam.*
Vini albi, *libras quatuor.*

Macerentur per dies duos, & Fiat Colatura.

Titulus ipſe jam monſtrat vires, re ipſa. Conf. ſupra Syrupus Scelotyrbicus.

Vinum Scorbuticum.

FULLER. Pharm. Ext. *pag.* 375.

℞. Herb. Cochleariae hortenſ. integr. *manip. unam.*
Radic. Raphani ſilveſtris raſ. *unciam ſemis.*
Corticis Winterani, *drachmas duas.*
Vini albi,
Aquae Ari, *ana libram unam.*

Stent frigide: & Colentur: Vires ſunt eaedem. Conf. ſupra *Syrupus antiſcorbuticus,* & *Tinctura Scorbutica.*

Vinum Viperinum.

Pharm. Bat. pag. 186.

℞. Viperas foemellas, vivas, tempore verno collect. *No. ſex.*
Vini Hiſpan. optimi, *libras ſex.*

Macerentur Vaſe optime clauſo, ſine calore, per Menſes ſex: dein cola ad uſum.

Sunt, qui macerant Viperas excoriatas, rejectis interaneis, cauda & capite, in Vino Hiſpanico, per dies aliquot; eodem effectu, eodemque ſcopo.

In Lepra Graecorum, Elephantiaſi, ſterilitate, & ipſa dira peſte, ce-

leberrimum eſt; immo Vitam adeo ipſam prolongare traditur. Doſis unc. tres, vel quatuor, bis in die, ad longum tempus continuando. *Conf. ſupra* Syrupus de Viperis & Trochiſci de Viperis.

Vitrioli Gilla Theophraſti.

Videatur Gilla.

Vitriolum Martis.

Diſp. Pariſ. Edinb. Lond. Wirt. & reliq. vid. Chem.

℞. Limaturae martis, *libram unam.*
Superfundatur
Spiritus vitrioli, tripla aquae fontanae quantitate diluti, *libra una;*

digerantur in loco calido, uſque dum effervescere deſinant, liquor filtratus ultra dimidium, vel eo uſque, dum in ſummitate pelliculam contrahat, lento igne exhalet, ſic in frigido concreſcent cryſtalli viridiuſculae, quae exſiccentur, remanens vero liquor ulterius, pro vitriolo exin colligendo, debite exhalet.

Ad nonnullas præparationes pharmacevticas requiritur; datur vero etiam in ſubſtantia, aliis pulveribus mixtum, uti in pulvere abſorbente Wedelii: quem vide ſupra. Adſtringit, roborat, lumbricis, præſertim latis, adverſatur; vid. Riedlini Lin. Med. *An.* 1699. *Menſ. Auguſt. Obſ.* 19. *pag.* 851. *ſeqq. utiliter datur cachecticis, & menſium vitiis laborantibus; ſpecifice laudatur ad vias lymphaticas iterum conſolidandas, in hydropicis, poſt aquarum evacuationem, ubi, pro ſingulis diebus, granum unum vitrioli martis, in pauxillo ſacchari, ex vino vel aqua, hora una ante prandium, præbere jubent, & per triginta vel quadraginta dies continuare ſuadent. Vid. ſupra* Cryſtalli Martis, & Sal Martis, *ac* Chalybis, *quibus etiam Nominibus ornatur Vitriolum Martis, ceu notum: Sed ibi ſunt diverſæ præparationes.*

Doſis ſit parcior, ſufficiunt grana duo, vel tria.

Vitrioli Ros, *ſive* Phlegma.

Vid. ſupra
Ros Vitrioli.

Vitrioli Terra Dulcis.

Diſpenſ. Vienn. Wirt. Brandenb. &c.

Eſt edulcoratum caput mortuum, ab olei vitrioli deſtillatione, in retorta relictum. Vid. Boerhaave *Elem. Chem.* Tom. II. p. 439. & Cartheuser. *Pharm.* pag. 385. &c.

Vires ſunt exſiccantes, uſus in emplaſtris.

Vitrum Antimonii Ceratum Edimburg.

Charas, Pharm. Reg. *Tom. II. pag.* 857.

℞. Vitri Antimonii pulverati, *unciam unam.*
Cerae flavae, *ſcrupulos quatuor.*
Liquefiat Cera in Cochleari ferreo, Igne modico, cui ſtatim pulverem admiſce; ſpatula agitentur per dimidiæ horæ ſpatium, donec exſiccata materia fuſcum colorem adquiſiverit. Tum pulvera, & ſerva.

Novum hoc Remedium a Celeb. Medicorum Edimburg. ſocietate publicatum contra fœdam dyſenteriam, pares, cum ipſa laudatiſſima Ipecacuanha, virtutes exſerere traditur: In nimio quoque fœminarum fluxu, tam rubro, quam albo, plurimum prodeſſe, per-

hibetur. Leniter enim per inferiora purgat, interdum tamen & vomitum ciet. Verum ipſius effectus ſunt blandi, adeo, ut ipſum hoc Remedium inde conſiderari poſſit, tanquam præparatio, ſeu compoſitio media, inter ſic dictum Kermes, Minerale, atque. Antimonium diaphoreticum. *Dari vero poteſt*, vel in ipſa Pulveris ſubſtantia, vel, quod melius, in aliqua Conſerva, *a granis nempe duobus, uſque ad grana octo, aut ad ſummum, duodecim.*

Hæ quidem ſplendidæ laudes huic nempe Vitro Antimonii cerato larga quaſi manu, tribuuntur, etiam noviſſime, a Cl. GMELINO, *in* Diſſ. *de* Botanica *&* Chemia *ad* medicam praxin applicata, *Tubing.* 1755. *& potiſſimum in alia Diſſ. ſingulari de* Vitro Antimonii Cerato, *ſub ejusdem celeb. Medici præſidio, ab Auctore* Bilfingero, *Tubing.* 1756. *publice habita, in qua perquam exacte de hujus novi Medicamenti & Antimonii quaſi palliati inventione, præparatione & uſu, præſertim antidyſenterico tractatur. Conf. & Cl.* VOGELII Bibliothec. Med. Nov. *Vol. II. Sect.* 8. *& Vol. III. Part. III. Sect. XII. Neque ipſe reverentia ductus, obloqui temere hic audeo tantis viris, præſertim, quum nullum adhuc novi hujus Medicamenti periculum fecerim; nec facere mihi lubeat, in tanta nempe aliorum Remediorum ſecuriore uſu dudum cognitorum & exploratorum, abundantia. Interim tamen, ut more meo, libere dicam, quæ ſentio, præcipue, in re quaſi capitali, & ad ſalutem humanam ſpectante, ſuſpectum mihi adhuc nonnihil videtur hoc ipſum Antimonii Vitrum, etiamſi ceratum ſit. Haud ſatis enim, pro mea ingenii mediocritate, perſpicere valeo, qui tantillum Ceræ combuſtæ, exſiccatæ, aut in pingues vapores ſolutæ, unciæ integræ vitri ipſius adjectum, infringere ſatis atque compeſcere poſſit indomitam alias, ceu notum, Vitri Antimonii ſævitiam ac violentiam, inprimis, quum ipſa præſcripta exigua admodum ejusdem doſis ſatis ſuperque teſtetur, nondum hic tuta eſſe omnia, nec poſt ipſos illos injectos quaſi cereos frænos, atrox & malignum ſuum ingenium adhuc exuiſſe ipſum illud dirum Antimonii Vitrum. Licet igitur ceratum ſit; tamen, me quidem judice, cereum adhuc eſt, in vitium priſtinum ſemel ipſi ingeneratum, iterum facile flecti, ut cum poeta loquar: Quare his cereis quaſi armis mihi quidem haud fidendum videtur. Sed hæc obiter, & cum pace ſecus ſentientium. Conf. ſi placet, Diſſ. noſtr. de* Corticis peruv. uſu ſalutari, *pag* 5. *Ceterum ex Vitri Antimonii & Olei Vitrioli ana partibus æqualibus, paratur quoque famoſus ille* pulvis antiquartanarius Klaunigii, Mercurius Vitæ Cœleſtis *ab ipſo Auctore, ab ill. vero Werlhofio rectius,* Antimonium Vitriolatum, *vocatus, de quo plura vid. ſupra ſub* Mercur. Vit. cœleſt.

Vitrum Antimonii Hyacinthinum.

Diſp. Wirt. Brand. Vienn. & omnia alia Diſpenſat. & Syſtemata Chym. ut Boerhaave, Lemery, Charas, Juncker, Barner, Beguin. Febure, *& al.*

℞. Antimonii crudi pulveriſati, *quantum lubet.*

Calcinetur in patina terrea non vitreata, rutabulo vitreo, vel fiſtula tabaci Colonienſi, perpetuo, ne in grumos abeat, agitando, leniſſimo igne, donec fumare ceſſat; ſi forſan in grumos concreſcat, denuo pulveriſandum eſt Antimonium, atque iterum, ſub

agitatione perpetua, in calcem gryſei coloris, quæ ſulphur non redolet, redigendum.

Calx hæc Antimonii crucibulo inditur, atque igne forti, in furno anemio, liquatur, & ubi colorem pellucidum hyacinthinum acquiſiverit, pauxillum Antimonii crudi, vel Sulphuris, adjicitur, & in pelvim vel laminam cupream effunditur. Vid. huc HOFFMANNI *Not. ad Poter. Pharm. Spag.* Lib. II. Cap. 12. p. 388. & GEOFFROY, *Mat. Med.* Tom. I. pag. 222. & noviſſime & accuratiſſime *Frid. Juſt.* MÜLLER in *Analectis Chemicis de Vitro Antimonii*, *Gœtting.* 1757.

Raro vel nunquam interno uſu vitrum hoc præſcribitur; licet nonnullos magnos quoque Medicos olim id auſos fuiſſe, non ſine juſta cenſura, obſervet GESNER. Epiſt. Med. *Lib. I. pag.* 31. *qui tamen ipſe illius periculum fecit, cum ægroti periculo, Lib. III. Epiſt. p.* 119. *& Lib. I. pag.* 12. *Conf.* BARNER. Chym. Phil. *pag.* 10. *Conſultius eſt, integra fruſta unciæ uni, vel ad ſummum duabus cum dimidia unciis, vini vel cereviſiæ imponere per noctem, infuſum hoc colatum propinare, unde vomitus ſatis frequens conſequetur. Vid.* SCHULZ. Prælect. *pag.* 16. *&* CARTHEUSER. Pharm. *pag.* 534. *Conf. ſupra* Sapa Vomitoria.

Ex vitro antimonii & tartari cryſtallis nonnulli parare ſolent tartarum emeticum, qui efficacior illo, e croco metallorum parato, creditur,

De Vitro Antimonii *vid.* Diſſertationes STAHLII *atque* MELTZERI.

F I N I S.

INDEX COMPOSITORVM
QVAE IN POSTERIORI PARTE
PHARMACOPOEÆ VNIVERSALIS
CONTINENTUR.

	pag.
Acetum Bezoardicum	1
Medicor. Hafnienſ.	1
Mynſichti	2
ſeuProphylacticum,ou de quatro Voleurs	2
Sylvii	2
Chalybeatum	3
Diaphoreticum	3
anti Hiſtericum	3
Lavendulae	4
anti-Lyſſicum Hannemanni	4
Mithridaticum	4
Odoratum	5
Saturninum	5
Scilliticum	6
Theriacale Mynſchti	6
Viennenſium	7
Vini deſtillatum	6
Aes, Viride Chryſtalliſatum	7
Uſtum	7
Aethiops Antimonialis	8
Mineralis	8
Agaricus Trochiſcatus	9
Alcis Cornu Philoſophice ppt.	10
Aloë Depurata	10
Inſuccata	10
Roſata & Violata	10
Alumen Saccharinum	10
Uſtum	11

	pag.
Anodynum Minerale vid. Nitrum Antimoniatum	
Anticahecticum. ſeu. Cacheticum Ludovici vid. Antimonium Diaphoreticum Martiale	
Anticheticum Poterii	11
Antimonii Butyrum & Cinnabaris	13
Clyſſus	13
Diaphoreticum Martiale	14
Simplex	14
Hepar. vid. Crocus Metallorum.	
Regulus vd. Regulus Antimonii.	
Vitriolatum vid. Mercur. vitæ cœleſt. Klaunigii	
Vitrum vid. Vitrum Antimonii	
Apozema aperiens & Antiſcorbutic. Sydenham	16
ad Herniam Barbet	17
refrigerans & aperiens Mich.	17
Traumaticum Sylvatici	18
D. a. Werthern.	18
Aqua Abſinthii compoſita	18
Acuſtica	19
Alexeteria	19
Lactis	20
Alexipharmaca	20
Dr. le Mort	21
Aluminoſa Communis Liebaldi	21
Magiſtralis Fallopii & Sorbait.	21
Analeptica Sternfels	22
Angelicae compoſita	22
Anhaltina	22

INDEX COMPOSITORVM.

pag.

Aqua Anodyna 23
Anti-Nephritica. *vulgo de Bellegarde* 23
alia 24
Paralytica 25
Phtiſica 25
Scorbutica Temperata 26
Dornkreilii 27
Apolectica Spirituoſa 27
minus Spirituoſa 28
Aromatica Boerhaave 28
Aſthmatica 29
Balſamica 29
ad Gonorrhaeam Riverii 29
Bardanae Compoſita 29
Benedicta Rulandi 30
Serpilli 30
Bryoniae Compoſita 30
Calcis vivae 31
Contra Calculum Marchionis 31
Caponis 32
Carbunculi 33
Cardiaca 33
alia 33
Carminativa 34
Spirituoſa 34
Angeli Salae 34
Dornkreilii 35
Ettmulleri 35
Meibomii 35
per infuſionem 36
Caryophyllorum aromaticorum 36
Catarrhalis Keglerii 36
alia 37
Cephalica Boecleri 37
Caroli Quinti 37
Timaei a Guldenklee 38
Jüncken 38
Ceraſſorum Nigr. Compoſita 39
Cinnamomi Clareta 39
Collegi Lugdun. 39
Cordialis 40
Cydoniata 40
Hordeata 40
contra Peſtem 40
ſine Vino 41
Spirituoſa 41
Vinoſa 41
Citri compoſita ex Succis 41
cum Spiritu Vini 41

pag.

Aqua Confortativa ſive Perlata 42
Contra Colicam 42
Cordialis Calida 43
Frigida 43
alia 44
ex Succis 44
Odorata 44
Temperata Auguſt. 45
e Corde Cervi Mynſicht 45
Cornu Cervi citrata Waldſchmidii 46
Corticum Aurantiorum cum Vino 46
Aquae Deſtillatae Simplices 46
Diapnoicae 49
Aqua Divina ſeu Mirabilis 49
Diuretica e Nucleis Schroederi Correcta 49
Dyſenterica 49
ſive Balſamus Embryonum 50
correctior 50
ſeu Balſamum Ventriculi 51
Epatica calida Güldenklee 51
Frigida. Timaei 52
Epidemica Londinenſis 52
Epileptica 53
Beſſani Galli 53
Puerorum 54
Joh. Langii 54
pro Epithemate Cordis 54
alia 55
Epithematum Cordis 55
Florum omnium 55
Fortis 56
Foetida Pragenſis 56
ad S. Agnetem 57
Generalis 57
ad Gonorrhaeam Hoffmanni 58
contra Gonorrhæam Quercetani Correcta 58
Griſea 58
ad Guttam Roſaceam Mathioli 59
Hirundinum cum Caſtoreo 59
ſine Caſtoreo 59
Hungarica ſive Reginae Hungariae 60
Hypnotica Mynſichti 60
alia 60
Hyſterica Viennens. 61
Norimberg. 61
Officinalis 62
Hyſterica 62
Juniperi Compoſita 63
alia 63

INDEX COMPOSITORVM.

pag.

Aqua Lactis ſeu Antiſcorbutica Mulleri 63
Ligni Saſſafras Simplex 63
Compoſita 64
Liliorum Convallium cum Vino 64
Limacum contra Calculum 64
Loch Sani & Experti 64
Lumbricorum Compoſita 65
Magnanimitatis 65
vel Formicarum Compoſita 65
Maſtichina 66
Anti Melancholica 66
Melliſſae Anti-hyſterica 67
cum Vino 67
Spirituoſa 67
Mellis Odora Regia 67
Menthae Compoſita 68
Mercurialis ad uſus Externos 68
Mille Florum Odorata 69
Millepedum 69
alia 69
Myrrhae 69
Nucum Jugland 70
Odontalgica 70
Odorifera 70
alia 71
Ophthalmica Bœcleri 71
Camphorata Finckii 71
Doereri 71
Febure 72
Junckenii 72
Officinarum 72
Pragenſis 72
cum Sapone 73
Sapphirea 73
ex Valeriana 73
Panis 73
Pœoniae Compoſita 74
Petroſelini Compoſita 74
Phagedaenica 75
Phyſagoga 75
Prophylactica Sylvii vid. Acetum Bezoard.
Regis ſeu Chryſulca 75
Salviae Compoſita 75
Sapphirea vid. Ophthalmica Sapphirea
Serpilli Comp. Mynſichti 76
Spermatis Ranarum 76
Splenetica 76
Stomachica Junckenii 77
alia 77

pag.

Aqua Styptica Berolinens 77
Theriacalis Compoſita 77
Simplex 78
ad Tormina Infantum 78
Traumatica Stahlii 78
Typhorum Cervi Simplex 79
Compoſita 79
Velthemiana 79
Veronicae cum Vino 80
contra Vermes 80
Vertiginem 80
Viridis Hartmanni 81
Virtutum 81
Viſceralis M. 82
Vitae Anglica Fleetvvodi 82
Mulierum 82
Vitae Mulierum 83
Boecleri 83
vid. Aqua & Balſamum Embryonum
Tappii 84
de Tribus 84
Vulneraria 84
ſeu Aqua Catapultarum 85
Alba Dippelii 86
Rubra Dippelii 86
Roederi 86
ex Succis 87
Ulmi 87
Aquae Vulnerariae deſcriptio 84
Aqua Zedoariae Simplex 88
Aniſata 88
Aquila alba vid. Calomelas & Panacea mercurialis
Arcanum Album vid. Pulv. Viennens Alb. Virg.
Aluminis 88
Antepilepticum 88
Bechicum Williſii vid. Syrup. Sulphur.
contra Calculum Schenkii 89
Corallinum 90
ad Herpetem Miliarem 90
Duplicatum 90
Lixiviatum 91
Martiale 91
Tartari ſive Terra foliata Tartari 92
Aurum Balſamicum 92
Diaphoreticum 92
Fulminans 93
Horizontale Zvvingeri 96

INDEX COMPOSITORVM.

pag.

Aurum Potabile vid. Tinctur. Auri.

Bacilli ad Fornacem vid. Maſ. ad Fornac.
- de Liquiritia albi 97
  - Citrini 97

Balſamum Alexicacum Thomae Reineſii 97
- Angelicae 98
  - Sennerti 98
- Anglicanum 98
- Anodynum Batei 99
  - vulgo Guidonis 99
- Antimonii 99
- Antiſpasmodicum 100
- Apoplecticum 100
- Arcaei 100
- Bezoardicum 101
  - Charas 101
- Borrhi 101
- Caryophyllorum 101
- Cellenſe 102
- Cephalicum Saxonicum 102
- Coſmeticum 102
- Cinnamomi 102
- ad Dentitionem Puerorum 103
- Embrionum vid. Aqua Embrion
- Epiſcopale 103
- Fioravanti 103
  - aliud 103
- Foeniculi 104
- Hiſpanicum 104
- Hyſtericum 104
- Lectorenſe 105
- Lavendulae 105
- Lithuanicum vid. Ol. Betulin
- Locatelli 105
- Loemicum Heinſianum 105
- Magnanimitatis 106
- Magicum Pforzheimenſe 107
- Majoranae 107
- Martiale 107
- Nervinum 107
  - Internum Conerdingii 108
- Nuciſtae 108
- Odontalgicum 108
- Otalgicum le Mort 108
- Paralyticum 108
- Parreirae Bravae 109
- Pectorale Meibomii 109
- Commendatoris de Perne 110
- Jacomo del Pinto 110

pag.

Balſamum Rutae 110
- Saturni 110
- Scherzeri 111
- Somniferum 111
- Stomachicum 111
- Succini 111
- Sulphuris Amygdalatum 111
  - Aniſatum 112
  - Rulandi 112
  - Succinatum 112
  - Terebinthinatum 112
- Tranquillans 112
- Vitae Cardiacum 113
  - ad Modum Hoffmanni 113
- Vulnerarium 114
  - Dippelii vid. Liquor Mindereri 114

Bezoardicum Animale 114
- Cornu & Ungulae Alces 114
- Cornu Cervi 115
  - Rhinocerotis 115
- Joviale 115
- Lunare vid. Pulv. Vienn. Alb. Virg.
- Martiale 116
- Minerale 116
- Solare 117
- Viperinum 117

Boli Armenae Præparatio 117

Butyrum Antimonii vid. Antimonii Butyrum.

Butyrum Cacao vide Ol. Expreſſa.
- Majoranae, Rubrum, Viride } vid. Ungnenta

Calomelas vid. Panacea Mercurialis.
- Candelae fumales 118
  - Odoriferae 118

Caſſia pro Clyſteribus 118
- Extracta vid. Pulpa Caſſiae

Cauterium Potentiale 118

Cera Arborea 119
- Catholica Burrhi ex Mollenbroccio 119
- Sigillaris Rubra 119
  - Viridis 119

Ceratum pro Bregmate 119
- de Minio Phil. Maſiero 120
- Santalinum Auguſt. 120
- Stomachicum Auguſtanor. 120

Chalybis Præparatio 121

Chalybs cum Aceto 121

pag.
Chalybs cum Cinnamomo 121
Saccharatus 121
Sulphure Præparatus 121
Tartariſatus 122
Chalybeatus Bolus 122
Chocolata 122
Cinnabaris Antimonii vid. Antimonii Cinnabaris
Factitia 123
Nativa ſeu Cremor Cinnabaris 123
Præparata 124
Rectificata 124
Cinnabarinum Electuarium 124
Colcothar 124
Collyrium Anodynum Barbette 125
Dn. Boyle 125
ad Cataractam 125
Detergens 125
Exſiccans 125
ad Pannum vel Unguem Oculorum Conſum. 125
Roborans 126
Conchae Citratae 126
Concharum Præparatio 126
Condita 126 & 127
Conditum Cordiale 127
contra Nauſeam & Vomitum 128
Radicum Symphyti Majoris 128
Confectio Alkermes Incompleta 128
Completa 129
Regia 130
Aniſi Laxativa 130
Balſamica 130
Cardiaca 130
alia 131
Tertia 131
Quarta 131
Cathartica ſeu Catharticum Cæſ. 131
vel Catharticum Regium 131
Caryophyllata Mynſicht 132
Roſata 132
Violata 132
Cinnamomi Laxativa 132
Regia 133
Citri 133
de Hyacintho 133
Magnanimitatis 134
Narcotica 134
Opiata 135
Pacifica 135

pag.
Confectio Pretioſa 136
contra Phthiſin Pulmon. 137
Confectiones Siccae 137
Conſerva Hederae terreſtris Compos. 137
Millepedum 137
in Morbis a Glutinoſo Spontaneo Ortis 137
Refrigerans Styptica in Phthiſi Pulmonali 138
Spagyrica Emmerici 139
Viſceralis 139
Conſervarum Simplicium praeparatio 138
Coralliorum Alborum & *Rubrorum Præparat.* 140
Cornu Alcis Præparatum 140
Cervi Auratum 140
Philoſophice Præparatum 140
Uſtum 141
Volantis 141
Rhinocerotis Praeparatum 141
Cervus Epilepticus 142
Cranium Humanum Præparatum 142
Cremor vel Cryſtalli Tartari 143
Crocus Jovis 143
Martis Adſtringens 143
Aperitivus Antimoniatus Stahlii 143
Aperitivus Vulgaris 144
Saccharinus 144
Sulphuratus 145
Croci Martis Electarium Simplex 145
Sol Poterius 145
Thom. Fuller 146
Hartmanni 146
Crocus Martis cum Salibus 147
Metallorum 147
Abſinthiacus 147
Solis 148
Veneris 148
Cryſtalli Martis ſeu Sal Martis 148
Cryſtallum Minerale 149
Cryſtallus Montana Præparata 149
Cryſtalli Sulphuris Rubrae 149
Dens Hippopotami Praeparatus 149
Dentes Apri 150
Diacrydium Glycyrrhiza Edulcoratum 150
Roſatum 150
Sulphuratum 150
Diaphoreticum Joviale 151
Martiale 151

INDEX COMPOSITORUM.

pag.

Ebur Philoſophice Calcinatum 151
Uſtum Album ſeu Spodium 151
Elaterium 151
Elaeoſaccharum Errhinum vid. *Pulvis Sternutatorius alb.*
Elaeoſacchara 152
Electuarium de Acoro 153
Antidotale 153
Antifebrile Bergemanni 154
Gaubii 155
Hoffmanni 155
Noſtrum conſuetum præſtantiſſimum Trilleri 155
Vulgare 156
Antipeſtilentiale Nigrum 156
Antiſcorbuticum 157
Banyeri 157
Baccarum Lauri 157
Caryocoſtinum 158
Catarrhale cum Speciebus 158
Catharticum Regium 158
Catholicum 158
Chalybeatum 159
de Croco Martis vid. Croci Martis Electuarium
ad Dentes Gaubii & Gingivas 159
ad Foetorem Dentium 159
Diaſatyrium 160
Diaſcordii Fracaſtorii 160
Roſatum 161
Spagyr 161
Sylvii 162
contra Dyſenteriam 163
Dyſentericum Cnoeffelii 163
Myns 164
Purgans 164
Stypticum 164
Gingivale 165
ad Gingivas Firmandas 165
Aliud 165
Noſtrum Trilleri 165
Hiera Picra Simplex 166
Hydropicum Zvvelferi 166
ſeu Hydragogum Sylvii 167
Williſii 167
Jctericum 167
Lenitivum Florenzolae 167
de Manna 168

pag.

Electuarium de Manna 168
Fuller 168
Magnum Fuller 168
Maſtichinum 169
de Mentha 169
Seu Sotirella Parva Mindereri 170
Mithridatium Damocratis 170
Opticum 171
de Ovo 172
Pectorale 174
ſeu Philonium Romanum 174
Purificans 175
ſive Requies Nicolai 176
Reſumptivum 167
Sanans Fulleri 177
Stomachicum 177
cum Cinnamomo 177
Tamarindorum 177
Theriacae Andromachi 178
Theriaca Bezoardica Lentilii 180
Ceylonica 181
de Citro 181
Diateſſaron 182
pro Familia 182
Febrilis 183
Metallorum 183
Mulierum 184
Saxonica 185
Smaragdina 185
Elixir Antaſthmaticum 186
Anticolicum Crocatum vid. Elixir Cordiale vulgo Garrus
Antifebrile 186
aliud 187
Wedelii 187
Antipodagricum 188
Antiſcorbuticum Amarum 188
Bontokoe 189
Antivenereum 189
Venereum 189
Aperitivum Clauderi 190
Balſam. Pectorale Edinburgens 190
Spirituoſum Hoffmanni 191
Stomachicum Temperatum Hoffmanni 191
Cachecticum Ettmulleri 191
Cephalicum Wedelii 191
Cordiale & Stomachicum vulg. Garrus 192

INDEX COMPOSITORVM.

	pag.
Elixir Maſtichinum vid. Spiritus	
Menſtruale	193
Myrrhae Londinens	193
Paeoniae	193
Pectorale Bajeri	194
Eisneri	194
Reg. Dan.	194
Volatile Dulce	195
Wedelii	196
Peſtilentiale Crollii	196
Pneumoniacum Meibomii	197
Polychreſtum	197
Halenſe	197
Roſin. Lentilii	198
Pretioſum Hannekenii	198
Prophylacticum contra Peſtem	199
Proprietatis album Helmontii	200
cum Acido Boerhaave	200
Paracelſi	201
ſine Acido ſive Dulce	201
Boerhaave	202
Helvetii	202
cum Rhabarbaro	202
Purgans	203
de Citro	203
ſeu Catharticum	204
Herlini	204
Rhabarbari cum Spiritu Arack	205
Sacrum	205
Salis Herlini	205
Salutis	205
Stomachale Guldenklee	206
Stomachicum Edinburg	206
Paris	206
Fulleri	207
de Caryophyllis	207
de Cinnamomo	207
Sulphuris	207
Uterinum	208
Uterino Spasmodicum	208
Vitae Mathioli	209
Vitrioli Mynſichti	209
Emplaſtrum Abbatis de Grace	210
contra Abortum	210
Adhaeſivum	210
Album Coctum	211
Album Frigidum	211
de Ammoniaco	211
Anodynum rubrum	211
Anodynum aliud	211
Emplaſtrum Antifebrile Michaelis	212
Schulziii	212
Antihyſtericum	213
Sydenhami	213
de Mayerne	213
Antipleuriticum Sylvii	213
Antipodagricum	214
Antitophicum	214
pro Apoplecticis	214
Arthriticum	215
de Baccis Lauri	215
Balſamicum	215
Barbarum Magnum	215
ſive Ceratum de Betonica	216
ad Bubones Venereos Diſſipans	216
Gaubii	216
Cæſaris	217
de Calaminari Lapide	217
Camphoratum Stahlii	218
Capucinorum	218
Carannae ſeu ad Tempora	218
Carminativum Fuller	218
Sylvii	219
Catagmaticum Primum	219
Secundum	220
Catarrhale	220
Aliud	220
Cephalicum Brand.	221
Edinburg	221
Collegii Lugdunenſ.	221
Fuller	221
Grimii	222
ſive Ceratum Citrinum	222
ſeu Ceratum Defenſivum Cœruleum	222
Ceroneum	222
de Ceruſſa vid. Alb. Coctum	
de Cicuta cum Ammoniaco Schroederi	223
ad Clavos & Verucas Pedum	223
ad Contuſa	223
de Cruſta Panis	223
de Cumino	224
Defenſivum Rubrum	224
Boerhaave	224
Hamburg	224
Wepferi	225
Viride Felicis Wurzii	225
Diabotanum Blondelli	225

INDEX COMPOSITORVM.

pag.

Emplaſtrum Diachalciteos vid. Empl. Diapalm.
Diachylon Simplex 226
Compoſitum 226
Diagalbani 227
Dialtheae 227
Diapalmae 227
Diaphænicon Calidum 227
Frigidum 228
Diaphoreticum Mynſichti 228
Diapompholygos 229
Hamburgenſium 229
Diaſulphuris Camphorat 229
Rulandi 229
Divinum 230
ad Dolores Dentium Ratisbon. 230
Hoffman. 230
River. 231
Domeſticum 231
Domus Miſericordiae 231
Epilepticum 232
Epiſpaſticum 233
Filii Zachariae 233
Flos Unguentorum vulg. ab Anglis dict. 233
Foetidum Mynſichti 233
ad Fonticulos Album 234
Rubrum 234
ad Fracturas & Luxationes 235
de Fuligine Antipodagricum 235
de Galbano Crocatum Mynſicht 235
Gratia Dei Dictum 235
Aliud 235
cum Aerugine 236
Gravidarum Fuller 236
Griſeum 237
pro Hernioſis 237
Hydropicum Fuller 237
Brand. 237
de Hyoſcyamo 238
Imperiale 238
Incognitum vid. Santalinum
Ireatum 239
Iſchiadicum Wirt. 239
Vienn. 239
Bezae 239
Fuller 239
de Labdano 240
Laterale 240
de Lauri Baccis v. Empl. de Bacc. Lauri

pag.

Emplaſtrum de Linamento 240
ad Lumbaginem 240
ad Lupiam 241
Magneticum Angel. Salae 241
de Majorana 241
Mamillare 241
Rubrum 241
Malacticum cum Gummi 242
ſine Gummi 242
Matricale 242
Maſtichinum Hamburg. 243
de Meliloto 243
Langii 243
Mercuriale 244
Metroproptoticum ſeu contra Uteri Prolapſum 244
contra Mictum Cruentum Welſchii 244
ſive Ceratum de Minio Rubrum 244
de Minio Vigonis 245
Miraculoſum 245
Mitigativum Mynſichti 245
de Mucilaginibus 246
Langii 246
Nervinum Grimii 246
Hoffmanni 247
Placcii 247
Vigor. 247
de Nicotiana 248
Nigrum 248
Noricum 248
Ophthalmicum 248
Opodeldoch 249
Hamburgenſium 249
Odontalgicum Vienn. 250
Paris 250
Wirt. 250
Oxycroceum 250
de Panis Cruſta 223
Pectorale 251
Pleuriticum 251
Polychreſtum 252
Puniceum 252
Purgans Admirabile Cnoefelii 252
de Pyrethro 253
de Ranis ſine Mercurio 253
cum Mercurio ſimplo 254
Regium Burrhi 254

Empla-

		pag.
Emplaſtrum	Roborans ad Luxationes Barb.	254
	aliud ejusdem.	255
	Fuller	255
	Rubrum Antimoniatum	255
	ſive Ceratum Sandalinum	255
	Saponatum Barbette	256
	Saturninum	256
	de Scrophularia	256
	Somniferum	257
	de Spermate Ceti	257
	Ranarum	257
	Splenticum	258
	Stipticum	258
	Poterii	258
	Stomachicum Grimii	259
	Hoffmanni	259
	Magiſtrale	259
	de Tacamahaca	260
	Suppedale Mitius Baerhaave	260
	Fulleri	260
	Strumale Bezae	260
	de Thea	260
	de Foliis Theae Dolaei	261
	Thuris Compoſitum	261
	Tonſoris ex Aetio	262
	Triapharmacum	262
	contra Vermes	262
	Veſicatorium	263
Emulſio,	Alcalinae Putridae Accrimoniae Oppoſitas	263
	Alexipharmaca & Expulſiva	263
	Analeptica	264
	Anodyna & Narcotica	264
	Antiphlogiſtica Boerhaave	264
	alia	264
	Antipleuritica Boerhaave	264
	Mynſichti	265
	Arabica	265
	Balſamica F.	266
	Brunneri Aſthmatica	266
	Cannabina Ettmulleri	266
	Viennens	266
	Cordialis Fulleri	266
	Perlata	267
	Externa e Nucleis	267
	Violata Mynſichti	267
Eſſentia	Abſinthii Simplex	267
	Compoſita	268
	Acuſtica	268
Eſſentia	Aegagropilarum Cephalica	268
	Alexiteria Mercklini Fil.	269
	Alexipharmaca Stahlii	270
	Temperata Stahlii	270
	Aloes Ligni	270
	Aloetica Purgans	270
	Amara	271
	noſtra Trilleri	271
	Ambrae Balſamica Dippelii	272
	Liquida	272
	Sicca	272
	Vera Hoffmanni	272
	Annagallidis Flor. Purpur	273
	Angelicae	273
	Anodyna Langelotti	273
	Ludovici	274
	Officinalis	274
	Antarthritica J. M. Hoffm. ſine opio	274
	cum opio	274
	Anthelmintica Michaëlis	275
	Anthydropica J. M. Hoffm.	275
	Antihyſterica	276
	Antipodagrica	276
	Anti-Scorbutica Hamb.	276
	Wirt.	276
	Michaëlis	277
	Aperitiva D. Erbeni	277
	Michaëlis	277
	Aphrodiſiaca Vienn.	278
	Wedelii	278
	Aromatica	279
	Arthritica	279
	Externa Stahlii	280
	Aſae fœtidae	280
	Aſthmatica Angl. le Mort	280
	Balſamica Gmelini	281
	Fr. Hoffm. vid. Elixir. Balſ.	
	Balſami Peruviani	281
	Benzoës Simplex	281
	Compoſita	281
	Bezoardica Alba Hamburg.	282
	alia	282
	Calami Compoſita Stahlii	282
	Cardamomi	283
	Cardui Benedicti	283
	Carminativa Janſonii	283
	noſtra Trilleri	283
	Wedelii	284
	Caſtitatis Michaëlis	284

pag.

Eſſentia Caſtorei 285
Catechu vid. Eſſent. Terr. Catechu
Catarrhalis 285
Catholiconis Purgans 285
Centaurii Minoris 286
Cephalica Edinburg 286
Purgans 286
Vienn. 286
Wirt. 287
Balſamica 287
Cnoeffelii 288
Chinae Chinae Simplex 288
Compoſita Helvvig 289
Cinnamomi 289
Citrina laxans 289
Clareti 290
Cochleariae 290
Colubrini Ligni 290
Corticum Aurantiorum Spirituoſa 290
cum Vino Malvatico 291
Chacarillae 291
Citri 291
Compoſita 291
Croci vid. Tinctura Croci
Culilavvan 292
Cydoniorum 292
Dialaccae ex Speciebus 292
Diuretica Furſtii 292
Dulcis 292
Rubra 293
Enulae ſeu Helenii 294
Fuliginis Clauderi 294
Fumariae 294
Compoſita 294
Galangae 295
Gentianae 295
Guajaci 295
Gummi Ammoniaci 295
Hyperici 295
Juniperi 296
Leviſtici 296
Ligni Aloës vid. Eſſ. Aloës Lign.
Saſſafras Simplex 296
Compoſita 296
Lignorum 297
Compoſita 297
D. Schleet 297
Lumbricorum Terreſtrium 297
Macis 298
Mari Compoſita 298

pag.

Eſſentia Martiata Aperitiva 298
Maſſae Pil. de Cynogloſſo Stahli 298
Maſtiches 298
Melampodii 299
ad Melancholiam 299
Millefolii 299
Millepedum 300
Mumiae Purificans 300
Myrrhae 300
Alcaliſata 300
Nephrocathartica R. L. 301
Oculorum Cancri 301
Odontalgica Stahlii 301
Pareirae Pravae 302
Compoſita 302
Nitroſa 302
Pectoralis Saccharata 302
Pimpinellae Albae 302
Pini 303
Piperis Indici 303
Populi Vulneraria 303
Salutis 303
Salutifera 304
Scammonii 304
Scillae 305
Scordii 305
de Scordio Compoſ. 305
Seminis Santonici Compoſita Vienn. 305
Michaëlis 306
Scharffii 306
Sennae 306
Serpentariae Compoſita 307
Virginianae 307
Spicae Indicae 307
Splenetica Stahlii 307
Stomachica 307
Amara D. B. 308
Ambrata 308
Polychreſta Gundelsheim. 309
Succini 309
Alcaliſata 309
G. 309
Juniperina 310
Ordinaria 310
Terrae Catechu 310
Theriacalis Wirt. 310
Brand. & Hamburg. 311
Camphorata 311
Traumatica 311

pag.

Eſſentia Traumatica ſeu Vulneraria 312
ſeu Balſamus Vulnerarius
Stahlii 313
Wedelii 313
Trifolii Fibrini 314
Vulneraria Roſini Lent. 312
Rolfincii 213
Valerianae Compoſita 314
Volatilis 314
Vincetoxici 314
Viperarum 314
Vitrioli Martialis Antiſcorbutica 315
Vivifica 315
Euphorbii Correctio 315
Extractum Abſinthii 316
Agarici 316
Compoſitum 317
Alkermes 317
Aloës Gummoſum 317
Amarum Compoſitum 317
Angelicae 318
Anodynum 318
Antipeſtilentiale Hartman. 318
Hoffman. 319
Poterii 319
Antivenereum Poterii 320
Purgans 320
Aperitivum Rothii 320
Bezoardicum Camerarii 320
Quercetani 321
Bryoniae 321
Contra Calculum 321
Caſtorei 322
Catharticum 322
Catholicum Wirt 323
Hoffman. 323
Poterii 323
Colocynthidis 324
Croci 324
Diacarthami ſive Cnico-Pharm. 324
Diateſſaron 325
Diacitri 325
Draſticum 326
Ecphracticum 326
Emmenagogum 327
Epilepticum 327
in Fibra Laxa Adſtringens 327
Febrifugum J. 327
Vienn. 328

pag.

Extractum Contra Glutinoſa Stimulans 328
Hydragogum 328
Hyſtericum Roborans 328
Jalappae 329
Ictericum 329
Ligni Aloës 329
Guajaci 329
Maltae Compoſitum 330
Martis Pomatum 330
Seu Chalybis 330
Marocoſtinum 331
Melampodii 331
Melanagogum 332
Nephriticum 332
Nicotianae 333
ſeu Peticum compoſitum 333
Opii ſeu Opium Cydoniatum per Fermentationem 334
Opii 334
Panchymagogum 335
Paregoricum 335
Pectorale 335
Phlegmagogum Quercetani 336
Polychreſtum Emerici 336
Rhabarbari Simplex 337
Compoſitum 337
Scorzonerae Compoſitum 337
Sedativum Citratum 338
Virile 338
Muliebre 338
Foliorum Sennae 339
Solutivum 339
Theriacale 339
Umbilicale Purgans Doereri 340
Uterinum Poterii 340
Aliud 341
Specificum 341

Faeccula Ari Radicum 342
Febrifugum Craanii vid. Regulus Antimonii med.
Riverii 342
Flores Antimonii Helmontii 343
Benzoës 343
Coralliorum 344
Lunae D. Charſtadii 344
Marcaſitae Aureae 345
Martis 345
Vitrioli Martis 345
Nitri Mynſichti 345

pag.

Flores Salis Ammoniaci Simplices 346
Martiales 346
Sulphuris 347
Albi 347
Compoſiti 347
Zinci 348
Flos Cordialium, nec non Cardiacum magnum 348
Gelatina Cornu Cervi Citrata 349
Gilla Theophraſti, ſive Sal Vomitorium Vitrioli 349
Globuli Bezoardici vel & Lapides Contrayervae 349
Carminativi Utechti 350
ad Fonticulos 350
Alii 350
Belgis uſitati 350
Martiales 351
Moſchati Albi 351
Rubri 351
Gummi Guttae Præparatio 351
Guttae Anglicanae Anodynae 351
Cephalicae 352
Hepar Anguillae Præparatum 352
Canis Rabidi Præparatum 352
Lupi Praeparatum 353
Sulphuris 353
Hydromel Simplex 353
Tartariſatum Correctum 353
Infuſum ſeu Aqua Angelica Vienn. 354
Laxativa 354
Aſellorum ſeu Milleped. 354
Cardiacum Fulleri 354
Catarrhale Gorteri 355
Epilepticum Fulleri 355
ad Fluorem Album 355
Contra Hydrophob. Præſtantiſſ. 355
Hydropem 356
Laxativum Mannagettae 356
Viennenſe 357
Contra Scorbutum Acrem 357
Tamarindorum 357
in Vomica Pulmonali Vulnerar. 357
in Æſtu Febrili 357
Julapium Antemeticum 358
Antidyſentericum 358
Antifebrile Sydenham 358
Camphoratum 358
Catarrhale Gorteri 358
Cordiale 359

pag.

Julapium Cretaceum Antacidum 359
Diaphoreticum Barbeirac 359
Diureticum Calidum 359
Frigidum 359
in Febribus Commodiſſimum 360
Hyſtericum 360
Moſchatum Antiſpasmodicum 360
Infantum 360
Perlatum Cordiale 361
Roborans in Languore 361
Temperatum 361
Refrigerans 361
Roborans in Metu Abortus 361
Roſatum ſeu Julepus Roſarum 362
Sambucinum 362
Violarum 362
Vitae ſic Dictum 362
Jus Viperarum 362
Juſculum Antepilepticum 362
Kermes Minerale 363
Lac Aluminis 363
Ammoniaci 364
Aſae Foetidae Hyſter. 364
Benzoini 364
Scammonii ſeu Liquor Acuens 364
ſeu Magiſterium Sulphuris 364
Virginis 364
Lacerta Viridis vid. Mercur. Præcipip. Viridis
Lapis Alexeterius Fulleri 365
Calaminaris Praeparatus 365
Divinus ſive Ophthalmicus 365
de Goa vel Lapis Cordialis Indicus 365
Infernalis 366
Martialis in Globulis vid. Globuli Martiales
Medicamentoſus 367
Mirificus Butleri 367
ſeuSal Prunellae ſiveNitrumTabulatum 368
Laudanum Antifebrile 368
Caeſareum etiam Nepenthes dict. 368
Compoſitum 369
Diureticum ſeu Urin. 369
Hyſtericum 369
Liquidum Sydenhamii 370
Simplex 370
Tartariſatum 370
Cydoniatum 370
Noviſſime Repertum 371

pag.
Laudanum Opiatum 371
Breuneri 371
Cydoniatum vid. Extr. Opii Cydon.
Hoffmannii 372
ſine Opio 372
Paracelſi 372
Pretioſum ſeu Nepenthes Aureum 373
Simplex 373
Univerſale 373
Liquor Acuens vid. Lac Scammonii
Anodynus Mineralis ſeu Spiritus Vitrioli Dulcis 373
Topicus Trilleri 374
Alius Trilleri 374
Antiparalyticus 375
Apoplecticus Balſamicus 375
Arthriticus Lotichii 375
Cardiacus Excellens 376
Utilliſſimus 376
Cornu Cervi Succinatus 377
Albus 377
Contra Gangraenam 377
Alius 378
Martis Solaris 378
Millepedarum Williſii 378
Nephriticus Ettmülleri 378
Nitri Fixi 379
Pectoralis Mynſicht 379
Præcipitans Clauderi 379
Ptarmicus 380
Salinus Laxativus 380
Stypticus Weberi 380
Tartari alias Oleum Tartari per Deliquium 380
Spleneticus 380
Terrae Foliatae Tartari 381
de Tribus 381
Viſceralis 381
Alius 381
Vulnerarius ſeu Stypticus Mineralis 382
Vegetab. ſeu Balſ. Vuln. Dippel. 382
Loch de Althaea 383
Apophlegmaticum 383
ad Aſthma ſeu de Scilla 383
Aſthmaticum 384
Balſamicum Fulleri 384
de Caulibus Gordonii 384
de Farfara 384
Japonicum 384
pag.
Loch Incidens Sputa Viſcida 384
de Lino 385
de Papavere 385
de Paſſulis 385
de Portulaca 386
Puerperarum 386
de Pulmone Vulpis 386
Sanum & Expertum 386
Saponatum Pharm. Edinb. 387
Siccum 387
Lumbricorum Terreſtrium Praeparatio 388
Magiſterium Coccinellae 388
Coralliorum 388
Cordiale 388
Epilepticum 389
Gummi Guttae vid. Gummi Guttae Praeparatio
Marcaſitae ſive Coſmeticum Clavii 389
Mercurii 389
Martis vid. Extractum Martis
Vitrioli Martis ſive Pulvis Polychreſtus 390
Martis Aperitivum Spindereri 390
Saturni 390
Sulphuris vid. Lac Sulphuris
Magnes Arſenicalis 391
Magneſia Alba ſive Panacea Anglica 391
Saturnina Poterii 392
Mandibulae Lucii Piſcis Præparatae 393
Manna Mercurii vid. Mercurii Manna
Margaritae Orientales & Occidentales Præparatae 393
Maſſa pro Fornace Communis 393
Odorifera 393
Optima 394
Glycirrhizae Alba vid. Paſta Althaeae
Fuſca 394
Materia Perlata ſive Magiſterium Antimon. Diaphoret. 394
Mel Anthoſatum 395
Aquilegiae Simplex 395
Compoſitum 395
Calthae Paluſtris 395
Chelidoniae 395
Cucumerinum 396
Deſpumatum Simplex 396
Menthae 396
Mercuriale 396

pag.

Mel Mororum vel Diamoron 396
Nenupharinum 397
Nuceum ſeu Diacaryon 397
Paſſulatum 397
Aliud 397
Mayerne 397
Pectorale 398
Compoſitum 398
Roſatum Simplex 398
Citratum 398
Solutivum 399
Sambuci 399
Saponis 399
Scilliticum 399
Violarum 399
Mercurius Calcinatus 399
Diaphoreticus Albus atque Ruber 400
Dulcis 400
Mercurii Manna 401
Mercurius Præcipitatus Albus ſeu Coſmeticus 402
Fixus vid. Panacea Cinnabarina Thomſon.
Flavus vid. Turpethum Minerale 402
Ruber 402
Viridis ſeu Lacerta Viridis
Sublimatus Corroſivus 402
Veneris Vegetabilis 403
Violaceus 404
Vitae ſeu Pulvis Algaroth 404
Cœleſtis Klaunigii 405
Purgans 405
Millepedum Præparatio 405
Miva Borraginis 405
Conſolidae 405
Cydoniorum Simplex 405
Aromatica 406
Dialthaeae 406
Satyrii 406
Mixtura Adſtringens ad Haemoptyſin 406
Simplex Alba 407
Ammoniaca Aſthmatica 407
Anodyna & Cardiaca pro Puerperis 407
in Morbis Puerorum 408
Antaſthmatica Fraundorf 408
Aſthmatica Trilleri 408
Antipleuritica Boerhaave 408
Haddenii 409
Antipleuritica Trilleri 409

pag.

Mixtura Apoplectica 409
Aromatica 409
Aurea 410
Balſamica Cephalica 410
Gileadenſis 410
in Gonorrhoea 410
Nephritica 410
Diuretica Gaub 411
Fulleri 411
Ecphractica 411
Epileptica Deckeri 411
Epileptica Michaël 412
Hydropica Roborans 412
Alia 412
Pacifica 412
Contra Scorbutum 412
Simplex Ordinaria Paracelſi 413
Ludovici 413
Stegnotica 413
Sudorifera Antifebrilis 413
Tonico Nervina Stahlii 414
Morſuli Adverſus Acidum 414
Antimoniales Reſtaurantes Kunckelii 414
ad Ardorem Ventriculi vel Sodam 415
de Citro Prophylactici 415
Cordiales 415
de Jalappa 416
Laxantes 416
Roſati 416
Imperatoris cum Fructibus 416
Magnanimitatis 417
Purgantes 417
Stomachici Carminantes 417
Tartarei 418
ad Thermas & Acidulas Zvvingeri 418
contra Vermes Gaub 418
Wirt 418
Muſcerdae vid. Trochiſci Catechu
Mucharum Roſarum 419
Mucilago Nephritica 419

Nepenthes Aureum vid. Laudanum Pretioſum
Nitrum Alexipharmacum Zvvingeri 419
Catharticum 419
Alkaliſatum vel Fixum, vid. Liq. Nitri Fixi
Antimoniatum ſeu Anodynum Minerale 420
Cachecticum Chalybeatum 420
Catharticum 420

		pag.
Nitrum	Coralliatum	420
	Cryſtalliſatum & Depuratum	420
	Fulminans	421
	Hermaphroditicum	421
	Papaverinum	421
	Perlatum	421
	Roſatum	421
	Saturninum	422
	Tabulatum ſeu Sulphuratum vid. Lapis Prunel.	
	Tartariſatum	422
	Vitriolatum vid. Arcanum Duplicatum	
	Nives Mariae vid. Pulv. Vien. Albus Virgineus	
Oculi	Cancrorum Citrati	422
	Præparati	422
Oleum	Abſinthii Deſtillatum	422
	per Infuſionem	423
	Abrotani	423
	Acuſticum	423
	Ambratum	424
	Wedelii	424
	Aloëticum	424
	Aloës Ligni	424
	Amygdalarum Amarum Expreſſum	424
	Dulcium	425
	Anagallidis	425
	Anethi	425
	Animale Dippelii	425
	Anodynum Refrigerans	426
	Antimonii Saccharatum	427
	Apoplecticum	427
	Aranearum Mindereri	427
	Arthriticum Arniſaei vid. Spiritus Arthriticus	
	Balſamicum	428
	Baſilici	428
	Betulinum	428
	Bezoardicum Wedelii	429
	Benzoes	429
	Bufonum	429
	Buxi & Guajaci	429
	Cancrorum	429
	Camphorae Liquidum & Butyraceum	430
	Capparum	430
	Cardiacum ſeu Cordiale Odoriferum	430
	Cardui Benedicti Compoſitum	431
	Carfunculi	431
	Carminativum	431
	Vienn.	432
Oleum	Caſtorei Simplex	432
	Compoſitum	432
	Catellorum Paris	432
	Lond.	433
	Caryophyllorum Aromaticorum	433
	Cerae	433
	Chamomillae	434
	Cheiri	434
	Cinnamomi	434
	Cochleariae	435
	Colocynthidis	435
	Cordiale Brunneri	435
	Cornu Cervi	435
	Corticum Aurantiorum	436
	Citri	436
	Corylinum	436
	Coſtinum Mel	436
	Cremoris	436
	Cumini Nigri	437
	Exceſtrenſe	437
	Euphorbii	437
	Compoſitum	437
	Florum Slotani ex Hildano	437
	Verbaſci	438
	Formicarum	438
	ex Fructu Cacao ſeu Butyrum Cacao	438
	Galbani	439
	Galbanetum Paracelſi	439
	ad Colicam	439
	Gonzagianum	440
	ad Guttam Roſaceam D. Sennerti	440
	Habacucinum	440
	Hepaticum Rubrum	441
	Heraclinum vid. Oleum Corylinum	
	ad Hernias	441
	Hirundinum	442
	Hiſpanicum	442
	Hyoſcyami	442
	Hyperici	443
	Compoſitum Goeleri	443
	ad Herniam Solenandri	443
	e Baccis Juniperi	444
	Lacertarum	444
	Ladani Odoratum	444
	Cum Lateribus Deſtill. Philoſophorum Dictum	444
	Lavendulae	445
	Laurinum	445
	Ligni Saſſafras	445
	Liliorum Alborum Simplex	446

INDEX COMPOSITORVM.

pag.

Oleum Liliorum Alborum Compoſitum 446
Lini Expreſſum 446
Magiſtrale Compoſitum 446
Lumbricorum Terreſtrium Simplex 447
Compoſitum 447
Majoranae Simplex 447
Compoſitum 447
Mandragorae 447
Martis 448
Maſtichinum Simplex 448
Compoſitum 448
Mellis 448
Menthae 448
Milvinum 449
Momordicae 449
Myrrhae Compoſitum 449
per Deliquium 449
Myrtillorum 449
Nardinum Simplex 450
Compoſitum 450
Nervinum 450
Timaei 450
Nicodemi 451
Nicotianae 451
Novem Mixta 451
Nucis Moſchatae Expreſſum 451
Nucleorum Perſicorum 452
Nucum Juglandium ſive Caryinum 452
Nymphææ 452
Ovorum Expreſſum 452
Papaveris Compoſitum 453
Expreſſum 453
Paregoricum Wedelii 453
Prophylacticum contra Peſtem: Lud. 453
de Ipſis Ranis 454
Ranunculi Eſculenti 454
Rhabarbari 454
Roſarum 455
Roſatum 455
Rutæ 455
Sabinæ 455
Santali Citrini 455
Saponis 455
Scorbuticum 455
Scorpionum Simplex 456
Compoſitum 456
Septem Florum 456
Sinapi 457
Solani e Baccis 457

pag.

Oleum Spermatis Ranarum 457
Stomachicum Vienn. 457
Cratonis 457
Zwelferi 458
Succini 458
Sulphuris 458
Terebinthinæ 458
Compoſitum 459
Uterinum 459
contra Vermes 459
Violarum 459
Viperarum 460
Viride 460
Viridis Aëris 460
Vitrioli 460
Dulce 460
Viride 461
Vulnerarium Baſileenſium 461
Vulpinum 461
Opiata contra Cancrum 461
contra Chloroſin 462
Cardiaca 462
ſeu Cordialis 462
pro Pauperibus 462
Cephalica 462
contra Febrem 462
Quartanam 463
contra Fluxum Alvi 463
Meſenterica 463
Neapolitana 463
Salomonis Correcta 464
Orvietanum 464
Aliud Charas 465
Præſtantius 466
Oxymel de Allio 466
Aſthmaticum 466
Diureticum 466
Elleboratum Majus & Minus 465
de Peto 467
Purgans Pectorale 467
Scilliticum 467
Simplex 467
Oxyrrhodinum Demulcens & Refrigerans 468
Oxyſaccharum Emeticum 468
Scilliticum vid. Syrup. de Scilla
Panacea Antimonialis 468
Anglica ſeu Solutiva vid. Magneſia Alba

Pana-

	pag.
Panacea Aurea	468
Cathartica	469
Cinnabarina Thomſon	469
Jo. Hartmanni	469
Holſatica vel Duplicata vid. Arcanum Duplicatum	
Mercurialis	470
Mineralis vid. Pulvis Vienn. Albus Virgineus	
Muſſatii	470
Solaris Wildeganſii vid. Pilulæ Solares Ejuſdem	
Panis Cydoniorum cum Aromatibus	470
Diaſarſæ	471
Martius Laxativus Sennerti	471
de Vipera	471
Paſſulæ Anthelminticæ	471
& Pruna Laxativa	471
Paſta Althææ	472
Regalis pro Emulſionibus	472
Paſtilli Fœtidi, ſive Aviculæ Æthiopicæ pro Suffitu	472
Odorati pro Fumo	473
Odoriferi Alii	473
Philonium Romanum vid. Electuarium Perſicum Avicennæ	474
Pilulæ Æthiopicæ	474
aliæ	475
Aloephanginæ	475
de Ammoniaco	475
Antiſcorbuticæ	476
Chalybeatæ	476
Anethinæ	476
Angelicæ	476
Aperientes Stahlii	477
Martiales Aperitivæ	477
de Aquilegia	477
Aureæ	477
Balſamicæ Aperitivæ	477
Mortonianæ	478
Benedictæ Faventini	478
Cachecticæ	478
Caſtitatis	478
de Caſtoreo	479
Catarrhales	479
Catholicæ vid. Imperiales	
Cephalicæ	479
Fulleri	479
Ambratæ Mercklini	480
Pilulæ Cephalicæ Mayerni	480
Claſſianæ	480
Clementinæ	480
Cochiæ Raſis	481
de Creta Palmarii	481
Cretaceæ	481
Croceæ	482
de Cynogloſſo	482
cum Caſtoreo	482
Diacurcumæ	482
Dominarum	482
de Duobus	483
Ecphracticæ	483
cum Aculeo	483
Aliæ	483
Emanuelis	484
Familiares	484
Febriles Alterantes	484
Hoffmanni	484
Aliæ ejusdem	484
Purgantes Vienn.	484
Gaubii	485
Fœtidæ Majores Meſue	485
Balſamicæ in Gonorrhœa Venerea	485
contra Gonorrhœam	485
ad Gonorrhœam Junckeri	486
Hieræ cum Agarico	486
Hydropicæ	486
Bontii	486
Hypnoticæ	487
Hypochondriacæ	487
Bœcleri	487
Aliæ	487
Hyſtericæ Wirt.	488
Paris	488
Fulleri	488
Imperiales	489
Lucis Majores, ſive Opticæ Mes.	489
Magnanimitatis Japonenſium	489
Marocoſtinæ Mindereri vid. Extractum	
Maſtichinæ	490
Mercuriales	490
Nobiles	490
Peſtilentiales Avicennæ	491
Prophylacticæ	491
Thom. Reineſi	491
Ruffi ſeu Communes	491
Polychreſtæ Balſamicæ	492
Starckey	492

		pag.
Pilulæ	Puerperarum Fulleri	492
	Aliæ	493
	Purgantes Conſuetæ Trilleri	493
	Saturninæ	493
	Scilliticæ	494
	ſine quibus eſſe nolo	494
	Solares Wildeganſii	495
	Spleneticæ	495
	Stomachicæ vulgo Ante Cibum	495
	Alkindi	496
	Fabricii	496
	Fulleri	496
	cum Gummi	496
	Magiſtrales	496
	Poterii	497
	Stahlii	497
	Stypticæ Fulleri	497
	de Styrace ſine Ambra	498
	Styracinæ	498
	de Succino Auctæ	498
	Cratonis	498
	Sudoriferæ Antifebriles	498
	Syncopales	499
	Tartareæ Bontii	499
	Quercetani	499
	Schrœderi	499
	de Terebinthina	500
	Teſtaceæ Fulleri	500
	Tolutanæ	500
	Trium Diabolorum	500
	Urbani	500
	contra Vermes	501
	Viſcerales	501
	Wildeganſii Genuinæ	501
Plumbum Uſtum		502
Pomum Odoratum		502
Pulmones Vulpis Præparati		502
Pulpa Caſſiæ		502
	pro Clyſteribus	503
	Paſſularum & Prunorum vid. Diſp. Vienn.	
	Tamarindorum	503
Pulvis	contra Abortum cum Saccharo	503
	Abſorbens	503
	Wedelii	503
	Alexipharmacus	504
	Alius	504
	Rollwagii	504
	Berol.	505
	Camerarii	505

		pag.
Pulvis	Alexipharmacus Citrinus	505
	Hoffmanni	505
	Lemery	505
	Pretioſus Regius	506
	Ruber	506
	Vienn.	507
	Alexeterius Specificus Angeli Salæ	507
	Analepticus Frigidus Mindereri Incompletus	507
	Anonymus	507
	Anodynus Camerarii	507
	Ludovici	508
	Antacidus ſeu Abſorbens Nitratus Stahlii	508
	Bœrhaave	508
	Hoffmanni	508
	Antarthriticus Wepferi	508
	Antatrophicus	509
	Anti-Colicus Camerarii	509
	Antidinicus Lentilii	510
	Antifebrilis Bat.	510
	Gaub	510
	Hoffmanni	510
	Pragenſis	511
	Ruber	511
	Trilleri	511
	Antilyſſus Lond.	512
	Antiſpaſmodicus Nitroſus Stahlii	512
	contra Acredinem	512
	Ari Compoſitus vid. Pulv. Stomachicus Birckmanni	
	Auratus Dresdenſis vid. Pulv. Cordialis Cellenſ.	
	Bezoardicus Albus Ludovici	513
	Anglicus Incompletus	513
	Caroli Duc. Mant.	513
	Anglicus Completus	514
	Pretioſus Wedelii	514
	Fulleri	514
	Sennerti	515
	Tim. a Güldenklee	515
	Weiſii	515
	Cachecticus Quercetani Incompletus	515
	ad Calculum	516
	contra Calculum	516
	Hoffmanni	516
	Placcii	517
	Canæus ex Nitro	517
	Cardiacus Corallatus	517

INDEX COMPOSITORUM.

	pag.
Pulvis Cardiacus Eboratus	517
Excitans	518
Narcoticus	518
Odoratus	518
Perlatus	519
contra Cardialgiam Rubeus	519
Verzaſchæ	519
Carminativus	519
Bierlingii	520
Fulleri	520
Garmeri	520
Hoffmanni	520
Queſtenbergicus	520
Contra Caſum	521
Cephalicus Albus	521
Arniſæi	521
Camerarii cum Saccharo	521
Charas	522
Dolæi	522
Ettmülleri	522
Fulleri	522
Hoffmanni	523
ad Memoriam Robarandam Anderſoni	523
Odoratus	524
Rubeus	524
Winteri	524
Cerebrum Roborans Kepleri	525
e Ceruſſa	525
Cervinus Camerarii	525
Chalybeatus	525
Major Pariſienſ.	526
e Chelis Cancrorum Compoſ. Minus Pretioſus	526
Pretioſus	526
Contra Colicam	526
Fulleri	527
Confortans Camerarii	527
Contrayervæ Compoſitus	527
Cordialis Cellenſis	528
Communis cum Zedoaria	528
Pretioſus cum Zedoaria	528
Cornachini	529
Coronatus	530
Coſmeticus Cnœffelii	530
Manualis	531
ad Man. Michaëlis	531
Dentifricius	531
Carol. Barbeirac	531
Pulvis Dentifricius Th. Bartholini	532
Gaubii	532
Hoffmanni	532
Viennenſium	532
Diaphoreticus Fulleri	533
Thom. Reineſii	533
Verzaſchæ	533
Digeſtivus	533
Dyſentericus	533
Hoffmanni	534
ad Dyſtociam	534
ad Dyſuriam	534
Fallop. & Michaëlis	534
Epilepticus Bat.	535
in Gallia Narbon	535
Bierling	535
Cellarii cum Caſtoreo	536
Caſpar Bartholini Nobiliſſimus	536
Eximius	537
de Gutteta	537
de Gutteta Riverii	538
Holſaticus	538
Junckeri	538
Marchionis	539
Correctus.	539
Mirabilis Mynſichti	540
Niger Vienn.	540
Rindſcheidleri	540
Ruber	540
Rudolphi Secund. Imp.	541
Viti Riedlini	541
pro Epithemate Cordis & Hepatis vid. Spec. pro Epithemate Cordis & Hepatis	
ad Eryſipelas	542
Albus	542
Eryſipelatodes Ruber	542
Euphragii Simplex	542
Compoſitus	542
ad Flatus	542
ad Fluorem Album	543
Fumalis Haugii	543
Odoratus	543
Galactopœus	543
Hamburg.	544
Winckleri	544
Gingivalis	544
Gravidarum Fulleri	544
Griſeus	544

pag.
Pulvis Haly 545
contra Hæmoptyſin 545
Hæmoptoicus Alius 545
Hepaticus Ruber Dresdenſis 546
Hydragogus, Bauder 546
Colleg. Lugd. 546
Hyſtericus 546
ex Jalappa Compoſitus 546
Ictericus 547
Dolæi 547
Jo. Langii 547
Timæi à Güldenklee 547
Jeſuitarum Memoriæ Conſecratiſſimus 548
Incidens Stahlii 548
Incraſſans 548
pro Infantibus Bœrhaave 549
Recens Natis 549
Stahlii 549
Laetificans vid. Species Laetif.
Lenitivus Tartariſatus 550
Lumbricorum Compoſitus 550
Mantuanus 550
Martialis Anglicus Compoſitus 550
ad Morſum Canis Rabidi ſpecificus 550 & 551
Mulierum 552
ſeu Dominarum Foreſti 552
e Myrrha Compoſitus 552
Myrrhæ Compoſitus 552
Nephriticus 552
Charas 553
Fulleri 553
Poterii 553
Pretioſus 553
Ophthalmicus 553
Oxytocius 554
ſeu ad Dyſtociam 554
Pannonicus Minus Pretioſus 554
Ruber Ordinarius 554
ad Partum 555
Pectoralis Loſchianus 556
Paris vid. Loch Siccum
Reſolvens 556
Pleuriticus 556
Alius 556
Hoffmanni 557
Ludovici 557
Muſitani 557
Tim. a Güldenklee 558

pag.
Pulvis Pleuriticus Williſii 558
Polychreſtus vid. Magiſterium Vitriol. Mart.
pro Potu Febrilis 558
Præcipitans 559
Bilgeri 559
Stahlii 559
Præparans Gaddani 559
Pretioſus Albus 559
Puerorum Communis 560
Completus Dictus 560
Fulleri 560
Puerperarum 560
Purificans 561
Bœrhaave 561
& Salivans 561
Stahlii 561
Purpureus Anglicus 562
Reſolvens Compoſitus 562
Stahlii 562
Saxonicus Secundum Lobelium 562
Scillæ Compoſitus 563
Stegnoticus Gutmanni 563
Sternutatorius 564
Albus 565
Bierlingii 565
Gaubii 565
Junckeri 566
cum Moſcho & Ambra 566
Nœrdling 566
Nopſii 566
Norimberg 567
Trilleri 567
Ruber 568
Junckeri 568
Thom. Reineſii 568
Variegatus 569
Viridis 569
Optimus 569
Stomachicus 569
Birckmanni 570
ad Strumas cum Saccharo 570
e Succino Compoſitus 571
ad Suppoſitoria Communis 571
Temperans 571
Helvetii 571
Junckeri 572
Pariſienſium 572
Hoffmanni 572

pag.
Pulvis ad Tormina Infantum 572
Trium Nummorum 572
ad Tuſſim Infantum 573
ad Ulcera Maligna Siccanda 573
Renum Internus 573
pro Ulceribus Gutturis 573
Uterinus Jovialis 573
ſeu Hyſtericus Mercklin 574
Uvularis 574
Fuller 574
contra Variolas 574
Alius 574
& Morbillos 575
Tuſchereri 575
contra Vermes Brand. 575
Auguſt. 575
Edinb. 575
Wirt. 576
Bat. 576
Bœrhaave 576
Fulleri
Purgans Fulleri 576
contra Vertiginem Viridis 577
Ettmülleri 577
Viennenſis Albus Virgineus 577
Viſceralis 578
Vitæ Aureus 578
Imperatoris 578
Vulnerarius Externus 579
Zwelferi 579
Radicis Ari Præparatio 579
Regulus Antimonii Martialis 580
Medicinalis 580
Simplex 581
Arſenicalis & Jovialis vid. Bezoardicum Joviale
Reſina Gialappæ 581
ad Modum Stahlii Præparata 582
Ligni Guajaci vid. Extr. Ligni Guajaci
Scammonii 582
Roob Acaciæ Noſtratis 582
Alkekengi 582
de Agreſta vid. Syrup.
Berberum 583
Purgans 583
Ceraſorum Purgans 583
Cornorum 583
Cydoniorum vid. Miva Cydon.
Cynosbati 584
pag.
Roob Ebuli 584
e Fructibus Weickardi 584
Juniperi 584
Mororum cum Melle vid. Mel Diamoron
Myrobalanorum 584
Nucum 585
Ribium Purgans 585
Sambuci 585
Antilœmicum Blochwitii 585
Purgans ejusdem 586
de Spina Cervina vid. Syrup Domeſticus
Veronicæ Zwelferi 586
Ros Mineralis 586
Roſa Solis Batei 586
Ros ſive Phlegma Vitrioli 587
Rotulæ Berberum 587
Bezoardicæ 587
Cardiacæ Gaub 587
Timæi 587
Cephalicæ 588
Diaireos 588
Diureticæ Charas 588
contra Dolores a Partu 588
Dyſentericæ Deckeri 589
Embryonum 589
Hæmoptoïcæ 589
Monſpelienſium 589
Lenthales 590
Magnanimitatis Charas 590
Manus Chriſti 590
contra Phthiſin 590
Saponaceæ 591
contra Sitim 591
Stomachicæ 591
contra Vermes 591
Bœrhaave 591
Vienn. 592
Charas 592
Lentilii 592
Timæi 592
Saccharum Caryophyllatum 592
Clarificatum 593
Lactis Lud. Teſti 593
Cryſtalliſatum 593
Martis 593
Roſatum Tabulatum 594
Sambucinum 594

INDEX COMPOSITORVM.

pag.

Saccharum Saturni Cryſtalliſatum 594
Tormentillæ 596
Vermifugum 596
Sal Abſinthii 596
Aceti Eſſentiale 597
Fixum 598
Antimonii 598
Chalybeatum Cacheticum 598
Chalybis 598
Catharticum 598
ſiv. Martis Dulce 598
Cinnamomi 599
Coralliorum 599
Cordiale ſeu Cardiacum 599
Cornu Cervi Volatile 599
Coſmeticum 600
Diureticum 600
Ettmülleri 600
Waldſchmid 600
de Duobus vid. Arcan. Dupplicatum
Epaticum Mynſichti 601
Epilepticum Mynſichti 601
Eſſentiale Acetoſæ & Acetoſellæ 602
Tartari vid. Arcanum Tartari
Vegetabilium 603
Febrifugum Bat. 603
Ettmülleri 603
Mœbii 604
Sylvii 604
Sleppecrellii 604
Aliud 604
Febrile Specificum 604
Glaſti ſeu Iſatidis Volatile 605
Jovis vid. Sal Stanni
Lactis vid. Saccharum Lactis
Lumbricorum Volatile 605
Mirabilis Glauberi 605
Philoſophorum 606
Polychreſtum Paris. 606
Rubrum 606
de Seignette 606
Sedativum Hombergii 607
e Seminibus Plantarum Volatile. Wedel. 608
Spleneticum Mynſichti 608
Spongiæ Volatile 608
Stanni ſive Jovis 609
Stomachicum Eſurinum Dolæi 609
Mynſichti 609
Succini Volatile 610

pag.

Sal Sulphuris 610
Tartari Fixum 610
Volatile 610
Hellwigii 611
Tackenii 611
Theriacale Simplex 611
Compoſitum 611
Aliud 612
Uterinum 612
ad Partum Promovendum 612
Volatile Oleoſum Extemporaneum 613
Viperarum Volatile 613
Virtutis 613
Volatile Anglicum Siccum 614
Oleoſum 614
Angelicæ Bœrhaave 614
ſive Liquor Oleoſus Sylvii 615
Urinæ 615
Vinoſum 616
Sanguis Cichorii Rhabarbarinus vid. Anima Rhabarbari
Hirci Præparatus 616
Sapa Vomitoria Sylvii 616
Sapo Fragrans 617
Medicatus 617
Odoratus 618
contra Scabiem 619
Tartareus 619
Saturnina Magneſia vid. Magn. Saturnina
Scillæ Præparatio 620
Secundinarum Humanarum Præparatio 620
Sericum Toſtum 620
Sief Album 620
Solutio Coralliorum 620
Matris Perlarum 621
Sparadrapum Album 621
ad Corpus Conditum Involvendum 621
Rubrum 621
Viride 621
Species Alexicacæ 621
Alexipharmacæ 622
de Althæa 622
Anodynæ & Carminativæ pro Thea. Trilleri 622
Antiphthiſicæ pro Thea. 623
Trilleri 623

INDEX COMPOSITORUM.

	pag.
Species Aperitivæ & Hydragogæ	623
contra Apoplexiam	624
Aromaticæ Caryophyllatæ	624
Roſatæ	625
Bechicæ pro Thea	625
Aliæ Hoffman	625
Similes Ejusdem	625
Carminativæ & Stomachicæ Weick.	625
Zwelferi	626
Cephalicæ pro Cucuphis	626
Capiti Debili	627
adverſus Catarrhos	627
Fülleri	627
Morell	628
Cucupha Roborans contra Catarrhos	627
Cordiales Lemery	628
Londinenſ.	628
Solares & Alexipharmacæ Zwelferi	629
Temperatæ	629
Prætioſæ Zwelferi	630
Decocti Antifebrilis	630
Sudoriferæ Bœrhaave	630
Decocti Antinephritici	631
Antiſcorbut. Ettmülleri	631
pro Decocto Avenæ Loweri	632
Decocti Carminativi	632
Zwelferi	632
Febrifugi	633
Lemery	633
Decocti Florum & Fructuum	633
pro Decocto ad Gangrænam	634
Decocti pro Gargariſmate	634
Adſtringente	635
in Angina	635
Barbette	635
Emolliente	635
Vienn.	635
Hepatici Aperient	636
Hoffmann Sen.	636
Hyſterici	636
Icterici Ettm.	636
Lignorum	637
Mercuriale contra Vermes	637

	pag.
Species Decocti Millefolii	637
ad Morſum Canis Rabidi	638
Quercetani	638
Nevrotici	638
Nigri	638
pro Decocto ad Ozœnam Deckeri	639
Gaubii	639
Pacifico	639
Aliud	639
Decocti Pectoralis	640
pro Decocto Pleuritico Batei	640
Bœrhaave	640
Ejusdem	641
ad Pleuritidem	641
Decocti pro Potu Infantum	641
ad Rachitidem	642
pro Uſu Externo	643
contra Sputum Sanguinis	643
pro Decocto ad Rachitidem	642
contra Scorbutum	643
Vulnerario	643
ſeu Traumatico	644
Diaboracis	644
Diacalaminthes Simplices	644
Compoſitæ	644
Diacinnamomi	645
Diacinnabaris Mynſichti	645
Diacretæ Camerarii	645
Mynſichti	646
Diacubebarum	646
Diacumini Nicolai	646
Diacurcumæ	646
Diagalangæ Meſue	647
Diahyſſopi Nicolai	647
Diajalappæ Mynſichti	647
Diaireos Salomonis	648
Simplices	648
Dialaccæ Meſue	648
Dialauri Mynſichti	649
Diamargaritæ Calidæ	649
Frigidæ	649
Diambræ	649
Diamari Wed.	650
Diamumiæ Mynſ.	650
Dianiſii	650
Dianthus Nicol.	650

pag.

Species Diarrhodon Abbatis 651
Diaſennæ 651
Diatabaci Mynſichti 651
Diatartari Mynſ. 652
Diaterebinthinæ Mynſ. 652
Diathamaron Nicol. 652
Diatragacanthæ 653
Calidæ Nicol. 653
Frigidæ 653
Dia Trion Sandalon 654
Dia Turbith cum rhabarbaro 654
Emmenagogæ Wepf. 654
Emollientes 655
pro Epithemate Capitis 655
Cephalicæ 655
Cordis 655
& Pulſuum 656
Hepatis 656
Cordis Palmarii 656 & 657
Stomachi 657
pro Fomentatione 657
pro Fotu Aromat. 658
pro Gargariſmate in Aphthis 658
in Graviſſima Angina 658
Emollientes & Demulcentes 658
de Gemmis Calidæ 659
Frigidæ 659
Zwelferianæ 659
Hieræ Picræ Simpl. 660
Rhaſis Dictæ 660
Hippocraticæ 660
pro Vin. Hippocratico 661
de Hyacintho 661
Imperatoris 661
pro Infuſo Polychreſto 662
Laxativæ Polychreſtæ 662
Lætificantes 662
Rhaſis 663
Pectorales pro Thea 664
e Scordio cum Opio 664
ſine Opio 664
Stomachico - Laxativæ 664
Tabaci pro Fumo 665
Officinales 665
Suaveolentes Cephalicæ 665
Specificum Antatrophum vid. Pulvis Antatroph.

pag.

Specificum Antifebrile Croll. 666
Cephalicum Michaël. 666
Febrifugum vid. Regulus Antimon. Medicinalis
Jalappinum 667
Tartari Pharyngicum Zobelii 667
Virgineum vid. Pulv. Vienn. Albus Virgineus
Sperniola Crollii 667
Spiritus Æruginis 667
Compoſitus 668
Alkermes 668
Angelicæ 668
Aniſi 668
Compoſitus 668
Anthos 669
Anticolicus Dolæi 669
Tentzelii 669
Antiſcorbuticus Bœrhaave 669
Deckeri 669 & 670
Brand 670
Drawizii 671
Fulleri 671
Hagienſium 672
Hoffmanni 672
Roſin. Lentilii 672
Aperitivus Penoti 672
Arack 673
Aromaticus Lentil 673
Compoſitus 673
Aromatico-Oleoſus 674
Arthriticus Arniſæi 674
Deckeri 675
Drawizii 675
per Fermentationem Paratus 675
Rolfincii 675
Ruber Henrici 676
Aſthmaticus vid. Spiritus Æruginis Compoſ.
Woyt 676
Balſamicus vel Balſamum Vitæ Album 676
Fuchſii 676
Balſami Peruviani Hoffm. 677
Bezoardicus Buſſii 677
Cardiacus Kœnigii 677
Tentzelii 677
Carminativus Dolæi 678

INDEX COMPOSITORUM.

pag.

Spiritus Carminativus Sylvii 678
de Tribus 678
Carvi Compoſitus 679
Caſtorei Compoſitus 679
Cephalicus Waldſchmid 680
Ceraſſorum Nigrorum 680
Compoſitus 680
Cochleariæ 681
Compoſitus 681
Purgans 681
contra Colicam 681
Drawizii 682
Convulſivus Geilfuſii 682
Cornu Cervi 683
ad Uſus Externos 683
Corticum Aurantiorum 683
Citri 684
Croci Simplex 684
Compoſitus 684
Diapente 684
Diatrion vid. Mixtura Simplex
Emmenagogus 684
Epilepticus 685
Euphraſiæ 685
Formicarum 685
Fuliginis 686
ex Ligno Cinnamomi 686
Juniperi 686
Lavendulæ Simplex 686
Compoſitus 686
Ligni Guajaci 687
Liliorum Convallium 687
Lumbricorum Compoſitus Mollenbr. 687
Terreſtrium Compoſitus 687
Vinoſus 688
Volatilis 688
Maſtichinus 688
Compoſitus 689
Simonis Paulli 689
Matricalis Aromat. 689
Burrhi 690
Meliſſæ 690
Mellis 690
Menthæ 690
Nephriticus Dekkeri 690
Pariſienſis 691
Waldſchmid 691
Warſchavienſis 692

pag.

Spiritus Nervinus Hoffm. 692
Nitri Acidus 692
Anticolicus 692
Concentratus 692
Dulcis Simplex 693
Compoſitus 693
Odontalgicus 694
Otalgicus 694
Panis 694
Paralyticus 695
Cnœphelii 695
Pectoralis Dekkeri 695
Mynſichti 696
Podagricus Jungken 696
de Spina 697
Polychreſtus 697
Regius Hoffmann Sen. 697
Rhoeados Crapularius 698
Roſarum 698
per Fermentationem 698
Salis Ammoniaci Aromatiſatus 698
Aniſatus 699
Aromaticus 699
Chalybeatus 699
Succinatus 700
Tartariſatus 700
Volatilis Urinoſus 700
Vinoſus 700
Coagulatus 701
Communis Acidus 701
Concentratus 701
Dulcis 702
Martialis 702
Salutis Maxvelli 702
Sambuci Compoſitus 702
Florum 703
Scelotyrbicus ſeu Antiſcorbuticus 703
Serpilli 703
Stomachicus Mynſ. 703
Sulphuris per Campanam 704
Tartari Simplex 705
Compoſitus 705
Volatilis vid. Sal. Volat. Tartari
Terebinthinæ 705
Theriacalis Wirt. 706
Laxans 706
Mynſichti 706
Trifolii Fibrini 707

pag.
Spiritus Urinæ 707
Uterinus Charas 707
Hoffmanni 707
ſeu Hyſtericus; Burrhi 707
Jungken 708
Zwelferi 708
Vini Camphoratus 708
Rectificatus 709
Tartariſatus 709
Vitrioli Coagulatus 709
Diaphoreticus 709
Dulcis vid. Liquor Anodynus
Philoſophicus 709
Simplex 710
Volatilis Aromaticus Oleoſus 710
Spongiarum Toſtio 710
Succinum Præparatum 711
Sulphur Auratum Antimonii 711
Suppoſitorium Acre, Fortiter Stimulans, in Affectibus Soporoſis Frigidis 712
Anthelminticum 712
Compoſitum 712
ad Excitandum Hæmorrhoidum Fluxum 712
ſeu Glans, ad Alvum Sollicitandam 712
Mercuriale Aſcaridibus Necandis Aptum 713
ad Siſtendum Nimium Hæmorrhoidum Fluxum 713
Stimulans 713
contra Vermes 713
Syrupus de Abſinthio Compoſitus 713
Acaciarum Florum 713
Acetoſellæ & Acetoſæ 714
Acetoſitatis Citri 714
Adianti Fernelii 714
de Agno Caſto 714
de Agreſta 715
de Althæa Fernelii 715
de Ammoniaco 715
Antepilepticus 715
Anticauſticus 716
Antiſcorbuticus 716
Aperiens Anticachecticus 717
de Artemiſia 717
Artemiſiæ Fernelii 717
Balſamicus 718
Tolutanus 718

pag.
Syrupus Bellidis e Succo 719
Berberum 719
Betonicæ 719
Borraginis 719
Bugloſſi 719
Botryos 719
Boyleanus 720
Brunellæ 720
Bryoniæ 720
Byzantinus Simplex 720
Compoſitus 720
Capillorum Veneris Simplex 721
Compoſitus 721
Cardiacus 721
Cardui Benedicti 722
Carminativus 722
Caſcarillæ e Corticibus Ligni Saſſafras 722
Centaurii Minoris 722
Ceraſorum Acidorum 723
cum Floribus Tunicæ 723
Chalybeatus 723
Chamomillæ 724
Chenepodii 724
de Cichorio cum Rhabarbaro 724
de Cichorio cum Rhabarbaro Nicolai 725
Cinnamomi 725
Citri e Toto 725
Cochleariæ 726
Compoſitus 726
Contrayervæ 726
Compoſitus 726
Coralliorum 727
Corticum Aurantiorum 727
Citri 727
Eſſentif 727
Croci 728
Alius 728
de Cucurbita Meſues 728
Cydoniorum 729
e Cynogloſſo 729
Diacitri Roſatus 729
Diacodion, ſive de Capitibus Papaveris 730
Diacodium Crocatum 730
Diaſereos Andernaci 730
Dynari vid. Syrupus Byzantinus
Domeſticus ſive de Spina Cervina 731

pag.
Syrupus de Duabus Radicibus 731
Dyſentericus Medicorum Pariſienſium 731
Emeticus 732
Angeli Salæ 732
Enulæ 732
de Eryſimo Lobelii 732
Exhilarans, Schillingi 733
Farfaræ e Floribus 733
Fragrans Laxativus 734
Florum Nymphææ Simplex 734
Compoſitus 734
Florum Paralyſeos 735
Fragorum 735
de Fumaria 735
Compoſitus 735
Glycyrrhizæ 735
Granatorum 736
Granorum Kermes 736
Hederæ Terreſtris 736
Hyperici 736
Hyſſopi 737
Compoſitus 737
de Ibiſco ſive de Althæa Compoſitus 737
de Jujubis 738
Kinæ Kinæ 738
ſine Vino 739
Limonum 739
de Manna Laxativus 739
Solutivus 739
Maſtichinus 740
Meliſſæ 740
Menthæ 740
Compoſitus 740
Mercurialis 741
Mororum 741
de Mucilaginibus 741
de Muſco Querno 741
de Myrrha 742
Myrtillorum 742
Myrtinus Compoſitus 742
de Nicotiana 743
Nuciſtæ 743
Ophthalmicus Cardani 743
Pæoniæ Florum 744
Papaveris Albi 744
de Papavere Compoſitus 744
Papaveris Erratici 744
Paſſularum Laxativus 745
Perſicorum Florum 745

pag.
Syrupus Pomorum Regis Saboris 745
Simplex 746
de Portulaca Compoſitus 746
Quinque Radicum Aperientium Majorum 746
de Rhabarbaro Deodati 746
Ribium 747
Rorellæ 747
Roſatus Simplex 747
Solutivus 747
cum Senna 748
e Roſis Siccis 748
Rubi Idæi 748
Sambucinus Compoſitus 748
Scelotyrbicus 749
de Scilla 749
de Scolopendrio 749
Scordii 749
de Scordio Compoſitus 750
Sedi Majoris 750
de Spina Cervina vid. Syrup Domeſticus
de Stœchade 750
de Sulphure 751
Sulphuris ſive Arcanum Bechicum Williſii 751
e Symphyto Fernelii 751
de Teſtudinibus Reſumtivus 752
Theriacalis 752
de Toto Citro Eſſentificatus 752
Tolutanus Magiſtralis 753
Tunicæ Florum 753
Vermifugus 753
Veronicæ 753
Violarum 754
Solutivus 754
Violatus Elegans 754
de Viperis Roborans 755
Zingiberis 755

Tartarus Antimoniatus 755
Chalybeatus 756
Solubilis 756
Emeticus 756
Tartariſatus Liquidus Citratus 757
ſive Solubilis 757
Vitriolatus 757
Antimon. 757
Emetico Purgans 758
Tackenii 758

	pag.
Tartari Oleum per Deliquium	756
Terra Foliata vid. Arcanum Tartari	
Terebinthina Coćta	759
Terra Foliata Nitri vid. Nitrum Catharticum	
Teſtes Equi Præparati	759
Theriaca Cœleſtis	759
Hoffmanni	761
Jungken	761
Tinćtura Aloës	763
Amara	763
Anodyna vid. Eſſentia Anodyna	
Antihypochondriaca	763
Antimonii Acris	763
Aniſata	764
cum Liquore Nitri Fixi	764
Tartariſata	764
Antinephritica	765
Antiphthiſica	765
Aromatica	767
Auri ſeu Aurum Potabile	767
Balſamica	768
Bellidis Florum	768
Bezoardica Ceylonica	769
Ludovici	769
Michaëlis	770
Officinalis Ordinaria	770
Bat.	770
Wedelii	770
Cantharidum	772
Cardiaca	772
Coralliorum	772
Sincera	773
Croci	774
Vinoſa	774
Gingivalis Balſamica	774
Guajaci	775
Hellebori Compoſita	775
Hydragoga	775
Hydropica	775
Hyperici Florum	776
Laccæ	776
Lunæ	776
Martis Adſtringens	777
Amara	777
Aperitiva	777
Tartariſata	778
cum Arcano Tartari	778
Aurea	778
Cœrulea Ettneri	779

	pag.
Tinćtura Martis Cydoniata Wedelii	779
Elleborata	779
Pomata	779
Roborans Bœrhaave	780
cum Vino Malvatico & Pomis Aurantiis	780
Vitriolata Antiſcorbutica	780
Metallorum ſeu Lilium Paracelſi	780
Oculorum Cancri vid. Eſſentia Oculorum Cancri	
Odontalgica Hoffmanni	781
Proprietatis Mynſichti	781
Regia	782
Rhabarbari	782
Compoſita	782
Spirituoſa	783
Dulcis	783
Sacra	783
Alia	783
Salutifera vid. Eſſentia Salutifera	
Saſſafras	784
Saturni	784
Scorbutica	784
Stomachica Aromatica	784
Biſteri	785
Fulleri	785
Lipſiens.	785
Londinens.	785
Martialis	786
Stockhameri	786
Sulphuris	786
Tartari	787
Acris	787
cum Aurantiis	787
Tragea Alba	787
Aromatica Gabelchoveri	788
Officinalis	788
Cephalica	788
Emmenagoga	788
Epileptica	789
Granorum Aćtes	789
Hydropica Williſii	789
Ophthalmica	789
Verzaſchae	789
Stomachica Baſileenſium	790
Brunneri	790
& Cephalica	790
Trochiſci Adverſus Acidum Ventriculi	791
Alhandal	791

pag.

Trochiſci Aliptæ Moſchatæ 791
Alkekengi 791
cum Opio 792
Alkermes Completi 792
de Ambra 792
Antacidi ſeu Cardialgici 792
Anthelmintici 792
Apoplectici 793
Balſamici 793
Bechici Albi 793
Citrini 793
Gryſei 793
Majores 794
Nigri 794
Rubri 794
de Camphora 794
de Capparibus 795
de Carabe 995
Catarrhales 795
Dragoneri 795
Catechu ſive Muſcerdæ 796
Cephalici 796
de Cremore Tartari 796
Cypheos Gal. pro Mithridatio 796
Diaſulphuris 797
Eſcharotici 797
Galliæ Moſchatæ 797
Hyſterici 797
contra Abortum 798
de Myrrha Rhas. 798
Opiati 798
ad Ptyaliſmum ab Aphthis delapſis 798
de Scilla 799
ad Sitim Fallendam 799
Stellati 799
Stomachici 799
Suaveolentes ad Fœtorem Oris 800
Sublinguales, ad Prophylaxin a Contagio 800
Completi contra Peſtem 800
Incompleti 800
de Succo Glycyrrhizæ Correcti 800
de Tamarindis 801
de Terra Catechu ad Sputum Cruentum 801
Sigillata 801
de Vipera 802
Vitæ Mynſicht. 802

pag.

Turpethum Minerale, ſeu Mercur. Præcipit. Flavus 803
Turundæ Acuſticæ 804
Tutia Præparata 804
Ungentum Ægyptiacum 804
Agrippæ 804
Alabaſtrinum 805
Album Camphoratum 805
Simplex 805
Albuminum 805
Aloëticum 805
Altheæ 806
ad Ambuſta 806
Charas 806
Hildani 807
Anodynum Reineſii 807
Brand. 807
Bœrhaave 808
Antipſoricum 808
cum Mercurio 808
Aperitivum 808
ex Apio 808
Apoſtolorum 809
de Arthanita 809
de Aurantiis 810
Aureum 810
Baſilicum Majus 810
Minus 811
Bernhardinum 811
de Bills 811
Calendulæ Florum 811
Cardiacum Schrœderi 811
ad Cariem Oſſium 812
Carminativum 812
Grim 812
Cephalalgicum 812
Clyſmaticum 813
Comitiſſæ 813
Cordiale Fuller 814
Ludovici 814
Reineſii 814
Defenſivum 814
Deopilativum 814
Deſiccativum Rubrum 815
Digeſtivum Wirt. 815
Barbette 815
Bœrhaave 815
Digitalis 816
Diſcutiens 816

pag.

Ungentum Diſſipans 816
Enulatum 816
ad Eryſipelas 816
Foreſti 817
Friderici Epiſcopi 817
Frontale 817
Fulleri 817
Fuſcum Myrepſi 817
Griſeum vid. Ungt. Neapolitanum
Hæmorrhoidale Paris 818
Goddard 818
Aliud 818
Batean 818
Hepaticum 818
Herpeticum Barbette 819
de Hyoſcyamo 819
Infrigidans Galeni 819
de Linaria 819
de Liquiritia 820
de Lithargyrio 820
ad Lumbricos 820
Majorannæ 821
Malvæ 821
Martiatum 821
Aliud 821
Maſtichinum 822
Maturativum Reineſii 822
de Minio Camphoratum 823
Mundificans Poterii 823
Stahlii 823
Mundificativum de Apio 824
de Reſina 824
Neapolitanum ſeu Griſeum 824
Collegii Lugdun. 825
Nervinum 825
Aliud 825
Charas 826
Grim 826
de Nicotiana 826
Nihili ad Oculos 827
de Nymphæa Cordiale 827
Nutritum vid. Ungt. de Lithargyrio
Oculare 827
Edinb. 828
Lond. 828
Keiſeri 828
Opthalmicum Sloane 828

pag.

Ungentum Pectorale 828
ſeu Antipleuriticum 829
Fulleri 829
Gaubii 829
Charas 829
Pediculorum 830
ad Pelliculas Oculorum 830
Piperinum 830
Pleuriticum Vienn. 830
Barbette 831
Deckerianum 831
Fulleri 831
Sydenhami 831
Podagricum Fulleri 831
Singulare 831
Pomatum Brand. 832
Vienn. 832
ſive Pomatum Florum Naphæ 833
Pomatum Hamb. 833
Dia Pompholygos 833
Populeum 833
Purpureum Wurzii 834
ad Ranulam Linguæ 834
Refrigerans 834
Renale 834
Reſumtivum 835
Roſatum 835
Simplex 835
ad Ruborem & Puſtulas Oculorum Mercklini 835
Rubrum ad Labia Oris 835
Potabile Wirt. 836
Vienn. 836
Salino Volatile 836
Sambucinum 836
Santalinum 837
Saponaceum 837
de Sapone Cratonis 837
Saturninum vulgo Balſ. Univerſale 837
Lond. 838
ad Scabiem 838
Hamburg. 838
Vienn. 838
Zelleri 838
ad Scirrhum Lienis 839
Singulare Fuſcareni 839
Soleare 839
Somniferum 839
Splanchnicum Fulleri 840

INDEX COMPOSITORVM.

pag.

Unguentum Splanchnicum Lond. 840
  Magiſtrale 840
 Spleneticum 840
  Vienn. 841
  Grim. 841
  Aliud 841
 Splenicum Fulleri 841
 Stomachale 842
  Pretioſum 842
 de Styrace 842
 Suppurativum Thom. Reineſii 842
 ad Tabida Membra Wirt. 843
  Barbette 843
  Fulleri 843
 Tetrapharmacum vid. Ungt Baſilicum Minus
 Textoris vid. Empl. Tonſoris
 ad Ulcera Narium Maligna 844
 de Uvis 844
 Verbaſci 844
 contra Vermes 844 & 845
 Viride Potabile 845
  Reginæ 845
 Virilitatis 846
 ad Vitiliginem Dan. Sennerti 849
 contra Vomitum 847
 Vulnera Conſolidans Hoffmanni 847
 Vulnerarium Hoffmann. 847
 ad Vulnera Nervorum ac Tendinum 847
  Sclopetorum 848
 ad Vulnera Aliud longe Præſtantius 848

pag.

Ungula Alcis Præparata 848
Unicornu Marinum Præparatum 848

Ventriculorum Gallinarum Præparatio 848
Vinum Amarum 849
  Catharticum 849
 Arthriticum 849
  Purgans 849
 Chalybeatum Fulleri 849
  Batean. 850
 Diureticum Sennerti 850
 Enulatum Fulleri 850
 Epilepticum Purgans Waldſchmidii 850
 Hippocraticum vid. Species Hippocraticæ
 Hydropicum Fulleri 851
  Aliud 851
 Mirabile Fulleri 851
 Roborans Calefaciens, Nervinum, Febrifugum Emmenagogum 852
 Roborans ad Fluorem Album 852
 Scelotyrbicum 852
 Scorbuticum 852
 Viperinum 852
Vitrioli Gilla Theophraſti vid. Gilla
Vitriolum Martis 853
Vitrioli Ros, vid. Ros Vitrioli
 Terra Dulcis 853
Vitrum Antimonii Ceratum 853
  Hyacinthinum 854

FINIS PARTIS SECVNDÆ.

Errata Typographica, hujus Partis ſecundæ

***Litterae*, a, *paginae primam*, &, b, *columnam ſecundam indicant*.**

Pag.	Lin.	
21	21	b. pro vitre l. vitreo
22	22	b. pro rirulento l. vitulento
26	4	b. pro reiciantur l. rejiciantur
27	6	b. pro pitnitoſis l. pituitoſis
28	2	a. pro ſucceffive l. ſucceſſive
44	21	b. pro tumicarum l. tunicarum
46	9	a. pro nythemeron l. nychthemeron
51	4	a. pro dimidas l. dimidias
58	6	b. pro duobus l. duabus.
64	8	a. pro aecurrit l. occurrit
64	38	b. pro exveitum l. expertum
69	29	b. pro libris l. libras
71	20	a. pro deliquis l. deliquiis
77	24	b. pro expertuo l. expertus
83	37	b. pro dabimur l. dabimus
92	28	a. pro hac l. has
100	31	a. pro fremore l. tremore
110	9	b. pro Triti l. Trita
110	31	b. pro commendutur l. commendatur
116	39	a pro Labet l. Latet
119	3	a. pro Cera l. Cerae
119	13	a. pro Anima l. Animae
119	31	b. pro Actonicae l. Betonicae
120	4	b. pro Aoli l. Boli
120	27	b. pro Maſticher l. Maſtiches
122	1	b. pro decolari l. decolori
125	16	b. pro laudatur l. laudatus.
127	28	a. pro moilitiem l. mollitiem
127	23	b pro unicoru l. unicornu
128	8	a. pro vere l. vero
132	7	a. pro Foetorum l. Foetorem

Errata.

Pag	Lin.	
136	24	a. pro aptor l. aptos
143	4	a. pro Semaementi l. Semelmenti
147	25	a. pro Morti l. Marti
148	15	b. pro ſalutae l. ſolutae
150	10	a. pro candite l. candide
150	16	a. pro Glycyrrhica l. Glycyrrhicae
152	19	a. pro vehementa l. vehementer
152	41	a. pro immotam l. immotum
153	1 & 25	a. pro Aocro l. Acoro.
154	18	b. pro malis l. mali
156	8	b pro ilius l. illius
158	18	a. pro Dacrydii l. Diacrydii
159	41	a. pro rerentionem l. retentionem
163	5	a. pro Diſcordii l. Diaſcordii
169	27	b. pro jocatar l. jocatur
170	29	a. pro ratione l. rationem
173	18	a. pro juventorem l. inventorem
183	25	a. pro duobus l. duabus.
189	24	a proPolychreſtes l. Polychreſtas
189	35	a. pro coelida l. calida
195	29	a. pro pellandam l. pellendam
199	22	a. pro abjudicimur l. abjudicimus
204	42	a. pro habent l. habeat
204	9	b. pro Dornervilii l. Dornkreilii
204	37	b. pro inſervimus l. inſeruimus
212	17	b. pro adſcribimur l. adſcribimus
219	35	b. pro mentem l. ruentem
219	36	b. pro latis l. ſatis
221	35	b. pro ſaporoſis l. ſoporoſis
222	15	a. pro mirantur l. minantur
222	39	a. pro æris l. aëris
222	39	a. pro prohibentur l. prohibeatur
227	4	b. pro ac l. ad.
231	39	b. pro vuldo l. vulgo
234	12	b. pro Fonticulus l. Fonticulos
235	6	a. pro Laxationes l. Luxationes
235	6	a. pro Galcano l. Galbano
236	9	b. pro Sentium l. Gentium
236	21	b. pro hac l. haec
239	30	a. pro permiceantur l. permiſceantur
245	26	b. pro quam l. quum
247	29	b. pro Vigor l. Vigon
271	20	a. pro Scorbuti l. Scorbuto
278	29	b. pro his l. hic
279	39	a. pro biblioſa l. bilioſa
282	18	a. pro uim l. vim
306	1	b. pro Eadem l. Eaedem
319	25	a. pro anitpeſtilentiale l. antipeſtilentiale
330	30	b. pro uti l. ubi
344	32	b. pro unicorum l. unicornu
357	36	a. pro ſemihoris l. ſemihorio
359	13	a. pro Jalapium l. Jalapium
365	36	a. pro Cadnefiat l. Candefiat
371	5	a. pro fluxioaes l. fluxiones
376	4	b. pro ſerre l. ferre
377	20	a. pro aegra l. aegre
383	34	a. pro taſſi l. tuſſi
385	10	b. pro tenuos l. tenues
387	1	b. pro Lubricorum Terreſt. l. Loch Siccum
388	13	a. pro anodinae l. anodynae
393	14	a. pro Hippopolami l. Hippopodami
396	21	a. pro neceſſitatit l. neceſſitatis
396	26	a. pro Obſervatae l. Obſervata
412	35	b. pro Scobutum l. Scorbutum
414	7	a. pro hae l. haec
416	34	a. pro Maxantes l. Laxantes
421	26	a. pro obſtructus l. obſtructos
426	25	a. pro anodinum l. anodynum
430	34	a. pro defluxiores l. defluxiones
435	1	a. pro Uleum l. Oleum
438	42	a. pro hamorrhoidales l. haemorrhoidales
446	9	a. pro anodina l. anodyna
459	1	a. pro anodinum l. anodynum
483	31	b. pro Eiat l. Fiat
485	23	b. pro Rhei Barbar l. Rhabarbar
494	23	a. pro rogamur l. rogamus
494	39	a. pro cibarum l. ciborum
498	1 & 11	a. pro Stirace l. Styrace
506	38	a. pro cicatur l. cieatur
507	32	℞. a. poſt Cinerum rubrorum *drachm. ſemis*, adde Cinnamomi Gummi Arabici Tragacanthae Amyli *ana drachmas duas* Succi Hypociſtidis Boli Armenae Cornu Cervi uſti Raſurae Eboris *ana drachm ſemis* Sacchari penidii *unciam unam ſemis* albi candi *uncias ſex* Miſce Fiat Pulvis *Tabidis & phthiſicis præſcribitur; tenues & ſalſos catarrhos ſiſtit, ac defluxiones acres, fauciumque aſperitates & ardorem urinae mitigat.* Sumitur a drachma una ad drachmas duas. *Vid. plura in hujus pulveris laudes, apud* RIEDLIN Lin. Med. *ann.*1696 *Menſ.Debembr. Obſ.* 13. *pag.* 609. *ſq. Ceterum in omnibus fere convenit cum Pulvere Haly, contra phthiſin infra deſcripti: igitur ille, hoc quidem deficiente, quoniam non in omnibus pharmacopoliis venalis proſtat, commode ſubſtitui & praeſcribi poteſt.* *Ob ſemina oleoſa facile ranceſcit, ideo nunquam, niſi a Medico praeſcribatur, parandus: monentibus quoque* SCHROECKIO *atque* RIEDLINO, *loco modo laudato.*
508	16	a. pro ſubſtitus l. ſubſtitui
519	24	a. pro Vekzaſchae l. Verzaſchae
521	36	b pro Saochari l. Sacchari
522	31	b. pigrit l. piguit
530	25	a. pro relegari l. relegavi
547	33	a. pro depes l. dapes
552	31	a. pro veheculo l. vehiculo
557	13	b. pro Muſitans l. Muſitani
564	26	b. pro Sternutatoris l. Sternutatorius
566	5	a. pro ſternutatis l. ſternutatio
567	40	b. pro pricipium l. pricipum
592	2[illegible]	b. pro Reeſina l. Reſina
595	5	b pro abominatar l. abominatur
595	39	b. pro faſua l. a ſua
597	31	a. pro quantatis l. quantitas
601	38	b. pro periculoſis l. periculoſos
602	21	a. pro vecentium l. recentium
605	19	a. pro Stannis l. Stanni
606	2[illegible]	a pro Polychreſtnm l. Polychreſtum
653	17	b. pro diutus l. diutius
713	6	a. pro Neandis l. Necandis
72[illegible]	15	a pro ſolent l. ſoleat
723	21	b dele Radix
733	7	b. pro vero l. vere
733	15	b. pro peritus l. penitus
752	3[illegible]	a. dele duplex, inducendam
767	3	a. pro calliquativos l. colliquativos
788	3	b pro Balilenſium l. Baſileenſium
809	3	a. pro mitigantis l. mitigandis

* * * * * * * *